

Biblia Latina

in Chapters and Verses

Printed at Mainz by Johannes Gutenberg · February 23, 1455

First complete digital edition, Purpose of Life on Earth Platforms, October 31, 2026

Purpose of Life on Earth Platforms

THE COPY AND THE READINGS

Base copy: Bayerische Staatsbibliothek, Munich, 2° Inc.s.a. 197, the first setting of every leaf. Its photographs carry the Public Domain Mark.

First machine reading: Gutenberg-Museum Mainz and Mainz University Library, Gutenberg Capture.

Words in red: the rubrics printed in red in the Munich copy, and elsewhere the rubrics of Gutenberg's own printed Tabula rubricarum (Munich, bsb00004649).

HOW THE TEXT IS PRESENTED

- Gutenberg's own words, in his order and his spelling: e for ae, michi, nichil, his name forms.
- His printed shorthand is written out in full, spelled as his pages spell the word.
- Long s is written s. One type served for u and v: v begins a word, u stands within it.
- Only his printed points: the low point, the medial point, the colon and the question sign.
- Line-end hyphens are joined; words are divided as his page divides them.
- Edition 2: the same words as Edition 1, with modern chapter and verse numbers added as a reading aid (Gutenberg printed none). Prologues stand where he printed them, before their book.
- His printing slips are kept as printed.

TERMS OF USE

Licensed under Creative Commons Attribution-NonCommercial 4.0 International (CC BY-NC 4.0): free to copy, share, print and adapt for any non-commercial use, with credit to Purpose of Life on Earth Platforms.
https://creativecommons.org/licenses/by-nc/4.0/



CONTENTS

THE OLD TESTAMENT

Genesis 7
Exodus 26
Leuiticus 42
Numeri 53
Deuteronomium 68
Iosue 82
Iudicum 92
Ruth 102
Regum I 104
Regum II 117
Regum III 128
Regum IV 141
Paralipomenon I 154
Paralipomenon II 165
Oratio Manasse 179
Esdre I 179
Esdre II 183
Esdre III 189
Esdre IV 195
Tobias 206
Iudith 210
Hester 215
Iob 221
Psalterium 231
Parabole Salomonis 256
Ecclesiastes 264
Cantica canticorum 267
Sapientia 269
Ecclesiasticus 275
Ysaias 292
Iheremias 311
Lamentationes 332
Baruch 334
Ezechiel 338
Daniel 358
Osee 366
Iohel 369
Amos 370
Abdias 373
Ionas 373
Micheas 374
Naum 376
Abbacuc 376
Sophonias 377
Aggeus 378
Zacharias 379
Malachias 382
Machabeorum I 383
Machabeorum II 396

THE NEW TESTAMENT

Matheus 405
Marcus 418
Lucas 426
Iohannes 439
Ad Romanos 450
Ad Corinthios I 455
Ad Corinthios II 460
Ad Galathas 464
Ad Ephesios 466
Ad Philipenses 468
Ad Colosenses 469
Ad Thessalonicenses I 471
Ad Thessalonicenses II 472
Ad Thimotheum I 473
Ad Thimotheum II 474
Ad Thitum 475
Ad Philemonem 476
Ad Hebreos 476
Actus apostolorum 480
Iacobi 494
Petri I 495
Petri II 497
Iohannis I 498
Iohannis II 499
Iohannis III 500
Iude 500
Apocalipsis 501

Incipit epistola sancti iheronimi ad paulinum presbiterum de omnibus diuine historie libris· capitulum primum.

Frater ambrosius tua michi munuscula perferens· detulit simul et suauissimas litteras· que a principio amiciciarum· fidem probate iam fidei et veteris amicicie noua: preferebant. Vera enim illa necessitudo est· et cristi glutino copulata· quam non vtilitas rei familiaris· non presencia tantum corporum· non subdola et palpans adulacio· sed dei timor· et diuinarum scripturarum studia conciliant. Legimus in veteribus historijs· quosdam lustrasse prouincias· nouos adijsse populos· maria transisse· vt eos quos ex libris nouerant: coram quoque viderent. Sicut pitagoras memphiticos vates· sic plato egiptum· et architam tarentinum· eandemque oram ytalie· que quondam magna grecia dicebatur: latissime peragrauit· et vt qui athenis magister erat· et potens· cuiusque doctrinas achademie gignasia personabant· fieret peregrinus atque discipulus· malens aliena verecunde discere: quam sua impudenter ingerere. Denique dum litteras quasi toto orbe fugientes persequitur· captus a piratis et venundatus· tyranno crudelissimo paruit· ductus captiuus vinctus et seruus. Tamen quia philosophus maior euente se fuit· ad tytum liuium· lacteo eloquencie fonte manantem· de vltimis hispanie galliarumque finibus· quosdam venisse nobiles legimus· et quos ad contemplacionem sui roma non traxerat: vnius hominis fama perduxit. Habuit illa etas inauditum omnibus seculis· celebrandumque miraculum· vt vrbem tantam ingressi: aliud extra vrbem quererent. Appollonius siue ille magus vt vulgus loquitur· siue philosophus· vt pitagorici tradunt· intrauit persas· pertransiuit caucasum· albanos· scithas· massagetas· opulentissima indie regna penetrauit· et ad extremum latissimo physon ampne transmisso peruenit ad bragmanas· vt hyarcam in throno sedentem aureo et de tantali fonte potantem· inter paucos discipulos: de natura· de moribus· ac de cursu dierum et siderum audiret docentem. Inde per elamitas· babilonios· chaldeos· medos· assyrios· parthos· syros· phenices· arabes· palestinos· reuisus ad allexandriam: perrexit ad ethiopiam· vt gignosophistas et famosissimam solis mensam videret in sabulo. Inuenit ille vir vbique quod disceret· et semper proficiens· semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo voluminibus: phylostratus. Quid loquar de seculi hominibus· cum apostolus paulus: vas eleccionis· et magister gentium· qui de conscientia tanti in se hospitis loquebatur· dicens. An experimentum queritis eius qui in me loquitur cristus. Post damascum arabiamque lustratam: ascendit iherosolimam vt videret petrum et mansit apud eum diebus quindecim. Hoc enim mistico ebdomadis et ogdoadis: futurus gentium predicator instruendus erat. Rursumque post annos quatuordecim assumpto barnaba et tyto: exposuit cum apostolis euangelium· ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset. Habet nescio quid latentis energie: viue vocis actus· et in aures discipuli de auctoris ore transfusa: fortius sonant. Vnde et eschineus cum rodi exularet· et legeretur illa demostenis oratio quam aduersus eum habuerat: mirantibus cunctis atque laudantibus: suspirans ait. Quid si· ipsam audissetis bestiam· sua verba resonantem· Non hoc dico· quod sit aliquid in me tale· quod vel possis a me audire vt velis discere: sed quo ardor tuus et discendi studium· eciam absque nobis per se probari debeat. Ingenium docile· et sine doctore laudabile est. Non quid inuenias: sed quid queras consideramus. Mollis cera et ad formandum facilis: eciam si artificis et plaste cessent manus: tamen virtute totum est quicquid esse potest. Paulus apostolus ad pedes gamalielis· legem moysi et prophetas didicisse se gloriatur: vt armatus spiritualibus telis· postea doceret confidenter. Arma enim nostre milicie non carnalia sunt· sed potencia deo· ad destructionem municionum et cogitaciones destruentes· et omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam dei: et captiuantes omnem intellectum ad obediendum cristo: et parati subiugare omnem inobedientiam. Thimoteum scribit ab infancia sacris litteris eruditum: et hortatur ad studium leccionis: ne negligat gratiam que data sit ei per imposicionem manus presbiterij. Tyto precipit· vt inter ceteras virtutes episcopi· quem breui sermone depinxit· scientiam quoque non negligat scripturarum· obtinentem inquit cum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana et contradicentes reuincere. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest· et quantum edificat ex vite merito ecclesiam cristi: tantum nocet si destruentibus non resistat. Malachias propheta· immo per malachiam dominus interrogauit sacerdotes legem. Intantum sacerdotis officium est: interrogatum respondere de lege. Et in deuteronomio legimus. Interroga patrem tuum et annunciabit tibi: maiores tuos et dicent tibi. In psalmo quoque cxuiij. Cantabiles michi erant iustificaciones tue: in loco peregrinacionis mee. Et in descripcione iusti viri· cum eum arbori vite dauid que est in paradiso comparet: inter ceteras virtutes hoc eciam intulit. In lege domini voluntas eius· et in lege eius meditabitur die ac nocte. Daniel in fine sanctissime visionis ait· iustos fulgere quasi stellas: et intelligentes id est doctos quasi firmamentum. Vides quantum inter se distant iusta rusticitas· et docta iusticia. Alij stellis: alij celo comparantur. Quamquam iuxta hebraicam veritatem· vtrumque de eruditis possit intelligi. Ita enim apud eos legimus. Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iusticiam erudiunt multos: quasi stelle in perpetuas eternitates. Cur dicitur paulus apostolus vas eleccionis. nempe quia vas legis: et scripturarum sacrarum erat armarium. Pharisei stupent in domini doctrina· et mirantur in petro et iohanne quomodo legem sciant: cum litteras non didicerint. Quicquid enim alijs exercitacio et cotidiana in lege meditacio tribuere solet· illis hoc spiritus sanctus suggerebat. Et erant iuxta quod scriptum est docibiles deo. Duodecim annos saluator impleuerat· et in templo sedens· de questionibus legis interrogans: magis docet dum prudenter interrogat. Nisi forte rusticum petrum· rusticum iohannem dicimus: quorum vterque dicere poterat· et si imperitus sermone: non tamen sciencia. Iohannes rusticus: piscator indoctus. Et vnde illa vox obsecro: in principio erat verbum· et verbum erat apud deum· et deus erat verbum. Logos grece· multa significat. Nam et verbum est et racio· et supputacio: et causa vniuscuiusque rei· per quam sunt singula que subsistunt: que vniuersa recte intelligimus in cristo Hoc doctus plato nesciuit· hoc demostenes eloquens ignorauit. Perdam inquit sapienciam sapiencium: et prudenciam prudencium reprobabo. Vera sapiencia perdet falsam sapienciam: et quamquam stulticia predicacionis in cruce sit: tamen paulus sapienciam loquitur inter perfectos. Sapienciam autem non seculi istius· que destruitur· nec principum: sed loquitur dei sapienciam in misterio absconditam: quam predestinauit deus ante secula. Dei sapiencia· cristus est. cristus enim· dei virtus et dei sapiencia. Hec sapiencia in misterio abscondita est· de qua et noni psalmi titulus prenotatur· pro occultis filij: in quo sunt omnes thesauri sapiencie et sciencie dei absconditi. Et qui in misterio absconditus erat· predestinatus est ante secula: predestinatus autem et prefiguratus in lege et prophetis. Vnde et prophete appellabantur videntes: quia videbant eum quem ceteri non videbant. Abraham vidit diem eius· et letatus est. Aperiebantur celi ezechieli: qui populo peccatori clausi erant. Reuela inquit dauid oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua. Lex enim spiritualis est: et reuelacione opus est vt intelligatur: ac reuelata facie dei gloriam contemplemur. Liber in apocalipsi septem sigillis signatus ostenditur: quem si dederis homini scienti litteras vt legat: respondebit tibi. Non possum. Signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras: tenent signatum librum· nec aperire possunt· nisi ille reserauit qui habet clauem dauid: qui aperit et nemo claudit: claudit et nemo aperit. In actibus apostolorum· sanctus eunuchus· imo sanctus vir· sic enim eum sancta scriptura cognominatur: cum legeret ysaiam prophetam· interrogatus a philippo· putasne intelligis que legis: respondit. Quomodo possum: nisi aliquis me docuerit? Ego vt de me loquar interim· nec sanctior sum hoc eunucho· nec studiosior: qui de ethiopia id est de extremis finibus mundi venit ad templum· reliquit aulam regiam: et tantus amator legis fuit diuine sciencie· vt eciam in vehiculo literas legeret sacras. Et tamen cum librum teneret· et verba domini in cogitacione conciperet· lingua volueret· labijs personaret: ignorabat eum quem in libro nesciens venerabatur. Venit philippus: ostendit ei ihesum: qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus. Eadem hora credidit eunuchus:

baptisatus fidelis et sanctus magister efficitur de discipulo plus in deserto fonte ecclesie: quam in aurato synagoge templo reperit hec a me perstricta sunt breuiter: neque enim epistolaris angustia euagari longius paciebatur: vt intelligeres· te in scripturis sacris sine preuio et monstrante semitam· non posse ingredi. Taceo de gramaticis· rethoricis· philosophis· geometricis· dyaleticis· musicis· astronomicis· astrologis· medicis· quorum scientia mortalibus satis vel vtilissima est: et in tres partes scinditur· in doctrinam· racionem· et vsum. Ad minores artes veniam: et que non tam lingua quam manu administrantur. Agricole· cementarij· fabri metallorum· lignorumque cesores· lanarij que et fullones· et ceteri qui variam suppellectilem et vilia opuscula fabricant: absque doctore esse non possunt quod cupiunt. Quod medicorum est promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est: quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti· doctique poemata passim. Hanc garrula anus· hanc delirus senex· hanc sophista verbosus: hanc vniuersi presumunt· lacerant· docent antequam discant. Alij abducto supercilio grandia verba trutinantes· inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alij discunt prochpudor a feminis· quod viros doceant: et ne parum hoc sit· quadam facilitate verborum· immo audacia· edisserunt alijs: quod ipsi non intelligunt. Taceo de meis similibus: qui si forte ad scripturas sanctas post seculares litteras venerint· et sermone composito aures populi mulserint: quicquid dixerint· hoc legem dei putant. Nec scire dignantur quid prophete· quid apostoli senserit· sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit· et non viciosissimum dicendi genus· deprauare sentencias: et ad voluntatem suam sacram scripturam trahere repugnantem. Quasi non legimus omerocentonas et virgiliocentonas: ac non sic eciam et maronem sine cristo possimus dicere cristianum· quia scripsit iam redit et virgo redeunt saturnia regna: iam noua progenies· celo demittitur alto. Et patrem loquentem ad filium. Nate mee vires· mea magna potencia solus. Et post verba saluatoris in cruce. Talia perstabat memorans· fixusque manebat. Puerilia sunt hec· et circulatorum ludo similia· docere quod ignores: immo vt cum stomacho loquar: nec hoc quidem scire quod nescias· Videlicet manifestissima est genesis in qua de creatura mundi de exordio generis humani· de diuisione terre· de confusione linguarum et gencium vsque ad exitum scribitur hebreorum. Patet exodus cum decem plagis: cum decalogo cum misticis· diuinisque preceptis. In promptu est leuiticus liber: in quo singula sacrificia immo singule pene sillabe et vestes aaron et totus ordo leuiticus spirant celestia sacramenta. Numeri vero nonne tocius arismetrice et prophecie balaam et quadragintaduarum mansionum per heremum misteria continent: Deuteronomium vero secunda lex et ewangelice legis prefiguracio· nonne sic ea hec que priora sunt vt noua sint omnia de veteribus Hucusque moyses: hucusque pentateucus: quibus quinque verbis loqui se velle apostolus in ecclesia gloriatur. Iob exemplar paciencie que non misteria suo sermone complectitur? prosa incipit· versu labitur· pedestri sermone finitur: omnesque leges dyaletice· proposicione· assumpcione· confirmacione conclusione determinat. Singula in eo verba plena sunt sensibus: et vt de ceteris sileam· resurreccionem corporum sic prophetat: vt nullus de ea manifestius et caucius scripserit. Scio inquit quod redemptor meus viuit: et in nouissimo die de terra resurrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea· et in carne mea videbo deum: quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt: et non alius. Reposita est hec spes mea in sinu meo. Veniam ad ihesum naue: qui typum domini non solum in gestis· verum eciam in nomine prefert. Transit iordanem· hostium regna subuertit: diuidit terram victori populo: et per singulas vrbes· viculos· montes· flumina torrentes· atque confinia· ecclesie celestisque iherusalem spiritualia regna descripsit. In iudicum libro quot principes populi· tot figure sunt. Ruth moabitis ysaie explet vaticinium dicentis: emitte agnum domine dominatorem terre: de petra deserti ad montem filie syon. Samuel in hely mortuo et in occisione saul veterem legem abolitam monstrat: porro in sadoch atque dauid noui sacerdocij nouique imperij sacramenta testatur. Malachim id est tercius et quartus regum liber a salomone vsque iechoniam et a ieroboam filio nabath vsque ad osee qui ductus est in assyrios· regnum iuda et regnum describit israhel. Si historiam respicias verba simplicia sunt: si in litteris sensum latentem inspexeris ecclesie paucitas et hereticorum contra ecclesiam bella narrantur. Duodecim prophete in vnius voluminis angustias coartati multo aliud quam sonant in littera prefigurant. Osee crebro nominat effraim· samariam· ioseph· iezrael· et vxorem fornicariam et fornicacionis filios et adulteram cubiculo clausam mariti multo tempore sedere viduam: et sub veste lugubri mariti ad se reditum prestolari. Iohel filius fatuel describit terram duodecim tribuum· eruca· brucho· locusta· rubigine vastante consumptam: et post euersionem prioris populi effusum iri spiritum sanctum super seruos dei et ancillas id est super centumuiginti credencium nomina: et effusum iri in cenaculo syon. Qui centumuiginti ab vno vsque ad quindecim· paulatim et per incrementa surgentes quindecim graduum numerum efficiunt: qui in psalterio mistice continentur. Amos pastor et rusticus et ruborum mora distinguens paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat tria et quatuor scelera damasci et gaze tyri et ydumee et filiorum amon et moab et in septimo et octauo gradu iudee et israhel? Hic loquitur ad vaccas pingues que sunt in samarie monte: et ruituram domum maiorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locuste· et stantem dominum super murum litum adamantinum: et vncinum pomorum attrahentem supplicia peccatoribus· et famem in terra: non famem panis· nec sitim aque sed audiendi verbum dei. abdias qui interpretatur seruus domini pertonat contra edom: et sangwineum terrenumque fratris quoque iacob semper emulum hasta percutit spirituali. Ionas pulcherrima columba naufragio suo passionem domini prefigurans· mundum ad penitenciam reuocat: et sub nomine niniue salutem gentibus nunciat. Micheas de moraschi coheres cristi vastacionem annunciat filie latronis: et obsidionem ponit contra eam: quia maxillam percusserit iudicis israhel. Naum consolator orbis increpat ciuitatem sangwinum: et post euersionem illius loquitur: ecce super montes pedes ewangelisantis et annunciantis pacem. Abacuc luctator fortis et rigidus stat super custodiam suam: et figit gradum super municionem vt cristum in cruce contempletur· et dicat: operuit celos gloria eius· et laudis eius plena est terra: splendor eius vt lux erit· cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius. Sophonias speculator et archanorum domini cognitor· audit clamorem a porta piscium et eiulatum a secunda: et contricionem a collibus. Indicat quoque vlulatum habitatoribus pile: quia conticuit omnis populus chanaan· dispersi sunt vniuersi qui inuoluti erant argento. Aggeus festinus et letus· qui seminauit in lacrimis vt in gaudio meteret· destructum templum edificat: deumque patrem inducit loquentem: adhuc vnum modicumque et ego commouebo celum et terram et mare et aridam: et mouebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus. Zacharias memor domini sui multiplex in prophecia· ihesum vestibus sordidis indutum· et lapidem oculorum septem· candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis· duas quoque oliuas a sinistris lampadis cernit· et A dextris: vt post equos rufos varios nigros et albos· et dissipatas quadrigas ex effraim· et equum de iherusalem pauperem regem vaticinetur: et predicet regem sedentem super pullum filium asine subiugalis. Malachias aperte· et in fine omnium prophetarum· de abiectione israhel et vocacione gencium· non est michi ait voluntas in vobis dicit dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblacio munda. Ysaiam· iheremiam· ezechiel et daniel· quis potest vel intelligere vel exponere? quorum primus non propheciam videtur michi texere sed ewangelium. Secundus virgam nuceam et ollam accensam a facie aquilonis: et pardum spoliatum suis coloribus: et quadruplex diuersis metris nectit alphabetum. Tercius principia et finem tantis habet obscuritatibus inuoluta: vt apud hebreos ipse partes cum exordio geneseos ante annos triginta non legantur. Quartus vero qui et extremus inter quatuor prophetas· temporum conscius· et tocius mundi philohystoricus lapidem precisum de monte sine manibus· et regna omnia subuertentem claro sermone pronunciat. Dauid symonides noster· pindarus et alcheus flaccus que catullus atque serenus· cristum lyra predicat: et in decacordo psalterio ab inferis excitat resurgentem. Salomon pacificus et amabilis domini· mores corrigit· naturam docet: ecclesiam iungit et cristum: sanctarumque nupciarum dulce canit epithalamium. Hester in ecclesie typo populum liberat de periculo: et

interfecto aman qui interpretatur iniquitas partes conuiuij et diem celebrem mittit in posteros. Paralipomenon liber instrumenti veteris epithomen tantus ac talis est: vt absque illo si quis scientiam scripturarum sibi voluerit arrogare se ipsum irrideat. Per singula quippe nomina iuncturasque verborum· et pretermisse in regum libris tanguntur historie: et inumerabiles explicantur ewangelij questiones. Hesdras et neemias· adiutor videlicet et consolator a domino· in vno volumine artantur: instaurant templum· muros exstruunt ciuitatis: omnisque illa turba populi redeuntis in patriam· et descripcio sacerdotum· leuitarum israhelis· proselitorum ac per singulas familias murorum et turrium opera diuisa· aliud in cortice preferunt: aliud in medulla retinent. Cernis me scripturarum amore raptum· excessisse modum epistole: et tamen non implesse quod volui. Audiuimus tantum quid nosse quid cupere debeamus: vt et nos quoque possimus dicere: concupiuit anima mea desiderare iustificaciones tuas in omni tempore. Ceterum illud socraticum impletur in nobis. Hoc tantum scio quod nescio. Tangam et nouum breuiter testamentum. Matheus· marcus· lucas. et iohannes· quadriga domini· et verum cherubin quod interpretatur sciencie plenitudo per totum corpus oculati sunt: scintille emicant· discurrunt fulgura· pedes habent rectos· et in sublime tendentes: terga pennata et vbique volancia tenent se mutuo sibique perplexi sunt: et quasi rota in rotam voluuntur· et pergunt quocumque eos flatus spiritus sancti perduxerit. Paulus apostolus ad septem scribit ecclesias: octaua enim ad hebreos a plerisque extra numerum ponitur. Thimoteum instruit et tytum et philomenem pro fugitiuo famulo deprecatur: super quo melius tacere puto· quam pauca scribere. Actus apostolorum nudam quidem videntur. sonare historiam et nascentis ecclesie infanciam texere: sed si nouimus scriptorem eorum lucam esse medicum· cuius laus est in ewangelio· animaduertimus pariter omnia verba illius anime languentis esse medicinam. Iacobus· petrus· iohannes· iudas· septem epistolas ediderunt tam misticas quam succinctas· et breues pariter et longas: breues in verbis· longas in sentencijs· vt rarus sit qui non in earum cecuciat lectione. Apocalipsis iohannis tot habet sacramenta quot verba. Parum dixi: et pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis· multiplices latent intelligencie. Oro te frater karissime inter hec viuere ista meditari. nil aliud nosse· nichilque aliud querere: nonne videtur tibi iam hic in terris regni celestis habitaculum? Nolo vt offendaris in scripturis sanctis· simplicitate et quasi vilitate verborum: que vel vicio interpretum vel de industria sic prolate sunt· vt rusticam concionem facilius instruerent· et in vna eademque sentencia aliter doctus· aliter sentiret indoctus. Non sum tam petulans et hebes vt hec me nosse pollicear: et eorum fructus carpere in terra quorum radices in celo fixe sunt· sed velle fateor: sedenti me prefero· magistrum renuens comitem spondeo. Petenti datur: pulsanti aperitur· querens inuenit. Discamus in terris: quorum scientia perseueret in celo. Obuijs te manibus excipiam: et vt inepte aliquid ac de ermagore tumiditate effundam· quicquid quesieris tecum scire conabor habes hic amantissimum tui fratrem eusebium· qui litterarum tuarum michi gratiam duplicauit: referens honestatem morum tuorum· contemptum seculi· fidem amicicie amorem cristi. Nam prudenciam et eloquij venustatem eciam absque illo ipsa epistola preferebat. Festina queso te· et herenti salo nauicule funem magis scinde quam solue. Nemo renunciaturus seculo bene potest vendere· que contempsit vt venderet. Quitquid in sumptus de tuo tuleris: pro lucro computa. Antiquum dictum est. Auaro deest tam quod habet: quam quod non habet. Credenti totus mundus diuiciarum est. Infidelis autem eciam obulo indiget. Sic viuamus quasi nil habentes et omnia possidentes. Victus atque vestitus diuicie cristianorum. Si habes in potestate rem tuam vende: si non habes proice. Tollenti tunicam: et pallium relinquendum est. Nisi scilicet tu semper recrastinans et diem de die trahens caute et pedetemptim tuas possessiunculas vendideris: non habet cristus vnde alat pauperes suos. Totum deo dedit: qui se obtulit. Apostoli tantum nauem et recia relinquerunt: vidua duo era mittit in gazophilacium· et prefertur cresi diuicijs. Facile contempnit omnia: qui se semper cogitat esse moriturum

Incipit prologus in penthateucum moysi

Desiderij mei desideratas accepi litteras· qui quodam presagio futurorum· cum daniele sortitus est nomen: obsecrans vt translatum in latinam linguam de hebreo sermone penthateucum auribus tradere. Periculosum opus certe· et obtrectatorum meorum latrantibus patens: qui me asserunt in septuaginta interpretum sugillacionem· noua pro veteribus cudere· ita ingenium quasi vinum probantes· cum ego sepissime testatus sim me pro vili porcione in tabernaculo dei offerre que possim: nec opes alterius paupertate fedari. Quod vt auderem origenis me studium prouocauit: qui edicioni antique translacionem theodocionis miscuit· asterico et obelo id est stella et veru omne opus distinguens· dum aut illucescere facit que minus ante fuerant: aut superflua queque iugulat et confodit· et maxime que euangelistarum et apostolorum auctoritas promulgauit. In quibus multa de veteri testamento legimus que in nostris codicibus non habentur: vt est illud· ex egipto vocaui filium meum· et quoniam nazarenus vocabitur: et videbunt in quem compunxerunt: et flumina de ventre eius fluent aque viue: et que nec oculus vidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit que preparauit diligentibus se: et multa alia que proprium sintagma desiderant. Interrogemus ergo eos vbi hec scripta sunt· et cum dicere non potuerint· de libris hebraicis proferamus· primum testimonium est in osee· secundum in ysaia· tercium in zacharia· quartum in prouerbijs· quintum eque in ysaia: quod multi ignorantes apocriforum deliramenta sectantur· et hiberas nenias libris autenticis preferunt. Causas erroris non est meum exponere. Iudei prudenti factum dicunt esse consilio: ne ptolomeus vnius dei cultor eciam apud hebreos duplicem diuinitatem comprehenderet· quod maxime idcirco faciebant quia in platonis dogma cadere videbatur. Denique vbicumque sacratum aliquid scriptura testatur de patre et filio et spiritu sancto aut aliter interpretati sunt aut omnino tacuerunt: vt et regi satisfacerent· et archanum fidei non vulgarent. Et nescio quis primus auctor septuagintas cellulas alexandrie mendacio suo extruxerit· quibus diuisi eadem scriptitarent: cum aristeus eiusdem ptolomei yperaspites· et non multo post tempore iosephus nichil tale retulerint· sed in vna basilica congregatos contulisse scribant non prophetasse. Aliud est enim esse vatem: aliud est esse interpretem. Ibi spiritus ventura predicit: hic erudicio et verborum copia ea que intelligit transfert. Nisi forte putandus est tullius economicum xenofontis et platonis pitagoram et demostenis prothesifontem afflatus rethorico spiritu transtulisse. Aut aliter de eisdem libris per septuaginta interpretes· aliter per apostolos spiritus sanctus priorum testimonia texuit: vt quod illi tacuerunt hij scriptum esse mentiti sunt. Quid igitur? damnamus veteres? Minime: sed post studia in domo domini quod possumus laboramus. Illi interpretati sunt ante aduentum cristi et quod nescierunt dubijs protulerunt sentencijs: nos post passionem eius non tam propheciam quam historiam scribimus. Aliter enim audita: aliter visa narrantur. Quod melius intelligimus melius et proferimus. Audi igitur emule: obtrectator ausculta. Non damno non reprehendo septuaginta: sed confidenter cunctis illis apostolos prefero. Per istorum os michi cristus sonat quos ante prophetas inter spiritualia carismata positos lego: in quibus vltimum pene gradum interpretes tenent. Quid liuore torqueris? quid imperitorum animos contra me concitas? Sicubi in translacione tibi videor errare interroga hebreos: diuersarum vrbium magistros consule. Quod illi habent de cristo tui codices non habent. Aliud est si contra se postea ab apostolis vsurpata testimonia probauerint: et emendaciora sunt exemplaria latina· quam greca: greca quam hebrea. Verum hec contra inuidos. Nunc te deprecor desideri karissime: vt quia me tantum opus subire fecisti· et a genesi exordium cape· orationibus iuues· quod possim eodem spiritu quo scripti sunt libri in latinum eos transferre sermonem.

Genesis

Incipit liber bresith quem nos genesim dicimus

1 In principio creauit deus celum et terram. [2] Terra autem erat inanis et vacua: et tenebre erant super faciem abissi· et spiritus domini ferebatur super aquas. [3] Dixitque deus. Fiat lux. Et facta est lux. [4] Et vidit deus lucem quod esset bona: et diuisit lucem a tenebris· [5] appellauitque lucem diem et tenebras noctem. Factumque est vespere et mane dies vnus. [6] Dixit quoque deus. Fiat firmamentum in medio aquarum: et diuidat aquas ab aquis. [7] Et fecit deus firmamentum: diuisitque aquas que erant sub firmamento ab hijs que erant super firmamento et factum est ita. [8] Vocauitque deus firmamentum celum: et factum est vespere et mane dies secundus. [9] Dixit vero deus. Congregentur aque que sub celo sunt in locum vnum et appareat arida. Et factum est ita. [10] Et vocauit deus aridam terram: congregacionesque aquarum appellauit maria. Et vidit deus quod esset bonum· [11] et ait. Germinet terra herbam virentem et facientem semen: et lignum pomiserum faciens fructum iuxta genus suum· cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. [12] Et protulit terra herbam virentem et facientem semen iuxta genus suum: lignumque faciens fructum et habens vnumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit deus quod esset bonum: [13] et factum est vespere et mane dies tercius. [14] Dixitque autem deus. Fiant luminaria in firmamento celi· et diuidant diem ac noctem: et sint in signa et tempora et dies et annos· [15] vt luceant in firmamento celi et illuminent terram. Et factum est ita. [16] Fecitque deus duo luminaria magna: luminare maius vt preesset diei et luminare minus vt preesset nocti et stellas· [17] posuit eas in firmamento celi vt lucerent super terram: [18] et preessent diei ac nocti· et diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit deus quod esset bonum: [19] et factum est vespere et mane dies quartus. [20] Dixit eciam deus. Producant aque reptile anime viuentis et volatile super terram· sub firmamento celi. [21] Creauitque deus cete grandia· et omnem animam viuentem atque morabilem motabilem quam produxerant aque in species suas· et omne volatile secundum genus suum. Et vidit deus quod esset bonum· [22] benedixitque eis dicens. Crescite et multiplicamini· et replete aquas maris· auesque multiplicentur super terram. [23] Et factum est vespere et mane dies quintus. [24] Dixit quoque deus. Producat terra animam viuentem in genere suo· iumenta et reptilia· et bestias terre secundum species suas. Factumque est ita. [25] Et fecit deus bestias terre iuxta species suas· iumenta et omne reptile terre in genere suo. Et vidit deus quod esset bonum· [26] et ait. Faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem nostram· et presit piscibus maris· et volatilibus celi et bestijs vniuerseque terre· omnique reptili quod mouetur in terra. [27] Et creauit deus hominem ad ymaginem et similitudinem suam· ad ymaginem dei creauit illum· masculum et feminam creauit eos. [28] Benedixitque illis deus· et ait. Crescite et multiplicamini et replete terram· et subicite eam· et dominamini piscibus maris· et volatilibus celi· et vniuersis animantibus que mouentur super terram. [29] Dixitque deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram· et vniuersa ligna que habent in semetipsis sementem genis sui· vt sint vobis in escam [30] et cunctis animantibus terre· omnique volucri celi et vniuersis que mouentur in terra· et in quibus est anima viuens· vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. [31] Viditque deus cuncta que fecerat· et erant valde bona. Et factum est vespere et mane dies sextus

2 Igitur perfecti sunt celi et terra· et omnis ornatus eorum. [2] Compleuitque deus die septimo opus suum quod fecerat· et requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. [3] Et benedixit diei septimo· et sanctificauit illum· quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit deus vt faceret. [4] Iste sunt generaciones celi et terre quando create sunt in die quo fecit deus celum et terram· [5] et omne virgultum agri antequam oriretur in terram· omnemque herbam regionis prius quam germinaret. Non enim pluerat dominus deus super terram· et homo non erat qui operaretur terram. [6] Sed fons ascendebat e terra· irrigans vniuersam superficiem terre. [7] Formauit igitur dominus deus hominem de limo terre· et inspirauit in facie eius spiraculum vite· et factus homo in animam viuentem. [8] Plantauerat autem dominus deus paradisum voluptatis a principio· in quo posuit hominem quem formauerat. [9] Produxitque dominus deus de humo omne lignum pulchrum visu· et ad vescendum suaue· lignum eciam vite in medio paradisi· lignumque sciencie boni et mali. [10] Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum· qui inde diuiditur in quatuor capita. [11] Nomen vni phison. Ipse est qui circuit omnem terram euilath· vbi nascitur aurum· [12] et aurum terre illius optimum est. Ibique inuenitur bdellium· et lapis onichinus. [13] Et nomen fluuij secundi gyon. Ipse est qui circuit omnem terram ethiopie. [14] Nomen vero fluminis tercij tygris. Ipse vadit contra assyrios. Fluuius autem quartus· ipse est eufrates. [15] Tulit ergo dominus deus hominem· et posuit eum in paradisum voluptatis· vt operaretur et custodiret illum· [16] precepitque ei dicens. Ex omni ligno paradisi comede· [17] de ligno autem sciencie boni et mali ne comedas. In quacumque enim die comederis ex eo· morte morieris. quoque [18] Dixit quoque dominus deus. Non est bonum hominem esse solum· faciamus ei adiutorium simile sibi. [19] formatis igitur dominus deus de humo cunctis animantibus terre· et vniuersis volatilibus celi· adduxit ea ad adam· vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit adam anime viuentis· ipsum est nomen eius. [20] Appellauitque adam nominibus suis cuncta animancia· et vniuersa volatilia celi et omnes bestias terre. Ade vero non inueniebatur adiutor similis eius. [21] Immisitque dominus deus soporem in adam. Cumque obdormisset· tulit vnam de costis eius. et repleuit carnem pro ea. [22] Et edificauit dominus deus costam quam tulerat de adam in mulierem· et adduxit eam ad adam. [23] Dixitque adam. Hoc nunc os ex ossibus meis· et caro de carne mea. Hec vocabitur virago· quoniam de viro sumpta est. [24] Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adherebit vxori sue· et erunt duo in carne vna. [25] Erat autem vterque nudus adam scilicet et vxor eius· et non erubescebant.

3 Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terre· que fecerat dominus deus. Qui dixit ad mulierem. Cur precepit vobis deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi? [2] Cui respondit mulier. De fructu lignorum que sunt in paradiso vescimur· [3] de fructu vero ligni quod est in medio paradisi precepit nobis deus ne comederemus· et ne tangeremus illud· ne forte moriamur. [4] Dixit autem serpens ad mulierem. Nequaquam morte moriemini. [5] Scit enim deus quod in quocumque die comeditis ex eo· aperientur oculi vestri: et eritis sicut dij scientes bonum et malum. [6] Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum· et pulchrum oculis· aspectuque delectabile· et tulit de fructu illius et comedit. deditque viro suo. Qui comedit· [7] et aperti sunt oculi amborum. Cumque cognouissent se esse nudos· consuerunt folia ficus: et fecerunt sibi perizomata. [8] Et cum audissent vocem domini dei deambulantis in paradiso· ad auram post meridiem: abscondit se adam et vxor eius a facie domini dei in medio ligni paradisi. [9] Vocauitque dominus deus adam· et dixit ei. Vbi es. [10] Qui ait. Vocem tuam domine audiui in paradiso· et timui eo quod nudus essem: et abscondi me. [11] Cui dixit dominus. Quis enim indicauit tibi quod nudus esses: nisi quod ex ligno de quo preceperam tibi ne comederes comedisti? [12] Dixitque adam. Mulier quam dedisti michi sociam· dedit michi de ligno: et comedi. [13] Et dixit dominus deus ad mulierem. Quare hoc fecisti? Que respondit. Serpens decepit

me· et comedi. [14] Et ait dominus ad serpentem. Quia fecisti hoc· maledictus es inter omnia animancia· et bestias terre. Super pectus tuum gradieris· et terram comedes cunctis diebus vite tue. [15] Inimicicias ponam inter te et mulierem: et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum: et tu insidiaberis calcaneo eius. [16] Mulieri quoque dixit. Multiplicabo erumpnas tuas· et conceptus tuos. In dolore paries filios· et sub viri potestate eris: et ipse dominabitur tui. [17] Ade vero dixit. Quia audisti vocem vxoris tue· et comedisti de ligno ex quo preceperam tibi ne comederes· maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea· cunctis diebus vite tue. [18] Spinas et tribulos germinabit tibi· et comedes herbas terre. [19] In sudore vultus tui vesceris pane tuo· donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es· et in puluerem reuerteris. [20] Et vocauit adam nomen vxoris sue eua· eo quod mater esset cunctorum viuentium. [21] Fecit quoque dominus deus ade et vxori eius tunicas pelliceas· et induit eos [22] et ait. Ecce adam quasi vnus ex nobis factus est sciens bonum et malum. Nunc ergo ne forte mittat manum suam· et sumat eciam de ligno vite· et comedat: et viuat in eternum. [23] Emisit eum dominus deus de paradiso voluptatis: vt operaretur terram de qua sumptus est. [24] Eiecitque adam· et collocauit ante paradisum voluptatis cherubin· et flammeum gladium atque versatilem: ad custodiendam viam ligni vite.

4 Cognouit vero adam euam vxorem suam: que concepit et peperit cayn dicens. Possedi hominem per deum. [2] Rursumque peperit fratrem eius abel. Fuit autem abel pastor ouium· et cayn agricola. [3] Factum est autem post multos dies vt offerret cayn· de fructibus terre munera domino. [4] Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum. Et respexit dominus ad abel· et ad munera eius: [5] ad cayn autem et ad munera illius non respexit. Iratusque est cayn vehementer: et concidit vultus eius. [6] Dixitque dominus ad eum. Quare iratus es· et cur concidit facies tua? [7] Nonne si bene egeris recipies? Sin autem male: statim in foribus peccatum tuum aderit. Sed sub te erit appetitus eius· et tu dominaberis illius. [8] Dixitque cayn ad fratrem. Egrediamur foras. Cumque essent in agro· consurrexit cayn aduersus fratrem suum abel: et interfecit eum. [9] Et ait dominus ad cayn. Vbi est abel frater tuus? Qui respondit. Nescio. Numquid custos fratris mei sum ego? [10] Dixitque ad eum. Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. [11] Nunc igitur maledictus eris super terram: que aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. [12] Cum operatus fueris eam: non dabit tibi fructus suos. Vagus et profugus eris super terram. [13] Dixitque cayn ad dominum. Maior est iniquitas mea: quam vt veniam merear. [14] Ecce eicis me hodie a facie terre: et a facie tua abscondar· et ero vagus et profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me occidet me. [15] Dixitque ei dominus. Nequaquam ita fiet sed omnis qui occiderit cayn septuplum punietur. Posuitque dominus in cayn signum· vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum. [16] Egressusque cayn a facie domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam eden. [17] Cognouit autem cayn. vxorem suam: que concepit et peperit enoch. Et edificauit ciuitatem· et vocauit nomen eius ex nomine filij sui enoch. [18] Porro enoch genuit yrad. Et yrad genuit mauiael· et mauiael genuit mathusael. Et matusael genuit lamech. [19] Qui accepit duas vxores. Nomen vni ada· et nomen alteri sella. [20] Genuitque ada iahel· qui fuit pater habitancium in tentorijs· atque pastorum· [21] et nomen fratris eius tubal. Ipse fuit pater canencium cythara et organo. [22] Sella quoque genuit tubalcayn· qui fuit malleator· et faber· in cuncta opera eris et ferri. Soror vero tubalcayn· noemma. [23] Dixitque lamech vxoribus suis ade et selle. Audite vocem meam vxores lamech· auscultate sermonem meum. Quoniam occidi virum in vulnus meum et adolescentem in liuorem meum. [24] Septuplum vlcio dabitur de cayn· de lamech vero septuagies sepcies. [25] Cognouit quoque adhuc adam vxorem suam et peperit filium· vocauitque nomen eius seth dicens. Posuit michi deus semen aliud pro abel quem occidit cayn. [26] Sed et seth natus est filius· quem vocauit enos. Iste cepit inuocare nomen domini.

5 Hic est liber generacionis adam· in die qua creauit deus hominem. Ad similitudinem dei fecit illum: [2] masculum et feminam creauit eos· et benedixit illis: et vocauit nomen eorum adam in die qua creati sunt. [3] Vixit autem adam centumtriginta centumtriginta annis· et genuit filium ad ymaginem· et similitudinem suam· vocauitque nomen eius seth. [4] Et facti sunt dies adam postquam genuit seth octingenti anni: genuitque filios et filias. [5] Et factum est omne tempus quod vixit adam anni nongentitriginta· et mortuus est. [6] Vixit quoque seth centum quinque annis· et genuit enos. [7] Vixitque seth postquam genuit enos octingentis septem annis· genuitque filios et filias. [8] Et facti sunt omnes dies seth nongentorumduodecim annorum: et mortuus est. [9] Vixit vero enos nonaginta annis et genuit caynan. [10] Post cuius ortum vixit vero enos nonaginta annis et genuit nsquindeci annis· et genuit filios et octingennsquindecim filios et filias. [11] Factique sunt omnes dies enos omnes nongentiquinque anni: et mortuus est. [12] quoque caynan septuaginta annis. et genuit malalehel. [13] Et vixit caynan postquam genuit malalehel octingentisquadraginta annis· genuitque filios et filias. [14] Et facti sunt omnes dies caynan nongenti decem anni· et mortuus est. [15] Vixit autem malalehel sexagintaquinque annis. et genuit iared. [16] Et vixit malalehel postquam genuit iared· octingentistriginta annis· et genuit filios et filias. [17] Et facti sunt omnes dies malalehel octingentinonagintaquinque anni et mortuus est. [18] Vixit iared centumsexagintaduobus annis· et genuit enoch. [19] Et vixit iared postquam genuit enoch octingentis annis· et genuit filios et filias. [20] Et facti sunt omnes dies iared nongentisexagintaduo anni· et mortuus est. [21] Porro enoch vixit sexagintaquinque annis· et genuit mathusalam. [22] Et ambulauit enoch cum deo. Et vixit enoch postquam genuit mathusalam trecentis annis· et genuit filios et filias. [23] Et facti sunt omnes dies enoch· trecentisexagintaquinque anni· [24] ambulauitque cum deo et non apparuit· quia tulit eum dominus. [25] Vixit quoque mathusalam centumoctogintaseptem annis. et genuit lamech. [26] Et vixit mathusalam postquam genuit lamech septingentis octogintaduobus annis· et genuit filios et filias. [27] Et facti sunt omnes dies mathusale nongentisexagintanouem anni· et mortuus est. [28] Vixit autem lamech centumoctogintaduobus annis et genuit filium: [29] vocauitque nomen eius noe dicens. Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra· cui maledixit dominus. [30] Vixitque lamech postquam genuit noe quingentis nonagintaquinque annis. et genuit filios et filias. [31] Et facti sunt omnes dies lamech septingentiseptuagintaseptem anni· et mortuus est. Noe vero cum quingentorum esset annorum· genuit sem· et cham· et iaphet.

6 Cumque cepissent homines multiplicari super terram· et filias procreassent. [2] Videntes filij dei filias hominum quod essent pulchre· acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant. [3] Dixitque deus. Non permanebit spiritus meus in homine ineternum· quia caro est. Eruntque dies illius centum viginti annorum. [4] Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij dei ad filias hominum· illeque genuerunt: isti sunt potentes a seculo· viri famosi. [5] Videns autem deus quod multa malicia hominum esset in terra· et cuncta cogitacio cordis intenta esset ad malum omni tempore: [6] penituit eum quod hominem fecisset in terra. Et precauens in futurum· et tactus dolore cordis intrinsecus: [7] delebo inquit hominem quem creaui a facie terre· ab homine vsque ad animancia· a reptili vsque ad volucres celi. Penitet enim me fecisse eos. [8] Noe vero inuenit graciam coram domino. [9] Hee sunt generaciones noe. Noe vir iustus atque perfectus fuit· in generacionibus suis: cum deo ambulauit· [10] et genuit tres filios· sem· cham· et iaphet. [11] Corrupta est autem terra coram domino· et repleta est iniquitate. [12] Cumque vidisset deus terram esse corruptam· omnis quippe caro corruperat viam suam super terram: [13] dixit ad noe. Finis vniuerse carnis venit coram me. Repleta est terra iniquitate a facie eorum: et ego disperdam eos cum terra. [14] Fac tibi archam de lignis leuigatis. Mansiunculas in archa facies: et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus· [15] et sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arche· quinquaginta cubitorum latitudo· et triginta cubitorum altitudo illius. [16] Fenestram in archa facies· et in cubito consummabis summitatem eius. Ostium autem arche pones ex latere deorsum. Cenacula et tristega facies in ea. [17] Ecce ego adducam aquas diluuij super terram vt interficiam omnem carnem in qua spiritus vite est subter

celum· et vniuersa que in terra sunt consumentur. 18 Ponamque fedus meum tecum· et ingredieris archam tu et filij tui· vxor tua· et vxores filiorum tuorum tecum: 19 et ex cunctis animantibus vniuerse carnis bina induces in archam vt viuant tecum masculini sexus et feminini. 20 De volucribus iuxta genus suum· et de iumentis in genere suo· et ex omni reptili terre· secundum genus suum· bina de omnibus ingredientur tecum· vt possint viuere. 21 Tolles igitur tecum ex omnibus escis que mandi possunt· et comportabis apud te· et erunt tam tibi quam illis in escam. 22 Fecit igitur noe omnia que preceperat illi deus.

7 Dixitque dominus ad eum. Ingredere tu et omnis domus tua in archam. Te enim vidi iustum coram me in generacione hac. 2 Ex omnibus animantibus mundis tolles septena et septena· masculum et feminam: de animantibus vero inmundis duo et duo· masculum et feminam: 3 sed et de volatilibus celi septena et septena· masculum et feminam· vt saluetur semen super faciem vniuerse terre. 4 Adhuc enim et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus: et delebo omnem substanciam quam feci de superficie terre. 5 Fecit ergo noe omnia que mandauerat ei dominus. 6 Eratque sexcentorum annorum· quando diluuij aque inundauerunt super terram. 7 Et ingressus est noe et filij eius· vxor eius· et vxores filiorum eius cum eo in archam: propter aquas diluuij. 8 De animantibus quoque mundis et inmundis· et de volucribus et ex omni quod mouetur super terram· 9 duo et duo ingressi sunt ad noe in archam masculus et femina: sicut preceperat dominus noe. 10 Cumque transissent septem dies· aque diluuij inundauerunt super terram· 11 anno sexcentesimo vite noe mense secundo septimodecimo die mensis· rupti sunt omnes fontes abyssi magne: et cacharacte celi aperte sunt· 12 et facta est pluuia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. 13 In articulo diei illius ingressus est noe· et sem· et cham· et iaphet pher filij eius· vxor illius et vxores filiorum eius cum eis in archam: 14 ipsi et omne animal secundum genus suum vniuersaque iumenta in genere suo· et omne quod mouetur super terram in genere suo: cunctumque volatile secundum genus suum. Vniuerse aues omnesque volucres 15 ingresse sunt ad noe in archam· bina et bina ex omni carne in qua erat spiritus vite. 16 Et que ingressa sunt· masculus et femina ex omni carne introierunt· sicut preceperat ei deus: et inclusit eum dominus deforis. 17 Factumque est diluuium quadraginta diebus super terram· et multiplicate sunt aque: et eleuauerunt archam in sublime a terra· 18 vehementer enim inundauerunt: et omnia repleuerunt in superficie terre. Porro archa ferebatur super aquas: 19 et aque preualuerunt nimis super terram· opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso celo. 20 Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. 21 Consumptaque est omnis caro que mouebatur super terram: volucrum animantium bestiarum· omniumque reptilium que reptant super terram. Vniuersi homines 22 et cuncta in quibus spiraculum vite est in terra· mortua sunt. 23 Et deleuit deus omnem substanciam que erat super terram· ab homine vsque ad pecus· tam reptile quam volucres celi: et deleta sunt de terra. Remansit autem solus noe· et qui cum eo erant in archa. 24 Optinueruntque aque terras centumquinquaginta diebus.

8 Recordatus autem dominus noe cunctorumque animantium· et omnium iumentorum que erant cum eo in archa· adduxit spiritum super terram: et imminute sunt aque· 2 et clausi sunt fontes abissi et catharacte celi: et prohibite sunt pluuie de celo. 3 Reuerseque sunt aque de terra· euntes et redeuntes: et ceperunt minui· post centumquinquaginta dies. 4 Requieuitque archa mense septimo vicesimoseptimo die mensis super montes armenie. 5 At vero aque ibant et decrescebant vsque ad decimum mensem. Decimo enim mense prima die mensis apparuerunt cacumina montium. 6 Cumque transissent quadraginta dies. aperiens noe fenestram arche quam fecerat dimisit coruum: 7 qui egrediebatur· et non reuertebatur donec siccarentur aque super terram. 8 Emisit quoque columbam post eum· vt videret si iam cessassent aque super faciem terre. 9 Que cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius· reuersa est ad eum in archam. Aque enim erant super vniuersam terram. Extenditque manum suam: et apprehensam intulit in archam. 10 Expectatis autem vltra septem diebus alijs: rursum dimisit columbam ex archa. 11 At illa venit ad eum ad vesperam: portans ramum oliue virentibus folijs in ore suo. Intellexit ergo noe: quod cessassent aque super terram. 12 Expectauitque nichilominus septem alios dies· et emisit columbam: que non est reuersa vltra ad eum. 13 Igitur sexcentesimoprimo anno primo mense· prima die mensis imminute sunt aque super terram. Et aperiens noe tectum arche aspexit· viditque quod exsiccata esset superficies terre. 14 Mense secundo septimo et vicesimo die mensis arefacta est terra. 15 Locutus est autem dominus ad noe dicens. 16 Egredere de archa tu· et vxor tua· filij tui· et vxores filiorum tuorum tecum: 17 cuncta animancia que sunt apud te· ex omni carne tam ram in volatilibus quam in bestijs et vniuersis reptilibus que reptant super terram· educ tecum: et egredimini super terram. Crescite et multiplicamini super eam. 18 Egressus est ergo noe et filij eius· et vxor illius et vxores filiorum eius cum eo: 19 sed et omnia animancia· iumenta et reptilia que reptant super terram· secundum genus suum· egressa sunt de archa. 20 Edificauit autem noe altare domino: et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis· obtulit holocausta super altare. 21 Odoratusque est dominus odorem suauitatis: et ait ad eum. Nequaquam vltra maledicam terre propter homines. Sensus enim et cogitacio humani cordis in malum prona sunt ab adolescencia sua. Non igitur vltra percuciam omnem animam viuentem sicut feci 22 cunctis diebus· terre sementis· et messis· frigus et estus· estas et hiemps· nox et dies non requiescent.

9 Benedixitque deus noe et filijs eius· et dixit ad eos. Crescite et multiplicamini et replete terram· 2 et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terre· et super omnes volucres celi cum vniuersis que mouentur super terram. Omnes pisces maris: manui vestre traditi sunt· 3 et omne quod mouetur et viuit· erit vobis in cibum. Quasi olera virentia tradidi vobis omnia: 4 excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. 5 Sanguinem enim animarum vestrarum· requiram de manu cunctarum bestiarum· et de manu hominis. De manu viri et de manu fratris eius requiram omnem animam hominis. 6 Quicumque effuderit humanum sanguinem· fundetur sanguis illius. Ad ymaginem dei quippe factus est homo. 7 Vos autem crescite et multiplicamini· et ingredimini super terram et implete eam. 8 Hec quoque dixit deus ad noe· et ad filios eius cum eo. 9 Ecce ego statuam pactum meum vobiscum· et cum semine vestro post vos· 10 et ad omnem animam viuentem que est vobiscum· tam in volucribus quam in iumentis et pecudibus terre· cunctisque que egressa sunt de archa· et vniuersis bestijs terre. 11 Statuam pactum meum vobiscum· et nequaquam vltra interficietur omnis caro ab aquis diluuij. neque erit deinceps diluuium dissipans omnem terram. 12 Dixitque deus. Hoc est signum federis quod do inter me et vos et ad omnem animam viuentem que est vobiscum in generaciones sempiternas. 13 Arcum meum ponam in nubibus celi et erit signum federis inter me et terram. 14 Cumque obduxero nubibus celum· apparebit arcus meus in nubibus· 15 et recordabor federis mei quod pepigi vobiscum· et cum omni anima viuente que carnem vegetat· et non erunt vltra aque diluuij ad delendam vniuersam carnem. 16 Eritque arcus meus in nubibus· et videbo illum et recordabor federis sempiterni: quod pactum est inter deum et omnem animam viuentem vniuerse carnis que est super terram. 17 Dixitque dominus ad noe. Hoc est signum federis quod constitui inter me et omnem carnem super terram. 18 Erant ergo filij noe qui egressi sunt de archa· sem· cham· et iaphet. Porro cham ipse est pater chanaan. 19 Tres isti sunt filij noe· et ab hijs disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram. 20 Cepitque noe vir agricola exercere terram· et plantauit vineam. 21 Bibensque vinum inebriatus est· et nudatus iacuit in tabernaculo suo. 22 Quod cum vidisset cham pater chanaan· verenda patris sui esse nudata: nunciauit duobus fratribus suis foris. 23 At vero sem et iaphet· pallium imposuerunt humeris suis· et incedentes retrorsum: operuerunt verenda patris. Faciesque eorum auerse erant· et patris virilia non viderunt. 24 Euigilans autem noe ex vino cum didicisset que fecerat ei filius suus iunior· 25 ait. Maledictus chanaan puer· seruus seruorum erit fratribus suis. 26 Dixitque. Benedictus dominus deus sem· sit chanaan seruus

eius. [27] Dilatet deus iaphet· et habitet in tabernaculis sem· sitque chanaan seruus eius. [28] Vixit autem noe post diluuium: trecentisquinquaginta annis· [29] et impleti sunt omnes dies eius nongentorumquinquaginta annorum et mortuus est.

10 Hee sunt generaciones filiorum noe· sem· cham· et iaphet. Natique sunt eis filij post diluuium. [2] Filij iaphet· gomer· et magog· et madai· et iauan· et thubal· et mosoch et tyras. [3] Porro filij gomer· assenez· et riphat· et thogorma. [4] Filij autem iauan· helysa et tharsis· cechim et dodamin. [5] Ab hijs diuise sunt insule gentium in regionibus suis· vnusquisque secundum linguam suam et familias suas in nacionibus suis. [6] Filij autem cham· chus et mesraim et phuth et chanaan. [7] Filij autem chus· saba· eiula· et sabatha· et regma· et sabachara. Filij regma· saba et dadan. [8] Porro chus genuit nemroth. Ipse cepit esse potens in terra· [9] et erat robustus venator coram domino. Ab hoc exiuit prouerbium. Quasi nemroth robustus venator coram domino. [10] Fuit autem principium regni eius babilon· et arach et archach· et calanne· in terra sennaar. [11] De terra illa egressus est assur· et edificauit niniuen· et plateas ciuitatis et chale. [12] Resen quoque inter niniuen et chale. Hec est ciuitas magna. [13] At vero mesraym genuit ludim· et anamim· et laabim· et neptuim· [14] et phetusin· celluim· de quibus egressi sunt philistijm· et capturim. [15] Chanaan autem genuit sydonem primogenitum suum· etheum· [16] et iebuseum· et amorreum· et gergeseum· [17] eueum· et aracheum cyneum· [18] et aradium· samarichem· et amatheum. Et per hos disseminati sunt populi chananeorum. [19] Factique sunt termini chanaan venientibus a sydone ieraram· vsque gazam· donec ingrediaris sodomam· et gomorram· et adamam· et seboim vsque iasa· et iesa. [20] Hij sunt filij cham in cognacionibus et linguis· et generacionibus· terrisque gentibus suis. [21] De sem quoque nati sunt patres omnium filiorum heber· fratre iaphet maiore. [22] Filij sem· helam· et assur· et arphaxat· lud· et aram. [23] Filij aram· hus· et hul· et gether· et mes. [24] At vero arphaxat genuit sale· de quo ortus est heber. [25] Natique sunt heber filij duo. Nomen vni phaleg· eo quod in diebus eius diuisa sit terra· et nomen fratris eius iectan. [26] Qui iectan· genuit elmodad· et saleph· et asarmoth· iare· [27] et aduram· et iazal· et deda· [28] et hebal· et abimahel· saba· [29] et iophir· et eiula· et iobab. Omnes isti filij iedan. [30] Et facta est habitacio eorum· de messa pergentibus vsque sephar montem orientalem. [31] Isti sunt filij sem· secundum cognaciones et linguas et regiones in gentibus suis. [32] Hee familie noe· iuxta populos et naciones suas ab hijs diuise sunt gentes in terra post diluuium.

11 Erat autem terra labij vnius et sermonum eorundem. [2] Cumque proficiscerentur de oriente· inuenerunt campum in terra sennaar· et habitauerunt in eo. [3] Dixitque alter ad proximum suum. Venite faciamus lateres· et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis· et bitumen pro cemento· [4] et dixerunt. Venite faciamus nobis ciuitatem· et turrem cuius culmen pertingat vsque ad celum· et celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vuiuersas terras. [5] Descendit autem dominus vt videret ciuitatem· et turrem quam edificabant filij adam· [6] et dixit. Ecce vnus est populus· et vnum est labium omnibus. Ceperuntque hoc facere: nec desistent a cogitacionibus suis donec eas opere compleant. [7] Venite igitur descendamus et confundamus ibi linguam eorum· vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. [8] Atque ita diuisit eos dominus ex illo loco in vniuersas terras· et cessauerunt edificare ciuitatem. [9] Et idcirco vocatum est nomen loci illius babel· quia ibi confusum est labium vniuerse terre. Et inde dispersit eos dominus super faciem cunctarum regionum. [10] Hee sunt generaciones sem. Sem erat centum annorum quando genuit arphaxat· biennio post diluuium. [11] Vixitque sem postquam genuit arphaxat quingentis annis· et genuit filios et filias. [12] Porro arphaxat vixit trigintaquinque annis et genuit sale. [13] Vixitque arphaxat postquam genuit sale trecentis et [14] tribus annis· genuit heber. [15] Vixitque sale postquam genuit heber quadringentis et tribus annis et genuit filios et filias. [16] Vixit autem heber trigintaquatuor annis et genuit phalech. [17] Et vixit heber postquam genuit phalech quadringentistriginta annis· et genuit filios et filias. [18] Vixit quoque phalech triginta annis et genuit reu. [19] Vixitque phalech postquam genuit reu ducentis nouem annis et genuit filios et filias. [20] Vixit autem reu trigintaquinque annis· et genuit saruch. [21] Vixit quoque reu postquam genuit saruch ducentisseptem annis· et genuit filios et filias. [22] Vixit autem saruch triginta annis· et genuit nachor. [23] Vixitque saruch postquam genuit nachor ducentis annis· et genuit filios et filias. [24] Vixit autem nachor vigintinouem annis. et genuit thare. [25] Vixit nachor postquam genuit thare centumdecem et nouem annis· et genuit filios et filias. [26] Vixitque thare septuaginta annis· et genuit abram· et nachor· et aram. [27] Hee sunt autem generaciones thare. Thare genuit abram· nachor· et aram. Porro aram genuit loch. [28] Mortuusque est aram ante thare patrem suum: in terra natiuitatis sue· in hur chaldeorum. [29] Duxerunt autem abram· et nachor vxores. Nomen vxoris abram· sarai. Et nomen vxoris nachor· melcha filia aram patris melche et patris iesche. [30] Erat autem sarai sterilis nec habebat filios. [31] Tulit itaque thare abram filium suum· et loch filium aram filium filij sui· et sarai nurum suam· vxorem abram filij sui· et eduxit eos de hur chaldeorum vt irent in terram chanaan. Veneruntque vsque haram· et habitauerunt ibi. [32] Et facti sunt dies thare ducentorumquinque quinque annorum· et mortuus est in haran.

12 Dixit autem dominus ad abram. Egredere de terra et de cognacione tua· et de domo patris tui· et veni in terram quam monstrauero tibi. [2] Faciamque te in gentem magnam· et benedicam tibi· et magnificabo nomen tuum erisque benedictus. [3] Benedicam benedicentibus tibi· et maledicam maledicentibus tibi· atque in te benedicentur vniuerse cognacionnes terre. [4] Egressus est itaque abram sicut precepat ei dominus· et iuit cum eo loth. Septuagintaquinque annorum erat abram: cum egrederetur de haram. [5] Tulitque sarai vxorem suam· et loch filium fratris sui· vniuersamque substanciam quam possederant· et animas quas fecerant in haram· et egressi sunt vt irent in terram chanaan. Cumque venissent in eam: [6] pertransiuit abram terram vsque ad locum sychem· et vsque ad conuallem illustrem. Chananeus autem tunc erat in terra. [7] Apparuit autem dominus abram et dixit ei. Semini tuo dabo terram hanc. Qui edificauit ibi altare domino qui apparuerat ei· [8] et inuocauit ibi nomen eius. Et inde transgrediens ad montem qui erat contra orientem bethel· tetendit ibi tabernaculum suum· ab occidente habens bethel· et ab oriente hay. Edificauit quoque ibi altare domino· et inuocauit nomen eius. [9] Perrexitque abram vadens· et vltra progrediens ad meridiem. [10] Facta est autem fames in terra. Descenditque abram in egiptum vt peregrinaretur ibi. Preualuerat enim fames in terra. [11] Cumque prope esset vt ingrederetur egiptum· dixit sarai vxori sue. Noui quod pulchra sis mulier· [12] et quod cum viderit egiptij· dicturi sunt· quod vxor illius est· et interficient me: et te reseruabunt. [13] Dic ergo obsecro te: quod soror mea sis· vt bene sit michi propter te et viuat anima mea ob graciam tui. [14] Cum itaque ingressus esset abram egiptum: viderunt egiptij mulierem quod esset pulchra nimis. [15] Et nunciauerunt principes pharaoni et laudauerunt eam apud illum. Et sublata est mulier in domum pharaonis· [16] abram vero bene vsi sunt propter illam. Fueruntque ei oues· et boues· et asini· et serui· et famule· et asine et cameli. [17] Flagellauit autem dominus pharaonem plagis maximis· et domum eius· propter sarai vxorem abram. [18] Vocauitque pharao abram. et dixit ei. Quid nam est hoc quod fecisti michi? Quare non indicasti michi quod vxor tua esset? [19] Quamobcausam dixisti esse sororem tuam· vt tollerem michi eam in vxorem. Nunc igitur ecce coniux tua. accipe eam et vade. [20] Precepitque pharao super abram viris· et deduxerunt eum et vxorem eius· et omnia que habebat.

13 Ascendit ergo abram de egipto: Iipse et vxor eius· et omnia que habebat· et loch cum eo: ad australem plagam. [2] Erat autem diues valde in possessione auri et argenti. [3] Reuersusque est per iter quo venerat a meridie in bethel· vsque ad locum vbi prius fixerat tabernaculum inter bethel et hay· [4] in loco altaris quod fecerat prius· et inuocauit ibi nomen domini. [5] Sed et loch qui erat cum abram: fuerunt greges ouium et armenta· et tabernacula· [6] nec poterat eos capere terra vt habitarent simul. Erat quippe substancia eorum multa· et nequibant habitare communiter. [7] Vnde facta est rixa inter pastores

gregum abram et loch. Eo autem tempore chananeus et pherezeus habitabant in illa terra. [8] Dixit ergo abram ad loch. Ne queso sit iurgium inter me et te· et inter pastores meos et pastores tuos· fratres enim sumus. [9] Ecce vniuersa terra coram te est· recede a me obsecro. Si ad sinistram ieris: ego dexteram tenebo· si tu dexteram elegeris: ego ad sinistram pergam. [10] Eleuatis itaque loch oculis· vidit omnem circa regionem iordanis· que vniuersa irrigabatur· antequam subuerteret dominus sodomam et gomorram: sicut paradisus domini· et sicut egiptus venientibus in segor. [11] Elegitque sibi loch regionem circa iordanem· et recessit ab oriente. Diuisique sunt alterutrum a fratre suo. [12] Abram habitauit in terra chanaan. Loth vero moratus est in opidis que erant circa iordanem· et habitauit in sodomis. [13] Homines autem sodomite pessimi erant· et peccatores coram domino nimis. [14] Dixitque dominus ad abram· postquam diuisus est ab eo loth. Leua oculos tuos in directum et vide a loco in quo nunc es: ad aquilonem et meridiem· ad orientem et occidentem. [15] Omnem terram quam conspicis· tibi dabo et semini tuo vsque in sempiternum. [16] Faciamque semen tuum sicut puluerem terre. Si quis potest hominum numerare puluerem terre· semen quoque tuum numerare poterit. [17] Surge ergo et perambula terram· in longitudinem et in latitudinem suam: quia tibi daturus sum eam. [18] Mouens igitur tabernaculum suum abram· venit et habitauit iuxta conuallem mambre· que est in hebron. Edificauitque ibi altare domino.

14 Factum est autem in illo tempore vt amraphel rex sennaar· et arioch rex ponti· et chodorlaomor rex elami tarum et thadal rex gentium· [2] inirent bellum contra basa regem sodomorum· et contra bersa regem gomorre· et contra sennaar regem adame· et contra semeber regem seboym· contraque regem bale· ipsa est segor. [3] Omnes hij conuenerunt in vallem siluestrem· que nunc est mare salis. [4] Duodecim enim annis seruierant chodorlaomor et terciodecimo anno recesserunt ab eo. [5] Igitur quartodecimo anno· venit chodorlaomor et reges qui erant cum eo et percusserunt raphaym in astaroth· et carnaym· et zuzim cum eis· et emim· in sabe cariathaym· [6] et chorreos in montibus seyr· vsque ad campestria pharan· que est in solitudine. [7] Reuersique sunt et venerunt vsque ad fontem mephar· ipsa est cades· et percusserunt omnem regionem amalechitarum· et amorreorum qui habitabant in asasonthamar. [8] Et egressi sunt rex sodomorum· et rex gomorre· rexque adame· et rex seboym· necnon et rex bale que est segor· et direxerunt aciem contra eos in valle siluestri· [9] scilicet aduersus chodorlaomor regem elamitarum· et thadal regem gentium· et amra phel regem sennaar et arioch regem ponti· quatuor reges aduersus quinque. [10] Vallis autem siluestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex. sodomorum et rex gomorre· terga verterunt ceciderunt que ibi· et qui remanserant· fugerunt ad montem. [11] Tulerunt autem omnem substanciam sodomorum· et gomorreorum· et vniuersa que ad cibum pertinent· et abierunt. [12] Necnon et loth et substanciam eius· filium fratris abram· qui habitabat in sodomis. [13] Et ecce vnus qui euaserat· nunciauit abram hebreo· qui habitabat in conualle mambre amorrei· fratris eschol· et fratris aner. Hij enim pepigerant fedus cum abram. [14] Quod cum audisset abram· captum videlicet loth fratrem suum· numerauit expeditos suos trecentos vernaculos decem et octo· et persecutus est eos vsque dan. [15] Et diuisis socijs irruit super eos nocte. Percussitque eos et persecutus est eos vsque soba· et phenicen que est ad leuam damasci. [16] Reduxitque omnem substanciam· et loth fratrem suum cum substancia illius· mulieres quoque et populum. [17] Egressus est autem rex sodomorum in occursum eius· postquam reuersus est a cede chodorlaomor· et regum qui cum eo erant· in valle sabe que est vallis regis. [18] At vero melchisedech rex salem· proferens panem et vinum. Erat enim sacerdos dei altissimi· [19] benedixit ei· et ait. Benedictus abram deo excelso· qui creauit celum et terram· [20] et benedictus deus excelsus· quo protegente hostes in manibus tuis tradiri sunt· et dedit ei decimas ex omnibus. [21] Dixit autem rex sodomorum ad abram. Da michi animas· cetera tolle tibi. [22] Qui respondit ei. Leuo manum meam ad dominum deum excelsum· possessorem celi et terre· [23] quod a filo subregminis vsque ad corrigiam calige non accipiam ex omnibus que tua sunt· ne dicas· ego ditaui abram· [24] exceptis hijs que comederunt iuuenes· et partibus virorum qui venerunt mecum· aner· eschol et mambre· isti accipient partes suas.

15 Hijs itaque transactis· factus est sermo domini ad abram per visionem dicens. Noli timere abram· ego protector tuus et merces tua magna nimis. [2] Dixitque abram. Domine deus quid dabis michi? Ego vadam absque liberis· et filius procuratoris domus mee· iste damascus elyezer. [3] Addiditque abram. Michi autem non dedisti semen· et ecce vernaculus meus· heres meus erit. [4] Statimque sermo domini factus est ad eum dicens. Non enim erit hic heres tuus· sed qui egredietur de vtero tuo· ipsum habebis heredem. [5] Eduxitque eum foras· et ait illi. Suspice celum· et numera stellas si potes. Et dixit ei. Sic erit semen tuum. [6] Credidit abram deo· et reputatum est illi ad iusticiam. [7] Dixitque ad eum. Ego dominus qui eduxi te de hur chaldeorum· vt darem tibi terram istam et possideres eam. [8] At ille ait. Domine deus· vnde scire possum quod possessurus sim eam? [9] Et respondit dominus. Sume inquid michi vaccam triennem et capram triennam· et arietem annorum trium· turturem quoque et columbam. [10] Qui tollens vniuersa hec· diuisit ea per medium et vtrasque partes contra se· altrinsecus posuit. Aues autem non diuisit. [11] Descenderuntque volucres super cadauera et abigebat eas abram. [12] Cumque sol occumberet· pauor irruit super abram· et horror magnus et tenebrosus inuasit eum. [13] Dictumque est ad eum. Scito prenoscens· quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua· et subicient eos seruituti· et affligent quadringentis annis. [14] Verumtamen gentem cui seruituri sunt ego iudicabo· et post hec egredientur cum magna substancia. [15] Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona. [16] Generacione autem quarta· reuertentur huc. Nec dum enim complete sunt iniquitates amorreorum· vsque ad presens tempus. [17] Cum ergo occubuisset sol· facta est caligo tenebrosa· et apparuit clibanus fumans· et lampas ignis transiens inter diuisiones illas. [18] In die illo pepigit dominus fedus cum abram dicens. Semini tuo dabo terram hanc· a fluuio egipti vsque ad fluuium magnum eufraten. [19] Cineos et cenezeos· cethimoneos· [20] et etheos· et ferezeos· raphaym quoque [21] et amorreos· chananeos· et gergeseos· et iebuseos.

16 Igitur sarai vxor abram non genuerat sibi liberos· sed habens ancillam egiptiam nomine agar· [2] dixit marito suo. Ecce conclusit me dominus ne parerem· ingredere ad ancillam meam· si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti· [3] tulit agar egiptiam ancillam suam· post annos decem quam habitare ceperant in terra chanaan· et dedit eam viro suo vxorem. [4] Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns· despexit dominam suam. [5] Dixitque sarai ad abram. Inique agis contra me. Ego dedi ancillam meam in sinum tuum· que videns quod conceperit· despectui me habet. Iudicet dominus inter me et te. [6] Cui respondit abram. Ecce ait ancilla tua in manu tua est· vtere ea vt libet. Affligente igitur eam sarai· fugam inijt. [7] Cumque inuenisset eam angelus domini iuxta fontem aque in solitudine que est in via sur in deserto· [8] dixit ad illam. Agar ancilla sarai· vnde venis· et quo vadis? Que respondit a facie sarai domine mee ego fugio. [9] Dixitque ei angelus domini. Reuertere ad dominam tuam· et humiliare sub manu illius. [10] Et rursum. Multiplicans inquid multiplicabo semen tuum· et non numerabitur pre multitudine. [11] Ac deinceps. Ecce ait. Concepisti· et paries filium· vocabisque nomen eius ysmael· eo quod audierit dominus afflictionem tuam. [12] Hic erit ferus homo· manus eius contra omnes· et manus omnium contra eum. Et eregione vniuersorum franrum suorum figet tabernacula. [13] Vocauit autem agar nomen domini qui loquebatur ad eam· tu deus qui vidisti me. Dixit enim. Profecto hic vidi posteriora videntis me. [14] Propterea appellauit puteum illum· puteum viuentis et videntis me. Ipse est inter cades et barad. [15] Peperitque agar abre filium· qui vocauit nomen eius ysmahel. [16] Octoginta et sex annorum erat abram· quando peperit ei agar ysmahelem.

17 Postquam vero nonaginta et nouem annorum esse ceperat· apparuit ei deus. Dixitque ad eum. Ego dominus omnipotens. Ambula coram me· et esto perfectus. [2] Ponamque fedus meum inter me et te· et multiplicabo te vehementer nimis. [3] Cecidit abram pronus in faciem. [4] Dixitque ei deus. Ego

sum· et ponam pactum meum tecum· erisque pater multarum gentium. [5] Nec vltra vocabitur nomen tuum abram· sed appellaberis abraham· quia patrem multarum gentium constitui te. [6] Faciamque te crescere vehementissime· et ponam te in gentibus regesque ex te egredientur· [7] et statuam pactum meum inter me et te· et inter semen tuum post te· in generacionibus tuis· federe sempiterno vt sim deus tuus· et seminis tui post te. [8] Daboque tibi et semini tuo post te terram peregrinacionis tue· omnem terram chanaan· in possessionem eternam· eroque deus eorum. [9] Dixit iterum deus ad abraham. Et tu ergo custodies pactum meum· et semen tuum post te in generacionibus suis. [10] Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me et vos et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum· [11] et circumcidetis carnem prepucij vestri· vt sit in signum federis inter me et vos. [12] Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Omne masculinum in generacionibus vobis. tam vernaculus quam empticius circumcidetur· et quicumque fuerit de stirpe vestra. [13] Eritque pactum meum in carne vestra in fedus eternum. [14] Masculus cuius prepucij caro circumcisa non fuerit· delebitur anima illa de populo suo· quia pactum meum irritum fecit. [15] Dixit quoque deus ad abraham. Sarai vxorem tuam non vocabis sarai· sed saram. [16] Et benedicam ei· et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum. Eritque in naciones· et reges populorum orientur ex eo. [17] Cecidit abraham in faciem suam· et risit in corde suo dicens. Putasne centenario nascetur filius· et sara nonagenaria pariet? [18] Dixitque ad dominum. Vtinam ysmahel viuat coram te. [19] Et ait dominus ad abraham. Sara vxor tua pariet tibi filium· vocabisque nomen eius ysaac. Et constituam pactum meum illi in fedus sempiternum· et semini eius post eum. [20] Super ysmahel quoque exaudiui te. Ecce benedicam ei· et augebo et multiplicabo eum valde. Duodecim duces generabit· et faciam illum crescere in gentem magnam. [21] Pactum vero meum statuam ad ysaac· quem pariet tibi sara tempore isto· in anno altero. [22] Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo· ascendit deus ab abraham. [23] Tulit autem abraham ysmahel filium suum· et omnes vernaculos domus sue· vniuersos quos emerat· et cunctos mares ex omnibus viris domus sue· et circumcidit carnem prepucij eorum· statim in ipsa die sicut preceperat ei deus. [24] Abraham nonaginta et nouem erat annorum· quando circumcidit carnem prepucij sui· [25] et ysmahel filius suus tredecim annos impleuerat· tempore circumcisionis sue. [26] Eadem die circumcisus est abraham· et ysmahel filius eius· [27] et omnes viri domus illius· tam vernaculi quam empticij et alienigene pariter circumcisi sunt.

18 Apparuit autem ei dominus in conualle mambre· sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. [2] Cumque eleuasset oculos· apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cum vidisset· cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui· et adorauit in terra [3] et dixit. Domine si inueni graciam in oculis tuis ne transeas seruum tuum. [4] Sed afferam paxillum aque· et lauentur pedes vestri et requiescite sub arbore. [5] Ponamque buccellam panis· et confortetur cor vestrum postea transibitis. Idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerunt. Fac vt locutus es. [6] Festinauit abraham in tabernaculum ad saram· dixitque ei. Accelera tria sata simile commisce· et fac subcinericios panes. [7] Ipse vero ad armentum cucurrit· et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum· deditque puero. Qui festinauit· et coxit illum. [8] Tulit quoque butirum et lac· et vitulum quem coxerat· et posuit coram eis. Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore. [9] Cumque comedissent dixerunt ad eum. Vbi est sara vxor tua? Ille respondit. Ecce in tabernaculo est. [10] Cui dixit. Reuertens veniam ad te tempore isto· vita comite· et habebit filium sara vxor tua. Quo audito· sara risit post ostium tabernaculi. [11] Erant autem ambo senes· prouecteque etatis· et desierant sare fieri muliebria. [12] Que risit occulte dicens. Postquam consenui et dominus meus vetulus est· voluptati operam dabo. [13] Dixit autem dominus ad abraham. Quare risit sara vxor tua dicens. Num vere paritura sum anus? [14] Numquid deo quicquam est difficile. Iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore· vita comite· et habebit sara filium. [15] Negauit sara. dicens. Non risi timore perterrita. Dominus autem. Non est ita· sed risisti. [16] Cum ergo surrexissent inde viri· direxerunt oculos contra sodomam· et abraham simul gradiebatur· deducens eos. [17] Dixitque dominus. Non celare potero abraham que gesturus sum· [18] cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam· et benedicende sunt in eo omnes naciones terre. [19] Scio enim quod precepturus sit filijs suis et domui sue post se· vt custodiant viam domini· et faciant iudicium et iusticiam· vt adducat dominus propter abraham omnia que locutus est ad eum. [20] Dixit itaque dominus. Clamor sodomorum et gomorreorum multiplicatus est· et peccatum eorum aggrauatum est nimis. [21] Descendam et videbo· vtrum clamorem qui venit ad me· opere compleuerint· an non est ita vt sciam. [22] Conuerteruntque se inde· et abierunt sodomam. Abraham vero adhuc stabat coram domino· [23] et appropinquans ait. Numquid perdas iustum cum impio? [24] Si fuerit quinquaginta iusti in ciuitate· peribunt simul· et non parces loco illi propter quinquaginta iustos si fuerint in eo? [25] Absit a te vt rem hanc facias· et occidas iustum cum impio? fiatque iustus sicut impius. Non est hoc tuum· qui iudicas omnem terram. Nequaquam facies hoc iudicium. [26] Dixitque dominus ad eum. Si inuenero sodomis· quinquaginta iustos in medio ciuitatis· dimittam omni loco propter eos. [27] Respondit abraham· et ait. Quia semel cepi· loquar ad dominum deum meum cum sim puluis et ciuis. [28] Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint· delebis propter quadragintaquinque vniuersam vrbem. Et ait. Non delebo si inuenero ibi quadragintaquinque. [29] Rursumque locutus est ad eum. Si autem quadraginta ibi inuenti fuerint quid facies? Ait. Non percuciam propter quadraginta. [30] Ne queso inquit indigneris domine si loquar. Quid si ibi inuenti fuerint triginta. Respondit. Non faciam. Si inuenero triginta. [31] Quia semel ait cepi· loquar ad dominum meum. Quid si ibi inuenti fuerint viginti· Non interficiam propter viginti. [32] Obsecro inquit ne irascaris domine· si loquar adhuc semel. Quid si inuenti fuerint ibi decem? Dixit. Non delebo propter decem. [33] Abijt dominus postquam cessauit loqui ad abraham· et ille reuersus est in locum suum.

19 Veneruntque duo angeli sodomam vespere· sedente loth in foribus ciuitatis. Qui cum vidisset eos surrexit· et iuit obuiam eis· adorauitque pronus in terram [2] et dixit. Obsecro domini declinate in domum pueri vestri· et manete ibi. lauate pedes vestros et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt. Minime sed in platea manebimus. [3] Compulit illos oppido vt diuerterent ad eum. Ingressisque domum eius fecit conuiuium· coxit azima et comederunt. [4] Prius autem quam irent cubitum· viri ciuitatis vallauerunt domum illius· a puero vsque ad senem omnis populus simul. [5] Vocauerunt loth et dixerunt ei. Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte. Educ illos huc vt cognoscamus eos. [6] Egressus ad eos loth post tergum adducens ostium· ait. [7] Nolite queso fratres mei· nolite malum hoc facere. [8] Habeo duas filias· que necdum cognouerunt virum. Educam eas ad vos· et abutimini eis sicut vobis placuerit· dummodo viris istis nichil mali faciatis· quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei. [9] At illi dixerunt. Recede illuc. Et rursus. gressus es inquiunt vt aduena· numquid vt iudices. Te ergo ipsum magis quam hos affligenus. Vimque facietant loth vehementissime. Iamque prope erat vt effringerent fores· [10] et ecce miserunt manum viri· et introduxerunt ad se loth· clauseruntque ostium· [11] et eos qui foris erant percusserunt cecitate· a minimo vsque ad maximum· ita vt ostium inuenire non possent. [12] Dixerunt autem ad loth. Habes hic quempiam tuorum generum· aut filios aut filias? Omnes qui tui sunt· educ de vrbe hac. [13] Delebimus enim locum istum· eo quod increuerit clamor eorum coram domino· qui misit nos vt perdamus illos. [14] Egressus itaque loth· locutus est ad generos suos· qui accepturi erant filias eius· et dixit. Surgite et egredimini de loco isto· quia delebit dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. [15] Cumque esset mane· cogebant eum angeli dicentes. Surge tolle vxorem tuam· et duas filias quas habes ne et tu pariter pereas in scelere ciuitatis. [16] Dissimulante illo· apprehenderunt manum eius et manum vxoris ac duarum filiarum eius· eo quod parceret dominus illi· [17] eduxeruntque eum et posuerunt extra ciuitatem· ibique locuti sunt ad eum· dicentes. Salua animam tuam. Noli respicere post tergum· nec stes in omni loco circa regione· sed in monte saluum te fac· ne et tu simul pereas. [18] Dixitque loth ad eos. Queso domine mi· [19] quia inuenit seruus tuus gratiam coram te· et magnificasti gloriam et misericordiam tuam quam fecisti mecum

vt saluares animam meam· nec possum in monte saluari· ne forte apprehendat me malum et moriar. [20] Est ciuitas hic iuxta· ad quam possum fugere parua· et saluabor in ea. Numquid non modica est· et viuet anima mea. [21] Dixitque ad eum. Ecce eciam in hoc suscepi preces tuas· vt non subuertam vrbem pro qua locutus es. [22] Festina et saluare ibi· quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen vrbis illius segor. [23] Sol egressus est super terram· et loth ingressus est segor. [24] Igitur dominus pluit super sodomam et gomorram· sulphur et ignem a domino de celo· [25] et subuertit ciuitates has· et omnem circa regionem· vniuersos habitatores vrbium· et cuncta terre virentia. [26] vxor eius post se· versa est in statuam Respiciensque salis. [27] Abraham autem consurgens mane· vbi steterat prius cum domino· [28] intuitus est sodomam et gomorram· et vniuersam terram regionis illius. Viditque ascendentem fauillam de terra· quasi fornacis fumum. [29] Cum enim subuerteret dominus ciuitates regionis illius· recordatus est abrahe· et liberauit loth de subuersione vrbium in quibus habitauerat. [30] Ascenditque loth de segor· et mansit in monte. Due quoque filie eius cum eo. Timuerat enim manere in segor· et mansit in spelunca· ipse et due filie eius cum eo. [31] Dixitque maior ad minorem. Pater noster senex est· et nullus virorum remansit in terra· qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuerse terre. [32] Veni inebriemus eum vino· dormiamusque cum eo· vt seruare possumus ex patre nostro semen. [33] Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est maior· dormiuitque cum patre. At ille non sensit nec quando accubuit filia nec quando surrexit. [34] Altera quoque die dixit maior ad minorem. Ecce dormiui heri cum patre meo· demus ei bibere vinum eciam hac nocte· et dormies cum eo vt saluemus semen de patre meo. [35] Dederuntque eciam et illa nocte patri suo bibere vinum. Ingressaque minor filia dormiuit cum eo. Et nec quidem tunc sensit quando concubuerit· vel quando illa surrexit. [36] Conceperunt ergo due filie loth de patre suo. [37] Peperitque maior filium· et vocauit nomen eius moab. Ipse est pater moabitarum vsque in presentem diem. [38] Minor quoque peperit filium· et vocauit nomen eius amon· id est filius populi mei· ipse est pater amonitarum vsque hodie.

20 Profectus inde abraham in terram australem· habitauit inter cades et sur· et peregrinatus est in geraris. [2] Dixitque de sara vxore sua· soror mea est. Misit ergo abimelech rex gerare· et tulit eam. [3] Venit autem deus ad abimelech per somnium nocte· et ait illi. En morieris propter mulierem quam tulisti· habet enim virum. [4] Abimelech vero non terigerat eam· et ait· Domine num gentem ignorantem· et iustam interficies· [5] nonne ipse dixit michi soror mea est? Et ipsa ait. Frater meus est. In siplicitate cordis mei et mundicia manuum mearum feci hoc. [6] Dixitque ad eum deus. Et ego scio quod simplici corde feceris· et ideo custodiui te ne peccares in me· et non dimisi vt tangeres eam. [7] Nunc et ergo redde vxorem viro suo· et orabit pro te quia propheta est· et viues. Si autem nolueris reddere· scito quod morte morieris· tu et omnia que tua sunt. [8] Statimque denocte consurgens abimelech· vocauit omnes seruos suos· et locutus est vniuersa verba hec in auribus eorum. Timueruntque omnes viri valde. [9] Vocauit autem abimelech eciam abraham· et dixit ei. Quid fecisti nobis? Quid peccauimus in te· quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande? Que non debuisti facere· fecisti nobis. [10] Rursusque expostulans ait. Quid vidisti vt hoc faceres? [11] Respondit abraham. Cogitaui mecum dicens. Forsitan non est timor dei in loco isto· et interficient me propter vxorem meam. [12] Alias autem et vere soror mea est· filia patris mei· et non filia matris mee· et duxi eam in vxorem. [13] Postquam autem eduxit me deus de domo patris mei· dixi ad eam. Hanc misericordiam facies mecum· in omni loco ad quem ingrediemur· dices quod frater tuus sum. [14] Tulit igitur abimelech oues et boues et seruos et ancillas· et dedit abraham. Reddiditque illi saram vxorem suam· [15] et ait. Terra coram vobis est· vbicumque tibi placuerit habita. [16] Sare autem dixit. Ecce mille argenteos dedi fratri tuo. Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt· et quocumque perrexeris memento te deprehensam. [17] Orante autem abraham· sanauit deus abimelech et vxorem· ancillasque eius et pepererunt. [18] Concluserat enim dominus omnem vuluam domus abimelech· propter saram vxorem abrahe.

21 Visitauit autem deus saram sicut promiserat et impleuit que locutus est. [2] Concepitque et peperit filium in senectute sua· tempore quo predixerat ei deus. [3] Vocauitque abraham nomen filij sui quem genuit ei sara· ysaac. [4] Et circumcidit eum octauo die· sicut preceperat ei deus· [5] cum centum esset annorum. Hac quippe etate patris natus est ysaac. [6] Dixitque sara. Risum fecit michi deus· et quicumque audierit· conridebit michi. [7] Rursumque ait. Quis auditurus crederet abraham· quod sara lactaret filium quem peperit ei iam seni. [8] Creuit igitur puer· et ablactatus est. Fecitque abraham grande conuiuium in die ablactacionis eius. [9] Cumque vidisset sara filium agar egipcie· ludentem· cum ysaac filio suo· dixit ad abraham. [10] Eice ancillam hanc et filium eius. Non enim erit heres filius ancille· cum filio meo ysaac. [11] Dure accepit hoc abraham pro filio suo. [12] Cui dixit deus. Non tibi videatur asperum super puero et super ancilla tua. Omnia que dixerit tibi sara· audi vocem eius· quia in ysaac vocabitur tibi semen. [13] Sed et filium ancille faciam in gentem magnam· quia semen tuum est. [14] Surrexit itaque abraham mane· et tollens panem· et vtrem aque· imposuit scapule eius· tradiditque puerum· et dimisit eam. Que cum abisset· errabat in solitudine bersabee. [15] Cumque consumpta esset aqua in vtre· abiecit puerum subter vnam arborem· que ibi erat· [16] et abijt. Seditque eregione procul· quantum potest arcus iacere. Dixit enim. Non videbo morientem puerum. Et sedens circa leuauit vocem suam et fleuit. [17] Exaudiuit autem deus vocem pueri. Vocauitque angelus domini agar de celo dicens. Quid agis agar? Noli timere. Exaudiuit enim deus vocem pueri· de loco in quo est. [18] Surge et tolle puerum· et tene manum illius· quia in gentem magnam faciam eum. [19] Aperuitque oculos eius deus. Que videns puteum aque· abijt et impleuit vtrem· deditque puero bibere· [20] et fuit cum eo. Qui creuit et moratus est in solitudine. Factusque est vir iuuenis sagittarius. [21] Habitauitque in deserto pharan. Et accepit illi mater sua vxorem de terra egipti. [22] Eodem tempore dixit abimelech et phicol princeps exercitus eius ad abraham. Deus tecum est in vniuersis que agis. [23] Iura ergo per dominum· ne noceas michi· et posteris meis stirpique mee· sed iuxta misericordiam quam feci tibi· facies michi et terre in qua versatus es aduena. [24] Dixitque abraham. Ego iurabo. [25] Et increpauit abimelech propter puteum aque· quem vi abstulerant serui eius. [26] Responditque abimelech. Nesciui quis fecerit hanc rem· sed et tu non indicasti michi· et ego non audiui preter hodie. [27] Tulit itaque abraham· oues et boues· et dedit abimelech. Percusseruntque ambo fedus. [28] Et statuit abraham septem agnas gregis seorsum. [29] Cui dixit abimelech. Quid sibi volunt septem agne iste· quas stare fecisti seorsum? [30] At ille. Septem inquit agnas accipies de manu mea· vt sint michi in testimonium· quoniam ego fodi puteum istum. [31] Idcirco vocatus est locus ille bersabee· quia ibi vterque iurauit· [32] et inierunt fedus pro puteo iuramenti. [33] Surrexit autem abimelech· et phicol princeps exercitus eius· reuersique sunt in terram palestinorum. Abraham vero plantauit nemus in bersabee· et inuocauit ibi nomen dei eterni· [34] et fuit colonus terre palestinorum diebus multis.

22 Que postquam gesta sunt: temptauit deus abraham· et dixit ad eum. Abraham abraham. Ille respondit. Assum. [2] Ait illi. Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis ysaac· et vade in terram visionis atque ibi offeres eum in olocaustum· super vnum montium quem monstrauero tibi. [3] Igitur abraham denocte consurgens· strauit asinum suum· ducens secum duos iuuenes· et ysaac filium suum. Cumque concidisset ligna in olocaustum· abijt ad locum quem preceperat ei deus. [4] Die autem tercio· eleuatis oculis vidit locum procul· [5] dixitque ad pueros suos. Expectate hic cum asino· ego et puer illuc vsque properantes· postquam adorauerimus reuertemur ad vos. [6] Tulit quoque ligna olocausti· et imposuit super ysaac filium suum. Ipse vero portabat in manibus: ignem et gladium. Cumque duo pergerent simul· [7] dixit ysaac patri suo. Pater mi? At ille respondit. Quid vis fili? Ecce inquit ignis et ligna· vbi est victima olocausti? [8] Dixit autem abraham. Deus prouidebit sibi victimam olocausti fili mi. Pergebant ergo pariter· [9] et venerunt ad locum quem ostenderat ei deus· in quo edificauit altare· et desuper ligna composuit. Cumque colligasset ysaac filium suum· posuit eum in altare super struem lignorum. [10] Extenditque manum et arripuit gladium· vt immolaret filium

suum. 11 Et ecce angelus domini de celo clamauit dicens. Abraham abraham. Qui respondit. Assum. 12 Dixitque ei. Non extendas manum tuam super puerum: neque facias illi quicquam. Nunc cognoui quod timeas dominum· et non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. 13 Leuauit abraham oculos suos· viditque post tergum arietem inter vepres· herentem cornibus. Quem assumens· obtulit olocaustum pro filio. 14 Appellauitque nomen loci illius· dominus videt. Vnde vsque hodie dicitur· in monte dominus videbit. 15 Vocauit autem angelus domini abraham secundo de celo dicens. 16 Per memetipsum iuraui dicit dominus· quia fecisti hanc rem· et non pepercisti filio tuo vnigenito propter me· 17 benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas celi· et velud arenam que est in litore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum· 18 et benedicentur in semine tuo omnes gentes terre· quia obedisti voci mee. 19 Reuersus est abraham ad pueros suos· abieruntque bersabee simul· et habitauit ibi. 20 Hijs itaque gestis nunciatum est abraham· quod melcha quoque genuisset filios nachor fratri suo· 21 hus primogenitum· et buz fratrem eius· et chamuel patrem syrorum· 22 et cased· et azan· pheldas quoque· et yelach· et 23 batuhel. de quo nata est rebecca. Octo istos genuit melcha: nachor fratri abraham. 24 Concubina vero illius nomine roma· peperit thabee· et gaon· et thaas· et maacha.

23 Vixit autem sara centum vigin centumuigintiseptem annis· 2 et mortua est in ciuitate arbee· que est hebron in terra chanaan. Venitque abraham vt plangeret et fleret eam. 3 Cumque surrexisset ab officio funeris: locutus est ad filios heth dicens. 4 Aduena sum· et peregriuus apud vos: date michi ius sepulcri vobiscum· vt sepeliam mortuum meum. 5 Responderuntque filij heth dicentes. 6 Audi nos domine. Princeps dei es apud nos· in eluns sepulcris nostris sepeli mortuum tuum· nullusque te prohibere poterit: quin in monumento eius sepelias mortuum tuum. 7 Surrexit abraham et adorauit populum terre· filios videlicet heth. 8 Dixitque ad eos. Si placet anime vestre vt sepeliam mortuum meum· audite me· et intercedite pro me apud ephron filium seor· 9 vt det michi speluncam duplicem quam habet in extrema parte agri sui. Pecunia digna tradat eam michi coram vobis· in possessionem sepulcri. 10 Habitabat autem ephron in medio filiorum heth. Responditque ephron ad abraham: cunctis audientibus qui ingrediebantur portam ciuitatis illius· dicens. 11 Nequaquam ita fiet domine mi· sed tu magis ausculta quod loquor. Agrum trado tibi· et speluncam que in eo est· presentibus filijs populi mei· sepeli mortuum tuum. 12 Adorauit abraham coram domino et populo terre· 13 et locutus est ad ephron: circumstante plebe eius. Queso vt audias me. Dabo pecuniam pro agro· suscipe eam· et sic sepeliam mortuum meum in agro. 14 Responditque ephron. 15 Domine mi audi me. Terra quam postulas· quadringentos siclos argenti valet· istud est precium inter me et te· sed quantum est hoc· sepli mortuum tuum. 16 Quod cum audisset abraham· appendit pecuniam quam ephron postulauerat· audientibus filijs heth quadringentos siclos argenti· et probate monete publice. 17 Confirmatusque est ager quondam ephronis· in quo erat spelunca duplex: respiciens mambre· tam ipse quam spelunca· et omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum: 18 abrahe in possessionem. Videntibus filijs heth· et cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius. 19 Atque ita sepeliuit abraham saram vxorem suam· in spelunca agri duplici qui respiciebat mambre. Hoc est ebron· in terra chanaan. 20 Et confirmatus est ager· et antrum quod erat in eo: abrahe in possessionem monumenti· a filijs heth.

24 Erat autem abraham senex dierumque multorum· et dominus in cunctis benedixerat ei. 2 Dixitque ad seruum seniorem domus sue qui preerat omnibus que habebat. Pone manum tuam subter femur meum· 3 vt adiurem te per deum celi et terre· vt non accipias vxorem filio meo de filiabus chananeorum· inter quos habito: 4 sed ad terram et cognationem meam proficiscaris: et inde accipias vxorem filio meo ysaac. 5 Respondit seruus. Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc· numquid reducere debeo filium tuum ad locum de quo tu egressus es? 6 Dixitque abraham. Caue nequando reducas filium meum illuc. 7 Dominus celi et terre qui tulit me de domo patris mei· et de terra natiuitatis mee· qui locutus est michi· et iurauit michi dicens· semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet angelum suum coram te· et accipies inde vxorem filio meo. 8 Sin autem mulier noluerit sequi te· non teneberis iuramento: filium tantum meum ne reducas illuc. 9 Posuit ergo seruus manum sub femore abraham domini sui: et iurauit illi super sermone hoc. 10 Tulitque decem camelos de grege domini sui et abijt· ex omnibus bonis eius portans secum: profectusque perrexit in mesopothamiam· ad vrbem nachor. 11 Cumque camelos fecisset accumbere extra opidum· iuxta puteum aque· vespere· eo tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam: orauit dominum dicens. 12 Domine deus domini mei abraham· occurre obsecro michi hodie: et fac misericordiam cum domino meo abraham. 13 Ecce ego sto prope fontem aque: et filie habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. 14 Igitur puella cui dixero· inclina ydriam tuam vt bibam· et illa respondit bibe· quin et camelis tuis dabo potum: ipsa est quam preparasti seruo tuo ysaac: et per hoc intelligam· quod feceris misericordiam cum domino meo abraham. 15 Necdum intra se verba compleuerat: et ecce rebecca egrediebatur filia bathuel filij melche vxoris nachor fratris abraham· habens ydriam in scapula sua: 16 puella decora nimis· virgoque pulcerrima· et incognita viro. Descenderat autem ad fontem et impleuerat ydriam aqua: ac reuertebatur. 17 Occurritque ei seruus et ait. Pauxillum aque michi ad bibendum prebe de ydria tua. 18 Que respondit. Bibe domine mi. Celeriterque deposuit ydriam super vlnam suam: et dedit ei potum. 19 Cumque ille bibisset· adiecit. Quin et camelis tuis hauriam aquam: donec cuncti bibant. 20 Effundensque ydriam in canalibus recurrit ad puteum vt hauriret aquam: et haustam omnibus camelis dedit. 21 Ipse autem contenplabatur eam tacitus: scire volens vtrum prosperum iter suum fecisset deus an non. 22 Postquam autem biberunt cameli protulit vir inaures aureas· appendentes siclos duos: et armillos totidem· pondo siclorum decem. 23 Dixitque ad eam. Cuius es filia? Indica michi. Est in domo patris tui locus ad manendum? 24 Que respondit. Filia sum bathuelis filij nachor: quem peperit ei melcha. 25 Et addidit dicens. Palearum quoque et feni plurimum est apud nos: et locus spaciosus ad manendum. 26 Inclinauit se homo et adorauit dominum 27 dicens. Benedictus dominus deus domini mei abraham· qui non abstulit misericordiam et veritatem suam a domino meo: et recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. 28 Cucurrit itaque puella: et nunciauit in domum matris sue omnia que audierat. 29 Habebat autem rebecca fratrem nomine laban. Qui festinus egressus est ad hominem vbi erat fons. 30 Cumque vidisset inaures· et armillas in manibus sororis sue· et audisset cuncta verba referentis hec locutus est michi homo: venit ad virum qui stabat iuxta camelos· et prope fontem aque: 31 dixitque ad eum. Ingredere benedicte domini. Cur foris stas? preparaui domum et locum camelis tuis. 32 Et introduxit eum in hospitium· ac destrauit camelos: deditque paleas et fenum· et aquam ad lauandos pedes camelorum: et virorum qui venerant cum eo. 33 Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait. Non comedam: donec loquar sermones meos. Respondit ei. Loquere. 34 At ille: seruus inquit abraham sum. 35 Et dominus benedixit domino meo valde et magnificatus est: et dedit ei oues et boues· argentum et aurum seruos et ancillas· camelos et asinos. 36 Et pepit sara vxor domini mei: filium domino meo in senectute sua: deditque illi omnia que habuerat. 37 Et adiurauit me dominus meus dicens. Non accipies vxorem filio meo de filiabus chananeorum· in quorum terra habito: 38 sed ad domum patris mei perges: et de cognatione mea· accipies vxorem filio meo. 39 Ego vero respondi domino meo. Quid si noluerit venire mecum mulier? 40 Dominus ait in cuius conspectu ambulo· mittet angelum suum tecum· et diriget viam tuam: accipiesque vxorem filio meo de cognatione mea: et de domo patris mei. 41 Innocens eris a maledictione mea: cum veneris ad proximos meos et non dederint tibi. 42 Veni ergo hodie ad fontem aque et dixi. Domine deus domini mei abraham· si direxisti viam meam in qua nunc ambulo· 43 ecce sto iuxta fontem aque: et virgo que egredietur ad hauriendam aquam· audierit a me· da michi pauxillum aque ad bibendum de ydria tua· 44 et dixerit michi· et tu bibe· et camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam preparauit dominus filio domini

mei. [45] Cumque hec tacitus mecum voluerem· apparuit rebecca veniens cum ydria quam portabat in scapula: descenditque ad fontem: et hausit aquam. Et aio ad eam. Da michi paululum bibere. [46] Que festinans deposuit ydriam de humero: et dixit michi. Et tu bibe: et camelis tuis tribuam potum. Bibi: et adaquauit camelos. [47] Interrogauique eam et dixi. Cuius es filia? Que respondit. Filia bathuelis sum· filij nachor: quem peperit ei melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius: et armillas posui in manibus eius. [48] Pronusque adoraui dominum: benedicens domino deo domini mei abraham· qui perduxit me recto itinere: vt sumerem filiam fratris domini mei filio eius. [49] Quamobrem si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo· indicate michi: sin autem aliud placet· et hoc dicite michi: vt vadam ad dexteram siue ad sinistram. [50] Responderunt laban et bathuel. A domino egressus est sermo. Non possumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum. [51] En rebecca coram te est: tolle eam et proficiscere: et sit vxor filij domini tui: sicut locutus est dominus. [52] Quod cum audisset puer abraham: procidens adorauit in terra dominum. [53] Prolatisque vasis argenteis et aureis· ac vestibus: dedit ea rebecce pro munere. Fratribus quoque eius et matri· dona obtulit. [54] Initoque conuiuio vescentes pariter et bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane· locutus est puer. Dimittite me: vt vadam ad dominum meum. [55] Responderuntque fratres eius et mater. Maneat puella saltem· decem dies apud nos: et postea proficiscetur. [56] Nolite ait me retinere: quia dominus direxit viam meam. Dimittite me: vt pergam ad dominum meum. [57] Et dixerunt. Vocemus puellam: et queramus ipsius voluntatem. [58] Cumque vocata venisset: sciscitati sunt. Vis ire cum homine isto? Que ait. Vadam. [59] Dimiserunt ergo eam· et nutricem illius: seruumque abraham et comites eius: [60] imprecantes prospera sorori sue· atque dicentes. Soror nostra es. Crescas in mille milia: et possideat semen tuum portas inimicorum suorum. [61] Igitur rebecca et puelle illius· ascensis camelis secute sunt virum: qui festinus reuertebatur ad dominum suum. [62] Eo autem tempore deambulabat ysaac per viam que ducit ad puteum· cuius nomen est viuentis et videntis. Habitabat enim in terra australi: [63] et egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die. Cumque eleuasset oculos: vidit camelos venientes procul. [64] Rebecca quoque conspecto ysaac· descendit de camelo: [65] et ait ad puerum. Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei. Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium suum· cooperuit se. [66] Seruus autem cuncta que gesserat· narrauit domino suo ysaac. [67] Qui introduxit eam in tabernaculum sare matris sue et accepit eam vxorem: et intantum dilexit eam: vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat temperaret.

25 Abraham vero aliam duxit vxorem· nomine cethuram: [2] que peperit ei zamran· et iexan· et madan· et madian· et iesboch· et sue. [3] Iexan quoque genuit saba· et dadan. Filij dadan fuerunt assurim et lathusim et laomin. [4] At vero ex madian ortus est epha· et opher· et enoch· et abida· et heldaa. Omnes hij filij cethure. [5] Deditque abraham cuncta que possederat ysaac: [6] filijs autem concubinarum largitus est munera: et separauit eos ab ysaac filio suo dum adhuc ipse viueret ad plagam orientalem. [7] Fuerunt autem dies vite abrahe centumseptuagintaquinque anni: [8] et deficiens mortuus est in senectute bona· prouecteque etatis· et plenus dierum: congregatusque est ad populum suum. [9] Et sepelierunt eum ysaac et ysmahel filij sui in spelunca duplici· que sita est in agro ephron· filij seor ethei· eregione mambre: [10] quam emerat a filijs heth. Ibi sepultus est ipse· et sara vxor eius. [11] Et post obitum eius benedixit deus ysaac filio eius: qui habitabat iuxta puteum nomine viuentis· videntis. [12] Hee sunt generaciones ysmahel filij abrahe quem peperit ei agar egiptia famula sare: et [13] hec nomina filiorum eius· in vocabulis et generationibus suis. Primogenitus ysmahelis nabaioth: deinde cedar· et abdeel· et mabsan· [14] masma quoque et duma· et massa· [15] adad et thema et ithur· et naphis et cedma. [16] Isti sunt filij ysmahel: et hec nomina per castella et oppida eorum· duodecim principes tribuum suarum. [17] Et facti sunt anni vite ysmahelis centumtrigintaseptem: deficiensque mortuus est· et appositus ad populum. [18] Habitauit autem ab eiula vsque sur: que respicit egiptum introeuntibus assirios. Coram cunctis fratribus suis obijt. [19] Hee quoque sunt generationes ysaac filij abraham. Abraham genuit ysaac. [20] Qui cum quadraginta esset annorum: duxit vxorem rebeccam· filiam bathuelis syri· de mesopothamia· sororem laban. [21] Deprecatusque est ysaac dominum pro vxore sua: eo quod esset sterilis. Qui exaudiuit eum et dedit conceptum rebecce: [22] sed collidebantur in vtero eius paruuli. Que ait. Si sic michi futurum erat: quid necesse fuit concipere? Perrexitque vt consuleret dominum. [23] Qui respondens ait. Due gentes sunt in vtero tuo· et duo populi ex ventre tuo diuidentur: populusque populum superabit: et maior seruiet minori. [24] Iam tempus pariendi aduenerat: et ecce gemini in vtero eius reperti sunt. [25] Qui primus egressus est rufus erat· et totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen eius esau. Protinus alter egrediens· plantam fratris tenebat manu: et idcirco appellauit eum iacob. [26] Sexagenarius erat ysaac quando nati sunt paruuli. [27] Quibus adultis· factus est esau vir gnarus venandi· et homo agricola: iacob autem vir simplex habitabat ad. in tabernaculis. [28] Ysaac amabat esau eo quod de venationibus illius vesceretur: et rebecca diligebat iacob. [29] Coxit autem iacob pulmentum. Ad quem cum venisset esau de agro lassus [30] ait. Da michi de coctione hac rufa: quia oppido lassus sum. Quamobrausam vocatum est nomen eius edom. [31] Cui dixit iacob. Vende michi primogenita tua. [32] Ille respondit. En morior. Quid michi proderunt primogenita? [33] Ait iacob. Iura ergo michi. Iurauit ei esau· et vendidit primogenita: [34] et sic accepto pane et lentis edulio comedit et bibit et abijt: paruipendens quod primogenita vendidisset.

26 Orta autem fame super terram post eam sterilitatem que acciderat in diebus abraham: abijt ysaac ad abimelech regem palestinorum· in gerara. [2] Apparuitque ei dominus et ait. Ne descendas in egiptum: sed quiesce in terra quam dixero tibi [3] et peregrinare in ea: eroque tecum et benedicam tibi. Tibi enim et semini tuo dabo vniuersas regiones has· complens iuramentum quod spopondi abraham patri tuo: [4] et multiplicabo semen tuum sicut stellas celi. Daboque posteris tuis vniuersas regiones has: et benedicentur in semine tuo omnes gentes terre: [5] eo quod obedierit abraham voci mee· et custodierit precepta mea: et mandata mea et cerimonias legesque seruauerit. [6] Mansit itaque ysaac in geraris. [7] Qui cum interrogaretur a viris loci illius super vxore sua· respondit. Soror mea est. Timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata coniugio: reputans ne forte interficerent eum propter illius pulcritudinem. [8] Cumque pertransissent dies plurimi et ibidem moraretur· prospiciens abimelech rex palestinorum per fenestram· vidit eum iocantem cum rebecca vxore sua: [9] et accersito eo ait. Perspicuum est quod vxor tua sit. Cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit. Timui ne morerer propter eam. [10] Dixitque abimelech. Quare imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum vxore tua: et induxeras super nos grande peccatum. Precepitque omni populo dicens. [11] Qui tetigerit hominis huius vxorem· morte morietur. [12] Seuit autem ysaac in terra illa: et inuenit in ipso anno centuplum. Benedixitque ei deus· [13] et locupletatus est homo: et ibat proficiens atque succrescens· donec magnus vehementer effectus est: [14] habuitque possessiones ouium et armentorum et familie plurimum. Ob hoc inuidentes ei palestini· [15] omnes puteos quos foderant serui patris illius abraham· illo tempore obstruxerunt implentes humo: [16] intantum vt ipse abimelech diceret ad ysaac. Recede a nobis: quoniam potentior nobis factus es valde. [17] Et ille discedens vt veniret ad torrentem gerare habitaretque ibi: [18] rursum fodit alios puteos· quos foderant serui patris sui abraham: et quos illo mortuo olim obstruxerant philistijm. Appellauitque eos eisdem nominibus: quibus ante pater vocauerat. [19] Foderuntque in torrente· et repererunt aquam viuam. [20] Sed et ibi iurgium fuit pastorum gerare· aduersus pastores ysaac dicentium. Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei ex eo quod acciderat vocauit calumniam. [21] Foderunt autem et alium: et pro illo quoque rixati sunt: appellauitque eum inimicicias. [22] Profectus inde fodit alium puteum: pro quo non contenderunt. Itaque vocauit nomen eius latitudo· dicens. Nunc dilatauit nos dominus: et fecit crescere super terram. [23] Ascendit autem ex illo loco in bersabee: [24] vbi apparuit ei dominus in ipsa nocte dicens. Ego sum deus abraham patris tui. Noli timere: quia ego tecum sum. Benedicam tibi et multiplicabo semen

tuum: propter seruum meum abraham. [25] Itaque edificauit ibi altare domino: et inuocato nomine domini extendit tabernaculum: precepitque seruis suis vt foderent puteum. [26] Ad quem locum cum venissent de geraris· abimelech et ochozath amici illius et phicol dux militum: [27] locutus est ysaac. Quid venistis ad me hominem quem odistis: et expulistis a vobis? [28] Qui responderunt. Vidimus tecum esse dominum: et idcirco nos diximus. Sit iuramentum inter nos. et ineamus fedus· [29] vt non facias nobis quicquam mali: sicut et nos nichil tuorum attigimus· nec fecimus quod te lederet: sed cum pace dimisimus auctum benedictione domini. [30] Fecit ergo eis conuiuium. Et post cibum et potum [31] surgentes mane· iurauerunt sibi mutuo: dimisitque eos ysaac pacifice in locum suum. [32] Ecce autem venerunt in ipso die serui ysaac: annunciantes ei de puteo quem foderant· atque dicentes. Inuenimus aquam. [33] Vnde appellauit eum abundantiam· et nomen vrbis impositum est bersabee· vsque in presentem diem. [34] Esau vero quadragenarius duxit vxores duas: iudith filiam beeri ethei· et basemath filiam elon eiusdem loci: [35] que ambe offenderant animum ysaac et rebecce.

27 Senuit autem ysaac et caligauerunt oculi eius· et videre non poterat: vocauitque esau filium suum maiorem: et dixit ei. Fili mi. Qui respondit. Assum. [2] Cui pater. Vides inquit quod senuerim: et ignorem diem mortis mee. [3] Sume arma tua· et pharetram et arcum: et egredere foras. Cumque venatu aliquid apprehenderis· [4] fac michi inde pulmentum sicut velle me nosti: et affer vt comedam: et benedicat tibi anima mea antequam moriar. [5] Quod cum audisset rebecca· et ille abisset in agrum vt iussionem patris impleret: [6] dixit filio suo iacob. Audiui patrem tuum loquentem cum esau fratre tuo: et dicentem ei. [7] Affer michi de venacione tua· et fac cibos vt comedam: et benedicam tibi coram domino antequam moriar. [8] Nunc ergo fili mi acquiesce consilijs meis: [9] et pergens ad gregem affer michi duos hedos optimos· vt faciam ex eis escas patri tuo· quibus libenter vescitur: [10] quas cum intuleris et comederit· benedicat tibi prius quam moriatur. [11] Cui ille respondit. Nosti quod esau frater meus homo pilosus sit· et ego lenis. [12] Si attrectauerit me pater meus et senserit· timeo ne putet sibi voluisse me illudere: et inducat super me maledictionem pro benedictione. [13] Ad quem mater: in me sit ait ista maledictio fili mi: tantum audi vocem meam· et pergens affer que dixi. [14] Abijt et attulit: deditque matri. Parauit illa cibos sicut velle nouerat patrem illius: [15] et vestibus esau valde bonis· quas apud se habebat domi induit eum· [16] pelliculasque hedorum circumdedit manibus: et colli nuda protexit. [17] Deditque pulmentum: et panes quos coxerat tradidit. [18] Quibus illatis· dixit. Pater mi. At ille respondit. Audio. Quis es tu fili mi? [19] Dixitque iacob. Ego sum primogenitus tuus esau. Feci tibi sicut precepisti michi. Surge· sede et comede· de venacione mea: vt benedicat michi anima tua. [20] Rursumque ysaac ad filium suum. Quomodo inquit tam cito inuenire potuisti fili mi? Qui respondit. Voluntas dei fuit: vt cito occurreret michi quod volebam. [21] Dixitque ysaac. Accede ad me huc vt tangam te fili mi: et probem vtrum tu sis filius meus esau· an non. [22] Accessit ille ad patrem: et palpato eo· dixit ysaac. Vox quidem· vox iacob est: sed manus· manus sunt esau. [23] Et non cognouit eum: quia pilose manus· similitudinem maioris expresserant. Benedicens ergo illi· [24] ait. Tu es filius meus esau? Respondit. Ego sum. [25] At ille affer inquit michi cibos de venacione tua fili mi: vt benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset: obtulit ei eciam vinum. Quo hausto: [26] dixit ad eum. Accede ad me: et da michi osculum fili mi. [27] Accessit: et osculatus est eum. Statimque vt sensit vestimentorum eius fragrantiam benedicens illi ait. Ecce odor filij mei· sicut odor agri pleni: cui benedixit dominus. [28] Det tibi deus de rore celi· et de pinguedine terre in abundantiam frumenti· vini et olei: [29] et seruient tibi populi· et adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum: et incuruentur ante te filij matris tue. Qui maledixit tibi· sit ille maledictus: et qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur. [30] Vix ysaac sermonem impleuerat: et egresso iacob foras· venit esau: [31] coctosque de venacione cibos intulit patri dicens. Surge pater mi· et comede de venacionne filij tui: vt benedicat michi anima tua. [32] Dixitque illi ysaac. Quis enim es tu? Qui respondit. Ego sum filius tuus primogenitus esau. [33] Expauit ysaac stupore vehementi: et vltra quam credi potest ammirans ait. Quis igitur ille est qui dudum captam venacionem attulit michi· et comedi ex omnibus priusquam tu venires? Benedixique ei: et erit benedictus. [34] Auditis esau sermonibus patris· irrugijt clamore magno: et consternatus ait. Benedic eciam et michi pater mi. [35] Qui ait. Venit germanus tuus fraudulenter: et accepit benedictionem tuam. [36] At ille subiunxit. Iuste vocatum est nomen eius iacob. Supplantauit enim me: en altera vice. Primogenita mea ante tulit: et nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: numquid non reseruasti ait et michi benedictionem? [37] Respondit ysaac. Dominum tuum illum constitui: et omnes fratres tuos seruituti eius subiugaui. Frumento et vino et oleo stabiliui eum: et tibi post hec fili mi· vltra quid faciam? [38] Cui esau· num vnam inquit tantum benedictionem habes pater? Michi quoque obsecro vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret: [39] motus ysaac dixit ad eum. In pinguedine terre· et in rore celi desuper [40] erit benedictio tua. Viues in gladio· et fratri tuo seruies: tempusque veniet· cum excutias· et soluas iugum eius de ceruicibus tuis. [41] Oderat ergo semper esau iacob: pro benedictione qua benedixerat ei pater. Dixitque in corde suo. Venient dies luctus patris mei: et occidam iacob fratrem meum. [42] Nunciata sunt hec rebecce. Que mittens et vocans iacob filium suum: dixit ad eum. Ecce esau frater tuus minatur vt occidat te. [43] Nunc ergo fili audi vocem meam: et consurgens fuge ad laban fratrem meum in aran: [44] habitabisque cum eo dies paucos· donec requiescat furor fratris tui· [45] et cesset indignatio eius: obliuiscaturque eorum que fecisti in eum: postea mittam· et adducam te inde huc. Cur vtroque orbabor filio in vno die? [46] Dixitque rebecca ad ysaac. Tedet me vite mee propter filias heth. Si acceperit iacob vxorem de stirpe huius terre· nolo viuere.

28 Vocauit itaque ysaac iacob· et benedixit eum: precepitque ei dicens. Noli accipere coniugem de genere chanaan: [2] sed vade· et proficiscere in mesopothamiam syrie· ad domum bathuel patris matris tue: et accipe tibi inde vxorem de filiabus laban auunculi tui. [3] Deus autem omnipotens benedicat tibi· et crescere te faciat atque multiplicet vt sis in turbas populorum: [4] et det tibi benedictiones abrahe et semini tuo post te: vt possideas terram peregrinationis tue· quam pollicitus est auo tuo. [5] Cumque dimisisset eum ysaac· profectus peruenit in mesopothamiam syrie: ad laban filium bathuel syri· fratrem rebecce matris sue. [6] Videns autem esau quod benedixisset pater suus iacob· et misisset eum in mesopothamiam syrie: vt inde vxorem duceret: et quod post benedictionem precepisset ei dicens· non accipies vxorem de filiabus chanaan: [7] quodque obediens iacob parentibus suis· isset in syriam: [8] probans quoque quod non libenter aspiceret filias chanaan pater suus: [9] iuit ad ysmahelem· et duxit vxorem· absque hijs quas prius habebat· melech filiam ysmahel filij abraham sororem nabaioth. [10] Igitur egressus iacob de bersabee· pergebat aran. [11] Cumque venisset ad quendam locum· et vellet in eo requiescere post solis occubitum· tulit de lapidibus qui iacebant: et supponens capiti suo· dormiuit in eodem loco. [12] Viditque in somnis scalam stantem super terram· et cacumen illius tangens celum: angelos quoque dei ascendentes et descendentes per eam: [13] et dominum innixum scale dicentem sibi. Ego sum dominus deus abraham patris tui: et deus ysaac. Terram in qua dormis· tibi dabo et semini tuo: [14] eritque semen tuum quasi puluis terre. Dilataberis ad orientem et occidentem· et septentrionem et meridiem: et benedicentur in te et in semine tuo cuncte tribus terre. [15] Et ero custos tuus quocumque perrexeris: et reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi compleuero vniuersa que dixi. [16] Cumque euigilasset iacob de somno· ait. Vere dominus est in loco isto: et ego nesciebam. [17] Pauensque: quam terribilis est inquit· locus iste. Non est hic aliud nisi domus dei: et porta celi. [18] Surgens ergo iacob mane· tulit lapidem quem supposuerat capiti suo· et erexit in titulum: fundens oleum desuper. [19] Appellauitque nomen vrbis bethel: que prius luza vocabatur. [20] Vouit eciam votum dicens. Si fuerit deus mecum· et custodierit me in via per quam ego ambulo· et dederit michi panem ad vescendum· et vestimentum ad induendum· [21] reuersusque fuero prospere ad domum patris mei: erit michi dominus in deum· [22] et lapis iste quem erexi

in titulum· vocabitur domus dei: cunctorumque que dederis michi· decimas offeram tibi.

29 Profectus ergo iacob· venit in terram orientalem: [2] et vidit puteum in agro: tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum. Nam ex illo adaquabantur pecora: et os eius grandi lapide claudebatur. [3] Mosque erat· vt cunctis ouibus congregatis euoluerent lapidem: et refectis gregibus rursum super os putei ponerent. [4] Dixitque ad pastores. Fratres vnde estis? Qui responderunt. De aran. [5] Quos interrogans: numquid ait nostis laban filium nachor? Dixerunt. Nouimus. [6] Sanus ne est inquit? Valet inquiunt: et ecce rachel filia eius venit cum grege suo. [7] Dixitque iacob. Adhuc multum diei superest: nec est tempus vt reducantur ad caulas greges. Date ante potum ouibus: et sic eas ad pastum reducite. [8] Qui responderunt. Non possumus· donec omnia pecora congregentur: et amoueamus lapidem de ore putei vt adaquemus greges. [9] Adhuc loquebantur: et ecce rachel veniebat cum ouibus patris sui. Nam gregem ipsa pascebat. [10] Quam cum vidisset iacob· et sciret consobrinam suam· ouesque laban auunculi sui: amouit lapidem quo puteus claudebatur: [11] et adaquato grege osculatus est eam. Et eleuata voce fleuit: [12] et indicauit ei quod frater esset patris sui: et filius rebecce. At illa festinans nunciauit patri suo. [13] Qui cum audisset venisse iacob filium sororis sue· occurrit obuiam ei: complexusque eum· et in oscula ruens. duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris [14] respondit. Os meum es: et caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis vnius· [15] dixit ei. Num quia frater meus es· gratis seruies michi? Dic quid mercedis accipias. [16] Habebat vero duas filias. Nomen maioris lya: minor vero appellabatur rachel. [17] Sed lya lippis erat oculis: rachel decora facie et venusto aspectu: [18] quam diligens iacob ait. Seruiam tibi pro rachel filia tua minore· septem annis. [19] Respondit laban. Melius est vt tibi eam dem quam alteri viro. Mane apud me. [20] Seruiuit ergo iacob pro rachel septem annis: et videbantur illi pauci dies pre amoris magnitudine. [21] Dixitque ad laban. Da michi vxorem meam· quia iam tenpus expletum est vt ingrediar ad illam. [22] Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium· fecit nuptias: [23] et vespere lyam filiam suam introduxit ad eum: [24] dans ancillam filie zelpham nomine. Ad quam cum ex more iacob fuisset ingressus· facto mane vidit lyam: [25] et dixit ad socerum suum. Quid est quod facere voluisti? Nonne pro rachel seruiui tibi? quare imposuisti michi? [26] Respondit laban. Non est in loco nostro consuetudinis: vt minores ante tradamus ad nuptias. [27] Imple ebdomadam dierum huius copule: et hanc quoque dabo tibi· pro opere quo seruiturus es michi septem annis alijs. [28] Adquieuit placito: et ebdomada transacta rachel duxit vxorem. [29] Cui pater seruam balam tradiderat. [30] Tandemque potitus optatis nuptijs· amorem sequentis priori pretulit: seruiens apud eum septem annis alijs. [31] Videns autem dominus quod despiceret lyam· aperuit vuluam eius: sorore sterili permanente. [32] Que conceptum genuit filium: vocauitque nomen eius ruben dicens. Vidit dominus humilitatem meam. Nunc amabit me vir meus. [33] Rursumque concepit: et peperit filium et ait. Quoniam vidit me dominus haberi contemptui: dedit eciam istum michi. Vocauitque nomen eius symeon. [34] Concepitque tercio et genuit alium filium: dixitque. Nunc quoque copulabitur michi maritus meus: eo quod peperim ei tres filios. Et idcirco appellauit nomen eius leui. [35] Quarto concepit: et peperit filium et ait. Modo confitebor domino. Et ob hoc vocauit eum iudam. Cessauitque parere.

30 Cernens autem rachel· quod infecunda esset· inuidit sorori sue: et ait marito suo. Da michi liberos: alioquin moriar. [2] Cui iratus respondit iacob. Num pro deo ego sum· qui priuauit te fructu ventris tui? [3] At illa· habeo inquit famulam balam: ingredere ad illam vt pariat super genua mea: et habeam ex illa filios. [4] Deditque illi balam in coniugium. Que [5] ingresso ad se viro: concepit et peperit filium. [6] Dixitque rachel. Indicauit michi dominus: et exaudiuit vocem meam dans michi filium. Et idcirco appellauit nomen eius dan. [7] Rursumque bala concipiens peperit alterum: [8] pro quo ait rachel. Comparauit me dominus cum sorore mea· et inualui. Vocauitque eum neptalim. [9] Sentiens lya quod parere desisset: zelpham ancillam suam marito tradidit. [10] Qua post conceptum edente filium [11] dixit. Feliciter. Et idcirco vocauit nomen eius gad. [12] Peperit quoque zelpha alterum: [13] dixitque lya. Hoc pro beatitudine mea. Beatam quippe me dicent omnes mulieres. Propterea appellauit eum aser. [14] Egressus autem ruben tempore messis triticee in agrum reperit mandragoras: quas matri lye detulit. Dixitque rachel. Da michi partem de mandragoris filij tui. [15] Illa respondit. Parum ne tibi videtur quod preripueris maritum michi: nisi eciam mandragoras filij mei tuleris? Ait rachel. Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. [16] Redeuntique ad vesperam iacob de agro: egressa est in occursum eius lya· et ait. Ad me inquit intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Dormiuitque cum ea nocte illa: [17] et exaudiuit deus preces eius. Concepitque et peperit filium quintum· [18] et ait. Dedit deus mercedem michi· quia dedi ancillam meam viro meo. Appellauitque nomen eius ysachar. [19] Rursum lya concipiens peperit sextum filium· [20] et ait. Ditauit me deus dote bona. Eciam hac vice mecum erit maritus meus: eo quod genuerim· ei sex filios. Et idcirco appellauit nomen eius zabulon. [21] Post quem peperit filiam nomine dinam. [22] Recordatusque dominus rachelis· exaudiuit eam: et aperuit vuluam eius: [23] que concepit et peperit filium dicens. Abstulit deus opprobrium meum. [24] Et vocauit nomen illius ioseph dicens. Addat michi dominus alterum. [25] Nato autem ioseph: dixit iacob socero suo. Dimitte me· vt reuertar in patriam meam et ad terram meam. [26] Da michi vxores et liberos meos pro quibus seruiui tibi· vt abeam. Tu veo nosti seruitutem qua seruiui tibi. [27] Ait ei laban. Inueniam graciam in conspectu tuo. Experimento didici· quia benedixerit michi deus propter te. [28] Constitue mercedem tuam quam dem tibi. [29] At ille respondit. Tu nosti quomodo seruierim tibi: et quanta in manibus meis fuerit possessio tua. [30] Modicum habuisti antequam venirem ad te· et nunc diues effectus es: benedixitque tibi deus ad introitum meum. Iustum est igitur vt aliquando prouideam domui mee. [31] Dixit laban. Quid tibi dabo? At ille ait. Nichil volo: sed si feceris quod postulo: iterum pascam et custodiam pecora tua. [32] Gira omnes greges tuos· et separa cunctas oues varias et sparso vellere: et quodcumque fuluum et maculosum variumque fuerit· tam in ouibus quam in capris· erit merces mea. [33] Respondebitque michi cras iusticia mea· quando placiti tempus aduenerit coram te: et omnia que non fuerit varia et maculosa et fulua· tam in ouibus quam in capris· furti me arguent. [34] Dixitque laban. Gratum habeo quod petis. [35] Et separauit in die illa capras· et oues et hircos· et arietes· varios et maculosos. Cunctum autem gregem vnicolorem· id est albi et nigri velleris· tradidit in manu filiorum suorum: [36] et posuit spacium itineris inter se et generum trium dierum: qui pascebat reliquos greges eius. [37] Tollens ergo iacob virgas populeas virides· et amigdalinas· et ex platanis ex parte decorticauit eas. Detractisque corticibus· in hijs que spoliata fuerant· candor apparuit: illa vero que integra fuerunt· viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius. [38] Posuitque eas in canalibus· vbi effundebatur aqua: vt cum venissent greges ad bibendum· ante oculos haberent virgas: et in aspectu earum concipent. [39] Factumque est vt in ipso calore coitus· oues intuerentur virgas: et parerent maculosa et varia· et diuerso colore respersa. [40] Diuisitque gregem iacob: et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum. Erant autem alba et nigra queque laban: cetera vero iacob· separatis inter se gregibus. [41] Igitur quando primo tempore ascendebantur oues ponebat iacob virgas in canalibus aquarum· ante oculos arietum et ouium· vt in earum contemplatione concipent: [42] quando vero serotina admissura erat· et conceptus extremus: non ponebat eas. Factaque sunt ea que erant serotina· laban: et que primi temporis· iacob. [43] Ditatusque est homo vltra modum: et habuit greges multos· ancillas et seruos· camelos et asinos.

31 Postquam autem audiuit verba filiorum laban dicentium· tulit iacob omnia que fuerunt patris nostri· et de illius facultate ditatus· factus est inclitus: [2] animaduertit quoque faciem laban· quod non esset erga se sicut heri et nudiustercius: [3] maxime dicente sibi domino reuertere in terram patrum tuorum· et ad generacionem tuam eroque tecum: [4] misit et vocauit rachel et lyam in agrum vbi pascebat greges: [5] dixitque eis. Video faciem patris vestri:

quod non sit erga me sicut heri et nudiustercius. Deus autem patris mei fuit mecum: [6] et ipse nostis quod totis viribus meis seruierim patri vestro. [7] Sed et pater vester circumuenit me· et mutauit mercedem meam decem vicibus: et tamen non dimisit eum deus vt noceret michi. [8] Si quando dixit varie erunt mercedes tue· pariebant omnes oues varios fetus: quando vero econtrario ait· alba queque accipies pro mercede: omnes greges alba peperunt. [9] Tulitque deus substanciam patris vestri: et dedit michi. [10] Postquam enim conceptus ouium tempus aduenerat· leuaui oculos meos: et vidi in somnis ascendentes res mares super feminas· varios et maculosos et diuersorum colorum. Dixitque culosos et diuisorum colorum. [11] Dixitque angelus domini ad me in somnis. Iacob. Et ego respondi. Assum. [12] Qui ait. Leua oculos tuos· et vide vniuersos masculos ascendentes super feminas· varios maculosos atque respersos. Vidi enim omnia que fecit tibi laban. [13] Ego sum deus bethel· vbi vnxisti lapidem: et votum vouisti michi. Nunc ergo surge et egredere de terra hac: reuertens in terram natiuitatis tue. [14] Responderuntque rachel et lya. Numquid habemus residui quicquam in facultatibus· et hereditate domus patris nostri? [15] Nonne quasi alienas reputauit nos· et vendidit: comeditque precium nostrum? [16] Sed deus tulit opes patris nostri: et eas tradidit nobis ac filijs nostris. Vnde omnia que precepit tibi dominus fac. [17] Surrexit autem iacob: et impositis liberis ac coniugibus suis super camelos abijt: [18] tulitque omnem substantiam suam et greges· et quidquid in mesopothamia acquisierat: pergens ad ysaac patrem suum in terra chanaan. [19] Eo tempore ierat laban ad tondendas oues: et rachel furata est ydola patris sui. [20] Noluitque iacob confiteri socero suo quod fugeret. [21] Cumque abisset tam ipse quam omnia que iuris sui erant: et amne transmisso pergeret contra montem galaad: [22] nunciatum est laban die tercio quod fugeret iacob. [23] Qui assumptis fratribus suis· persecutus est eum diebus septem: et comprehendit eum in monte galaad. [24] Viditque in somnis dicentem sibi dominum. Caue ne quicquam aspere loquaris contra iacob. [25] Iamque iacob extenderat in monte tabernaculum. Cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis: in eodem monte galaad fixit tentorium. [26] Et dixit ad iacob. Quare ita egisti: vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio? [27] Cur ignorante me fugere voluisti nec indicare michi: vt prosequerer te cum gaudio et canticis· et timpanis et citharis? [28] Non es passus vt osculares filios meos et filias. Stulte operatus es. Et nunc quidem [29] valet manus mea reddere tibi malum: sed deus patris tui· heri dixit michi. Caue ne loquaris contra iacob quicquam durius. [30] Esto. Ad tuos ire cupiebas: et desiderio erat tibi domus patris. Cur furatus es deos meos? [31] Respondit iacob. Quod inscio te profectus sum: timui ne violenter auferres filias tuas. [32] Quod autem furti me arguis: apud quemcumque inueneris deos tuos: necetur coram fratribus nostris. Scrutare: quidquid tuorum apud me inueneris aufer. Hec dicens ignorabat quod rachel furata esset ydola. [33] Ingressus itaque laban tabernaculum iacob et lye et vtriusque famule· non inuenit. Cumque intrasset tentorium rachelis: [34] illa festinans abscondit ydola subter stramenta cameli et sedit desuper: scrutantique omne tentorium et nichil inuenienti· [35] ait. Ne irascatur dominus meus quod coram te assurgere nequeo: quia iuxta consuetudinem feminarum nunc accidit michi. Sic delusa sollicitudo querentis est. [36] Timensque iacob· cum iurgio ait. Quamobculpam meam et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me· [37] et scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substancia domus tue? Pone hic coram fratribus meis· et fratribus tuis: et iudicent inter me et te. [38] Idcirco viginti annis fui tecum: oues tue et capre· steriles non fuerunt· arietes gregis tui non comedi: [39] nec captum a bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam. Quidquid furtim peribat a me exigebas: [40] die noctuque estu vrgebar et gelu: fugiebatque somnus ab oculis meis. [41] Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi: quatuordecim pro filiabus: et sex pro gregibus tuis. Immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. [42] Nisi deus patris mei abraham· et timor ysaac affuisset michi: forsitan modo nudum me dimisisses. Afflictionem meam et laborem manuum mearum respexit dominus: et arguit te heri. [43] Respondit ei laban. Filie mee et filij· et greges tui et omnia que cernis? mea sunt. Quid possum facere filijs et nepotibus meis? [44] Veni ergo et ineamus fedus: vt sit testimonium inter me et te. [45] Tulit itaque iacob lapidem: et erexit illum in titulum. [46] Dixitque fratribus suis. Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum: comederuntque super eum. [47] Quem vocauit laban tumulum testis: et iacob aceruum testimonij: vterque iuxta proprietatem lingue sue. [48] Dixitque laban. Tumulus iste testis erit inter me et te hodie. Et idcirco appellatum est nomen eius galaad. id est tumulus testis. Et adiecit laban. [49] Intueatur et iudicet dominus inter nos quando recesserimus a nobis: [50] si afflixeris filias meas: et si introduxeris alias vxores super eas. Nullus sermonis nostri testis est absque deo: qui presens respicit. [51] Dixitque rursus ad iacob. En tumulus hic et lapis quem erexi· inter me et te [52] testis erit. Tumulus inquam iste et lapis sint in testimonium: si aut ego transiero illum· pergens ad te: aut tu preterieris· malum michi cogitans. [53] Deus abraham et deus nachor iudicet inter nos: deus patris eorum. Iurauit ergo iacob per timorem patris sui ysaac: [54] immolatisque victimis in monte vocauit fratres suos vt ederent panem. Qui cum comedissent manseruut ibi. [55] Laban vero denocte consurgens· osculatus est filios et filias suas: et benedixit illis: reuersusque est in locum suum.

32 Iacob autem abijt in itinere· quo ceperat: fueruntque ei obuiam angeli dei. [2] Quos cum vidisset ait. Castra dei sunt hec. Et appellauit nomen loci illius manaim: id est castra. [3] Misit autem et nuncios ante se ad esau fratrem suum· in terra seyr· in regione edom: [4] precepitque eis dicens. Sic loquimini domino meo esau. Hec dicit frater tuus iacob. Apud laban peregrinatus sum: et fui vsque in presentem diem. [5] Habeo boues· et asinos et oues· et seruos et ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum meum: vt inueniam graciam in conspectu tuo. [6] Reuersique sunt nuncij ad iacob dicentes. Venimus ad esau fratrem tuum: et ecce properat in occursum tuum cum quadringentis viris. [7] Timuit iacob valde: et perterritus diuisit populum qui secum erat: greges quoque et oues· et boues et camelos· in duas turmas [8] dicens. Si venerit esau ad vnam turmam et percusserit eam: alia turma que reliqua est saluabitur. [9] Dixitque iacob. Deus patris mei abraham et deus patris mei ysaac· domine qui dixisti michi· reuertere in terram tuam et in locum natiuitatis tue· et benefaciam tibi: [10] minor sum cunctis miseracionibus tuis· et veritate tua quam explesti seruo tuo. In baculo meo transiui iordanem istum: et nunc cum duabus turmis regredior. [11] Erue me de manu fratris mei esau· quia valde eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum filijs. [12] Tu locutus es quod benefaceres michi: et dilatares semen meum sicut arenam maris· que pre multitudine numerari non potest. [13] Cumque dormisset ibi nocte illa· separauit de hijs que habebat munera esau fratri suo: [14] capras ducentas hircos viginti oues ducentas et arietes viginti: [15] camelos fetas cum pullis suis triginta: vaccas quadraginta et thauros viginti· asinas viginti: et pullos earum decem. [16] Et misit per manus seruorum suorum· singulos seorsum greges: dixitque pueris suis. Antecedite me: et sit spacium inter gregem et gregem. [17] Et precepit priori dicens. Si obuium habueris fratrem meum esau· et interrogauerit te· cuius es aut quo vadis aut cuius sunt ista que sequeris: [18] respondebis. Serui tui iacob. Munera misit domino suo esau: ipse quoque post nos venit. [19] Similiter dedit mandata secundo et tercio· et cunctis qui sequebantur greges. Dicens. Hisdem verbis loquimini ad esau cum inueneritis eum: [20] et addetis. Ipse quoque seruus tuus iacob· iter nostrum insequitur. Dixit enim. Placabo illum muneribus que precedunt: et postea videbo illum. Forsitan propiciabitur michi. [21] Precesserunt itaque munera ante eum: ipse vero mansit nocte illa in castris. [22] Cumque mature surrexisset tulit duas vxores suas· et totidem famulas cum vndecim filijs: et transiuit vadum iaboch. [23] Transductisque omnibus que ad se pertinebant· [24] mansit solus: et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane. [25] Qui cum videret quod eum superare non posset: tetigit neruum femoris eius: et statim emarcuit. [26] Dixitque ad eum. Dimitte me. Iam enim ascendit aurora. Respondit. Non dimittam te: nisi benedixeris michi. [27] Ait ergo. Quod est nomen tibi? Respondit. Iacob. [28] At ille: nequaquam inquit iacob appellabitur nomen tuum: sed israhel. Quoniam si contra deum fortis fuisti: quantomagis contra homines preualebis? [29] Interrogauit eum iacob. Dic michi· quo appellaris nomine.

Respondit. Cur queris nomen meum quod est mirabile? Et benedixit ei in eodem loco. 30 Vocauitque iacob nomen loci illius phanuel· dicens. Vidi dominum facie ad faciem: et salua facta est anima mea. 31 Ortusque est ei statim sol: postquam transgressus est phanuel. Ipse vero claudicabat pede. 32 Quamobcausam non comedunt neruum filij israhel· qui emarcuit in femore iacob vsque in presentem diem: eo quod tetigerit neruum femoris eius· et obstupuit.

33 Eleuans Eleuans autem iacob oculos· vidit venientem esau: et cum eo quadringentos viros. Diuisitque filios lye· et rachel ambarumque famularum: 2 et posuit vtramque ancillam· et liberos earum in principio: lyam vero et filios eius in secundo loco: rachel autem et ioseph nouissimos. 3 Et ipse progrediens adorauit pronus in terram sepcies: donec appropinquaret frater eius. 4 Currens itaque esau obuiam fratri suo· amplexatus est eum: stringensque collum eius· et osculans fleuit: 5 leuatisque oculis vidit mulieres et paruulos earum· et ait. Quid sibi volunt isti: et si ad te pertineant? Respondit. Paruuli sunt: quos donauit michi deus seruo tuo. 6 Et appropinquantes ancille et filij earum incuruati sunt. 7 Accessit quoque lya cum pueris suis: cum similiter adorassent: extremi ioseph et rachel adoraverunt. 8 Dixitque esau. Que nam sunt iste turme quas obuiam habui? Respondit. Vt inuenirem graciam coram domino meo. 9 At ille ait. Habeo plurima frater mi: sint tua tibi. 10 Dixitque iacob. Noli ita obsecro: sed si inueni graciam in oculis tuis· accipe munusculum de manibus meis. Sic enim vidi faciem tuam: quasi viderim vultum dei. Esto michi propicius: 11 et suscipe benedictionem quam attuli tibi: et quam donauit michi deus· tribuens omnia. Vix fratre compellente suscipiens 12 ait. Gradiamur simul· eroque socius itineris tui. 13 Dixitque iacob. Nosti domine mi quod paruulos habeam teneros· et oues et boues fetas mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare· morientur vna die cuncti greges. 14 Precedat dominus meus ante seruum suum: et ego sequar paulatim vestigia eius sicut videro paruulos meos posse: donec veniam ad dominum meum in seyr. 15 Respondit esau. Oro te: vt de populo qui mecum est· saltem socij remaneant vie tue. Non est inquit necesse: hoc vno tantum indigeo: vt inueniam graciam in conspectu tuo domine mi. 16 Reuersus est itaque illo die esau itinere quo venerat in seyr. 17 Et iacob venit in sochot: vbi edificata domo et fixis tentorijs· appellauit nomen loci illius sochot id est tabernacula. 18 Transiuitque in salem vrbem sichimorum· que est in terra chanaan· postquam reuersus est de mesopothamia syrie· et habitauit iuxta oppidum: 19 emitque partem agri in qua fixerat tabernacula· a filijs emor patris sichem centum agnis: 20 et erecto ibi altari· inuocauit super illud fortissimum deum israhel.

34 Egressa est autem dina. filia lye· vt videret mulieres regionis illius: 2 quam cum vidisset sichem filius emor euchi· princeps terre illius· adamauit eam· et rapuit: et dormiuit cum illa· vi opprimens virginem. 3 Et conglutinata est anima eius cum ea: tristemque deliniuit blandicijs: 4 et pergens ad emor patrem suum· accipe inquit michi puellam hanc coniugem. 5 Quod cum audisset iacob: absentibus filijs et in pastu pecorum occupatis siluit donec redirent. 6 Egresso autem emor patre sichem· vt loqueretur ad iacob· 7 ecce filij eius veniebant de agro: auditoque quod acciderat· irati sunt valde· eo quod fedam rem operatus esset in israhel: et violata filia iacob· rem illicitam perpetrasset. 8 Locutus est itaque emor ad eos. Sichem filij mei adhesit anima· filie vestre. Date eam illi vxorem: 9 et iungamus vicissim connubia. Filias vestras tradite nobis: et filias nostras accipite: 10 et habitate nobiscum. Terra in potestate vestra est: exercete· negociamini· et possidete eam. 11 Sed et sichem ad patrem et ad fratres eius ait. Inueniam graciam coram vobis: et quecumque statuitis dabo. 12 Augete dotem· et munera postulate: et libenter tribuam quod pecieritis: tantum date michi puellam hanc vxorem. 13 Responderunt filij iacob· sichem et patri eius in dolo: seuientes et ob stuprum sororis. 14 Non possumus facere quod petitis: nec dare sororem nostram homini incircumciso: quod illicitum et nepharium est apud nos. 15 Sed in hoc valebimus federari. Si voluitis esse similes nostri: et circumcidatur in vobis omnis masculini sexus: 16 tunc dabimus· et accipiemus mutuo filias vestras ac nostras· et habitabimus vobiscum: erimusque vnus populus. 17 Si autem circumcidi nolueritis: tollemus filiam nostram et recedemus. 18 Placuit oblacio eorum emor et sichem filio eius: 19 nec distulit adolescens quin statim quod petebatur expleret. Amabat enim puellam valde: et erat inclitus in omni domo patris sui. 20 Ingressique portam vrbis locuti suut ad populum. 21 Viri isti pacifici sunt: et volunt habitare nobiscum. Negocientur in terra et exerceant eam: que spaciosa et lata cultoribus indiget. Filias eorum accipiemus vxores: et nostras illis dabimus. 22 Vnum est quo differtur tantum bonum. Si circumcidamus masculos nostros· ritum gentis imitantes: 23 et substancia eorum et pecora et cuncta que possident· nostra erunt. Tantum in hoc acquiescamus: et habitantes simul· vnum efficiamus populum. 24 Assensique sunt omnes· cunctis circumcisis maribus. 25 Et ecce die tercio quando grauissimus vulnerum dolor est· arreptis duo filij iacob· simeon et leui fratres dine gladijs· ingressi sunt vrbem confidenter: interfectisque omnibus masculis· 26 emor et sichem pariter necauerunt: tollentes dinam de domo sichem· sororem suam. 27 Quibus egressis· irruerunt super occisos ceteri filij iacob· et depopulati sunt vrbem in vlcionem stupri: 28 oues eorum et armenta· et asinos· cunctaque vastantes que in domibus et in agris erant: 29 paruulos quoque eorum et vxores duxerunt captiuas. 30 Quibus perpetratis audacter: iacob dixit ad simeon et leui. Turbastis me: et odiosum fecistis me chananeis et pherezeis eis habitatoribus terre huius. Nos pauci sumus: illi congregati percutient me: et delebor ego et domus mea. 31 Responderunt. Numquid vt scorto abuti debuere sorore nostra?

35 Interea locutus est deus ad. iacob. Surge· et ascende bethel· et habita ibi: facque altare domino qui apparuit tibi: quando fugiebas esau fratrem tuum. 2 Iacob vero conuocata omni domo sua ait. Abicite deos alienos qui in medio vestri sunt· et mundamini: ac mutate vestimenta vestra. 3 Surgite et ascendamus in bethel· vt faciamus ibi altare domino· qui exaudiuit me in die tribulacionis mee: et socius fuit itineris mei. 4 Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant: et inaures que erant in auribus eorum. At ille infodit eos subter therebintum: que est post vrbem sichem. 5 Cumque profecti essent· terror dei inuasit omnes per circuitum ciuitates· et non sunt ausi persequi recedentes. 6 Venit igitur iacob luzam· que est in terra chanaan cognomento bethel: ipse et omnis populus cum eo. 7 Edificauitque ibi altare: et appellauit nomen loci illius· domus dei. Ibi enim apparuit ei deus: cum fugeret fratrem suum. 8 Eodem tempore mortua est debbora nutrix rebecce: et sepulta est ad radices bethel subter quercum: vocatumque est nomen loci illius quercus fletus. 9 Apparuit autem iterum deus iacob· postquam reuersus est de mesopothamia syrie· et venit in bethel: benedixitque ei 10 dicens. Non vocaberis vltra iacob: sed israhel erit nomen tuum. Et appellauit eum israhel. 11 Dixitque ei. Ego deus omnipotens. Cresce et multiplicare: gentes et populi nationum ex te erunt. Reges de lumbis tuis egredientur: 12 terramque quam dedi abraham et ysaac· dabo tibi et semini tuo post te. 13 Et recessit ab eo. 14 Ille vero erexit titulum lapideum· in loco quo locutus fuerat ei deus: libans super eum libamina· et effundens oleum: 15 vocansque nomen loci illius bethel. 16 Egressus autem inde· venit verno tempore ad terram que ducit effratham. In qua cum parturiret rachel: 17 ob difficultatem partus periclitari cepit. Dixitque ei obstetrix. Noli timere: quia et hunc habebis filium. 18 Egrediente autem anima pre dolore· et imminente iam morte· vocauit nomen filij sui bennoni: id est filius doloris mei. Pater vero appellauit eum beniamin: id est filius dextere. 19 Mortua est ergo rachel et sepulta est in via que ducit effratham: hec est bethleem. 20 Erexitque iacob titulum super sepulcrum eius. Hic est titulus monumenti rachel· vsque in presentem diem. 21 Egressus inde· fixit tabernaculum trans turrem gregis. 22 Cumque habitaret in illa regione: abijt ruben· et dormiuit cum bala concubina patris sui. Quod illum minime latuit. Erant autem filij iacob duodecim. 23 Filij lye: primogenitus ruben· et simeon· et leui· iudas et ysachar· et zabulon. 24 Filij rachel: ioseph et beniamin. 25 Filij bale ancille rachelis: dan et neptalim. 26 Filij zelphe ancille lye: gad et aser. Hij sunt filij iacob: qui nati sunt ei in mesopothamia syrie. 27 Venit eciam ad ysaac

patrem suum in mambre ciuitatem arbee· hec est ebron: in qua peregrinatus est abraham et ysaac. [28] Et completi sunt dies ysaac centumoctogita annorum: [29] consumptusque etate mortuus est· et appositus est populo suo· senex et plenus dierum: et sepelierunt eum esau et iacob filij sui.

36 Hee autem sunt generationes esau: ipse est edom. [2] Esau accepit vxorem de filiabus chanaan· ada filiam elom ethei: et oolibama filiam ane filie sebeon enei. [3] Basemath quoque filiam ysmahel sororem nabaioth. [4] Peperit autem ada eliphaz. Bethsamath genuit rahuel. [5] Oolibama genuit iheus· et ihelon· et chore. Hij filij esau· qui nati sunt ei in terra chanaan. [6] Tulit autem esau vxores suas et filios et filias· et omnem animam domus sue· et substanciam et pecora: et cuncta que habere poterat in terra chanaan· et abijt in alteram regionem: recessitque a fratre suo iacob. [7] Diuites enim erant valde: et simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra peregrinacionis eorum pre multitudine gregum. [8] Habitauitque esau in monte seyr: ipse est edom. [9] Hee autem sunt generationes esau patris edom in monte seyr: [10] et hec nomina filiorum eius. Eliphaz filius ada: vxoris esau. Rahuel quoque filius basemath vxoris eius. [11] Fueruntque eliphaz filij: theman· omar· sephua· et gathan· et cenez· et chore. [12] Erat autem thamna concubina eliphaz filij esau: que peperit ei amalech. Hij sunt filij ada· vxoris esau. [13] Filij autem rahuel· naath et zara· semma et meza. Hij filij basemath vxoris esau. [14] Isti quoque erant filij oolibama filie ane filij sebeon· vxoris esau· quos genuit ei· iheus et ihelon· et chore. [15] Hij duces filiorum esau. Filij eliphaz primogeniti esau: dux theman· dux omar· dux sephua· dux cenez· [16] dux chore· dux gathan· dux ammalech. Hij filij eliphaz in terra edom: et hij filij ade. [17] Hij quoque filij rahuel· filij esau. Dux naath· dux zara· dux semma· dux meza. Hij autem duces rahuel· in terra edom. Isti filij basemath· vxoris esau. [18] Hij autem filij oolibama· vxoris esau. Dux iheus· dux ihelon· dux chore. Hij duces oolibama filie ane· vxoris esau. [19] Isti sunt filij esau· et hij duces eorum: ipse est edom. [20] Isti sunt filij seyr horrei habitatoris terre· lothan· et sobal· et sebeon· et anan· [21] et dison· et eser· et disan. Hij duces horrei filij seyr: in terra edom. [22] Facti sunt autem filij lothan: horrei et eman. Erat autem soror lothan· thamna. [23] Et isti filij sobal: aluhan et maneeth· et ebal· sephi et onan. [24] Et hij filij sebeon: achia et anan. Iste est anan· qui inuenit aquas calidas in solitudine: cum pasceret asinas sebeon patris sui. [25] Habuitque filium disan: et filiam oolibama. [26] Et isti filij disan: amdam et iesban· et iethran et charan. [27] Hij quoque filij eser: balaannan· et zeuan· et achan. [28] Habuit autem filios disan: hus. et aran. [29] Hij duces horreorum. Dux lothan· dux sobal· dux esebon· dux ana· [30] dux dison· dux eser· dux disan. Isti duces horreorum: qui imperauerunt in terra seyr. [31] Reges autem qui regnauerunt in terra edom· antequam haberent regem filij israhel: fuerunt hij. [32] Balach filius beor: nomenque vrbis eius denaba. [33] Mortuus est autem balach: et regnauit pro eo iobab filius zare de bosra. [34] Cumque mortuus esset iobab: regnauit pro eo husan· de terra themanorum. [35] Hoc quoque mortuo: regnauit pro eo adad filius badadi· qui percussit madian in regione moab: et nomen vrbis eius auith. [36] Cumque mortuus esset adad: regnauit pro eo semla de maserecha. [37] Hoc quoque mortuo: regnauit pro eo saul de fluuio rooboth. [38] Cumque et hic obisset: successit in regnum balanan filius achobor. [39] Isto quoque mortuo regnauit pro eo adad: nomenque vrbis eius phau. Et appellabatur vxor eius meezabel filia matreth: filie mizaab. [40] Hec ergo nomina ducum esau· in cognacionibus· et locis· et vocabulis suis· dux thamna· dux aluha· dux ietheth· [41] dux oolibama· dux ela· dux phinon· [42] dux cenez· dux theman· dux mabsar· [43] dux magdihel· dux hiram. Hij duces edom habitantes in terra imperij sui: ipse est esau pater ydumeorum.

37 Habitauit autem iacob in terra chanaan· in qua pater suus peregrinatus est: [2] et hee sunt generaciones eius. Ioseph cum sedecim esset annorum: pascebat gregem cum fratribus suis· adhuc puer. Et erat cum filijs bale et zelphe vxorum patris sui: accusauitque fratres suos apud patrem· crimine pessimo. [3] Israhel autem diligebat ioseph super omnes filios suos: eo quod in senectute genuisset eum. Fecitque ei tunicam polimitam. [4] Videntes autem fratres eius· quod a patre plus cunctis filijs amaretur· oderant eum: nec poterant ei quicquam pacifice loqui. [5] Accidit quoque· vt visum somnium referret fratribus suis: que causa maioris odij seminarium fuit. [6] Dixitque ioseph fratribus suis. Audite somnium meum quod vidi. [7] Putabam nos colligere manipulos in agro: et quasi consurgere manipulum meum et stare: vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. [8] Responderunt fratres eius. Numquid rex noster eris: aut subiciemur dicioni tue? Hec ergo causa somniorum atque sermonum: inuidie et odij fomitem ministrauit. [9] Aliud quoque vidit somnium: quod narrans fratribus ait. Vidi per somnium: quasi solem et lunam· et stellas vndecim adorare me. [10] Quod cum patri suo et fratribus retulisset: increpauit eum pater suus· et dixit. Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Num ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram? [11] Inuidebant ei igitur fratres sui· pater vero rem tacitus considerabat. [12] Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in sichem: [13] dixit ad eum israhel. Fratres tui pascunt oues in sichimis: veni mittam te ad eos. Quo respondente [14] presto sum: ait. Vade et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos· et pecora: et renuncia michi quid agatur. Missus de valle hebron: venit in sichem. [15] Inuenitque eum vir errantem in agro: et interrogauit quid quereret. [16] At ille respondit. Fratres meos quero. Indica michi vbi pascant greges. [17] Dixitque ei vir. Recesserunt de loco isto. Audiui autem eos dicentes. Eamus in dothaim. Perrexit itaque ioseph post fratres suos: et inuenit eos in dothaim. [18] Qui cum vidissent eum procul: antequam accederet ad eos cogitauerunt illum occidere: [19] et mutuo loquebantur. Ecce somniator venit. [20] Venite occidamus eum· et mittamus in cisternam veterem: dicemusque fera pessima deuorauit eum: et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. [21] Audiens autem hec ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum: et dicebat. [22] Non interficiamus animam eius· nec effundamus sanguinem: sed proicite eum in cisternam veterem que est in solitudine: manusque vestras seruate innoxias. Hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum: et reddere patri suo. [23] Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos· nudauerunt eum tunica talari et polimita: [24] miseruntque eum in cisternam veterem: que non habebat aquam. [25] Et sedentes vt comederent panem· viderunt ysmahelitas viatores venire de galaad: et camelos eorum portantes aromata· et resinam· et stacten in egiptum. [26] Dixit ergo iudas fratribus suis. Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum: et celauimus sanguinem ipsius? [27] Melius est vt venundetur ysmahelitis: et manus nostre non polluantur. Frater enim et caro nostra est. Acquieuerunt fratres sermonibus illius· [28] et pretereuntibus madianitis negociatoribus· extrahentes eum de cisterna vendiderunt eum ysmahelitis viginti argenteis: qui duxerunt eum in egiptum. [29] Reuersusque ruben ad cisternam non inuenit puerum: [30] et scissis vestibus· pergens ad fratres suos ait. Puer non comparet: et ego quo ibo? [31] Tulerunt autem tunicam eius· et in sanguinem hedi quem occiderant tinxerunt: [32] mittentes qui ferrent ad patrem et dicerent. Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit an non. [33] Quam cum cognouisset pater ait. Tunica filij mei est. Fera pessima comedit eum: bestia deuorauit ioseph. [34] Scissisque vestibus indutus est cilicio: lugens filium suum multo tempore. [35] Congregatis autem cunctis liberis eius vt lenirent dolorem patris: noluit consolationem accipe· sed ait. Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseuerante in fletu: [36] madianite vendiderunt ioseph in egipto· phutifari eunucho pharaonis· magistromilitum.

38 Eodem tempore descendens iudas a fratribus suis· diuertit ad virum odollamiten nomine hiram: [2] viditque ibi filiam hominis chananei· vocabulo· sue. Et accepta vxore ingressus est ad eam. [3] Que concepit et peperit filium: et vocauit nomen eius her. [4] Rursumque concepto fetu· natum filium vocauit onan. [5] Tercium quoque peperit: quem appellauit sela. Quo nato: parere vltra cessauit. [6] Dedit autem iudas vxorem primogenito suo her nomine thamar. [7] Fuit quoque her primogenitus iude· nequam in conspectu domini: et ideo ab eo occisus est. [8] Dixit ergo iudas ad onan filium suum. Ingredere ad vxorem fratris tui· et sociare illi: vt suscites semen fratri tuo. [9] Ille sciens non sibi nasci filios· introiens ad vxorem fratris sui· semen fundebat in terram: ne

liberi fratris nomine nascerentur. [10] Et idcirco percussit eum dominus: eo quod rem detestabilem faceret. [11] Quamobrem dixit iudas thamar· nurui sue. Esto vidua in domo patris tui: donec crescat sela filius meus. Timebat enim: ne et ipse moreretur sicut fratres eius. Que abijt: et habitauit in domo patris sui. [12] Euolutis autem multis annis: mortua est sue· vxor iude. Qui post luctum· consolacione suscepta ascendebat ad tonsores ouium suarum: ipse et hiras opilio gregis odollamita in thamnas. [13] Nunciatumque est thamar· quod socer illius ascenderet in thamnas: ad tondendas oues. [14] Que depositis viduitatis vestibus· assumpsit teristrum: et mutato habitu sedit in biuio itineris quod ducit thamnam· eo quod creuisset sela· et non eum accepisset maritum. [15] Quam cum vidisset iudas: suspicatus est esse meretricem. Operuerat enim vultum suum ne agnosceretur. [16] Ingrediensque ad eam· ait. Dimitte me vt coeam tecum. Nesciebat enim quod nurus sua esset. Qua respondente· quid dabis michi vt fruaris concubitu meo· [17] dixit. Mittam tibi hedum de gregibus. Rursumque illa dicente· patiar quod vis· si dederis michi arrabonem donec mittas quod polliceris: [18] ait iudas. Quid tibi vis pro arrabone dari? Respondit. Anulum tuum· et armillam· et baculum quem manu tenes. Ad vnum igitur coitum mulier concepit· [19] et surgens abijt: depositoque habitu quem sumpserat: induta est viduitatis vestibus. [20] Misit autem iudas hedum per pastorem suum odollamiten: vt reciperet pignus quod dederat mulieri. Qui cum non inuenisset eam: [21] interrogauit homines loci illius. Vbi est mulier que sedebat in biuio? Respondentibus cunctis non fuit in loco isto meretrix: [22] reuersus est ad iudam et dixit ei. Non inueni eam. Sed et homines loci illius dixerunt michi: numquam sedisse ibi scortum. [23] Ait iudas. Habeat sibi. Certe mendacij arguere nos non potest. Ego misi hedum quem promiseram. Et tu non inuenisti eam. [24] Ecce autem post tres menses nunciauerunt iude dicentes. Fornicata est thamar nurus tua: et videtur vterus illius intumescere. Dixitque iudas. Producite eam vt comburatur. [25] Que cum duceretur ad penam. Misit ad socerum suum dicens. De viro cuius hec sunt· concepi. Cognosce cuius sit anulus· et armilla et baculus. [26] Qui agnitis muneribus ait. Iustior me est: quia non tradidi eam sela filio meo. Attamen vltra non cognouit eam. [27] Instante autem partu· apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum: in qua obstetrix ligauit coccinum dicens. [28] Iste egredietur prior. [29] Illo vero retrahente manum: egressus est alter. Dixitque mulier. Quare diuisa est propter te maceria? Et obhanccausam vocauit nomen eius phares. [30] Postea egressus est frater eius· in cuius manu erat coccinum: quem appellauit zaram.

39 Igitur ioseph ductus est in egiptum: emitque eum phutifar eunuchus pharaonis· princeps exercitus perductus egiptius de manu ysmahelitarum: a quibus erat. [2] Fuitque dominus cum eo: et erat vir in cunctis prospere agens. Habitauitque in domo domini sui: [3] qui optime nouerat dominum esse cum eo: et omnia que gereret ab eo dirigi in manu illius. [4] Inuenitque ioseph graciam coram domino suo: et ministrabat ei. A quo prepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum: et vniuersa que ei tradita fuerant. [5] Benedixitque dominus domui egiptij propter ioseph: et multiplicauit tam in edibus quam in agris cunctam eius substanciam. [6] Nec quicquam aliud nouerat: nisi panem quo vescebatur. Erat autem ioseph pulcra facie: et decorus aspectu. [7] Post multos itaque dies· iniecit domina oculos suos in ioseph: et ait. Dormi mecum. [8] Qui nequaquam acquiescens operi nephario: dixit ad eam. Ecce dominus meus omnibus michi traditis· ignorat quid habeat in domo sua: [9] nec quicquam est quod non sit in mea potestate· vel non tradiderit michi: preter te que vxor eius es. Quomodo ergo possum hoc malum facere: et peccare in dominum meum? [10] Huiuscemodi verbis per singulos dies loquebatur: et mulier molesta erat adolescenti: et ille recusabat stuprum. [11] Accidit autem quadam die vt intraret ioseph domum· et operis quippiam absque arbitris faceret: [12] et illa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret. Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio· fugit: et egressus est foras. [13] Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis· et se esse contemptam: [14] vocauit ad se homines domus sue: et ait ad eos. En introduxit virum hebreum: vt illuderet nobis. Ingressus est ad me: vt coiret mecum. Cumque ego succlamassem· [15] et audisset vocem meam: reliquit pallium quod tenebam: et fugit foras. [16] In argumentum ergo fidei· retentum pallium ostendit marito reuertenti domum· [17] et ait. Ingressus est ad me seruus hebreus· quem adduxisti: vt illuderet michi. [18] Cumque audisset me clamare: reliquit pallium quod tenebam· et fugit foras. [19] Hijs auditis dominus· et nimium credulus verbis coniugis· iratus est valde: [20] tradiditque ioseph in carcerem vbi vincti regis custodiebantur: et erat ibi clausus. [21] Fuit autem dominus cum ioseph et misertus est illius: et dedit ei graciam in conspectu principis carceris. [22] Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos qui in custodia tenebantur: et quidquid fiebat· sub ipso erat: [23] nec nouerat aliquid· cunctis ei creditis. Dominus enim erat cum illo: et omnia opera eius dirigebat.

40 Hijs itaque gestis: accidit vt· peccarent duo eunuchi· pincerna regis egipti et pistor· domino suo. [2] Iratusque contra eos pharao· nam alter pincernis preerat· alter pistoribus: [3] misit eos in carcerem principis militum· in quo erat vinctus et ioseph. [4] At custos carceris tradidit eos ioseph: qui et ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat: et illi in custodia tenebantur. [5] Videruntque ambo somnium nocte vna: iuxta interpretationem congruam sibi. [6] Ad quos cum introisset ioseph mane et vidisset eos tristes: [7] sciscitatus est dicens. Cur tristior est hodie solito facies vestra? [8] Qui responderunt. Somnium vidimus: et non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos ioseph. Numquid non dei est interpretatio? Referte michi quid videritis. [9] Narrauit prior prepositus pincernarum· somnium suum. Videbam coram me vitem [10] in qua erant tres propagines crescere paulatim in gemmas: et post flores vuas maturescere: [11] calicemque pharaonis in manu mea. Tuli ergo vuas et expressi in calicem quem tenebam: et tradidi poculum pharaoni. [12] Respondit ioseph. Hec est interpretacio somnij. Tres propagines· tres adhuc dies sunt· [13] post quos recordabitur pharao ministerij tui· et restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem iuxta officium tuum: sicut ante facere consueueras. [14] Tantum memento mei cum tibi bene fuerit: et facies mecum misericordiam vt suggeras pharaoni vt educat me de isto carcere [15] quia furtim sublatus sum de terra hebreorum: et hic innocens in lacum missus sum. [16] Videns pistorum magister· quod prudenter somnium dissoluisset· ait. Et ego vidi somnium· quod tria canistra farine haberem super caput meum: [17] et in vno canistro quod erat excelsius· portare me putabam omnes cibos qui fiunt arte pistoria: auesque comedere ex eo. [18] Respondit ioseph. Hec est interpretacio somnij. Tria canistra· tres adhuc dies sunt [19] post quos auferet pharao caput tuum: ac te in cruce: et lacerabunt volucres carnes tuas. [20] Exinde dies tercius natalicius pharaonis erat. Qui faciens grande conuiuium pueris suis recordatus est inter epulas magistri pincernarum· et pistorum principis: [21] restituitque alterum in locum suum· vt porrigeret ei poculum· [22] alterum suspendit in patibulo: vt coniectoris veritas probaretur. [23] Et tamen succedentibus prosperis: prepositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

41 Post duos annos vidit· pharao somnium. Putabat se stare super fluuium: [2] de quo ascendebant septem boues pulcre et crasse nimis: et pascebantur in locis palustribus. [3] Alie quoque septem emergebant de flumine fede confecteque macie: et pascebantur in ipsa amnis ripa: in locis vberrimis virentibus: [4] deuoraueruntque eas quarum mira species· et habitudo corporum erat. Expergefactus pharao [5] rursum dormiuit: et vidit alterum somnium. Septem spice pullulabant in culmo vno· plene atque formose: [6] alie quoque totidem spice tenues· et percusse vredine oriebantur: [7] deuorantes omnem priorum pulcritudinem. Euigilans pharao post quietem [8] et facto mane pauore perterritus misit ad omnes coniectores egipti· cunctosque sapientes: et accersitis narrauit somnium: nec erat qui interpretaretur. [9] Tunc demum reminiscens magister pincernarum ait. Confiteor peccatum meum. [10] Iratus rex seruis suis· me et magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum: [11] vbi vna nocte vterque vidimus somnium: plagum futurorum. [12] Erat ibi puer hebreus· eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia· [13] audiuimus quidquid postea rei probauit euentus. Ego enim redditus sum officio meo: et ille suspensus est in cruce. [14] Protinus ad regis impium·

eductum de carcere ioseph totonderunt: ac veste mutata obtulerunt ei. 15 Cui ille ait. Vidi somnia· nec est qui edisserat: que audiui te sapientissime conicere. 16 Respondit ioseph. Absque me deus respondebit prospera pharaoni. 17 Narrauit ergo pharao que viderat. Putabam me stare super ripam fluminis: 18 et septem boues de amne conscendere· pulcras nimis et obesis carnibus: que in pastu paludis virecta carpebant. 19 Et ecce has sequebantur alie septem boues intantum deformes et macilente: vt numquam tales in terra egipti viderim. 20 Qui deuoratis et consumptis prioribus· 21 nullum saturitatis dedere vestigium: sed simili macie et squalore torpebant. Euigilans· rursus sopore depressus 22 vidi somnium. Septem spice pullulabant in culmo vno· plene atque pulcerrime. 23 Alie quoque septem tenues et percusse vredine· oriebantur e stipula: 24 que priorum pulcritudinem deuorauerunt. Narraui coniectoribus somnium: et nemo est qui edisserat. 25 Respondit ioseph. Somnium regis· vnum est. Que facturus est deus ostendit pharaoni. 26 Septem boues pulcre· et septem spice plene· septem vbertatis anni sunt: eandemque vim somnij comprehendunt. 27 Septem quoque boues tenues atque macilente que ascenderunt post eas· et septem spice tenues· et vento vrente percusse· septem anni venture sunt famis: 28 qui hoc ordine complebuntur. 29 Ecce septem anni venient fertilitatis magne in vniuersa terra egipti: 30 quos sequentur septem anni alij tante sterilitatis: vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia. Consumptura est enim fames omnem terram: 31 et vbertatis magnitudinem perditura est inopie magnitudo. 32 Quod autem vidisti secundo· ad eandem rem pertinens somnium· firmitatis indicium est: eo quod fiat sermo dei· et velocius impleatur. 33 Nunc ergo prouideat rex virum sapientem et industrium et preficiat eum terre egipti: 34 qui constituat prepositos per cunctas regiones· et quintam partem fructuum· per septem annos fertilitatis 35 qui iam nunc futuri sunt· congreget in horrea: et omne frumentum sub pharaonis potestate condatur: serueturque in vrbibus· 36 et preparetur future septem annorum fami· que oppressura est egiptum: et non consumetur terra inopia. 37 Placuit pharaoni consilium: et cunctis ministris eius. 38 Locutusque est ad eos. Num inuenire potimus talem virum qui spiritu dei plenus sit? 39 Dixit ergo ad ioseph. Quia ostendit tibi deus omnia que locutus es· numquid sapientiorem et consimilem tui inuenire potero? 40 Tu eris super domum meam: et ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Vno tantum regni solio precedam te. 41 Dixitque rursum pharao ad ioseph. Ecce constitui te super vniuersam terram egipti. 42 Tulitque anulum de manu sua et dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stolam bissinam: et collo torquem auream circumposuit. 43 Fecitque eum ascendere super currum suum secundo clamante precone: vt omnes coram eo genu flecterent: et prepositum esse scirent vniuerse terre egipti. 44 Dixit quoque rex egipti ad ioseph. Ego sum pharao. Absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra egipti. 45 Vertitque nomen illius: et vocauit eum lingua egiptiaca· saluatorem mundi. Deditque illi vxorem: assenech filiam phutifaris sacerdotis eliopoleos. Egressus est itaque ioseph ad terram egipti. 46 Triginta annorum erat· quando stetit in conspectu regis pharaonis· et circuiuit omnes regiones egipti. 47 Venitque fertilitas septem annorum: et in manipulos redacte segetes congregate sunt in horrea egipti. 48 Omnis eciam frugum abundantia· in singulis vrbibus condita est. 49 Tantaque fuit abundantia tritici· vt arene maris coequaretur: et copia mensuram excederet. 50 Natique sunt ioseph filij duo antequam veniret fames: quos peperit ei assenech· filia phutifaris sacerdotis eliopoleos. 51 Vocauitque nomen primogeniti manasses· dicens. Obliuisci me fecit deus omnium laborum meorum: et domus patris mei. 52 Nomen quoque secundi appellauit effraim dicens. Crescere me fecit deus in terra paupertatis mee. 53 Igitur transactis septem vbertatis annis qui fuerant in egipto: 54 ceperunt venire septem anni inopie· quos predixerat ioseph: et in vniuerso orbe fames preualuit. In cuncta eciam terra egipti· fames erat. 55 Qua esuriente: clamauit populus ad pharaonem· alimenta petens. Quibus ille respondit. Ite ad ioseph: et quidquid ipse vobis dixerit facite. 56 Crescebat autem cotidie fames in omni terra: aperuitque ioseph vniuersa horrea: et vendebat egiptijs. Nam et illos oppresserat fames. 57 Omnesque prouincie veniebant in egiptum· vt emerent escas: et malum inopie temperarent.

42 Audiens autem iacob quod alimenta venderentur in egipto: dixit filijs suis. Quare negligitis? 2 Audiui quod triticum venundetur in egipto. Descendite· et emite nobis necessaria· vt possimus viuere: et non consumamur inopia. 3 Descendentes igitur fratres ioseph decem· vt emerent frumenta in egipto· 4 beniamin domi· retento a iacob: qui dixerat fratribus eius ne forte in itinere quicquam patiatur mali: 5 ingressi sunt terram egipti: cum alijs qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra chanaan: 6 et ioseph erat princeps in terra egipti: atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui· 7 et agnouisset eos: quasi ad alienos durius loquebatur· interrogans eos. Vnde venistis? Qui responderunt· de terra chanaan: vt emamus victui necessaria. 8 Et tamen fratres ipse cognoscens: non est cognitus ab eis. 9 Recordatusque somniorum que aliquando viderat: ait ad eos. Exploratores estis: vt videatis infirmiora terre venistis. 10 Qui dixerunt. Non est ita domine: sed serui tui venerunt vt emerent cibos. 11 Omnes filij vnius viri sumus. Pacifici venimus: nec quicquam famuli tui machinantur mali. 12 Quibus ille respondit. Aliter est. Immunita terre huius considerare venistis. 13 At illi dixerunt. Duodecim inquiunt fratres serui tui sumus: filij viri vnius in terra chanaan. Minimus cum patre nostro est: alius non est super. 14 Hoc est ait quod locutus sum. Exploratores estis. 15 Iam nunc experimentum vestri capiam. Per salutem pharaonis non egrediemini hinc: donec veniat frater vester minimus. 16 Mittite ex vobis vnum et adducat eum: vos autem eritis in vinculis· donec probentur que dixistis: verum vera an falsa sint. Alioquin per salutem pharaonis. exploratores estis. 17 Tradidit ergo illos custodie· tribus diebus. 18 Die autem tercio eductis de carcere ait. Facite que dixi· et viuetis. Deum enim timeo. 19 Si pacifici estis· frater vester vnus ligetur in carcere: vos autem abite· et ferte frumenta que emistis in domos vestras· 20 et fratrem vestrum minimum ad me adducite: vt possim vestros probare sermones· et non moriamini. Fecerunt vt dixerat: 21 et locuti sunt ad inuicem. Merito hec patimur· quia peccauimus in fratrem nostrum· videntes angustias anime illius dum deprecaretur nos· et non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. 22 Equibus vnus ruben ait. Numquid non dixi vobis· nolite peccare in puerum: et non audistis me? En sanguis eius exquiritur. 23 Nesciebant enim quod intelligeret ioseph: eo quod per interpretem loqueretur ad eos. 24 Auertitque se parumper· et fleuit: et reuersus locutus est ad eos: 25 tollensque simeonem· et ligans illis presentibus. Iussitque ministris vt implerent saccos eorum tritico: et reponerent pecunias singulorum in sacculis suis· datis supra cibarijs in via. Qui fecerunt ita. 26 At illi portantes frumenta in asinis suis profecti sunt. 27 Apertoque vnus sacco· vt daret iumento pabulum in diuersorio· contemplatus pecuniam in ore sacculi: 28 dixit fratribus suis. Reddita est michi pecunia. En habetur in sacco. Et obstupefacti turbatique· mutuo dixerunt. Quid nam est hoc quod fecit nobis deus? 29 Veneruntque ad iacob patrem suum in terra chanaan: et narrauerunt ei omnia que accidissent sibi dicentes. 30 Locutus est nobis dominus terre dure: et putauit nos exploratores esse prouincie. 31 Cui respondimus. Pacifici sumus: nec vllas molimur insidias. 32 Duodecim fratres vno patre geniti sumus: vnus non est super: minimus cum patre nostro est in terra chanaan. 33 Qui ait nobis. Sic probabo quod pacifici sitis. Fratrem vestrum vnum dimittite apud me: et cibaria domibus vestris necessaria sumite· et abite. 34 Fratremque vestrum minimum adducite ad me· vt sciam quod non sitis exploratores nouiueret: Et respondi bis. Sic probabo quod pacifici sitis. Frann mus ei consequentur: vestrum vnum dimittite apud me: et ciba sciscitatus. Aunquid ria domibus vestris necessaria sumite· et res: et istum qui tenetur in vinculis recipere istum qui tenetur in vinculis recipere possitis: ac deinceps que vultis emendi habeatis licenciam. 35 Hijs dictis· cum frumenta effunderent· singuli reperunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritisque simul omnibus· 36 dixit pater iacob. Absque liberis me esse fecistis. Ioseph non est super: simeon tenetur in vinculis· et beniamin auferetis. In me hec omnia mala reciderunt. 37 Cui respondit ruben. Duos filios meos interfice: si non reduxero illum tibi. Trade

illum in manu mea: et ego eum tibi restituam. [38] At ille: non descendet inquit filius meus vobiscum. Frater eius mortuus est: et ipse solus remansit. Si quid ei aduersitatis acciderit in terra ad quam pergitis: deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

43 Interim fames omnem terram vehementer premebat: [2] consumptisque cibis quos ex egipto detulerant dixit iacob ad filios suos. Reuertimini: et emite nobis pauxillum escarum. [3] Respondit iudas. Denunciauit nobis vir ille sub attestatione iurisiurandi· dicens. Non videbitis faciem meam: nisi fratrem vestrum minimum adduxitis vobiscum. [4] Si ergo vis eum mittere nobiscum pergemus pariter et ememus tibi necessaria: [5] si autem non vis: non ibimus. Vir enim vt sepe diximus· denunciauit nobis dicens. Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. [6] Dixit eis israhel. In meam hoc fecistis miseriam: vt indicaretis ei et alium habere vos fratrem. [7] At illi responderunt. Interrogauit nos per ordinem nostram progeniem: si pater homo viueret: si haberemus fratrem. Et nos respondimus ei consequenter: iuxta id quod fuerat sciscitatus. Numquid scire poteramus quod dicturus esset: adducite fratrem vestrum vobiscum. [8] Iudas quoque dixit esset: dixit patri Mitte suo. Mitte vere: ne moriamur nos et paruuli nostri. [9] Ego suscipio puerum: de manu mea requare illum. Nisi reduxero et reddidero tibi: ero peccati reus in te omni tempore. [10] Si non intercessisset dilacio: iam vice altera venissemus. [11] Igitur israhel pater eorum dixit ad eos. sic eum Si sic necesse est· facite quod vultis. Sumite de optimis terre fructibus in vasis vestris et deferte viro munera: modicum resine et mellis· et storacis et stactes· et therebinti· et amigdalarum. [12] Pecuniamque duplicem ferte vobiscum: et illam quam inuenistis in sacculis reportate: ne forte errore factum sit. [13] Sed et fratrem vestrum tollite: et ite ad virum. [14] Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem: et remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet in vinculis: et hunc beniamin. Ego autem quasi orbatus. absque liberis ero. [15] Tulerunt ergo viri munera et pecuniam duplicem et beniamin: descenderuntque in egiptum: et steterunt coram ioseph. [16] Quos cum ille vidisset et beniamin simul· precepit dispensatori domus sue dicens. Introduc viros domum: et occide victimas· et instrue conuiuium: quoniam hodie mecum sunt comesturi in meridie. [17] Fecit ille quod sibi fuerat imperatum: et introduxit viros domum. [18] Ipsique exterriti dixerunt mutuo. Propter pecuniam quam retulimus prius in saccis nostris· introducti sumus: vt deuoluat in nos calumniam· et violenter subiciat seruituti: et nos et asinos nostros. [19] Quamobrem· in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem· [20] locuti sunt. Oramus domine vt audias nos. Iam ante descendimus· vt emeremus escas: [21] quibus emptis· cum venissemus ad diuersorium· aperuimus saccos nostros· et inuenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportauimus. [22] Sed et exceceret. Biberuntque: et inebriati aliud attulimus argentum: vt emamus que nobis necessaria sunt. Non est in nostra consciencia: quis posuit eam in marsupijs nostris. [23] At ille respondit. Pax vobiscum: nolite timere. Deus vester et deus patris vestri· dedit vobis thesauros in saccis vestris. Nam pecuniam quam dedistis michi: probatam ego habeo. Eduxitque ad eos simeon. [24] Et introductis domum attulit aquam: et lauerunt pedes suos: deditque pabulum asinis eorum. [25] Illi vero parabant munera: donec ingrederetur ioseph meridie. Audierant enim quod ibi comesturi essent panem. [26] Igitur ingressus est ioseph domum suam: obtuleruntque ei munera· tenentes in manibus suis: et adorauerunt proni in terram. [27] At ille clementer resalutatis eis: interrogauit eos dicens. Sanusne est pater vester senex: de quo dixeratis michi? Adhuc viuit? [28] Qui responderunt. Sospes est· seruus tuus pater noster. Adhuc viuit. Et incuruati adorauerunt eum. [29] Attollens autem ioseph oculos: vidit beniamin fratrem suum vterinum· et ait. Iste est frater vester paruulus: de quo dixeratis michi? Et rursum. Deus inquit misereatur tui fili mi. [30] Festinauitque in domum· quia commota fuerant viscera eius super fratre suo: et erumpebant lacrime: et introiens cubiculum fleuit. [31] Rursumque lota facie egressus· continuit se: et ait. Ponite panes. [32] Quibus appositis· seorsum ioseph· et seorsum fratribus· egiptijs quoque qui vescebantur simul seorsum: illicitum est enim egiptijs comedere cum hebreis. et prophanum putant huiuscemodi conuiuium: [33] sederunt coram eo· primogenitus iuxta primogenita sua· et minimus iuxta etatem suam. Et mirabantur nimis: [34] sumptis partibus quas ab eo acceperant. Maiorque pars venit beniamin: ita vt quinque partibus excederet. Biberuntque: et inebriati sunt cum eo.

44 Precepit autem ioseph dispensatori domus sue· dicens. Imple saccos eorum frumento quantum possunt capere: et pone pecuniam singulorum in summitate sacci. [2] Ciphum autem meum argenteum· et precium quod dedit tritici: pone in ore sacci iunioris. Factumque est ita. [3] Et orto mane· dimissi sunt cum asinis suis. [4] Iamque vrbem exierant: et processerant paululum. Tunc ioseph accersito dispensatore domus ait. Surge inquit et persequere viros: et apprehensis dicito. Quare reddidistis malum pro bono? [5] Ciphus quem furati estis: ipse est in quo bibit dominus meus et in auguriari solet. Pessimam rem fecistis. [6] Fecit ille vt iusserat: et apprehensis per ordinem locutus est. [7] Qui responderunt. Quare sic loquitur dominus noster: vt serui tui tantum flagicij commiserint? [8] Pecuniam quam inuenimus in summitate saccorum· reportauimus ad te de terra chanaan. Et quomodo consequens est· vt furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? [9] Apud quemcumque fuerit inuentum seruorum tuorum quod queris moriatur: et nos erimus serui domini nostri. [10] Qui dixit eis. Fiat iuxta vestram sentenciam. Apud quemcumque fuit inuentum· ipse sit seruus meus: vos autem eritis innoxij. [11] Itaque festinato deponentes in terram saccos: aperuerunt singuli. [12] Quos scrutatus· incipiens a maiore vsque ad minimum: inuenit ciphum in sacco beniamin. [13] At illi scissis vestibus. oneratisque rursum asinis· reuersi sunt in opidum: [14] primusque iudas cum fratribus· ingressus est ad ioseph. Necdum enim de loco abierat. Omnesque ante eum pariter in terram corruerunt. [15] Quibus ille ait. Cur sic agere voluistis? An ignoratis quod non sit similis mei in auguriandi scientia? [16] Cui iudas. Quid respondebimus inquit domino meo· vel quid loquimur: aut iuste poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum. En omnes serui sumus domini mei: et nos et apud quem inuentus est ciphus. [17] Respondit ioseph. Absit a me: vt sic agam. Qui furatus est ciphum ipse sit seruus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum. [18] Accedens autem propius iudas· confidenter ait. Oro domine audi me: vt loquatur seruus tuus verbum in auribus tuis: et ne irascaris famulo tuo. Tu es enim post pharaonem [19] dominus meus. Interrogasti prius seruos tuos habetis patrem aut fratrem: [20] et nos respondimus tibi domino meo. Est nobis pater senex: et puer paruulus qui in senectute illius natus est· cuius vterinus frater est mortuus: et ipsum solum habet mater sua: pater vero tenere diligit eum. [21] Dixistique seruis tuis. Adducite eum ad me: et ponam oculos meos super illum. [22] Suggessimus tibi domino meo: non potest puer relinquere patrem suum. Si enim illum dimiserit morietur. [23] Et dixisti seruis tuis. Nisi venerit frater vester minimus vobiscum: non videbitis amplius faciem meam. [24] Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum: narrauimus ei omnia que locutus est dominus meus. [25] Et dixit pater noster. Reuertimini: et emite nobis parum tritici. [26] Cui diximus. Non possumus ire. Si frater noster minimus descenderit nobiscum· proficiscemur simul: alioquin illo absente· non audemus videre faciem viri. [27] At ille respondit. Vos scitis quod duos filios genuerit michi vxor mea. [28] Egressus est vnus et dixistis bestia deuorauit eum: et hucusque non comparet. [29] Si tuleritis et istum et aliquid ei in via contigerit: deducetis canos meos cum merore ad inferos. [30] Igitur si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum et puer defuerit: cum anima illius ex huius anima dependeat· [31] videritque eum non esse nobiscum· morietur: et deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos. [32] Ego proprie seruus tuus sim: qui in meam hunc recepi fidem· et spopondi dicens. Nisi reduxero eum: peccati reus ero in patrem meum omni tempore. [33] Manebo itaque seruus tuus pro puero in ministerio domini mei: et puer ascendat cum fratribus suis. [34] Non enim possum redire ad patrem absente puero: ne calamitatis que oppressura est patrem meum· testis assistam.

45 Non se poterat vltra cohibere ioseph· multis coram astantibus: vnde precepit vt egrederentur cuncti foras: et nullus interesset alienus agnitioni mutue. 2 Eleuauitque vocem cum fletu: quam audierunt egiptij omnisque domus pharaonis: 3 et dixit fratribus suis. Ego sum ioseph. Adhuc pater meus viuit? Non poterant respondere fratres: nimio terrore perterriti. 4 Ad quos ille clementer: accedite inquit ad me. Et cum appropinquassent prope: ego sum ait ioseph frater vester: quem vendidistis in egiptum. 5 Nolite pauere: neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in hijs regionibus. Pro salute enim vestra misit me deus ante vos in egiptum. 6 Biennium est enim quod cepit fames esse in terra: et adhuc quinque anni restant· quibus nec arari poterit nec meti. 7 Premisitque me deus vt reseruemini super terram: et escas ad viuendum habere possitis. 8 Non vestro consilio sed dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem pharaonis· et dominum vniuerse domus eius: ac principem in omni terra egipti. 9 Festinate et ascendite ad patrem meum: et dicetis ei. Hec mandat filius tuus ioseph. Deus fecit me dominum vniuerse terre egipti. Descende ad me ne moreris: 10 et habitabis in terra iessen. Erisque iuxta me· tu et filij tui· et filij filiorum tuorum: oues tue· et armenta tua· et vniuersa que possides: 11 ibique te pascam. Adhuc enim quinque anni residui sunt famis: ne et tu pereas· et omnis domus tua: et omnia que possides. 12 En oculi vestri· et oculi fratris mei beniamin vident: quod os meum loquatur ad vos. 13 Nunciate patri meo vniuersam gloriam meam: et cuncta que vidistis in egipto. Festinate: et adducite eum ad me. 14 Cumque amplexatus recidisset in collum beniamin fratris sui fleuit: illo quoque similiter flente similiter super collum eius. 15 Osculatusque est ioseph omnes fratres suos: et plorauit super singulos. Post que: ausi sunt loqui ad eum. 16 Auditumque est et celebri sermone vulgatum in aula regis: venerunt fratres ioseph. Et gauisus est pharao: atque omnis familia eius. 17 Dixitque ad ioseph: vt imperaret fratribus suis dicens. Onerantes iumenta ite in terram chanaan· 18 et tollite inde patrem vestrum et cognacionem· et venite ad me: et ego dabo vobis omnia bona egipti· vt comedatis medullam terre. 19 Precipe eciam vt tollant plaustra de terra egipti: ad subuectionem paruulorum suorum ac coniugum. Et dicito. Tollite patrem vestrum· et properate quantocius venientes: 20 nec dimittatis quoque de suplectili vestre: quia omnes opes egipti erunt. 21 Feceruntque filij israhel: vt eis mandatum fuerat. Quibus dedit ioseph plaustra· secundum pharaonis imperium: et cibaria in itinere. 22 Singulis quoque proferri iussit binas stolas: beniamin vero dedit· trecentos argenteos· cum quinque stolis optimis: 23 tantundem pecunie et vestium mittens patri suo: addens eis asinos decem· qui subueherent ex omnibus diuitijs egipti: et totidem asinas triticum in itinere· panesque portantes. 24 Dimisit ergo fratres suos: et proficiscentibus ait. Ne irascamini in via. 25 Qui ascendentes ex egipto· venerunt in terram chanaan ad patrem suum iacob: 26 et nunciauerunt ei dicentes. Ioseph filius tuus viuit: et ipse dominatur in omni terra egipti. Quo audito iacob· quasi de graui somno euigilans· tamen non credebat eis: 27 illi econtra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra et vniuersa que miserat: reuixit spiritus eius· 28 et ait. Sufficit michi si adhuc ioseph filius meus viuit: vadam et videbo illum antequam moriar.

46 Profectusque israhel cum omnibus que habebat· venit ad puteum iuramenti: et mactatis ibi victimis deo patris sui ysaac· 2 audiuit eum per visionem nocte vocantem se: et dicentem sibi. Iacob iacob. Cui respondit. Ecce assum. 3 Ait illi deus. Ego sum fortissimus deus patris tui. Noli timere: sed descende in egiptum: quia in gentem magnam faciam te ibi. 4 Ego descendam tecum illuc: et ego inde adducam te reuertentem. Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. 5 Surrexit iacob mane a puteo iuramenti: tuleruntque eum filij cum paruulis et vxoribus suis· in plaustris que miserat pharao ad portandum senem: 6 et omnia que possiderat in terra chanaan. Venitque in egiptum cum omni semine suo: 7 filij eius et nepotes: filie et cuncta simul progenies. 8 Hec sunt autem nomina filiorum israhel· qui ingressi sunt in egiptum: ipse cum liberis suis. Primogenitus ruben. 9 Filij ruben: enoch et phallu· et esrom et charmi. 10 Filij simeon: iamuhel· et iamin· et ahod· et iachin· et saber· et saul filius chananitidis. 11 Filij leui: gerson· et caath· et merari. 12 Filij iuda: her· et onan· et sela· et phares· et zara. Mortui sunt autem her et onan in terra chanaan. Natique sunt filij phares: esrom et amul. 13 Filij ysachar: thola et phua· et iobab· et semron. 14 Filij zabulon: sareth· et chelon· et ioalel. 15 Hij filij lye· quos genuit in mesopothamia syrie: cum dina filia sua. Omnes anime filiorum eius et filiarum trigintatres. 16 Filij gad: sephon· et aggi· et suphi· et esebon· et suni· et beri· et arodi et areli. 17 Filij aser: ienma· et iesua· et iesui· et beria· sara quoque soror eorum. Filij beria: heber et melchiel. 18 Hij filij zelphe· quam dedit laban lye filie sue: et hos genuit iacob· sedecim animas. 19 Filij rachel vxoris iacob: ioseph et beniamin. 20 Natique sunt ioseph filij in terra egipti: quos genuit ei assenech filia phutifaris sacerdotis eliopoleos· manasses· et effraim. 21 Filij beniamin: hela· et bechor· et asbel· et gera· et naaman· et iechri· et rus rus et ofim· menfon ared. Hij filij rachel menson et ofim· et ared. 22 Hij filij rachel quos genuit iacob: omnes anime quatuordecim. 23 Filij dan: vsan. 24 Filij neptalim: iasiel· et guni· et ieser· et salem. 25 Hij filij bale· quam dedit laban racheli filie sue: et hos genuit iacob: omnes anime septem. 26 Cuncteque anime que ingresse sunt cum iacob in egiptum: et egresse sunt de femore illius· absque vxoribus filiorum eius: sexagintasex. 27 Filij autem ioseph· qui nati sunt ei in terra egipti: anime due. Omnes anime domus iacob· que ingresse sunt in egiptum: fuere septuaginta. 28 Misit autem iacob iudam ante se ad ioseph in egiptum· vt nunciaret ei: et ille occurreret in iessen. 29 Quo cum peruenisset iuncto ioseph curru curru suo· ascendit obuiam patri ad eumdem locum: videnque eum· irruit super collum eius: et inter amplexus fleuit. 30 Dixitque pater ad ioseph. Iam letus moriar quia vidi faciem tuam: et superstitem te relinquo. 31 Et ille locutus est ad fratres suos: et ad omnem domum patris sui. Ascendam et nunciabo pharaoni: dicamque ei. Fratres mei et domus patris mei qui erant in terra chanaan· venerunt ad me: 32 et sunt viri pastores ouium: curamque habent alendorum gregum. Pecora sua· et armenta et omnia que habere potuerunt· adduxerunt secum. 33 Cumque vocauit vos· et dixit· quod est opus vestrum: 34 respondebitis. Viri pastores sumus serui tui· ab infantia nostra vsque in presens: et nos et patres nostri. Hec autem dicetis· vt habitare possitis in terra iessen: quia detestantur egiptij omnes pastores ouium.

47 Ingressus ergo ioseph: nunciauit pharaoni dicens. Pater meus et fratres· oues eorum et armenta· et cuncta que possident· venerunt de terra chanaan: et ecce consistunt in terra iessen. 2 Extremos quoque fratrum suorum quinque viros· constituit coram rege. 3 Quos ille interrogauit. Quid habetis operis? Responderunt. Pastores ouium sumus serui tui: et nos et patres nostri. 4 Ad peregrinandum in terram tuam venimus: quoniam non est herba gregibus seruorum tuorum· ingrauescente fame in terra chanaan. Petimusque vt esse nos iubeas seruos tuos in terra iessen. 5 Dixit itaque rex ad ioseph. Pater tuus et fratres tui venerunt ad te. 6 Terra egipti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare: et trade eis terram iessen. Quod si nosti in eis esse viros industrios: constitue illos magistros pecorum meorum. 7 Post hec introduxit ioseph patrem suum ad regem: et statuit eum coram eo. Qui benedicens illi: 8 et interrogatus ab eo· quot sunt dies annorum vite tue: 9 respondit. Dies peregrinationis vite mee centumtriginta annorum sunt· parui et mali: et non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt. 10 Et benedicto rege· egressus est foras. 11 Ioseph vero patri et fratribus suis dedit possessionem in egipto in optimo terre solo ramasses· vt preceperat pharao: 12 et alebat eos· omnemque domum patris sui· prebens cibaria singulis. 13 In toto enim orbe panis deerat: et oppresserat fames terram: maxime egipti et chanaan. 14 Equibus omnem pecuniam congregauit pro vendicione frumenti: et intulit eam in erarium regis. 15 Cumque defecisset emptoribus precium: venit cuncta egiptus ad ioseph dicens. Da nobis panes. Quare morimur coram te· deficiente pecunia? 16 Quibus ille respondit. Adducite pecora vestra: et dabo vobis pro eis cibos· si precium non habetis. 17 Que cum adduxissent dedit eis alimenta pro equis et ouibus et bobus et asinis: sustentauitque eos illo anno pro commutacione pecorum. 18 Venerunt quoque anno secundo: et dixerunt ei. Non celamus domino nostro quod deficiente pecunia· pecora defecerunt:

simul nec clam te est: quod absque liberis liberis corporibus et terra nichil habemus. 19 Cur ergo moriemur te vidente? Et nos terra nostra tui erimus. Eme nos in seruitutem regiam· et prebe semina: ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. 20 Emit igitur ioseph omnem terram egipti: vendentibus singulis possessiones suas pre magnitudine famis. Subiecitque eam pharaoni· 21 et cunctos populos eius a nouissimis terminis egipti vsque ad extremos fines eius 22 preter terram sacerdotum que a rege tradita fuerat eis: quibus et statuta cibaria ex horreis publicis prebebantur: et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. 23 Dixit ergo ioseph ad populos. En vt cernitis et vos et terram vestram pharao possidet. Accipite semina et serite agros: 24 vt fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem· et in cibum familijs et liberis vestris. 25 Qui responderunt. Salus nostra in manu tua est. Respiciat nos tantum dominus noster: et leti seruiemus regi. 26 Ex eo tempore vsque in presentem diem in vniuersa terra egipti regibus quinta pars soluitur: et factum est quasi in legem· absque terra sacerdotali: que libera ab hac condicione fuit. 27 Habitauit ergo israhel in egipto· id est in terra iessen et possedit eam: auctusque est et multiplicatus nimis: 28 et vixit in ea decem et septem annis. Factique sunt omnes dies vite illius centumquadragintaseptem annorum. 29 Cumque appropinquare cerneret diem mortis eius· vocauit filium suum ioseph: et dixit ad eum. Si inueni graciam in conspectu tuo· pone manum tuam sub femore meo· et facies michi misericordiam et veritatem: vt non sepelias me in egipto· 30 sed dormiam cum patribus meis: et auferas me de terra hac· condasque me in sepulcro maiorum. Cui respondit ioseph. Ego faciam quod iussisti. 31 Et ille: iura ergo inquit michi. Quo iurante: adorauit israhel dominum· conuersus ad lectuli caput.

48 Hijs itaque transactis nunciatum est ioseph: quod egrotaret pater suus. Qui assumptis duobus filijs manasse et effraim: ire perrexit. 2 Dictumque est seni. Ecce filius tuus ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. 3 Et ingresso ad se ioseph ait. Deus omnipotens apparuit michi in luza· que est in terra chanaan: benedixitque michi· 4 et ait. Ego te augebo et multiplicabo: et faciam te in turbas populorum. Daboque tibi terram hanc· et semini tuo post te: in possessionem sempiternam. 5 Duo ergo filij tui qui nati sunt tibi in terra egipti· antequam huc venirem ad te mei erunt effraim et manasses: sicut simeon et ruben reputabuntur michi. 6 Reliquos autem quos genueris post eos tui erunt: et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. 7 Michi enim quando veniebam de mesopothamia· mortua est rachel in terra chanaan: in ipso itinere. Eratque vernum tempus. Et ingrediebatur effratam· et sepeliuit eam iuxta viam effrathe: que alio nomine vocabatur bethleem. 8 Videns autem filios eius· dixit ad eum. Qui sunt isti? 9 Respondit. Filij mei sunt: quos donauit michi dominus in hoc loco. Adduc inquit eos ad me: vt benedicam illis. 10 Oculi enim israhel caligabant pre nimia senectute: et clare videre non poterat. Applicatosque ad se deosculatus· et circumplexus: 11 dixit ad filium suum. Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit michi deus semen tuum. 12 Cumque tulisset eos ioseph de gremio patris· adorauit pronus in terram: 13 et posuit effraim ad dexteram suam id est ad sinistram israhel: manassen vero in siuistra sua ad dexteram scilicet patris: applicuitque ambos ad eum. 14 Qui extendens manum dexteram· posuit super caput effraim minoris fratris: sinistram autem super caput manasse· qui maior natu erat: commutans manus. 15 Benedixitque iacob filios ioseph: et ait. Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei abraham et ysaac: deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in presentem diem: 16 angelus qui eruit me de cunctis malis· benedicat pueris istis: et inuocetur super eos nomen meum· nomina quoque patrum meorum abraham et ysaac: et crescant in multitudine super terram. 17 Videns autem ioseph quod posuisset pater suus dexteram manum super caput effraim: grauiter accepit. Et apprehensam manum patris· leuare conatus est· de capite effraim: et transferre super caput manasse. 18 Dixitque ad patrem. Non ita conuenit pater: quia hic est primogenitus. Pone manum manum dexteram super caput eius. 19 Qui renuens ait. Scio fili mi scio. Et iste quippe erit in populos· et multiplicabitur: sed frater eius minor maior erit illo: et semen illius crescet in gentes. 20 Benedixitque eis in tempore illo dicens. In te benedicetur israhel: atque dicetur. Faciat tibi deus sicut effraim et sicut manasse. Constituitque effraim ante manassen. 21 Et ait ad ioseph filium suum. En ego morior: et erit deus vobiscum: et reducet vos ad terram patrum vestrorum. 22 Do tibi partem vnam extra fratres tuos: quam tuli de manu amorrei in gladio et arcu meo.

49 Vocauit autem iacob filios suos: et ait eis. Congregamini: vt annunciem que ventura sunt vobis in diebus nouissimis. 2 Congregamini et audite filij iacob: audite israhel patrem vestrum. 3 Ruben primogenitus meus. Tu fortitudo mea: et principium doloris mei. Prior in donis: maior in imperio. 4 Effusus es sicut aqua. Non crescas: quia ascendisti cubile patris tui: et maculasti stratum eius. 5 Simeon et leui fratres: vasa iniquitatis bellantia. 6 In consilium eorum non veniat anima mea· et in cetu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum: et in voluntate sua suffoderunt murum. 7 Maledictus furor eorum quia pertinax: et indignacio eorum quia dura. Diuidam eos in iacob: et dispergam eos in israhel. 8 Iuda: te laudabunt fratres tui. Manus tue in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui. 9 Catulus leonis iuda. Ad predam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo: et quasi leena. Quis suscitabit eum? 10 Non auferetur sceptrum de iuda· et dux de femore eius: donec veniat qui mittendus est: et ipse erit expectacio gentium. 11 Ligans ad vineam pullum suum: et ad vitem o fili mi asinam suam. Lauabit in vino stolam suam: et in sanguine vue pallium suum. 12 Pulcriores sunt oculi eius vino· et dentes eius lacte candidiores. 13 Zabulon in litore maris habitabit: et in statione nauium: pertingens vsque ad sydonem. 14 Ysachar asinus fortis: accubans inter terminos. 15 Vidit requiem quod esset bona· et terram quod optima: et supposuit humerum suum ad portandum: factusque est tributis seruiens. 16 Dan iudicabit populum suum: sicut et alia tribus in israhel. 17 Fiat dan coluber in via· cerastes in semita: mordens vngulas equi: vt cadat ascensor eius retro. 18 Salutare tuum expectabo domine. 19 Gad accinctus preliabitur ante eum: et ipse accingetur retrorsum. 20 Aser pinguis panis eius: et prebebit delicias regibus. 21 Neptalim ceruus emissus: et dans eloquia pulcritudinis. 22 Filius accrescens ioseph: filius accrescens et decorus aspectu. Filie discurrerunt super murum: 23 sed exasperauerunt eum· et iurgati sunt: inuideruntque illi habentes iacula. 24 Sedit in forti arcus eius: et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius· per manus potentis iacob. Inde pastor egressus est: lapis israhel. 25 Deus patris tui erit adiutor tuus: et omnipotens benedicet tibi benedictionibus celi desuper· benedictionibus abissi iacentis deorsum: benedictionibus vberum et vulue. 26 Benedictiones patris tui· confortate sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium collium eternorum. Fiant in capite ioseph et in vertice nazarei: inter fratres suos. 27 Beniamin lupus rapax: mane comedet predam: et vespere diuidet spolia. 28 Omnes hij in tribubus israhel duodecim. Hec locutus est eis pater suus: benedixitque singulis benedictionibus proprijs: 29 et precepit eis dicens. Ego congregor ad populum meum. Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici· que est in agro ephron ethei· 30 contra mambre in terra chanaan: quam emit abraham cum agro· ab ephron etheo in possessionem sepulcri. 31 Ibi sepelierunt eum: et saram vxorem eius. Ibi sepultus est ysaac: cum rebecca coniuge sua. lya condita iacet. 32 Finitisque mandatis quibus filios instruebat· collegit pedes suos super lectulum et obijt: appositusque est ad populum suum.

50 Quod cernens ioseph· ruit super faciem patris· flens et deosculans 2 precepitque seruis suis medicis: vt aromatibus condirent patrem. 3 Quibus iussa explentibus: transierunt quadraginta dies. Iste quippe mos erat cadauerum conditorum. Fleuitque eum egiptus septuaginta diebus. 4 Et expleto planctus tempore: locutus est ioseph ad familiam pharaonis. Si inueni graciam in conspectu vestro· loquimini in auribus pharaonis: 5 eo quod pater meus adiurauerit me· dicens. En morior: in sepulcro meo quod fodi michi in terra chanaan· sepelies me. Ascendam igitur et sepeliam patrem meum: ac

reuertar. [6] Dixitque ei pharao. Ascende et sepeli patrem tuum: sicut adiuratus es. [7] Quo ascendente· ierunt cum eo omnes senes domus pharaonis· cunctique maiores natu terre egipti: [8] domus ioseph cum fratribus suis absque paruulis· et gregibus atque armentis: que dereliquerunt in terra iessen. [9] Habuit quoque in comitatu currus et equites et facta est turba non modica: [10] veneruntque ad aream adad· que sita est transiordanem: vbi celebrantes exequias planctu magno· atque vehementi· impleuerunt septem dies. [11] Quod cum vidissent habitatores terre chanaan: dixerunt. Planctus magnus est iste egiptijs. Et idcirco vocatum est nomen loci illius· planctus egipti. [12] Fecerunt ergo filij iacob sicut preceperat eis: [13] et portantes eum in terram chanaan· sepelierunt eum in spelunca duplici: quam emerat abraham cum agro in possessionem sepulcri· ab ephron etheo· contra faciem mambre. [14] Reuersusque est ioseph in egiptum cum fratribus suis et omni comitatu: sepulto patre. [15] Quo mortuo: timentes fratres eius· et mutuo colloquentes· ne forte memor sit iniurie quam passus est· et reddat nobis omne malum quod fecimus: [16] mandauerunt ei. Pater tuus precepit mus: nobis antequam moreretur: [17] vt hec verba tibi diceremus. Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum: et peccati atque malicie quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus: vt seruo dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit ioseph: [18] veneruntque ad eum fratres sui· et proni adorantes in terram dixerunt. Serui tui sumus. [19] Quibus ille respondit. Nolite timere. Num dei possumus resistere voluntati? [20] Vos cogitastis de me malum· sed deus vertit illud in bonum: vt exaltaret me sicut in presentiarum cernitis: et saluos faceret multos populos. [21] Nolite timere. Ego pascam vos: et paruulos vestros. Consolatusque est eos· et blande· et leuiter est locutus: [22] et habitauit in egipto cum omni domo patris sui. Vixitque centumdecem annis· et vidit effraim filios vsque ad terciam generationem. Filij quoque machir filij manasse· nati sunt in genibus ioseph. [23] Quibus transactis: locutus est fratribus suis. Post mortem meam deus visitabit vos: et ascendere vos faciet de terra ista· ad terram quam iurauit abraham· ysaac· et iacob. [24] Cumque adiurasset eos atque dixisset· deus visitabit vos· asportate ossa mea vobiscum de loco isto: [25] mortuus est· expletis centumdecem vite sue annis: et conditus aromatibus· repositus est in loculo in egipto.

Exodus

Incipit liber hellesmoth: quem nos exodi dicimus.

1 Hec Qui maledixerit sunt nomina filiorum israhel: qui ingressi sunt in egiptum cum iacob. Singuli cum domibus suis introierunt. [2] Ruben· simeon· leui· iudas· [3] ysachar· zabulon· et beniamin: [4] dan et neptalim· gad et aser. [5] Erant igitur omnes anime eorum qui egressi sunt de femore iacob· septuaginta. Ioseph autem in egipto erat. [6] Quo mortuo et vniuersis fratribus eius omnique cognatione sua: [7] filij israhel creuerunt· et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis impleuerunt terram. [8] Surrexit interea rex nouus super egiptum: qui ignorabat ioseph. [9] Et ait ad populum suum. Ecce populus filiorum israhel multus· et fortior nobis est. [10] Venite sapienter opprimamus eum· ne forte multiplicetur: et si ingruerit contra nos bellum· addatur inimicis nostris: expugnatisque nobis· egrediatur de terra. [11] Preposuit itaque eis magistros operum: vt affligerent eos oneribus. Edificaueruntque vrbes tabernaculorum pharaoniphiton· et ramasses. [12] Quantoque opprimebant eos: tantomagis multiplicabantur· et crescebant. [13] Oderantque filios israhel egiptij· et affligebant illudentes et inuidentes eis: [14] atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris: omnique famulatu quo in terre operibus premebantur. [15] Dixit autem rex egipti obstetricibus hebreorum: quarum vna vocabatur sephora· altera phua: [16] precipiens eis. Quando obstetricabitis hebreas· et partus tempus aduenerit: si masculus fuerit interficite eum: si femina reseruate. [17] Timuerunt autem obstetrices deum: et non fecerunt iuxta preceptum regis egipti: sed conseruabant mares. [18] Quibus accersitis ad se rex ait. Quid nam est hoc quod facere voluistis: vt pueros seruaretis? [19] Que responderunt. Non sunt hebree sicut egiptie mulieres. Ipse enim obstetricandi habent scientiam: et prius quam veniamus ad eas pariunt. [20] Bene ergo fecit dominus obstetricibus: et creuit populus: confortatusque est nimis. [21] Et quia timuerunt obstetrices deum: edificauit eis domos. [22] Precepit ergo pharao omni populo suo dicens. Quidquid masculini sexus natum fuerit in flumen proicite: quidquid feminini reseruate.

2 Egressus est post hec vir de domo leui et accepit vxorem stirpis sue: [2] que concepit et peperit filium: et videns eum elegantem· abscondit tribus mensibus. [3] Cumque iam celare non posset· sumpsit fiscellam scirpeam· et liniuit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum· et exposuit eum in carecto ripe fluminis: [4] stante procul sorore eius et considerante euentum rei. [5] Ecce autem descendebat filia pharaonis vt lauaretur in flumine: et puelle eius gradiebantur per crepidinem aluei. Que cum vidisset fiscellam in papirione· misit vnam e famulabus suis: et allatam [6] aperiens cernensque in ea paruulum vagientem: miserta eius ait. De infantibus hebreorum est hic. [7] Cui soror pueri: vis inquit vt vadam· et vocem tibi mulierem hebream· que nutrire possit infantulum? [8] Respondit. Vade. Perrexit puella: et vocauit matrem suam. [9] Ad quam locuta filia pharaonis: accipe ait puerum istum· et nutri michi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier et nutriuit puerum: adultumque tradidit filie pharaonis. [10] Quem illa adoptauit in locum filij: vocauitque nomen eius moyses· dicens: quia de aqua tuli eum. [11] In diebus illis postquam creuerat moyses egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum: et virum egiptium percutientem quemdam de hebreis fratribus suis. [12] Cumque conspexisset huc atque illuc· et nullum adesse vidisset: percussum egiptium abscondit sabulo. [13] Et egressus die altero· conspexit duos hebreos rixantes: dixitque ei qui faciebat iniuriam. Quare percutis proximum tuum? [14] Qui respondit. Quis constituit te principem et iudicem super nos? Num occidere me tu vis· sicut heri occidisti egiptium? Timuit moyses et ait. Quomodo palam factum est verbum istud? [15] Audiuitque pharao verbum istud: et querebat occidere moysen. Qui fugiens de conspectu eius· moratus est in terra madian: et sedit iuxta puteum. [16] Erant autem sacerdoti madian septem filie· que venerant ad hauriendam aquam: et impletis canalibus· adaquare cupiebant greges patris sui. [17] Superuenere pastores: et eiecerunt eas. Surrexitque moyses: et defensis puellis adaquauit oues earum. [18] Que cum reuertissent ad ietro patrem suum: dixit ad eas. Cur velocius venistis solito? [19] Dixerunt. Vir egiptius liberauit nos de manu pastorum. Insuper et hausit aquam nobiscum: potumque dedit ouibus. [20] At ille: vbi est inquit? Quare dimisistis homine? vocare eum vt comedat panem. [21] Iurauit ergo moyses quod habitaret cum eo. Accepitque sephoram filiam eius vxorem: [22] que peperit ei filium: quem vocauit gersan· dicens. Aduena fui in terra aliena. Alterum vero peperit: quem vocauit eliezer· dicens. Deus enim patris mei adiutor meus: et eripuit me de manu pharaonis. [23] Post multum vero temporis mortuus est rex egipti. Et ingemiscentes filij israhel propter opera· vociferati sunt. Ascenditque clamor eorum ad deum ab operibus: [24] et audiuit gemitum eorum: ac recordatus est federis quod pepigit cum abraham· ysaac· et iacob. [25] Et respexit dominus filios israhel: et cognouit eos.

3 Moyses autem pascebat oues ietro soceri sui· sacerdotis madian. Cumque minasset gregem ad interiora deserti: venit ad montem dei oreb. 2 Apparuitque ei dominus in flamma ignis de medio rubi: et videbat quod rubus arderet· et non comburentur. 3 Dixit ergo moyses. Vadam et videbo visionem hanc magnam: quare non comburatur rubus. 4 Cernens autem dominus quod pergeret ad videndum: vocauit eum de medio rubi· et ait. Moyses moyses. Qui respondit. Assum. 5 At ille: non appropies inquit huc. Solue calciamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas· terra sancta est. 6 Et ait. Ego sum deus patris tui: deus abraham· et deus ysaac· et deus iacob. Abscondit moyses faciem suam. Non enim audebat aspicere contra deum. 7 Cui ait dominus. Vidi afflictionem populi mei in egipto: et clamorem eius audiui: propter duriciam eorum qui presunt operibus. 8 Et sciens dolorem eius· descendi vt liberem eum de manibus egiptiorum: et educam de terra illa: in terram bonam et spaciosam· in terram que fluit lacte et melle: ad loca chananei· et ethei· et amorrei· et pherezei· et euei· et iebusei. 9 Clamor ergo filiorum israhel venit ad me: vidique afflictionem eorum· qua ab egiptijs opprimuntur. 10 Sed veni et mittam te ad pharaonem: vt educas populum meum filios israhel· de egipto. 11 Dixitque moyses ad deum. Quis sum ego· vt vadam ad pharaonem: et educam filios israhel· de egipto? 12 Qui dixit ei. Ego ero tecum: et hoc habebis signum quod miserim te. Cum eduxeris populum meum de egipto: immolabis deo super montem istum. 13 Ait moyses ad deum. Ecce ego vadam ad filios israhel: et dicam eis. Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint michi quod est nomen eius: quid dicam eis? 14 Dixit dominus ad moysen. Ego sum qui sum. Ait. Sic dices filijs israhel. Qui est: misit me ad vos. 15 Dixitque iterum deus ad moysen· hec dices filijs israhel. Dominus deus patrum vestrorum· deus abraham· et deus ysaac· et deus iacob· misit me ad vos. Hoc nomen michi est in eternum: et hoc memoriale meum in generatione et generationem· 16 wade et congrega seniores israhel: et dices ad eos. Dominus deus patrum vestrorum apparuit michi: deus abraham· et deus ysaac· et deus iacob· dicens. Visitans visitaui vos· et vidi omnia que acciderunt vobis in egipto: 17 et dixi vt educam vos de afflictione egipti· in terram chananei· et ethei· et amorrei· et pherezei· et euei· et iebusei· ad terram fluentem lacte et melle: 18 et audient vocem tuam. Ingredierisque tu· et seniores israhel· ad regem egipti: et dices ad eum. Dominus deus hebreorum vocauit nos. Ibimus viam trium dierum in solitudinem: vt immolemus domino deo nostro. 19 Sed ego scio quod non dimittet vos rex egipti vt eatis: nisi per manum validam. 20 Extendamque manum meam et percutiam egiptum in cunctis mirabilibus meis· que facturus sum in medio eorum: post hoc dimittet vos: 21 daboque gratiam populo huic coram egiptijs. Et cum egredimini· non exibitis vacui: 22 sed postulabit mulier a vicina sua· et ab hospita sua: vasa argentea et aurea· ac vestes· ponetisque eas super filios et filias vestras: et spoliabitis egiptum.

4 Respondens moyses· ait. Non credent michi: neque audient vocem meam: sed dicent· non apparuit tibi dominus. 2 Dixit ergo ad eum. Quid est quod tenes in manu tua? Respondit. Virga. 3 Dixitque dominus. Proice eam in terram. Proiecit: et versa est in colubrum: ita vt fugeret moyses. 4 Dixitque dominus. Extende manum tuam: et apprehende caudam eius. Extendit· et tenuit: versaque est in virgam. 5 Vt credant inquit quod apparuerit tibi deus patrum tuorum: deus abraham· et deus ysaac· et deus iacob. 6 Dixitque dominus rursum. Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum: protulit leprosam ad instar niuis. 7 Retrahe ait manum tuam in sinum tuum. Retraxit· et protulit iterum: et erat similis carni relique. 8 Si non crediderint inquit tibi· neque audierint sermonem signi prioris: credent verbo signi sequentis. 9 Quod si nec duobus quidem hijs signis crediderint· neque audierint vocem tuam: sume aquam fluminis et effunde eam super aridam: et quidquid hauseris de fluuio· vertetur in sanguinem. 10 Ait moyses. Obsecro domine non sum eloquens ab heri et nudiustercius: et exquo locutus es ad seruum tuum: impeditioris et tardioris lingue sum. 11 Dixit dominus ad eum. Quis fecit os hominis· aut quis fabricatus est mutum et surdum· videntem et cecum? Nonne ego? 12 Perge igitur et ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris. 13 At ille: obsecro inquit domine: mitte quem missurus es. 14 Iratus dominus in moysen ait. Aaron frater tuus leuites· scio quod eloquens sit. Ecce ipse egredietur in occursum tuum: videnque te letabitur corde. 15 Loquere ad eum· et pone verba mea in ore eius: et ego ero in ore tuo et in ore illius: et ostendam vobis quid agere debeatis. 16 Et ipse loquetur pro te ad populum· et erit os tuum: tu autem eris ei in hijs que ad deum pertinent. 17 Virgam quoque hanc sume in manu tua: in qua facturus es signa. 18 Abijt moyses: et reuersus est ad ietro socerum suum. Dixitque ei. Vadam et reuertar ad fratres meos in egiptum: vt videam si adhuc viuant. Cui ait ietro. Vade in pace. 19 Dixit ergo dominus ad moysen in madian. Vade et reuertere in egiptum. Mortui enim sunt omnes qui querebant animam tuam. 20 Tulit ergo moyses vxorem suam et filios suos· et imposuit eos super asinum: reuersusque est in egiptum· portans virgam dei in manu sua. 21 Dixitque ei dominus reuertenti in egiptum. Vide: vt omnia ostenta que posui in manu tua facias coram pharaone. Ego indurabo cor eius: et non dimittet populum. 22 Dicesque ad eum. Hec dicit dominus. Filius meus primogenitus israhel. 23 Dixi tibi. Dimitte filium meum vt seruiat michi: et noluisti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. 24 Cumque esset in itinere in diuersorio· occurrit ei dominus: et volebat occidere eum. 25 Tulit illico sephora acutissimam petram: et circumcidit prepucium filij sui. Tetigitque pedes eius· et ait. Sponsus sanguinum tu michi es. 26 Et dimisit eum postquam dixerat· sponsus sanguinum tu michi es: ob circumcisionem. 27 Dixit autem dominus ad aaron. Vade in occursum moysi in desertum. Qui perrexit obuiam ei in montem dei: et osculatus est eum. 28 Narrauitque moyses aaron omnia verba domini: pro quibus miserat eum: et signa que mandauerat. 29 Veneruntque simul et congregauerunt cunctos seniores filiorum israhel: 30 locutusque est aaron omnia verba que dixerat dominus ad moysen: et fecit signa coram populo: 31 et credidit populus. Audieruntque quod visitasset dominus filios israhel· et quod respexisset afflictionem illorum: et proni adorauerunt.

5 Post hec ingressi sunt moyses et aaron: et dixerunt pharaoni. Hec dicit dominus deus israhel. Dimitte populum meum: vt sacrificet michi in deserto. 2 At ille respondit. Quis est dominus· vt audiam vocem eius: et dimittam israhel? Nescio dominum: et israhel non dimittam. 3 Dixeruntque. Deus hebreorum vocauit nos· vt eamus viam trium dierum in solitudinem: et sacrificemus domino deo nostro· ne forte accidat nobis pestis aut gladius. 4 Ait ad eos rex egipti. Quare moyses et aaron sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra. 5 Dixitque pharao. Multus est populus terre. Videtis quod turba succreuerit: quantomagis si dederitis eis requiem ab operibus? 6 Precepit ergo in die illo prefectis operum· et exactoribus populi· dicens. 7 Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres sicut prius: sed ipsi vadant· et colligant stipulas: 8 et mensuram laterum quam prius faciebant· imponetis super eos· nec minuetis quicquam. Vacant enim: et idcirco vociferantur· dicentes. Eamus et sacrificemus deo nostro. 9 Opprimantur operibus· et expleant ea: vt non acquiescant verbis mendacibus. 10 Igitur egressi prefecti operum et exactores· ad populum dixerunt. Sic dicit pharao. Non do vobis paleas. 11 Ite et colligite sicubi inuenire poteritis: nec minuetur quicquam de opere vestro. 12 Dispersusque est populus in omnem terram egipti: ad colligendas paleas. 13 Prefecti quoque operum· instabant dicentes. Complete opus vestrum cotidie: vt prius facere solebatis quando dabantur vobis palee. 14 Flagellatique sunt qui preerant operibus filiorum israhel: ab exactoribus pharaonis dicentibus. Quare non implestis mensuram laterum sicut prius: nec heri nec hodie? 15 Veneruntque prepositi filiorum israhel: et vociferati sunt ad pharaonem dicentes. Cur ita agis contra seruos tuos? 16 Palee non dantur nobis: et lateres similiter imperantur. En famuli tui flagellis cedimur: et iniuste agitur contra populum tuum. 17 Qui ait. Vacatis ocio: et idcirco dicitis. Eamus et sacrificemus domino. 18 Ite ergo et operamini. Palee non dabuntur vobis: et reddetis consuetum numerum laterum. 19 Videbantque se prepositi filiorum israhel in malum: eo quod diceretur eis non minuetur quicquam operis de lateribus per singulos dies. 20 Occurreruntque moysi et aaron qui stabant

exaduerso· egredientes a pharaone: [21] et dixerunt ad eos. Videat dominus et iudicet: quoniam fetere fecistis odorem nostrum coram pharaone seruis et prebuistis ei: gladium vt occideret nos. [22] Reuersusque est moyses ad dominum· et ait. Domine: cur afflixisti populum istum? Quare misisti me? [23] Ex eo enim quo ingressus sum ad pharaonem vt loquerer ex nomine tuo· afflixit populum istum: et non liberasti eos.

6 Dixitque dominus ad moysen. Nunc videbis que facturus sum pharaoni. Per manum enim fortem dimittet eos: et in manu robusta eiciet illos de terra sua. [2] Locutusque est dominus ad moysen dicens. Ego dominus· [3] qui apparui abraham· ysaac· et iacob· in deo omnipotente: et nomen meum adonay non indicaui eis. [4] Pepigique fedus cum eis vt darem eis terram chanaan: terram peregrinacionis eorum· in qua fuerunt aduene. [5] Ego audiui gemitum filiorum israhel quo egiptij oppresserunt eos: et recordatus sum pacti mei. [6] Ideo dic filijs israhel. Ego dominus· qui educam vos de ergastulo egiptiorum· et eruam de seruitute· ac redimam in brachio excelso et iudicijs magnis: [7] et assumam vos michi in populum: et ero vester deus. Et scietis quia ego sum dominus deus vester· qui eduxerim vos de ergastulo egiptiorum: [8] et induxerim vos in terram· super quam leuaui manum meam· vt darem eam abraham· ysaac· et iacob: daboque illam possidendam vobis· ego dominus. [9] Narrauit ergo moyses omnia filijs israhel: qui non acquieuerunt ei: propter angustiam spiritus· et opus durissimum. [10] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [11] Ingredere et loquere ad pharaonem regem egipti: vt dimittat filios israhel de terra sua. [12] Respondit moyses coram domino. Ecce filij israhel non audiunt me. Et quomodo audiet pharao· presertim cum incircumcisus sim labijs? [13] Locutusque est dominus ad moysen et aaron: et dedit mandatum ad filios israhel et ad pharaonem regem egipti: vt educerent filios israhel de terra egipti. [14] Isti sunt principes domorum per familias suas. Filij ruben primogeniti israhelis: enoch et phallu· esrom et charmi. [15] Hee cognationes ruben. Filij simeon: iamuel· et iamin· et aod· et lachim· et soer· et saul filius chananitidis. Hee progenies simeon. [16] Et hec nomina filiorum leui· per cognaciones suas: gerson· et caath· et merari. Anni autem vite leui fuerunt centumtrigintaseptem. [17] Filij gerson· lobni et semei per cognaciones suas. [18] Filij caath: amram et ysuar et hebron et oziel. Anni quoque vite caath centumtrigintatres. [19] Filij merari: mooli et musi. Hee cognaciones leui· per familias suas. [20] Accepit autem amram vxorem iochabeth patruelem suam: que peperit ei aaron· et moysen et mariam. Fueruntque anni vite amram centumtrigintaseptem. [21] Filij quoque ysuar: chore et napheg· et zechri. [22] Filij quoque oziel: misael et elisaphan et sechri. [23] Accepit autem aaron vxorem· elisabeth filiam aminadab· sororem naason: que peperit ei nadab· et abiu· et eleazar· et ythamar. [24] Filij quoque chore: aser· et helchana et abiasab. Hee sunt cognationes choritarum. [25] At vero eleazar filius aaron accepit vxorem de filiabus phutiel: que peperit ei phinees. Hij sunt principes familiarum leuiticarum per cognaciones suas. [26] Iste est aaron et moyses: quibus precepit dominus vt educerent filios israhel· de terra egipti per turmas suas. [27] Hij sunt qui locuntur ad pharaonem regem egipti: vt educant filios israhel de egipto. Iste est moyses et aaron: [28] in die qua locutus est dominus ad moysen in terra egipti. [29] Et locutus est dominus ad moysen dicens. Ego dominus. Loquere ad pharaonem regem egipti· pri· omnia que loquor tibi. [30] Et ait moyses coram domino. En incircumcisus labijs sum. Quomodo audiet me pharao?

7 Dixitque dominus ad moysen. Ecce constitui te deum pharaonis: et aaron frater tuus erit propheta tuus. [2] Tu loqueris ei omnia que mando tibi: et ille loquetur ad pharaonem: vt dimittat filios israhel de terra sua. [3] Sed ego indurabo cor eius· et multiplicabo signa et ostenta mea in terra egipti: [4] et non audiet vos. Immittamque manum meam super egiptum et educam exercitum meum· et populum meum filios israhel· de terra egipti· per iudicia maxima. [5] Et scient egiptij· quia ego sum dominus· qui extenderim manum meam· super egiptum: et eduxerim filios israhel· de medio eorum. [6] Fecit itaque moyses et aaron: sicut preceperat eis dominus· ita egerunt. [7] Erat autem moyses octoginta annorum· et aaron octogintatrium: quando locuti sunt ad pharaonem. [8] Dixitque dominus ad moysen et aaron. [9] Cum dixerit vobis pharao· ostendite nobis signa: dices ad aaron. Tolle virgam tuam· et proice eam coram pharaone: ac vertatur in colubrum. [10] Ingressi itaque moyses et aaron ad pharaonem: fecerunt sicut preceperat dominus. Tulitque aaron virgam coram pharaone et seruis eius: que versa est in colubrum. [11] Vocauit autem pharao sapientes et maleficos: et fecerunt eciam ipsi per incantaciones egiptiacas et archana quedam similiter. [12] Proieceruntque singuli virgas suas: que verse sunt in dracones. Sed deuorauit virga aaron· virgas eorum. [13] Induratumque est cor pharaonis: et non audiuit eos sicut preceperat dominus. [14] Dixit autem dominus ad moysen. Ingrauatum est cor pharaonis: ouis: et non vult dimittere populum. [15] Vade ad eum mane. Ecce egredietur ad aquas. Et stabis in occursum eius super ripam fluminis: et virgam que conuersa est in draconem· tolles in manu tua: [16] dicesque ad eum. Dominus deus hebreorum misit me ad te dicens. Dimitte populum meum vt sacrificet michi in deserto: et vsque ad presens audire me noluisti. [17] Hec igitur dicit dominus. In hoc scies quod sim dominus. Ecce per percutiam virga que in manu mea est aquam fluminis: et vertetur in sanguinem. [18] Pisces quoque qui sunt in fluuio morientur: et computrescent aque: et affligentur egiptij· bibentes aquam fluminis. [19] Dixit quoque dominus ad moysen. Dic ad aaron. Tolle virgam tuam· et extende manum tuam super aquas egipti· et super fluuios eorum· et riuos et paludes· et omnes lacus aquarum· vt vertantur in sanguinem: et sit cruor in omni terra egipti tam in ligneis vasis quam in saxeis. [20] Feceruntque moyses et aaron: sicut preceperat dominus. Et eleuans virgam· percussit aquam fluminis coram pharaone et seruis eius: que versa est in sanguinem: [21] et pisces qui erant in flumine· mortui sunt. Computruitque fluuius: et non poterant egiptij bibere aquam fluminis: et fuit sanguis in tota terra egipti. [22] Feceruntque similiter malefici egiptiorum in incantacionibus suis. Et induratum est cor pharaonis: nec audiuit eos sicut preceperat dominus. [23] Auertitque se· et ingressus est domum suam: nec apposuit cor eciam hac vice. [24] Foderunt autem omnes egiptij per circuitum fluminis aquam vt biberent. Non enim poterant bibere aquam fluminis. [25] Impletique sunt septem dies: postquam percussit dominus fluuium.

8 Dixit quoque dominus ad moysen. Ingredere ad pharaonem: et dices ad eum. Hec dicit dominus. Dimitte populum meum: vt sacrificet michi. [2] Si autem nolueris dimittere· ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis· [3] et ebulliet fluuius ranas: que ascendent et ingredientur domum tuam et cubiculum lectuli tui et super stratum tuum· et in domos seruorum tuorum· et in populum tuum· et in furnos tuos: et in reliquias ciborum tuorum· [4] et ad te et ad populum tuum et ad omnes seruos tuos intrabunt rane. [5] Dixitque dominus ad moysen. Dic ad aaron. Extende manum tuam super fluuios et super riuos et paludes: et educ ranas super terram egipti. [6] Et extendit aaron manum super aquas egipti et ascenderunt rane operueruntque terram egipti. [7] Fecerunt autem et malefici per incantaciones suas similiter: eduxeruntque ranas super terram egipti. [8] Vocauit autem pharao moysen et aaron: et dixit eis. Orate dominum vt auferat ranas a me et a populo meo: et dimittam populum vt sacrificet domino. [9] Dixitque moyses ad pharaonem. Constitue michi quando deprecer pro te· et pro seruis tuis· et pro populo tuo: vt abigantur rane a te· et a domo tua et a seruis tuis· et a populo tuo: et tantum in flumine remaneant. [10] Qui respondit. Cras. At ille iuxta inquit verbum tuum faciam· vt scias quoniam non est sicut dominus deus noster: [11] et recedent rane a te· et a domo tua· et a seruis tuis· et a populo tuo: et tantum in flumine remanebunt. [12] Egressique sunt moyses et aaron a pharaone: et clamauit moyses ad dominum pro sponsione ranarum: quam condixerat pharaoni. [13] Fecitque dominus iuxta verbum moysi: et mortue sunt rane de domibus· et de villis et de agris. [14] Congregaueruntque eas in immensos aggeres: et computruit terra. [15] Videns autem pharao quod data esset requies· ingrauauit cor suum: et non audiuit eos sicut preceperat dominus. [16] Dixitque dominus ad moysen. Loquere ad aaron. Extende virgam tuam et percute puluerem terre: et sint scinifes in vniuersa terra egipti. [17] Feceruntque ita. Et extendit aaron manum· virgam tenens· percussitque puluerem terre: et facti sunt scinifes in hominibus

et in iumentis. Omnis puluis terre versus est in scinifes· per totam terram egipti. [18] Feceruntque similiter malefici in cantacionibus suis· vt educerent scinifes: et non potuerunt. Erantque scinifes tam in hominibus quam in iumentis. [19] Et dixerunt malefici ad pharaonem. Digitus dei est hic. Induratum est cor pharaonis: et non audiuit eos: sicut preceperat dominus. [20] Dixit quoque dominus ad moysen. Consurge diluculo: et sta coram pharaone. Egredietur enim ad aquas. Et dices ad eum. Hec dicit dominus. Dimitte populum meum: vt sacrificet michi. [21] Quod si non dimiseris eum: ecce ego mittam in te· et in seruos tuos· et in populum tuum· et in domos tuas· omne genus muscarum: et implebuntur omnes domus egiptiorum· muscis diuersi generis et vniuersa terra in qua fuerint. [22] Faciamque mirabilem in die illa terram iessen· in qua populus meus est vt non sint ibi musce: et scias quoniam ego dominus in medio terre: [23] ponamque diuisionem inter populum meum et populum tuum. Cras erit signum istud. [24] Fecitque dominus ita. Et venit musca grauissima in domos pharaonis et seruorum eius· et in omnem terram egipti: corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis. [25] Vocauitque pharao moysen et aaron: et ait eis. Ite: et sacrificate deo vestro in terra hac. [26] Et ait moyses. Non potest ita fieri. Abominaciones enim egiptiorum immolabimus domino deo nostro Quod si mactauerimus ea que colunt egiptij coram eis: lapidibus nos obruent. [27] Viam trium dierum pergemus in solitudinem: et sacrificabimus domino deo nostro sicut precepit nobis. [28] Dixitque pharao. Ego dimittam vos· vt sacrificetis domino deo vestro in deserto: veruntamen longius ne abeatis. Rogate pro me. [29] Et ait moyses. Egressus a te orabo dominum: et recedet musca a pharaone· et a seruis suis· et a populo eius cras. Verumtamen noli vltra fallere: vt non dimittas pulum sacrificare domino. [30] Egressusque moyses a pharaone· orauit dominum. [31] Qui fecit iuxta verbum illius: et abstulit muscas a pharaone· et a seruis suis· et a populo eius. Non superfuit nec vna quidem. [32] Et ingrauatum est cor pharaonis: ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum

9 Dixit autem dominus ad moysen. Ingredere ad pharaonem: et loquere ad eum. Hec dicit dominus deus hebreorum. Dimitte populum meum: vt sacrificet michi. [2] Quod si adhuc renuis et retines eos: [3] ecce manus mea erit super agros tuos· et super equos et asinos et camelos· et oues et boues: pestis valde grauis. [4] Et faciet dominus mirabile inter possessiones israhel et possessiones egiptiorum: vt nil omnino pereat ex hijs que pertinent ad filios israhel. [5] Constituitque dominus tempus dicens. Cras faciet dominus verbum istud in terra. [6] Fecit ergo dominus verbum hoc altera die: et mortua sunt omnia animantia egiptiorum. De animalibus vero filiorum israhel nichil omnino perijt. [7] Et misit pharao ad videndum: nec erat quicquam mortuum de hijs que possidebat israhel. Ingrauatumque est cor pharaonis: et non dimisit populum. [8] Et dixit dominus ad moysen et aaron. Tollite plenas manus cineris de camino: et spergat illum moyses in celum coram pharaone: [9] sitque puluis super omnem terram egipti. Erunt enim in hominibus· et iumentis vlcera et vesice turgentes: in vniuersa terra egipti. [10] Tuleruntque cinerem de camino· et steterunt coram pharaone: et sparsit illum moyses in celum. Factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus et iumentis: [11] nec poterant malefici stare coram moyse propter vulnera que in illis erant: et in omni terra egipti. [12] Indurauitque dominus cor pharaonis: et non audiuit eos sicut locutus est dominus ad moysen. [13] Dixit quoque dominus ad moysen. Mane consurge· et sta coram pharaone: et dices ad eum. Hec dicit dominus deus hebreorum. Dimitte populum meum· vt sacrificet michi: [14] quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum· et super seruos tuos· et super populum tuum: vt scias quod non sit similis mei in omni terra. [15] Nunc enim extendens manum· percutiam te et populum tuum peste: peribitisque de terra. [16] Idcirco autem posui te vt ostendam in te fortitudinem meam: et narretur nomen meum in omni terra. [17] Adhuc retines populum meum: et non vis eum dimittere? [18] En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis: qualis non fuit in egipto a die qua fundata est· vsque in presens tempus. [19] Mitte ergo iam nunc: et congrega iumenta tua· et omnia que habes in agro. Homines enim et iumenta· et vniuersa que inuenta fuerint foris· nec congregata de agris: ecciderit super ea grando: morientur. [20] Qui timuit verbum domini de seruis pharaonis: fecit confugere seruos suos et iumenta in domos: [21] qui autem neglexit sermonem domini: dimisit seruos suos et iumenta in agris. [22] Et dixit dominus ad moysen. Extende manum tuam in celum· vt fiat grando in vniuersa terra egipti: super homines et super iumenta· et super omnem herbam agri· in terra egipti. [23] Extenditque moyses virgam in celum: et dominus dedit tonitrua et grandinem ac discurrentia fulgura super terram. Pluitque dominus grandinem super terram egipti: [24] et grando et ignis· mixta pariter ferebantur. Tanteque fuit magnitudinis: quanta ante numquam apparuit in vniuersa terra egipti exquo gens illa condita est. [25] Et percussit grando in omni terra egipti cuncta que fuerunt in agris: ab homine vsque ad iumentum. Cunctamque herbam agri percussit grando: et omne lignum regionis confregit. [26] Tantum in terra iessen vbi erant filij israhel. grando non cecidit. [27] Misitque pharao· et vocauit moysen et aaron: dicens ad eos. Peccaui eciam nunc. Dominus iustus: et ego et populus meus impij. [28] Orate dominum· vt desinant tonitrua dei et grando: vt dimittam vos· et nequaquam hic vltra maneatis. [29] Ait moyses. Cum egressus fuero de vrbe· extendam palmas meas ad dominum: et cessabunt tonitrua· et grando non erit: vt scias quia domini est terra. [30] Noui autem: quod et tu et serui tui necdum timeatis dominum deum. [31] Linum ergo et ordeum lesum est: eo quod ordeum esset virens· et linum iam folliculos germinaret. [32] Triticum autem et far non sunt lesa: quia serotina erant. [33] Egressusque moyses a pharaone ex vrbe· tetendit manus ad dominum: et cessauerunt tonitrua et grando: nec vltra stillauit pluuia super terram. [34] Videns autem pharao quod cessasset pluuia et grando et tonitrua auxit peccatum: [35] et ingrauatum est cor eius nimis: nec dimisit israhel· sicut preceperat dominus per manum moysi.

10 Et dixit dominus ad moysen. Ingredere ad pharaonem. Ego enim induraui cor eius· et seruorum illius· vt faciam signa mea hec in eo: [2] et narres in auribus filij tui et nepotum tuorum· quotiens contriuerim egiptios et signa fecerim in eis: et sciatis quia ego dominus. [3] Introierunt ergo moyses et aaron ad pharaonem: et dixerunt ei. Hec dicit dominus deus hebreorum. Vsquequo non vis subici michi? Dimitte populum meum: vt sacrificet michi. [4] Sin autem resistis· et non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locustam in fines tuos· [5] que operiet superficiem terre· ne quicquam eius appareat: sed comedatur quod residuum fuerit grandini. Corrodet enim omnia ligna que germinant in agris: [6] et implebunt domos tuas· et seruorum tuorum: et omnium egiptiorum: quantam non viderunt patres tui et aui· exquo orti sunt super terram· vsque in presentem diem. Auertitque se: et egressus est a pharaone. [7] Dixerunt autem serui pharaonis ad eum. Vsquequo patiemur hoc scandalum? Dimitte homines· vt sacrificent domino deo suo. Nonne vides quod perierit egiptus? [8] Reuocaueruntque moysen et aaron ad pharaonem. Qui dixit eis. Ite: sacrificate domino deo vestro. Qui nam sunt qui ituri sunt? [9] Ait moyses. Cum paruulis nostris et senioribus pergemus: cum filijs et filiabus· cum ouibus et armentis. Est enim solemnitas domini dei nostri. [10] Et respondit pharao. Sic dominus sit vobiscum. quomodo ego dimittam vos et paruulos vestros: Cui dubium est quod pessime cogitetis? [11] Non fiat ita: sed ite tantum viri et sacrificate domino. Hoc enim et ipsi petistis. Statimque eiecti sunt de conspectu pharaonis. [12] Dixit autem dominus ad moysen. Extende manum tuam super terram egipti ad locustam· vt descendat super terram: et deuoret omnem herbam que residua fuerit grandini. [13] Et extendit moyses virgam super terram egipti: et dominus induxit ventum vrentem tota illa die et nocte. Et mane facto: ventus vrens leuauit locustas. [14] Qui ascenderunt super vniuersam terram egipti: et sederunt in cunctis finibus egiptiorum innumerabiles: quales ante illud tempus non fuerant nec postea future sunt. [15] Operueruntque vniuersam superficiem terre: vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terre: et quidquid pomorum in arboribus fuit que grando dimiserat. Nichil quoque omnino virens relictum est in lignis· et in herbis terre: in cuncta egipto. [16] Quamobrem· festinus pharao vocauit moysen et aaron: et dixit eis. Peccaui in dominum deum vestrum· et in vos. [17] Sed nunc dimittite peccatum michi· eciam hac vice: et rogate dominum deum vestrum:

vt auferat a me mortem istam. [18] Egressusque est moyses de conspectu pharaonis: et orauit dominum. [19] Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum: et arreptam locustam proiecit in mare rubrum. Non remansit ne vna quidem: in cunctis finibus egipti. [20] Et indurauit dominus cor pharaonis: nec dimisit filios israhel. [21] Dixit autem dominus ad moysen. Extende manum tuam in celum: et sint tenebre super terram egipti· tam dense vt palpari queant. [22] Extenditque moyses manum in celum: et facte sunt tenebre horribiles in vniuersa terra egipti. Tribus diebus [23] nemo vidit fratrem suum: nec mouit se de loco in quo erat. Vbicumque autem habitabant filij israhel· lux erat. [24] Vocauitque pharao moysen et aaron: et dixit eis. Ite sacrificate domino. Oues tantum vestre et armenta remaneant: paruuli vestri eant vobiscum. [25] Ait moyses. Hostias quoque et olocausta dabis nobis: que offeramus domino deo nostro. [26] Cuncti greges pergent nobiscum. Non remanebit ex eis vngula que necessaria sunt in cultum domini dei nostri: presertim cum ignoremus quid debeat immolari: donec ad ipsum locum perueniamus. [27] Indurauit autem dominus cor pharaonis: et noluit dimittere eos. [28] Dixitque pharao ad moysen. Recede a me: et caue ne vltra videas faciem meam. Quocumque die apparueris michi morieris. [29] Respondit moyses. Ita fiat vt locutus es. Non videbo vltra faciem tuam.

11 Et dixit dominus ad moysen. Adhuc vna plaga tangam pharaonem et egiptum: et post hec dimittet vos· et exire compellet. [2] Dices ergo omni plebi: vt postulet vir ab amico suo et mulier a vicina sua vasa argentea et aurea et vestem. [3] Dabit autem dominus gratiam populo suo coram egiptijs. Fuitque moyses vir magnus valde in terra egipti· coram seruis pharaonis et omni populo. [4] Et ait. Hec dicit dominus. Media nocte ingrediar in egiptum: [5] et morietur omne primogenitum in terra egiptiorum a primogenito pharaonis qui sedet in solio eius· vsque ad primogenitum ancille que est ad molam: et omnia primogenita iumentorum. [6] Eritque clamor magnus in vniuersa terra egipti: qualis nec ante fuit: nec postea futurus est. [7] Apud omnes autem filios israhel non mutiet canis· ab homine vsque ad pecus: vt sciatis quanto miraculo diuidat dominus egiptios· et israhel. [8] Descendentque omnes serui tui isti ad me: et adorabunt me dicentes. Egredere tu: et omnis populus qui subiectus est tibi. Post hec egredientur. [9] Et exiuit a pharaone· iratus nimis. Dixit autem dominus ad moysen. Non audiet vos pharao: vt multa signa fiant in terra egipti. [10] Moyses autem et aaron fecerunt omnia signa et ostenta que scripta sunt· coram pharaone: et indurauit dominus cor pharaonis: nec dimisit filios israhel de terra sua.

12 Dixit quoque dominus ad moysen et aaron· in terra egipti. [2] Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. [3] Loquimini ad vniuersum cetum filiorum israhel: et dicite eis. Decima die mensis huius· tollat vnusquisque agnum· per familias et domos suas. [4] Sinautem minor est numerus· vt sufficere possit ad vescendum agnum: assumet vicinum suum qui coniunctus est domui eius: iuxta numerum animarum que sufficere possint ad esum agni. [5] Erit autem agnus absque macula: masculus anniculus. Iuxta quem ritum tolletis et hedum: [6] et seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius. Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum israhel ad vesperam: [7] et sument de sanguine eius· ac ponent super vtrumque postem: et in superliminaribus domorum in quibus comedent illum. [8] Et edent carnes nocte illa assas igni: et azimos panes cum lactucis agrestibus. [9] Non comedetis ex eo crudum quid nec coctum aqua: sed assum tantum igni. Caput cum pedibus eius et intestinis vorabitis: [10] nec remanebit quicquam ex eo vsque mane. Si quid residuum fuit· igne comburetis. [11] Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis: et calciamenta habebitis in pedibus· tenentes baculos in manibus: et comedetis festinantes. Est enim phase: id est transitus domini. [12] Et transibo per terram egipti nocte illa: percutiamque omne primogenitum in terra egipti· ab homine vsque ad pecus: et in cunctis dijs egipti· faciam iudicia ego dominus. [13] Erit autem sanguis vobis in signum in edibus quibus eritis: et videbo sanguinem ac transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens· quando percussero terram egipti. [14] Habebitis autem hunc diem in monimentum: et celebrabitis eam solemnem domino in generationibus vestris· cultu sempiterno. [15] Septem diebus azima comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentum· peribit anima illa de israhel: a primo die vsque ad diem septimum. [16] Dies prima erit sancta ac solemnis: et dies septima· eadem festiuitate venerabilis. Nichil operis facietis in eis· exceptis hijs que ad vescendum pertinent: [17] et obseruabitis azima. In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra egipti: et custodietis diem istum in generationes vestras· ritu perpetuo. [18] Primo mense quartadecima die mensis ad vesperum· comedetis azima: vsque ad diem vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperam. [19] Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris. Qui comedit fermentatum· peribit anima eius de cetu israhel: tam de aduenis quam de indigenis terre. [20] Omne fermentatum non comedetis. In cunctis habitaculis vestris edetis azima. [21] Vocauit autem moyses omnes seniores filiorum israhel: et dixit ad eos. Ite tollentes animal per familias vestras: et immolate phase. [22] Fasciculumque ysopi tingite in sanguine qui est in limine: et aspergite ex eo superliminare et vtrumque postem. Nullus vestrum egrediatur ostium domus sue· vsque mane. [23] Transibit enim dominus percutiens egiptios. Cumque viderit sanguinem in superliminari et in vtroque poste transcendet ostium domus: et non sinet percussorem ingredi domos vestras· et ledere. [24] Custodi verbum istud: legitimum tibi et filijs tuis vsque in eternum. [25] Cumque introieritis terram quam dominus deus daturus est vobis· vt pollicitus est: obseruabitis cerimonias istas. [26] Et cum dixerint vobis filij vestri· que est ista religio: [27] dicetis eis. Victima transitus domini est: quando transiuit super domos filiorum israhel in egipto: percutiens egiptios· et domos nostras liberans. Incuruatusque populus adorauit. [28] Et egressi filij israhel: fecerunt sicut preceperat dominus moysi· et aaron. [29] Factum est autem in noctis medio· percussit dominus omne primogenitum in terra egipti: a primogenito pharaonis qui in solio eius sedebat· vsque ad primogenitum captiue. que erat in carcere: et omne primogenitum iumentorum. [30] Surrexitque pharao nocte et omnes serui eius· cunctaque egiptus: et ortus est clamor magnus in egipto. Neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus. [31] Vocatisque pharao moyse et aaron nocte· ait. Surgite: egredimini a populo meo vos et filij israhel. Ite et immolate domino· sicut dicitis. [32] Oues vestras et armenta assumite vt petieratis: et abeuntes benedicite michi. [33] Vrgebantque egiptij populum de terra exire velociter· dicentes. Omnes moriemur. [34] Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur: et ligans in pallijs posuit super humeros suos. [35] Feceruntque filij israhel· sicut preceperat dominus moysi: et petierunt ab egiptijs vasa argentea et aurea vestemque plurimam. [36] Dominus autem dedit gratiam populo coram egiptijs· vt comodarent eis: et spoliauerunt egiptios. [37] Profectique sunt filij israhel de ramasse in sochot sexcenta fere milia peditum virorum: absque paruulis et mulieribus. [38] Sed et vulgus promiscuum in innumerabile ascendit cum eis: oues et armenta· et animantia diuersi generis multa nimis. [39] Coxeruntque farinam quam dudum de egipto conspersam tulerant: et fecerunt subcinericios panes azimos. Neque enim poterat fermentari· cogentibus exire egiptijs· et nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quicque occurrerat preparare. [40] Habitatio autem filiorum israhel qua manserunt in egipto· fuit quadrigentorum triginta annorum. [41] Quibus expletis: eadem die egressus est omnis exercitus domini de terra egipti. [42] Nox ista obseruabilis domini: quando eduxit eos de terra egipti. Hanc obseruare debent omnes filij israhel· in generationibus suis. [43] Dixitque dominus ad moysen et aaron. Hec est religio phase. Omnis alienigena non comedet ex eo. [44] Omnis autem seruus empticius circumcidetur: et sic comedet. [45] Aduena et mercenarius non edent ex eo. [46] In vna domo comedetur: nec efferetis de carnibus eius foras: nec os illius confringetis. [47] Omnis cetus filiorum israhel· faciet illud. [48] Quod si quis peregrinorum in vestram volueit transire colomam et facere phase domini: circumcidetur prius omne masculinum eius· et tunc rite celebrabit: eritque sicut indigena terre. Si quis autem circumcisus non fuit: non vescetur ex eo. [49] Eadem lex erit indigene: et colono qui peregrinatur apud vos. [50] Feceruntque omnes filij israhel· sicut preceperat dominus moysi et

aaron: [51] et eadem die eduxit dominus filios israhel de terra egipti per turmas suas.

13 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Sanctifica michi omne primogenitum quod aperit vuluam in filijs israhel: tam de hominibus quam de iumentis. Mea sunt enim omnia. [3] Et ait moyses ad populum. Mementote diei huius· in qua egressi estis de egipto et de domo seruitutis: quoniam in manu forti eduxit vos dominus de loco isto: vt non comedatis fermentatum panem. [4] Hodie egredimini· mense nouarum frugum. [5] Cumque introduxerit te dominus in terram chananei· et ethei· et amorrei· et euei· et iebusei· quam iurauit patribus tuis· vt daret tibi terram fluentem lacte et melle: celebrabitis hunc morem sacrorum mense isto. [6] Septem diebus vesceris azimis: et in die septimo erit solemnitas domini. [7] Azima comedetis septem diebus. Non apparebit apud te aliquid fermentatum: nec in cunctis finibus tuis. [8] Narrabisque filio tuo in die illo dicens. Hoc est quod fecit michi dominus: quando egressus sum de egipto. [9] Et erit quasi signum in manu tua· et quasi monimentum ante oculos tuos: et vt lex domini semper sit in ore tuo. In manu enim forti· eduxit te dominus de egipto: vt [10] custodias huiuscemodi cultum statuto tempore· a diebus in dies. [11] Cumque introduxerit te dominus in terram chananei· sicut iurauit tibi et patribus tuis· et dederit tibi eam: [12] separabis omne quod aperit vuluam domino: et quod primitiuum est in pecoribus tuis. Quicquid habueris masculini sexus· consecrabis domino. [13] Primogenitum asini mutabis oue: quod si non redemeris· interficies. Omne autem primogenitum hominis de filijs tuis· precio redimes. [14] Cumque interrogauerit te filius tuus cras· dicens· quid est hoc: respondebis ei. In manu forti eduxit nos dominus de terra egipti: de domo seruitutis. [15] Nam cum induratus esset pharao· et nollet nos dimittere occidit dominus omne primogenitum in terra egipti: a primogenito hominis· vsque ad primogenitum iumentorum. Idcirco immolo domino omne quod aperit vuluam masculini sexus: et omnia primogenita filiorum meorum redimo. [16] Erit igitur quasi signum in manu tua· et quasi appensum quid ob recordacionem ante oculos tuos: eo quod in manu forti eduxit vos dominus de egipto. [17] Igitur cum emisisset pharao populum· non eos duxit dominus per viam terre philistijm· que vicina est: reputans ne forte peniteret eum· si vidisset aduersum se bella consurgere· et reuerteretur in egiptum: [18] sed circunduxit per viam deserti: que est iuxta mare rubrum. Et armati ascenderunt filij israhel de terra egipti. [19] Tulit quoque moyses ossa ioseph secum: eo quod adiurasset filios israhel· dicens. Visitabit vos deus: efferte ossa mea hinc vobiscum. [20] Profectique de sochot· castrametati sunt in ethan: in extremis finibus solitudinis. [21] Dominus autem precedebat eos· ad ostendendam viam· per diem in columna nubis: et per noctem in columna ignis: vt dux esset itineris vtroque tempore. [22] Nunquam defuit columna nubis per diem· nec columna ignis per noctem· coram populo.

14 Locutus est autem dominus ad moysen· dicens. [2] Loquere filijs israhel. Reuersi castrametentur eregione phiairoth: que est inter magdalum et mare· contra beelsephon. In conspectu eius castra ponetis super mare. [3] Dicturusque est pharao· super filijs israhel. Coartati sunt in terra: conclusit eos desertum. [4] Et indurabo cor eius· ac persequetur vos: et glorificabor in pharaone· et in omni exercitu eius: scientque egiptij· quia ego sum dominus. Feceruntque ita. [5] Et nunciatum est regi egiptiorum: quod fugisset populus. Immutatumque est cor pharaonis· et seruorum eius super populum: et dixerunt. Quid voluimus facere: vt dimitteremus israhel ne seruiret nobis? [6] Iunxit ergo currum: et omnem populum suum assumpsit secum. [7] Tulitque sexcentos currus electos· et quicquid in egipto curruum fuit: et duces totius exercitus. [8] Indurauitque dominus cor pharaonis regis egipti: et persecutus est filios israhel. At illi egressi erant in manu excelsa. [9] Cumque persequerentur egiptij vestigia precedentium: repererunt eos in castris super mare. Omnis equitatus et currus pharaonis· et vniuersus exercitus· erant in phiairoth contra beelsephon. [10] Cumque appropinquasset pharao· leuantes filij israhel oculos· viderunt egiptios post se: et timuerunt valde. Clamaueruntque ad dominum: [11] et dixerunt ad moysen. Forsitan non erant sepulcra in egipto: ideo tulisti nos vt morerentur in solitudine. Quid hoc facere voluisti: vt educeres nos ex egipto? [12] Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in egipto· dicentes: recede a nobis· vt seruiamus egiptijs? Multo enim melius est seruire eis: quam mori in solitudine. [13] Et ait moyses ad populum. Nolite timere. State et videte magnalia domini: que facturus est hodie. Egiptios enim quos nunc videtis· nequaquam vltra videbitis: vsque in sempiternum. [14] Dominus pugnabit pro vobis: et vos tacebitis. [15] Dixitque dominus ad moysen. Quid clamas ad me? loquere filijs israhel: vt proficiscantur. [16] Tu autem eleua virgam tuam et extende manum tuam super mare· et diuide illud: vt gradiantur filij israhel in medio mari per siccum. [17] Ego autem indurabo cor egiptiorum vt persequantur vos: et glorificabor in pharaone· et in omni exercitu eius· et in curribus et in equitibus illius. [18] Et scient egiptij quia ego sum dominus: cum glorificatus fuero in pharaone· et in curribus atque in equitibus eius. [19] Tollensque se angelus domini qui precedebat castra israhel· abijt post eos: et cum eo pariter columna nubis priora dimittens: post tergum [20] stetit· inter castra egiptiorum et castra israhel. Et erat nubes tenebrosa· et illuminans noctem: ita vt ad se inuicem toto noctis tempore· accedere non valerent. [21] Cumque extendisset moyses manum super mare· abstulit illud dominus· flante vento vehementi et vrenti tota nocte: et vertit in siccum. Diuisaque est aqua: [22] et ingressi sunt filij israhel per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus· a dextra eorum et leua. [23] Persequentesque egiptij ingressi sunt post eos: et omnis equitatus pharaonis· currus eius et equites per medium maris. [24] Iamque aduenerat vigilia matutina: et ecce respiciens dominus super castra egiptiorum per columnam ignis et nubis: interfecit exercitum eorum· [25] et subuertit rotas curruum: ferebanturque in profundum. Dixeruntque egiptij. Fugiamus israhelem: quia dominus pugnat pro eis contra nos. [26] Et ait dominus ad moysen. Extende manum tuam super mare: vt reuertantur aque ad egiptios· super currus et equites eorum. [27] Cumque extendisset moyses manum contra mare: reuersum est primo diluculo ad priorem locum. Fugientibusque egiptijs occurrerunt aque: et inuoluit eos dominus in medijs fluctibus. [28] Reuerseque sunt aque: et operuerunt currus et equites cuncti exercitus pharaonis· qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis. [29] Filij autem israhel· perrexerunt per medium sicci maris: et aque eis erant quasi pro muro· a dextris et a sinistris. [30] Liberauitque dominus in die illo israhel de manu egiptiorum: [31] et viderunt egiptios mortuos super litus maris: et manum magnam quam exercuerat dominus contra eos. Timuitque populus dominum: et crediderunt domino· et moysi seruo eius.

15 Tunc cecinit moyses et filij israhel· carmen hoc domino: et dixerunt. Cantemus domino. Gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem deiecit in mare. [2] Fortitudo mea et laus mea dominus: et factus est michi in salutem. Iste deus meus et glorificabo eum· deus patris mei: et exaltabo eum. [3] Dominus quasi vir pugnator· omnipotens nomen eius: [4] currus pharaonis· et exercitum eius proiecit in mare. Electi principes eius submersi sunt in mari rubro: [5] abissi operuerunt eos: descenderunt in profundum quasi lapis. [6] Dextera tua domine magnificata est in fortitudine: dextera tua domine percussit inimicum: [7] et in multitudine glorie tue deposuisti aduersarios meos. Misisti iram tuam· que deuorauit eos sicut stipulam: [8] et in spiritu furoris tui congregate sunt aque. Stetit vnda fluens: congregate sunt abissi in medio mari. [9] Dixit inimicus. Persequar et comprehendam: diuidam spolia: implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum: inficiet eos manus mea. [10] Flauit spiritus tuus· et operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. [11] Quis similis tui in fortibus domine? Quis similis tui magnificus in sanctitate: terribilis atque laudabilis· et faciens mirabilia? [12] Extendisti manum tuam: et deuorauit eos terra. [13] Dux fuisti in misericordia tua: populo quem redemisti. Et portasti eum in fortitudine tua: ad habitaculum sanctum tuum. [14] Ascenderunt populi et irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores philistijm. [15] Tunc conturbati sunt principes edom: robustos moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores chanaan. [16] Irruat super eos formido et pauor in magnitudine

brachij tui. Fiant immobiles quasi lapis· donec pertranseat populus tuus domine: donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti. [17] Introduces eos· et plantabis in monte hereditatis tue: firmissimo habitaculo tuo quod operatus es domine. Sanctuarium tuum domine: quod firmauerunt manus tue. [18] Dominus regnabit in eternum et vltra. [19] Ingressus est enim eques pharao cum curribus et equitibus eius in mare: et reduxit super eos dominus aquas maris. Filij autem israhel ambulauerunt per siccum: in medio eius. [20] Sumpsit ergo maria prophetissa· soror aaron· timpanum in manu sua: egresseque sunt omnes mulieres post eam cum timpanis et choris: [21] quibus precinebat dicens. Cantemus domino. Gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem eius deiecit in mare. [22] Tulit autem moyses israhel de mari rubro: et egressi sunt in desertum sur. Ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem: et non inueniebant aquam. [23] Et venerunt in marath: nec poterant bibere aquas de marath· eo quod essent amare. Vnde et congruum loco nomen imposuit: vocans illum marach id est amaritudinem. [24] Et murmurauit populus contra moysen dicens. Quid bibemus? [25] At ille clamauit ad dominum. Qui ostendit ei lignum: quod cum misisset in aquas· in dulcedinem verse sunt. Ibi constituit ei precepta atque iudicia: et ibi temptauit eum [26] dicens. Si audieris vocem domini dei tui· et quod rectum est coram eo feceris· et obedieris mandatis eius· custodierisque omnia precepta illius: cunctum langorem quem posui in egipto non inducam super te. Ego enim sum dominus deus saluator. [27] Venerunt autem in helim filij israhel: vbi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta palme: et castrametati sunt iuxta aquas.

16 Profectique de helim venit omnis multitudo filiorum israhel in desertum syn· quod est inter helim et sinai quintadecima die mensis secundi postquam egressi sunt de terra egipti. [2] Et murmurauit omnis congregatio filiorum israhel· contra moysen et aaron· in solitudine. [3] Dixeruntque filij israhel ad eos. Vtinam mortui essemus per manum domini in terra egipti: quando sedebamus super ollas carnium· et comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud: vt occideretis omnem multitudinem fame? [4] Dixit autem dominus ad moysen. Ecce ego pluam vobis panes de celo. Egrediatur populus et colligat que sufficiunt per singulos dies: vt temptem eum· vtrum ambulet in lege mea· an non. [5] Die autem sexto parent quod inferant: et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies. [6] Dixeruntque moyses et aaron ad omnes filios israhel. Vespere scietis quod dominus eduxerit vos de terra egipti: [7] et mane videbitis gloriam domini. Audiui enim murmur vestrum contra dominum. Nos vero quid sumus: quia musitastis contra nos? [8] Et ait moyses. Dabit vobis dominus vespere carnes edere· et mane panes in saturitate: eo quod audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum. Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum: sed contra dominum. [9] Dixit quoque moyses ad aaron. Dic vniuerse congregationi filiorum israhel. Accedite coram domino. Audiuit enim murmur vestrum. [10] Cumque loqueretur aaron· ad omnem cetum filiorum israhel: respexerunt ad solitudinem. Et ecce gloria domini apparuit in nube. [11] Locutus est autem dominus ad moysen dicens. [12] Audiui murmurationes filiorum israhel. Loquere ad eos. Vespere comedetis carnes: et mane saturabimini panibus: scietisque quod ego sum dominus deus vester. [13] Factum est ergo vespere et ascendens coturnix cooperuit castra: mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum. [14] Cumque operuisset superficiem terre: apparuit in solitudine minutum· et quasi pilo tusum in similitudinem pruine super terram. [15] Quod cum vidissent filij israhel: dixerunt ad inuicem. Manhu? Quod significat. Quid est hoc? Ignorabant enim quid esset. Quibus ait moyses. Iste est panis quem dominus dedit vobis ad vescendum. [16] Hic est sermo quem precepit vobis dominus. Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit· ad vescendum: gomor per singula capita. Iuxta numerum animarum vestrarum que habitant in tabernaculo: sic tolletis. [17] Feceruntque ita filij israhel: et collegerunt· alius plus alius minus: [18] et mensi sunt ad mensuram gomor: Nec qui plus collegerat· habuit amplius: nec qui minus parauerat· reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant congregauerunt. [19] Dixitque moyses ad eos. Nullus relinquat ex eo in mane. [20] Qui non audierunt eum: sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane: et scatere cepit vermibus· atque computruit. Et iratus est contra eos moyses. [21] Colligebant autem mane· singuli: quantum sufficere poterat ad vescendum. Cumque incaluisset sol: liquefiebat. [22] In die autem sexta· collegerunt cibos duplices: id est duo gomor per singulos homines. Venerunt autem omnes principes multitudinis· et narrauerunt moysi. [23] Qui ait eis. Hoc est quod locutus est dominus. Requies sabbati· sanctificata est domino. Cras quodcumque operandum est. facite: et que coquenda sunt coquite. Quidquid autem reliquum fuerit· reponite vsque in mane. [24] Feceruntque ita vt preceperat moyses· et non computruit: neque vermis inuentus est in eo. [25] Dixitque moyses. Comedite illud hodie· quia sabbatum est domino: non inuenietur hodie in agro. [26] Sex diebus colligite: in die autem septimo sabbatum est domino: idcirco non inuenietur [27] venitque septima dies: et egressi de populo vt colligerent· non inuenerunt. [28] Dixit autem dominus ad moysen. Vsquequo non vultis custodire mandata mea: et legem meam? [29] Videte quod dominus dederit vobis sabbatum: et propter hoc tribuit vobis die sexta cibos duplices. Maneat vnusquisque apud semetipsum: et nullus egrediatur de loco suo· die septimo: [30] et sabbatizabit populus die septimo. [31] Appellauitque domus israhel· nomen eius man. Quod erat quasi semen coriandri album: gustusque eius quasi simile cum melle. [32] Dixit autem moyses. Iste est sermo quem precepit dominus. Imple gomor ex eo· et custodiatur in futuras retro generationes: vt nouerint panem· quo alui vos in solitudine: quando educti estis de terra egipti. [33] Dixitque moyses ad aaron. Sume vas vnum: et mitte ibi man· quantum potest capere gomor· et repone coram domino ad seruandum in generationes vestras: [34] sicut precepit dominus moysi. Posuitque illud aaron in tabernaculo reseruandum. [35] Filij autem israhel comederunt man quadraginta annis: donec venirent in terram habitabilem. Hoc cibo aliti sunt vsquequo tangerent fines terre chanaan. [36] Gomor autem decima pars est ephi.

17 Igitur profecta omnis multitudo filiorum israhel de deserto syn: per mansiones suas· iuxta sermonem domini: castrametati sunt in raphidim: vbi non erat aqua ad bibendum populo. [2] Qui iurgatus contra moysen· ait. Da nobis aquam vt bibamus. Quibus respondit moyses. Quid iurgamini contra me? Cur temptatis dominum? [3] Sitiuit ergo ibi populus pro aque penuria: et murmurauit contra moysen dicens. Cur fecisti nos exire de egipto: vt occideres nos et liberos nostros ac iumenta siti? [4] Clamauit autem moyses ad dominum dicens. Quid faciam populo huic? Adhuc paululum: et lapidabit me. [5] Et ait dominus ad moysen. Antecede populum: et sume tecum de senioribus israhel: et virgam qua percussisti fluuium tolle in manu tua· et vade. [6] En ego stabo ibi coram te· supra petram oreb: percutiesque petram: et exibit ex ea aqua. vt bibat populus. Fecit ita moyses coram senioribus israhel. [7] Et vocauit nomen loci illius temptatio propter iurgium filiorum israhel: et quia temptauerunt dominum dicentes. Est ne deus in nobis an non? [8] Venit autem amelech: et pugnabat contra filios israhel in raphidim. [9] Dixitque moyses ad iosue. Elige viros: et egressus pugna contra amelech cras. Ego stabo in vertice collis: habens virgam dei in manu mea. [10] Fecit iosue vt locutus erat moyses: et pugnauit contra amelech. Moyses autem et aaron et hur· ascenderunt super verticem collis. [11] Cumque leuaret moyses manus· vincebat israhel. Sin autem paululum rem remansisset: superabat amelech. [12] Manus autem moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum· in quo sedit: aaron autem et hur· sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est vt manus illius non lassarentur: vsque ad occasum solis. [13] Fugauitque iosue amelech et populum eius. in ore gladij. [14] Dixit autem dominus ad moysen. Scribe hoc ob monimentum in libro: et trade auribus iosue. Delebo enim memoriam amelech sub celo. [15] Edificauitque moyses altare: et vocauit nomen eius· dominus exaltatio mea· dicens. [16] Quia manus solius domini· et bellum dei erit contra amelech: a generatione in generationem.

18 Cumque audisset iethro sacerdos madian· cognatus moysi· omnia que fecerat dominus moysi· et israhel populo suo· et quod eduxisset dominus israhel de egipto: 2 tulit sephoram vxorem moysi quam remiserat· 3 et duos filios eius: quorum vnus vocabatur gersan· dicente paquo eliezer· tre· aduena fui in terra aliena: 4 alter vero deus enim ait patris mei· adiutor meus: et eruit me de gladio pharaonis. 5 Venit ergo iethro cognatus moysi· et filij eius· et vxor eius· ad moysen in desertum· vbi erat castrametatus iuxta montem dei: 6 et mandauit moysi dicens. Ego iethro cognatus tuus· venio ad te: et vxor tua· et duo filij tui cum ea. 7 Qui egressus in occursum cognati sui adorauit: et osculatus est eum. Salutaueruntque se mutuo verbis pacificis. Cumque intrasset tabernaculum: 8 narrauit moyses cognato suo cuncta que fecerat dominus pharaoni et egiptijs propter israhel: vniuersumque laborem qui accidisset eis in itinere: et quod liberauerat eos dominus. 9 Letatusque est iethro super omnibus bonis· que fecerat dominus israheli: eo quod eruisset eum de manu egiptiorum. 10 Et ait. Benedictus dominus qui liberauit vos de manu egiptiorum. et de manu pharaonis: qui eruit populum suum de manu egipti. 11 Nunc cognoui quia magnus dominus super omnes deos: eo quod superbe egerit contra eos. 12 Obtulit ergo iethro cognatus moysi· olocausta et hostias domino: veneruntque aaron· et omnes seniores filiorum israhel: vt comederent panem cum eo coram domino. 13 Altera autem die sedit moyses vt iudicaret populum: qui assistebat moysi a mane vsque ad vesperam. 14 Quod cum vidisset cognatus eius· omnia scilicet que agebat in populo· ait. Quid est quod facis in plebe? Cur solus sedes: et omnis populus prestolatur de mane vsque ad vesperam? 15 Cui respondit moyses. Venit ad me populus: querens sententiam dei. 16 Cumque acciderit eis aliqua disceptatio veniunt ad me vt iudicem inter eos: et ostendam precepta dei et leges eius. 17 At ille: non bonam inquit rem facis. 18 Stulto labore consumeris: et tu et populus iste qui tecum est. Vltra vires tuas est negocium. Solus illud non poteris sustinere: 19 sed audi verba mea atque consilia: et erit dominus tecum. Esto tu populo in hijs que ad deum pertinent vt referas que dicuntur ad eum: 20 ostendasque populo cerimonias· et ritum colendi· viamque per quam ingredi debeant: et opus quod facere. 21 Prouide autem de omni plebe viros sapientes et timentes deum in quibus sit veritas· et qui oderint auariciam: et constitue ex eis tribunos et centuriones· et quinquagenarios· et decanos: 22 qui iudicent populum omni tempore. Quidquid autem maius fuit referant ad te: et ipsi minora tantummodo indicent: leuiusque sit tibi· partito in alios onere. 23 Si hoc feceris· implebis imperium domini: et precepta eius poteris sustentare: et omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace. 24 Quibus auditis· moyses: fecit omnia que ille suggesserat. 25 Et electis viris strenuis de cuncto israhel constituit eos principes populi· tribunos· et centuriones· et quinquagenarios et decanos: 26 qui iudicarent plebem domini omni tempore. Quidquid autem grauius erat referebant ad eum: faciliora tantummodo iudicantes. 27 Dimisitque cognatum suum: qui reuersus abijt in terram suam.

19 Mense tercio egressionis israhel de terra egipti: in die hac venerunt in solitudinem synai. 2 Nam profecti de raphidim et peruenientes vsque in desertum synai· castrametati sunt in eodem loco: ibique israhel fixit tentoria eregione montis. 3 Moyses autem ascendit in montem ad deum. Vocauitque eum dominus de monte et ait. Hec dices domui iacob: et annunciabis filijs israhel. 4 Vos ipsi vidistis que fecerim egiptijs: quomodo portauerim vos super alas aquilarum: et assumpserim michi. 5 Si ergo audieritis vocem meam· et custodieritis pactum meum: eritis michi in 6 regnum sacerdotale: et gens sancta. Hec sunt verba que loqueris ad filios israhel. 7 Venit moyses: et conuocatis maioribus natu populi· exposuit omnes sermones quos mandauerat dominus. 8 Responditque omnis populus simul. Cuncta que locutus est dominus· faciemus. Cumque retulisset moyses verba populi ad dominum: 9 ait ei dominus. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis: vt audiat me populus loquentem ad te: et credat tibi in perpetuum. Nunciauit ergo moyses verba populi ad dominum. 10 Qui dixit ei. Vade ad populum· et sanctifica illos hodie et cras: lauentque vestimenta sua: 11 et sint parati in diem tercium. In die enim tercio descendet dominus coram omni plebe· super montem synai. 12 Constituesque terminos populo per circuitum: et dices ad eos. Cauete ne ascendatis in montem: nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem morte morietur. 13 Manus non tangent eum: sed lapidibus opprimetur: aut confodietur iaculis. Siue iumentum fuerit siue homo· non viuet. Cum ceperit clangere bucina: tunc ascendant in montem. 14 Descenditque moyses de monte ad populum: et sanctificauit eum. Cumque lauissent vestimenta sua: 15 ait: ad eos. Estote parati in diem tercium: et ne appropinquetis vxoribus vestris. 16 Iamque aduenerat tercius dies· et mane inclaruerat: et ecce ceperunt audiri tonitrua· ac micare fulgura: et vubes densissima operire montem. Clangorque bucine vehementius perstrepetat: et timuit populus qui erat in castris. 17 Cumque eduxisset eos moyses in occursum dei de loco castrorum: steterunt ad radices montis. 18 Totus autem mons synai fumigabat: eo quod descendisset dominus super eum in igne: et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace. Eratque omnis mons terribilis: 19 et sonitus bucine paulatim crescebat in maius: et prolixius tendebatur. Moyses loquebatur: et dominus respondebat ei. 20 Descenditque dominus super montem synai in ipso montis vertice: et vocauit moysen in cacumen eius. Quo cum ascendisset: 21 dixit ad eum. Descende et contestare populum: ne forte velit transcendere terminos ad videndum dominum: et pereat ex eis plurima multitudo. 22 Sacerdotes quoque qui accedunt ad dominum sanctificentur: ne percutiat eos. 23 Dixitque moyses ad dominum. Non poterit vulgus ascendere in montem synai. Tu enim testificatus es: et iussisti dicens. Pone terminos circa montem: et sanctifica illum. 24 Cui ait dominus. Vade descende: ascendesque tu et aaron tecum. Sacerdotes autem et populus non transeant terminos: nec ascendant ad dominum: ne forte interficiat illos. 25 Descenditque moyses ad populum: et omnia narrauit eis.

20 Locutusque est dominus cunctos sermones hos. 2 Ego sum dominus deus tuus· qui eduxi te de terra egipti: de domo seruitutis. 3 Non habebis deos alienos coram me. 4 Non facies tibi sculptile: neque omnem similitudinem que est in celo desuper· et que in terra deorsum: nec eorum que sunt in aquis sub terra. 5 Non adorabis ea neque coles. Ego sum dominus deus tuus fortis zelotes: visitans iniquitatem patrum in filijs· in terciam et quartam generationem· eorum qui oderunt me: 6 et faciens misericordiam in milia hijs qui diligunt me· et custodiunt precepta mea. 7 Non assumes nomen domini dei tui in vanum. Non enim habebit insontem dominus eum: qui assumpserit nomen domini dei sui frustra. 8 Memento vt diem sabbati sanctifices. 9 Sex diebus operaberis: et facies omnia opera tua. 10 Septimo autem die sabbatum domini dei tui est. Non facies omne opus in eo: tu et filius tuus et filia tua· seruus tuus et ancilla tua· iumentum tuum et aduena: qui est intra portas tuas. 11 Sex enim diebus fecit deus celum et terram et mare et omnia que in eis sunt: et requieuit in die septimo. Idcirco benedixit dominus diei sabbati: et sanctificauit eum. 12 Honora patrem tuum et matrem tuam: vt sis longeuus super terram quam dominus deus tuus dabit tibi. 13 Non occides. 14 Non mechaberis. 15 Non furtum facies. 16 Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 17 Non concupisces domum proximi. Nec desiderabis vxorem eius: non seruum non ancillam non bouem non asinum: nec omnia que illius sunt. 18 Cunctus autem populus audiebat voces· et lampades· et sonitum bucine· montemque fumantem: et perterrite ac pauore concussi steterunt procul: 19 dicentes moysi. Loquere tu nobis: et audiemus. Non loquatur nobis dominus: ne forte moriamur. 20 Et ait moyses ad populum. Nolite timere. Vt enim probaret vos venit deus: et vt terror illius esset in vobis: et non peccaretis. 21 Stetitque populus delonge: moyses autem accessit ad caliginem in qua erat deus. 22 Dixitque preterea dominus ad moysen. Hec dices filijs israhel. Vos vidistis quod de celo locutus sim vobis. 23 Non facietis deos argenteos: nec deos aureos facietis vobis. 24 Altare de terra facietis michi: et offeretis super eo olocausta et pacifica vestra· oues vestras et boues: in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei. Veniam ad te: et benedicam tibi. 25 Quod si altare lapideum feceris michi: non edificabis illud de sectis

lapidibus. Si enim leuaueris cultrum tuum super eo· polluetur. 26 Non ascendes per gradus ad altare meum: ne reueletur turpitudo tua.

21 Hec sunt iudicia que propones eis. 2 Si emeris seruum hebreum· sex annis seruiet tibi: in septimo egredietur liber gratis. 3 Cum quali veste intrauerit: cum tali exeat. Si habens vxorem: et vxor egredietur simul. 4 Si autem dominus dederit illi vxorem· et peperit filios et filias: mulier et liberi eius erunt domini sui: ipse vero exibit cum vestitu suo. 5 Quod si dixerit seruus· diligo dominum meum et vxorem ac liberos· non egrediar liber: 6 offerat eum dominus dijs· et applicabitur ad ostium et postes: perforabitque aurem eius subula· et erit ei seruus in seculum. 7 Si quis vendiderit filiam suam in famulam: non egredietur sicut ancille exire consueuerunt. 8 Si displicuerit oculis domini sui cui tradita fuerit dimittet eam: populo autem alieno vendidi non habebit potestatem· si spreuerit eam. 9 Si autem filio suo desponderit eam: iuxta morem filiarum faciet illi. 10 Quod si alteram ei acceperit· prouidebit puelle nupcias et vestimenta: et precium pudicicie non negabit. 11 Si tria ista non fecerit: egredietur gratis absque pecunia. 12 Qui percusserit hominem volens occidere: morte moriatur. 13 Qui autem non est insidiatus· sed deus illum tradiderit in manus eius: constituam tibi locum in quo fugere debeat. 14 Si quis per industriam occiderit proximum suum· et per insidias: ab altari meo euelles eum vt moriatur. 15 Qui percusserit patrem suum aut matrem: morte moriatur. 16 Qui maledixerit Qui patri suo vel matri: morte moriatur. Qui furatus fuit hominem· et vendiderit eum: conuictus noxe 17 morte moriatur. 18 Si rixati fuerint viri et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno· et ille mortuus non fuit sed iacuerit in lectulo: 19 si surrexerit et ambulauerit foris super baculum suum: innocens erit qui percusserit: ita tamen vt operas eius· et impensas in medicos restituat. 20 Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga et mortui fuerint in manibus eius: criminis reus erit. 21 Sinautem vno die vel duobus superuixerit· non subiacebit pene: quia pecunia illius est. 22 Si rixati fuerint viri· et percusserit quis mulierem pregnantem et abortiuum quidem fecerit· sed ipsa vixerit: subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit: et arbitri iudicauerint. 23 Si autem mors eius fuit subsecuta: reddet animam pro anima. 24 Oculum pro oculo· dentem pro dente: manum· pro pedem pro pede 25 adustionem pro adustione: vulnus pro vulnere· liuorem pro liuore. 26 Si percusserit quispiam oculum serui sui aut ancille· et luscos eos fecerit: dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. 27 Dentem quoque si excusserit seruo vel ancille sue: similiter dimittet eos liberos. 28 Si bos cornu percusserit virum· aut mulierem· et mortui fuerit· lapidibus obruetur: et non comedentur carnes eius: dominus quoque bouis innocens erit. 29 Quod si bos cornupeta fuit ab heri· et nudiustercius· et contestati sunt dominum eius· nec recluserit dominus eum· occideritque virum aut mulierem: et bos lapidibus obruetur: et dominum eius occident. 30 Quod si precium fuit ei impositum· dabit pro anima sua: quidquid fuerit postulatus. 31 Filium quoque et filiam· si cornu percusseit: simili sentencie subiacebit. 32 Si seruum ancillamque inuaserit: triginta siclos argenti domino dabit: bos vero lapidibus opprimetur. 33 Si quis aperuerit cisternam et foderit· et non operuerit eam· ceciderit que bos· aut asinus in eam: 34 reddet dominus cisterne precium iumentorum: quod autem mortuum est· ipsius erit. 35 Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit· et ille mortuus fuit: vendent bouem viuum et diuident precium: cadauer autem mortui· inter se dispertient. 36 Si autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri et nudiustercius et non custodiuit eum dominus suus: reddet bouem pro boue: et cadauer integrum accipiet.

22 Si quis furatus fuit bouem aut ouem· et occiderit vel vendiderit: quinque boues pro vno boue restituet: et quatuor oues pro vna oue. 2 Si effringens fur domum siue suffodiens fuit inuentus: et accepto vulnere mortuus fuit: percussor non erit reus sanguinis. 3 Quod si orto sole hoc fecerit· homicidium perpetrauit: et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat: ipse venundabitur. 4 Si inuentum fuit apud eum quod furatus est viuens· siue bos· siue asinus· siue ouis: duplum restituet. 5 Si leserit quispiam agrum vel vineam et dimiserit iumentum suum vt depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo vel in vinea pro damni estimatione restituet. 6 Si egressus ignis inuenerit spicas· et comprehenderit aceruos frugum siue stantes segetes in agris: reddet damnum qui ignem succenderit. 7 Si quis conmendauerit amico pecuniam aut vas in custodiam: et ab eo qui susceperat furto ablata fuerint: si inuenitur fur duplum reddet. 8 Si latet fur: dominus domus applicabitur ad deos: et iurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui 9 ad perpetrandam fraudem tam in boue· quam in asino· et oue· ac vestimento: et quidquid damnum inferre potest. Ad deos vtriusque causa perueniet: et si illi iudicauerint: duplum restituet proximo suo. 10 Si quis conmendauerit proximo suo bouem· asinum· ouem· et omne iumentum ad custodiam· et mortuum fuit ac debilitatum· vel captum ab hostibus nullusque hoc viderit: 11 iusiurandum erit in medio quod non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietque dominus iuramentum· et ille reddere non cogetur. 12 Quod si furto ablatum fuit: restituet damnum domino. 13 Si comestum a bestia: deferat ad eum quod occisum est: et non restituet. 14 Qui a proximo suo quicquam horum mutuo postulaueit· et debilitatum aut mortuum fuerit domino non presente: reddere compelletur. 15 Quod si in presentiarum dominus fuit· non restituet: maxime si conductum venerat pro mercede operis sui. 16 Si seduxerit quis virginem· necdum desponsatam· dormieritque cum ea: dotabit eam· et habebit eam vxorem. 17 Si pater virginis dare noluit: reddet pecuniam iuxta modum dotis· quam virgines accipere consueuerunt. 18 Maleficos non patieris viuere. 19 Qui coierit cum iumento: morte moriatur. 20 Qui immolat dijs occidetur: preter domino soli. 21 Aduenam non contristabis: neque affliges eum. Aduene enim et ipsi fuistis in terra egipti. 22 Vidue et pupillo non nocebitis. 23 Si leseritis eos· vociferabuntur ad me· et ego et audiam clamorem eorum: 24 et indignabitur furor meus· percutiamque vos gladio: et erunt vxores vestre vidue· et filij vestri pupilli. 25 Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum: non vrgebis eum quasi exactor: nec vsuris opprimes. 26 Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum: ante solis occasum reddes ei. 27 Ipsum enim est solum quo operitur indumentum carnis eius: nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauit ad me exaudiam eum: quia misericors sum. 28 Dijs non detrahes: et principi populi tui non maledices. 29 Decimas et primicias tuas non tardabis offerre. Primogenitum filiorum tuorum dabis michi. 30 De bobus quoque et ouibus· similiter facies. Septem diebus sit cum matre sua: die octaua reddes eum michi. 31 Viri sancti eritis michi. Carnem que a bestijs fuerit pregustata non comedetis: sed proicietis canibus.

23 Non suscipies vocem mendacij: nec iunges manum tuam vt pro impio dicas falsum testimonium. 2 Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio· plurimorum acquiesces sentencie· vt a vero deuies. 3 Pauperis quoque non misereberis in iudicio. 4 Si occurreris boui inimici tui· aut asino erranti: reduc ad eum. 5 Si videris asinum· odientis te· iacere sub onere non pertransibis: sed subleuabis cum eo. 6 Non declinabis in iudicium pauperis. 7 Mendacium fugies. Insontem et iustum non occides: quia aduersor impium. 8 Nec accipies munera· que eciam excecant prudentes: et subuertunt verba iustorum. 9 Peregrino molestus non eris. Scitis enim aduenarum animas· quia et ipsi peregrini fuistis in terra egipti. 10 Sex annis seminabis terram tuam: et congregabis fruges eius. 11 Anno autem septimo dimittes eam et requiescere facies: vt comedant pauperes populi tui: et quidquid reliquum fuit edant bestie agri. Ita facies in vinea· et in oliueto tuo. 12 Sex diebus operaberis: septima die cessabis· vt requiescat bos et asinus tuus: et refrigeretur filius ancille tue· et aduena. 13 Omnia que dixi vobis custodite: et per nomen externorum deorum non iurabitis: neque audietur ex ore vestro. 14 Tribus vicibus per singulos annos· michi festa celebrabitis. 15 Solemnitatem quoque azimorum custodies. Septem diebus comedetis azima sicut precepi tibi tempore mensis nouorum: quando egressus es de egipto. Non apparebis in conspectu meo vacuus. 16 Et solemnitatem mensis primitiuorum operis tui: quecumque seminaueris in agro: solemnitatem quoque in exitu anni: quando congregaueris omnes fruges tuas de agro. 17 Ter in anno apparebit omne

masculinum tuum coram domino deo tuo. [18] Non immolabis super fermento sanguinem victime tue: nec remanebit adeps solemnitatis mee vsque mane. [19] Primicias frugum terre tue deferes in domum domini dei tui. Non coques edum in lacte matris sue. [20] Ecce ego mittam angelum meum· qui precedat te et custodiat in via: et introducat in locum quem preparaui. [21] Obserua eum et audi vocem eius· nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris: et est nomen meum in illo. [22] Quod si audieris vocem eius· et feceris omnia que loquor inimicus ero inimicis tuis: et affligam affligentes te. [23] Precedetque te angelus meus: et introducet te· ad amorreum et etheum et pherezeum· chananeumque et eueum et iebuseum: quos ego conteram. [24] Non adorabis deos eorum: nec coles eos. Non facies opera eorum· sed destrues eos: et confringes statuas eorum. [25] Seruietisque domino deo vestro: vt benedicam panibus tuis· et aquis: et auferam infirmitatem de medio tui. [26] Non erit infecunda nec sterilis terra tua. Numerum dierum tuorum implebo. [27] Terrorem meum mittam in precursum tuum: et occidam omnem populum ad quem ingredieris. Cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam: [28] emittens scrabones prius qui fugabunt eueum· et chananeum· et etheum: antequam introeas. [29] Non eiciam eos a facie tua anno vno· ne terra in solitudinem redigatur: et crescant contra te bestie. [30] Paulatim expellam eos de conspectu tuo: donec augearis· et possideas terram. [31] Ponam autem terminos tuos a mari rubro vsque ad mare palestinorum: et a deserto vsque ad fluuium. Tradam in manibus vestris habitatores terre: et eiciam eos de conspectu vestro. [32] Non inibis cum eis fedus: nec cum dijs eorum. [33] Non habitent in terra tua: ne forte peccare te faciant in me si seruieris dijs eorum: quod tibi certe erit in scandalum.

24 Moysi quoque dixit. Ascende ad dominum· tu et aaron· nadab et abiu· et septuaginta senes ex israhel: et adorabitis procul. [2] Solusque moyses ascendet ad dominum: et illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo. [3] Venit ergo moyses: et narrauit plebi omnia verba domini atque iudicia. Responditque omnis populus· vna voce. Omnia verba domini que locutus est· faciemus. [4] Scripsit autem moyses vniuersos sermones domini: et mane consurgens edificauit altare domino ad radices montis: et duodecim titulos· per duodecim tribus israhel. [5] Misitque iuuenes de filijs israhel et obtulerunt olocausta: immolaueruntque victimas pacificas domino· vitulos duodecim. [6] Tulit itaque moyses dimidiam partem sanguinis et misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. [7] Assumensque volumen federis· legit audiente populo. Qui dixerunt. Omnia que locutus est dominus faciemus: et erimus obedientes. [8] Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum. Et ait. Hic est sanguis federis quod pepigit dominus vobiscum: super cunctis sermonibus hijs. [9] Ascenderuntque moyses et aaron· nadab et abiu· et septuaginta de senioribus israhel: [10] et viderunt deum israhel. Sub pedibus eius quasi opus lapidis saphirini: et quasi celum cum serenum est. [11] Necnon super eos qui procul recesserant de filijs israhel· misit manum suam. Videruntque deum: et comederunt ac biberunt. [12] Dixit autem dominus ad moysen. Ascende ad me in montem· et esto ibi: daboque tibi duas tabulas lapideas et legem ac mandata que scripsi: vt doceas filios israhel. [13] Surrexerunt moyses· et iosue minister eius: ascendensque moyses in montem dei· [14] senioribus ait. Expectate hic: donec reuertamur ad vos. Habetis aaron et hur vobiscum: si quid natum fuit questionis referetis ad eos. [15] Cumque ascendisset moyses· operuit nubes montem: [16] et habitauit gloria domini super synai tegens illum nube sex diebus. Septimo autem die· vocauit eum dominus de medio caliginis. [17] Erat autem species glorie domini quasi ignis ardens super verticem montis: in conspectu filiorum israhel. [18] Ingressusque moyses medium nebule· ascendit in montem: et fuit ibi quadraginta diebus· et quadraginta noctibus.

25 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Loquere filijs israhel: vt tollant michi primicias. Ab omni homine qui offert vltroneus· accipietis eas. [3] Hec sunt autem que accipere debetis. Aurum et argentum et es· et [4] iacinctum et purpuram· coccumque bistinctum et bissum· et pilos caprarum· [5] et pelles arietum rubricatas· pellesque iacinctinas· et ligna sethim: [6] oleum ad luminaria concinnanda: aromata in vngentum et thimiamata boni odoris: [7] lapides onichinos et gemmas ad ornandum ephot et racionale. [8] Facientque michi sanctuarium· et habitabo in medio eorum· [9] iuxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi: et omnium vasorum in cultum eius. Sicque facietis illud. [10] Archam de lignis sethim compingite: cuius longitudo habeat duos et semis cubitos· latitudo cubitum et dimidium· altitudo cubitum similiter ac semissem: [11] et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris. Faciesque supra· coronam auream per circuitum: [12] et quatuor circulos aureos· quos pones per quatuor arche angulos. Duo circuli sint in latere vno: et duo in altero. [13] Facies quoque vectes de lignis sethim· et operies eos auro. [14] Introducesque per circulos· qui sunt in arche lateribus: vt portetur in eis. [15] Qui semper erunt in circulis: nec vnquam extrahentur ab eis. [16] Ponesque in archa testificationem quam dabo tibi. [17] Facies et propiciatorium de auro mundissimo. Duos cubitos et dimidium tenebit longitudo eius: et cubitum ac semissem latitudo. [18] Duos quoque cherubin aureos et productiles facies ex vtraque parte oraculi. [19] Cherubin vnus sit in latere vno: et alter in altero. [20] Vtrumque latus propiciatorij tegant expandentes alas· et operientes oraculum: respiciantque se mutuo· versis vultibus in propiciatorium· quo operienda est archa: [21] in qua pones testimonium quod dabo tibi. [22] Inde precipiam et loquar ad te: re: te: supra propiciatorio scilicet· ac medio duorum cherubin qui erunt super archam testimonij· cuncta que mandabo per te filijs israhel. [23] Facies et mensam de lignis sethim· habentem duos cubitos longitudinis· et in latitudine cubitum· et in altitudine cubitum ac semissem: [24] et inaurabis eam auro purissimo. Faciesque illi labium aureum per circuitum: [25] et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis: et super illam alteram coronam aureolam. [26] Quatuor quoque circulos aureos preparabis: et pones eos in quatuor angulis eiusdem mense· per singulos pedes. [27] Subter coronam erunt circuli aurei· vt mittantur vectes per eos: et possit mensa portari. [28] Ipsos quoque vectes facies de lignis sethim· et circumdabis auro: ad subuehendam mensam. [29] Parabis et acetabula· ac phialas· thuribula et ciathos· in quibus offerenda sunt libamina· ex auro purissimo: [30] et pones super mensam panes proposicionis in conspectu meo semper. [31] Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo: hastile eius· et calamos sciphos et sperulas· ac lilia ex ipso procedentia. [32] Sex calami egredientur de lateribus: tres ex vno latere: et tres ex altero. [33] Tres sciphi quasi in nucis modum per calamos singulos· speruleque simul et lilia: et tres similiter sciphi instar nucis in calamo altero: speruleque simul et lilia. Hoc erit opus sex calamorum: qui producendi sunt de hastili. [34] In ipso autem candelabro erunt quatuor sciphi in nucis modum: speruleque per singulos et lilia. [35] Et sperula sub duobus calamis per tria loca: qui simul sex fiunt· procedentes de hastili vno. [36] Et sperule igitur et calami ex ipso: erunt vniuersa ductilia ex auro purissimo. [37] Facies et lucernas septem: et pones eas super candelabrum· vt luceant exaduerso. [38] Emunctoria quoque· et vbi ea que emuncta sunt extinguantur: fiant de auro purissimo. [39] Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis· habebit talentum auri purissimi. [40] Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.

26 Tabernaculum vero ita facies. Decem cortinas de bisso retorta· et iacincto ac purpura· coccoque bistincto variatas opere plumario facies. [2] Longitudo cortine vnius habebit viginti octo cubitos: latitudo quatuor cubitorum erit. Vnius mensure fient vniuersa tentoria. [3] Quinque cortine sibi iungentur mutuo: et alie quinque nexu simili coherebunt. [4] Ansulas iacinctinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum: vt possint inuicem copulari. [5] Quinquagenas ansulas cortina habebit in vtraque parte ita insertas· vt ansa contra ansam veniat: et altera alteri possit aptari. [6] Facies et quinquaginta circulos aureos· quibus cortinarum vela iungenda sunt: vt vnum tabernaculum fiat. [7] Facies et saga cilicina vndecim: ad operiendum tectum tabernaculi· [8] longitudo sagi vnius habebit triginta cubitos: et latitudo quatuor. Equa erit mensura sagorum omnium. [9] Equibus quinque iunges seorsum· et sex sibi mutuo copulabis: ita vt sextum sagum in fronte tecti

duplices. [10] Facies et quinquaginta ansas in ora sagi vnius· vt coniungi cum altero queat: et quinquaginta ansas in ora sagi alterius· vt cum altero copuletur. [11] Facies et quinquaginta fibulas eneas· quibus iungantur anse: vt vnum ex omnibus operimentum fiat. [12] Quod autem superfuit in sagis que parantur tecto· id est vnum sagum quod amplius est: ex medietate eius operies tabernaculi posteriora: [13] et cubitus ex vna parte pendebit· et alter ex altera· qui plus est in sagorum longitudine: vtrumque latus tabernaculi protegens. [14] Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: et super hoc rursum aliud operimentum de iacinctinis pellibus. [15] Facies et tabulas stantes tabernaculi de lignis sethim: [16] que singule denos cubitos in longitudine habeant: et in latitudine singulos ac semissem. [17] In lateribus tabule· due in castrature fient: quibus tabula alteri tabule connectatur. Atque in hunc modum cuncte tabule parabuntur. [18] Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad austrum: [19] quibus quadraginta bases argenteas fundes: vt bine bases singulis tabulis per duos angulos subiciantur. [20] In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad aquilonem· viginti tabule erunt: [21] quadraginta habentes bases argenteas. Bine bases singulis tabulis supponentur. [22] Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas: [23] et rursum alias duas· que in angulis erigantur post tergum tabernaculi. [24] Eruntque sibi coniuncte a deorsum vsque ad sursum: et vna omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis que in angulis ponende sunt: similis iunctura seruabitur. [25] Et erunt simul tabule octo: bases earum argentee sedecim: duabus basibus per vnam tabulam supputatis. [26] Facies et vectes de lignis sethim quinque ad continendas tabulas· in vno latere tabernaculi· [27] et quinque alios in altero: et eiusdem numeri ad occidentalem plagam: [28] qui mittentur per medias tabulas: a summo· vsque ad summum. [29] Ipsasque tabulas deaurabis: et fundes in eis anulos aureos per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis. [30] Et eriges tabernaculum: iuxta exemplar quod tibi in monte monstratum est. [31] Facies et velum de iacincto et purpura· coccoque bistincto· et bisso retorta· opere plumario· et pulcra varietate contextum: [32] quod appendes ante quatuor columnas de lignis sethim: que ipse: quidem deaurate erunt· et habebunt capita aurea· et bases argenteas. [33] Inseretur autem velum per circulos: intra quod pones archam testimonij: et quo sanctuarium· et sanctuarij sanctuaria diuidentur. [34] Pones et propiciatorium super archam testimonij· in sancta sanctorum: [35] mensamque extra velum: et contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano. Mensa enim stabit in parte aquilonis. [36] Facies et tentorium in introitu tabernaculi· de iacincto et purpura· coccoque bistincto· et bisso retorta opere plumario: [37] et quinque colu

27 Facies et altare de lignis sethim· est quadrum: et tres cubitos in altitudine. mnas deaurabis lignorum sechim· ante autem quas ducetur tentorium: quarum angulos ducetur erunt capita aurea· et bases enee. acies et de sethim· altare lignis quod habebit quinque cubitos in longitudine: et totidem in latitudine id est quadrum: et tres cubitos in altitudilebetes atque fuscinulas· ne. [2] Cornua autem per quatuor angulos [3] in vsus eius lebetes ad suscipiendos atque fuscinulas· cineres: et forcipes· atque fuscinulas· et ignium receptacula. Omnia vasa ex ere fabricabis. [4] Craticulamque in modum retis eneam: per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli enei· [5] quos pones subter arulam altaris. Eritque craticula vsque ad altaris medium. [6] Facies et vectes altaris de lignis sethim duos· quos operies laminis eneis· [7] et induces per circulos: eruntque ex vtroque latere altaris ad portandum. [8] Non solidum sed inane et cauum intrinsecus facies illud: sicud tibi in monte monstratum est. [9] Facies et atrium tabernacli: in cuius australi plaga contra meridiem: erunt tentoria de bisso retorta. Centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine: [10] et columnas viginti cum basibus totidem eneis: que capita cum celaturis suis habebunt argentea. [11] Similiter et in latere aquilonis· per longum erunt tentoria centum cubitorum: columne viginti· et bases enee eiusdem numeri: et capita earum cum celaturis suis argentea. [12] In latitudine vero atrij quod respicit ad occidentem erunt tentoria per quinquaginta cubitos: et columne decem basesque totidem. [13] In ea quoque atrij latitudine que respicit ad orientem quinquaginta cubiti erunt: [14] in quibus quindecim· cubitorum tentoria lateri vno deputabuntur columneque tres· et bases totidem: [15] et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim· columne tres· et bases totidem. [16] In introitu vero atrij· fiet tentorium· cubitorum viginti· ex iacincto et purpura· coccoque bistincto et bisso retorta: opere plumario. Columnas habebit quatuor: cum basibus totidem. [17] Omnes columne atrij per circuitum· vestite erunt argenteis laminis: capitibus argenteis: et basibus eneis. [18] In longitudine occupabit atrium cubitos centum: in latitudine quinquaginta. Altitudo quinque cubitorum erit: fietque de bisso retorta: et habebit bases eneas. [19] Cuncta vasa tabernaculi in omnes vsus et ceremonias· tam paxillos eius quam atrij· ex ere facies. [20] Precipe filijs israhel· vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum· piloque contusum: vt ardeat lucerna semper· [21] in tabernaculo testimonij extra velum quod oppansum est testimonio: et collocabunt eam aaron et filij eius· vt vsque mane luceat coram domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum coram filijs israhel.

28 Applica quoque ad te aaron fratrem tuum cum filijs suis de medio filiorum israhel· vt sacerdotio fungantur michi aaron· nadab· et abiu· eleazar· et ythamar: [2] faciesque vestem sanctam· aaron fratri tuo in gloriam et decorem. [3] Et loqueris cunctis sapientibus corde· quos repleui spiritu prudentie: vt faciant vestes aaron fratri tuo in gloriam et decorem: quibus sanctificatus ministret michi. [4] Hec autem erunt vestimenta que facient. Racionale et superhumerale: tunicam et lineam strictam: cidarim· et baltheum. Facient fratri tuo aaron· et filijs eius vestimenta sancta: vt sacerdotio fungantur michi. [5] Accipientque aurum et iacinctum et purpuram· coccumque bistinctum et bissum. [6] Facient autem superhumerale de auro et iacincto et purpura coccoque bistincto et bisso retorta: opere polimito. [7] Duas oras iunctas habebit in vtroque latere summitatum: vt in vnum redeant. [8] Ipsa quoque textura et cuncta operis varietas erit ex auro et iacincto et purpura: coccoque bistincto et bisso retorta. [9] Sumesque duos lapides onichinos· et sculpes in eis nomina filiorum israhel: [10] sex nomina in lapide vno· et sex reliqua in altero· iuxta ordinem natiuitatis eorum. [11] Opere sculptoris· et celatura gemmarij· sculpes eos nominibus filiorum israhel· inclusos auro atque circumdatos: [12] et pones in vtroque latere superhumeralis· memoriale filijs israhel. Portabitque aaron nomiua eorum coram domino super vtrumque humerum: ob recordationem. [13] Facies et vncinos ex auro: [14] et duas catenulas auri purissimi sibi inuicem coherentes: quas inseres vncinis. [15] Racionale quoque iudicij facies opere polimito iuxta texturam superhumeralis: ex auro iacincto· et purpura· coccoque bistincto et bisso retorta. [16] Quadrangulum erit et duplex. Mensuram palmi habebit· tam in longitudine quam in latitudine: [17] ponesque in eo quatuor ordines lapidum. In primo versu erit lapis sardius· et thopasius et smaragdus. [18] In secundo carbunculus et saphirus et iaspis. [19] In tercio· ligurius achates· et ametistus. [20] In quarto crisolitus onichinus et berillus. Inclusi auro erunt per ordines suos: [21] habebuntque nomina filiorum israhel. Duodecim nominibus celabuntur· singuli lapides nominibus singulorum: per duodecim tribus. [22] Facies in racionali catenas sibi inuicem coherentes: ex auro purissimo· [23] et duos anulos aureos quos pones in vtraque racionalis summitate: [24] catenasque aureas iunges anulis qui sunt in marginibus eius: [25] et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis in vtroque latere superhumeralis quod racionale respicit. [26] Facies et duos anulos aureos· quos pones in summitatibus racionalis· in horis que eregione sunt superhumeralis· et posteriora eius aspiciunt: [27] necnon et alios duos anulos aureos· qui ponendi sunt in vtroque latere superhumeralis deorsum· quod respicit contra faciem iuncture inferioris· vt aptari possit cum superhumerali· [28] et stringatur racionale anulis suis cum anulis superhumeralis· vitta iacinctina: vt maneat iunctura fabrefacta· et a se inuicem racionale et superhumerale nequeant separari. [29] Portabitque aaron nomina filiorum israhel in racionali iudicij super pectus suum· quando ingredietur sanctuarium: memoriale coram domino ineternum. [30] Pones autem in racionali iudicij· doctrinam et veritatem· que erunt in pectore aaron quando ingredietur coram domino: et gestabit iudicium filiorum israhel in pectore

suo· in conspectu domini semper. 31 Facies et tunicam superhumeralis totam iacinctinam: 32 in cuius medio supra· erit capitium· et ora per gyrum eius textilis· sicut fieri solet in extremis vestium partibus: ne facile rumpatur. 33 Deorsum vero ad pedes eiusdem tunice per circuitum quasi malapunica facies· ex iacincto et purpura· et cocco et bisso retorta· mixtis in medio tintinabulis: 34 ita vt tintinnabulum sit aureum et malumpunicum: rursumque tintinnabulum· aliud aureum et malumpunicum. 35 Et vestietur ea aaron in officio ministerij: vt audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur sanctuarium· in conspectu domini: et non moriatur. 36 Facies et laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere celatoris sanctum domino. 37 Ligabisque eam vitta iacinctina: et erit super thyaram 38 imminens fronti pontificis. Portabitque aaron iniquitates eorum· que obtulerunt et sanctificauerunt filij israhel: in cunctis muneribus et donarijs suis. Erit autem lamina semper in fronte eius: vt placatus sit ei dominus. 39 Stringesque tunicam bysso: et thyaram byssinam facies et baltheum opere plumarij. 40 Porro filijs aaron tunicas lineas parabis· et baltheos· ac thyaras in gloriam et decorem: 41 vestiesque hijs omnibus aaron fratrem tuum· et filios eius cum eo et cunctorum consecrabis manus: sanctificabisque illos· vt sacerdotio fungantur michi. 42 Facies et feminalia linea vt operiant carnem turpitudinis sue· a renibus vsque ad femora: 43 et vtentur eis aaron et filij eius quando ingredientur tabernaculum testimonij· vel quando appropinquant ad altare vt ministrent in sanctuario: ne iniquitatis rei moriantur. Legittimum sempiternum erit aaron: et semini eius post eum.

29 Sed et hoc facies: vt michi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento· et arietes duos immaculatos: 2 panesque azimos· et crustulam absque fermento· que conspersa sint oleo: lagana quoque azima· oleo lita. De simila triticea cuncta facies: 3 et posita in canistro offeres: vitulum autem et duos arietes· 4 et aaron ac filos eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cumque laueris patrem cum filijs suis aqua· 5 indues aaron vestimentis suis idest linea et tunica· et superhumerali· et racionali quod confilios stringes baltheo: et pones thyaram in capite eius· et laminam sanctam thyaram· et oleum vnctionis super caput eius: atque hoc ritu bitur. Filios quoque illius applicabis et indues tunicis lineis: cingesque baltheo· aaron scilicet et liberos eius· pones eis mitras: eruntque sacerdotes chi religione perpetua. Postquam iniciaueomnia ris manus eorum: applicabis et vitulum coram tabernaculo testimonij. Imponentque et eius manus illius· conspectu iuxta ostium tabernaculi testimonij: sumptumque de sanguine vituli· pones super cornua altaris adipem totum operit intestina· et reticulum super altare: carnes vero vituli et corium et fimum conbures quod pro peccato sit. Vnum quoque aaron et filij eius manus: tolron· fundes re: ipsum 6 autem arietem secabis in frusta: les de sanguine eius 7 et fundes circa altare: ipsum autem arietem secabis in 8 frusta: lotaque intestina eius et pedes pones super in incensum super 9 alta incensum super alta et impones michi religione perpetua. Postquam iniciaueris 10 coram tabernaculo testimonij. Imponentque eius et manus eius manus super caput 11 et mactabis eum in conspectu domini: 12 sanguine vituli· pones super altaris digito tuo: reliquum autem sanguinem fundes iuxta basim eius. 13 Sumes et qui adipem totum qui operit intestina· et reticulum iecoris· ac duos renes· et adipem quia super eos est et offeres incensum 14 foris extra castra: eo 15 arietem sumes· super cuius caput ponent aaron et filij eius manus: 16 quem cum mactaueris: tolles de sanguine eius eius et fundes fundes circa altare: 17 ipsum autem arietem secabis in frusta: lotaque intestina eius pedes pones super concisas carnes· et super caput illius: et concisas carnes· et super caput illius: 18 et offeres totum arietem n incensum super re. Oblatio est domino: odor suauissimus victime domini. 19 Tolles quoque arietem alterum: super cuius caput aaron et filij eius ponent manus. 20 Quem cum immolaueris· sumes de sanguine eius· et pones super extremum auricule dextere aaron et filiorum eius· et super pollices manus eorum ac pedis dextri: fundesque sanguinem super altare per circuitum. 21 Cumque tuleris de sanguine qui est super altare· et de oleo vnctionis: asperges aaron et vestes eius· filios et vestimenta eorum. Consecratisque ipsis et vestibus· 22 tolles adipem de ariete· et caudam et aruinam que operit vitalia· ac reticulum iecoris· et duos renes atque eius· et domini: quia oblatio eius est· sumes quoque super eos armumque dextrum eo quod sit aries consecrationis: 23 tortamque panis vnius· crustulam conspersam oleo· laganum de canistro azimorum quod positum est in conspectu domini: 24 ponesque super manus aaron et filiorum et sanctificabis eos· eleuans coram domino. 25 Suscipiesque vniuersa de manibus eorum et incendes super altare in olocaustum: odorem suauissimum in conspectu 26 pectusculum de ariete quo iniciatus est aaron: sanctificabisque illud eleuatum coram domino: et cedet in partem tuam. 27 Sanctificabisque et pectusculum consecratum et armum quem de ariete separasti· 28 quo iniciatus est aaron et filij eius: cedentque in partem aaron et filiorum eius iure perpetuo a filijs israhel: quia primiciua sunt et inicia de eorum que domino. victimis eorum pacificis que offerunt domino. 29 Vestem autem sanctam qua vtetur aaron· habebunt filij eius post eum· vt vngantur in ea: et consecrentur manus eorum. 30 Septem diebus vtetur illa qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filijs eius: et qui ingredietur tabernaculum testimonij vt ministret in sanctuario. 31 Arietem autem tolles: et coques carnes eius in loco sancto: 32 quibus vescetur aaron et filij eius. Panes quoque qui sunt in canistro· in vestibulo tabernaculi testimonij comedent· 33 vt sit placabile sacrificium: et sanctificentur offerentium manus· alienigena non vescetur ex eis: quia sancti sunt. 34 Quod si remanserit de carnibus consecratis siue de panibus vsque mane: conbures reliquias igni non comedentur: quia sanctificata sunt. 35 Omnia que precipio tibi facies super aaron et filijs eius. Septem diebus consecrabis manus eorum: 36 et vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum. Mundabisque altare cum immolaueris expiationis hostiam: et vnges illud in sanctificationem. 37 Septem diebus expiabis altare et sanctificabis: et erit sanctum sanctorum. Omnis qui tetigerit illud· sanctificabitur. 38 Hoc est quod facies in altari. Agnos anniculos duos per singulos dies iugiter 39 vnum agnum mane et alterum vespere: 40 decimam partem simile consperse oleo tunso· quod habeat mensuram quartam partem hin: et vinum ad libandum eiusdem mensure· in agno vno. 41 Alterum vero agnum offeres ad vesperam· iuxta ritum matutine oblationis: et iuxta ea que diximus in odorem suauitatis. 42 Sacrificium domino deo est oblatione perpetua in generationes vestras· ad ostium tabernaculi testimonij coram domino: vbi constituam vt loquar ad te. 43 Ibique precipiam filijs israhel: et sanctificabitur altare in gloria mea. 44 Sanctificabo et tabernaculum testimonij cum altari· et aaron cum filijs suis: vt sacerdotio fungantur michi. 45 Et habitabo in medio filiorum israhel· eroque eis deus: 46 et scient quia ego dominus deus eorum qui eduxi eos de terra egipti· vt manerem inter illos: ego dominus deus ipsorum.

30 Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis sethim: 2 habens cubitum longitudinis· et alterum latitudinis· et quadrangulum: et duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent: 3 vestiesque illud auro purissimo· tam craticulam eius quam parietes per circuitum et cornua. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum: 4 et duos anulos aureos sub corona per singula latera: vt mittantur in eos vectes· et altare portetur. 5 Ipsos quoque vectes facies de lignis sethim: et inaurabis. 6 Ponesque altare contra velum quod ante archam pendet testimonij· coram propiciatorio quo tegitur testimonium· vbi loquar tibi: 7 et adolebit incensum super eo aaron· suaue fragrans. Mane quando componet lucernas· incendet illud: 8 et quando collocat eas ad vesperum vret thymiama sempiternum coram domino in generationes vestras. 9 Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius: nec oblationem et victimam· nec liba libabitis. 10 Et deprecabitur aaron super cornua eius semel per annum· in sanguine quod oblatum est pro peccato: et placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit domino. 11 Locutusque est dominus ad moysen dicens. 12 Quando tuleris summam filiorum israhel iuxta numerum dabunt singuli precium pro animabus suis domino: et non erit plaga in eis cum fuerint recensiti. 13 Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen: dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur domino. 14 Qui

habetur in numero a viginti annis et supra dabit precium. 15 Dies non addet ad medium sicli: et pauper nichil minuet. 16 Susceptamque pecuniam que collata est a filijs israhel· trades in vsus tabernaculi testimonij· vt sit monimentum eorum coram domino: et propicietur animabus eorum. 17 Locutusque est dominus ad moysen dicens. 18 Facies et labium eneum cum basi sua ad lauandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonij et altare. Et missa aqua 19 lauabunt in ea aaron et filij eius manus suas ac pedes: 20 quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij· et quando accessuri sunt ad altare· vt offerant in eo thymiama domino: 21 ne forte moriantur. Legittimum sempiternum erit ipsi et semini eius· per successiones. 22 Locutusque est dominus ad moysen 23 dicens. Sume tibi aromata· prime mirre et electe quingentos siclos· et cinamomi medium idest ducentosquinquaginta siclos: calami similiter ducentosquinquaginta siclos· 24 cassie aut quingentos siclos in pondere sanctuarij: oleum de oliuetis mensuram hin. 25 Faciesque vnctionis oleum sanctum· vngentum compositum opere vnguentarij: 26 et vnges ex eo tabernaculum testimonij· et arcam testamenti· 27 mensamque cum vasis suis· candelabrum et vtensilia eius altaria thymiamatis 28 et olocausti· et vniuersam suppellectilem que ad cultum eorum pertinet: 29 sanctificabisque omnia· et erunt sancta sanctorum. Qui tetigerit ea sanctificabitur. 30 Aaron et filios eius vnges: sanctificabisque eos vt sacerdotio fungantur michi. 31 Filijs quoque israhel dices. Hoc oleum vnctionis sanctum erit michi in generationes vestras. 32 Caro hominis non vngetur ex eo: et iuxta compositiouem eius non facietis aliud quia sanctificatum est: et sanctum erit vobis. 33 Homo quicumque tale composuerit· et dederit ex eo alieno: exterminabitur de populo suo. 34 Dixitque dominus ad moysen. Sume tibi aromata· stacten· et onicham· galbanum boni odoris· et thus lucidissimum: equalis ponderis erunt omnia. 35 Faciesque thymiama compositum opere vnguentarij mixtum diligenter· et purum: et sanctificacione dignissimum. 36 Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis pones ex eo coram tabernaculo testimonij: in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. 37 Talem compositionem non facietis in vsus vestros: quia sanctum est domino. 38 Homo quicumque fecerit simile vt odore illius perfruatur: peribit de populis suis.

31 Locutusque est dominus ad moysen dicens. 2 Ecce vocaui beseleel ex nomine filium huri filij hur de tribu iuda: 3 et impleui eum spiritu dei· sapientia et intelligentia et scientia: in omni opere· 4 ad excogitandum quicquid fabrefieri potest ex auro et argento et ere· 5 marmore· et gemmis· et diuersitate lignorum. 6 Dedique ei socium ooliab filium achisamech: de tribu dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam· vt faciant cuncta que precepi tibi: 7 tabernaculum federis· et arcam testimonij et propiciatorium quod super eam est: et cuncta vasa tabernaculi· 8 mensamque et vasa eius· candelabrum purissimum cum vasis suis: et altaria thymiamatis 9 et olocausti· et omnia vasa eorum: labium cum basi sua: 10 vestes sanctas in ministerio aaron sacerdoti et filijs eius vt fungantur officio suo in sacris: 11 oleum vnctionis· et thymiama aromatum in sanctuario. Omnia que precepi tibi facient. 12 Et locutus est dominus ad moysen dicens. 13 Loquere filijs israhel: et dices ad eos. Videte vt sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me et vos in generationibus vestris: vt sciatis quia ego dominus qui sanctifico vos. 14 Custodite sabbatum meum. Sanctum enim est vobis. Qui polluerit illud: morte morietur. Qui fecerit opus in eo: peribit anima illius de medio populi sui. 15 Sex diebus facietis opus: in die septimo sabbatum est: requies sancta domino. Omnis qui fecerit opus in hac die· morietur. 16 Custodiant filij israhel sabbatum: et celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum 17 inter me et filios israhel: signumque perpetuum. Sex enim diebus dominus fecit celum et terram: et in septimo ab omni opere cessauit. 18 Deditque dominus moysi completis huiuscemodi sermonibus in monte synai· duas tabulas testimonij lapideas: scriptas digito dei.

32 Videns autem populus quod moram faceret moyses descendendi de monte: congregatus aduersus aaron dixit. Surge: fac nobis deos qui nos precedant. Moysi enim viro huic qui nos eduxit de terra egipti: ignoramus quid acciderit. 2 Dixitque ad eos aaron. Tollite inaures aureas· de vxorum· filiorumque et filiarum vestrarum auribus: et afferte ad me. 3 Fecit populus que iusserat: deferens inaures ad aaron. 4 Quas cum ille accepisset formauit opere fusorio: et fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque. Hij sunt dij tui israhel: qui te eduxerunt de terra egipti. 5 Quod cum vidisset aaron edificauit altare coram eo: et preconis voce clamauit dicens. Cras solemnitas domini est. 6 Surgentesque mane obtulerunt olocausta et hostias pacificas: et sedit populus manducare et bibere: et surrexerunt ludere. 7 Locutus est autem dominus ad moysen dicens. Vade descende: peccauit populus tuus quem eduxisti de terra egipti. 8 Recesserunt cito de via quam ostendisti eis. Feceruntque sibi vitulum conflatilem et adorauerunt: atque immolantes ei hostias dixerunt. Isti sunt dij tui israhel: qui te eduxerunt de terra egipti. 9 Rursumque ait dominus ad moysen. Cerno quod populus iste dure ceruicis sit. 10 Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos et deleam eos: faciamque te in gentem magnam. 11 Moyses autem orabat dominum deum suum dicens. Cur domine irascitur furor tuus contra populum tuum· quem eduxisti de terra egipti: in fortitudine magna et in manu robusta? 12 Ne queso dicant egipti: callide eduxit eos· vt interficeret in montibus: et deleret e terra. Quiescat ira tua: et esto placabilis super nequitia populi tui. 13 Recordare abraham et ysaac et israhel seruorum tuorum: quibus iurasti per temetipsum dicens. Multiplicabo semen vestrum sicut stellas celi: et vniuersam terram hanc de qua locutus sum dabo semini vestro: et possidebitis eam semper. 14 Placatusque est dominus: ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum. 15 Et reuersus est moyses de monte: portans duas tabulas testimonij in manu sua· scriptas vtraque parte: 16 et factas opere domini. Scriptura quoque dei erat sculpta in tabulis. 17 Audiens autem iosue tumultum populi vociferantis· dixit ad moysen. Vlulatus pugne auditur in castris. 18 Qui respondit. Non est clamor adhortantium ad pugnam: neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio. 19 Cumque appropinquasset ad castra vidit vitulum et choros: iratusque valde proiecit de manu tabulas: et confregit eas ad radicem montis. 20 Arripiensque vitulum quem fecerant· combussit et contriuit vsque ad puluerem: quem sparsit in aquam: et dedit ex ea potum filijs israhel. 21 Dixitque moyses ad aaron. Quid tibi fecit hic populus: vt induceres super eum peccatum maximum? 22 Cui ille respondit. Ne indignetur dominus meus. Tu enim nosti populum istum quod pronus sit ad malum. 23 Dixerunt michi. Fac nobis deos qui nos precedant. Huic enim moysi qui nos eduxit de terra egipti: nescimus quid acciderit. 24 Quibus ego dixi. Quis vestrum habet aurum? Tulerunt et dederunt michi· et proieci illud in ignem: egressusque est hic vitulus. 25 Videns ergo moyses populum quod esset nudatus: spoliauerat enim eum aaron propter ignominiam sordis· et inter hostes nudum constituerat: 26 et stans in porta castrorum ait. Si quis est domini iungatur michi. Congregatique sunt ad eum omnes filij leui. 27 Quibus ait. Hec dicit dominus deus israhel. Ponat vir gladium super femur suum. Ite et redite de porta vsque ad portam per medium castrorum: et occidite vnusquisque fratrem suum et amicum et proximum suum. 28 Feceruntque filij leui iuxta sermonem moysi: ceciderunteque in die illo quasi trigintatria milia hominum. 29 Et ait moyses. Consecrastis manus vestras hodie domino· vnusquisque in filio et in fratre suo: vt detur vobis benedictio. 30 Facto autem altero die locutus est moyses ad populum. Peccastis peccatum maximum. Ascendam ad dominum: si quo modo eum quiuero deprecari pro scelere vestro. 31 Reuersusque ad dominum ait. Obsecro domine· peccauit populus iste peccatum maximum: fecerunt que sibi deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam: 32 aut si non vis: dele me de libro tuo quem scripsisti. 33 Cui respondit dominus. Qui peccauerit michi: delebo eum de libro meo. 34 Tu autem vade: et duc populum istum quo locutus sum tibi. Angelus autem meus precedet te. Ego autem in die vltionis visitabo et hoc peccatum eorum. 35 Percussit autem dominus populum pro reatu vituli: quem fecerat aaron.

33 Locutusque est dominus ad moysen dicens. Vade et ascende de loco isto· tu et populus tuus quem eduxisti de terra egipti· in terram quam

iuraui abraham· et iacob· dicens semini tuo dabo eam: [2] et mittam precursorem tui angelum· vt eiciam chananeum et amorreum· et etheum et phereseum· et eueum et iebuseum: [3] et intres in terram fluentem lacte et melle. Non enim ascendam tecum: quia populus dure ceruicis est: ne forte disperdam te in via. [4] Audiensque populus sermonem hunc pessimum luxit: et nullus ex more indutus est cultu suo. [5] Dixitque dominus ad moysen. Loquere filijs israhel. Populus dure ceruicis es: semel ascendam in medio tui et delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum: vt sciam quid faciam tibi. [6] Deposuerunt ergo filij israhel· ornatum suum a monte oreb. [7] Moyses quoque tollens tabernaculum· tetendit extra castra procul: vocauitque nomen eius tabernaculum federis. Et omnis populus qui habebat aliquam questionem· egrediebatur ad tabernaculum federis extra castra. [8] Cumque egrederetur moyses ad tabernaculum surgebat vniuersa plebs· et stabat vnusquisque in ostio papilionis sui: aspiciebantque tergum moysi donec ingrederetur tentorium. [9] Ingresso autem illo tabernaculum federis· descendebat columna nubis et stabat ad ostium: loquebaturque dominus cum moyse: [10] cernentibus vniuersis quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi et adorabant per fores tabernaculorum suorum. [11] Loquebatur autem dominus ad moysen facie ad faciem· sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reuerteretur in castra: minister eius iosue filius num puer non recedebat de tabernaculo. [12] Dixit autem moyses ad deum precipis vt educam populum istum· et non indicas michi quem missurus sis mecum: presertim cum dixeris· noui te ex nomine: et inuenisti gratiam coram me. [13] Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo: ostende michi faciem tuam· vt sciam te: et inueniam gratiam ante oculos tuos. Respice populum tuum gentem hanc. [14] Dixitque deus. Facies mea precedet te· et requiem dabo tibi. [15] Et ait moyses. Si non tuipse precedas: ne educas nos de loco isto. [16] In quo enim scire poterimus ego et populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu tuo· nisi ambulaueris nobiscum: vt glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram? [17] Dixit autem dominus ad moysen. Et verbum istud quod locutus es faciam. Inuenisti enim gratiam coram me: et teipsum noui ex nomine. [18] Qui ait. Ostende michi gloriam tuam. [19] Respondit. Ego ostendam omne bonum tibi: et vocabor in nomine domini coram te: et miserebor cui voluero· et clemens ero in quem michi placuerit. [20] Rursumque ait. Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo et viuet. [21] Et iterum. Ecce inquit est locus aput me: et stabis supra petram. [22] Cumque transibit gloria mea· ponam te in foramine petre: et protegam dextera mea donec transeam. [23] Tollamque manum meam: et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

34 Ac deinceps prescide ait tibi duas tabulas lapideas instar priorum: et scribam super eas verba que habuerunt tabule quas fregisti. [2] Esto paratus mane· vt ascendas statim in montem synai: stabisque mecum super verticem montis. [3] Nullus ascendat tecum: nec videatur quispiam per totum montem: boues quoque et oues non pascantur econtra. [4] Excidit ergo duas tabulas lapideas· quales antea fuerant: et de nocte consurgens ascendit in montem synai· sicut preceperat ei dominus: portans secum duas tabulas. [5] Cumque descendisset dominus per nubem: stetit moyses cum eo· inuocans nomen domini. [6] Quo transeunte coram eo ait. Dominator domine deus· misericors et clemens· patiens et multe misericordie· et verus: [7] qui custodis misericordiam in milia· qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata· nullusque aput te per se innocens est: qui reddis iniquitatem patrum filijs ac nepotibus in terciam et quartam progeniem. [8] Festinusque moyses curuatus est pronus in terram: et adorans [9] ait. Si inueni gratiam in conspectu tuo domine: obsecro vt gradiaris nobiscum: populus enim dure ceruicis est: vt auferas iniquitates nostras atque peccata· nosque possideas. [10] Respondit dominus. Ego inibo pactum videntibus cunctis: signa faciam· que nunquam visa sunt super terram: nec in vllis gentibus: vt cernat populus iste in cuius es medio opus domini terribile quod facturus sum. [11] Obserua cuncta que hodie mandaui tibi. Egoipse eiciam ante faciem tuam· amorreum et chananeum et etheum: pherezeum quoque et eueum et iebuseum. [12] Caue ne vnquam cum habitatoribus terre illius iungas amicicias· que tibi sint in ruinam: [13] sed et aras eorum destrue· et confringe statuas: lucosque succide. [14] Noli adorare deum alienum. Dominus· zelotes nomen eius: deus est emulator. [15] Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne cum fornicati fuerint cum dijs suis· et adorauerint simulacra eorum: vocet te quispiam· vt comedas de immolatis. [16] Nec vxorem de filiabus eorum· accipies filijs tuis: ne postquam ipse fuerint fornicate: fornicari faciant in deos suos filios tuos. [17] Deos conflatiles non facies tibi. [18] Solemnitatem azimorum custodies. Septem diebus vesceris azimis: sicut precepi tibi· in tempore mensis nouorum. Mense enim verni temporis egressus es de egipto. [19] Omne quod aperit vuluam generis masculini· meum erit. De cunctis animantibus· tam de bobus quam de ouibus meum erit. [20] Primogenitum asini redimes oue. Si autem nec precium pro eo dederis: occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus. [21] Sex diebus operaberis: die septimo· cessabis arare et metere. [22] Solemnitatem ebdomadarum facies tibi· in primitijs frugum messis tue triticee: et solemnitatem· quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. [23] Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum: in conspectu omnipotentis domini dei israhel. [24] Cum enim tulero gentes a facie tua· et dilatauero terminos tuos· nullus insidiabitur terre tue: ascendente te· et apparente in conspectu domini dei tui· ter in anno. [25] Non immolabis super fermento sanguinem hostie mee: neque residebit mane de victimis solemnitatis phase. [26] Primitias frugum terre tue offeres in domo domini dei tui. Non coques hedum in lacte matris sue. [27] Dixitque dominus ad moysen. Scribe tibi verba hec: quibus et tecum et cum israhel pepigi fedus. [28] Fuit ergo ibi cum domino moyses quadraginta dies· et quadraginta noctes: panem non comedit· et aquam non bibit: et scripsit in tabulis verba federis decem. [29] Cumque descenderet moyses de monte synai· tenebat duas tabulas lapideas testimonij: et ignorabat quod cornuta esset facies sua: ex consortio sermonis domini. [30] Videntes autem aaron et filij israhel· cornutam moysi faciem: timuerunt prope accedere. [31] Vocatique ab eo reuersi sunt: tam aaron quam principes synagoge. Et postquam locutus est ad eos: [32] venerunt ad eum eciam omnes filij israhel. Quibus precepit cuncta que audierat a domino in monte synai. [33] Impletisque sermonibus· posuit velamen super faciem suam. [34] Quod ingressus ad dominum et loquens cum eo· auferebat donec exiret: et tunc loquebatur ad filios israhel omnia que sibi fuerant imperata. [35] Qui videbant faciem egredientis moysi esse cornutam: sed operiebat rursus ille faciem suam: si quando loquebatur ad eos.

35 Igitur congregata omni turba· filiorum israhel· dixit ad eos. Hec sunt que iussit dominus fieri. [2] Sex diebus facietis opus. Septimus dies erit vobis sanctus: sabbatum et requies domini. Qui fecerit opus in eo· occidetur. [3] Non succenderis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati. [4] Et ait moyses ad omnem cateruam filiorum israhel. Iste est sermo quem precepit dominus dicens. [5] Separate aput vos primitias domino. Omnis voluntarius et prono animo offerat eas domino. Aurum et argentum· et es. [6] iacinctum et purpuram· coccumque bistinctum et byssum· pilos caprarum· [7] pellesque arietum rubricatas et iacinctinas: ligna sethim· [8] et oleum ad luminaria concinanda· et vt conficiatur vngentum et thymiama suauissimum: [9] lapides onichinos et gemmas· ad ornatum superhumeralis et racionalis. [10] Quisquis vestrum sapiens est· veniat et faciat quod dominus imperauit: [11] tabernaculum· scilicet et tectum eius atque operimentum· anulos et tabulata cum vectibus· paxillos et bases· [12] arcam et vectes· propiciatorium· et velum quod ante illud appenditur: [13] mensam cum vectibus· et vasis· et proposicionis panibus: [14] candelabrum ad luminaria sustentanda· vasa illius et lucernas· et oleum ad nutrimenta ignium: [15] altare thymiamatis et vectes· et oleum vnctionis et thymiama ex aromatibus: tentorium ad ostium tabernaculi· [16] altare olocausti et craticulam eius eneam cum vectibus et vasis suis: labrum et bases eius: [17] cortinas atrij cum columnis et basibus· tentorium in foribus vestibuli· [18] paxillos tabernaculi et atrij cum funiculis suis: [19] vestimenta quorum vsus est in ministerio sanctuarij: vestes aaron pontificis ac filiorum eius: vt sacerdotio fungantur michi. [20] Egressaque omnis multitudo filiorum israhel· de

conspectu moysi: [21] obtulerunt mente promptissima atque deuota· primitias domino· ad faciendum opus tabernaculi testimonij. Quicquid ad cultum et ad vestes sanctas necessarium erat· [22] viri cum mulieribus prebuerunt: armillas· et inaures· anulos et dextralia. Omne vas aureum in donaria domini separatum est. [23] Si quis habebat iacinctum et purpuram· coccumque bissum· et pilos caprarum· pelles arietum rubricatas et iacinctinas· [24] argenti et auri· erisque metalla obtulerunt domino: lignaque sethim in varios vsus. [25] Sed et mulieres docte que neuerant dederunt· iacinctum· purpuram· et vermiculum ac bissum· [26] et pilos caprarum: sponte propria cuncta tribuentes. [27] Principes vero obtulerunt lapides onichinos et gemmas ad superhumerale et racionale: [28] aromataque et oleum ad luminaria concinnanda: et ad preparandum vngentum· ac thymiama odoris suauissimi componendum. [29] Omnes viri et mulieres mente deuota obtulerunt donaria: vt fierent opera que iusserat dominus per manum moysi. Cuncti filij israhel· voluntaria domino dedicauerunt. [30] Dixitque moyses ad filios israhel. Ecce vocauit dominus ex nomine beselehel filium huri· filij hur· de tribu iuda: [31] impleuitque eum spiritu dei· sapientia· et intelligentia et scientia· et omni doctrina: [32] ad excogitandum et faciendum opus in auro et argento et ere et ferro· [33] sculpendisque lapidibus· et opere carpentario. Quicquid fabre adinueniri potest: [34] dedit in corde eius. Ooliab quoque filium achisamech· de tribu dan. [35] Ambos erudiuit sapientia: vt faciant opera abietarij polimitarij ac plumarij de iacincto et purpura· cocco que bistincto et bisso et texant omnia: ac noua queque reperiant.

36 Fecit ergo beseleel· et ooliab· et omnis vir sapiens· quibus dedit dominus sapientiam et intellectum· vt scirent fabre operari que in vsu sanctuarij necessaria sunt: et que precepit dominus. [2] Cunque vocasset eos moyses et omnem eruditum virum· cui dederat dominus sapientiam· et qui sponte sua obtulerunt se ad faciendum opus: [3] tradidit eis omnia donaria filiorum israhel. Qui cum instarent operi cotidie: mane vota populus offerebat. [4] Vnde artifices venire compulsi· [5] dixerunt moysi. Plus offert populus quam necessarium est. [6] Iussit ergo moyses· preconis voce cantari. Nec vir nec mulier quicquam offerat vltra in opere sanctuarij. Sicque cessatum est a muneribus offerendis· [7] eo quod oblata sufficerent et superabundarent. [8] Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi cortinas decem· de bisso retorta et iacincto et purpura· coccoque bistincto: opere vario· et arte polimita. [9] Quarum vua habebat in longitudine viginti octo cubitos: et in latitudine quatuor· vna mensura erat omnium cortinarum. [10] Coniunxitque cortinas quinque alteram alteri: et alias quinque sibi inuicem copulauit. [11] Fecit et ansas iacinctinas in ora cortine vnius ex vtroque latere· et in ora cortine alterius similiter: [12] vt contra se inuicem venirent anse: et mutuo iungerenter. [13] Vnde et quinquaginta fudit circulos aureos· qui morderent cortinarum ansas: et fieret vnum tabernaculum. [14] Fecit et saga vndecim· de pilis caprarum· ad operiendum tectum tabernaculi. [15] Vnum sagum in longitudine habebat cubitos triginta: et in latitudine cubitos quatuor. Vnius mensure erant omnia saga. [16] Quorum quinque iunxit seorsum: et sex alia separatim. [17] Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi vnius· et quinquaginta in ora sagi alterius vt sibi inuicem iungerentur: [18] et fibulas eneas quinquaginta quibus necteretur tectum: vt vnum pallium ex omnibus sagis fieret. [19] Fecit et opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque desuper velamen de pellibus iacinctinis. [20] Fecit et tabulas tabernaculi de lignis sethim stantes. [21] Decem cubitorum erat longitudo tabule vnius: et vnum ac semis cubitum latitudo retinebat. [22] Bine in castrature erant per singulas tabulas: vt altera alteri iungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis. [23] Equibus viginti ad plagam meridianam erant contra austrum: [24] cum quadraginta basibus argenteis. Due bases sub vna tabula ponebantur ex vtraque parte angulorum: vbi in castrature laterum in angulis terminantur. [25] Ad plagam quoque tabernaculi que respicit ad aquilonem fecit viginti tabulas [26] cum quadraginta basibus argenteis: duas bases per singulas tabulas. [27] Contra occidentem vero idest ad eam partem tabernaculi que mare respicit· fecit sex tabulas: [28] et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro [29] que iuncte erant a deorsum vsque sursum: et in vnam compagem pariter ferebantur. Ita fecit ex vtraque parte per angulos: [30] vt octo essent simul tabule· et haberent bases argenteas se sexdecim: binas scilicet bases sub singulis tabulis. [31] Fecit et vectes de lignis sethim quinque ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi: [32] et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: et extra hos· quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. [33] Fecit quoque vectem alium: qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulum perueniret. [34] Ipsa autem tabulata deaurauit: fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos· per quos vectes induci possent: quos et ipsos laminis aureis operuit. [35] Fecit et velum de iacincto et purpura· vermiculo ac bisso retorta opere polimitario varium atque distinctum: [36] et quatuor columnas de lignis sethim· quas cum capitibus deaurauit: fusis basibus earum argenteis. [37] Fecit et tentorium in introitu tabernaculi ex iacincto· purpura vermiculo· bissoque retorta opere plumarij: [38] et columnas quinque cum capitibus suis quas operuit auro: basesque earum fudit eneas· et operuit auro.

37 Fecit autem beseleel· et archam de lignis sethim· habentem duos semis cubitos in longitudine: et cubitum ac semissem in latitudine: altitudo quoque vnius cubiti fuit et dimidij. Vestiuit que eam auro purissimo intus et foris. [2] Et fecit illi coronam auream per gyrum· [3] conflans quatuor anulos aureos per quatuor angulos eius: duos anulos in latere vno: et duos in altero. [4] Vectes quoque fecit de lignis sethim· quos vestiuit auro: [5] et quos misit in anulos qui erant in lateribus arche ad portandum eam. [6] Fecit et propiciatorium idest oraculum de auro mundissimo· duorum cubitorum et dimidij in longitudine: et cubiti ac semis in latitudine. [7] Duos eciam cherubin ex auro ductili quos posuit ex vtraque parte propiciatorij: [8] cherub vnum in sumiitate vnius partis et cherub alterum in summitate partis alterius Duos cherubin in singulis summitatibus propiciatorij: [9] extendentes alas· et tegentes propiciatorium: seque mutuo et illud respicientes. [10] Fecit et mensam de lignis sethim· in longitudine duorum cubitorum· et in latitudine vnius cubiti: que habebat in altitudine cubitum ac semissem. [11] Circundeditque eam auro mundissimo et fecit illi labium aureum per gyrum: [12] ipsique labio coronam auream· interrasilem quatuor digitorum: et super eandem· alteram coronam auream. [13] Fudit et quatuor circulos aureos· quos posuit in quatuor angulos per singulos pedes mense [14] contra coronam: misitque in eos vectes vt possit mensa portari: [15] ipsosquoque vectes· fecit de lignis sethim· et circundedit eos auro. [16] Et vasa ad diuersos vsus mense· acetabula· fialas· et sciatos et thuribula ex auro puro: in quibus offerenda sunt libamina. [17] Fecit et candelabrum ductile· de auro mundissimo. De cuius vecte: calami· sciphi· speruleque ac lilia procedebant: [18] sex in vtroque latere. Tres calami ex parte vna: et tres ex altera. [19] Tres sciphi in nucis modum per calamos singulos· speruleque simul et lilia: et tres sciphi instar nucis in calamo altero· speruleque simul et lilia. Equum erat opus sex calamorum: qui procedebant de stipite candelabri. [20] In ipso autem vecte erant quatuor sciphi in nucis modum· speruleque per singulos et lilia: [21] et sperule sub duobus calamis per loca tria: qui simul sex fiunt calami· procedentes de vecte vno. [22] Et sperule igitur et calami exipso erant: vniuersa ductilia ex auro purissimo. [23] Fecit et lucernas septem cum emunctorijs suis· et vasa vbi ea que emuncta sunt extinguantur: de auro mundissimo. [24] Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis. [25] Fecit et altare thymiamatis de lignis sethim· per quadrum singulos habens cubitos et in altitudine duos: e cuius angulis procedebant cornua: [26] vestiuitque illud auro purissimo· cum craticula ac parietibus· et cornibus. [27] Fecitque ei coronam aureolam per gyrum: et duos annulos aureos sub corona per singula latera: vt mittantur in eos vectes· et possit altare portari. [28] Ipsos autem vectes fecit de lignis sethim: et operuit laminis aureis. [29] Composuit et oleum ad sanctificacionis vngentum: et thymiamata de aromatibus mundissimis· opere pigmentarij.

38 Fecit et altare olocausti de lignis sethim· quinque cubitorum per quadrum. Et trium in altitudine: [2] cuius cornua de angulis

procedebant: operuitque illud laminis eneis. [3] Et in vsus eius parauit ex ere vasa diuersa: lebetes· forcipes· fuscinulas· vncinos· et ignium receptacula. [4] Craticulamque eius in modum retis fecit eneam: et subter eam in altaris medio arulam [5] fusis quatuor anulis per totidem reciaculi summitates: ad immittendos vectes ad portandum. [6] Quos et ipsos fecit de lignis sethim et operuit laminis eneis: [7] induxitque in circulos qui in lateribus altaris eminebant. Ipsum autem altare non erat solidum· sed cauum· ex tabulatis: et intus vacuum. [8] Fecit et labrum eneum cum basi sua: de speculis mulierum que excubabant in ostio tabernaculi. [9] Fecit et atrium· in cuius australi plaga erant tentoria de bisso retorta cubitorum centum: [10] columne enee viginti cum basibus suis. Capita columnarum et tota operis celatura argentea. [11] Eque ad septentrionalem plagam· tentoria columne basesque et capita columnarum eiusdem mensure et operis ad metalli erant. [12] In ea vero plaga que ad occidentem respicit fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta· columne decem cum basibus suis enee: et capita columnarum· et tota operis celatura argentea. [13] Porro contra orientem quinquaginta cubitorum parauit tentoria· [14] e quibus quindecim cubitos columnarum trium cum basibus suis vnum tenebat latus: [15] et in parte altera· quia inter vtraque introitum tabernaculi fecit· quindecim eque cubitorum erant tentoria: columneque tres et bases totidem. [16] Cuncta atrij tentoria bissus retorta texuerat. [17] Bases columnarum fuere enee: capita autem earum cum cunctis celaturis suis argentea: sed et ipsas columnas atrij vestiuit argento. [18] Et in introitu eius opere plumario fecit tentorium· ex iacincto· purpura· vermiculo ac bisso retorta· quod habebat viginti cubitos in longitudine: altitudo vero quinque cubitorum erat· iuxta mensuram quam cuncta atrij tentoria habebant. [19] Columne autem in ingressu fuere quatuor· cum basibus eneis: capitaque earum et celature argentee. [20] Paxillos quoque bernaculi et atrij per gyrum· fecit eneos. [21] Hec sunt instrumenta tabernaculi testimonij· que enumerata sunt iuxta preceptum moysi in cerimonijs leuitarum per manum ythamar filij aaron sacerdotis· [22] que beseleel filius huri filij hur de tribu iuda domino per moysen iubente compleuerat: [23] iuncto sibi socio ooliab filio achisamech de tribu dan: qui et ipse artifex lignorum egregius fuit· et polimitarius· atque plumarius· ex iacincto· purpura· vermiculo et bisso. [24] Omne aurum quod expensum est in opere sanctuarij· et quod oblatum est in donarijs viginti et nouem talentorum fuit· et septingentorum triginta siclorum: ad mensuram sanctuarij. [25] Oblatum est autem ab hijs qui transierunt ad numerum· a viginti annis et supra: de sexcentis tribus milibus et quingentis quinquaginta armatorum. [26] Fuerunt preterea centum talenta argenti: e quibus conflate sunt bases sanctuarij· et introitus vbi velum pendet. [27] Centum bases facte sunt de talentis centum: singulis talentis per bases singulas supputatis. [28] De mille autem septingentis et septuagintaquinque fecit capita columnarum: quas et ipsas vestiuit argento. [29] Eris quoque oblata sunt talenta septuagintaduo milia· et quadringenti supra sicli: [30] ex quibus fuse sunt bases in introitu tabernaculi testimonij· et altare eneum cum craticula sua· omniaque vasa que ad vsum eius pertinent: [31] et bases atrij· tam in circuitu quam in ingressu eius: et paxilli tabernaculi atque atrij per gyrum.

39 De iacincto vero et purpura· vermiculo ac bisso· fecit vestes· quibus indueretur aaron· quando ministrabat in sanctis: sicut precepit dominus moysi. [2] Fecit igitur superhumerale de auro· iacincto et purpura· coccoque bistincto et bisso retorta: [3] opere polimitario. Inciditque bracteas aureas· et extenuauit in fila vt possent torqueri cum priorum colorum subtegmine: [4] duasque oras sibi inuicem copulatas in vtroque latere summitatum· [5] et baltheum ex eisdem coloribus: sicut preceperat dominus moysi. [6] Parauit et duos lapides onichinos astrictos et inclusos auro: et sculptos arte gemmaria nominibus filiorum israhel. Sex nomina in lapide vno· et sex in altero: iuxta ordinem natiuitatis eorum. [7] Posuitque eos in lateribus superhumeralis· in monimentum filiorum israhel: sicut preceperat dominus moysi. [8] Fecit et racionale opere polimito· iuxta opus superhumeralis· ex auro· iacincto· purpura coccoque bistincto et bisso retorta: [9] quadrangulum· duplex· mensure palmi: [10] et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius· topazius smaragdus: [11] in secundo carbunculus saphirus· iaspis: [12] in tercio· ligurius· achates· ametistus: [13] in quarto· crisolitus· onichinus· et berillus: circundati et inclusi auro per ordines suos. [14] Ipsique lapides duodecim· sculpti erant nominibus duodecim tribuum israhel: singuli per nomina singulorum. [15] Fecerunt in racionali et catenulas sibi inuicem coherentes de auro purissimo: [16] et duos vncinos· totidemque anulos aureos. Porro anulos posuerunt in vtroque latere racionalis [17] ex quibus penderent due catene auree: quas inseruerunt vncinis qui in superhumeralis angulis eminebant. [18] Hec et ante et retro ita conueniebant sibi: vt superhnmerale et racionale mutuo necterentur· [19] stricta ad baltheum et anulis fortius copulata· quos iungebat vitta iacinctina· ne laxa fluerent et a se inuicem mouerentur: sicut precepit dominus moysi. [20] Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam iacinctinam· [21] et capitium insuperiori parte contra medium· oramque per gyrum textilem: [22] deorsum autem ad pedes malapunica ex iacincto purpura· vermiculo ac bisso retorta: [23] et tintinnabula de auro purissimo· que posuerunt inter malagranata in extrema parte tunice per gyrum: [24] tintinnabulum autem aureum et malumpunicum: quibus ornatus incedebat pontifex quando ministerio fungebatur· sicut precepit dominus moysi. [25] Fecerunt et tunicas bissinas opere textili aaron et filijs eius [26] et mitras cum coronulis suis ex bisso: [27] feminalia quoque linea bissina: [28] cingulum vero de bisso retorta· iacincto· purpura· ac vermiculo· distinctum arte plumaria· sicut preceperat dominus moysi. [29] Fecerunt et laminam sacre veneracionis de auro purissimo: scripseruntque in ea opere gemmario sanctum domini: [30] et strinxerunt eam cum mitra vitta iacinctina· sicut preceperat dominus moysi. [31] Perfectum est igitur omne opus tabernaculi et tecti testimonij. Feceruntque filij israhel cuncta que preceperat dominus moysi: [32] et obtulerunt tabernaculum· et tectum· et vniuersam supellectilem: anulos· tabulas· vectes· columnas· ac bases· [33] opertorium de pellibus arietum· rubricatis· et aliud operimentum de iacinctinis pellibus: [34] velum· archam· vectes· propiciatorium· [35] mensam cum vasis suis· et proposicionis panibus· [36] candelabrum· lucernas· et vtensilia earum cum oleo: [37] altare aureum· et vngentum· et thymiama ex aromatibus: [38] et tentorium in introitu tabernaculi· [39] altare eneum· reciaculum· vectes· et vasa eius omnia: labrum cum basi sua· tentoria atrij· et columnas cum basibus suis: [40] tentorium in introitu atrij· funiculosque illius et paxillos. Nichil ex vasis defuit: que in ministerium tabernaculi et in tectum federis iussa sunt fieri. [41] Vestes quoque quibus sacerdotes vtuntur in sanctuario· aaron scilicet et filij eius· [42] obtulerunt filij israhel: sicut preceperat dominus. [43] Que postquam moyses cuncta vidit completa: benedixit eis

40 Locutusque est preceperat dominus ad moysen dicens. [2] Mense primo prima die mensis eriges tabernaculum testimonij: [3] et pones in eo archam· dimittesque ante illam velum: [4] et illata mensa· pones super eam que rite precepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis· [5] et altare aureum: in quo adoletur incensum coram archa testimonij. Tentorium in introitu tabernaculi testimonij pones: [6] et ante illud altare olocausti. [7] Labrum inter altare et tabernaculum: quod implebis aqua. [8] Circundabisque atrium tentorijs: et ingressum eius. [9] Et assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis vt sanctificentur: [10] altare olocausti et omnia vasa eius: [11] labrum cum basi sua. Omnia vnctionis oleo consecrabis: vt sint sancta sanctorum. [12] Applicabisque aaron et filios eius ad fores tabernaculi testimonij: et lotos aqua [13] indues sanctis vestibus· vt ministrent michi: et vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. [14] Fecitque quod moyses omnia que preceperat dominus. [15] Igitur mense primo anni secundi· prima die mensis· collocatum est tabernaculum. [16] Erexit que moyses illud et posuit tabulas· ac bases et vectes: statuitque columnas· [17] et expandit tectum super tabernaculum: imposito desuper operimento· sicut dominus imperauerat. [18] Posuit et testimonium in archa· subditis infra vectibus: et oraculum desuper. [19] Cumque intulisset archam in tabernaculum testimonij: appendit ante eam velum vt expleret domini iussionem. [20] Posuit et mensam in tabernaculo testimonij ad plagam septentrionalem extra velum: [21] ordinatis coram· proposicionis panibus: sicut preceperat dominus moysi. [22] Posuit et

candelabrum in tabernaculo testimonij eregione mense· in parte australi: [23] locatis per ordinem lucernis iuxta preceptum domini. [24] Posuit et altare aureum sub tecto testimonij contra velum: [25] et adoleuit super eo incensum aromatum: sicut iusserat dominus moysi. [26] Posuit et tentorium in introitu tabernaculi testimonij· [27] et altare olocausti in vestibulo testimonij: offerens in eo olocaustum et sacrificia vt dominus imperauerat. [28] Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonij et altare implens illud aqua: [29] laueruntque in eo moyses et aaron ac filij eius manus suas ac pedes· [30] cum ingrederentur tectum federis· et accederent ad altare: sicut preceperat dominus moysi. [31] Erexit et atrium per gyrum tabernaculi et altaris: ducto in introitu eius tentorio. Postquam omnia perfecta sunt [32] operuit nubes tabernaculum testimonij: et gloria domini impleuit illud. [33] Nec poterat moyses ingredi tectum federis: nube operiente omnia· et maiestate domini choruscante: quia cuncta nubes operuerat. [34] Si quando nubes tabernaculum deserebat: proficiscebantur filij israhel· per turmas suas. [35] Si pendebat desuper: manebant in eodem loco. [36] Nubes quippe domini incubabat per diem tabernaculo· et ignis in nocte: videntibus cunctis populis israhel per cunctas mansiones suas.

Leuiticus

Incipit vagecra id est leuiticus.

1 Vocauit autem moysen: et locutus est ei dominus de tabernaculo testimonij dicens. [2] Loquere filijs israhel: et dices ad eos. Homo qui obtulerit ex vobis hostiam domino· de pecoribus idest de bobus et ouibus offerens victimas: [3] si olocaustum fuerit eius oblatio ac de armento: masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij· ad placandum sibi dominum. [4] Ponetque super caput hostie manus· et acceptabilis erit: atque in expiationem eius proficiens. [5] Immolabitque vitulum coram domino: et offerent filij aaron sacerdotis sanguinem eius· fundentes per altaris circuitum: quod est ante ostium tabernaculi. [6] Detractaque pelle hostie· artus in frusta concident: [7] et subicient in altari ignem· strue lignorum ante composita· [8] et membra que sunt cesa desuper ordinantes· caput videlicet et cuncta que adherent iecori· [9] intestinis et pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in olocaustum et suauem odorem domino. [10] Quod si de pecoribus oblatio est· de ouibus siue de capris olocaustum: agnum anniculum et absque macula offeret: [11] immolabitque ad latus altaris quod respicit ad aquilonem· coram domino. Sanguinem vero illius fundent super altare filij aaron· per circuitum: [12] diuidentque membra· caput et omnia que adherent iecori: et imponent super ligna· quibus subiciendus est ignis. [13] Intestina vero et pedes lauabunt aqua: et oblata omnia adolebit sacerdos super altare in olocaustum et odorem suauissimum domino. [14] Si autem de auibus olocausti oblatio fuerit domino· de turturibus et pullis columbe: [15] offeret eam sacerdos ad altare· et retorto ad collum capite· ac rupto vulneris loco· decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris: [16] vesiculam vero gutturis et plumas· proiciet prope altare ad orientalem plagam· in loco in quo cineres effundi solent. [17] Confringetque ascellas eius· et non secabit: neque ferro diuidet eam: et adolebit super altare· lignis igne supposito. Olocaustum est: et oblatio suauissimi odoris domino.

2 Anima cum obtulerit oblationem sacrificij domino: simila erit oblatio. Fundetque super eam oleum et ponet thus: [2] ac deferet ad filios aaron sacerdotis. Quorum vnus tollet pugillum plenum simile et olei ac totum thus: et ponet memoriale super altare· in odorem suauissimum domino. [3] Quod autem reliquum fuerit de sacrificio erit aaron et filiorum eius: sanctum sanctorum de oblationibus domini. [4] Cum autem obtuleris sacrifitium coctum in clibano de simila· panes scilicet absque fermento conspersos oleo· et lagana azima oleo lita: [5] si oblatio tua fuerit de sartagine· simile consperse oleo et absque fermento: [6] diuides eam minutatim· et fundes super eam oleum. [7] Sin autem· de craticula fuerit sacrifitium: eque simila oleo conspergetur: [8] quam offerens domino· trades manibus sacerdotis. [9] Qui cum obtulerit eam· tollet memoriale de sacrifitio: et adolebit super altare in odorem suauitatis domino. [10] Quicquid autem reliquum est· erit aaron et filiorum eius: sanctum sanctorum de oblationibus domini. [11] Omnis oblatio que offertur domino absque fermento fiet: nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrifitio domini: [12] Primitias tantum eorum offeretis ac munera: super altare vero non imponentur in odorem suauitatis. [13] Quicquid obtuleris sacrifitij· sale condies: nec auferes sal federis dei tui de sacrifitio tuo. In omni oblacione offeres sal. [14] Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum domino· de spicis adhuc virentibus: torrebis eas igni· et confringes in morem farris· et sic offeres primitias tuas domino: [15] fundens super ea oleum et thus imponens· quia oblatio domini est. [16] De qua adolebit sacerdos in memoriam muneris· partem farris fracti· et olei: ac totum thus.

3 Quod si hostia pacificorum fuerit eius oblatio· et de bobus voluerit offerre: marem siue feminam immaculatam offeret coram domino. [2] Ponetque manum super caput· victime sue: que immolabitur in introitu tabernaculi testimonij. Fundentque filij aaron sacerdotis· sanguinem per altaris circuitum: [3] et offerent de hostia pacificorum in oblationem domino adipem qui operit vitalia· et quicquid pinguedinis est intrinsecus· [4] duos renes cum adipe quo teguntur ilia· et reticulum iecoris cum renunculis: [5] adolebuntque ea super altare in olocaustum lignis igne supposito in oblationem suauissimi odoris domino. [6] Si vero de ouibus fuerit eius oblatio et pacificorum hostia: siue masculum obtulerit siue feminam: immaculata erunt omnia. [7] Si agnum obtulerit coram domino· [8] ponet manum suam super caput victime sue: que immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonij. Fundentque filij aaron sanguinem eius per circuitum altaris: [9] et offerent de pacificorum hostia sacrifitium domino· adipem et caudam totam [10] cum renibus et pinguedinem que operit ventrem atque vniuersa vitalia· et vtrum que renunculum cum adipe qui est iuxta ilia· reticulumque iecoris cum renunculis: [11] et adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis et oblationis domini. [12] Si capra fuerit eius oblatio· et obtulerit eam domino: [13] ponet manum suam super caput eius: immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonij. Et fundent filij aaron sanguinem eius per altaris circuitum: [14] tollentque ex ea in pastum ignis dominici· adipem qui operit ventrem· et qui tegit vniuersa vitalia· [15] duos renunculos cum reticulo quod est super eos iuxta ilia· et aruinnam iecoris cum renunculis: [16] adolebitque ea super altare sacerdos· in alimoniam ignis et suauissimi odoris. Omnis adeps domini erit [17] iure perpetuo· in generationibus et cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem nec adipem omnino comedetis.

4 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Loquere filijs israhel. Anima que peccauerit per ignorantiam· et de vniuersis mandatis domini que precepit vt non fierent quippiam fecerit: [3] si sacerdos qui vnctus est peccauerit· delinquere faciens populum: offeret pro peccato suo vitulum immaculatum domino. [4] Et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonij· coram domino: ponetque manum super caput eius: et immolabit eum domino. [5] Hauriet quoque de sanguine vituli: inferens illum in tabernaculum testimonij. [6] Cumque intinxerit digitum in sanguinem asperget eum septies coram domino: contra velum sanctuarij. [7] Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi domino: quod est in tabernaculo

testimonij. Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris olocausti· in introitu tabernaculi. [8] Et adipem vituli offeret pro peccato: tam eum qui vitalia operit· quam omnia que intrinsecus sunt· [9] duos renunculos et reticulum quod est supra eos iuxta ilia· et adipem iecoris cum renunculis· [10] sicut offertur de vitulo hostie pacificorum: et adolebit ea super altare olocausti. [11] Pellem vero et omnes carnes· cum capite et pedibus et intestinis et fimo [12] et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum· vt cineres effundi solent: incendetque ea super lignorum struem: que in loco effusorum cinerum cremabuntur. [13] Quod si omnis turba filiorum israhel ignorauerit· et per imperitiam fecerit quod contra mandatum domini est· [14] et postea intellexerit peccatum suum: offeret pro peccato suo vitulum. Adducet que eum ad ostium tabernaculi: [15] et ponent seniores populi manus super caput eius coram domino. Immolatoque vitulo in conspectu domini· [16] inferet sacerdos qui vnctus est de sanguine eius in tabernaculum testimonij: [17] tincto digito aspergens septies contra velum. [18] Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris: quod est coram domino in tabernaculo testimonij. Reliquum autem sanguinem fundet iuxta basim altaris olocaustorum: quod est in ostio tabernaculi testimonij. [19] Omnemque eius adipem tollet· et adolebit super altare· [20] sic faciens et de hoc vitulo quomodo fecit et prius: et rogante pro eis sacerdote propicius erit eis dominus. [21] Ipsum autem vitulum efferet extra castra atque comburet sicut et priorem vitulum: quia est pro peccato multitudinis. [22] Si peccauerit princeps et fecerit vnum e pluribus per ignorantiam quod domini lege prohibetur· [23] et postea intellexerit peccatum suum: offeret hostiam domino· hircum de capris immaculatum: [24] ponetque manum suam super caput eius. Cunque immolauerit eum in loco vbi solet mactari olocaustum coram domino· quia pro peccato est: [25] tinget sacerdos digitum in sanguine hostie pro peccato· tangens cornua altaris olocausti· et reliquum fundens ad basim eius: [26] adipem vero adolebit supra sicut in victimis pacificorum fieri solet. Rogabitque pro eo sacerdos et pro peccato eius: et dimittetur ei. [27] Quod si peccauerit anima per ignorantiam de populo terre vt faciat quicquam de hijs que domini lege prohibentur· atque delinquat· [28] et cognouerit peccatum suum· offeret capram immaculatam: [29] ponetque manus super caput hostie que pro peccato est: et immolabit eam in loco olocausti. [30] Tollet sacerdos de sanguine in digito suo: et tangens cornua altaris olocausti· reliquum fundet ad basim eius. [31] Omnem autem adipem auferens sicut auferri solet de victimis pacificorum adolebit super altare in odorem suauitatis domino: rogabitque pro eo: et dimittetur ei. [32] Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato ouem scilicet immaculatam: [33] ponet manum super caput eius: et immolabit eam in loco vbi solent cedi olocaustorum hostie. [34] Sumetque sacerdos de sanguine eius digito suo: et tangens cornua altaris olocausti· reliquum fundet ad basim eius. [35] Omnem quoque adipem auferens· sicut auferri solet adeps arietis qui immolatur pro pacificis cremabit super altare incensum domini: rogabitque pro eo et pro peccato eius: et dimittetur ei.

5 Si peccauerit anima et audierit vocem iurantis testisque fuerit quod ipse vidit aut conscius est: nisi indicauerit· portabit iniquitatem suam. [2] Anima que tetigerit aliquid immundum· siue quod occisum a bestia est· aut per se mortuum· aut quodlibet aliud reptile et oblita fuerit immundicie sue· rea est et deliquit: [3] et si tetigerit quicquam de immundicia hominis iuxta omnem impuritatem qua pollui solet oblitaque cognouerit postea: subiacebit delicto. [4] Anima que iurauerit et protulerit labijs suis vt vel male quid faceret vel bene et non fecerit· et idipsum iuramento et sermone firmauerit· oblitaque postea intellexerit delictum suum: [5] agat penitentiam pro peccato [6] et offerat de gregibus agnam siue capram: orabitque pro eo sacerdos et pro peccatis eius. [7] Sin autem non potuerit offerre pecus· offerat duos turtures vel duos pullos columbarum domino: vnum pro peccato et alterum in olocaustum: [8] dabitque eos sacerdoti. Qui primum offerens pro peccato retorquebit caput eius ad pennulas· ita vt collo adhereat et non penitus abrumpatur: [9] et asperget de sanguine eius parietem altaris. Quicquid autem reliquum fuerit faciet distillari ad fundamentum eius: quia pro peccato est. [10] Alterum vero in olocaustum adolebit vt fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos et pro peccato eius: et dimittetur ei. [11] Quod si non quiuerit manus eius duos offerre turtures· aut duos pullos columbarum: offeret pro peccato suo simile partem ephy· decimam. Non mittet in eam oleum nec thuris aliquid imponet· quia pro peccato est: [12] tradetque eam sacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens cremabit super altare in monimentum eius· qui obtulerit· [13] rogans pro illo et expians: reliquam vero partem ipse habebit in munere. [14] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [15] Anima si preuaricans cerimonias per errorem· in hijs que domino sunt sanctificata peccauerit: offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus· qui emi potest duobus siclis iuxta pondus sanctuarij: [16] ipsumque quod intulit damni restituet et quintam partem ponet supra tradens sacerdoti: qui rogabit pro eo offerens arietem: et dimittetur ei. [17] Anima que peccauerit per ignorantiam feceritque vnum ex hijs que domini lege prohibentur· et peccati rea· intellexerit iniquitatem suam· [18] offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti iuxta mensuram estimationemque peccati: qui orabit pro eo quia nesciens fecerit: et dimittetur ei· [19] quia per errorem deliquit in domino.

6 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Anima que peccauerit· et contempto domino negauerit proximo suo depositum quod fidei eius creditum fuerat· vel vi aliquid extorserit· aut calumniam fecerit [3] siue rem perditam inuenerit et inficians insuper peierauerit· et quodlibet aliud· ex pluribus fecerit in quibus solent peccare homines: [4] conuicta delicti [5] reddet omnia que per fraudem voluit obtinere integra: et quintam insuper partem domino cui damnum intulerat. [6] Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege: et dabit eum sacerdoti iuxta estimationem mensuramque delicti: [7] qui rogabit pro eo coram domino· et dimittetur illi pro singulis que faciendo peccauit. [8] Locutusque est dominus ad moysen· dicens. [9] Precipe aaron et filijs eius. Hec est lex olocausti. Cremabitur in altari tota nocte vsque mane. Ignis ex eodem altari erit. [10] Vestietur tunica sacerdos· et feminalibus lineis: tolletque cineres quos vorans ignis exussit: et ponens iuxta altare· [11] spoliabitur prioribus vestimentis: indutusque alijs efferet eos extra castra: et in loco mundissimo vsque ad fauillam consumi faciet. [12] Ignis autem in altari semper ardebit: quem nutriet sacerdos· subiciens ligna mane· per singulos dies: et imposito olocausto desuper· adipes adolebit pacificorum. [13] Ignis est iste perpetuus: qui nunquam deficiet in altari. [14] Hec est lex sacrificij et libamentorum que offerent filij aaron coram domino et coram altari. [15] Tollet sacerdos pugillum simile que conspersa est oleo· et totum thus· quod super similam est: adolebitque illud in altari in monimentum odoris suauissimi domino. [16] Reliquam autem partem simile comedet aaron cum filijs suis absque fermento et comedet in loco sanctuarij tabernaculi. [17] Ideo autem non fermentabitur: quia pars eius in domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit: sicut pro peccato atque delicto. [18] Mares tantum stirpis aaron· comedent illud. Legittimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificijs domini. Omnis qui tetigerit illa sanctificabitur. [19] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [20] Hec est oblatio aaron et filiorum eius quam offerre debent domino in die vnctonis sue. Decimam partem ephy offerent simile in sacrificio sempiterno. Medium eius mane et medium eius vespere: [21] que in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suauissimum domino [22] sacerdos qui iure patri successerit: et tota cremabitur in altari. [23] Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur: nec quisquam comedet ex eo. [24] Locutus est autem dominus ad moysen dicens. [25] Loquere aaron et filijs eius. Ista est lex hostie pro peccato. In loco vbi offertur olocaustum· immolabitur coram domino. Sanctum sanctorum est. [26] Sacerdos qui offert comedet eam in loco sancto· in atrio tabernaculi. [27] Quicquid tetigerit carnes eius sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa lauabitur in loco sancto. [28] Vas autem fictile in quo cocta est confringetur: quod si vas eneum fuerit defricabitur: et lauabitur aqua. [29] Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius: quia sanctum sanctorum est. [30] Hostia enim que ceditur pro peccato· cuius sanguis

infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum in sanctuario non comedetur: sed conburetur igni.

7 Hec est quoque lex hostie pro delicto. Sancta sanctorum est. [2] Idcirco vbi immolabitur olocaustum: mactabitur et victima pro delicto. Sanguis eius per gyrum altaris fundetur. [3] Offerent ex ea caudam et adipem qui operit vitalia: [4] duos renunculos et pinguedinem que iuxta ilia est· reticulumque iecoris cum renunculis: [5] et adolebit ea sacerdos super altare. Incensum est domini pro delicto. [6] Omnis masculus de sacerdotali genere in loco sancto vescetur hijs carnibus: quia sanctum sanctorum est. [7] Sicut pro peccato offertur hostia: ita et pro delicto. Vtriusque hostie lex vna erit. Ad sacerdotem qui eam obtulerit pertinebit. [8] Sacerdos qui offert olocausti victimam: habebit pellem eius. [9] Et omne sacrificium simile quod coquitur in clibano· et quicquid in craticula vel in sartagine preparatur eius erit sacerdotis· a quo offertur: [10] siue oleo conspersa siue arida fuerint. Cunctis filijs aaron mensura equa per singulos diuidetur. [11] Hec est lex hostie pacificorum: que offertur domino. [12] Si pro gratiarum actione oblatio fuerit: offerent panes absque fermento· conspersos oleo et lagana azima vncta oleo coctamque similam et colliridas· olei admixtione conspersas: [13] panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum que immolatur pro pacificis: [14] ex quibus vnus pro primitijs· offertur domino: et erit sacerdotis qui fundet hostie sanguinem. [15] Cuius carnes eadem comedentur die: nec remanebit ex eis quicquam vsque mane. [16] Si voto vel sponte quispiam obtulerit hostiam: eadem similiter edetur die. Sed et si quid in crastinum remanserit: vesci licitum est. [17] Quicquid autem tercius inuenerit dies ignis absumet. [18] Si quis de carnibus victime pacificorum die tercio comederit: irrita fiet eius oblatio nec proderit offerenti: quin pocius quecunque anima tali se edulio contaminauerit preuaricationis rea erit. [19] Caro que aliquid tetigerit immundum non comedetur: sed comburetur igni. Qui fuerit immundus vescetur ex ea. [20] Anima polluta que ederit de carnibus hostie pacificorum que oblata est domino peribit de populis suis: [21] et que tetigerit immundiciam hominis vel iumenti siue omnis rei que polluere potest· et comederit de huiuscemodi carnibus: interibit de populis suis. [22] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [23] Loquere filijs israhel. Adipem ouis et bouis et capre non comedetis. [24] Adipem cadaueris morticini et eius animalis quod a bestia captum est· habebitis in varios vsus. [25] Si quis adipem qui offerri debet in incensum domini comederit: peribit de populo suo. [26] Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo: tam de ouibus quam de pecoribus. [27] Omnis anima que ederit sanguinem: peribit de populis suis. [28] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [29] Loquere filijs israhel dicens. Qui offert victimam pacificorum domino: offerat simul et sacrificium id est libamenta eius. [30] Tenebit manibus adipem hostie: et pectusculum. Cumque ambo oblata domino consecrauerit tradent sacerdoti: [31] qui adolebit adipem super altare: pectusculum autem erit aaron et filiorum eius. [32] Armus quoque dexter de pacificorum hostijs cedet in primitias sacerdotis. [33] Qui obtulerit sanguinem et adipem filiorum aaron: ipse habebit et armum dextrum in portione sua. [34] Pectusculum enim eleuacionis et armum separationis tuli a filijs israhel de hostijs eorum pacificis: et dedi aaron sacerdoti· et filijs eius lege perpetua ab omni populo israhel. [35] Hec est vnctio aaron et filiorum eius in cerimonijs domini· die quo obtulit eos moyses vt sacerdotio fungerentur: [36] et que precepit eis dari dominus a filijs israhel religione perpetua· in generacionibus suis. [37] Ista est lex olocausti et sacrificij pro peccato atque delicto: et pro consecratione et pacificorum victimis [38] quam constituit dominus moysi in monte synai: quando mandauit filijs israhel vt offerent oblationes suas domino in deserto synai.

8 Locutusque dominus ad moysen est dicens. [2] Tolle aaron cum filijs suis· vestes eorum et vnctionis oleum: vitulum pro peccato· duos arietes canistrum cum azimis: [3] et congregabis omnem cetum ad ostium tabernaculi. [4] Fecit moyses vt dominus imperarat: congregataque omni turba ante fores tabernaculi [5] ait. Iste est sermo quem iussit dominus fieri. [6] Statimque obtulit aaron et filios eius. Cunque lauisset eos· [7] vestiuit pontificem subucula linea· accingens eum baltheo· et induens eum tunica iacinctina: et desuper humerale imposuit: [8] quod astringens cingulo aptauit racionali in quo erat doctrina et veritas. [9] Cidari quoque texit caput: et super eam contra frontem posuit laminam auream consecratam in sanctificacione: sicut preceperat ei dominus. [10] Tulit et vnctionis oleum: quo liniuit tabernaculum cum omni suppellectili sua. [11] Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus vnxit illud et omnia vasa eius: labrumque cum basi sua sanctificauit oleo. [12] Quod fundens super caput aaron: vnxit eum et consecrauit. [13] Filios que eius oblatos consecrauit: vestiuitque tunicis lineis et cinxit baltheis: imposuitque mitras vt iusserat dominus. [14] Obtulit et vitulum pro peccato. Cunque super caput eius posuisset aaron et filij eius manus suas· [15] immolauit eum hauriens sanguinem: et tincto digito tetigit cornua altaris per gyrum. Quo expiato et sanctificato: fudit reliquum sanguinem ad fundamenta eius. [16] Adipem vero qui erat super vitalia et reticulum iecoris duosque renunculos cum aruinulis suis adoleuit super al tare: [17] vitulum cum pelle et carnibus et fimo cremans extra castra: sicut preceperat dominus. [18] Obtulit et arietem in olocaustum. Super cuius caput cum imposuissent aaron et filij eius manus suas [19] immolauit eum: et fudit sanguinem eius per circuitum altaris. [20] Ipsumque arietem in frusta concidens· caput eius et artus et adipem adoleuit igni: [21] lotis prius intestinis et pedibus. Totumque simul arietem incendit super altare eo quod esset olocaustum suauissimi odoris domino: sicut preceperat ei. [22] Obtulit et arietem secundum in consecrationem sacerdotum: posuerunt que super caput eius aaron et filij eius manus suas. [23] Quem cum immolasset moyses: sumens de sanguine· tetigit extremum auricule dextre aaron· et pollicem manus eius dextre: similiter et pedis. [24] Obtulit et filios aaron. Cunque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auricule singulorum dextre· et pollices manus ac dextri pedis: reliquum fudit super altare per circuitum. [25] Adipem vero et caudam· omnemque pinguedinem que operit intestina: reticulum quod iecoris et duos renes cum adipibus suis et armo dextro separauit. [26] Tollens autem de canistro azimorum quod erat coram domino panes absque fermento· et colliridam aspersam oleo laganumque· posuit super adipes et armum dextrum: [27] tradens simul omnia aaron et filijs eius. Qui postquam leuauerunt ea coram domino· [28] rursum suscepta de manibus eorum adoleuit super altare olocausti: eo quod consecrationis esset oblatio in odorem suauitatis sacrificij domini. [29] Tulitque pectusculum eleuans illud coram domino de ariete consecrationis in partem suam: sicut preceperat ei dominus. [30] Assumens vnguentum· et sanguinem qui erat in altari aspersit super aarou et vestimenta eius: et super filios illius ac vestes eorum. [31] Cunque sanctificasset eos in vestitu suo: precepit eis dicens. Coquite carnes ante fores tabernaculi: et ibi comedite eas. Panes quoque consecrationis edite qui positi sunt in canistro: sicut precepit michi deus dicens. Aaron et filij eius comedent eos. [32] Quicquid autem reliquum fuerit de carne et panibus· ignis absumet. [33] De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus: vsque ad diem quo implebitur tempus consecracionis vestre. Septem enim diebus finitur consecratio [34] sicut impresentiarum factum est: vt ritus sacrificij compleretur. [35] Die ac nocte manebitis in tabernaculo: obseruantes custodias domini ne moriamini. Sic enim michi preceptum est. [36] Feceruntque aaron et filij eius cuncta que locutus est dominus per manum moysi.

9 Facto autem octauo die vocauit moyses aaron et filios eius ac maiores natu israhel: dixitque ad aaron. [2] Tolle de armento vitulum pro peccato· et arietem in olocaustum· vtrunque immaculatum: et offer illos coram domino: [3] et ad filios israhel loqueris. Tollite hircum pro peccato et vitulum atque agnum anniculum et sine macula in olocaustum: [4] bouem et arietem pro pacificis· et immolate eos coram domino: in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes. Hodie enim dominus apparebit vobis. [5] Tulerunt ergo cuncta que iusserat moyses ad ostium tabernaculi: vbi cum omnis multitudo astaret [6] ait moyses. Iste est sermo quem precepit dominus: facite et apparebit vobis gloria eius. [7] Et dixit ad aaron. Accede ad altare: et immola pro peccato tuo. Offer olocaustum: et deprecare pro te et pro populo. Cunque mactaueris hostiam populi: ora pro eis: sicut precepit dominus. [8] Statimque

aaron accedens ad altare immolauit vitulum pro peccato suo: [9] cuius sanguinem obtulerunt ei filij sui. In quo tingens digitum tetigit cornua altaris: et fudit residuum ad basim eius. [10] Adipemque et renunculos ac reticulum iecoris que sunt pro peccato adoleuit super altare: sicut preceperat dominus moysi. [11] Carnes vero et pellem eius extra castra combussit igni. [12] Immolauit et olocausti victimam. Obtuleruntque ei filij sui sanguinem eius: quem fudit per altaris circuitum. [13] Ipsam etiam hostiam in frusta concisam cum capite et membris singulis obtulerunt: que omnia super altare cremauit igni: [14] lotis aqua prius intestinis et pedibus. [15] Et pro peccato populi offerens· mactauit hircum: expiatoque altari [16] fecit olocaustum· [17] addens in sacrificio libamenta· que pariter offeruntur et adolens ea super altare: absque cerimonijs olocausti matutini. [18] Immolauit et bouem atque arietem hostias pacificas populi. Obtuleruntque ei filij sui sanguinem quem fudit super altare in circuitu: [19] adipem autem bouis· et caudam arietis renunculosque cum adipibus suis et reticulum iecoris [20] posuerunt super pectora. Cumque cremati essent adipes super altare: [21] pectora eorum et armos dextros separauit aaron eleuans coram domino: sicut preceperat moyses. [22] Et extendens manum ad populum benedixit ei: sicque completis hostijs pro peccato et olocaustis et pacificis· descendit. [23] Ingressi autem moyses et aaron in tabernaculum testimonij et deinceps egressi: benedixerunt populo. Apparuitque gloria domini omni multitudini: [24] et ecce egressus ignis a domino deuorauit olocaustum et adipes: qui erant super altare. Quod cum vidissent turbe: laudauerunt dominum ruentes i facies suas.

10 Arreptisque nadab et abiu filij aaron thuribulis suis imposuerunt iet incensum desuper gnem et incensum desuper offerentes coram domino ignem alienum: quod eis preceptum non erat. [2] Egressusque ignis a domino deuorauit eos: et mortui sunt coram domino. [3] Dixitque moyses ad aaron. Hoc est quod locutus est dominus. Sanctificabor in hijs qui appropinquant michi: et in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit aaron. [4] Vocatis autem moyses· mysahele et elisaphan· filijs oziel patrui aaron: ait ad eos. Ite et tollite fratres vestros de conspectu sanctuarij: et asportate extra castra. [5] Confestimque per gentes tulerunt eos sicut iacebant vestitos lineis tunicis: et eiecerunt foras vt sibi fuerat imperatum. [6] Locutusque est moyses ad aaron et ad eleazar et ythamar filios eius. Capita vestra nolite nudare· et vestimenta nolite scindere· ne forte moriamini: et super omnem cetum oriatur indignatio. Fratres vestri et omnis domus israhel plangant incendium quod dominus suscitauit: [7] vos autem non egrediemini fores tabernaculi: alioquin peribitis. Oleum quippe sancte vnctionis est super vos. Qui fecerunt omnia iuxta preceptum moysi. [8] Dixitque dominus ad aaron. [9] Vinum et omne quod inebriare potest non bibetis· tu et filij tui quando intrabitis in tabernaculum testimonij ne moriamini quia preceptum sempiternum est in generationes vestras: [10] et vt habeatis scientiam discernendi· inter sanctum et prophanum· inter pollutum et mundum: [11] doceatisque filios israhel omnia legitima mea que locutus est dominus ad eos per manum moysi. [12] Locutusque est moyses ad aaron: et ad eleazar et ythamar filios eius· qui erant residui. Tollite sacrificium quod remansit de oblatione domini et comedite illud absque fermento iuxta altare: quia sanctum sanctorum est. [13] Comedetis autem in loco sancto quod datum est tibi et filijs tuis· de oblationibus domini: sicut preceptum est michi. [14] Pectusculum quoque quod oblatum est· et armum qui separatus est edetis in loco mundissimo tu et filij tui: et filie tue tecum. Tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostijs salutaribus filiorum israhel: [15] eo quod armum et pectus et adipes qui cremantur in altari· eleuauerunt coram domino: et pertineant ad te· et ad filios tuos· lege perpetua: sicut precepit dominus. [16] Inter hec hircum qui oblatus fuerat pro peccato cum quereret moyses exustum reperit: iratusque contra eleazar· et ythamar filios aaron qui remanserant ait. [17] Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto· que sancta sanctorum est· et data vobis vt portetis iniquitatem multitudinis et rogetis pro ea in conspectu domini: [18] presertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta· et comedere debueratis eam in sanctuario sicut preceptum est michi? [19] Respondit aaron. O Oblata est hodie victima pro peccato et olocaustum coram domino: michi autem accidit quod vides. Quomodo potui comedere eam: aut placere domino in cerimonijs mente lugubri? [20] Quod cum audisset moyses: recepit satisfactionem.

11 Locutus dominus ad moysen· et aaron dicens. [2] Dicite filijs israhel. Custodite omnia que scripsi vobis: vt sim deus vester. Hec sunt animalia que comedere debetis de cunctis animantibus terre. [3] Omne quod habet diuisam vngulam et ruminat in pecoribus comedetis. [4] Quicquid autem ruminat et habet vngulam sed non diuidit eam· sicut camelus et cetera· non comedetis illud: et inter immunda reputabitis. [5] Cirogrillus qui ruminat vngulamque non diuidit immundus est: [6] lepus quoque nam et ipse ruminat sed vngulam non diuidit: [7] et sus que cum vngulam diuidat non ruminat: [8] horum carnibus non vescemini. Nec cadauera contingetis quia immunda sunt vobis. [9] Hec etiam sunt que gignuntur in aquis: et vesci licitum est. Omne quod habet pennulas et squamas tam in mari que in fluminibus et stagnis comedetis. [10] Quicquid autem pennulas et squamas non habet eorum que in aquis mouentur et viuunt abominabile vobis [11] execrandum que erit. Carnes eorum non comedetis: et morticina vitabitis. [12] Cuncta que non habent pennulas et squamas in aquis polluta erunt. [13] Hec sunt que de auibus comedere non debetis: et vitanda sunt vobis. Aquilam· et griphum· et alietum [14] et miluum· ac vulturem iuxta genus suum: [15] et omne coruini generis· in similitudinem suam: [16] strucionem· et noctuam· et larum et accipitrem iuxta genus suum: [17] bubonem et mergulum· et ibin· [18] et cignum et onocrotalum· et porphirionem· [19] herodionem. et caradrion iuxta genus suum: vpupam quoque et vespertilionem. [20] Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes abominabile erit vobis. [21] Quicquid autem ambulat quidem super quatuor pedes sed habet longiora retro crura per que salit super terram· [22] comedere debetis: vt est brucus in genere suo· et atthacus atque ophiomachus· atque locusta: singula iuxta genus suum. [23] Quicquid autem ex volucribus· quatuor tantum habet pedes execrabile erit vobis: [24] et quicumque morticina eorum tetigerit polluetur· et erit immundus vsque ad vesperam: [25] et si necesse fuerit vt portet quippiam horum mortuum lauabit vestimenta sua· et immundus erit vsque ad occasum solis. [26] Omne animal quod habet quidem vngulam sed non diuidit eam· vec ruminat· immundum erit: et quicquid tetigerit illud contaminabitur. [27] Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus que incedunt quadrupedia: immundum erit. Qui tetigerit morticina eorum polluetur vsque ad vesperum: [28] et qui portauerit huiuscemodi cadauera lauabit vestimenta sua· et immundus erit vsque ad vesperum: quia omnia hec immunda sunt vobis. [29] Hec quoque inter polluta reputabuntur de hijs que mouentur in terra: mustela et mus et cocodrillus· singula iuxta genus suum: [30] migale cameleon· et stellio· et lacerta et talpa: [31] omnia hec immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum immundus erit vsque ad vesperum: [32] et super quem ceciderit quicquam de morticinis eorum polluetur. Tam vas ligneum et vestimentum· quam pelles· et cilicia· et in quocunque fit opus tingentur aqua· et polluta erunt vsque ad vesperum: et sic postea mundabuntur. [33] Vas autem fictile in quod horum quicque intro ceciderit polluetur: et ideo frangendum est. [34] Omnis cibus quem comedetis si fusa fuerit super eum aqua immundus erit: et omne liquens quod bibitur de vniuerso vase immundum erit. [35] Et quicquid de morticinis huiuscemodi ceciderit super illud immundum erit: siue clibani· siue citropedes destruentur· et immundi erunt. [36] Fontes vero et cisterne· et omnis aquarum congregacio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit polluetur. [37] Si ceciderit super sementem non polluent eam: [38] sinau tem quispiam aqua sementem perfuderit· et postea morticinis tacta fuerit: illico polluetur. [39] Si mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere: qui cadauer eius tetigerit immundus erit vsque ad vesperum. [40] Et qui comederit ex eo quippiam siue portauerit· lauabit vestimenta sua: et immundus erit vsque ad vesperum. [41] Omne quod reptat super terram abominabile erit: nec assumetur in cibum. [42] Quicquid super pectus quadrupes graditur· et multos habet pedes siue per humum trahitur non comedetis: quia abominabile est. [43] Nolite contaminare animas

vestras: nec tangatis quicquam eorum ne immundi sitis. [44] Ego sum dominus deus vester. Sancti estote: quia ego sanctus sum· ne polluatis animas vestras in omni reptili quod mouetur super terram. [45] Ego enim sum dominus qui eduxi vos de terra egipti: vt essem vobis in deum. Sancti eritis: quia ego sanctus sum. [46] Ista est lex animantium ac volucrum et omnis anime viuentis que mouetur in aqua· et reptat in terra: [47] vt differentias noueritis mundi et immundi: et vt sciatis quid comedere et respuere debeatis.

12 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Loquere filijs israhel: et dices ad eos. Mulier si suscepto semine pepererit masculum immunda erit septem diebus iuxta dies separacionis menstrue: [3] et die octauo circuncidetur infantulus: [4] ipsa vero trigintatribus diebus manebit in sanguine purificacionis sue. Omne sanctum non tanget: nec ingredietur in sanctuarium donec impleantur dies purgacionis sue. [5] Sin autem feminam pepererit immunda erit duabus ebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui: et sexagintasex diebus manebit in sanguine purificationis sue. [6] Cumque expleti fuerint dies purificationis sue pro filio siue pro filia deferet agnum anniculum in olocaustum et pullum columbe· siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij et tradet sacerdoti: [7] qui offeret illa coram domino· et orabit pro ea: et sic mundabitur a profluuio sanguinis sui. Ista est lex parturientis masculum et feminam. [8] Quod si non inuenerit manus eius nec potuerit offerre agnum· sumet duos turtures vel duos pullos columbarum: vnum in olocaustum et alterum pro peccato. Orabitque pro ea sacerdos et sic mundabitur.

13 Locutusque est dominus ad moysen et aarou dicens. [2] Homo in cuius cute et carne ortus fuerit diuersus color siue pustula· aut lucens quippiam id est plaga lepre: adducetur ad aaron sacerdotem· vel ad vnumquemlibet filiorum eius. [3] Qui cum viderit lepram in cute· et pilos in album mutatos colorem· ipsam speciem lepre humiliorem cute et carne reliqua: plaga lepre est· et ad arbitrium eius separabitur. [4] Sin autem lucens candor fuerit in cute· nec humilior carne reliqua: et pili coloris pristini: recludet eum sacerdos septem diebus· [5] et considerabit die septimo. Et siquidem lepra vltra non creuerit· nec transierit in cute priores terminos: rursum recludet eum septem diebus alijs: [6] et die septimo contemplabitur. Si obscurior fuerit lepra et non creuerit in cute mundabit eam quia scabies est: lauabitque homo vestimenta sua· et mundus erit. [7] Quod si postquam a sacerdote visus est et redditus est mundicie iterum lepra creuerit adducetur ad eum: [8] et immundicie condemnabitur. [9] Plaga lepre si fuerit in homine adducetur ad sacerdotem: [10] et videbit eum. Cunque color albus in cute fuerit· et capillorum mutauerit aspectum· ipsa quoque caro viua apparuerit: [11] lepra vetustissima iudicabitur· atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos· et non recludet: quia perspicue immundicie est. [12] Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute· et operuerit omnem carnem a capite vsque ad pedes· quicquid sub aspectu oculorum cadit: [13] considerabit eum sacerdos· et teneri lepra mundissima iudicabit· eo quod omnis in candorem versa sit: et idcirco homo mundus erit. [14] Quando vero caro viuens in eo apparuerit· [15] tunc sacerdotis iudicio polluetur: et inter immundos reputabitur. Caro enim viua si lepra aspergitur: immunda est. [16] Quod si rursum versa fuerit in alborem et totum hominem operuerit: [17] considerabit eum sacerdos· et mundum esse decernet. [18] Caro autem et cutis in qua vlcus natum est et sanatum· [19] et in loco vlceris cicatrix alba apparuerit siue subrufa: adducetur homo ad sacerdotem. [20] Qui cum viderit locum lepre humiliorem carne reliqua· et pilos versos in candorem: contaminabit eum. Plaga enim lepre orta est in vlcere. [21] Quod si pilus coloris est pristini et cicatrix subobscura· et vicina carne non est humilior: recludet eum septem diebus. [22] Et siquidem creuerit· adiudicabit eum lepre: [23] sin autem steterit in loco suo· vlceris est cicatrix: et homo mundus erit. [24] Caro autem et cutis quam ignis exusserit· et sanata albam siue rufam habuerit cicatricem: [25] considerabit eam sacerdos. Et ecce versa est in alborem· et locus eius reliqua cute est humilior: contaminabit eum: quia plage lepre in cicatrice orta est. [26] Quod si pilorum color non fuerit immutatus· nec humilior plaga carne reliqua· et ipsa lepre species fuerit subobscura: recludet eum septem diebus: [27] et die septimo contemplabitur. Si creuerit in cute lepra contaminabit eum: [28] sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus· plaga conbustionis est et idcirco mundabitur· quia cicatrix est conbusture. [29] Vir siue mulier in cuius capite vel barba germinauerit lepra: videbit eos sacerdos. [30] Et si quidem humilior fuerit locus carne reliqua· et capillus flauus· solitoque subtilior: contaminabit eos: quia lepra capitis ac barbe est. [31] Sinautem viderit locum macule equalem vicine carni· et capillum nigrum: recludet eos septem diebus: [32] et die septimo intuebitur. Si non creuerit macula· et capillus sui coloris est· et locus plage carni relique equalis: [33] radetur homo absque loco macule: et recludetur septem diebus alijs. [34] Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo· nec humilior carne reliqua· mundabit eum: lotisque vestibus suis mundus erit. [35] Sinautem post emundationem· rursus creuerit macula in cute· [36] non queret amplius vtrum capillus in flauum colorem sit conmutatus: quia aperte immundus est. [37] Porro si steterit macula· et capilli nigri fuerint: nouerit hominem sanatum esse: et confidenter eum pronunciet mundum. [38] Vir siue mulier in cuius cute candor apparuerit: [39] intuebitur eos sacerdos. Si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute: sciat non esse lepram· sed maculam coloris candidi: et hominem mundum. [40] Vir de cuius capite capilli fluunt· caluus et mundus est. [41] Et si a fronte ceciderint pili: recaluaster et mundus est. [42] Sinautem in caluicio siue in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus· [43] et hoc sacerdos viderit: condemnabit eum· haut dubie lepre: que orta est in caluicio. [44] Quicumque ergo maculatus fuerit lepra· et separatus est ad arbitrium sacerdotis: [45] habebit vestimenta dissuta caput nudum· os veste contectum: contaminatum ac sordidum se clamabit. [46] Omni tempore quo leprosus est et immundus: solus habitabit extra castra. [47] Vestis lanea siue linea· que lepram habuerit [48] in stamine atque subtegmine aut certe pellis vel quicquid ex pelle confectum est: [49] si alba vel rufa macula fuerit infecta· lepra reputabitur: ostendetur que sacerdoti. [50] Qui consideratam recludet septem diebus: [51] et die septimo rursus aspiciens· si deprehenderit creuisse· lepra perseuerans est: pollutum iudicabit vestimentum· et omne in quo fuerit inuenta: [52] et idcirco comburetur flammis. [53] Quod si eam viderit non creuisse· [54] precipiet et lauabunt id in quo lepra est: recludetque illud septem diebus alijs. [55] Et cum viderit faciem quidem pristinam non reuersam nec tamen creuisse lepram: immundum iudicabit et igne comburet: eo quod infusa sit in superficie vestimenti vel per totum lepra. [56] Sinautem obscurior fuerit locus lepre postquam vestis est lota: abrumpet eum et a solido diuidet. [57] Quod si vltra apparuerit in hijs locis que prius immaculata erant: lepra volatilis et vaga debet igne comburi. [58] Si cessauerit· lauabit aqua ea que pura sunt secundo: et munda erunt. [59] Ista est lex lepre vestimenti lanei et linei· staminis atque subtegminis· omnisque suppellectilis pellicee: quomodo mundari debeat vel contaminari.

14 Locutusque Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Hec Hic est ritus leprosi quando mundatus est. Adducetur ad sacerdotem. [3] Qui egressus de castris. cum inuenerit lepram esse mundatam· [4] precipiet ei qui purificatur· vt offerat duos passeres viuos pro se quos vesci licitum est: et lignum cedrinum· vermiculum que· et ysopum. [5] Et vnum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes: [6] alium autem viuum· cum ligno cedrino et cocco ysopo· tinget in sanguine passeris immolari· [7] quo asperget illum qui mundandus est septies· vt iure purgetur: et dimittet passerem viuum vt in agrum auolet. [8] Cunque lauerit homo vestimenta sua· radet omnes pilos corporis· et lauabitur aqua· purificatusque ingredietur castra: ita dumtaxat vt maneat extra tabernaculum suum septem diebus: [9] et die septima radet capillos capitis· barbam que et supercilia· ac tocius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus et corpore· [10] die octauo assumet duos agnos immaculatos· et ouem anniculam absque macula: et tres decimas simile in sacrificium que conspersa sit oleo: et seorsum olei sextarium. [11] Cunque sacerdos purificans hominem statuerit eum et hec omnia coram domino in ostio tabernaculi testimonij: [12] tollet agnum et offeret eum pro delicto oleique sextarium. Et oblatis ante dominum omnibus· [13] immolabit agnum vbi solet

immolari hostia pro peccato et olocaustum: id est in loco sancto. Sicut enim pro peccato: ita et pro delicto· ad sacerdotem pertinet hostia. Sancta sanctorum est. [14] Assumensque sacerdos de sanguine hostie que immolata est pro delicto ponet super extremum auricule dextre eius qui mundatur· et super pollices manus dextre et pedis: [15] et de olei sextario mittet in manum suam sinistram [16] tingetque digitum dextrum in eo: et asperget coram domino septies. [17] Quod autem reliquum est olei in leua manu· fundet super extremum auricule dextre eius qui mundatur· et super pollices manus ac pedis dextri: et super sanguinem qui effusus est pro delicto: [18] et super caput eius. [19] Rogabitque pro eo coram domino: et faciet sacrificium pro peccato. Tunc immolabit olocaustum: [20] et ponet illud in altari cum libamentis suis: et homo rite mundabitur. [21] Quod si pauper est· et non potest manus eius inuenire que dicta sunt: pro delicto sumet agnum ad oblationem· vt roget pro eo sacerdos· decimamque partem simile· consperse oleo in sacrificium· et olei sextarium· [22] duosque turtures siue duos pullos columbe: quorum vnus sit pro peccato· et alter in olocaustum: [23] offeretque ea die octauo purificationis sue sacerdoti ad ostium tabernaculi testimonij coram domino. [24] Qui suscipiens agnum pro delicto· et sextarium olei· leuabit simul: [25] immolatoque agno· de sanguine eius ponet super extremum auricule dextre eius qui mundatur: et super pollices manus eius ac pedis dextri. [26] Olei vero partem mittet in manum suam sinistram: [27] in quo tingens digitum dextre manus asperget septies coram domino [28] tangetque extremum dextre auricule illius qui et pollices manus ac pedis dextri: in loco sanguinis qui effusus est pro delicto. [29] Reliquam autem partem olei que est in sinistra manu· mittet super caput purificati vt placet pro eo dominum: [30] et turturem siue pullum columbe offeret: [31] vnum pro delicto· et alterum in olocaustum cum libamentis suis. [32] Hoc est sacrificium leprosi· qui habere non potest omnia in emundationem sui. [33] Locutusque est dominus ad moysen et aaron dicens. [34] Cunque ingressi fueritis terram chanaan· quam ego dabo vobis in possessionem: si fuerit plaga lepre in edibus: [35] ibit cuius est domus nuncians sacerdoti· et dicet. Quasi plaga lepre videtur michi esse in domo mea. [36] At ille precipiet vt efferantur vniuersa de domo priusquam ingrediatur eam· et videat vtrum leprosa sit: ne immunda fiant omnia que in domo sunt. Intrabitque postea vt consideret lepram domus: [37] et cum viderit in parietibus illius quasi valliculas pallore siue rubore deformes· et humiliores superficie reliqua: [38] egredietur ostium domus et statim claudet illam septem diebus: [39] reuersusque die septimo considerabit eam. Si inuenerit creuisse lepram [40] iubebit erui lapides in quibus lepra est: et proiciet eos extra ciuitatem in locum immundum: [41] domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum· et spergi puluerem rasure extra vrbem in locum immundum: [42] lapidesque alios reponi pro hijs qui ablati fuerant· et luto alio liniri domum. [43] Sinautem postquam eruti sunt lapides· et puluis elatus· et alia terra lita [44] ingressus sacerdos viderit reuersam lepram· et parietes respersos maculis: lepra est perseuerans· et immunda domus. [45] Quam statim destruent: et lapides eius ac ligna atque vniuersum puluerem proicient extra opidum in locum immundum. [46] Qui intrauerit domum quando clausa est immundus erit vsque ad vesperum: [47] et qui dormierit in ea et comederit quippiam lauabit vestimenta sua. [48] Quod si introiens sacerdos viderit lepram non creuisse in domo postquam denuo lita fuerit: purificabit eam reddita sanitate. [49] Et in purificatione eius sumet duos passeres lignum que cedrinum et vermiculum atque ysopum: [50] et immolato vno passere in vase fictili super aquas viuas· [51] tollet lignum cedrinum· et ysopum et coccum· et passerem viuum· et tinget omnia in sanguine passeris immolati atque in aquis viuentibus et asperget domum septies: [52] purificabit que eam tam in sanguiue passeris quam in aquis viuentibus· et in passere viuo· lignoque cedrino et ysopo· atque vermiculo. [53] Cunque dimiserit passerem auolare in agrum libere: orabit pro domo et iure mundabitur. [54] Ista est lex omnis lepre et percussure· [55] lepre vestium et domorum· [56] cicatricis et erumpentium papularum: lucentis macule et in varias species coloribus immutatis: [57] vt possit sciri quo tempore mundum quid vel immundum sit.

15 Locutusque est dominus ad moysen et aaron dicens. [2] Loquimini filijs israhel: et dicite eis. Vir qui patitur fluxum seminis· immundus erit: [3] et tunc iudicabitur huic vicio subiacere: cum per singula momenta adheserit carni eius· atque concreuerit fedus humor. [4] Omne stratum in quo dormierit immundum erit: et vbicumque sederit. [5] Si quis hominum tetigerit lectum eius lauabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. [6] Si sederit vbi ille sederat: et ipse lauabit vestimenta sua: et lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. [7] Qui tetigerit carnem eius lauabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. [8] Si saliuam huiuscemodi homo iecerit super eum qui mundus est lauabit vestimenta sua: et lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. [9] Sagma super quod sederit immundum erit: [10] et quicquid sub eo fuerit qui fluxum seminis patitur pollutum erit vsque ad vesperum. Qui portauerit horum aliquid lauabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. [11] Omnis quem tetigerit qui talis est non lotis ante manibus· lauabit vestimenta sua: et lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. [12] Vas fictile quod tetigerit confringetur: vas autem ligneum lauabitur aqua. [13] Si sanatus fuerit qui huiuscemodi sustinet passionem numerabit septem dies post emundationem sui: et lotis vestibus· et toto corpore in aquis viuentibus erit mundus. [14] Die autem octauo sumet duos turtures aut duos pullos columbe: et veniet in conspectu domini ad ostium tabernaculi testimonij: dabitque eos sacerdoti. [15] Qui faciet vnum pro peccato· et alterum in olocaustum: rogabitque pro eo coram domino vt emundetur a fluxu seminis sui. [16] Vir de quo egreditur semen coitus· lauabit aqua omne corpus suum: et immundus erit vsque ad vesperum. [17] Vestem et pellem quam habuerit lauabit aqua: et immunda erit vsque ad vesperum. [18] Mulier cum qua coierit lauabitur aqua: et immunda erit vsque ad vesperum. [19] Mulier que redeunte mense patitur fluxum sanguinis: septem diebus separabitur. [20] Omnis qui tetigerit eam· immundus erit vsque ad vesperum: [21] et locus in quo dormierit vel sederit diebus separationis sue· polluetur. [22] Qui tetigerit lectum suum· lauabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. [23] Omne vas super quod illa sederit· quisquis attigerit lauabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua pollutus erit vsque ad vesperum. [24] Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis immundus erit septem diebus: et omne stratum in quo dormierit polluetur. [25] Mulier que patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali· vel que post menstruum sanguinem fluere non cessat: quam diu subiacet huic passioni immunda erit: quasi sit in tempore menstruo. [26] Omne stratum in quo dormierit: et vas in quo sederit· pollutum erit. [27] Quicunque tetigerit eam lauabit vestimenta sua: et ipse lotus aqua immundus erit vsque ad vesperum. [28] Si steterit sanguis et fluere cessauerit· numerabit septem dies purificationis sue: [29] et die octauo offeret pro se sacerdoti duos turtures aut duos pullos columbarum ad ostium tabernaculi testimonij: [30] qui vnum faciet pro peccato· et alterum in olocaustum: rogabitque pro ea coram domino: et pro fluxu immundicie eius. [31] Docebitis ergo filios israhel vt caueant immundicias: et non moriantur in sordibus suis cum polluerint tabernaculum meum: quod est inter eos. [32] Ista est lex eius qui patitur fluxum seminis· et qui polluitur coitu: [33] et que menstruis temporibus separantur vel que iugi fluit sanguine: et hominis qui dormierit cum ea.

16 Locutusque est dominus ad moysen post mortem duorum filiorum aaron: quando offerentes ignem alienum interfecti sunt. [2] Et precepit ei dicens. Loquere ad aaron fratrem tuum· ne omni tempore ingrediatur sanctuarium· quod est intra velum coram propiciatorio quo tegitur archa· vt non moriatur· quia in nube apparebo super oraculum: [3] nisi hec ante fecerit. Vitulum pro peccato offeret: et arietem in olocaustum. [4] Tunica linea vestietur: feminalibus lineis verenda celabit. Accingetur zona linea: cidarim lineam imponet capiti. Hec enim vestimenta sunt sancta: quibus cunctis cum lotus fuerit induetur. [5] Suscipietque ab vniuersa multitudine filiorum israhel duos hircos pro peccato: et vnum arietem in olocaustum. [6] Cunque obtulerit vitulum et orauerit pro se et pro domo sua· [7] duos hircos stare faciet coram domino in ostio tabernaculi testimonij: [8] mittens que super vtrumque sortem·

vnam domino· et alteram capro emissario: [9] cuius exierit sors domino· offeret illum pro peccato: [10] cuius autem in caprum emissarium· statuet eum viuum coram domino· vt fundat preces super eum: et emittat eum in solitudinem. [11] Hijs rite celebratis· offeret vitulum: et rogans pro se et pro domo sua immolabit eum. [12] Assumptoque thuribulo quod de prunis altaris impleuerit· et hauriens manu compositum thymiama in incensum: vltra velum intrabit in sancta· [13] vt positis super ignem aromatibus nebula eorum et vapor operiat oraculum quod est super testimonium: et non moriatur. [14] Tolletque de sanguine vituli: et asperget digito septies contra propiciatorium ad orientem. [15] Cunque mactauerit hircum pro peccato populi· inferet sanguinem eius intra velum sicut preceptum est de sanguine vituli: vt aspergat eregione oraculi· [16] et expiet sanctuarium ab immundicijs filiorum israhel: et a preuaricationibus eorum· cunctisque peccatis. Iuxta hunc ritum faciet in tabernaculo testimonij quod fixum est inter eos: in medio sortium habitationis eorum. [17] Nullus hominum sit in tabernaculo quando pontifex sanctuarium ingreditur· vt roget pro se et pro domo sua· et pro vniuerso cetu israhel: donec egrediatur tabernaculum. [18] Cum autem exierit ad altare quod coram domino est oret pro se: et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua eius per girum: [19] aspergensque digito septies· expiet et sanctificet illud ab immundicijs filiorum israhel. [20] Postquam emundauerit sanctuarium· et tabernaculum· et altare· tunc offerat hircum viuentem: [21] et posita vtraque manu super caput eius confiteatur omnes iniquitates filiorum israhel· et vniuersa delicta atque peccata eorum: que imprecans capiti eius emittet illum per hominem paratum in desertum. [22] Cumque portauerit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam· et dimissus fuerit in deserto· [23] reuertetur aaron in tabernaculum testimonij: et depositis vestibus quibus prius indutus erat cum intraret sanctuarium· relictisque ibi· [24] lauabit carnem suam in loco sancto: indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit olocaustum suum ac plebis rogabit tam pro se quam pro populo: [25] et adipem qui oblatus est pro peccatis adolebit super altare. [26] Ille vero qui dimiserit caprum emissarium lauabit vestimenta sua et corpus aqua: et sic ingredietur in castra. [27] Vitulum autem et hircum qui pro peccato fuerant immolati et quorum sanguis illatus est in sanctuarium vt expiatio compleretur· asportabunt foras castra et comburent igni tam pelles quam carnes eorum ac fimum: [28] et quicumque combusserit ea· lauabit vestimenta sua· et carnem aqua: et sic ingredietur castra. [29] Eritque vobis hoc legitimum sempiternum. Mense autem septimo decima die mensis· affligetis animas vestras: nullumque opus facietis siue indigena siue aduena qui peregrinantur inter vos. [30] In hac die expiatio erit vestri atque mundatio: ab omnibus peccatis vestris coram domino mundabimini. [31] Sabbatum enim requietionis est: et affligetis animas vestras religione perpetua. [32] Expiabit autem sacerdos qui vnctus fuerit: et cuius manus iniciate sunt vt sacerdotio fungatur pro patre suo. Indueturque stola linea et vestibus sanctis: [33] et expiabit sanctuarium et tabernaculum que testimonij atque altare: sacerdotes quoque et vniuersum populum. [34] Eritque hoc vobis legitimum sempiternum: vt oretis pro filijs israhel· et pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut preceperat dominus moysi.

17 Et locutus est dominus ad moysen dicentis. [2] Loquere aaron et filijs eius et cunctis filijs israhel: dicens ad eos. Iste est sermo quem mandauit dominus dicens. [3] Homo quilibet de domo israhel· si occiderit bouem aut ouem· siue capram in castris vel extra castra· [4] et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem domino: sanguinis reus erit. Quasi si sanguinem fuderit: sic peribit de medio populi sui. [5] Ideo sacerdoti offerre debent filij israhel hostias suas quas occidunt in agro vt sanctificentur domino ante ostium tabernaculi testimonij: et immolent eas hostias pacificas domino. [6] Fundetque sacerdos sanguinem super altare domini ad ostium tabernaculi testimonij: et adolebit adipem in odorem suauitatis domino: [7] et nequaquam vltra immolabunt hostias suas demonibus cum quibus fornicati sunt. Legitimum sempiternum erit illis et posteris eorum. [8] Et ad ipsos dices. Homo de filijs israhel· et de aduenis qui peregrinantur apud vos qui obtulerit olocaustum siue victimam· [9] et ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit eam vt offeratur domino: interibit de populo suo. [10] Homo quilibet de domo israhel· et de aduenis qui peregrinantur inter vos· si comederit sanguinem obfirmabo faciem meam contra animam illius et disperdam eam de populo suo: [11] quia anima carnis in sanguine est: et ego dedi illum vobis· vt super altare in eo expietis pro animabus vestris: et sanguis pro anime piaculo sit. [12] Idcirco dixi filijs israhel. Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem: nec ex aduenis qui peregrinantur apud vos. [13] Homo quicunque de filijs israhel· et de aduenis qui peregrinantur apud vos· si venatione atque aucupio ceperit feram vel auem quibus vesci licitum est: fundat sanguinem et operiat illum terra. [14] Anima enim omnis carnis in sanguine est. Vnde dixi filijs israhel. Sanguinem vniuerse carnis non comedetis: quia anima carnis in sanguine est: et quicumque comederit illum interibit. [15] Anima que comederit morticinum nel captum a bestia· tam de indigenis quam de aduenis lauabit vestimenta sua et semetipsum aqua: et contaminatus erit vsque ad vesperum: et hic ordine mundus fiet. [16] Quod si non lauerit vestimenta vel corpus: tabit iniquitatem suam.

18 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Loquere filijs israhel: et dices ad eos. Ego sum dominus deus vester. [3] Iuxta consuetudinem terre egipti in qua habitastis non facietis: et iuxta morem regionis chanaan· ad quam ego introducturus sum vos· non agetis: nec in legitimis eorum ambulabitis. [4] Facietis iudicia mea et precepta mea seruabitis: et ambulabitis in eis. Ego dominus deus vester. [5] Custodite leges meas atque iudicia: que faciens homo viuet in eis. Ego dominus deus vester. [6] Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accidet vt reuelet turpitudinem eius. Ego dominus. [7] Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tue non discooperies. Mater tua est: non reuelabis turpitudinem eius. [8] Turpitudinem vxoris patris tui non discoopies. Turpitudo enim patris tui est. [9] Turpitudinem sororis tue ex patre siue ex matre que domi vel foris genita est non reuelabis. [10] Turpitudinem filie filij tui vel neptis ex filia non reuelabis: quia turpitudo tua est. [11] Turpitudinem filie vxoris patris tui quam peperit patri tuo et est soror tua: non reuelabis. [12] Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui. [13] Turpitudinem sororis matris tue non reuelabis: eo quod caro sit matris tue. [14] Turpitudinem patrui tui non reuelabis: nec accedes ad vxorem eius: que tibi affinitate coniungitur. [15] Turpitudinem nurus tue non reuelabis quia vxor filij tui est: nec discooperies ignominiam eius. Et vxorem fratris sui nullus accipiat. [16] Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui est. [17] Turpitudinem vxoris tue et filie eius non reuelabis. Filiam filij eius· et filiam filie illius non sumes vt reueles ignominiam eius: quia caro illius sunt: et talis coitus incestus est. [18] Sororem vxoris tue in pelicatum illius non accipies: nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente. [19] Ad mulierem que patitur menstrua non accedes: nec reuelabis feditatem eius. [20] Cum vxore proximi tui non coibis: nec seminis commixtione maculaberis. [21] De semine tuo non dabis vt consecretur ydolo moloch: nec pollues nomen dei tui. Ego dominus. [22] Cum masculo non commiscearis coitu femineo: quia abominatio est. [23] Cum omni pecore non coibis: nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet iumento nec miscebitur ei: quia scelus est. [24] Nec polluamini in omnibus hijs quibus contamminate sunt vniuerse gentes quas ego eiciam ante conspectum vestrum: [25] et quibus polluta est terra cuius ego scelera visitabo: vt euomat habitatores suos. [26] Custodite legitima mea atque iudicia: vt non faciatis ex omnibus abominationibus istis tam indigena quam colonus qui peregrinantur apud vos. [27] Omnes enim execrationes istas fecerunt accole terre qui fuerunt ante vos: et polluerunt eam. [28] Cauete ergo ne et vos similiter euomat cum paria feceritis: sicut euomuit gentem que fuit ante vos. [29] Omnis anima que fecerit de abominationibus hijs quippiam: peribit de medio populi sui. [30] Custodite mandata mea. Nolite facere que fecerunt hij qui fuerunt ante vos: et ne polluamini in eis. Ego dominus deus vester.

19 Locutus dominus ad moysen dicens. [2] Loquere ad omnem cetum filiorum israhel: et dices ad eos. Sancti estote: quia ego sanctus sum dominus deus vester. [3] Vnusquisque patrem suum et matrem suam timeat.

Sabbata mea custodite. Ego dominus deus vester. [4] Nolite conuerti ad ydola: nec deos conflatiles facietis vobis. Ego dominus deus vester. [5] Si immolaueritis hostiam pacificorum domino vt sit placabilis· [6] eo die quo fuerit immolata comedetis eam: et die altero. Quicquid autem residuum fuerit in diem tercium: igne comburetis. [7] Si quis post biduum comederit ex ea profanus erit et impietatis reus: [8] portabitque iniquitatem suam quia sanctum domini polluit: et peribit anima illius de populo suo. [9] Cunque messueris segetes terre tue non tondeberis vsque ad solum superficiem terre· nec remanentes spicas colliges: [10] neque in vinea tua racemos et grana decidencia congregabis: sed pauperibus· et peregrinis carpenda dimittes. Ego dominus deus vester. [11] Non facietis furtum· nec mentiemini· nec decipiet vnusquisque proximum suum. [12] Non periurabis in nomine meo· nec pollues nomen dei tui. Ego dominus. [13] Non facies calumniam proximo tuo: nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarij tui· apud te vsque mane. [14] Non maledices surdo· nec coram ceco pones offendiculum: sed timebis dominum deum tuum: quia ego sum dominus. [15] Non facies quod iniquum est: nec iniuste iudicabis. Non consideres personam pauperis: nec honores vultum potentis. Iuste proximo tuo iudica. [16] Nec eris criminator: nec susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego dominus. [17] Non oderis fratrem tuum in corde tuo: sed publice argue eum: ne habeas super illo peccatum. [18] Non queras vlcionem: nec memor eris iniurie ciuium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego dominus. [19] leges meas custodite. Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non seres diuerso semine. Veste que ex duobus texta est non indueris. [20] Homo si dormierit cum muliere coitu seminis que sit ancilla etiam nobilis· et tamen precio non redempta nec libertate donata: vapulabunt ambo et non morientur: quia non fuit libera. [21] Pro delicto autem suo offeret domino ad ostium tabernaculi testimonij arietem: [22] orabitque pro eo sacerdos et pro peccato eius coram domino et repropiciabitur ei: dimitteturque peccatum. [23] Quando ingressi fueritis terram· et plantaueritis in ea ligna pomifera: auferetis prepucia eorum. Poma que germinant immunda erunt vobis: nec edetis ex eis. [24] Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur: laudabilis domino. [25] Quinto autem anno comedetis fructus: congregantes poma que proferunt. Ego dominus deus vester. [26] Non comedetis carnem cum sanguine. Non auguria nec obseruabitis somnia. [27] Neque in rotundum attondebitis comam: nec radetis barbam. [28] Et super mortuo non incidetis carnes vestras: neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis. Ego dominus. [29] Ne prostituas filiam tuam: ne contaminetur terra et impleatur piaculo. [30] Sabbata mea custodite: et sanctuarium meum metuite. Ego dominus. [31] Non declinetis ad magos: nec ab aliquid sciscitemini: vt per eos. Ego dominus deus vester. [32] Coram cano capite consurge: et honora personam senis: et time dominum deum tuum. Ego sum dominus. [33] Si habitauerit aduena in terra vestra· et moratus fuerit inter vos· non exprobretis ei: [34] sed sit inter vos quasi indigena: et diligetis eum quasi vosmetipsos. Fuistis enim et vos aduene in terra egipti. Ego dominus deus vester. [35] Nolite facere iniquum aliquid in iudicio: in regula· in pondere· in mensura. [36] Statera iusta· et equa sint pondera: iustus modius: equusque sextarius. Ego dominus deus vester: qui eduxi vos de terra egipti. [37] Custodite omnia precepta mea et vniuersa iudicia: et facite ea. Ego dominus.

20 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Hec loqueris filijs israhel. Homo de filijs israhel et de aduenis qui habitant in israhel: si quis dederit de semine suo ydolo moloch· morte moriatur. Populus terre lapidabit eum: [3] et ego ponam faciem meam contra illum· succidam que eum de medio populi sui: eo quod dederit de semine suo moloch· et contaminauerit sanctuarium meum· ac polluerit nomen sanctum meum· [4] quod si negligens populus terre et quasi paruipendens imperium meum· dimiserit hominem qui dedit de semine suo moloch· nec voluerit eum occidere: [5] ponam faciem meam super hominem illum et cognationem eius: succidamque et ipsum et omnes qui consenserunt ei· vt fornicaretur cum moloch de medio populi sui. [6] Anima que declinauerit ad magos et ariolos et fornicata fuerit cum eis: ponam faciem meam contra eam: et interficiam illam de medio populi sui. [7] Sanctificamini et estote sancti: quia ego sanctus sum dominus deus vester. [8] Custodite precepta mea: et facite ea. Ego dominus quia sanctifico vos. [9] Qui maledixerit patri suo aut matri: morte moriatur. Patri matrique qui maledixerit: sanguis eius sit super eum. [10] Si mechatus quis fuerit cum vxore alterius· et adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui: morte morientur et mechus et adultera. [11] Qui dormierit cum nouerca sua et reuelauerit ignominiam patris sui: morte moriantur ambo. Sanguis eorum sit super eos. [12] Si quis dormierit cum nuru sua vterque moriatur: quia scelus operati sunt. Sanguis eorum sit super eos. [13] Qui dormierit cum masculo coitu femineo· vterque operatus est nefas: morte moriantur. Sit sanguis eorum super eos. [14] Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius: scelus operatus est. Viuus ardebit cum eis: nec permanebit tantum nefas in medio vestri. [15] Qui cum iumento et pecore coierit· morte moriatur: pecus que occidite. [16] Mulier que succubuerit cuilibet iumento: simul interficietur cum eo. Sanguis eorum sit super eos. [17] Qui acceperit sororem suam filiam patris sui vel filiam matris sue et viderit turpitudinem eius· illaque conspexerit fratris ignominiam: nefariam rem operati sunt. Occidentur in conspectu populi: eo quod turpitudinem suam mutuo reuelauerint: et portabunt iniquitatem suam. [18] Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo et reuelauerit turpitudinem eius· ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui: interficientur ambo de medio populi sui. [19] Turpitudinem matertere et amite tue non discooperies. Qui hoc fecerit ignominiam carnis sue nudauit: portabunt ambo iniquitatem suam. [20] Qui coierit cum vxore patrui vel auunculi sui et reuelauerit ignominiam cognationis sue: portabunt ambo peccatum suum. Absque liberis morientur. [21] Qui duxerit vxorem fratris sui rem facit illicitam: turpitudinem fratris sui reuelauit: absque filijs erit. [22] Custodite leges meas atque iudicia et facite ea: ne et vos euo terra quam intraturi estis et habitaturi. [23] Nolite ambulare in legitimis nationum· quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hec fecerunt: et abominatus sum eas. [24] Vobis autem loquor. Possidete terram eorum quam dabo vobis in hereditatem: terram fluentem lacte et melle. Ego dominus deus vester: qui separaui vos a ceteris populis. [25] Separate ergo et vos iumentum mundum ab immundo: et auem mundam ab immunda. Ne polluatis animas vestras in pecore et auibus et cunctis que mouentur in terra: et que vobis ostendi esse polluta. [26] Eritis sancti michi: quia sanctus ego sum dominus: et separaui vos a ceteris populis vt essetis mei. [27] Vir siue mulier in quibus phitonicus vel diuinationis fuerit spiritus· morte moriantur: lapidibus obruent eos. Sanguis eorum sit super illos.

21 Dixit quoque dominus ad moysen. Loquere ad sacerdotes filios aaron: et dices ad eos. Ne contaminetur sacerdos in mortibus ciuium suorum· [2] nisi tantum in consanguineis ac propinquis: id est super patrem et matrem et filium et filiam· fratrem quoque [3] et sororem virginem· que non est nupta viro: [4] sed nec in principe populi sui contaminabitur. [5] Nec radent caput barbam: neque in carnibus suis facient incisuras. [6] Sancti erunt deo suo: et non polluent nomen eius. Incensum enim domini et panes dei sui offerunt: et ideo sancti erunt. [7] Scortum et vile prostibulum non ducet vxorem: nec eam que repudiata est a marito· quia consecratus est deo suo: [8] et panes proposito nis offert. Sit ergo sanctus· quia et ego sanctus sum dominus qui sanctifico vos. [9] Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro· et violauerit nomen patris sui· flammis exuretur. [10] Pontifex id est sacerdos maximus inter fratres suos. super cuius caput fusum est vnctionis oleum· et cuius manus in sacerdotio consecrate sunt: Vestitusque est sanctis vestibus: caput suum non discoopiet· vestimenta non scindet: [11] et ad omnem mortuum non ingreditur omnino. Super patre quoque suo et matre non contaminabitur: [12] nec egredietur de sanctis ne polluat sanctuarium domini: quia oleum sancte vnctionis dei sui super eum est. Ego dominus. [13] Virginem ducet vxorem. [14] Viduam autem et repudiatam et sordidam atque meretricem non accipiet sed puellam de populo suo: [15] ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis sue: quia ego dominus qui sanctifico eum. [16] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [17] Loquere ad aaron. Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam non offeret panes deo suo: [18] nec accedet ad ministerium eius. Si cecus fuerit· si claudus· si

vel paruo vel grandi et torto naso: [19] si fracto pede si manu· [20] si gibbus si lippus· si albuginem habens in oculo· si iugem scabiem· si impetiginem in corpore· vel herniosus: [21] omnis qui habuerit maculam de semine aaron sacerdotis. non accedet offerre hostias domino nec panes deo suo. [22] Vescetur tamen panibus qui offeruntur in sanctuario· [23] ita dumtaxat· vt intra velum non ingrediatur: nec accedat ad altare qui maculam habet: et contamminare non debet sanctuarium meum. Ego dominus qui sanctifico eos. [24] Locutus est ergo moyses ad aaron et ad filios eius et ad omnem israhel· cuncta que sibi fuerant imperata.

22 Locutusqnoque Locutus quoque est dominus ad moysen dicens. [2] Loquere ad aaron et ad filios eius· vt caueant ab hijs que consecrata sunt filiorum israhel: et non contamminent nomen sanctificatorum michi· que ipsi offerunt. Ego dominus. [3] Dic ad eos: et ad posteros eorum. Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea que consecrata de stirpe vestra ad ea que consecrata sunt· et que obtulerunt filij israhel domino in quo est immundicia: peribit coram domino. Ego sum dominus. [4] Homo de semine aaron qui fuerit leprosus aut paciens fluxum seminis· non vescetur de hijs que sauctificata sunt michi: donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo· et ex quo egreditur semen quasi coitus· [5] et qui tangit reptile et quodlibet immundum cuius tactus est sordidus· [6] immundus erit vsque ad vesperum: et non vescetur hijs que sanctificata sunt: sed cum lauerit carnem suam aqua [7] et occubuerit sol· tunc mundatus vescetur de sancificatis· quia cibus illius est. [8] Morticinum et captum a bestia non comedent: nec polluentur in eis. Ego sum dominus. [9] Custodiant precepta mea· vt non subiaceant peccato: et moriantur in sanctuario cum polluerint illud. Ego dominus: qui sanctifico eos. [10] Omnis alienigena non comedet de sanctificatis. Inquilinus sacerdotis et mercennarius non vescentur ex eis. [11] Quem autem sacerdos emerit· et qui vernaculus domus eius fuerit: hij comedent ex eis· [12] Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit: de hijs que sanctificata sunt· et de primitijs non vescetur. [13] Sinautem vidua vel repudiata et absque liberis reuersa fuerit ad domum patris sui: sicut puella consueuerat· aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem. [14] Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam· addet quintam partem cum eo quod comedit· et dabit sacerdoti in sanctuarium: [15] nec contamminabunt sanctificata filiorum israhel que offeruntur domino: [16] ne forte sustineant iniquitatem delicti sui· cum sanctificata comederint. Ego dominus: qui sanctifico eos. [17] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [18] Loquere ad aaron et filios eius· et ad omnes filios israhel: dicesque ad eos. Homo de domo israhel et de aduenis qui habitant apud vos· qui obtulerit oblationem suam vel vota soluens vel sponte offerens: quicquid illud obtulerit in olocaustum domini [19] vt offeratur per vos: masculus immaculatus erit ex bobus ex ouibus et ex capris. [20] Si maculam habuerit non offeretis: neque erit acceptabile. [21] Homo qui obtulerit victimam pacificorum domino· vel vota soluens vel sponte offerens tam de bubus quam de ouibus: immaculatum offeret vt acceptabile sit. Omnis macula non erit in eo. [22] Si cecum fuerit· si fractum· si cicatricem habens· si papulas aut scabiem· aut impetiginem· non offeretis ea domino: nec adolebitis ex eis super altare domini. [23] Bouem et ouem aure et cauda amputatis voluntarie offerre potes: votum autem ex hijs solui non potest. [24] Omne animal quod vel contritis vel tunsis vel sectis· ablatisque testiculis est non offeretis domino: et in terra vestra hoc omnino ne faciatis. [25] De manu alienigene non offeretis panes deo vestro· et quicquid aliud dare voluerint· quia corrupta et maculata sunt omnia: non suscipietis ea. [26] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [27] Bos· ouis· et capra cum genita fuerint· septem diebus erunt sub vbere matris sue: die autem octauo et deinceps offerri poterunt domino. [28] Siue illa bos siue ouis non immolabuntur vna die cum fetibus suis. [29] Si immolaueritis hostiam pro gratiarum actione domino vt possit esse placabilis: [30] eodem die comedetis eam. Non remanebit quicque in mane alterius diei. Ego dominus. [31] Custodite mandata mea: et facite ea. Ego dominus. [32] Ne polluatis nomen meum sanctum: vt sanctificer in medio filiorum israhel. Ego dominus· qui sanctifico vos: [33] et eduxi de terra egipti· vt essem vobis in deum. Ego dominus.

23 Locutusque Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Loquere filijs israhel: et dices ad eos. Hee sunt ferie domini: quas vocabitis sanctas. [3] Sex diebus facietis opus: dies septimus quia sabbati requies est· vocabitur sanctus. Omne opus non facietis in eo. Sabbatum domini est in cunctis habitationibus vestris. [4] Hee sunt ergo ferie domini sancte: quas celebrare debetis temporibus suis. [5] Mense primo quarta decima die mensis ad vesperum phase domini est: [6] et quintadecima die mensis huius solemnitas azimorum domini est. Septem diebus azima comedetis. [7] Dies primus erit vobis celeberrimus· sanctusque. Omne opus seruile non facietis in eo: [8] sed offeretis sacrificium in igne domino· septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior et sanctior: nullumque seruile opus facietis in eo. [9] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [10] Loquere filijs israhel: et dices ad eos. Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis et messueritis segetem: feretis manipulos spicarum primitias messis vestre ad sacerdotem. [11] Qui eleuabit fasciculum coram domino vt acceptabile sit pro vobis altero die sabbati: et sanctificabit illum. [12] Atque in eodem die quo manipulus consecratur· cedetur agnus immaculatus anniculus in olocaustum domini: [13] et libamenta offerentur cum eo due decime simile consperse oleo in incensum domini odoremque suauissimum: liba quoque vini· quarta pars hin. [14] Panem et polentam et pultes non comedetis ex segete: vsque ad diem qua offeratis ex ea deo vestro. Preceptum est sempiternum in generationibus· cunctisque habitaculis vestris. [15] Numerabitis ergo ab altero die sabbati in quo obtulistis manipulum primitiarum septem ebdomadas plenas [16] vsque ad alteram diem expletionis ebdomade septime id est quinquaginta dies: et sic offeretis sacrificium nouum domino· [17] ex omnibus habitaculis vestris· panes primitiarum duos de duabus decimis simile fermentate: quos coquetis in primitias domini. [18] Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos· et vitulum de armento vnum· et arietes duos: et erunt in olocaustum cum libamentis suis in odorem suauissimum domino. [19] Facietis et hircum pro peccato: duosque agnos anniculos hostias pacificorum. [20] Cunque eleuauerit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram domino: cedent in vsum eius. [21] Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum. Omne opus seruile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis et generationibus vestris. [22] Postquam autem messueritis segetem terre vestre non secabitis eam vsque ad solum: nec remanentes spicas colligetis: sed pauperibus et peregrinis dimittetis eas. Ego sum dominus deus vester. [23] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [24] Loquere filijs israhel· mense septimo prima die mensis erit vobis sabbatum memoriale clangentibus tubis: et vocabitur sanctum. [25] Omne opus seruile non facietis eo: et offeretis olocaustum domino. [26] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [27] Decimo die mensis huius septimi dies expiationum erit celeberrimus· et vocabitur sanctus: affligetisque animas vestras in eo: et offeretis olocaustum domino. [28] Omne opus seruile non facietis in tempore diei huius quia dies propiciationis est: vt propicietur vobis dominus deus vester. [29] Omnis anima que afflicta non fuerit die hac peribit de populis suis: [30] et que operis quippiam fecerit: delebo eam de populo suo· [31] nichil ergo operis facietis in eo. Legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus et habitationibus vestris. [32] Sabbatum requietionis est: et affligetis animas vestras. Die nono mensis septimi· a vespero vsque ad vesperum celebrabitis sabbata vestra. [33] Et locutus est dominus ad moysen dicens. [34] Loquere filijs israhel. A quintodecimo die mensis huius septimi erunt ferie tabernaculorum septem diebus domino. [35] Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus. Omne opus seruile non facietis in eo: [36] et septem diebus offeretis olocausta domino. Dies quoque octauus erit celeberrimus atque sanctissimus: et offeretis olocaustum domino. Est enim cetus atque collecte. Omne opus seruile non facietis in eo. [37] Hee sunt ferie domini quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas: offeretisque in eis oblationes domino· olocausta et libamenta iuxta ritum vniuscuiusque diei: [38] exceptis sabbatis domini donis que vestris· et que offertis ex voto vel que sponte tribuitis domino. [39] A quintodecimo ergo die mensis septimi quando congregaueritis omnes fructus terre vestre celebrabitis ferias domini septem

diebus. Die primo et die octauo erit sabbatum: id est requies. 40 Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcerrime spatulasque palmarum et ramos ligni densarum frondium· et salices de torrente· et letabimini coram domino deo vestro: 41 celebrabitisque solemnitatem eius septem diebus per annum. Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis 42 et habitabitis in vmbraculis septem diebus. Omnis qui de genere est israhel manebit in tabernaculis: 43 vt discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios israhel cum educerem eos de terra egipti. Ego dominus deus vester. 44 Locutusque est moyses super solemnitatibus domini ad filios israhel.

24 Et est dominus Et locutus dicens. 2 Precipe filijs israhel: vt offerant tibi oleum de oliuis purissimum ac lucidum ad concinnandas lucernas iugiter 3 extra velum testimonij· in tabernaculo federis. Ponetque eas aaron a vespere vsque in mane coram domino: cultu rituque perpetuo in generationibus vestris. 4 Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu domini. 5 Accipies quoque similam· et coques ex ea duodecim panes: qui singuli habebunt duas decimas. 6 Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram domino statues 7 et pones super eos thus lucidissimum: vt sit panis in monimentum oblationis domino. 8 Per singula sabbata mutabuntur coram domino. suscepti a filijs israhel federe sempiterno: 9 eruntque aaron et filiorum eius vt comedant eos in loco sancto: quia sanctum sanctorum est de sacrificijs domini iure perpetuo. 10 Ecce autem egressus filius mulieris israhelitidis quem pepererat de viro egiptio inter filios israhel: iurgatus est in castris cum viro israhelite. 11 Cumque blasphemasset nomen domini: et maledixisset ei: adductus est ad moysen. Vocabatur autem mater eius salumith filia dabri: de tribu dan. 12 Miseruntque eum in carcerem: donec noscent quid iuberet dominus. 13 Qui locutus est ad moysen 14 dicens. Educ blasphemum extra castra: et ponant omnes qui audierunt manus suas super caput eius· et lapidet eum populus vniuersus: 15 et ad filios israhel loqueris. Homo qui maledixerit deo suo portabit peccatum suum: 16 et qui blasphemauerit nomen domini morte moriatur. Lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi. Siue ille ciuis seu peregrinus fuerit: qui blasphemauerit nomen domini morte moriatur. 17 Qui percusserit et occiderit hominem: morte moriatur. 18 Qui percusserit animal reddat vicarium: id est animam pro anima. 19 Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum: sicut fecit· sic fiet ei. 20 Fracturam pro fractura: oculum pro oculo: dentem pro dente restituet. Qualem inflixerit maculam· talem sustinere cogetur. 21 Qui percusserit iumentum· reddat aliud. Qui percusserit hominem· punietur. 22 Equum iudicium sit inter vos· siue peregrinus· siue ciuis peccauerit: quia ego sum dominus deus vester. 23 Locutusque est moyses ad filios israhel: et eduxerunt eum qui blasphemauerat extra castra: ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filij israhel: sicut preceperat dominus moysi.

25 Locutusque est dominus ad moysen in monte synai dicens. 2 Loquere filijs israhel: et dices ad eos. Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis: sabbatizet sabbatum domino. 3 Sex annis seres agrum tuum: et sex annis putabis vineam tuam: colligesque fructus eius. 4 Septimo autem anno sabbatum erit terre· requietionis domini. Agrum non seres: et vineam non putabis. 5 Que sponte gignet humus non metes: et vuas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam. Annus enim requietionis terre est. 6 Sed erunt vobis in cibum: tibi et seruo tuo: ancille et mercennario tuo: et aduene qui peregrinatur apud te. 7 Iumentis tuis et pecoribus omnia que nascuntur prebebunt cibum. 8 Numerabis quoque tibi septem ebdomadas annorum· id est septies septem· que simul faciunt quadraginta nouem: 9 et danges buci mense septimo decima die mensis propiciationis tempore in vniuersa terra vestra. 10 Sanctificabisque annum quinquagesimum: et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terre tue. Ipse est enim iubileus. Reuertetur homo ad possessionem suam: et vnusquisque rediet ad familiam pristinam: 11 quia iubileus est et quinquagesimus annus. Non seretis atque metetis: sponte in agro nascentia· et primitias vindemie non colligetis 12 ob sanctificationem iubilei: sed statim ablata comedetis. 13 Anno iubilei redient omnes ad possessiones suas. 14 Quando vendes quippiam ciui tuo· vel emes ab eo· ne contristes fratrem tuum: sed iuxta numerum annorum iubilei emes ab eo: 15 et iuxta supputationem frugum vendet tibi. 16 Quantoplus anni remanserint post iubileum· tanto crescet et precium: quanto minus temporis numeraueris: tanto minoris et emptio constabit. Tempus enim frugum vendet tibi. 17 Nolite affligere contribules vestros: sed timeat vnusquisque deum suum: quia ego dominus deus vester. 18 Facite precepta mea· et iudicia custodite· et implete ea vt habitare possitis in terra absque vllo pauore· 19 et gignat vobis humus fructus suos quibus vescimini vsque ad saturitatem: nullius impetum formidantes. 20 Quod si dixeritis quid comedemus anno septimo si non seuerimus neque collegerimus fruges nostras: 21 dabo benedictionem meam vobis anno sexto· et faciet fructus trium annorum: 22 seretisque anno octauo· et comedetis veteres fruges vsque ad nonum annum. Donec noua nascantur edetis vetera. 23 Terra quoque non veniet imppetuum quia mea est: et vos aduene et coloni mei estis. 24 Vnde cuncta regio possessionis vestre sub redemptionis conditione vendetur. 25 Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam· et voluerit propinquus eius: potest redimere quod ille vendiderat. 26 Sinautem von habuerit proximum· et ipse precium ad redimendum potuerit inuenire: 27 computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit· et quod reliquum est reddat emptori: sicque recipiet possessionem suam. 28 Quod si non inuenerit manus eius vt reddat precium: habebit emptor quod emerat vsque ad annum iubileum. In ipso enim omnis venditio redit ad dominum· et ad possessorem pristinum. 29 Qui vendiderit domum intra vrbis muros: habebit licentiam redimendi donec vnus impleatur annus. 30 Si non redemerit et anni circulus fuerit euolutus: emptor possidebit eam· et posteri eius imppetuum: et redimi non poterit eciam in iubileo. 31 Sinautem in villa fuerit domus que muros non habet: agrorum iure vendetur. Si ante redempta non fuerit: in iubileo reuertetur ad dominum. 32 Edes leuitarum que in vrbibus sunt: semper possent redimi. 33 Si redempte non fuerint· in iubileo reuertentur ad dominos: quia domus vrbium leuitarum pro possessionibus sunt inter filios israhel. 34 Suburbana autem eorum non venient: quia possessio sempiterna est. 35 Si attenuatus fuerit frater tuus et infirmus manu· et susceperis eum quasi aduenam et peregrinum et vixerit tecum: 36 ne accipias vsuras ab eo: nec amplius quam dedisti. Time deum tuum: vt viuere possit frater tuus apud te. 37 Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram: et frugum superabundantia non exiges. 38 Ego dominus deus vester qui eduxi vos de terra egipti· vt darem vobis terram chanaan: et essem vester deus. 39 Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus: non eum opprimes seruitute famulorum: 40 sed quasi mercennarius et colonus erit. Vsque ad annum iubileum operabitur apud te: 41 et postea egredietur cum liberis suis: et reuertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum. 42 Mei enim serui sunt: et ego eduxi eos de terra egipti. Non venient conditione seruorum. 43 Ne affligas eum per potentiam: sed metuito deum tuum. 44 Seruus et ancilla sint vobis de nationibus que in circuitu vestro sunt· 45 et de aduenis qui peregrinantur apud vos: vel qui ex hijs nati fuerint in terra vestra. Hos habebitis famulos: 46 et hereditario iure transmittitis ad posteros: ac possidebitis ineternum· fratres autem vestros filios israhel· ne opprimatis per potentiam. 47 Si inualuerit apud vos manus aduene atque peregrini· et attenuatus frater tuus vendiderit se ei· aut cuiquam de stirpe eius: 48 post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis redimet eum: 49 et patruus et patruelis· et consanguineus· et affinis. Sinautem et ipse potuerit· redimet se· 50 supputatis dumtaxat annis a tempore venditionis sue vsque in annum iubileum: et pecunia qua venditus fuerat iuxta annorum numerum· et rationem mercennarij supputata. 51 Si plures fuerint anni qui remanent vsque ad iubileum· secundum hos reddet et precium: 52 si pauci· ponet rationem cum eo iuxta anorum numerum: et reddet emptori quod reliquum est· annorum 53 quibus ante seruiuit mercedibus imputatis. Non affliget eum violenter in conspectu tuo. 54 Quod si per hec redimi non potuerit: anno iubileo egredietur cum liberis suis. 55 Mei enim sunt serui filij israhel: quos eduxi de terra egipti.

26 Ego dominus deus vester. Non facietis vobis ydolum et sculptile: nec titulos erigetis: nec insignem lapidem ponetis in terra vestra vt adoretis eum. Ego enim sum dominus deus vester. 2 Custodite sabbata mea: et pauete ad sanctuarium meum. Ego dominus. 3 Si in preceptis meis ambulaueritis et man data mea custodieritis et feceritis ea: dabo vobis pluuias temporibus suis. 4 Et terra gignet germen suum: et pomis arbores replebuntur. 5 Apphendet messium tritura vindemiam et vindemia occupabit sementem: et comedetis panem vestrum in saturitate: et absque pauore habitabitis in terra vestra. 6 Dabo pacem in finibus vestris: dormietis· et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias: et gladius non transibit terminos vestros. 7 Persequemini inimicos vestros: et corruent coram vobis. 8 Persequentur quinque de vestris centum alienos: et centum de vobis decem milia. Cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. 9 Respiciam vos et crescere faciam: multiplicabimini: et firmabo pactum meum vobiscum. 10 Comedetis vetustissima veterum: et vetera nouis super venientibus proicietis. 11 Ponam taberna meum in medio vestri: et non abiciet vos anima mea. 12 Ambulabo inter vos· et ero vester deus: vosque eritis populus meus. 13 Ego dominus deus vester· qui eduxi vos de terra egiptiorum ne seruiretis eis: et qui confregi cathenas ceruicum vestrarum vt incederetis erecti· 14 Quod si non audieritis me. nec feceritis omnia mandata mea 15 si spreueritis leges meas et iudicia mea contempseritis vt non faciatis ea que a me constituta sunt· et ad irritum perducatis pactum meum: 16 ego quoque hec faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate et ardore qui conficiat oculos vestros: et consumat animas vestras. Frustra seretis sementem: que ab hostibus deuorabitur. 17 Ponam faciem meam contra vos· et corruetis coram hostibus vestris: et subiciemini hijs qui oderunt vos. Fugietis nemine persequente. 18 Sinautem nec sic obedieritis michi· addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra: 19 et conteram superbiam duricie vestre. Dabo vobis celum desuper sicut ferrum: et terram eneam. 20 Consumetur in cassum labor vester: non proferet terra germen: nec arbores poma prebebunt. 21 Si ambulaueritis ex aduerso michi· nec volueritis audire me: addam plagas vestras vsque in septuplum propter peccata vestra. 22 Emittamque in vos bestias agri que consumant vos et pecora vestra: et ad paucitatem cuncta redigant· deserteque fient vie vestre. 23 Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam sed ambulaueritis ex aduerso michi: 24 ego quoque contra vos aduersus incedam et percutiam vos septies propter peccata vestra: 25 indu super vos gladium vltorem federis mei. Cumque confugeritis in vrbes mittam pestilentiam in medio vestri: et trademini in manibus hostium 26 postquam confregero baculum panis vestri· ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes et reddant eos ad pondus: et comedetis et non saturabimini. 27 Sinautem nec per hec audieritis me· sed ambulaueritis contra me: 28 et ego incedam aduersus vos in furore contrario· et corripiam vos septem plagis propter peccata vestra: 29 ita vt comedatis carnes filiorum vestrorum· et filiarum vestrarum. 30 Destruam excelsa vestra: et simulacra confringam. Cadetis inter ruinas ydolorum vestrorum· et abominabitur vos anima mea: 31 in tantum vt vrbes vestras redigam in solitudinem· et deserta faciam sanctuaria vestra· nec recipiam vltra odorem suauissimum· 32 disperdam terram vestram: et stupebunt super ea inimici vestri cum habitatores illius fuerint. 33 Vos autem dispergam in gentes· et euaginabo post vos gladium: eritque terra vestra deserta: et ciuitates dirute. 34 Tunc placebunt terre sabbata sua cunctis diebus solitudinis sue: quando fueritis 35 in terra hostili. Sabatizabit et requiescet in sabbatis solitudinis sue: eo quod non requieuerit in sabbatis vestris· quando habitabatis in ea. 36 Et qui de vobis remanserint dabo pauorem in cordibus eorum· in regionibus hostium. Terrebit eos sonitus folij volantis: et ita fugient quasi gladium. Cadent nullo sequente: 37 et corruent singuli super fratres suos· quasi bella fugientes. Nemo vestrum inimicis audebit resistere. 38 Peribitis inter gentes: et hostilis vos terra consummet. 39 Quod si et de hijs aliqui remanserint tabescent in iniquitatibus suis in terra inimicorum suorum: et propter peccata patrum suorum et sua affligentur· 40 donec confiteantur iniquitates suas et maiorum suorum quibus preuaricati sunt in me: et ambulauerunt ex aduerso michi· 41 ambulabo igitur et ego contra eos: et inducam illos in terram hostilem donec erubescat in circumcisa mens eorum. Tunc orabunt pro impietatibus suis: 42 et recordabor federis mei: quod pepigi cum iacob et ysaac· et abraham. re que quoque memor ero: 43 que cum relicta fuerit ab eis complacebit sibi in sabbatis suis: paciens solitudinem propter illos. Ipsi vero rogabunt pro peccatis suis: eo quod abiecerunt iudicia mea et leges meas despexerint. 44 Attamen etiam cum essent in terra hostili· non penitus abieci eos: neque sic despexi vt consumerentur: et irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum dominus deus eorum: 45 et recordabor federis mei pristini: quando eduxi eos de terra egipti in conspectu gentium vt essem deus eorum. Ego dominus deus. Hec sunt iudicia atque precepta et leges quas dedit dominus inter se et inter filios israhel in monte synai: per manum moysi.

27 Locutusque est dominus ad moysen dicens. 2 Loquere filijs israhel: et dices ad eos. Homo qui votum fecerit et spoponderit deo animam suam: sub estimatione dabit precium. 3 Si fuerit masculus a vicesimo anno vsque ad sexagesimum annum dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarij: 4 si mulier: triginta. 5 A quinto autem anno vsque ad vicesimum masculus dabit viginti siclos: femina decem. 6 Ab vno mense vsque ad annum quintum pro masculo dabuntur quinque sicli: pro femina tres. 7 Sexagenarius et vltra masculus dabit quindecim siclos: femina decem. 8 Si pauper fuerit et estimationem reddere non valebit: stabit coram sacerdote: et quantum ille estimauerit et viderit eum posse reddere· tantum dabit. 9 Animal autem quod immolari potest domino si quis vouerit sanctum erit 10 et mutari non poterit: id est nec melius malo: nec peius bono. Quod si mutauerit: et ipsum quod mutatum est· et illud pro quo mutatum est consecratum erit domino. 11 Animal immundum quod immolari domino non potest si quis vouerit adducetur ante sacerdotem: 12 qui diiudicans vtrum bonum an malum sit· statuet precium. 13 Quod si dare voluerit is qui offert· addet supra estimationem quintam partem. 14 Homo si vouerit domum suam et sanctificauerit domino: considerabit eam sacerdos vtrum bona an mala sit: et iuxta pretium quod ab eo fuerit constitutum venundabitur. 15 Sinautem ille qui vouerat voluerit redimere eam dabit quintam partem estimationis supra: et habebit domum. 16 Quod si agrum possessionis sue vouerit et consecrauerit domino: iuxta mensuram sementis estimabitur precium. Si triginta modijs ordei seritur terra: quinquaginta siclis venundetur argenti. 17 Si statim ab anno incipientis iubilei vouerit agrum: quanto valere potest· tanto estimabitur. 18 Sinautem post aliquantum temporis: supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum qui reliqui sunt numerum vsque ad iubileum: et detrahetur ex precio. 19 Quod si voluerit redimere agrum ille qui vouerat· addet quintam partem estimate pecunie: et possidebit eam. 20 Sinautem noluerit redimere· sed alteri cuilibet fuerit venundatus· vltra eum qui vouerat redimere non poterit: 21 quia cum iubilei venerit dies sanctificatus erit domino: et possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum. 22 Si ager emptus est et non de possessione maiorum sanctificatus fuerit domino: 23 supputabit sacerdos iuxta annorum numerum vsque ad iubileum precium: et dabit ille qui vouerat eum domino. 24 In iubileo autem reuertetur ad priorem dominum qui vendiderat eum: et habuerat in sorte possessionis sue. 25 Omnis estimatio siclo sanctuarij ponderabitur. Siclus viginti obulos habet. 26 Primogenita que ad deum pertinet nemo sanctificare poterit et vouere. Siue bos siue ouis fuerit: domini sunt. 27 Quod si immundum est animal· redimet qui obtulit iuxta estimationem suam: et addet quintam partem precij. Si redimere noluerit vendetur alteri: quantocunque fuerit ante estimatum. 28 Omne quod domino consecratur siue homo fuerit siue animal· siue ager non veniet: nec redimi poterit quicquid semel fuerit consecratum. Sanctum sanctorum erit domino. 29 Et omnis consecratio que offertur ab homine non redimetur: sed morte morietur. 30 Omnes decime terre siue de pomis arborum siue de frugibus domini sunt: et illi sanctificantur. 31 Si quis autem voluerit redimere decimas suas: addet quintam partem earum 32 omnium decimarum. Boues et oues et capre que sub pastoris virga transeunt: quicquid decimum venerit sanctificabitur domino. 33 Non eligetur nec bonum nec malum: nec altero commutabitur. Si quis mutaueritur: et quod mutatum est· et pro quo

mutatum est sanctificabitur domino: et non redimetur. [34] Hec sunt precepta que mandauit dominus moysi ad filios israhel: in monte synai.

Numeri

Incipit liber numeri.

1 Locutusque est I nus Locutusque est dominus ad moysen in deserto synai in taberF federis: prima die mensis secundi secundi anno altero egressionis eorum ex egipto dicens. [2] Tollite summam vniuerse congregationis filiorum israhel per cognationes et domos suas· Aet nomina singulorum· quicquid sexus est masculini [3] a vicesimo anno et supra· omnium virorum fortium ex israhel: et numerabitis eas per turmas suas tu et aaron. [4] Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis: [5] quorum ista sunt nomina. De tribu ruben: elysur filius sedeur. [6] De tribu symeon: salamihel filius surisaddai. [7] De tribu iuda: naason filius amminadab. [8] De tribu isachar: nathanael filius suar. [9] De tribu zabulon: eliab filius helon. [10] Filiorum autem ioseph de tribu ephraim: elisama filius ammiud. De tribu manasse: gamalihel filius phadassur. [11] De tribu beniamin: abidan filius gedeonis. [12] De tribu dan: abiezer filius amisanddai. saddai. [13] De tribu aser: phegiel filius o chran. [14] De tribu gad: elia saph filius duel. [15] De tribu neptalim: ahira filius enan. [16] Hij nobilissimi principes multitudinis per tribus et cognationes suas· et capita exercitus israhel: [17] quos tulerunt moyses et aaron cum omni vulgi multitudine: [18] et congregauerunt primo die mensis secundi recensentes eos per cognationes et domos ac familias· et capita et nomina singulorum a vicesimo anno et supra: [19] sicut preceperat dominus moysi. Numeratique sunt in deserto synai [20] de ruben primogenito israhelis per generationes et familias ac domos suas· et nomina capitum singulorum· omne quod sexus est masculini a vicesimo anno et supra procedentium ad bellum: [21] quadraginta sex milia quingenti. [22] De filijs symeon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina et capita singulorum· omne quod sexus est masculini a vicesimo anno et supra· procedentium ad bellum: [23] quinquaginta nouem milia trecenti. [24] De filijs gad per generationes et familias ac domos cognationum suarum· recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra omnes qui ad bella procederent: [25] quadraginta quinque milia sexcenti quinquaginta. [26] De filijs iuda per generationes et familias· ac domos cognationum suarum per nomina singulorum a vicesimo anno et supra· omnes qui poterant ad bella procedere [27] recensiti sunt: septuaginta quatuor milia sexcenti. [28] De filijs isachar per generationes et familias ac domos cognationum suarum per nomina singulorum a vicesimo anno et supra omnes qui ad bella procederent [29] recensiti sunt: quinquaginta quatuor milia· quadringenti. [30] De filijs zabulon per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vicesimo anno et supra· omnes qui poterant ad bella procedere: [31] quinquaginta septem milia· quadringenti. [32] De filijs ioseph filiorum ephraim per generatones et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vicesimo anno et supra· omnes qui poterant ad bella procedere: [33] quadraginta milia quingenti. [34] Porro filiorum manasse per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis et supra· omnes qui poterant ad bella procedere: [35] trigintaduo milia ducenti. [36] De filijs beniamin per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vicesimo anno et supra· omnes qui poterant ad bella procedere: [37] trigintaquinque milia quadringenti. [38] De filijs dan per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vicesimo anno et supra omnes qui poterant ad bella procedere: [39] sexagintaduo milia septingenti. [40] De filijs aser per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vicesimo anno et supra omnes qui poterant ad bella procedere: [41] quadraginta milia et mille quingenti. [42] De filijs neptalim per generationes et familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nomiuibus singulorum a vicesimo anno et supra omnes qui poterant ad bella procedere: [43] quinquaginta tria milia quadringenti. [44] Hij sunt quos numerauerunt moyses et aaron et duodecim principes israhel· singulos per domos cognationum suarum: [45] fueruntque omnis numerus filiorum israhel per domos et familias suas a vicesimo anno et supra qui poterant ad bella procedere: [46] sexcenta tria milia virorum quingenti quinquaginta. [47] Leuite autem in tribubus familiarum suarum non sunt numerati cum eis. [48] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [49] Tribum leui noli numerare: neque pones summam eorum cum filijs israhel: [50] sed constitue eos super tabernaculum testimonij. Cuncta vasa eius et quicquid ad cerimonias pertinet ipsi portabunt: tabernaculum et omnia vtensilia eius: et erunt in ministerio ac per girum tabernaculi metabuntur. [51] Cum proficiscendum fuerit deponent leuite tabernaculum: cum castra metanda erigent. Quisquis externorum accesserit occidetur. [52] Metabuntur autem castra filij israhel· vnusquisque per turmas et cuneos atque exercitum suum: [53] porro leuite per girum tabernacli figent tentoria ne fiat indignatio super multitudinem filiorum israhel: et excubabunt in custodijs tabernaculi testimonij. [54] Fecerunt ergo filij israhel iuxta omnia que preceperat dominus moysi.

2 Locutusque est dominus ad moysen et aaron dicens. [2] Singuli per turmas signa atque vexilla et domos cognationum suarum castra metabuntur filiorum israhel: per girum tabernaculi federis. [3] Ad orientem iudas figet tentoria per turmas exercitus sui: eritque princeps filiorum eius naason filius aminadab: [4] et omnis de stirpe eius summa pugnantium sepertuaginta ptuaginta ptuaginta quatuor milia sexcentorum. [5] Iuxta eum castra metati sunt de tribu isachar· quorum princeps fuit nathanael filius suar: [6] et omnis numerus pugnatorum eius quinquaginta quatuor milia quadringenti. [7] In tribu zabulon princeps fuit heliab filius helon: [8] omnesque de stirpe eius exercitus pugnatorum quinquaginta septem milia quadringenti. [9] Vniuersi qui in castris iude adnumerati sunt· fuerunt centum octoginta sex milia quadringenti: et per turmas suas primi egredientur. [10] In castris filiorum ruben ad meridianam plagam erit princeps elisur filius sedeur: [11] et cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt quadraginta sex milia quingenti. [12] Iuxta eum castra metati sunt de tribu symeon· quorum princeps fuit salamihel filius surisaddai: [13] et cunctus exercitus eius pugnatorum qui numerati sunt quinquaginta nouem milia trecenti. [14] In tribu gad princeps fuit eliasaph filius duel: [15] et cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt quadraginta quinque milia sexcenti quinquaginta. [16] Omnes qui recensiti sunt in castris ruben· centum quinquaginta milia et mille quadringenti quinqluagima: quaginta: per turmas suas in secundo loco proficiscentur. [17] Leuabitur autem tabernaculum testimonij per officia leuitarum et turmas eorum. Quomodo erigetur: ita et deponetur. Singuli per loca et ordines suos proficiscentur. [18] Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum ephraim: quorum princeps fuit helisama filius ammiud. [19] Cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt: quadraginta milia quingenti. [20] Et cum eis tribus filiorum manasse· quorum princeps fuit gamaliel filius phadassur: [21] cunctusque exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt· trigintaduo milia ducenti. [22] In tribu filiorum beniamin princeps fuit abidan filius gedeonis: [23] et cunctus exercitus

pugnatorum eius qui recensiti sunt: trigintaquinque milia quadringenti. 24 Omnes qui numerati sunt in castris ephraim centum octo milia centum: per turmas suas tercij proficiscentur. 25 Ad aquilonis partem castra metati sunt filij dan: quorum princeps fuit abiezer filius amisaddai. 26 Cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt: sexaginta duo milia septingenti. 27 Iuxta eum fixere tentoria de tribu aser: quorum princeps fuit phegiel filius ochran. 28 Cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt: quadraginta milia et mille quingenti. 29 De tribu filiorum neptalim princeps fuit ahira filius enan. 30 Cunctus exercitus pugnatorum eius quinquaginta tria milia quadringenti. 31 Omnes qui numerati sunt in castris dan· fuerunt centum quinquaginta septem milia· sexcenti: et nouissimi proficiscentur. 32 Hic numerus filiorum israhel per domos cognationum suarum et turmas diuisi exercitus: sexcentatria miliaquingentiquinquaginta. sexcentaria milia quingenti quin 33 Leuite autem non sunt numerati inter filios israhel. Sic enim preceperat dominus moysi. 34 Feceruntque filij israhel iuxta omnia que mandauerat dominus. Castra metati sunt per turmas suas· et profecti per familias ac domos patrum suorum.

3 Hee sunt generationes aaron et moysi in die qua locutus est dominus ad moysen in monte synai: 2 et hec nomina filiorum aaron. Primogenitus eius nadab: deinde abiu· et eleazar· et ythamar. 3 Hec nomina filiorum aaron sacerdotum qui vncti sunt: et quorum replete et consecrate manus vt sacerdotio fungentur. 4 Mortui sunt enim nadab et abiu cum offerrent ignem alienum in conspectu domini in deserto synai absque liberis: functique sunt sacerdotio eleazar et ithamar coram aaron patre suo. 5 Locutusque est dominus ad moysen dicens. 6 Applica tribum leui· et fac stare in conspectu aaron sacerdotis vt ministrent ei et excubent 7 et obseruent quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonij: 8 vt custodiant vasa tabernaculi· seruientes in ministerio eius. 9 Dabis que dono leuitas 10 aaron et filijs eius quibus traditi sunt a filijs israhel: aaron autem et filios eius constitues super cultum sacerdotij. Externus qui ad ministrandum accesserit· morietur. 11 Locutusque est dominus ad moysen dicens. 12 Ego tuli leuitas a filijs israhel pro omni primogenito qui aperit vuluam in filijs israhel: erunt que leuite mei. 13 Meum est enim omne primogenitum. Exquo percussi primogenitos in terra egipti: sanctificaui michi quicquid primum nascitur in israhel. Ab homine vsque ad pecus mei sunt. Ego dominus. 14 Locutusque est dominus ad moysen in deserto synai dicens. 15 Numera filios leui per domos patrum suorum et familias: omnem masculum ab vno mense et supra. 16 Numerauit moyses vt preceperat dominus: 17 et inuenti sunt filij leui per nomina sua· gerson· et caath· et merari. 18 Filij gerson: lebni et semei. 19 Filij caath: amram· et iessaar· hebron· et oziel. 20 Filij merari: mooli· et musi. 21 De gerson fuere familie due· lebnitica et semeitica· 22 quarum numeratus est populus sexus masculini ab vno mense et supra: septem milia quingentorum. 23 Hij post tabernaculum metabuntur ad occidentem 24 sub principe eliasaph filio lael: 25 et habebunt excubias in tabernaculo federis· 26 ipsum tabernaculum et operimentum eius· tentorium quod trahitur ante fores tecti federis et cortinas atrij. tentorium que quod appenditur in introitu atrij tabernaculi· et quicquid ad ritum altaris pertinet: funes tabernaculi et omnia vtensilia eius. 27 Cognatio chaath habebit populos· amramitas et iessaaritas et hebronitas· et ozielitas. Hee sunt familie caathitarum· recensite per nomina sua: 28 omnes generis masculini ab vno mense et supra· octo milia sexcenti: habebunt excubias sanctuarij· 29 et castra metabuntur ad meridianam plagam. 30 Princepsque eorum erit elisaphan filius oziel: 31 et custodient archam mensamque et candelabrum· altaria et vasa sanctuarij in quibus ministratur et velum· cunctamque huiuscemodi suppellectilem. 32 Princeps autem principum leuitarum eleazar filius aaron sacerdotis erit super excubitores custodie sanctuarij. 33 At vero de merari erunt populi moolite et musite recensiti per nomina sua: 34 omnes generis masculini ab vno mense et supra· sex milia ducenti. 35 Princeps eorum suriel filius abiaiel: in plaga septentrionali castra metabuntur. 36 Erunt sub custodia eorum tabule tabernaculi et vectes et columne ac bases earum· et omnia que ad cultum huiuscemodi pertinent: 37 columneque atrij per circuitum cum basibus suis: et paxilli cum funibus. 38 Castra metabuntur ante tabernaculum federis id est ad orientalem plagam· moyses et aaron cum filijs suis: habentes custodiam sanctuarij in medio filiorum israhel. Quisquis alienus accesserit· morietur. 39 Omnes leuite quos numerauerunt moyses et aaron iuxta preceptum domini per familias suas in genere masculino a mense vno et supra: fuerunt vigintiduo milia. 40 Et ait dominus ad moysen. Numera primogenitos sexus masculini de filijs israhel ab vno mense et supra: et habebis summam eorum. 41 Tollesque leuitas michi: pro omni primogenito filiorum israhel. Ego sum dominus. Et pecora eorum pro vniuersis primogenitis pecorum filiorum israhel. 42 Recensuit moyses sicut preceperat dominus primogenitos filiorum israhel: 43 et fuerunt masculi per nomina sua a mense vno et supra vigintiduo milia ducenti septuaginta tres. 44 Locutusque est dominus ad moysen. 45 Tolle leuitas pro primogenitis filiorum israhel et pecora leuitarum pro pecoribus eorum: erunt leuite mei. Ego sum dominus. 46 In precio autem ducentorum septuagintatrium qui excedunt numerum leuitarum· de primogenitis filiorum israhel 47 accipies quinque siclos per singula capita: ad mensuram sanctuarij. Siclus habet viginti obolos. 48 Dabisque pecuniam aaron et filijs eius: precium eorum qui supra sunt. 49 Tulit igitur moyses pecuniam eorum qui fuerant amplius et quos redemerat a leuitis 50 pro primogenitis filiorum israhel mille trecentorum sexagintaquinque siclorum iuxta pondus sanctuarij: 51 et dedit eam aaron et filijs eius iuxta verbum quod preceperat sibi dominus.

4 Locutusque est dominus ad moysen et aaron dicens. 2 Tolle summam filiorum caath de medio leuitarum per domos et familias suas 3 a tricesimo anno et supra vsque ad quinquagesimum annum: omnium qui ingrediuntur vt est stent in tabernaculo federis. 4 Hic ministrent cultus filiorum caath. sanctum filij et sanctorum ingredientur aaron et eius quando mouenda sunt ca Hic est filiorum caath. Tabernaculum federis et sanctorum 5 ingredientur aaron et filij eius quando mouenda sunt stra: et deponent velum quod pendet ante fores· inuoluentque eo archam testimonij· 6 et operient rursum velamine iacinctinarum pellium· extendentque desuper iacinctinarum pallium totum iacinctinum: et inducent vectes. 7 Mensam quoque propositionis inuoluent iacinctino pallio: et ponent cum ea thuribula et mortariola· ciathos et cratheras ad liba fundenda. Panes semper in ea erunt. 8 Extendentque desuper pallium coccineum quod rursum operient velamento iacinctinarum pellium: et inducent vectes. 9 Sument et pallium iacinctinum quo operient candelabrum cum lucernis et forcipibus suis· et emunctorijs· et cunctis vasis olei que ad concinnandas lucernas necessaria sunt: 10 et super omnia ponent operimentum iacinctinarum pellium· et inducent vectes. 11 Necnon et altare aureum inuoluent iacinctino vestimento: et extendent desuper operimentum iacinctinarum pellium: inducentque vectes. 12 Omnia vasa quibus ministratur in sanctuario inuoluent iacinctino pallio: et extendent desuper operimentum iacinctinarum pellium: inducentque vectes. 13 Sed et altare mundabunt cinere· et inuoluent illud purpureo vestimento: 14 ponentque cum eo omnia vasa quibus in ministerio eius vtuntur: id est ignium receptacula fuscinulas ac tridentes vncinos et batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine iacinctinarum pellium: et inducent vectes. 15 Cunque inuoluerint aaron et filij eius sanctuarium et omnia vasa eius in commotione castrorum: tunc intrabunt filij caath vt portent inuoluta: et non tangant vasa sanctuarij ne moriantur. Ista sunt onera filiorum caath in tabernaculo federis 16 super quos erit eleazar filius aaron sacerdotis: ad cuius pertinet curam oleum ad concinnandas lucernas et compositionis incensum et sacrificium quod semper offertur et oleum vnctionis et quicquid ad cultum tabernaculi pertinet: omniumque vasorum que in sanctuario sunt. 17 Locutusque est dominus ad moysen et aaron dicens. 18 Nolite perdere populum caath de medio leuitarum: 19 sed hoc facite eis vt viuant: et non moriantur si tetigerint sancta sanctorum. Aaron et filij eius intrabunt: ipsique disponent opera singulorum: et diuident quid portare quis debeat. 20 Alij nulla curiositate videant que sunt in sanctuario priusquam inuoluantur: alioquin morientur. 21 Locutusque est dominus ad moysen dicens. 22 Tolle summam etiam filiorum gerson per domos ac familias et cognationes suas 23 a triginta annis et supra vsque ad annos quinquaginta. Numera omnes· qui ingrediuntur et ministrant in tabernaculo federis. 24 Hoc

est officium familie gersonitarum: [25] vt portent cortinas tabernaculi et tectum federis· operimentum aliud· et super omnia velamen iacinctinum: tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi federis· [26] cortinas atrij et velum in introitu quod est ante tabernaculum. Omnia que ad altare pertinent funiculos et vasa ministerij [27] iubente aaron et filijs eius portabunt filij gerson: et scient singuli cui debeant operi mancipari. [28] Hic est cultus familie gersonitarum in tabernaculo federis. Eruntque sub manu ithamar filij aaron sacerdotis. [29] Filios quoque merari per familias et domos patrum suorum recensebis [30] a triginta annis et supra vsque ad annos quinquaginta: omnes qui ingrediuntur ad officium ministerij sui et cultum federis testimonij. [31] Hec sunt onera eorum. Portabunt tabulas tabernaculi et vectes eius· columnas et bases earum: [32] columnas quoque atrij per circuitum cum basibus et paxillis et funibus suis. Omnia vasa et suppellectilem ad numerum accipient: sicque portabunt. [33] Hoc est officium familie meraritarum et ministerium in tabernaculo federis: eruntque sub manu ithamar filij aaron sacerdotis. [34] Recensuerunt igitur moyses et aaron et principes synagoge filios caath per cognationes et domos patrum suorum [35] a triginta annis et supra vsque ad annum quin quagesimum· omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi federis: [36] et inuenti sunt duo milia septingenti quin quaginta. [37] Hic est numerus populi caath: qui intrant tabernaculum federis. Hos numerauit moyses et aaron iuxta sermonem domini per manum moysi. [38] Numerati sunt et filij gerson per cognationes et domos patrum suorum [39] a triginta annis et supra· vsque ad quinquagesimum annum omnes qui ingrediuntur vt ministrent in tabernaculo federis: [40] et inuenti sunt duo milia sexcenti triginta. [41] Hic est populus gersonitarum: quos numerauerunt moyses et aaron iuxta verbum domini. [42] Numerati sunt et filij merari per cognationes et domos patrum suorum [43] a triginta annis et supra vsque ad annum quinquagesimum omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi federis: [44] et inuenti sunt tria milia ducenti. [45] Hic est numerus filiorum merari: quos recensuerunt moyses et aaron iuxta imperium domini per manum moysi. [46] Omnes qui recensiti sunt de leuitis et quos fecit ad nomen moyses et aaron et principes israhel per cognationes et domos patrum suorum [47] a triginta annis et supra vsque ad annum quinquagesimum ingredientes ad ministerium tabernaculi et onera portanda: [48] fuerunt simul octo milia quingenti octoginta. [49] Iuxta verbum domini recensuit eos moyses vnumquemque iuxta officium et onera sua: sicut preceperat dominus.

5 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Precipe filijs israhel: vt eiciant de castris omnem leprosum et qui semine fluit pollutusque est super mortuo. [3] Tam masculum quam feminam eicite de castris: ne contaminent ea cum habitauerint vobiscum. [4] Feceruntque ita filij israhel: et eiecerunt eos extra castra sicut locutus erat dominus moysi. [5] Locutus que est dominus ad moysen dicens. [6] Loquere ad filios israhel. Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis que solent hominibus accidere· et per negligentiam transgressi fuerint mandatum domini atque deliquerint [7] confitebuntur peccatum suum: et reddent ipsum caput quintamque partem desuper ei in quem peccauerint. [8] Sinautem non fuerit qni recipiat dabunt domino et erit sacerdotis: excepto ariete qui offertur pro expiatione vt sit placabilis hostia. [9] Omnes quoque primitie quas offerent filij israhel ad sacerdotem pertinent: [10] et quicquid in sanctuarium offertur a singulis· et traditur manibus sacerdotis ipsius erit. [11] Locutus est dominus ad moysen dicens. [12] Loquere ad filios israhel: et dices ad eos. Vir cuius vxor errauerit· maritum que contemnens [13] dormierit cum altero viro· et hoc maritus deprehendere non quiuerit sed latet adulterium· et testibus argui non potest· quia non est inuenta in stupro: [14] si spiritus zelotipie concitauerit virum contra vxorem suam que vel polluta est vel falsa suspicione appetitur· [15] adducet eam ad sacerdotem: et offeret oblationem pro illa decimam partem sati farine ordeacee. Non fundet super eam oleum nec imponent thus· quia sacrificium zelotipie est: et oblatio inuestigans adulterium. [16] Offeret igitur eam sacerdos et statuet coram domino: [17] assumetque aquam sanctam in vase fictili: et pauxillum terre de pauimento tabernaculi mittet in eam. [18] Cumque steterit mulier in conspectu domini discooperiet caput eius: et ponet super manus illius sacrificium recordationis et oblationem zelotipie. Ipse autem tenebit aquas amarissimas· in quas cum execratione maledicta congessit: [19] adiurabitque eam et dicet. Si non dormiuit vir alienus tecum· et si non polluta es deserto mariti thoro: non te nocebunt aque iste amarissime in quas maledicta congessi. [20] Sinautem declinasti a viro tuo atque polluta es· et concubuisti cum altero: [21] hijs maledictionibus subiacebis. Det te dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo suo. Putrescere faciat femur tu vm: et tumens vterus dirumpatur· [22] Ingrediantur aque maledicte in ventrem tuum: et vtero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier. Amen· amen. [23] Scribetque sacerdos in libello ista maledicta: et delebit ea aquis amarissimis in quas maledicta congessit: [24] et dabit ei bibere. Quas cum exhauserit· [25] tollet sacerdos de manu eius sacrificium zelotipie· et eleuabit illud coram domino imponetque illud super altare: ita dumtaxat vt prius [26] pugillum sacrificij tollat de eo quod offertur et incendat super altare: et sic potum det mulieri aquas amarissimas. [27] Quas cum biberit· si polluta est et contempto viro adulterij rea· pertransibunt eam aque maledictionis· et inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem et in exemplum omni populo. [28] Quod si polluta non fuerit erit innoxia: et faciet liberos. [29] Ista est lex zelotipie. Si declinauerit mulier a viro suo et si polluta fuerit: [30] maritusque zelotipie spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu domini· et fecerit ei sacerdos iuxta omnia que scripta sunt· [31] maritus absque culpa erit: et illa recipiet iniquitatem suam.

6 Locutus est dominus ad moysen dicens. [2] loquere ad filios israhel: et dices ad eos. Vir siue mulier cum fecerint votum vt sanctificentur· et se voluerint domino consecrare: [3] a vino et omne quod inebriare potest abstinebunt. Acetum ex vino et ex qualibet alia potione· et quicquid de vua exprimitur non bibentur: vuas recentes siccasque non comedent [4] cunctis diebus quibus ex voto domino consecrantur: quicquid ex vinea esse potest ab vsque ad aciuum non comedent. [5] Omni tempore separationis sue nouacula non transibit per caput eius: vsque ad completum diem quo domino consecratur sanctus erit· crescente cesarie capitis eius. [6] Omni tempore consecrationis sue super mortuum non ingredietur: [7] nec super patris quidem et matris et fratris sororisque funere contaminabitur: quia consecratio dei sui super caput eius est. [8] Omnibus diebus separationis sue sanctus erit domino. [9] Sinautem mortuus fuerit subito quispiam coram eo· polluetur caput consecrationis eius: quod radet ilico et in eadem die purgationis sue· et rursum septima. [10] In octaua autem die offeret duos turtures vel duos pullos columbe sacerdoti in introitu federis testimonij: [11] facietque sacerdos vnum pro peccato· et alterum in olocaustum: et deprecabitur pro eo quia peccauit super mortuo: sanctificabitque caput eius in die illo· [12] et consecrabit domino dies separationis illius· offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen vt dies priores irriti fiant: quoniam polluta est sanctificatio eius. [13] Ista est lex consecrationis. Cum dies quos ex voto decreuerat complebuntur· adducet eum ad ostium tabernaculi federis: [14] vt offerat oblationem eius· domino agnum anniculum immaculatum in olocaustum· et ouem anniculam immaculatam pro peccato· et arietem immaculatum hostiam pacificam: [15] canistrum quoque panum azimorum qui conspersi sunt oleo· et lagana absque fermento vncta oleo ac libamina singulorum: [16] que offeret sacerdos coram domino· et faciet tam pro peccato quam in olocaustum. [17] Arietem vero immolabit hostiam pacificam domino: offerens simul canistrum azimorum et libamenta que ex more debentur. [18] Tunc radetur nazareus ante ostium tabernaculi federis cesarie consecrationis sue: tolletque capillos eius et ponet super ignem qui est suppositus sacrificio pacificorum· [19] et armum coctum arietis· tortamque absque fermento vnam de canistro· et laganum azimorum vnum· et tradet in manibus nazarei postquam rasum fuerit caput eius: [20] susceptaque rursum ab eo eleuabit in conspectu domini· et sanctificata sacerdotis erunt· sicut pectusculum quod separari iussum est et femur. Post hec potest bibere nazareus vinum. [21] Ista est lex nazarei cum vouerit oblationem suam domino tempore consecrationis sue: exceptis hijs que inuenerit manus eius. Iuxta quod

mente denouerat: ita faciet ad perfectionem sanctificationis sue. [22] Locutus est dominus ad moysen dicens. [23] Loquere aaron et filijs eius. Sic benedicetis filijs israhel: et dicetis eis. [24] Benedicat tibi dominus: et custodiat te. [25] Ostendat dominus faciem suam tibi: et misereatur tui. [26] Conuertat dominus vultum suum ad te: et det tibi pacem. [27] Inuocabunt nomen meum super filios israhel: et ego benedicam eis.

7 Factum est autem in die qua compleuit moyses tabernaculum et erexit illud· vnxitque et sanctificauit cum omnibus vasis suis altare similiter et omnia vasa eius: [2] obtulerunt principes israhel et capita familiarum· qui erant per singulas tribus prefecti eorum qui numerati fuerant [3] munera coram domino· sex plaustra tecta cum duodecim bubus. Vnum plaustrum obtulerre duo duces· et vnum bouem singuli: obtulerunt que ea in conspectu tabernaculi. [4] Ait autem dominus ad moysen. [5] Suscipe ab eis vt seruiant in ministerio tabernaculi: et trades ea leuitis iuxta ordinem ministerij sui. [6] Itaque cum suscepisset moyses plaustra et boues: tradidit eos leuitis. [7] Duo plaustra et quatuor boues dedit filijs gerson· iuxta id quod habebant necessarium: [8] quatuor alia plaustra et octo boues dedit filijs merari secundum officia et cultum suum· sub manu ithamar filij aaron sacerdotis. [9] Filijs autem caath non dedit plaustra et boues: quia in sanctuario seruiunt· et onera proprijs portant humeris. [10] Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris· die qua vnctum est oblationem suam ante altare. [11] Dixit que dominus ad moysen. Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. [12] Primo die obtulit oblationem suam naason filius aminadab de tribu iuda: [13] fueruntque in ea acetabulum argenteum· pondo centumtriginta siclorum· fiala argentea habens septuaginta siclos iuxta pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [14] mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso: [15] bouem de armento et arietem et agnum anniculum in olocaustum [16] hircumque pro peccato: [17] et in sacrificio pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec est oblatio naason filij aminadab. [18] Secundo die obtulit nathanael filius suar dux de tribu isachar· [19] acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos iuxta pondus sanctuarij· vtrumque plemuima num num simila conspersa oleo in sacrificium: [20] mortariolum aureum habens decem siclos plenum incenso: [21] bouem de armento et arietem· et agnum anniculum in olocaustum [22] hircumque pro peccato: [23] et in sacrificio pacificorum boues duos· arietes quique· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblatio nathanael filij suar. [24] Tercio die princeps filiorum zabulon heliab filius helon [25] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [26] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [27] bouem de armento et arietem· et agnum anniculum in olocanstum [28] hircumque pro peccato: [29] et in sacrificio pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec est oblatio heliab filij helon. [30] Die quarto princeps filiorum ruben elisur filius sedeur· [31] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [32] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [33] bouem arietem et agnum anniculum in olocaustum. [34] Iircumque pro peccato: [35] et in sacrificio pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblatio helisur· filij sedeur. [36] Die quinto princeps filiorum simeon salamiel filius surisaddai· [37] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [38] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [39] bouem de armento et arietem· et agnum anniculum in olocaustum· [40] hircumque pro peccato: [41] et in hostias pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblatio salamiel filij surisanddai. [42] Die sexto princeps filiorum gad heliasaph filius duel· [43] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [44] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [45] bouem de armento et arietem· et agnum anniculum in olocaustum· [46] hircumque pro peccato: [47] et in hostias pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblatio heliasaph· filij duel. [48] Die septimo princeps ephraim· elisama filius ammiud· [49] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [50] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [51] bouem de armento· et arietem et agnum anniculum in olocaustum· [52] hircumque pro peccato: [53] et in hostias pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblatio elisama· filij ammiud. [54] Die octauo princeps filiorum manasse gamaliel filius phadassur· [55] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [56] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [57] bouem de armento· et arietem· et agnum anniculum in olocaustum· [58] hircumque pro peccato: [59] et in hostias pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblatio gamaliel filij phadassur. [60] Die nono princeps filiorum beniamin abidan filius gedeonis· [61] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [62] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [63] bouem de armento· et arietem· et agnum anniculum in olocaustum· [64] hircumque pro peccato: [65] et in hostias pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblatio abidan filij gedeonis. [66] Die decimo princeps filiorum dan· abiezer filius amisaddai· [67] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [68] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [69] bouem de armento et arietem· et agnum anniculum in olocaustum· [70] hircumque pro peccato: [71] et in hostias pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblato abiezer filij amisaddai. [72] Die vndecimo princeps filiorum aser phagaihel filius ochran· [73] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [74] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [75] bouem de armento· et arietem· et agnum anniculum in olocaustum· [76] hircumque pro peccato: [77] et in hostias pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblatio phagaihel filij ochran. [78] Die duodecimo princeps filiorum neptalim ahira filius henan· [79] obtulit acetabulum argenteum appendens centumtriginta siclos· fialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij· vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: [80] mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso: [81] bouem de armento· et arietem· et agnum anniculum in olocaustum hircumque [82] pro peccato: [83] et in hostias pacificorum boues duos· arietes quinque· hircos quinque: agnos anniculos quinque. Hec fuit oblato ahira filij henan. [84] Hec in dedicatione altaris oblata sunt a principibus israhel in die qua consecratum est: acetabula argentea duodecim· fiale argentee· duodecim· [85] ita vt centumtriginta argenti siclos haberet vnum acetabulum· et septuaginta siclos vna fiala· id est in commune vasorum omnium ex argento· sicli duo milia quadringenti pondere sanctuarij: [86] mortariola aurea duodecim plena incenso· denos siclos appendentia pondere sanctuarij· id est simul auri sicli centumuiginti: [87] boues de armento in olocaustum duodecim· arietes duodecim· agni anniculi duodecim et libamenta eorum: hirci duodecim· pro peccato: [88] in hostias pacificorum boues vigintiquatuor· arietes sexaginta· hirci sexaginta· agni

anniculi sexaginta. Hec oblata sunt in dedicatione altaris· quando vnctum est. [89] Cunque ingrederetur moyses tabernaculum federis vt consuleret oraculum: audiebat vocem loquentis ad se de propiciatorio. quod erat super archam testimonij inter duos cherubin: vnde et loquebatur ei.

8 Locutus dominus ad moysen· dicens. [2] loquere aaron: et dices ad eum. Cum posueris septem lucernas: candelabrum in australi parte erigatur. Hoc igitur precipe vt lucerne contra boream eregione respiciant ad mensam panum propositionis: contra eam partem quam candelabrum respicit lucere debebunt. [3] Fecitque aaron: et imposuit lucernas super candelabrum vt preceperat dominus moysi. [4] Hec autem erat factura candelabri: ex auro ductili tam medius stipes quam cuncta que ex vtroque calamorum latere nascebantur. Iuxta exemplum quod ostendit dominus moysi: ita operatus est candelabrum. [5] Et locutus est dominus ad moysen dicens. [6] Tolle leuitas ex medio filiorum israhel: et purificabis eos [7] iuxta hunc ritum. Aspergantur aqua lustrationis: et radant omnes pilos carnis sue. Cunque lauerint vestimenta sua et mundati fuerint: [8] tollant bouem de armentis et libamentum eius· similam oleo conspersam: bouem autem alterum de armento tu accipies pro peccato: [9] et appli leuitas coram tabernaculo federis· conuocata omni multitudine filiorum israhel. [10] Cunque leuite fuerint coram domino ponent filij israhel manus suas super eos: [11] et offeret aaron leuitas munus in conspectu domini a filijs israhel: vt seruiant in ministerio eius. [12] Leuiteque ponent manus suas super capita boum·e e quibus vnum facies pro peccato· et alterum in olocaustum domini: vt depreceris pro eis. [13] Statuesque leuitas in conspectu aaron et filiorum eius et consecrabis oblatos domino: [14] ac separabis de medio filiorum israhel vt sint mei: [15] et postea ingrediantur tabernaculum federis· vt seruiant michi. Sicque purificabis et consecrabis eos in oblationem domini: quoniam dono donati sunt michi a filijs israhel. [16] Pro primogenitis que aperiunt omnem vuluam in israhel accepi eos. [17] Mea sunt enim omnia primogenita filiorum israhel: tam ex hominibus quam ex iumentis. Ex die quo percussi omnem primogenitum in terra egipti· sanctificaui eos michi: [18] et tuli leuitas pro cunctis primogenitis filiorum israhel· [19] tradidique eos dono aaron et filijs eius de medio populi· vt seruiant michi pro israhel in tabernaculo federis: et orent pro eis ne sit in populo plaga· si ausi fuerint accedere ad sanctuarium. [20] Feceruntque moyses et aaron et omnis multitudo filiorum israhel super leuitis que preceperat dominus moysi: [21] purificatique sunt et lauerunt vestimenta sua. Eleuauit eos aaron in conspectu domini et orauit pro eis: [22] vt purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum federis coram aaron et filijs eius. Sicut preceperat dominus moysi de leuitis: ita factum est. [23] locutus est dominus ad moysen dicens. [24] Hec est lex leuitarum. A vigintiquinque annis et supra ingredientur: vt ministrent in tabernaculo federis. [25] Cunque quinquagesimum annum etatis impleuerint seruire cessabunt: [26] eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo federis· vt custodiant que sibi fuerint commendata: opera autem ipsa non faciant. Sic dispones leuitis in custodijs suis.

9 Locutus est dominus ad moysen in de deserto synai· anno secundo postquam egressi sunt de terra egipti· mense primo dicens. [2] Faciant filij israhel phase in tempore suo· [3] quartadecima die mensis huius ad vesperam: iuxta omnes cerimonias et iustificationes eius. [4] Precepitque moyses filijs israhel: vt facerent phase. [5] Qui fecerunt tempore suo quartadecima die mensis ad vesperam in monte synai: iuxta omnia que mandauerat dominus moysi fecerunt filij israhel. [6] Ecce autem quidam immundi super anima hominis· qui non poterant facere phase in die illo: accedentes ad moysen et aaron· [7] dixerunt eis. Immundi sumus super anima hominis: quare fraudamur vt non valeamus offerre oblationem domino· in tempore suo inter filios israhel? [8] Quibus respondit moyses. State: vt consulam quid precipiat dominus de vobis. [9] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [10] loquere filijs israhel. Homo qui fuerit immundus super anima· siue in via procul in gente vestra· faciat phase domino [11] in mense secundo quartadecima die mensis ad vesperam: cum azimis et lactucis agrestibus comedent illud. [12] Non relinquent ex eo quippiam vsque mane· et os eius non confringent: omnem ritum phase obseruabunt. [13] Si quis autem et mundus est et in itinere non fuit· et tamen non fecit phase· exterminabitur anima illa de populis suis: quia sacrificium domino non obtulit tempore suo. Peccatum suum ipse portabit. [14] Peregrinus quoque et aduena si fuerint apud vos: facient phase domino iuxta cerimonias et iustificationes suas. Preceptum idem erat apud vos tam aduene quam indigene. [15] Igitur die qua erectum est tabernaculum operuit illud nubes. Vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsque ad mane. [16] Sic fiebat iugiter. Per diem operiebat illud nubes: et per noctem quasi species ignis. [17] Cunque ablata fuisset nubes que tabernaculum protegebat· tunc proficiscebantur filij israhel: et in loco vbi stetisset nubes· ibi castrametabantur. [18] Ad imperium domini proficiscebantur: et ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum manebant in eodem loco: [19] et si euenisset vt multo tempore maneret super illud· erant filij israhel in excubijs domini: et non proficiscebantur [20] quotquot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium domini erigebant tentoria: et ad imperium illius deponebant. [21] Si fuisset nubes a vespere vsque ad mane· et statim diluculo tabernaculum reliquisset proficiscebantur: et si post diem et noctem recessisset· dissipabant tentoria. [22] Si vero biduo aut vno mense vel longiori tempore fuisset super tabernaculum. manebant filij israhel in eodem loco· et non proficiscebantur: statim autem vt recessisset mouebant castra. [23] Per verbum domini figebant tentoria· et per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubijs domini iuxta imperium eius per manum moysi.

10 Locutus est dominus ad moysen dicens. [2] Fac tibi duas tubas argenteas ductiles: quibus conuocare possis multitudinem quando mouenda sunt castra. [3] Cunque increpueris tubis: congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi federis. [4] Si semel clanxeris: venient ad te principes et capita multitudinis israhel. [5] Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit: mouebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam. [6] In secundo autem sonitu et pari vlulatu tube leuabunt tentoria qui habitant ad meridiem: et iuxta hunc modum reliqui faciant vlulantibus tubis in perfectione. [7] Quando autem congregandus est populus. simplex tubarum clangor erit: et non concise vlulabunt. [8] Filij autem aaron sacerdotis clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum In generationibus vestris. [9] Si exieritis ad bellum de terra vestra· contra hostes qui dimicant aduersum vos· clangetis vlulantibus tubis: et erit recordatio vestri coram domino deo vestro: vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. [10] Si quando habebitis epulum et dies festos et kalendas· canetis tubis super ganinaliel olocaustis et pacificis victimis: vt sint vobis in recordationem dei vestri? Ego dominus deus vester. [11] Anno secundo mense secundo· vicesima die mensis· eleuata est nubes de tabernaculo federis? [12] Profectique sunt filij israhel per turmas suas de deserto synai: et recubuit nubes in solitudine pharan. [13] Moueruntque castra primi iuxta imperium domini in manu moysi· [14] filij iuda per turmas suas: quorum princeps erat naason filius amminadab. [15] In tribu filiorum isachar fuit princeps nathanael filius suar: [16] in tribu zabulon erat princeps eliab filius elon. [17] Depositumque est tabernaculum: quod portantes egressi sunt filij gerson et merari. [18] Profectique sunt et filij ruben per turmas et ordinem suum: quorum princeps erat elisur filius sedeur. [19] In tribu autem filiorum symeon princeps fuit salamihel filius surisaddai: [20] porro in tribu gad erat princeps eliasaph filius duel. [21] Profectique sunt et caathite: portantes sanctuarium. Tam diu tabernaculum portabatur: donec venirent ad erectionis locum. [22] Mouerunt castra et filij ephraim per turmas suas: in quorum exercitu princeps erat elisama filius ammiud. [23] In tribu autem filiorum manasse princeps fuit gamaliel filius phadassur: [24] et in tribu beniamin erat dux abidan filius gedeonis. [25] Nouissimi castrorum omnium profecti sunt filij dan per turmas suas: in quorum exercitu princeps fuit abiezer filius ammisaddai. [26] In tribu autem filiorum aser erat princeps phagaihel filius ochran: [27] et in tribu filiorum neptalim princeps fuit ahira filius henan. [28] Hec sunt castra et profectiones filiorum israhel per turmas suas quando egrediebantur. [29] Dixitque moyses obab filio rahuel madianiti cognato suo. Proficiscimur ad

locum quem dominus daturus est nobis: veni nobiscum vt benefaciamus tibi: quia dominus bona promisit israheli. 30 Cui ille respondit. Non vadam tecum: sed reuertar in terram meam in qua natus sum. 31 Et ille: noli inquit nos relinquere. Tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus: et eris ductor noster. 32 Cunque nobiscum veneris: quicquid optimum fuerit ex opibus quas nobis traditurus est dominus dabimus tibi. 33 Profecti sunt ergo de monte domini viam trium dierum: archaque federis domini precedebat eos per dies tres· prouidens castrorum locum. 34 Nubes quoque domini super eos erat per diem cum incederent. 35 Cunque eleuaretur archa· dicebat moyses. Surge domine et dissipentur inimici tui: et fugiant qui oderunt te a facie tua. 36 Cum autem deponeretur· aiebat. Reuertere domine ad multitudinem exercitus israhel.

11 Interea ortum est murmur populi: quasi dolentium pro labore contra dominum. Quod cum audisset iratus est: et accensus in eos ignis domini deuorauit extremam castrorum partem. 2 Cumque clamasset populus ad moysen: orauit moyses ad dominum· et absortus est ignis. 3 Vocauitque nomen loci illius incensio: eo quod succensus fuisset contra eos ignis domini. 4 Vulgus quippe promiscuum quod ascenderat cum eis· flagrauit desiderio carnium sedens et flens· iunctis sibi pariter filijs israhel: et ait. Quis dabit nobis ad vescendum carnes? 5 Recordamur piscium quos comedebamus in egipto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres· et pepones· porrique· et cepe· et allia. 6 Anima nostra arida est· nichil aliud respiciunt oculi nostri nisi man. 7 Erat autem man quasi semen coriandri coloris bdellij. 8 Circuibatque populus· et colligens illud frangebat mola siue terebat in mortario: coquens in olla et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. 9 Cumque descenderet nocte super castra ros: descendebat pariter et man. 10 Audiuit ergo moyses flentem populum per familias: singulos per ostia tentorij sui. Iratusque est furor domini valde: sed et moysi intolleranda res visa est: 11 et ait ad dominum. Cur afflixisti seruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Et cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super 12 Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem vel genui eam· vt dicas michi porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum: et defer in terram pro qua iurasti patribus eorum? 13 Vnde michi carnes: vt dem tante multitudini? Flent contra me dicentes: da nobis carnes vt comedamus. 14 Non possum solus sustinere omnem hunc populum: quia grauis michi est. 15 Sin aliter tibi videtur: obsecro vt interficias me· et inueniam gratiam in oculis tuis: ne tantis afficiar malis. 16 Et dixit dominus ad moysen. Congrega michi septuaginta viros de senibus israhel· quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri: et duces eos ad ostium tabernaculi federis· faciesque ibi stare tecum 17 vt descendam et loquar tibi: et auferam de spiritu tuo tradamque eis· vt sustentent tecum onus populi· et non tu solus graueris. 18 Populo quoque dices. Sanctificamini. Cras comedetis carnes. Ego enim audiui vos dicere. Quis dabit nobis escas carnium? Bene nobis erat in egipto. Vt det vobis dominus carnes et comedatis· 19 non vno die nec duobus vel quinque aut decem· nec viginti quidem· 20 sed vsque ad mensem dierum: donec exeat per nares vestras et vertatur in nausiam: eo quod repuleritis dominum qui in medio vestri est· et fleueritis coram eo dicentes quare egressi sumus ex egipto vt periremus in solitudine? 21 Et ait moyses. Sexcenta milia peditum huius populi sunt. Et tu dicis dabo eis esum carnium mense integro? 22 Nunquid ouium et boum multitudo cedetur· vt possit sufficere ad cibum: vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur vt eos sacient? 23 Cui respondit dominus. Nunquid manus domini inualida est? Iam nunc videbis: vtrum meus sermo opere compleatur. 24 Venit igitur moyses et narrauit populo verba domini· congregans septuaginta viros de senibus israhel: quos stare fecit circa tabernaculum. 25 Descenditque dominus per nubem et locutus est ad eum: auferens de spiritu qui erat in moyse: et dans septuaginta viris. Cunque requieuisset in eis spiritus prophetauerunt: nec vltra cessauerunt. 26 Remanserant autem in castris duo viri· quorum vnus vocabatur heldad· et alter medad· super quos requieuit spiritus: nam et ipsi descripti fuerant: et non exierant ad tabernaculum. 27 Cunque prophetarent in castris: cucurrit puer et nunciauit moysi dicens. Heldad et medad prophetant in castris. 28 Statim iosue filius nun minister moysi· et electus e pluribus ait. Domine mi moyses prohibe eos. 29 At ille: quid inquit emularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet: et det eis dominus spiritum suum? 30 Reuersusque est moyses et maiores natu israhel in castra. 31 Ventus autem egrediens a domino arreptas transinare coturnices detulit et dimisit in castra· itinere quantum vno die confici potest ex omni parte castrorum per circuitum: volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram. 32 Surgens ergo populus toto die illo et nocte ac die altero· congregauerunt coturnicum· qui parum decem choros: et siccauerunt· eas per girum castrorum. 33 Adhuc carnes erant in dentibus eorum· nec defecerat huiuscemodi cibus: et ecce furor domini concitatus in populum· percussit eum plaga magna nimis. 34 Vocatusque est ille locus sepulcra concupiscentie: ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerat. Egressi autem de sepulcris concupiscentie venerunt in aseroth: et manserunt ibi.

12 Locutaque est maria et aaron contra moysen propter vxorem ethiopissam: 2 et dixerunt. Num per solum moysen eius locutus dominus? Nonne et nobis similiter est locutus? Quod cum audisset dominus· iratus est. 3 Erat enim ses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. 4 Statim locutus est ad eum et ad aaron· et mariam. Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum federis. Cunque fuissent egressi 5 descendit dominus in columna nubis: et stetit in introitu tabernaculi vocans aaron et mariam. Qui cum issent 6 dixit ad eos. Audite sermones meos. Si quis fuerit inter vos propheta domini in visione apparebo ei: vel per somnium loquar ad illum. 7 At non talis seruus meus moyses: qui in omni domo mea fidelissimus est. 8 Ore enim ad os loquor ei. Palam· et non per enigunata et figuras dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo moysi? 9 Iratusque contra eos abijt. 10 Nubes quoque recessit que erat super tabernaculum. Et ecce maria apparuit candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam aaron et vidisset perfusam lepra: 11 ait ad moysen. Obsecro domine mi· ne imponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus: 12 ne fiat hec quasi mortua: et vt abortiuum quod proicitur de vulua matris sue. Ecce iam medium carnis eius deuoratum est a lepra. 13 Clamauitque moyses ad dominum dicens. Deus obsecro· sana eam. 14 Cui respondit dominus. Si pater eius spuisset in faciem illius· nonne debuerat saltim septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra: et postea reuocabitur. 15 Exclusa est itaque maria extra castra septem diebus: et populus non est motus de loco illo· donec reuocata est maria.

13 Profectusque est populus de aseroth: fixis tentorijs in deserto pharan. 2 Ibique locutus est dominus ad moysen dicens. 3 Mitte viros qui considerent terram chanaan quam daturus sum filijs israhel: singulos de singulis tribubus ex principibus. 4 Fecit moyses quod dominus imperanrat: de deserto pharan mittens princips viros: quorum ista sunt vomina. 5 De tribu ruben· semmua filium zechur: 6 de tribu simeon· saphat filium vri: 7 de tribu iuda chaleb filium iephone: 8 de tribu isachar igal filium ioseph: 9 de tribu ephraim osee filium nun: 10 de tribu beniamin phalti filium raphu. 11 De tribu zabulon· geddihel filium sodi: 12 de tribu ioseph sceptri manasse gaddi filium susi: 13 de tribu dan amihel filium gemalli: 14 de tribu aser sechor filium michael: 15 de tribu neptalim naabi filium bapsi: 16 de tribu gad guhel filium machi. 17 Hec sunt nomina virorum· quos misit moyses ad considerandam terram: vocauitque osee filium nun iosue. 18 Misit ergo eos moyses ad considerandam terram chanaan: et dixit ad eos. Ascendite per meridianam plagam. Cunque veneritis ad montes· 19 considerate terram qualis sit: et populum qui habitator est eius· vtrum fortis sit an infirmus: pauci numero an plures: 20 ipsa terra bona an mala: vrbes quales· murate an absque muris: 21 humus pinguis an sterilis· nemorosa an absque arboribus. Confortamini· et afferte nobis de fructibus terre. Erat autem tempus quando iam precoque vue vesci possunt. 22 Cunque ascendissent explorauerunt terram a deserto syn· vsque ad roob intrantibus emath. 23 Ascenderunt que ad meridiem et venerunt in hebron· vbi erant achiman et sisai et dolmai· filij enach: nam hebron septem

annis ante thanim vrbem egipti condita est. [24] Pergentesque vsque ad torrentem botri absciderunt palmitem cum vua sua quem portauerunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis et de ficis loci illius tulerunt· [25] qui appellatus est nehelescol id est torrens botri eo quod botrum portassent inde filij israhel. [26] Reuersique exploratores terre post quadraginta dies omni regione circuita [27] venerunt ad moysen et aaron et ad omnem cetum filiorum israhel in desertum pharan quod est in cades. Locutique eis et omni multitudini ostenderunt fructus terre [28] et narrauerunt dicentes. Venimus in terram ad quam misistis nos· que reuera fluit lacte et melle· vt ex hijs fructibus cognosci potest: [29] sed cultores fortissimos habet· et vrbes grandes atque muratas. Stirpem enach vidimus ibi. [30] Amalech habitat in meridie· etheus et iebuseus et amorreus in montanis. Cananeus vero moratur iuxta mare· et circa fluenta iordanis. [31] Inter hec caleb compescens murmur populi qui oriebatur contra moysen ait. Ascendamus et possideamus terram: quoniam poterimus obtinere eam. [32] Alij vero qui fuerant cum eo dicebant. Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere: quia fortior nobis est. [33] Detraxeruntque terre quam inspexerant apud filios israhel· dicentes. Terra quam lustrauimus deuorat habitatores suos. Populus quem aspeximus procere stature est. [34] Ibi vidimus monstra quedam filiorum enach de genere giganteo: quibus comparati quasi locuste videbamur.

14 Igitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa: [2] et murmurati sunt contra moysen et aaron cuncti filij israhel dicentes. [3] Vtinam mortui essemus in egipto et non in hac vasta solitudine. Vtinam pereamus· et non inducat nos dominus in terram istam: ne cadamus gladio· et vxores ac liberi nostri ducantur captiui. Nonne melius est reuerti in egiptum? [4] Dixerunt que alter ad alterum. Constituamus nobis ducem· et reuertamur in egiptum. [5] Quo audito moyses et aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum israhel. [6] At vero iosue filius nun· et caleb filius iephone· qui et ipsi lustrauerant terram· sciderunt vestimenta sua: [7] et ad omnem multitudinem filiorum israhel locuti sunt. Terra quam circuiui mus valde bona est. [8] Si propicius fuerit dominus inducet nos in eam: et tradat humum lacte et melle manantem. [9] Nolite esse contra dominum· neque timeatis populum terre huius: quia sicut panem ita eos possumus deuorare. Recessit ab eis omne presidium: dominus nobiscum est· nolite metuere. [10] Cunque clamaret omnis multitudo et lapidibus eos vellet opprimere: apparuit gloria domini super tectum federis· cunctis videntibus filijs israhel. [11] Et dixit dominus ad moysen. Vsquequo detrahet michi populus iste? Quousque non crederet michi in omnibus signis que feci coram eis? [12] Feciam igitur eos pestilentia· atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam et fortiorem quam hec est. [13] Et ait moyses ad dominum. Vt audiant egiptij de quorum medio eduxisti populum istum· [14] et habitatores terre huius qui audierunt quod tu domine in populo isto sis· et facie videaris ad faciem: et nubes tua protegat illos· et in columna nubis precedas eos per diem· et in columna ignis per noctem· [15] quod occideris tantam multitudinem quasi vnum hominem· et dicant. [16] Non poterat introducere populum in terram pro qua iurauerat: idcirco occidit eos in solitudine. [17] Magnificetur ergo fortitudo domini sicut iurasti dicens. [18] Dominus patiens et multe misericordie· auferens iniquitatem et scelera· nullumque innoxium derelinquens: qui visitas peccata patrum in filios in terciam et quartam generationem: [19] dimitte obsecro peccatum populi tui huius secundum magnitudinem misericordie tue: sicut propicius fuisti egredientibus de egipto vsque ad locum istum. [20] Dixitque dominus. Dimisi iuxta verbum tuum [21] viuo ego: et implebitur gloria domini vniuersa terra. [22] Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam et signa que feci in egipto et in solitudine· et temptauerunt me iam per decem vices nec obedierunt voci mee· [23] non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorum: nec quisquam ex illis qui detraxit michi intuebitur eam. [24] Seruum meum chaleb qui plenus alio spiritu secutus est me inducam in terram hanc quam circuiuit· et semen eius possidebit eam: [25] quoniam amalechites et chananeus habitant in vallibus. Cras mouete castra: et reuertimini in solitudinem per viam maris rubri. [26] Locutusque est dominus ad moysen et aaron dicens. [27] Vsquequo multitudo hec pessima murmurat contra me? Querelas filiorum israhel audiui. [28] Dic ergo eis. Viuo ego ait dominus: sicut locuti estis audiente me· sic faciam vobis. [29] In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes qui numerati estis a viginti annis et supra· et murmurastis contra me· [30] non intrabitis terram super quam leuaui manum meam vt habitare vos facerem: preter chaleb filium iephone· et iosue filium nun. [31] Paruulos autem vestros de quibus dixistis quod prede hostibus forent introducam: vt videant terram que vobis displicuit: [32] vestra cadauera iacebunt in solitudine. [33] Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta: et portabunt fornicationem vestram· donec consumentur cadauera patrum in deserto: [34] iuxta numerum quadraginta dierum quibus considerastis terram. Annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras: et scietis vltionem meam. [35] Quoniam sicut locutus sum· ita faciam omni multitudini huic pessime· que consurrexit aduersum me: in solitudine hac deficiet et morietur. [36] Igitur omnes viri quos miserat moyses ad contemplandam terram· et qui reuersi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem. Detrahentes terre quod esset mala: [37] mortui sunt atque percussique in conspectu domini. [38] Iosue autem filius nun et chaleb filius iephone vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam terram. [39] Locutusque est moyses vniuersa verba hec ad omnes filios israhel: et luxit populus nimis. [40] Et ecce mane primo surgentes· ascenderunt verticem montis atque dixerunt. Parati sumus ascendere ad locum de quo dominus locutus est: quia peccauimus. [41] Quibus moyses. Cur inquit transgredimini verbum domini· quod vobis non cedet in prosperum? [42] Nolite ascendere· non enim est dominus vobiscum: ne corruatis coram inimicis vestris. [43] Amalechites et chananeus ante vos sunt quorum gladio corruetis: eo quod nolueritis acquiescere domino: nec erit dominus vobiscum. [44] At illi contenebrati· ascenderunt in verticem montis. Archa autem testamenti domini et moyses non recesserunt de castris. [45] Descenditque amalechites et chananeus qui habitabant in monte: et percutiens eos atque concidens· persecutus est eos vsque horma.

15 Locutus est dominus ad moysen dicens. [2] Loquere ad filios israhel· et dices ad eos. Cum ingressi fueritis terram habitationis vestre quam ego dabo vobis· [3] et feceritis oblationem domino in olocaustum· aut victimam pacificam vota soluentes· vel sponte offerentes munera· aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suauitatis domino: de bubus siue de ouibus [4] offeret quicunque immolauerit victimam: sacrificium simile decimam partem ephi conspersam oleo· quod mensuram habebit quartam partem hin: [5] et vinum ad liba fundenda eiusdem mensure dabit in olocaustum siue in victimam. Per agnos singulos [6] et arietes erit sacrificium simile duarum decimarum· que conspersa sit oleo tercie partis hin: [7] et vinum ad libamentum tercie partis eiusdem mensure offeret in odorem suauitatis domino. [8] Quando vero de bubus feceris olocaustum aut hostiam vt impleas votum vel pacificas victimas: [9] dabis per singulos boues simile tres decimas consperse oleo· quod habeat medium mensure hin: [10] et vinum ad liba fundenda eiusdem mensure in oblationem suauissimi odoris domino. [11] Sic facietis [12] per singulos boues et arietes et et edos: [13] tam indigene quam peregrini [14] eodem ritu offerent sacrificia. [15] Vnum preceptum erit atque iudicium tam vobis quam aduenis terre. [16] Locutus est dominus ad moysen dicens. [17] Loquere filijs israhel· et dices ad eos. [18] Cum veneritis in terram quam dabo vobis· [19] et comederitis de panibus regionis illius: separabitis primitias domino [20] de cibis vestris. Sicut de areis primitias separabitis: [21] ita et de pulmentis dabitis primitiua domino. [22] Quod si per ignorantiam preterieritis quicquam horum que locutus est dominus ad moysen· [23] et mandauit per eum ad vos· a die qua cepit iubere et vltra· [24] oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento olocaustum in odorem suauissimum domino· et sacrificium eius ac liba vt cerimonie postulant· hircumque pro peccato: [25] et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum israhel et dimittetur eis· quoniam non sponte peccauerunt nichilominus offerentes incensum domino pro se et pro peccato atque errore suo· [26] et dimittetur vniuerse plebi filiorum israhel· et aduenis qui peregrinantur inter vos: quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam.

27 Quod si anima vna nesciens peccauerit· offeret capram anniculam pro peccato suo: 28 et deprecabitur pro ea· sacerdos quod inscia peccauerit coram domino: impetrabitque ei veniam· et dimittetur illi. 29 Tam indigenis quam aduenis vna lex erit omnium qui peccauerit ignorantes. 30 Anima vero que per superbiam aliquid commiserit· siue ciuis sit ille siue peregrinus: quoniam aduersus dominum rebellis fuit· peribit de populo suo. 31 Verbum enim domini contempsit· et preceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur et portabit iniquitatem suam. 32 Factum est autem cum essent filij israhel in solitudine· et inuenissent hominem colligentem ligna in die sabbati: 33 obtulerunt eum moysi et aaron et vniuerse multitudini. 34 Qui recluserunt eum in carcerem· nescientes quid super eo facere deberent. 35 Dixitque dominus ad moysen. Morte moriatur homo iste: obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. 36 Cumque eduxissent eum foras obruerunt eum lapidibus: et mortuus est sicut preceperat dominus. 37 Dixit quoque dominus ad moysen. 38 Loquere filijs israhel et dices ad eos. Vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum· ponentes in eis vittas iacinctinas. 39 Quas cum viderint recordentur omnium mandatorum domini· nec sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes: 40 sed magis memores preceptorum domini: faciant ea: sintque sancti deo suo. 41 Ego dominus deus vester· qui eduxi vos de terra egipti: vt essem deus vester.

16 Ecce autem chore filius ysaar filij chaath· filij leui· et dathan· atque abiran filij eliab. Hon quoque filius pheleth de filijs ruben 2 surrexerunt contra moysen: alijque filiorum israhel ducenti quinquaginta viri proceres synagoge· et qui tempore concilij per nomina vocabantur. 3 Cunque stetissent aduersum moysen et aaron dixerunt. Sufficiat vobis quia omnis multitudo sanctorum est· et in ipsis est dominus. Cur eleuamini super populum domini? 4 Quod cum audisset moyses cecidit pronus in faciem: 5 locutus que ad chore et ad omnem multitudinem. Mane inquit notum faciet dominus qui ad se pertineant· et sanctos applicabit sibi: et quos elegerit appropinquabunt 6 igitur facite. Tollat vnusquisque thuribula sua tu chore et omne concilium tuum· 7 et hausto cras igne ponite desuper thimiama coram domino: et quencunque elegerit· ipse erit sanctus. Multum erigimini filij leui. 8 Dixitque rursum ad chochore. re. Audite filij leui. 9 Num parum vobis est quod separauit vos deus israhel ab omni populo: et iunxit sibi vt seruiretis ei in cultu tabernaculi: et staretis coram frequentia populi et ministraretis ei? 10 Idcirco ad se fecit accedere te et omnes fratres tuos filios leui· vt vobis etiam sacerdotium vendicetis· 11 et omnis globus tuus stet contra dominum? Quid est enim aaron vt murmuretis contra eum? 12 Misit ergo moyses vt vocaret dathan et abiran filios eliab. Qui responderunt. Non venimus. 13 Nunquid parum est tibi quod eduxisti nos de terra egipti que lacte et melle manabat vt occideres in deserto: nisi et dominatus fueris nostri? 14 Reuera induxisti nos in terram que fluit riuis lactis et mellis: et dedisti nobis possessiones agrorum et vinearum. An et oculos nostros vis eruere? Non venimus. 15 Iratusque moyses valde. Ait ad dominum. Ne respicias sacrificia eorum. Tu scis quod nec asellum quidem vnquam acceperim ab eis· nec afflixerim quempiam eorum. 16 Dixitque ad chore. Tu et omnis congregatio tua state seorsum coram domino· et aaron die crastino separatim. 17 Tollite singuli thuribula vestra· et ponite super ea incensum offerentes domino ducenta quinquaginta thuribula: aaron quoque teneat thuribulum suum. 18 Quod cum fecissent stantibus moyse et aaron· 19 et coaceruassent aduersum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi: apparuit cunctis gloria domini. 20 Locutusque dominus ad moysen et aaron ait. 21 Separamini de medio congregationis huius: vt eos repente disperdam. 22 Qui ceciderunt proni in faciem· atque dixerunt. Fortissime deus spirituum vniuerse carnis· num vno peccante contra omnes tua ira deseuiet? 23 Et ait dominus ad moysen. 24 Precipe vniuerso populo vt separatur a tabernaculis chore et dathan et abiran. 25 Surrexitque moyses et abijt ad dathan et abiran: et sequentibus eum senioribus israhel 26 dixit ad turbam. Recedite a tabernaculis impiorum: et nolite tangere que ad eos pertinent· ne inuoluamini in peccatis eorum. 27 Cumque recessissent a tentorijs eorum per circuitum· dathan et abiran egressi stabant in introitu papilionum suarum· cum vxoribus et liberis· omnique frequentia. 28 Et ait moyses. In hoc scietis quod dominus miserit me: vt facerem vniuersa que cernitis· et non ex proprio ea corde protulerim. 29 Si consueta hominum morte interierint· et visitauerit eos plaga qua et ceteri visitari solent: non misit me dominus. 30 Sinautem nouam rem fecerit dominus· vt aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia que ad illos pertinent· descenz· deruntque viuentes in infernum: scietis quod blasphemauerint dominum. 31 Confestim igitur vt cessauit loqui dirupta est terra sub pedibus eorum: 32 et aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis· et vniuersa substantia eorum. 33 Descenderunt que viui in infernum operti humo: et perierunt de medio multitudinis. 34 At vero omnis israhel qui stabat per girum fugit clamore pereuntium dicens. Ne forte et nos terra deglutiat. 35 Sed et ignis egressus a domino interfecit ducentos quinquaginta viros qui offerebant incensum. 36 Locutusque est dominus ad moysen diulalcens. 37 Precipe eleazaro filio aaron sacerdoti vt tollat thuribula que iacent in incendio· et ignem huc illuc dispergat: quoniam sanctificata sunt 38 in mortibus peccatorum: producatque ea in laminas· et affigat altari· eo quod oblatum sit in eis incensum domino et sanctificata sint: vt cernant ea pro signo et monimento filij israhel. 39 Tulit ergo eleazar sacerdos thuribula enea· in quibus obtulerant hij quos incendium deuorauit· et produxit ea in laminas affigens altari· 40 vt haberent postea filij israhel quibus commonerentur: ne quis accedat alienigena et qui non est de semine aaron· ad offerendum incensum domino: ne patiatur sicut passus est chore· et omnis congregatio eius loquente domino ad moysen. 41 Murmurauit autem omnis multitudo filiorum israhel sequenti die contra moysen et aaron dicens. Vos interfecistis populum domini. 42 Cumque oriretur sedicio et tumultus increscerer· 43 moyses et aaron fugerunt ad tabernaculum federis. Quod postquam ingressi sunt operuit nubes: et aparuit gloria domini. 44 Dixitque dominus ad moysen. 45 Recedite de medio huius multitudinis: et iam nunc delebo eos. Cunque iacerent in terra 46 dixit moyses ad aaron. Tolle thuribulum· et hausto igne de altari mitte incensum desuper· pergens cito ad populum: vt roges pro eis. Iam enim egressa est ira a domino· et plaga deseuit. 47 Quod cum fecisset aaron· et cucurrisset ad mediam multitudinem quam iam vastabat incendium obtulit thimiama: 48 et stans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est: et plaga cessauit. 49 Fuerunt autem qui percussi sunt quatuordecim milia hominum et septingenti: absque hijs qui perierant in sedicione chore. 50 Reuersus que est aaron ad moysen ad ostium tabernaculi federis· postquam quieuit interitus.

17 Et locutus est dominus ad moysen dicens. 2 loquere ad filios israhel· et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas a cunctis principibus tribuum viras duodecim: et vniusquisque nomen super scribes virge sue. 3 Nomen autem aaron erit in tribu leui: et vna virga cunctas eorum familias continebit: 4 ponesque eas in tabernaculo federis coram testimonio vbi loquar ad te. 5 Quem ex hijs elegero germinabit virga eius: et cohibebo a me querimonias filiorum israhel· quibus contra vos murmurant. 6 Locutusque est moyses ad filios israhel: et dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus. Fuerunt que virge duodecim absque virga aaron. 7 Quas cum posuisset moyses coram domino in tabernaculo testimonij: 8 sequenti die regressus inuenit germinasse virgam aaron in domo leui· et turgentibus gemmis eruperant flores: qui folijs dilatatis in amigdalas deformati sunt. 9 Protulit ergo moyses omnes virgas de conspectu domini ad cunctos filios ilrahel: viderunt que receperunt singulirgas filios israhel: viderunt que receperunt singuli virgas suas. 10 Dixitque dominus ad moysen. Refer virgam aaron in tabernaculum testimonij· vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum israhel: et quiescant querele eorum a me ne moriantur. 11 Fecitque moyses sicut preceperat dominus. 12 Dixerunt autem filij israhel ad moysen. Ecce consumpti sumus: omnes peribimus. 13 Quicumque accedit ad tabernaculum domini· moritur. Num vsque ad internetionem cuncti delendi sumus?

18 Dixitque dominus ad aaron. Tu et filij tui et domus patris tui tecum portabitis iniquitatem sanctuarij: et tu et filij tui simul sustinebitis

peccata sacerdotij vestri. [2] Sed et fratres tuos de tribu leui et sceptro patris tui sume tecum: prestoque sint et ministrent tibi. Tu autem et filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij. [3] Excubabuntque leuite ad precepta tua· et ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat vt ad vasa sanctuarij et altare non accedant ne et illi moriantur· et vos pereatis simul. [4] Sint autem tecum et excubent in custodijs tabernaculi· et in omnibus cerimonijs eius: alienigena non miscebitur vobis. [5] Excubate in custodia sanctuarij· et in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios israhel. [6] Ego dedi vobis fratres vestros leuitas de medio filiorum israhel: et tradidi donum domino· vt seruiant in ministerijs tabernaculi eius. [7] Tu autem et filij tui custodite sacerdotium vestrum: et omnia que ad cultum altaris pertinent· et intra velum sunt· per sacerdotes amministrabuntur. Si quis externus accesserit occidetur. [8] Locutus est dominus ad aaron. Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia que sanctificantur a filijs israhel tibi tradidi et filijs tuis· pro officio sacerdotali legitima sempiterna. [9] Hec ergo accipies de hijs que sanctificantur et oblata sunt domino. Omnis oblatio et sacrificium· et quicquid pro peccato atque delicto redditur michi· et cedet in sancta sanctorum: tuum erit et filiorum tuorum. [10] In sanctuario comedes illud. Mares tantum edent ex eo: quia consecratum est tibi. [11] Primitias autem quas vouerint et obtulerint filij israhel: tibi dedi et filijs tuis ac filiabus tuis iure perpetuo. Qui mundus est in domo tua· vescetur eis. [12] Omnem medullam olei et vini ac frumenti· quicquid offerunt primitiarum domino· tibi dedi. [13] Vniuersa frugum initia que gignit humus et domino deportantur: cedent in vsus tuos. Qui mundus est in domo tua· vescetur eis. [14] Omne quod ex voto reddiderint filij israhel· tuum erit. [15] Quicquid primum erumpit e vulua cuncte carnis quam offerunt domino· siue ex hominibus siue de pecoribus fuerit· tui iuris erit: ita dumtaxat vt pro hominis primogenito precium accipies: et omne animal quod immundum est redimi facias: [16] cuius redemptio erit post vnum mensem: siclis argenti quinque pondere sanctuarij. Siclus viginti obolos habet. [17] Primogenitum autem et ouis et capre non facies redimi: quia sanctificate sunt domino. Sanguinem tantum eorum fundes super altare: et adipes adolebis in suauissimum odorem domino. [18] Carnes vero in vsum tuum cedent: sicut pectusculum consecratum et armus dexter tua erunt. [19] Omnes primitias sanctuarij quas offerunt filij israhel domino: tibi dedi et filijs ac filiabus tuis iure perpetuo. Pactum salis est sempiternum coram domino tibi ac filijs tuis. [20] Dixitque dominus ad aaron. In terra eorum nichil possidebitis: nec habebitis partem inter eos. Ego pars et hereditas tua in medio filiorum israhel. [21] Filijs autem leui dedi omnes decimas israhelis in possessionem· pro ministerio quo seruiunt michi in tabernaculo federis: [22] vt non accedant vltra filij israhel ad tabernaculum· nec committant peccatum mortiferum: [23] solis filijs leui michi in tabernaculo seruientibus et portantibus peccata populi: legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nichil aliud possidebunt [24] decimarum oblatione contenti: quas in vsus eorum et necessaria separaui. [25] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [26] Precipe leuitis atque denuncia. Cum acceperitis a filijs israhel decimas quas dedi vobis: primitias earum offerte domino· id est decimam partem decime: [27] vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum: tam de areis quam de torcularibus [28] et vniuersis quorum accipitis primitias offerte domino· et date ea aaron sacerdoti. [29] Omnia que offertis ex decimis· et in donaria domini separabitis: optima et electa erunt. [30] Dicesque ad eos. Si preclara et meliora queque obtuleritis ex decimis· reputabitur vobis quasi de area et torculari dederitis primitias: [31] et comedetis eas in omnibus locis vestris· tam vos quam familie vestre: quia precium est pro ministerio quo seruitis in tabernaculo testimonij: [32] et non peccabitis super hoc· egregia vobis et pinguia reseruantes: ne polluatis oblationes filiorum israhel· et moriamini.

19 Locutusque est dominus ad moysen et aaron dicens. [2] Ista est religio victime quam constituit dominus. Precipe filijs israhel· vt adducant ad te vaccam rufam etatis integre in qua nulla sit macula· nec portauerit iugum: [3] tradetisque eam eleazaro sacerdoti. Qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium: [4] et tinguens digitum in sanguine eius· asperget contra fores tabernaculi septem vicibus: [5] comburetque eam cunctis videntibus: tam pelle et carnibus eius quam sanguine et fimo flamme traditis. [6] lignum quoque cedrinum et coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam· que vaccam vorat. [7] Et tunc demum lotis vestibus et corpore suo· egredietur in castra: commaculatusque erit vsque ad vesperam. [8] Sed et ille qui combusserit eam lauabit vestimenta sua et corpus· et immundus erit vsque ad vesperam. [9] Colliget autem vir mundus cineres vacce· et effundet eos extra castra in loco purissimo: vt sint multitudini filiorum israhel in custodiam et in aquam aspersionis: quia pro peccato vacca combusta est. [10] Cunque lauerit qui vacce portauerat cineres vestimenta sua: immundus erit vsque ad vesperum. Habebunt hoc filij israhel et aduene qui habitant inter eos sanctum iure perpetuo. [11] Qui tetigerit cadauer hominis et propter hoc septem diebus fuerit immundus· [12] aspergetur ex hac aqua die tercio et septimo: et sic mundabitur. Si die tercio aspersus nou fuerit: septimo non poterit emundari. [13] Omnis qui tetigerit humane anime morticinum· et aspersus hac commixtione non fuerit· polluet tabernaculum domini: et peribit ex israhel. Quia aqua expiationis non est aspersus immundus erit: et manebit spurticia eius super eum. [14] Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo. Omnes qui ingrediuntur tentorium illius· et vniuersa vasa que ibi sunt polluta erunt septem diebus. [15] Vas quod non habuerit operculum nec ligaturam desuper· immundum erit. [16] Si quis in agro tetigerit cadauer occisi hominis· aut per se mortui· siue os illius vel sepulcrum: immundus erit septem diebus. [17] Tollent de cineribus combustionis atque peccati· et mittent aquas viuas super eos in vas: [18] in quibus cum homo mundus tinxerit ysopum· asperget eo omne tentorium et cunctam suppellectilem· et homines huiuscemodi contagione pollutos: [19] atque hoc modo mundus lustrabit immundum tercio et septimo die· expiatusque die septimo lauabit et se et vestimenta sua: et immundus erit vsque ad vesperam. [20] Si quis hoc ritu non fuerit expiatus· peribit anima illius de medio ecclesie: quia sanctuarium domini polluit: et non est aqua lustrationis aspersus. [21] Erit hoc preceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas· lauabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis: immundus erit vsque ad vesperam. [22] Quicquid tetigerit immundus· immundum facietur: et anima que horum quippiam tetigerit· immunda erit vsque ad vesperum.

20 Veneruntque filij israhel et omnis multitudo in desertum sin mense primo· et mansit populus in cades. Mortuaque est ibi maria: et sepulta in eodem loco. [2] Cunque indigeret aqua populus conuenerunt aduersum moysen et aaron: [3] et versi in seditionem dixerunt. Vtinam perissemus inter fratres nostros coram domino. [4] Cur eduxistis ecclesiam domini in solitudinem: vt et nos et nostra iumenta moriamur? [5] Quare nos fecistis ascendere de egipto· et adduxistis ad locum istum pessimum qui seri non potest: qui nec ficum gignit· nec vineas nec mala granata. insuper et aquam non habet ad bibendum? [6] Ingressusque moyses et aaron dimissa multitudine in tabernaculum federis· corruerunt proni in terram: clamaueruntque ad dominum atque dixerunt. Domine deus audi clamorem populi huius· et aperi eis thesaurum tuum fontem aque viue: vt satiati cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria domini super eos. [7] Locutusque est dominus ad moysen dicens. [8] Tolle virgam et congrega populum tu et aaron frater tuus· et loquimini ad petram coram eis: et illa dabit aquas. Cunque eduxeris aquam de petra· bibet omnis multitudo et iumenta eius. [9] Tulit igitur moyses virgam qui erat in conspectu domini sicut preceperat ei· [10] congregata multitudine ante petram: dixitque eis. Audite rebelles et increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eicere? [11] Cunque eleuasset moyses manum percutiens virga bis silicem· egresse sunt aque largissime: ita vt populus biberet et iumenta. [12] Dixitque dominus ad moysen et aaron. Quia non credidistis michi vt sanctificaretis me coram filijs israhel: non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. [13] Hec est aqua contradictionis· vbi iurgati sunt filij israhel contra dominum: et sanctificatus est in eis. [14] Misit interea nuncios moyses de cades ad regem edom· qui dicerent. Hec mandat frater tuus israhel. Nosti omnem laborem qui apprehendit nos· [15] quomodo descenderint patres nostri in egiptum· et habitauerimus ibi multo tempore: afflixerint que nos egiptij et

patres nostros: [16] et quomodo clamauerimus ad dominum et exaudierit nos· miseritque angelum qui eduxerit nos de egipto. Ecce in vrbe cades que est in extremis finibus tuis positi: [17] obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros nec per vineas: non bibemus aquas de puteis tuis: sed gradiemur via publica· nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes: donec transeamus terminos tuos. [18] Cui respondit edom. Non transibis per me. Alioquin armatus occurram tibi. [19] Dixeruntque filij israhel. Per tritam gradiemur viam: et si biberimus aquas tuas nos et pecora nostra· dabimus quod iustum est. Nulla erit in precio difficultas: tantum velociter transeamus. [20] At ille respondit. Non transibitis. Statimque egressus est obuius cum infinita multitudine et manu forti: [21] nec voluit acquiescere deprecanti· vt concederet transitum per fines suos. Quamobrem diuertit ab eo israhel. [22] Cunque castra mouissent de cades· venerunt in montem or qui est in finibus terre edom: [23] vbi locutus est dominus ad moysen dicens. [24] Pergat inquit aaron ad populos suos. Non enim intrabit terram quam dedi filijs israhel: eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. [25] Tolle aaron et filium eius cum eo: et duces eos in montem or. [26] Cunque nudaueris patrem veste sua· indues ea eleazarum filium eius: et aaron colligetur· et morietur ibi. [27] Fecit moyses vt preceperat dominus: et ascenderunt in montem or coram omni multitudine. [28] Cunque aaron spoliasset vestibus suis: induit eis eleazarum filium eius. [29] Illo mortuo in montis supercilio: descendit cum eleazaro. [30] Omnis autem multitudo videns occubuisse aaron: fleuit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

21 Quod cum audisset chananeus rex arad· qui habitabat ad meridiem· venisse scilicet israhel per exploratorum viam· pugnauit contra illum: et victor existens· duxit ex eo predam. [2] At israhel voto se domino obligans ait. Si tradideris populum istum in manu mea: delebo vrbes eius. [3] Exaudiuitque dominus preces israhel· et tradidit chananeum: quem ille interfecit subuersis vrbibus eius: et vocauit nomen loci illius orma· id est anathema. [4] Profecti sunt autem et de monte or· per viam que ducit ad mare rubrum: vt circuirent terram edom. Et tedere cepit populum itineris ac laboris: [5] locutusque contra dominum et moysen ait. Cur eduxisti nos de egipto: vt moreremur in solitudine? Deest panis: non sunt aque: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. [6] Quamobrem misit dominus in populum ignitos serpentes: ad quorum plagas et mortes plurimorum [7] venerunt ad moysen atque dixerunt. Peccauimus: quia locuti sumus contra dominum et te. Ora vt tollat a nobis serpentes. Orauit moyses pro populo. [8] Et locutus est dominus ad eum. Fac serpentem eneum: et pone eum pro signo. Qui percussus aspexerit eum viuet. [9] Fecit ergo moyses serpentem eneum: et posuit eum pro signo. Quem cum percussi aspicerent: sanabantur. [10] Profectique filij israhel: castrametati sunt in oboth. [11] Vnde egressi fixere tentoria in ieabarim in solitudine que respicit moab· contra orientalem plagam: [12] et inde mouentes venerunt ad torrentem zareth· [13] Quem relinquentes castrametati sunt contra arnon· que est in deserto· et prominet in finibus amorrei. Siquidem arnon terminus est moab: diuidens moabitas et amorreos. [14] Vnde dicitur in libro bellorum domini. Sicut fecit in mari rubro: sic faciet in torrentibus arnon. [15] Scopuli torrentium inclinati sunt vt requiescerent in aaron: et recumberent in finibus moabitarum. [16] Ex eo loco apparuit puteus: super quo locutus est dominus ad moysen. Congrega populum: et dabo ei aquam. [17] Tunc cecinit israhel carmen istud. Ascendat puteus concinebant: [18] puteus quem foderunt principes: et parauerunt duces multitudinis· in datore legis et in baculis suis. De solitudine: mathana. [19] De mathana: nahalihel. De nahalihel: in bamoth. [20] Bamoth vallis est in regione moab· in vertice fasga: et quod respicit contra desertum. [21] Misit autem israhel nuncios ad seon regem amorreorum dicens. [22] Obsecro vt transire michi liceat per terram tuam. Non declinabimus in agros et vineas: non bibemus aquas ex puteis. Via regia gradiemur: donec transeamus terminos tuos. [23] Qui concedere noluit vt transiret israhel per fines suos: quin potius exercitu congregato egressus est obuiam in desertum et venit in iasa: pugnauitque contra eum. [24] A quo percussus est in ore gladij: et possessa est terra eius ab arnon vsque ieboc· et filios ammon: quia forti presidio tenebantur termini ammonitarum. [25] Tulit ergo israhel omnes ciuitates eius: et habitauit in vrbibus amorrei: in esebon scilicet et viculis eius. [26] Vrbs esebon fuit regis seon amorrei· qui pugnauit contra regem moab: et tulit omnem terram que ditionis illius fuerat vsque arnon. [27] Idcirco dicitur in prouerbio. Venite in esebon: edificetur et construatur ciuitas seon. [28] Ignis egressus est de esebon· flamma de opido seon: et deuorauit ar moabitarum· et habitatores excelsorum arnon. [29] Ve tibi moab: peristi populo chamos. Dedit filios eius in fugam: et filias in captiuitatem regi amorreorum seon. [30] Iugum ipsorum disperijt ab esebon vsque dibon: lassi peruenerunt in iophe vsque medaba. [31] Habitauit itaque israhel in terra amorrei. [32] Misitque moyses qui explorarent iazer: cuius ceperunt viculos· et possederunt habitatores. [33] Verteruntque se et ascenderunt per viam basan: et occurrit eis og rex basan cum omni populo suo pugnaturus in edrai. [34] Dixitque dominus ad moysen. Ne timeas eum: quia in manu tua tradidi illum et omnem populum ac terram eius: faciesque illi sicut fecisti seon regi amorreorum habitatori esebon. [35] Percusserunt igitur et hunc cum filijs suis· vniuersumque populum eius vsque ad internecionem: et possederunt terram illius.

22 Profectique castrametati sunt in campestribus moab: vbi trans iordanen iordanen iherichо sita est. [2] Videns autem balac filius sephor omnia que fecerat israhel amorreo: [3] et quod pertimuissent eum moabite· et impetum eius ferre non possent: [4] dixit ad maiores natu madian. Ita delebit hic populos omnes qui in nostris finibus commorantur: quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in moab. [5] Misit ergo nuncios ad balaam filium beor ariolum· qui habitabat super flumen terre filiorum ammon: vt vocarent eum et dicerent. Ecce egressus est populus ex egipto qui operuit superficiem terre sedens contra me. [6] Veni igitur et maledic populo huic quia fortior me est: si quo modo possim percutere et eicere eum de terra mea. Noui enim quod benedictus sit cui benedixeris: et maledictus in quem maledicta congesseris. [7] Perrexeruntque seniores moab et maiores natu madian: habentes diuinationis precium in manibus. Cunque venissent ad balaam· et narrassent ei omnia verba balac: [8] ille respondit. Manete hic nocte: et respondebo quicquid michi dixerit dominus. Manentibus illis apud balaam: venit deus et ait ad eum. [9] Quid sibi volunt homines isti apud te? [10] Respondit. Balac filius sephor rex moabitarum misit ad me [11] dicens. Ecce populus qui egressus est de egipto operuit superfitiem terre: veni et maledic ei: si quo modo possim pugnans abigere eum. [12] Dixitque deus ad balaam. Noli ire cum eis neque maledicas populo· quia benedictus est. [13] Qui mane consurgens· dixit ad principes. Ite in terram vestram: quia prohibuit me deus venire vobiscum. [14] Reuersi principes dixerunt ad balac. Noluit balaam venire nobiscum. [15] Rursum ille multo plures et nobiliores quam ante miserat misit. [16] Qui cum venissent ad balaam· dixerunt. Sic dicit balac filius sephor. Ne cuncteris venire ad me. [17] Paratus sum honorare te: et quicquid volueris dare. Veni et maledic populo isti. [18] Respondit balaam. Si dederit michi balac plenam domum suam argenti et auri· non potero immutare verbum domini dei mei: vt vel plus vel minus loquar. [19] Obsecro vt hic maneatis etiam hac nocte: et scire queam quid michi rursum respondeat dominus. [20] Venit ergo deus ad balaam nocte: et ait ei. Si vocare te venerint homines isti· surge et vade cum eis: ita dumtaxat· quod precepero tibi facias. [21] Surrexit balaam mane: et strata asina profectus est cum eis: [22] et iratus est deus. Stetitque angelus domini in via contra balaam qui sedebat asine: et duos pueros habebat secum. [23] Cernens asina angelum stantem in via euaginato gladio: auertit se de itinere· et ibat per agrum. Quam cum verberaret balaam et vellet ad semitam reducere: [24] stetit angelus in angustijs duarum maceriarum quibus vinee cingebantur. [25] Quem videns asina iunxit se parieti: et attriuit sedentis pedem. At ille iterum verberabatur: [26] et nichilominus angelus ad locum angustum transiens· vbi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deuiari: obuius stetit. [27] Cumque vidisset asina stantem angelum: concidit sub pedibus sedentis. Qui iratus vehementius cedebat fuste latera eius. [28] Aperuitque dominus os asine: et locuta est. Quid feci tibi? Cur percutis me ecce iam tercio? [29] Respondit balaam. Quia commeruisti: et illusisti michi. Vtinam haberem gladium vt te percuterem. [30] Dixit asina.

Nonne animal tuum sum· cui semper sedere consuesti: vsque in presentem diem? Dic quid simile vnquam fecerim tibi. At ille ait. Nunque. [31] Protinus aperuit dominus oculos balaam: et vidit angelum stantem in via euaginato gladio: adorauitque eum pronus in terram. [32] Cui angelus. Cur inquit tercio verberas asinam tuam? Ego veni vt aduersarer tibi: quia peruersa est via tua· michique contraria. [33] Et nisi asina declinasset de via dans locum resistenti: te occidissem· et illa viueret. [34] Dixit balaam. Peccaui: nesciens quod tu stares contra me. Et nunc si displicet tibi vt vadam· reuertar. [35] Ait angelus. Vade cum istis: et caue ne aliud quam precepero tibi loquaris. Iuit igitur cum principibus. [36] Quod cum audisset balac: egressus est in occursum eius in opido moabitarum quod situm est in extremis finibus arnon. [37] Dixitque ad balaam. Misi nuncios vt vocarent te. Cur non statim venisti ad me? An quia mercedem aduentui tuo reddere nequeo? [38] Cui ille respondit. Ecce assum. Nunquit loqui potero aliud nisi quod deus posuerit ore meo? [39] Perrexerunt ergo simul: et venerunt in vrbem que in extremis regni eius finibus erat. [40] Cunque occidisset balac boues et oues: misit ad laam et principes qui cum eo erant munera. [41] Mane autem facto· duxit eum ad excelsa baal: et intuitus est extremam partem populi.

23 Dixitque balaam ad balar. Edifica michi hic septem aras: et para totidem vitulos: eiusdemque numeri arietes. sermonem rietes. [2] Cunque fecisset iuxta sermonem balaam: imposuerunt simul vitulum et arietem super aram. [3] Dixitque balaam ad balac. Sta paulisper iuxta olocaustum tuum donec vadam· si forte occurrat michi dominus: et quodcunque imperauerit loquar tibi. [4] Cumque abisset velociter occurrit illi deus. Locutusque ad eum balaam· septem inquit aras erexi: et imposui vitulum et arietem desuper. [5] Dominus autem posuit verbum in ore eius· et ait. Reuertere ad balac: et hec loqueris. [6] Reuersus inuenit stantem balac iuxta olocaustum suum et omnes principes moabitarum: [7] assumptaque parabola sua dixit. De aran adduxit me balac rex moabitarum: de montibus orientis. Veni inquit et maledic iacob: propera et detestare israhel. [8] Quomodo maledicam: cui non maledixit deus? Qua ratione detester: quem dominus non detestatur? [9] De summis silicibus videbo eum: et de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit: et inter gentes non reputabitur. [10] Quis dinumerare possit puluerem iacob· et nosse numerum stirpis israhel? Moriatur anima mea morte iustorum: et fiant nouissima mea horum similia. [11] Dixitque balac ad balaam. Quid est hoc quod agis? Vt malediceres inimicis meis vocaui te· et tu econtrario benedicis eis? [12] Cui ille respondit. Num aliud possum loqui: nisi quod iusserit dominus? [13] Dixit ergo balac. Veni mecum in alterum locum· vnde partem israhel videas· et totum videre non possis: inde maledicito ei. [14] Cunque duxisset eum in locum sublimem super verticem montis phasga· edificauit balaam septem aras: et impositis supra· vitulo atque ariete: [15] dixit ad balac. Sta hic iuxta olocaustum tuum: donec ego obuius pergam. [16] Cui cum dominus occurrisset: posuissetque verbum in ore eius ait. Reuertere ad balac: et hec loqueris ei. [17] Reuersus inuenit eum stantem iuxta olocaustum suum: et principes moabitarum cum eo. Ad quem balac. Quid inquit locutus est dominus? [18] At ille assumpta parabola sua ait. Sta balac et ausculta: audi fili sephor. [19] Non est deus quasi homo vt mentiatur: nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo et non faciet: locutus est et non implebit? [20] Ad benedicendum adductus sum: benedictionem prohibere non valeo. [21] Non est ydolum in iacob: nec videtur simulacrum in israhel. Dominus deus eius cum eo est: et clangor victorie regis in illo. [22] Deus eduxit illum de egipto: cuius fortitudo similis est rinocerotis. [23] Non est augurium in iacob: nec diuinatio in israhel. Temporibus suis dicetur iacob et israhel· quid operatus sit deus. [24] Ecce populus vt leena consurget: et quasi leo erigetur. Non accubabit donec deuoret predam: et occisorum sanguinem bibat. [25] Dixitque balac ad balaam. Nec maledicas ei nec benedicas. [26] Et ille. Nonne ait dixi tibi: quod quicquid michi deus imperaret hoc facerem? [27] Et ait balac ad eum. Veni et ducam te ad alium locum: si forte placeat deo vt inde maledicas eis. [28] Cumque duxisset eum super verticem montis phogor qui respicit solitudinem: [29] dixit ei balaam. Edifica michi hic septem aras: et para totidem vitulos: eiusdemque numeri arietes. [30] Fecit balac vt balaam dixerat: imposuitque vitulos et arietes per singulas aras.

24 Cunque vidisset balaam quod plaUAceret domino vt benediceret israheli· nequaquam abijt vt ante perrexerat vt augurium quereret· sed dirigens contra desertum vultum suum· [2] et eleuans oculos vidit israhel in tentorijs commorantem per tribus suas: et irruente in se spiritu dei· [3] assumpta parabola ait. Dixit balaam filius beor: dixit homo cui obturatus est oculus: [4] dixit auditor sermonum dei qui visionem omnipotentis intuitus est: qui cadit· et sic aperiuntur oculi eius. [5] Quam pulcra tabernacula tua iacob· et tentoria tua israhel: [6] vt valles nemorose· vt horti iuxta fluuios irrigui: vt tabernacula que fixit dominus: quasi cedri propter aquas. [7] Fluet aqua de situla eius: et semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter agag rex eius: et auferetur regnum illius. [8] Deus eduxit illum de egipto: cuius fortitudo similis est rinocerotis. Deuorabunt gentes hostes illius: ossaque eorum confringent: et perforabunt sagittis. [9] Accubans dormiuit vt leo: et quasi leena quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi erit ipse benedictus: qui maledixerit in maledictione reputabitur. [10] Iratusque balac contra balaam: complosis manibus ait. Ad maledicendum inimicis meis vocaui te· quibus econtrario tercio benedixisti. [11] Reuertere ad locum tuum. Decreueram quidem magnifice honorare te: sed dominus priuauit te honore disposito. [12] Respondit balaam ad balac. Nonne nuncijs tuis quos misisti ad me dixi· [13] si dederit michi balac plenam domum suam argenti et auri· non potero preterire sermonem domini dei mei· vt vel boni quid vel mali proferam ex corde meo: sed quicquid dominus dixerit· hoc loquar? [14] Veruntamen pergens ad populum meum· dabo consilium: quid populus tuus huic populo faciet extremo tempore. [15] Sumpta igitur parabola· rursum ait. Dixit balaam filius beor: dixit homo cuius obturatus est oculus: [16] dixit auditor sermonum dei· qui nouit doctrinam altissimi· et visiones omnipotentis videt: qui cadens apertos habet oculos. [17] Videbo eum sed non modo: intuebor illum: sed non prope. Orietur stella ex iacob· et consurget virga de israhel: et percutiet duces moab· vastabitque omnes filios seth: [18] et erit ydumea possessio eius. Hereditas seir cedet inimicis suis: israhel vero fortiter aget. [19] De iacob erit qui dominetur: et perdat reliquias ciuitatis. [20] Cumque vidisset amalech: assumens parabolam ait. Principium gentium amalech: cuius extrema perdentur. [21] Vidit quoque cinerum: et assumpta parabola ait. Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum· [22] et fueris electus de stirpe cin quam diu poteris permanere? Assur enim capiet te. [23] Assumptaque parabola· iterum locutus est. Heu quis victurus est· quando ista faciet deus? [24] Venient in trieribus de ytalia· superabunt assirios· vastabuntque hebreos: et ad extremum etiam ipsi peribunt. [25] Surrexitque balaam et reuersus est in locum suum: balac quoque via qua venerat redijt.

25 Morabatur autem eo tempore israhel in sethim: et fornicatus est populus cum filiabus moab· [2] que vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt: et adorauerunt deos earum. [3] Iniciatusque est israhel beelfegor. Et iratus dominus [4] ait ad moysen. Tolle cunctos principes populi· et suspende eos contra solem in patibulis: vt auertatur furor meus ab israhel· [5] Dixitque moyses ad iudices israhel. Occidat vnusquisque proximos suos qui iniciati sunt beelfegor. [6] Et ecce vnus de filijs israhel intrauit coram fratribus suis ad scortum madianiten· vidente moyse et omni turba filiorum israhel: qui flebant ante fores tabernaculi. [7] Quod cum vidisset finees filius eleazari filij aaron sacerdotis· surrexit de medio multitudinis: et arrepto pugione [8] ingressus est post virum israheliten in lupanar: et perfodit ambos simul virum scilicet et mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga a filijs israhel: [9] et occisi sunt vigiutiquatuor milia hominum. [10] Dixitque dominus ad moysen. [11] Finees filius eleanzari filij aaron sacerdotis auertit iram meam a filijs israhel: quia zelo meo commotus est contra eos: vt non ipse delerem filios israhel in zelo meo. [12] Idcirco loquere ad eos. Ecce do ei pacem federis mei: [13] et erit tam ipsi quam semini eius pacum sacerdotij sempiternum: quia zela est pro deo suo· et expiauit scelus filiorum israhel. [14] Erat autem nomen viri israhelite qui occisus

est cum madianitide zambri filius salu: dux de cognatione et tribu symeonis. 15 Porro mulier madianitis que pariter interfecta est vocabatur cozbi: filia sur principis nobilissimi madianitarum. 16 Locutusque est dominus ad moysen dicens. 17 Hostes vos sentiant madianite et percutite eos: 18 quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos· et decepere insidijs per ydolum phogor· et cozbi filiam ducis madian sororem suam: que percussa est in die plage pro sacrilegio phogor.

26 Postquam noxiorum sanguis effusus est: dixit dominus ad moysen et eleazarum filium aaron sacerdotem. 2 Numerate omnem summam filiorum israhel a viginti annis et supra per domos et cognationes suas: cunctos qui possunt ad bella procedere. 3 Locuti sunt itaque moyses et eleazar sacerdos in campestribus moab super iordanen contra ihericho ad eos qui erant 4 a viginti annis et supra sicut dominus imperarat: quorum est iste numerus. 5 Ruben: primogenitus israhel. Huius filius enoch· a quo familia enochitarum: et phallu· a quo familia phalluitarum: 6 et esrom· a quo familia esromitarum: et charmi· a quo familia charmitarum. 7 Hee sunt familie de stirpe ruben: quarum numerus inuentus est quadraginta tria milia et septingenti trigiuta. 8 Filius phallu eliab: 9 huius filij namuhel et dathan et abiron. Isti sunt dathan et abiron· principes populi qui surrexeruut contra moysen et aaron in sedicione chore· quando aduersus dominum rebellauerunt: 10 et aperiens terra os suum deuorauit chore morientibus plurimis: quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum: 11 vt chore pereunte filij illius non perirent. 12 Filij symeon per cognationes suas· namuhel ab hoc familia namuhelitarum: iamin ab hoc familia iaminitarum: iachin· ab hoc familia iachinitarum: 13 zare· ab hoc familia zareitarum: saul· ab hoc familia saulitarum. 14 Hee sunt familie de stirpe symeon: quarum omnis numerus fuit viginti duum milium ducentorum. 15 Filij gad per cognationes suas: sephon· ab hoc familia sephonitarum: aggi· ab hoc familia aggitarum: suni· ab hoc familia sunitarum: 16 ozni· ab hoc familia oznitarum: her· ab hoc familia heritarum: 17 arod· a quo familia aroditarum: arihel· ab hoc familia arihelitarum. 18 Iste sunt familie gad: quarum omnis numerus fuit quadraginta milia quingentorum. 19 Filij iuda· her et onan: qui ambo mortui sunt in terra chanaan. 20 Fueruntque filij iuda per cognationes suas: sela a quo familia selaitarum: phares· a quo familia pharesitarum: zare· a quo familia zareitarum. 21 Porro filij phares: esrom· a quo familia esromitarum: et amul· a quo familia amulitarum. 22 Iste sunt familie iuda: quarum omnis numerus fuit septuaginta sex milia quingentorum. 23 Filij ysachar per cognationes suas: thola· a quo familia tholaitarum: phua· a quo familia phuaitarum: 24 iasub· a quo familia iasubitarum: semran· a quo familia semranitarum. 25 Hee sunt cognationes ysachar: quarum numerus fuit sexaginta quatuor milia trecentorum. 26 Filij zabulon per cognationes suas: sared· a quo familia sareditarum: helon· a quo familia helonitarum: ialel· a quo familia ialelitarum. 27 Hee sunt cognationes zabulon: quarum numerus fuit sexaginta milia quingentorum. 28 Filij ioseph per cognationes suas manasse et ephraim. 29 De manasse ortus est machir: a quo familia machiritarum. Machir genuit galaad: a quo familia galaaditarum. 30 Galaad habuit filios iezer: a quo familia iezeritarum: et elech· a quo familia elechitarum: 31 et asrihel· a quo familia asrihelitarum: et sechem· a quo familia sechemitarum: 32 et semida· a quo familia semidaitarum: et epher· a quo familia epheritarum. 33 Fuit autem epher pater salphaad: qui filios non habebat sed tantum filias quarum ista sunt nomina: maala· et noa· et egla· et melcha· et thersa. 34 Hee sunt familie manasse: et numerus earum quinquaginta duo milia septingentorum. 35 Filij autem ephraim per cognationes suas fuerunt hij. Suthala. a quo familia suthalaitarum: becher· a quo familia becheritarum: tehen· a rehen· quo familia tehenitarum. 36 Porro filius suthala fuit heran: a quo familia heranitarum. 37 sunt cognationes filiorum ephraim: numerus fuit triginta duo milia quingentorum. 38 Isti sunt filij ioseph per familias suas. Filij beniamin in cognationibus suis: bale· a quo familia baleitarum: azbel· a quo familia azbelitarum: achiram· a quo familia achiramitarum: 39 supham· a quo familia suphamitarum: vpham· a quo familia vphamitarum. 40 Filij bale: man. De hered et noe familia hereditarum: de noeman familia noemanitarum. 41 Hij sunt filij beniamin per cognationes suas: quorum numerus quadraginta quinque milia sexcentorum. 42 Filij dan per cognationes suas: suhan· a quo familia suhanitarum. Hee cognationes dan per familias suas. 43 O mnes fuere suhanite: quorum numerus erat sexagintaquatuo Filij taquatuor milia quadringentorum. 44 Filij aser per cognationes suas: iemna· a quo familia iemnaitarum: iessui· a quo familia iessuitarum: brie a quo familia brieitarum. 45 Filij brie haber· a quo familia haberitarum: et melchihel· a quo familia melchihelitarum. 46 Nomen autem filie aser fuit sara. 47 Hee cognationes filiorum aser: et numerus eorum quinquaginta tria milia· quadringentorum. 48 Filij neptalim per cognationes suas: iessihel· a quo familia iessihelitarum: guni· a quo familia gunitarum: 49 iaser· a quo familia iaseritarum: sellemi: a quo familia sellemitarum. 50 Hee sunt cognationes filiorum neptalim per familias suas· quorum numerus quadraginta quinque milia· gentorum. 51 Ista est summa filiorum israhel qui recensiti sunt· sexcenta milia· et mille· septingenti triginta. 52 Locutusque est dominus ad moysen dicens. 53 Istis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum in possessiones suas. 54 Pluribus maiorem partem dabis· et paucioribus minorem: singulis sicut nunc recensiti sunt tradetur possessio: 55 ita dumtaxat· vt sors terram tribubus diuidat et familijs. 56 Quicquid sorte contigerit: hoc vel plures accipiant vel pauciores. 57 Hic quoque est numerus filiorum leui per familias suas. Gerson· a quo familia gersonitarum? caath· a quo familia caathitarum: merari· a quo familia meraritarum. 58 Hee sunt familie leui. Familia lobni· familia hebroni· familia mooli· familia musi· familia chore. At vero caath· genuit amram: 59 qui habuit vxorem iochabech filiam leui· que nata est ei in egipto. Hec genuit viro suo amram filios aaron et moysen: et mariam sororem eorum. 60 De aaron orti sunt nadab et abiu et eleazar et ithamar: 61 quorum nadab et abiu mortui sunt· cum obtulissent ignem alienum coram domino. 62 Fueruntque omnes qui numerati sunt vigintitria milia generis masculini ab vno mense et supra: qui non sunt recensiti inter filios israhel: nec eis cum ceteris data possessio est. 63 Hic est numerus filiorum israhel· qui descripti sunt a moyse et eleazaro sacerdote in campestribus moab supra iordanen contra ihericho: 64 inter quos nullus fuit eorum qui ante numerati sunt a moyse et aaron in deserto synai. 65 Predixerat enim dominus quod omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis: nisi chaleb filius ie et iosue filius nun.

27 Accesserunt autem filie salphaad· filij epher· filij galaad· filij machir· filij manasse· qui fuit filius ioseph· quarum sunt nomina· malaa· et noa· et egla· et melcha· et thersa: 2 steteruntque coram moyse et eleazaro sacerdote et cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi federis· atque dixerunt. 3 Pater noster mortuus est in deserto: nec fuit in sedicione que concitata est contra dominum sub chore: sed in peccato suo mortuus est. Hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua: quia non habet filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. 4 Retulitque moyses causam earum ad iudicium domini. 5 Qui dixit ad eum. 6 Iustam rem postulant filie salphaad. Da eis possessionem inter cognatos patris sui: et ei in hereditatem succedant. 7 Ad filios autem israhel loqueris hec. 8 Homo cum mortuus fuerit absque filio· ad filiam eius transibit hereditas: 9 si filiam non habuerit: habebit successores fratres suos. 10 Quod si et fratres non fuerint: dabitis hereditatem fratribus patris eius. 11 Sinautem nec patruos habuerit: dabitur hereditas hijs qui ei proximi sunt. Erit hoc filijs israhel sanctum lege perpetua: sicut precepit dominus moysi. 12 Dixit quoque dominus ad moysen. Ascende in montem istum abarim: et contemplare inde terram quam daturus sum filijs israhel. 13 Cunque videris eam· ibis et tu ad populum tuum sicut iuit frater tuus aaron: 14 quia offendistis me in deserto sin in contradictione multitudinis: nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas. Hee sunt aque contradictionis in cades deserti sin. 15 Cui respondit moyses. 16 Prouideat dominus deus spirituum omnis carnis hominem qui sit super multitudinem hanc: 17 et possit exire et intrare ante eos· et educere eos vel introducere: ne sit populus domini sicut oues absque pastore. 18 Dixitque dominus ad eum. Tolle iosue filium nun virum in quo est spiritus dei: et pone

manum tuam super eum. [19] Qui stabit coram eleazaro sacerdote et omni multitudine: [20] et dabis ei precepta cunctis videntibus· et partem glorie tue: vt audiat eum omnis synagoga filiorum israhel. [21] Pro hoc si quid agendum erit· eleazar sacerdos consulet dominum. Ad verbum eius egredietur et ingredietur· ipse et omnes filij israhel cum eo: et cetera multitudo. [22] Fecit moyses vt preceperat dominus. Cunque tulisset iosue· statuit eum coram eleazaro sacerdote et omni frequentia populi: [23] et impositis capiti eius manibus· cuncta replicauit que mandauerat dominus.

28 Dixit quoque dominus ad moysen. [2] Precipe filijs israhel: et dices ad eos. Oblationem meam et panes· et incensum odoris suauissimi offerte per tempora sua. [3] Hec sunt sacrificia que offerre debetis. Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in olocaustum sempiternum: [4] vnum offeretis mane· et alterum ad vesperum: [5] decimam partem ephi simile· que conspersa sit oleo purissimo· et habeat quartam partem hin. [6] Olocaustum iuge est quod obtulistis in monte synai in odorem suauissimum incensi domini. [7] Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in sanctuario domini: [8] alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritum sacrificij matutini et libamentorum eius oblationem suauissimi odoris domino. [9] Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos· et duas decimas simile oleo consperse in sacrificio: et liba [10] que rite funduntur per singula sabbata in olocausto sempiterno. [11] In kalendis autem id est in mensium exordijs offeretis olocaustum domino· vitulos de armento duos· arietem vnum· agnos anniculos septem immaculatos: [12] et tres decimas simile oleo consperse in sacrificio per singulos vitulos: et duas decimas simile oleo consperse per singulos arietes: [13] et decimam decime simile ex oleo in sacrificio per agnos singulos. Olocaustum suauissimi odoris atque incensi est domino. [14] Libamenta autem vini que per singulas fundenda sunt victimas· ista erunt. Media pars hin per singulos vitulos: tercia per arietem: quarta per agnum. Hoc erit olocaustum per omnes menses: qui sibi anno vertente succedunt. [15] Hircus quoque offeretur domino pro peccatis in olocaustum sempiternum cum libamentis suis. [16] Mense autem primo· quartadecima die mensis phase domini erit: [17] et quintadecima die solemnitas. Septem diebus vescentur asimis: [18] quarum dies prima venerabilis et sancta erit. Omne opus seruile non facietis in ea. [19] Offeretisque in incensum olocaustum domino vitulos de armento duos· arietem vnum agnos anniculos immaculatos septem: [20] et sacrificia singulorum ex simila que conspersa sit oleo: tres decimas per singulos vitulos· et duas decimas per arietem· [21] et decimam decime per agnos singulos· id est per septem agnos: [22] et hircum pro peccato vnum vt expietur pro vobis: [23] preter olocaustum matutinum quod semper offeretis: [24] ita facietis per singulos dies septem dierum· in fomitem ignis et in odorem suauissimum domino: qui surget de olocausto et de libationibus singulorum. [25] Dies quoque septimus celeberrimus et sanctus erit vobis. Omne opus seruile non facietis in eo. [26] Dies etiam primitiuorum quando offeretis nouas fruges domino expletis ebdomadibus: venerabilis et sancta erit. Omne opus seruile non facietis in ea. [27] Offeretisque olocaustum in odorem suauissimum domino· vitulos de armento duos· arietem vnum agnos anniculos immaculatos septem: [28] atque in sacrificijs eorum simile oleo consperse tres decimas per singulos vitulos· per arietes duas· [29] per agnos decimam decime qui simul sunt agni septem: hircum quoque [30] qui macta pro expiatione· preter olocaustum sempiternum et liba eius. [31] Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

29 Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis. Omne opus seruile non facietis in ea· quia dies clangoris est et tubarum. [2] Offeretisque olocaustum in odorem suauissimum domino· vitulum de armento vnum et arietem vnum· et agnos anniculos immaculatos septem: [3] et in sacrificijs eorum simile oleo consperse tres decimas per singulos vitulos· duas decimas per arietem [4] vnam decimam per agnum qui simul sunt agni septem: [5] et hircum pro peccato qui offertur in expiationem populi [6] preter olocaustum kalendarum cum sacrificijs suis· et olocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Hijsdem cerimonijs offeretis in odorem suauissimum incensum domino. [7] Decima quoque dies mensis huius septimi erit vobis sancta atque venerabilis: et affligetis animas vestras. Omne opus seruile non facietis in ea. [8] Offeretisque olocaustum domino in odorem suauissimum· vitulum de armento vnum· arietem vnum· agnos anniculos immaculatos septem: [9] et in sacrificijs eorum simile oleo consperse tres decimas per singulos vitulos· duas decimas per arietem· [10] decimam decime per agnos singulos qui sunt simul septem agni· [11] et hircum pro peccato: absque hijs que offerri pro delicto solent in expiationem et in olocaustum sempiternum in sacrificio et libaminibus eorum. [12] Quintadecima vero die mensis septimi que vobis sancta erit atque venerabilis: omne opus seruile non facietis in ea: sed celebrabitis solemnitatem domino septem diebus. [13] Offeretisque olocaustum in odorem suauissimum domino vitulos de armento tredecim arietes duos· agnos anniculos immaculatos quatuordecim: [14] et in libamentis eorum· simile oleo consperse· tres decimas per vitulos singulos qui sunt simul vituli tredecim· et duas decimas arieti vno· id est simul arietibus duobus [15] et decimam decime agnis singulis qui sunt simul agni quatuordecim: [16] et hircum pro peccato absque olocausto sempiterno· et sacrificio et libamine eius. [17] In die altero offeres vitulos de armento duodecim· arietes duos· agnos anniculos immaculatos quatuordecim: [18] sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabis: [19] et hircum pro peccato absque olocausto sempiterno sacrificia que eius et libamine. [20] Die tercio offeres vitulos vndecim· arietes duos· agnos anniculos immaculatos quatuordecim: [21] sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabis: [22] et hircum pro peccato absque olocausto sempiterno· sacrificioque et libamine eius. [23] Die quarto offeres vitulos decem· arietes duos agnos anniculos immaculatos quatuordecim: [24] sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabis: [25] et hircum pro peccato absque olocausto sempiterno sacrificioque eius et libamine. [26] Die quinto offeres vitulos nouem· arietes duos· agnos anniculos immaculatos quatuordecim: [27] sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabis: [28] et hircum pro peccato absque olocausto sempiterno sacrificioque eius et libamine. [29] Die sexto offeres vitulos octo· arietes duos· agnos anniculos immaculatos quatuordecim: [30] sacrificia que et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabis: [31] et hircum pro peccato absque olocausto sempiterno sacrificioque eius et libamine. [32] Die septimo offeres vitulos septem et arietes duos agnos anniculos immaculatos quatuordecim: [33] sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabis: [34] et hircum pro peccato absque olocausto sempiterno sacrificio eius et libamine. [35] Die octauo qui est celeberrimus· omne opus seruile non facietis [36] offerentes olocaustum in odorem suauissimum domino vitulum vnum arietem vnum· agnos anniculos immaculatos septem: [37] sacrificiaque et libamina singulorum per vitulos et arietes et agnos rite celebrabis· [38] et hircum pro peccato absque olocausto sempiterno sacrificioque eius et libamine. [39] Hec offeretis domino in solemnitatibus vestris: preter vota et oblationes spontaneas in olocausto· in sacrificio in libamine et in hostijs pacificis.

30 Narrauitque moyses filijs israhel omnia que ei dominus imperarat: [2] et locutus est ad principes tribuum filiorum israhel. Iste est sermo quem precepit dominus. [3] Si quis virorum votum domino vouerit· aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum: sed omne quod promisit implebit. [4] Mulier si quippiam vouerit et se constrinxerit iuramento que est in domo patris sui· et in etate adhuc puellari: si cognouerit pater votum quod pollicita est· et iuramentum quo obligauit animam suam et tacuerit: voti rea erit. [5] Quicquid pollicita est et iurauit· opere complebit. [6] Sinautem statim vt audierit contradixerit pater: et vota et iuramenta eius irrita erunt: nec obnoxia tenebitur sponsioni eo quod contradixerit pater. [7] Si maritum habuerit et vouerit aliquid et semel de ore eius verbum egrediens· animam eius obligauerit iuramento: [8] quo die audierit vir et non contradixerit· voti rea erit: reddetque quodcunque promiserat. [9] Sinautem audiens statim contradixerit et irritas fecerit pollicitationes eius· verbaque quibus obstrinxerat animam suam:

propicius erit ei dominus. [10] Vidua et repudiata quicquid vouerint reddent. [11] Vxor in domo viri cum se voto constrinxerit et iuramento: [12] si audierit vir et tacuerit nec contradixerit sponsioni: reddet quodcunque promiserat. [13] Sinautem extimplo contradixerit: non tenebitur promissionis rea quia maritus contradixit: et dominus ei propicius erit. [14] Si vouerit et iuramento se constrinxerit vt per ieiunium vel ceterarum rerum abstinentiam affligat animam suam: in arbitrio viri erit si faciat siue non faciat. [15] Quod si audiens vir tacuerit et in alteram diem distulerit sententiam: quicquid vouerat atque promiserat reddet: quia statim vt audiuit tacuit. [16] Sinautem contradixerit postquam resciuit: portabit ipse iniquitatem eius. [17] Iste sunt leges quas constituit dominus moysi inter virum et vxorem: inter patrem et filiam que in puellari adhuc etate est: vel que manet in parentis domo.

31 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Vlciscere prius filios israhel de madianitis: et sic colligeris ad populum tuum. [3] Statimque moyses armate inquit ex vobis viros ad pugnam: qui possint vltionem domini expetere de madianitis. [4] Mille viri de singulis tribubus eligantur ex israhel: qui mittantur ad bellum. [5] Dederuntque millenos de singulis tribubus id est duodecim milia expeditorum ad pugnam: [6] quos misit moyses cum phinees filio eleazari sacerdotis: vasaque sancta et tubas ad clangendum tradidit ei. [7] Cumque pugnassent contra madianitas atque vicissent· omnes mares occiderunt [8] et reges eorum eui et recem· et sur· et vr· et rebe quinque principes gentis: balaam quoque filium beor interfecerunt gladio: [9] ceperuntque mulieres eorum et paruulos omniaque pecora et cunctam suppellectilem. Quicquid habere potuerant depopulati sunt: [10] tam vrbes quoque viculos· et castella flamma consumpsit. [11] Et tulerunt predam et vniuersa que ceperant tam ex hominibus quam ex iumentis: [12] et adduxerunt ad moysen eleazarum sacerdotem et ad omnem multitudinem filiorum israhel. Reliqua autem vtensilia portauerunt ad castra in campestribus moab: iuxta iordanen contra iherichо. [13] Egressi sunt autem moyses et eleazar sacerdos et omnes principes synagoge in occursum eorum extra castra. [14] Iratusque moyses principibus exercitus tribunis et centurionibus qui venerant de bello [15] ait. Cur feminas reseruastis? [16] Nonne iste sunt que deceperunt filios israhel ad suggestionem balaam· et preuaricari fecerunt vos in domino super peccato phogor vnde et percussus est populus? [17] Ergo cunctas interficite. Quicquid est generis masculini etiam in paruulis· et mulieres que nouerunt viros in coitu iugulate: [18] puellas autem et omnes feminas virgines reseruate vobis: [19] et manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem· vel occisum tetigerit: lustrabitur die tercio et septimo. [20] Et de omni preda siue vestimentum fuerit siue vas et aliquid in vtensilia preparatum de caprarum pellibus et pilis et ligno expiabitur. [21] Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus qui pugnauerant sic locutus est. Hoc est preceptum legis: quod mandauit deus moysi. [22] Aurum et argentum et es et ferrum et plumbum et stannum [23] et omne quod potest transire per flammas· igne purgabitur: quicquid autem ignem non potest sustinere· aqua expiationis sanctificabitur: [24] et lauabitis vestimenta vestra die septimo· et purificati postea castra intrabitis. [25] Dixit quoque dominus ad moysen. [26] Tollite summam eorum que capta sunt ab homine vsque ad pecus tu et eleazar sacerdos· et principes vulgi: [27] diuidesque ex equo predam inter eos qui pugnauerunt et egressi sunt ad bellum et inter omnem reliquam multitudinem: [28] et separabis partem domino ab hijs qui pugnauerunt et fuerunt in bello vnam animam de quingentis tam ex hominibus quam ex bobus et asinis et ouibus: [29] et dabis eam eleazaro sacerdoti: quia primitie domini sunt. [30] Ex media quoque parte filiorum israhel accipies quinquagesimum caput hominum et boum et asinorum et ouium cunctorumque animantium: et dabis ea leuitis qui excubant in custodijs tabernaculi domini. [31] Fecerunt que moyses et eleazar sicut preceperat dominus. [32] Fuit autem preda quam exercitus ceperat· ouium sexcenta septuaginta quinque milia: [33] boum septuaginta duo milia: [34] asinorum sexaginta milia et mille: [35] anime hominum sexus feminei que non cognouerant viros· trigintaduo milia. [36] Dataque est media pars hijs qui in prelio fuerant· ouium trecenta trigintaseptem milia quingente· [37] e quibus in partem domini supputate sunt oues sexcente septuagintaquinque: [38] et de bobus trigintasex milibus boues septuaginta et duo: [39] de asinis triginta milibus quingentis· asini sexagintaunus. [40] De animabus hominum sedecim milibus· cesserunt in partem domini triginta due anime. [41] Tradidit que moyses numerum primitiarum domini eleazaro sacerdoti sicuti fuerat ei imperatum [42] ex media parte filiorum israhel: quam separauerat hijs qui in prelio fuerant. [43] De media vero parte que contigerat relique multitudini id est de ouibus trecentis trigintaseptem milibus quingentis· [44] et de bobus trigintasex milibus· [45] et de asinis triginta milibus quingentis· [46] et de hominibus sedecim milibus· [47] tulit moyses quinquagesimum caput: et dedit leuitis qui excubabant in tabernaculo domini: sicut preceperat dominus. [48] Cunque accessissent principes exercitus ad moysen et tribuni centurionesque· dixerunt. [49] Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorum quos habuimus sub manu nostra: et ne vnus quidem defuit. [50] Obhanc causam offerimus in donarijs domini singuli quod in preda auri potuimus inuenire periscelides et armilV annulos et dextralia ac murenulas: vt depreceris pro nobis dominum. [51] Susceperuntque moyses et eleazar sacerdos omne aurum in diuersis speciebus [52] pondo sedecim milia septingentos quinquaginta siclos: a tribunis et centurionibus. [53] Vnusquisque enim quod in preda rapuerat suum erat. [54] Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonij: in monimentum filiorum israhel coram domino.

32 Filij autem ruben et gad habebant pecora multa: et erat illis in iumentis infinita substantia. Cunque vidissent iazer et galaad aptas animalibus alendis terras: [2] venerunt ad moysen et ad eleazarum sacerdotem· et principes multitudinis: atque dixerunt. [3] Astharoth et dibon et iazer et nemra esebon et eleale et saban et nebo et beon [4] terra quam percussit dominus in conspectu filiorum israhel· regionis vberrime est ad pastum animalium: et nos serui tui habemus iumenta plurima: [5] precamurque si inuenimus gratiam coram te· vt des nobis famulis tuis eam in possessionem nec facias nos transire iordanen [6] quibus respondit moyses. Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam: et vos hic sedebitis? [7] Cur subuertitis mentes filiorum israhel· ne transire audeant in locum quem eis daturus est dominus? [8] Nonne ita egerunt patres vestri· quando misi de cadesbarne ad explorandam terram? [9] Cunque venissent vsque ad vallem botri lustrata omni regione subuerterunt cor filiorum israhel vt non intrarent fines quos eis dominus dedit: [10] qui iratus iurauit dicens. [11] Si videbunt homines qui ascenderunt ex egipto a viginti annis et supra terram quam sub iuramento pollicitus sum abraham ysaac et iacob: et noluerunt sequi me [12] preter caleph filium iephone cenezeum et iosue filium nun. Isti impleuerunt voluntatem meam. [13] Iratusque dominus aduersum israhel circunduxit eum per desertum quadraginta annis: donec consumeretur vniuersa generatio que fecerat malum in conspectu eius. [14] Et ecce inquit vos surrexistis pro patribus vestris incrementa et alumni hominum peccatorum: vt augeretis furorem domini contra israhel. [15] Quod si nolueritis sequi eum in solitudine populum derelinquet: et vos causa eritis necis omnium. [16] At illi prope accedentes dixerunt. Caulas ouium fabricabimus et stabula iumentorum· paruulisque quoque nostris vrbes munitas: [17] nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prelium ante filios israhel: donec introducamus eos ad loca sua. Paruuli nostri et quicquid habere possumus erunt in vrbibus muratis propter habitatorum insidias. [18] Non reuertemur in domos nostras vsque dum possideant filij israhel hereditatem suam: [19] nec quicquam querimus trans iordanen· quia iam habemus possessionem nostram in orientali eius plaga. [20] Quibus moyses ait. Si facitis quod promittitis expediti pergite coram domino ad pugnam· [21] et omnis vir bellator armatus iordanen transeat· donec subuertat dominus inimicos suos· [22] et subiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud deum et apud israhel: et obtinebitis regiones quas vultis coram domino. [23] Sinautem quod dicitis non feceritis: nulli dubium est quin peccetis in deum: et scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. [24] Edificate ergo vrbes paruulis vestris et caulas et stabula ouibus ac iumentis: et quod polliciti estis implete. [25] Dixeruntque filij gad et ruben ad moysen. Serui tui sumus. Faciemus quod iubet dominus noster.

[26] Paruulos nostros et mulieres et pecora ac iumenta relinquemus in vrbibus galaad: [27] nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum sicut tu domine loqueris. [28] Precepit ergo moyses eleazaro sacerdoti et iosue filio nun et principibus familiarum tribus israhel: et dixit ad eos. [29] Si transierint filij gad et filij ruben vobiscum iordanen omnes armati ad bellum coram domino· et vobis fuerit terra subiecta: date eis galaad in possessionem. [30] tem noluerint transire vobiscum in terram chanaan: inter vos habitandi accipiant loca. [31] Responderuntque filij gad· et filij ruben. Sicut locutus est dominus seruis suis ita faciemus. [32] Ipsi armati pergemus coram domino in terram chanaan: et possessionem iam suscepisse nos confitemur trans iordanen. [33] Dedit itaque moyses filijs gad et ruben et dimidie tribui manasse filij ioseph regnum seon regis amorrei et regnum og regis basan: et terram eorum cum vrbibus suis per circuitum. [34] Igitur extruxerunt filij gad dibon et astharoth et aroer [35] et roth et sopham et iazer iectaa [36] et bethnemra et betharan vrbes munitas: et caulas pecoribus suis. [37] Filij vero ruben edificauerunt esebon et eleale et cariathaim [38] et nabo et baalmeon versis nominibus: sabama quoque: imponentes vocabula vrbibus quas extruxerant. [39] Porro filij machir filij manasse prexerunt in galaad: et vastauerunt eam interfecto amorreo habitatore eius. [40] Dedit ergo moyses terram galaad machir filio manasse: qui habitauit in ea. [41] Iair autem filius manasse· abijt et occupauit vicos eius: quos appellauit auothiair id est villas iair. [42] Nobe quoque perrexit et apprehendit canath cum viculis suis: vocauitque eam ex nomine suo nobe.

33 Hec Hec mansiones filiorum israhel qui egressi sunt de egipto per turmas suas in manu moysi et aaron: [2] quas descripsit moyses iuxta castrorum loca que domini iussione mutabant. [3] Profecti igitur de ramesse mense primo quintadecima die mensis primi: fecerunt altera die phase filij israhel in manu excelsa videntibus cunctis egiptijs: [4] et sepelientibus primogenitos quos percusserat dominus. Nam et in dijs eorum exercuerat vltionem. [5] Castrametati sunt in soccoth: [6] de soccoth venerunt in etham que est in extremis finibus solitudinis. [7] Inde egressi venerunt contra phiairoth que respicit beelsephon: et castrametati sunt ante magdalum. [8] Profectique de phiairoth transierunt per medium mare in solitudinem: et ambulantes tribus diebus per desertum etham castrametati sunt in mara. [9] Profectique de mara venerunt in helim vbi erant duodecim fontes aquarum et palme septuaginta: ibique castrametati sunt. [10] Sed et inde egressi: fixerunt tentoria super mare rubrum. Profectique de mari rubro [11] castrametati sunt in deserto synai: [12] vnde egressi venerunt in deptha. [13] Profectique de depcha castrametati sunt in halus [14] egressique de halus· raphidim fixere tentoria· vbi defuit aqua ad bibendum. [15] Profectique de raphidim: castrametati sunt in deserto synai. [16] Sed et de solitudine synai egressi· venerunt ad sepulcra concupiscentie: [17] profectique de sepulcris concupiscentie castrametati sunt in asseroth: [18] et de asseroth venerunt in rethma. [19] Profectique de rethma castrametati sunt in remonphares: [20] vnde egressi venerunt in lebna. [21] De lebna castrametati sunt in ressa: [22] egressique de ressa venerunt in ceelatha. [23] Vnde profecti castrametati sunt in monte sepher: [24] egressi de monte sepher venerunt in arada. [25] Inde proficiscentes castrametati sunt in maceloth: [26] profectique de maceloth: venerunt in taath. [27] De taath castrametati sunt in thare: [28] vnde egressi fixere tentoria in metcha [29] et de metcha castrametati sunt in esmona: [30] profectique de esmona venerunt in moseroth. [31] Et de moseroth castrametati sunt in baneiachan: [32] profectique de baneiachan venerunt in montem gadgad. [33] Vnde profecti castrametati sunt in iethebatha: [34] et de iethebatha venerunt in ebrona. [35] Egressique de ebrona castrametati sunt in asiongaber: [36] inde profecti venerunt in desertum syn. Hec est cades. [37] Egressi de cades castrametati sunt in monte or: in extremis finibus terre edom. [38] Ascenditque aaron sacerdos in montem or iubente domino: et ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum israhel ex egipto mense quinto primo die mensis lis [39] cum esset annorum centumuigintitrium. [40] Audiuitque chananeus rex arad· qui habitabat ad meridiem: in terram chanaan venisse filios israhel. [41] Et profecti de monte or castrametati sunt in salmona: [42] vnde egressi venerunt in phinon. [43] Profectique de phinon castrametati sunt in oboth: [44] et de oboth venerunt in ieabarim que enim finibus moabitarum. [45] Profectique de ieabarim fixere tentoria in dibongad: [46] vnde egressi castrametati sunt in elmon deblathaim. [47] Egressique de elmon deblathaim venerunt ad montes abarim contra nabo: [48] profectique de montibus abarim transierunt ad campestria moab super iordanen contra iherichо. [49] Ibique metati sunt de bethsimon vsque ad belsathim in planioribus locis moabitarum: [50] vbi locutus est dominus ad moysen. [51] Precipe filijs israhel: et dic ad eos. Quando transieritis iordanen intrantes terram chanaan· [52] disperdite cunctos habitatores terre illius: confringite vitulos et statuas comminuite atque omnia excelsa vastate: [53] mundantes terram et habitantes in ea. Ego enim dedi vobis illam in possessionem: [54] quam diuidetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem: et paucioribus angustiorem. Singulis vt sors ceciderit: ita tribuetur hereditas. Per tribus et familias possessio diuidetur. [55] Sinautem nolueritis interficere habitatores terre: qui remanserint· erunt vobis quasi claui in oculis et lancee in lateribus et aduersabuntur vobis in terram habitationis vestre: [56] et quicquid illis cogitaueram facere vobis faciam.

34 Locutusque est dominus ad moysen dicens. [2] Precipe filijs israhel: et dices ad eos. Cum ingressi fueritis terram chanaan· et in possessionem vobis sorte ceciderit: hijs finibus terminabitur. [3] Pars meridiana incipiet a solitudine syn que est iuxta edom: et habebit terminos contra orientem mare salsissimum: [4] qui circuibunt australem plagam per ascensum scorpionis· ita nt transeant in senna et perueniant ad meridiem vsque ad cadesbarne: vnde egredientur confinia ad villam nomine adar et tendent vsque asemona. [5] Ibitque per gyrum terminus ab asemona vsque ad torrentem egipti: et magni maris litore finietur. [6] Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet: et ipso fine claudetur. [7] Porro ad septentrionalem plagam a mari magno termini incipient peruenientes vsque ad montem altissimum: [8] a quo vement in emath vsque ad terminos sedada: [9] ibuntque confinia vsque ad ebrona et villam henan. Hij erunt termini in parte aquilonis. [10] Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa henan vsque sephama: [11] et de sephama descendent termini in reblatha contra fontem daphnim. Inde peruenient contra orientem ad mare cenereth [12] et tendent vsque iordanen: et ad vltimum salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu. [13] Precepitque moyses filijs israhel dicens. Hec erit terra quam possidebitis sorte: et quam iussit dominus dari nouem tribubus et dimidie tribui. [14] Tribus enim filiorum ruben per familias suas et tribus filiorum gad iuxta cognationum numerum· media quoque tribus manasse [15] id est due semis tribus acceperunt partem suam trans iordanen contra iherichо ad orientalem plagam. [16] Et ait dominus ad moysen. [17] Hec sunt nomina virorum qui terram diuident vobis. Eleazar sacerdos et iosue filius nun: [18] et singuli principes de tribubus singulis [19] quorum ista sunt vocabula. De tribu iuda: caleph filius iephone. [20] De tribu symeon: samuhel filius amiud. [21] De tribu beniamin: helidad· filius chaselon. [22] De tribu filiorum dan: bocci filius iogli. [23] Filiorum ioseph de tribu manasse: hannihel filius ephot. [24] De tribu ephraim: camuhel filius septhan. [25] De tribu zabulon: helisaphan filius pharnath. [26] De tribu ysachar: dux phaltihel filius ozan. [27] De tribu aser: abiud filius salomi. [28] De tribu neptalim: phedahel· filius amiud. [29] Hij sunt quibus preceperat dominus vt diuiderent filijs israhel terram chanaan.

35 Hec quoque locutus est dominus ad moysen in campestribus moab supra iordanen contra iherichо. [2] Precipe filijs israhel vt dent leuitis de possessionibus suis [3] vrbes ad habitandum et suburbana earum per circuitum: vt ipsi in oppidis maneant· et suburbana sint pecoribus ac iumentis: [4] que a muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille passuum spacio tendentur. [5] Contra orientem· duo milia erunt cubiti: et contra meridiem similiter erunt duo milia. Ad mare quoque quod respicit occidentem· eadem mensura erit: et septentrionalis plaga equali termino finietur. Erunt vrbes in medio: et foris suburbana. [6] De ipsis autem oppidis que leuitis dabitis· sex erunt in fugitiuorum auxilia separata· vt fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: et exceptis hijs alia quadraginta duo oppida: [7] id est simul quadragintaocto cum

suburbanis suis. [8] Ipseque vrbes que dabuntur de possessionibus filiorum israhel· ab hijs qui plus habent plures auferentur: et qui minus pauciores. Singuli iuxta mensuram hereditatis sue dabunt oppida leuitis. [9] Ait dominus ad moysen. [10] Loquere filijs israhel: et dices ad eos. Quando transgressi fueritis iordanen in terram chanaan· [11] decernite que vrbes esse debeant in presidia fugitiuorum· qui nolentes sanguinem fuderint: [12] in quibus cum fuerit profugus· cognatus occisi eum occidere non poterit: donec stet in conspectu multitudinis· et causa illius iudicetur. [13] De ipsis autem vrbibus que ad fugitiuorum subsidia separantur [14] tres erunt trans iordanen et tres in terra chanaan· [15] tam filijs israhel quam aduenis atque peregrinis: vt confugiat ad eas· qui nolens sanguinem fuderit. [16] Si quis ferro percusserit et mortuus fuerit qui percussus est· reus erit homicidij: et ipse morietur. [17] Si lapidem iecerit et ictus occubuerit: similiter punietur. [18] Si ligno percussus interierit: percussoris sanguine vindicabitur. [19] Propinquus occisi homicidam interficiet: statim vt apprehenderit eum percutiet. [20] Si per odium quis hominem impulerit vel iecerit quippiam in eum per insidias: [21] aut cum esset inimicus manu percusserit et ille mortuus fuerit: percussor homicidij reus erit. Cognatus occisi statim vt inuenerit eum iugulabit. [22] Quod si fortuitu et absque odio [23] et inimicicijs quicquam horum fecerit· [24] et hoc audiente populo fuerit comprobatum· atque inter percussorem et propinquum sanguinis questio ventilata: [25] liberabitur innocens de vltoris manu· et reducetur per sententiam in vrbem ad quam confugerat: manebit ibi donec sacerdos magnus qui oleo sancto vnctus est moriatur. [26] Si interfector extra fines vrbium que exulibus deputate sunt [27] fuerit inuentus et percussus ab eo qui vltor est sanguinis: absque noxa erit qui eum occiderit. [28] Debuerat enim profugus vsque ad mortem pontificis in vrbe residere. Postquam autem ille obierit: homicida reuertetur in terram suam. [29] Hec sempiterna erunt et legitima· in cunctis habitationibus vestris. [30] Homicida sub testibus punietur. Ad vnius testimonium nullus condemnabitur. [31] Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis: statim et ipse morietur. [32] Exules et profugi ante mortem pontificis nullomodo in vrbes suas reuerti poterunt [33] ne polluatis terram habitationis vestre que insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest nisi per eius sanguinem· qui alterius sanguinem fuderit: [34] ita emundabitur vestra possessio me commorante vobiscum. Ego enim sum dominus: qui habito inter filios israhel.

36 Accesserunt autem et principes familiarum galaad filij machir filij manasse de stirpe filiorum ioseph: locuti sunt moysi coram principibus israhel atque dixerunt. [2] Tibi domino nostro precepit dominus vt terram sorte diuideres filijs israhel: et vt filiabus salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri: [3] quas si alterius tribus homines vxores acceperint sequetur possessio sua et translata ad alium tribum de nostra hereditate minuetur: [4] atque ita fiet vt cum iubileus id est quinquagesimus annus remissionis aduenerit confundatur sortium distributio et aliorum possessio ad alios transeat. [5] Respondit moyses filijs israhel: et domino precipiente ait. Recte tribus filiorum ioseph locuta est: [6] et hec lex super filiabus salphaad a domino promulgata est. Nubant quibus volunt tantum vt sue tribus hominibus: [7] ne commisceatur possessio filiorum israhel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent vxores de tribu et cognatione sua· [8] et cuncte femine de eadem tribu maritos accipient: vt hereditas permaneat in familijs [9] nec sibi misceantur tribus: sed ita maneant [10] vt a domino separate sunt. Feceruntque filie salphaad vt sibi fuerat imperatum· [11] et nupserunt malaa et thersa et egla et melcha et noa filijs patrui sui [12] de familia manasse qui fuit filius ioseph: et possessio que illis fuerat attributa mansit in tribu et familia patris earum. [13] Hec sunt mandata atque iudicia que mandauit dominus per manum moysi ad filios israhel in campestribus moab supra iordanen contra iericho.

Deuteronomium

Incipit helleaddaberim qui deuteronomium prenotatur.

1 Hec sunt verba tus est moyses ad oest moyses o ad que mnem israhel trans iordanen in solitudi campestri· contra mare rubrum: inter pharan et thophel et laban et aseroth. Vbi auri est plurimum· [2] vndecim diebus de oreb: per viam montis seir vsque cadesbarne. [3] Quadragesimo anno vndecimo mense prima die mensis locutus est moyses ad filios israhel omnia que preceperat illi dominus· vt diceret eis: [4] postquam percussit seon regem amorreorum· qui habitauit in esebon: et og regem basan qui mansit in aseroth et in edrai [5] trans iordanen in terra moab. Cepitque moyses explanare legem et dicere. [6] Dominus deus noster locutus est ad nos in oreb dicens. Sufficit vobis quod in hoc mon te mansistis. [7] Reuertimini et venite ad montem amorreorum et ad cetera que ei proxima sunt campestria atque montana et humiliora loca contra meridiem et iuxta litus maris: terram chananeorum et libani vsque ad flumen magnum eufraten. [8] Et En inquit tradidi vobis. Ingredimini et possidete eam: super qua iurauit dominus patribus vestris abraham ysaac et iacob: vt daret illam eis et semini eorum post eos. [9] Dixique vobis illo in tempore. [10] Non possum solus sustinere vos quia dominus deus noster multiplicauit vos: et estis hodie sicut stelle celi plurimi. [11] Dominus deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa milia: et benedicat vobis sicut locutus est. [12] Non valeo solus negocia vestra sustinere et pondus et iurgia. [13] Date ex vobis viros sapientes et gnaros quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris: vt ponam eos vobis principes. [14] Tunc respondistis michi. Bona res est quam vis facere. [15] Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles et constitui eos principes tribunos et centuriones et quinquagenarios ac decanos qui docerent vos singula: [16] precepique eis dicens. Audite illos: et quod iustum est iudicate. Siue ciuis sit ille siue peregrinus: [17] nulla erit distantia personarum. Ita paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam: quia dei iudicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit referte ad me: et ego audiam. [18] Precepique omnia que facere deberetis. [19] Profectique de oreb transiuimus per heremum terribilem et maximam solitudinem quam vidistis per viam montis amorrei: sicut preceperat dominus deus noster nobis. Cumque venissemus in cadesbarne [20] dixi vobis. Venistis ad montem amorrei: quem dominus deus noster daturus est vobis. [21] Vide terram quam dominus deus tuus dabit tibi. Ascende et posside eam: sicut locutus est dominus deus noster patribus tuis. Noli timere: nec quicquam paueas. [22] Et accessistis ad me omnes atque dixistis· Mittamus viros qui considerent terram: et renuncient per quod iter debeamus ascendere: et ad quas pergere ciuitates. [23] Cumque michi sermo placuisset: misi ex vobis duodecim viros singulos de tribubus suis. [24] Qui cum perrexissent et ascendissent in montana· venerunt vsque ad vallem botrilet considerata terra· [25] sumentes de fructibus eius vt ostenderent vbertatem attulerunt ad nos: atque dixerunt. Bona est terra quam dominus deus noster daturus est nobis. [26] Et noluistis ascendere: sed increduli ad sermonem dei nostri [27] murmurastis in tabernaculis vestris: atque dixistis. Odit nos dominus: et idcirco eduxit nos de terra egipti vt traderet nos in manu amorrei atque deleret. [28] Quo ascendemus? Nuncij terruerunt cor nostrum dicentes. Maxima multitudo est: et nobis statura procerior. Vrbes magne et ad celum vsque munite. Filios enachim vidimus ibi. [29] Et dixi vobis nolite metuere: nec timeatis eos. [30] Dominus deus qui ductor est noster· pro vobis ipse pugnabit: sicut fecit in egipto cunctis videntibus: [31] et in solitudine ipsi vidistis. Portauit te dominus deus tuus vt solet homo gestare paruulum filium suum in omni

via per quam ambulasti: donec veniretis ad locum istum. 32 Et nec sic quidem credidistis domino deo vestro 33 qui precessit vos in via et metatus est locum in quo tentoria figere deberetis: nocte ostendens vobis iter per ignem: et die per columnam nubis. 34 Cumque audisset dominus vocem sermonum vestrorum: iratus iurauit et ait. 35 Non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessime terram bonam quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris: 36 preter caleph filium iephone. Ipse enim videbit eam: et ipsi dabo terram quam calcauit et filijs eam: quia secutus est dominum. 37 Nec miranda indignatio in populum: cum michi quoque iratus deus propter vos dixerit. Nec tu ingredieris illuc: 38 sed iosue filius nun minister tuus ipse intrabit pro te. Hunc exhortare et robora: et ipse sorte terram diuidet israheli. 39 Paruuli vestri de quibus dixistis quod captiui ducerentur et filij qui hodie boni ac mali ignorant distantiam ipsi ingredientur: et ipsis dabo terram et possidebunt eam: 40 vos autem reuertimim et abite in solitudinem per viam maris rubri. 41 Et respondistis michi. Peccauimus domino. Ascendemus et pugnabimus: sicut precepit dominus deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem: 42 ait michi dominus. Dic ad eos. Nolite ascendere neque pugnetis. Non enim sum vobiscum: ne cadatis coram inimicis vestris. 43 Locutus sum et non audistis: sed aduersantes imperio domini et tumentes superbia ascendistis in montem. 44 Itaque egressus amorreus qui habitabat in montibus et obuiam veniens persecutus est vos sicut solent apes persequi: et reci de seir vsque horma. 45 Cunque reuersi ploraretis coram domino non audiuit vos: nec voci vestre voluit acquiescere. 46 Sedistis ergo in cadesbarne multo tempore.

2 Profectique inde venimus in solitudinem que ducit ad mare rubrum sicut michi dixerat dominus: et circuiuimus montem seir longo tempore. 2 Dixitque dominus ad me. 3 Sufficit vobis circuire montem istum: ite contra aquilonem: 4 et populo precipe dicens. Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum esau qui habitant in seir: et timebunt vos. 5 Videte ergo diligenter ne moueamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest vnius pedis calcare vestigium: quia in possessionem esau dedi montem seir. 6 Cibos emetis ab eis pecunia· et comedetis: aquam emptam haurietis et bibetis. 7 Dominus deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum. Nouit iter tuum: quomodo transieris solitudinem hanc magnam per quadraginta annos· habitans tecum dominus deus tuus: et nichil tibi defuit. 8 Cumque transissemus fratres nostros filios esau qui habitabant in seir per viam campestrem de helath et de asiongaber: venimus ad iter quod ducit in desertum moab. 9 Dixitque dominus ad me. Non pugnes contra moabitas: nec ineas aduersus eos prelium. Non enim dabo tibi quicque de terra eorum: quia filijs loth tradidi ar in possessionem. 10 Emim primi fuerunt habitatores eius: populus magnus et validus et tam excelsus vt de enachim stirpe 11 quasi gigantes crederentur: et essent similes filiorum enachim. Denique moabite appellant eos emim. 12 In seir autem prius habitauerunt horim: quibus expulsis atque deletis habitauerunt filij esau sicut fecit israhel in terra possessionis sue quam dedit illi dominus. 13 Surgentes ergo vt transiremus torrentem careth: venimus ad eum. 14 Tempus autem quo ambulauimus de cadesbarne vsque ad transitum zareth triginta et octo annorum fuit: donec consumeretur omnis congregatio hominum bellatorum de castris sicut iurauerat dominus: 15 cuius manus fuit aduersus eos vt interirent de castrorum medio. 16 Postquam autem vniuersi eciderunt pugnatores: 17 locutus est dominus ad me dicens. 18 transibis hodie terminos moab vrbem nomine ar: 19 et accedes in vicinia filiorum ammon. Caue ne pugnes contra eos: nec mouearis ad prelium. Non enim dabo tibi de terra filiorum ammon: quia filijs loth dedi eam in possessionem. 20 Terra gigantum reputata est: et in ipsa olim habitauerunt gigantes· quos ammonite vocant zozomim 21 populus magnus et multus et procerre longitudinis sicut enachim quos deleuit dominus a facie eorum· et fecit illos habitare proris: 22 sicut fecerat filijs esau qui habitant in seir delens horreos· et terram eorum illis tradens: quam possident vsque in presens. 23 Eueos quoque qui habitabant in aserim vsque gazam capadoces expulerunt eos: qui egressi de capadocia deleuerunt eos: et habitauerunt pro illis. 24 Surgite et transite torrentem arnon. Ecce tradidi in manu tua seon regem esebon amorreum et terram eius: incipe possidere: et committe aduersus eum prelium. 25 Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant sub omni celo: vt audito nomine tuo paueant· et in morem parturientium contremiscant: et dolore teneantur. 26 Misi ergo nuncios de solitudine cademoth ad seon regem esebon verbis pacificis dicens. 27 Transibimus per terram tuam: publica gradiemur via. Non declinabimus neque ad dextram neque ad sinistram: 28 alimenta precio vende nobis vt vescamur: aquam pecunia tribue et sic bibemus. Tantum est vt nobis concedas transitum: 29 sicut fecerunt filij esau qui habitant in seir· et moabite qui habitant in ar· donec veniamus ad iordanen: et transeamus ad terram quam dominus deus noster daturus est nobis. 30 Noluitque seon rex esebon dare nobis transitum quia indurauerat dominus deus tuus spiritum eius: et obfirmauerat cor illius vt ita traderetur in manus tuas: sicut nunc vides. 31 Dixitque dominus ad me. Ecce cepi tibi tradere seon· et terram eius: incipe possidere eam. 32 Egressusque est seon obuiam nobis cum omni populo suo ad prelium in iassa: 33 et tradidit eum dominus deus noster nobis: percussimusque eum cum filijs suis et omni populo suo: 34 cunctasque vrbes in tempore illo cepimus interfectis habitatoribus earum viris ac mulieribus et paruulis. Non reliquimus in eis quicque 35 absque iumentis que in partem venere predantium: et spolijs vrbium quas cepimus 36 ab aroer que est super ripam torrentis arnon oppido· quod in valle situm est vsque galaad. Non fuit vicus et ciuitas que nostras effugeret manus. Omnes tradidit dominus deus noster nobis: 37 absque terra filiorum ammon ad quam non accessimus et cunctis que adiacent torrenti ieboc: et vrbibus montanis vniuersisque locis a quibus nos prohibuit dominus deus noster.

3 Itaque conuersi ascendimus per iter basan. Egressusque est og rex basan in occursum nobis in populo suo ad bellandum in edrai: 2 dixitque dominus ad me. Ne timeas eum: quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua· facies ei sicut fecisti seon regi amorreorum· qui habitauit in esebon. 3 Tradidit ergo dominus deus noster in manibus nostris etiam og regem basan et vniuersum populum eius: percussimusque eos vsque ad internetionem: 4 vastantes cunctas ciuitates illius vno tempore. Non fuit oppidum quod nos effugeret. Sexaginta vrbes: omnem regionem argob regni og in basan. 5 Cuncte vrbes erant munite muris altissimis portisque et vectibus: absque oppidis innumeris que non habebant muros. 6 Et deleuimus eos sicut feceramus seon regi esebon disperdentes omnem ciuitatem virosque ac mulieres et paruulos: 7 iumenta autem et spolia vrbium diripuimus. 8 Tulimus que illo in tempore terram de manu duorum regum amorreorum qui erant trans iordanen a torrente arnon vsque ad montem hermon 9 quem sydonij sarion vocant et amorrei sanir: 10 omnes ciuitates que site sunt in planicie· et vniuersam terram galaad et basan vsque ad selcha· et edrai ciuitates regni og in basan. 11 Solus quippe og rex basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus qui est in rabath filiorum ammon: nouem cubitos habens longitudinis: et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus. 12 Terramque possedimus tempore illo ab aroer que est super ripam torrentis arnon: vsque ad mediam partem montis galaad. Et ciuitates illius dedi ruben et gad: 13 reliquam autem partem galaad et omnem basan regni og tradidi medie tribui manasse omnem regionem argob. Cuncta basan vocatur terra gigantum. 14 Iair filius manasse possedit omnem regionem argob vsque ad terminos gessuri et machati. Vocauitque ex nomine suo basan auothiair id est villas iair: vsque in presentem diem. 15 Machir quoque dedi galaad: 16 et tribubus ruben et gad dedi de terra galaad vsque ad torrentem arnon medium torrentis et finium vsque ad torrentem ieboc qui est terminus filiorum ammon: 17 et planiciem solitudinis atque iordanen et terminos cenereth vsque ad mare deserti quod est salsissimum ad radices montis phasga contra orientem. 18 Precepique vobis in tempore illo dicens. Dominus deus vester dat vobis terram hanc in hereditatem: expediti precedite fratres vestros filios israhel omnes viri robusti 19 absque vxoribus et paruulis atque iumentis. Non enim quod plura habeatis pecora et in vrbibus remanere debebunt quas tradidi vobis: 20 donec requiem tribuat dominus fratribus vestris sicut vobis tribuit· et possideaut etiam ipsi

terram· quam daturus est eis trans iordanen: tunc reuertetur vnusquisque in possessionem suam quam dedi vobis. 21 Iosue quoque in tempore illo precepi dicens. Oculi tui viderunt que fecit dominus deus noster duobus hijs regibus: sic faciet omnibus regnis ad que transiturus es. 22 Ne timeas eos. Dominus enim deus vester pugnabit pro vobis. 23 Precatus que sum dominum in tempore illo dicens. 24 Domine deus tu cepisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam manumque fortissimam. Neque enim est alius deus vel in celo vel in terra qui possit facere opera tua: et comparari fortitudini tue. 25 Transibo igitur et videbo terram hanc optimam trans iordanen: et montem istum egregium et libanum. 26 Iratusque est dominus michi propter vos nec exaudiuit me. Sed dixit michi. Sufficit tibi: nequaquam vltra loquaris de hac re ad me. 27 Ascende cacumen phasge: et oculos tuos circumfer ad occidentem et ad aquilonem austrum que et orientem et aspice. Nec enim transibis iordanen istum. 28 Precipe iosue et corrobora eum atque conforta: quia ipse precedet populum istum: et diuidet eis terram quam visurus es. 29 Mansimusque in valle contra phanum phogor.

4 Et t Et nunc israhel audi precepta et iudicia iudicia que ego doceo te vt faciens ea viuas: et ingrediens possideas terram quam dominus deus patrum vestrorum daturus est vobis. 2 Non addetis ad verbum quod vobis loquor: nec auferetis ex eo. Custodite mandata domini dei vestri que ego precipio vobis. 3 Oculi vestri viderunt omnia que fecit dominus contra beelphegor: quomodo contriuerit omnes cultores eius de medio vestri. 4 Vos autem qui adheretis domino deo vestro viuitis vniuersi: vsque in presentem diem. 5 Scitis quod docuerim vos precepta atque iusticias sicut mandauit michi dominus deus meus: sic facietis ea in terra quam possessuri estis: 6 et obseruabitis et implebitis opere. Hec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis: vt audientes vniuersi precepta hec dicant. En populus sapiens et intelligens gens magna. 7 Nec est alia natio tam grandis que habeat deos appropinquantes sibi: sicut deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. 8 Que est enim alia gens sic inclita vt habeat cerimonias iustaque iudicia: et vniuersam legem quam ego proponam hodie ante oculos vestros? 9 Custodi igitur temetipsum et animam tuam sollicite. Ne obliuiscaris verborum que viderunt oculi tui: et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vite tue. Docebis ea filios ac nepotes tuos: 10 diem in quo stetisti coram domino deo tuo in oreb: quando dominus locutus est michi dicens. Congrega ad me populum vt audiant sermones meos: et discant timere me omni tempore quo viuunt in terra: doceantque filios suos. 11 Et accessistis ad radices montis qui ardebat vsque ad celum: erantque in eo tenebre et nubes et caligo. 12 Locutusque est dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis: et formam penitus non vidistis. 13 Et ostendit nobis pactum suum quod precepit vt faceretis: et decem verba que scripsit in duabus tabulis lapideis. 14 Michique mandauit in illo tempore vt docerem vos cerimonias et iudicia: que facere deberetis in terra quam possessuri estis. 15 Custodite igitur sollicite animas vras. Non vidistis aliquam similitudinem· in die qua locutus est vobis dominus in oreb de medio ignis: 16 ne forte decepti facians vobis sculptam similitudinem aut ymaginem masculi vel femine: 17 similitudinem omnium iumentorum que sunt super terram vel auium sub celo volantium· 18 atque reptilium que mouentur in terra: siue piscium qui sub terra morantur in aquis: 19 ne forte oculis eleuatis ad celum videas solem et lunam et omnia astra celi: et errore deceptus adores ea et colas: que creauit dominus deus tuus in ministerium cunctis gentibus que sub celo sunt. 20 Vos autem tulit dominus et eduxit de fornace ferrea egipti: vt haberet populum hereditarium sicut est in presenti die. 21 Iratusque est dominus contra me propter sermones vestros et iurauit. vt non transirem iordanen: nec ingrederet terram optimam quam daturus est vobis. 22 Ecce morior in hac humo: non transibo iordanen vos transibitis et possidebitis terram egregiam. 23 Caue nequando obliuiscaris pacti domini dei tui· quod pepigit tecum: et facias tibi sculptam similitudinem eorum que fieri dominus prohibuit. 24 Quia dominus deus tuus ignis consumens est: deus emulator. 25 Si genueritis filios ac nepotes· et morati fueritis in terra· deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem patrantes malum coram domino deo vestro· vt eum ad irarundiam prouocetis: 26 testes inuoco hodie celum et terram· cito perituros vos esse de terra: quam transito iordane possessuri estis. Non habitabitis in ea longo tempore: sed delebit vos dominus 27 atque disperget in omnes gentes: et remanebitis pauci in nationibus ad quas vos ducturus est dominus. 28 Ibique seruietis dijs qui hominum manu fabricati sunt· ligno et lapidi qui non vident· nec audiunt non comedunt non odorant. 29 Cumque quesieris ibi dominum deum tuum inuenies eum: si tamen toto corde quesieris· et tota tribulatione anime tue 30 postquam te inuenerint omnia que predicta sunt. Nouissimo autem tempore reuerteris ad Dominum deum tuum et audies vocem eius: 31 quia deus misericors dominus deus tuus est. Non dimittet te nec omnino delebit: neque obliuiscetur pacti in quo iurauit patribus tuis. 32 Interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante te· ex die quo creauit deus hominem super terram a summo celi vsque ad summum eius: si facta est aliquando huiuscemodi res· aut vnquam cognitum est 33 vt audiret populus vocem domini loquentis de medio ignis· sicut tu audisti et vixisti: 34 si fecit deus vt ingrederetur et tolleret sibi gentem de medio nationum per temptationes signa atque portenta per pugnam et robustam manum extentumque brachium et horribiles visiones: iuxta omnia que fecit pro nobis dominus deus noster in egipto videntibus oculis tuis: 35 vt scires quoniam dominus ipse est deus: et non est alius preter vnum. 36 De celo te fecit audire vocem suam vt doceret te: et in terra ostendit tibi ignem suum medio ignis 37 quia dilexit patres tuos et elegit semen eorum post eos. Eduxitque te precedens in virtute sua magna ex ete precedens in virtute sua magna ex egipto 38 vt deleret nationes maximas et fortiores te in introitu tuo: et introduceret te daretque tibi terram earum In possessionem: sicut cernis presenti die. 39 Scito ergo hodie et cogitato in corde tuo quod dominus ipse est deus in celo sursum· et in terra deorsum: et non sit alius. Custodi precepta eius atque mandata que mandata atque eius precepta et in terra deorsum: et non sit alius. 40 Custodi precepta eius atque mandata que ego precipio tibi vt bene sit tibi· et filijs tuis post te: et permaneas multo tempore super terram quam dominus deus tuus daturus est tibi. 41 Tunc separauit moyses tres ciuitates trans iordanen ad orientalem plagam 42 vt confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum nec fuerit sibi inimicus ante vnum et alterum diem et ad harum aliquam vrbium possit euadere: 43 bosor in solitudine que sita est in terra campestri de tribu ruben: et ramoth in galaad que est in tribu gad: et golam in basan que est in tribu manasse. 44 Ista est lex quam proposuit moyses coram filijs israhel: 45 et hec testimonia et cerimonie atque iudicia que locutus est ad filios israhel· quando egressi sunt de egipto 46 trans iordanen in valle circa phanum phogor in terra seon regis amorrei qui habitauit in esebon quem percussit moyses. Filij quoque israhel egressi ex egipto 47 possederunt terram eius et terram og regis basan duorum regum amorreorum qui erant trans iordanen ad solis ortum 48 ab aroer que sita est super ripam torrentis arnon vsque ad montem sanir qui est et hermon 49 omnem planiciem trans iordanen ad orientalem plagam vsque ad mare solitudinis et vsque ad radices montis phasga.

5 Vocauitque moyses omnem israhelem: et dixit ad eum. Audi israhel cerimonias atque iudicia: que ego loquor in auribus vestris hodie. Discite ea: et opere complete. 2 Dominus deus noster pepigit nobiscum fedus in oreb. 3 Non cum patribus nostris inijt pactum sed nobiscum: qui in presentiarum sumus et viuimus. 4 Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. 5 Ego sequester et medius fui inter dominum et vos in tempore illo: vt annunciarem vobis verba eius. Timuistis enim ignem: et non ascendistis in montem. Et ait. 6 Ego dominus deus tuus: qui eduxi te de terra egipti de domo seruitutis. 7 Non habebis deos alienos in conspectu meo. 8 Non facies tibi sculptile nec similitudinem omnium que in celo sunt desuper et que in terra deorsum: et que versantur in aquis sub terra. 9 Non adorabis ea: et non coles. Ego enim sum dominus deus tuus· deus emulator reddens iniquitatem patrum super filios in terciam et quartam generationem hijs qui oderunt me: 10 et faciens misericordiam in multa milia diligentibus me et custodientibus precepta mea. 11 Non vsurpabis nomen domini dei tui frustra: quia non erit

impunitus qui super re vana nomen eius assumpserit. [12] Obserua diem sabbati vt sanctifices eum: sicut precepit tibi dominus deus tuus. [13] Sex diebus operaberis: et facies omnia opera tua. [14] Septimus dies sabbati est: id est requies domini dei tui. Non facies in eo quicquam operis tu et filius tuus et filia seruus et ancilla: bos et asinus et omne iumentum tuum et peregrinus qui est intra portas tuas: vt requiescat seruus et ancilla tua sicut et tu. [15] Memento quod et ipse seruieris in egipto: et eduxerit te inde dominus deus tuus in manu forti et brachio extento. Idcirco precepit tibi vt obseruares diem sabbati. [16] Honora patrem tuum et matrem sicut precepit tibi dominus deus tuus: vt longo viuas tempore: et bene sit tibi in terra quam dominus deus tuus daturus est tibi. [17] Non occides· [18] neque mechaberis: [19] furtumque non facies: [20] nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. [21] Non concupisces vxorem proximi tui: non domum agrum· non seruum· non ancillam· non bouem non asinum: et vniuersa que illius sunt. [22] Hec verba locutus est dominus· ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis· et nubis· et caliginis voce magna nichil addens amplius: et scripsit ea in duabus tabulis lapideis quas tradidit michi. [23] Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum et montem ardere vidistis accessistis ad me omnes principes tribuum et maiores natu: atque dixistis. [24] Ecce ostendit nobis dominus deus noster maiestatem et magnitudinem suam. Voce enim eius audiuimus de medio ignis: et probauimus hodie quod loquente deo rum cum homine vixerit homo. [25] Cur ergo moriemur: et deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltra vocem domini dei nostri moriemur. [26] Quid est omnis caro vt audiat vocem dei viuentis qui de medio ignis loquitur sicut nos audiuimus: et possit viuere? [27] Tu magis accede· et audi cuncta que dixerit dominus deus noster tibi: loquerisque ad nos: et nos audientes faciemus ea. [28] Quod cum audisset dominus ait ad me. Audiui vocem verborum populi huius que locuti sunt tibi. Bene omnia sunt locuti. [29] Quis det talem eos habere mentem vt timeant me et custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore: vt bene sit eis et filijs eorum in sempiternum? [30] Vade et dic eis. Reuertimini in tentoria vestra. [31] Tu vero hic sta mecum: et loquar tibi omnia mandata mea et cerimonias atque iudicia que docebis eos vt faciant ea in terra quam dabo illis in possessionem. [32] Custodite igitur et facite que precepit dominus deus nobis. Non declinabitis neque ad dextram neque ad sinistram: [33] sed per viam quam precepit dominus deus vester ambulabitis: vt viuatis et bene sit nobis et protelentur dies vestri in terra possessionis vestre.

6 Hec sunt precepta et cerimonie atque iudicia que mandauit dominus deus vester vt docerem vos et faciatis ea in terra ad quam transgredimini possidendam: [2] vt timeas dominum deum tuum et custodias omnia mandata et precepta eius que ego precipio tibi et filijs ac nepotibus tuis cunctis diebus vite tue: vt prolongentur dies tui. [3] Audi israhel et obserua vt facias que precepit tibi dominus et bene sit tibi et multipliceris amplius: sicut pollicitus est dominus deus patrum tuorum tibi terram lacte et melle manantem. [4] Audi israhel. Dominus deus noster deus vnus est. [5] Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo: et ex tota anima tua: et ex tota fortitudine tua. [6] Eruntque verba hec que ego precipio tibi hodie in corde tuo: [7] et narrabis ea filijs tuis et medita beris sedens in domo tua et ambulans in itinere dormiens atque consurgens: [8] et ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntque et mouebuntur inter oculos tuos: [9] scribesque ea in limine et hostijs domus tue. [10] Cunque introduxerit te dominus deus tuus in terram pro qua iurauit patribus tuis abraham ysaac et iacob et dederit tibi ciuitates magnas et optimas quas non edificasti· [11] domos plenas cunctarum opum quas non extruxisti· cisternas quas non effodisti· vineta et oliueta que non plantasti· [12] et comederis et saturatus fueris: [13] caue diligenter ne obliuiscaris domini qui eduxit te de terra egipti· de domo seruitutis. Dominum deum tuum timebis et illi soli seruies: ac Non per nomen illius iurabis. [14] Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium que in circuitu vestro sunt: [15] quoniam deus emulator dominus deus tuus in medio tui: nequando irascatur furor domini dei tui contra te: et auferat te de superficie terre. [16] temptabis dominum deum tuum: sicut temptasti in loco temptationis. [17] Custodi precepta domini dei tui ac testimonia et cerimonias quas precepit tibi: [18] et fac quod placitum est et bonum in conspectu domini vt bene sit tibi: et ingressus possideas terram optimam de qua iurauit dominus patribus tuis [19] vt deleret omnes inimicos tuos coram te sicut locutus est. [20] Cum interrogauerit te filius tuus cras dicens quid sibi volunt testimonia hec· et cerimonie atque iudicia que precepit dominus deus noster nobis: [21] dices ei. Serui eramus pharaonis in egipto: et eduxit nos dominus de egipto in manu forti: [22] fecitque signa atque prodigia magna et pessima in egipto contra pharaonem et omnem domum illius in conspectu nostro: [23] et eduxit nos inde vt introductis daret terram super qua iurauit patribus nostris. [24] Precepitque nobis dominus vt faciamus omnia legitima hec: et timeamus dominum deum nostrum vt bene sit nobis cunctis diebus vite nostre sicut est hodie. [25] Eritque nostri miseri cors: si custodierimus et fecerimus omnia precepta eius coram domino deo nostro sicut mandauit nobis.

7 Cum vero introduxerit te dominus deus tuus in terram quam possessurus ingredieris· et deleuerit gentes multas coram te etheum et gergezeum et amorreum chananeum et pherezeum et eueum et iebuseum septem gentes multo maioris numeri quam tu es et robustiores te· [2] tradideritque eas dominus deus tuus tibi: percutiesque eas vsque ad internitionem. Non inibis cum eis fedus nec misereberis earum: [3] neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius: nec filiam illius accipies filio tuo: [4] quia seducet filium tuum ne sequatur me et vt magis seruiat dijs alienis. Irasceturque furor domini: et delebit te cito. [5] Quin potius hec facietis eis. Aras eorum subuertite· et confringite statuas· lucosque et sculptilia comburite: [6] quia populus es domino deo tuo. Te elegit dominus deus tuus: vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. [7] Non quia cunctas gentes numero vincebatis vobis iunctus est dominus et elegit vos cum omnibus sitis populis pauciores: [8] sed quia dilexit vos dominus: et custodiuit iuramentum quod iurauit patribus vestris. Eduxitque vos in manu forti et redemit de domo seruitutis: de manu pharaonis regis egipti: [9] et scies quia dominus deus tuus ipse est deus fortis et fidelis· custodiens pactum et misericordiam diligentibus se et hijs qui custodiunt precepta eius in mille generationes: [10] et reddens odientibus se statim· ita vt disperdat eos et vltra non differat protinus eis restituens quod merentur. [11] Custodi ergo precepta et cerimonias atque iudicia: que ego mandabo tibi hodie vt facias. [12] Si postquam audieris hec iudicia custodieris ea et feceris· custodiet et dominus deus tuus tibi pactum et misericordiam quam iurauit patribus tuis [13] et diliget te et multiplicabit: benedicetque fructui ventris tui· et fructui terre tue· frumento tuo atque vindemie· oleo et armentis gregibus ouium tuarum super terram: pro qua iurauit patribus tuis vt daret eam tibi. [14] Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te steri lis vtriusque sexus: tam in hominibus quam in gregibus tuis. [15] Auferet dominus a te omnem languorem: et infirmitates egipti pessimas quas nouisti non inferet tibi sed cunctis hostibus tuis. [16] Deuorabis omnes populos quos dominus deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus: nec seruies dijs eorum: ne sint in ruinam tui. [17] Si dixeris in corde tuo plures sunt gentes iste quam ego· quomodo potero delere eas: [18] noli metuere sed recordare· que fecerit dominus deus tuus pharaoni et cunctis egiptijs [19] plagas maximas quas viderunt oculi tui et signa atque portenta manumque robustam et extentum brachium: vt educeret te dominus deus tuus. Sic faciet cunctis populis quos metuis. [20] Insuper et scrabrones mittet dominus deus tuus in eos: donec deleat omnes atque disperdat qui te fugerint et latere poterint. [21] Non timebis eos: quia dominus deus tuus in medio tui est deus magnus et terribilis. [22] Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te bestie terre. [23] Dabitque eos dominus deus tuus in conspectu tuo: et interficiet illos donec penitus deleantur. [24] Tradetque reges eorum in manus tuas: et disperdes nomina eorum sub celo. Nullus poterit resistere tibi: donec conteras eos. [25] Sculptilia eorum igne combures. Non concupisces argentum et aurum de quibus facta sunt: neque assumes ex eis tibi quicquam ne offendas· propterea quia abominatio est domini dei tui: [26] nec

inferes quippiam ex ydolo in domum tuam: ne fias anathema sicut et illud est. Quasi spurciciam detestaberis: et velud inquinamentum ac sordes abominationi habebis: quia anathema est.

8 Omne mandatum quod ego precipio tibi hodie caue diligenter vt facias vt possitis viuere et multiplicemini: ingressique possideatis terram pro qua iurauit dominus patribus vestris. 2 Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te dominus deus tuus quadraginta annis per desertum vt affligeret te atque temptaret: et nota fierent que in tuo animo versabantur: vtrum custodires mandata illius an non. 3 Afflixit te penuria: et dedit tibi cibum manna quem ignorabas tu et patres tui vt ostenderet tibi quod non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod egreditur de ore domini. 4 Vestimentum tuum quo operiebaris nequaquam vetustate defecit: et pes tuus non est subtritus. En quadragesimus annus est: 5 vt recogites in corde tuo: quia sicut erudit filium suum homo sic dominus deus tuus erudiuit te· 6 vt custodias mandata domini dei tui et ambules in vijs eius: et timeas eum. 7 Dominus enim deus tuus introducet te in terram bonam· terram riuorum aquarumque et fontium: in cuius campis et montibus erumpunt fluuiorum abissi: 8 terram frumenti ordei ac vinearum in qua ficus et malagranata et oliueta nascuntur: terram olei ac mellis 9 vbi absque vlla penuria comedes panem tuum et rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt· et de montibus eius eris metalla fodiuntur· 10 vt cum comederis et saciatus fueris benedicas domino deo tuo pro terra optima quam dedit tibi. 11 Obserua et caue nequando obliuiscaris domini dei tui· et negligas mandata eius atque iudicia et cerimonias quas ego precipio tibi hodie: 12 ne postquam comederis et saciatus fueris· domos pulcras edificaueris et habitaueris in eis: 13 habuerisque armenta et ouium greges· argenti et auri cunctarumque rerum copiam· 14 eleuetur cor tuum et non reminiscaris domini dei tui· qui eduxit te de terra egipti de domo seruitutis 15 et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili in qua erat serpens flatu adurens et scorpio ac dipsas et nulle omnino aque: qui eduxit riuos de petra durissima 16 et cibauit te manna in solitudine quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probauit· ad extremum misertus est tui: 17 ne diceres in corde tuo fortitudo mea et robur manus mee hec michi omnia prestiterunt 18 sed recorderis domini dei tui· quod ipse vires tibi prebuerit vt impleret pactum suum super quo iurauit patribus tuis sicut presens indicat dies. 19 Sinautem oblitus domini dei tui secutus fueris deos alienos coluerisque illos et adoraueris: ecce nunc predico tibi quod omnino dispereas. 20 Sicut gentes quas deleuit dominus in introitu tuo: ita et vos peribitis si inobedientes fueritis voci domini dei vestri.

9 Audi israhel. Tu transgredieris hodie iordanen vt possideas nationes maximas et fortiores te ciuitates ingentes et ad celum vsque muratas: 2 populum magnum atque sublimem· filios enachim quos ipse vidisti et audisti: quibus nullus potest ex aduerso resistere. 3 Scies ergo hodie quod dominus deus tuus ipse transibit ante te ignis deuorans atque consumens: qui conterat eos et deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter: sicut locutus est tibi. 4 Ne dicas in corde tuo cum deleuerit eos dominus deus tuus in conspectu tuo· propter iusticiam meam introduxit me dominus vt terram hanc possiderem: cum propter impietates suas iste delete sint nationes. 5 Neque enim propter iusticias tuas et equitatem cordis tui ingredieris vt possideas terras earum: sed quia ille egerunt impie· introeunte te delete sunt: et vt compleret verbum suum dominus quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis abraham ysaac et iacob. 6 Scito ergo quod non propter iusticias tuas dominus deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem: cum durissime ceruicis sis populus. 7 Memento et ne obliuiscaris quomodo ad iracundiam prouocaueris dominum deum tuum in solitudine: et ex eo die quo egressus es ex egipto vsque ad locum istum· semper aduersum dominum contendisti. 8 Nam et in oreb prouocasti eum: et iratus delere te voluit 9 quando ascendi in montem vt acciperem duas tabulas lapideas pacti quod pepigit vobiscum deus. Et perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus: panem non comedens et aquam non bibens. 10 Deditque michi dominus duas tabulas lapideas scriptas digito dei: et continentes omnia verba· que vobis locutus est in monte de medio ignis quando contio populi congregata est. 11 Cumque transissent quadraginta dies et totidem noctes dedit michi dominus duas tabulas lapideas· tabulas federis: 12 dixitque michi. Surge et descende hinc cito: quia populus tuus quem eduxisti de egipto deseruerunt velociter viam quam demonstrasti eis: fecerunt que sibi conflatile. 13 Rursumque ait dominus ad me. Cerno quod populus iste dure ceruicis sit. 14 Dimitte me vt conteram eum: et deleam nomen eius sub celo: et constituam te super gentem que hac maior et fortior sit. 15 Cumque de monte ardente descenderem et duas tabulas federis vtraque tenerem manu· 16 vidissemque peccasse vos domino deo vestro et fecisse vobis vitulum conflatilem ac deseruisse velociter viam eius quam vobis ostenderat: 17 proieci tabulas de manibus meis confregique eas in conspectu vestro. 18 Et procidi ante dominum sicut prius quadraginta diebus et noctibus panem non comedens et aquam non bibens propter omnia peccata vestra que gessistis contra dominum: et eum ad iracundiam prouocastis. 19 Timui enim indignationem et iram illius: qua aduersum vos concitatus delere vos voluit. Et exaudiuit me dominus etiam hac vice. 20 Aduersum aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere: et pro illo similiter deprecatus sum. 21 Peccatum autem vestrum quod feceratis id est vitulum arripiens igne combussi: et in frusta comminuens omninoque in puluerem redigens proieci in torrentem qui de monte descendit. 22 In incendio quoque et in temptatione· et in sepulcris concupiscentie prouocastis dominum: 23 et quando misit vos de cadesbarne dicens ascendite et possidete terram quam dedi vobis: et contempsistis imperium domini dei vestri et non credidistis ei: neque vocem eius audire voluistis: 24 sed semper fuistis rebelles a die qua nosse vos cepi. 25 Et iacui coram domino quadraginta diebus ac noctibus quibus eum suppliciter deprecabar ne deleret vos vt fuerat comminatus: 26 et orans dixi. Domine deus ne disperdas populum tuum et hereditatem tuam quam redemisti in magnitudine tua: quos eduxisti de egipto in manu forti. 27 Recordare seruorum tuorum abraham ysaac et iacob. Ne aspicias duriciam populi huius et impietatem atque peccatum: 28 ne forte dicant habitatores terre de qua eduxisti nos non poterat dominus introducere eos: in terram quam pollicitus est eis· et oderat illos· idcirco eduxit vt interficeret illos in solitudine: 29 qui sunt populus tuus et hereditas tua quos eduxisti in fortitudine tua magna et in brachio tuo extento.

10 In tempore illo dixit dominus ad me. Dola tibi duas tabulas lapideas sicut priores fuerunt et ascende ad me in montem: faciesque archam ligneam 2 et scribam in tabulis verba que fuerunt in hijs quas ante confregisti: ponesque eas in archa. 3 Feci igitur archam de lignis sechim. Cunque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum: ascendi in montem habens eas in manibus. 4 Scripsitque in tabulis iuxta id quod prius scripserat verba decem que locutus est dominus ad vos in monte de medio ignis quando populus congregatus est: et dedit eas michi. 5 Reuersusque de monte descendi: et posui tabulas in archam quam feceram: que hucusque ibi sunt sicut michi precepit dominus. 6 Filij autem israhel castra mouerunt ex beroth filiorum iachan in mosura vbi aaron mortuus et sepultus est: pro quo sacerdotio functus est filius eius eleazar. 7 Inde venerunt in gadgad: de quo loco profecti castrametati sunt in iethambatha in terra aquarum atque torrentium. 8 Eo tempore separaui tribu leui vt portaret archam federis domini: et staret coram eo in ministerio ac benediceret in nomine illius vsque in presentem diem. 9 Quamob non habuit leui partem neque possessionem cum fratribus suis: quia ipse dominus possessio eius est: sicut promisit ei dominus deus tuus. 10 Ego autem steti in monte sicut prius quadraginta diebus ac noctibus exaudiuitque me dominus etiam hac vice: et te perdere noluit. 11 Dixitque michi. Vade et precede populum vt ingrediatur et possideat terram quam iuraui patribus eorum: vt traderem eis. 12 Et nunc israhel quid dominus deus tuus petit a te· nisi vt timeas dominum deum tuum et ambules in vijs eius et diligas eum: ac seruias domino deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua 13 custodiasque mandata domini et cerimonias eius quas ego hodie precipio tibi vt bene sit

tibi? 14 En domini dei tui celum est et celum celi terra et omnia que in ea sunt 15 et tamen patribus tuis conglutinatus est dominus et amauit eos: elegitque semen eorum post eos id est vos de cunctis gentibus sicut hodie comprobatur. 16 Circumcidite igitur prepucium cordis vestri et ceruicem vestram non induretis amplius: 17 quia dominus deus vester ipse est deus deorum et dominus dominantium deus magnus et potens et terribilis: qui personam non accipit nec munera. 18 Faciet iudicium pupillo et vidue: amat peregrinum: et dat ei victum atque vestitum. 19 Et vos ergo amate peregrinos: quia et ipsi fuistis aduene in terra egipti. 20 Dominum de vm tuum timebis: et ei soli seruies. Ipsi adherebis: iurabisque in nomine illius. 21 Ipse est laus tua et deus tuus: qui fecit tibi hec magnalia et terribilia que viderunt oculi tui. 22 In septuaginta animabus descenderunt patres tui in egiptum: et ecce nunc multiplicauit te dominus deus tuus sicut astra celi.

11 Ama itaque dominum deum tuum: et obserua precepta eius et cerimonias iudicia atque mandata omni tempore. 2 Cognoscite hodie que ignorant filij vestri· qui non viderunt disciplinam domini dei vestri· magnalia eius et robustam manum extentumque brachium· 3 signa et opera que fecit in medio egipti· pharaom regi et vniuerse terre eius· 4 omnique exercitui egiptiorum et equis ac curribus. quomodo operuerint eos aque maris rubri· cum vos persequerentur et deleuerit eos dominus vsque in presentem diem: 5 vobisque que fecerit in solitudine· donec veniretis ad hunc locum: 6 et dathan atque abiron filijs eliab qui fuit filius ruben· quos aperto ore suo terra absorbuit cum domibus et tabernaculis et vniuersa substantia eorum quam habebat in medio israhel: 7 oculi vestri viderunt omnia opera domini magna que fecit· 8 vt custodiatis vniuersa mandata illius que ego hodie precipio vobis et possitis introire et possidere terram ad quam ingredimini: 9 multoque in ea viuatis tempore quam sub iuramento pollicitus est dominus patribus vestris et semini eorum lacte et melle manantem. 10 Terra autem ad quam ingredieris possidendam· non est sicut terra egipti de qua existi vbi iacto semine in ortorum morem aque ducuntur irrigue: 11 sed montuosa est et campestris· de celo expectans pluuias: 12 quam dominus deus tuus semper inuisit et oculi illius in ea sunt a principio anni vsque ad finem eius. 13 Si ergo obedieritis mandatis meis que ego hodie precipio vobis· vt diligatis dominum deum vestrum· et seruiatis ei in toto corde vestro et in tota anima vestra: 14 dabit pluuiam terre vestre temporanneam et serotinam vt colligatis frumentum et vinum et oleum 15 fenum ex agris ad pascenda iumenta: vt et ipsi comedatis ac saturemini. 16 Cauete ne forte decipiatur cor vestrum et recedatis a domino· seruiatisque dijs alienis et adoretis eos: 17 iratusque dominus claudat celum et pluuie non descendant· nec terra det germen suum: pereatis que velociter de terra optima quam dominus daturus est vobis. 18 Ponite hec verba mea in cordibus et in animis vestris: et suspendite ea pro signo in manibus: et inter oculos vestros collocate. 19 Docete filios vestros: vt illa meditentur. Quando sederis in domo tua et ambulaueris in via· et accubueris atque surrexeris 20 scribes ea super postes et ianuas domus tue: 21 vt multiplicentur dies tui et filiorum tuorum in terra· quam iurauit dominus patribus tuis: vt daret eis quamdiu imminet celum terre. 22 Si enim custodieritis mandata que ego precipio vobis· et feceritis ea vt diligatis dominum deum vestrum et ambuletis in omnibus vijs eius adherentes ei: 23 disperdet dominus omnipotens omnes gentes istas ante faciem vestram: et possidebitis eas que maiores et fortiores vobis sunt. 24 Omnis locus quem calcauerit pes vester· vester erit. A deserto et libano et flumine magno eufrate vsque ad mare occidentale· erunt termini vestri. 25 Nullus stabit contra vos. Terrorem vestrum et formidinem dabit dominus deus vester super omnem terram quam calcaturi estis: sicut locutus est vobis. 26 En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem: 27 benedictionem si obedieritis mandatis domini dei vestri que ego hodie precipio vobis: 28 maledictionem si non obedieritis mandatis domini dei vestri· sed si recesseritis de via quam ego nunc ostendo vobis· et ambulaueritis post deos alienos quos ignoratis. 29 Cum introduxerit te dominus deus tuus in terram ad quam pergis habitandam· pones benedictionem super montem garizim· maledictionem super montem hebal: 30 qui sunt trans iordanen post viam que pergit ad solis occubitum· in terra chananei qui habitat in campestribus contra galgalam que est iuxta vallem tendentem et intrantem procul. 31 Vos autem transibitis iordanen vt possideatis terram quam dominus deus vester daturus est vobis: et habeatis ac possideatis illam. 32 Videte ergo vt impleatis cerimonias atque iudicia que ego hodie ponam in conspectu vestro.

12 Hec sunt precepta atque iudicia que facere debetis in terra quam dominus deus patrum tuorum daturus est tibi: vt possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris. 2 Subuertite omnia loca in quibus coluerunt gentes quas possessuri estis deos suos: super montes excelsos et colles et subter omne lignum frondosum. 3 Dissipate aras eorum et confringite statuas: lucos igne comburite et ydola comminuite: disperdite nomina earum de locis illis. 4 Non facietis ita domino deo vestro: 5 sed ad locum quem elegerit dominus deus vester de cunctis tribubus vestris vt ponat nomen suum ibi et habitet in eo venietis 6 et offeretis in loco illo olocausta et victimas vestras· decimas et primitias manuum vestrarum· et vota atque donaria primogenita boum et ouium: 7 et comedetis ibi in conspectu domini dei vestri· ac letabimini in cunctis ad que miseritis manum vos et domus vestre in quibus benedixit vobis dominus deus vester. 8 Non facietis ibi que nos hic facimus hodie: singuli quod sibi rectum videtur. 9 Neque enim vsque in presens tempus venistis ad requiem et possessionem quam dominus deus vester daturus est vobis. 10 Transibitis iordanen et habitabitis in terra quam dominus deus vester daturus est vobis: vt requiescatis a cunctis hostibus per circuitum· et absque vllo timore habitetis 11 in loco quem elegerit dominus deus vester: vt sit nomen eius in eo. Illuc omnia que precipio conferetis: olocausta et hostias ac decimas et priminas manuum vestrarum· et quicquid precipuum est in muneribus que vouistis domino. 12 Ibi epulabimini coram domino deo vestro vos et filij et filie vestre· famuli et famule· atque leuites qui in vestris vrbibus commoratur. Neque enim habet aliam partem et possessionem inter vos. 13 Caue ne offeras olocausta tua in omni loco quem videris: 14 sed in eo quem elegerit dominus in vna tribuum tuarum offeres hostias et facies quecunque precipio tibi. 15 Sin autem comedere volueris et te esus carnium delectauerit· occide et comede iuxta benedictionem domini dei tui quam dedit tibi in vrbibus tuis: siue immundum fuerit hoc est maculatum et debile· siue mundum hoc est integrum et sine macula quod offerri licet sicut capream et ceruum comedes: 16 absque esu dumtaxat sanguinis quem super terram quasi aquam effundes. 17 Non poteris comedere in oppidis tuis· decimam frumenti et vini et olei tui· primogenita armentorum et pecorum et omnia que voueris et sponte offerre volueris et primitias manuum tuarum: 18 sed coram domino deo tuo comedes ea in loco quem elegerit dominus deus tuus· tu et filius tuus et filia et seruus et famula atque leuites qui manet in vrbibus tuis: et letaberis et reficieris coram domino deo tuo in cunctis ad que extenderis manum tuam. 19 Caue ne derelinquas leuiten in omni tempore quo versaris in terra. 20 Quando dilatauerit dominus deus tuus terminos tuos sicut locutus est tibi· et volueris vesci carnibus quas desiderat anima tua: 21 locus autem que elegerit dominus deus tuus vt sit nomen eius ibi si procul fuerit occides de armentis et pecoribus que habueris sicut precepit tibi: et comedes in oppidis tuis vt tibi placet. 22 Sicut comeditur caprea et ceruus ita vesceris eis: et mundus et immundus in commune vescentur: 23 hoc solum caue ne sanguinem comedas. Sanguis enim eorum pro anima est: et idcirco non debes animam comedere cum carnibus: 24 sed super terram fundes quasi aquam· 25 vt bene sit tibi et filijs tuis post te: cum feceris quod placet in conspectu domini. 26 Que autem sanctificaueris et voueris domino tolles et venies ad locum quem elegerit dominus: 27 et offeres oblationes tuas carnem et sanguinem super altare domini dei tui. Sanguinem hostiarum fundes in altari: carnibus autem ipse vesceris. 28 Obserua et audi omnia que ego precipio tibi vt bene sit tibi et filijs tuis post te in sempiternum: cum feceris quod bonum est et placitum in conspectu domini dei tui. 29 Quando disperdiderit dominus deus tuus ante faciem tuam gentes ad quas ingredieris possidendas et possederis eas atque habitaueris in terra earum: 30 caue ne imiterris eas post quam te fuerint

introeunte subuerse: et requiras cerimonias earum dicens. Sicut coluerunt gentes iste deos suos· ita et ego colam. 31 Non facies similiter domino deo tuo. Omnes enim abominationes quas auersatur dominus fecerunt dijs suis offerentes filios et filias: et comburentes eas igni. 32 Quod precipio tibi hoc tantum facito domino: nec addas quicquam nec minuas.

13 Si surrexerit in medio tui prophetes· aut qui somnium vidisse se dicat et predixerit signum atque portentum 2 et euenerit quod locutus est· et dixerit tibi· eamus et sequamur deos alienos quos ignoras et seruiamus eis: 3 non audies verba prophete illius aut somniatoris· quia temptat vos dominus deus vester: vt palam fiat vtrum diligatis eum an non in toto corde et in tota anima vestra. 4 Dominum deum vestrum sequimini et ipsum timete: et mandata illius custodite: et audite vocem eius. Ipsi seruietis: et ipsi adherebitis. 5 Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur quia locutus est vt vos auerteret a domino deo vestro qui eduxit vos de terra egipti et redemit vos de domo seruitutis: vt errare te faceret de via quam tibi precepit dominus deus tuus: et auferes malum de medio tui. 6 Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tue aut filius tuus vel filia siue vxor que est in sinu tuo aut amicus quem diligis vt animam tuam clam dicens· eamus et seruiamus dijs alienis quos ignoras tu et patres tui 7 cunctarum in circuitu gentium que iuxta vel procul sunt ab inicio vsque ad finem terre: 8 non acquiescas ei nec audias neque parcat ei oculus tuus· vt miserearis et occultes eum: 9 sed statim interficies. Sit primum manus tua super eum: et post te omnis populus mittat manum. 10 Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere a domino deo tuo qui eduxit te de terra egipti de domo seruitutis: 11 vt et omnis israhel audiens timeat· et nequaquam vltra faciat quippiam huius rei simile. 12 Si audieris in vna vrbium tuarum quas dominus deus tuus dabit tibi ad habitandum dicentes aliquos· egressi sunt filij belial de medio tui et auerterunt habitatores vrbis tue atque Dixerunt· eamus 13 et seruiamus dijs alienis quos ignoratis: 14 quere solicite. superterram. et diligenter rei veritate perspecta si inueneris certum esse quod dicitur· et aboda minationem hanc opere perpetratam· 15 Statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij: et delebis eam· omniaque que in illa sunt vsque ad pecora. 16 Quicquid etiam suppellectilis fuerit congregabis in medio platearum eius· et cum ipsa ciuitate succendes: ita vt vniuersa consumas domino deo tuo: et sit tumulus sempiternus. Non edificabitur amplius: 17 et non adherebit de illo anathemate quicquam in manu tua: vt auertatur dominus ab ira furoris sui et misereatur tui: multiplicet que te sicut iurauit patribus tuis 18 quando audieris vocem domini dei tui· custodiens omnia precepta eius que ego precipio tibi hodie: vt facias quod placitum est in conspectu domini dei tui.

14 Filij estote domini dei vestri. Non vos incidetis· nec facietis caluicium super mortuo: 2 quoniam populus sanctus es domino deo tuo: et te elegit vt sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus que sunt super terram. 3 Ne comedatis que immunda sunt. 4 Hoc est animal quod comedere debetis: bouem et ouem et capram 5 ceruum et capream· bubalum tragelaphum pigargum origen camelopardulum. 6 Omne animal quod in duas partes findit vngulam et ruminat comedetis: 7 de hijs autem que ruminant et vngulam non findunt hec comedere non debetis: camelum leporem cyrogrillum. Quia ruminant et non diuidunt vngulam: munda erunt vobis. 8 Sus quoque qui diuidit vngulam et non ruminat: immunda erit. Carnibus eorum non vescemini: et cadauera non tangetis. 9 Hec comedetis ex omnibus que morantur in aquis. Que habent pennulas et squamas comedite: 10 que absque pennulis et squamis sunt ne comedatis quia immunda sunt. 11 Omnes aues mundas comedite. 12 Immundas ne comedatis· aquilam scilicet et gryphem· et alietum 13 ixon et vulturem ac miluum iuxta genus suum 14 et omne coruini generis: 15 et strutionem ac noctuam et larum atque accipitrem iuxta genus suum: 16 herodium ac cignum et ibin 17 ac mergulum porphirionem et nicticoracem 18 onocrotalum et caradrium singula in genere suo: vpupam quoque et vespertilionem: 19 et omne quod reptat et pennulas habet immundum erit et non comedetur. 20 Omne quod mundum est comedite. 21 Quicquid autem morticinum est: ne vescamini ex eo. Peregrino qui intra portas tuas est da vt comedat aut vende ei quia tu populus sanctus domini dei tui es. Non coques hedum in lacte matris sue. 22 Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos· 23 et comedes in conspectu domini dei tui in loco quem elegerit vt in eo nomen illius inuocetur: decimam frumenti tui et vini et olei· et primogenita de armentis et ouibus tuis: vt discas timere dominum deum tuum omni tempore. 24 Cum autem longior fuerit via· et locus quem elegerit dominus deus tuus· tibique benedixerit· nec poteris ad eum hec cuncta portare: 25 vendes omnia et in precium rediges portabisque manu tua et proficisceris ad locum quem elegerit dominus deus tuus: 26 et emes ex eadem pecunia quicquid tibi placuerit siue ex armentis siue ex ouibus. Vinum quoque et siceram et omne quod desiderat anima tua: et comede s coram domino deo tuo: et epulaberis tu et domus tua 27 et leuita qui intra portas tuas est. Caue ne derelinquas eum: quia non habet aliam partem in possessione tua. 28 Anno tercio separabis aliam decimam ex omnibus que nascuntur tibi eo tempore et repones intra ianuas tuas: 29 venietque leuites qui aliam non habet partem nec possessionem tecum et peregrinus ac pupillus et vidua qui intra portas tuas sunt et comedent et saturabuntur: vt benedicat tibi dominus deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum que feceris.

15 Septimo anno facies remissionem: 2 que hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo repetere non poterit: quia annus remissionis est domini. 3 A peregrino et aduena exiges: ciuem et propinquum repetendi non habes potestatem. 4 Et omnino indigens et mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi dominus deus tuus in terra quam traditurus est tibi in possessionem: 5 si tamen audieris vocem domini dei tui· et custodieris vniuersa que iussit· et que ego hodie precipio tibi: benedicet tibi vt pollicitus est. 6 Fenerabis gentibus multis: et ipse a nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis: et tui nemo dominabitur. 7 Si vnus de fratribus tuis qui morantur intra portas ciuitatis tue in terra quam dominus deus tuus daturus est tibi· ad paupertatem deuenerit: non obdurabis cor tuum· nec contrahes manum 8 sed aperies eam pauperi: et dabis mutuum quo eum indigere perspexeris. 9 Caue ne forte subrepat tibi impia cogitatio et dicas in corde tuo appropinquat septimus annus remissionis: et auertas oculos a paupere fratre tuo· nolens ei quod postulat mutuum commodare ne clamet contra te ad dominum et fiat tibi in peccatum: 10 sed dabis ei. Nec ages quippiam callide in eius necessitatibus subleuandis: vt benedicat tibi dominus deus tuus in omni tempore et in cunctis ad que manum miseris. 11 Non deerunt pauperes in terra habitationis tue: idcirco ego precipio tibi· vt aperias manum fratri tuo egeno et pauperi: qui tecum versatur in terra. 12 Cum tibi venditus fuerit frater tuus hebreus aut hebrea· et sex annis seruierit tibi: in septimo anno dimittes eum liberum. 13 Et quem libertate donaueris nequaquam vacuum abire patierris: 14 sed dabis viaticum de gregibus· et de area et torculari tuo quibus dominus deus tuus benedixerit tibi. 15 Memento quod et ipse seruieris in terra egipti· et liberauerit te dominus deus tuus: et idcirco ego nunc precipio tibi. 16 Sinautem dixerit nolo egredi eo quod diligat te et domum tuam· et bene sibi apud te esse sentiat: 17 assumes subulam et perforabis aurem eius in ianua domus tue: et seruiet tibi vsque in eternum. Ancille quoque similiter facies. 18 Non auertes ab eis oculos tuos· quando dimiseris eos liberos· quoniam iuxta mercedem mercennarij· per sex annos seruiuit tibi: vt benedicat tibi dominus deus tuus in cunctis operibus que agis. 19 De primogenitis que nascuntur in armentis et ouibus tuis quicquid est sexus masculini sanctificabis domino deo tuo. Non operaberis in primogenito bouis: et non tondebis primogenita ouium. 20 In conspectu domini dei tui comedes ea per annos singulos in loco quem elegerit dominus tu et domus tua. 21 Sinautem habuerit maculam et vel claudum fuerit vel cecum· aut in aliqua parte deforme vel debile non immolabitur domino deo tuo: 22 sed intra portas vrbis tue comedes illud. Tam mundus quam immundus similiter vescentur eis quasi caprea et ceruo. 23 Hoc solum obseruabis vt sanguinem eorum non comedas: sed effundas in terram quasi aquam.

16 Obserua mensem nouarum frugum et verni primum temporis vt facias
phase domino deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te dominus deus
tuus de egipto nocte. 2 Immolabisque phase domino deo tuo de ouibus et de
bubus in loco quem elegerit dominus deus tuus: vt habitet nomen eius ibi.
3 Non comedes in eo panem fermentatum. Septem diebus comedes absque
fermento afflictionis· panem: quoniam in pauore egressus es de egipto: vt
memineris diei egressionis tue de egipto omnibus diebus vite tue. 4 Non
apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis septem diebus: et non
remanebit de carnibus eius quod immolatum est vespere. in die primo mane.
5 Non poteris immolare phase in qualibet vrbium tuarum quas dominus deus
tuus daturus est tibi: 6 sed in loco quem elegerit dominus deus tuus vt habitet
nomen eius ibi. Immolabis phase vespere ad solis occasum quando egressus es
de egipto: 7 et coques et comedes in loco quem elegerit dominus deus tuus:
maneque consurgens vades in tabernacula tua. 8 Sex diebus comedes azima: et
in die septima quia collecta est domini dei tui non facies opus. 9 Septem
ebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris 10 et
celebrabis diem festum ebdomadarum domino deo tuo· oblationem
spontaneam manus tue quam offeres iuxta benedictionem domini dei tui: 11 et
epulaberis coram domino deo tuo tu et filius tuus et filia tua et seruus tuus et
ancilla tua et leuites qui est intra portas tuas· et aduena ac pupillus et vidua qui
morantur vobiscum in loco quem elegerit dominus deus tuus vt habitet
nomen eius ibi: 12 et recordaberis quoniam seruus fueris in egipto:
custodiesque ac facies que precepta sunt. 13 Solemnitatem quoque
tabernaculorum celebrabis per septem dies quando collegeris de area et
torculari fruges tuas: 14 et epulaberis in festiuitate tua tu et filius tuus et filia et
seruus tuus et ancilla: leuites quoque et aduena· et pupillus et vidua qui intra
portas tuas sunt. 15 Septem diebus domino deo tuo festa celebrabis in loco
quem elegerit dominus: benedicetque tibi dominus deus tuus in cunctis
frugibus tuis et in omni opere manuum tuarum: erisque in leticia. 16 Tribus
vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu domini
dei tui in loco quem elegerit: in solemnitate azimorum· et in solemnitate
ebdomadarum: et in solemnitate tabernaculorum. Non apparebit ante
dominum vacuus: 17 sed offeret vnusquisque secundum quod habuerit iuxta
benedictionem domini dei sui quam dederit ei. 18 Iudices et magistros
constitues in omnibus portis tuis portis tuis quas dominus deus tuus dominus
dederit tibi per singulas tribus tuas vt iudicent populum iusto iudicio: 19 nec in
alteram partem declinent. Non accipies personam nec munera: quia munera
excecant oculos sapientum: et mutant verba iustorum. 20 Iuste quod iustum
est persequeris: vt viuas et possideas terram quam dominus deus tuus dederit
tibi. quas tibi. 21 Non plantabis lucum· et omnem arborem iuxta altare domini
dei tui: 22 nec facies tibi atque constitues statuam: que odit dominus deus tuus.

17 Non immolabis domino deo tuo bouem et ouem in quo est macula·
aut quippiam vicij: quia abominatio est domino deo tuo. 2 Cunque
reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum quas dominus deus tuus
dabit tibi vir aut mulier qui faciant malum in conspectu domini dei tui et
transgrediantur pactum illius· 3 vt vadant et seruiant dijs alienis et adorent eos
solem et lunam et omnem militiam celi quam non precepi 4 et hoc tibi fuerit
nunciatum: audiensque inquisieris diligenter· et verum esse repereris· et
abominatio facta est in israhel: 5 educes virum ac mulierem qui rem
sceleratissimam perpetrarunt ad portas ciuitatis tue· et lapidibus obruentur.
6 In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur:
vno contra se dicente testimonium. 7 Manus testium prima interficiet eum: et
manus reliqui populi extrema mittetur: vt auferas malum de medio tui. 8 Si
difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et
sanguinem· causam et causam· lepram et non lepram· et iudicum intra portas
tuas videris verba variari: surge et ascende ad locum quem elegetes 9 leuitici
generis et ad iudicem qui fuerit illo tempore· queresque ab eis· qui indicabunt
tibi iudicij veritatem: 10 et facies quodcunque dixerunt· qui presunt loco quem
elegerit dominus et docuerit te 11 iuxta legem eius· sequerisque sententiam
eorum: nec declinabis ad dextram neque ad sinistram. 12 Qui autem
superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat
domino deo tuo ex decreto iudicis: morietur homo ille· et auferes malum de
israhel: 13 cunctusque populus audiens timebit vt nullus deinceps intumescat
superbia. 14 Cum ingressus fueris terram quam dominus deus tuus dabit tibi·
et possederis eam habitauerisque in illa et dixeris constituam super me regem
sicut habent omnes per circuitum nationes: 15 eum constitues quem dominus
deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis
hominem regem facere: qui non sit frater tuus. 16 Cunque fuerit constitutus·
non multiplicabit sibi equos nec reducet populum in egiptum equitatus
numero subleuatus: presertim cum dominus preceperit vobis vt nequaquam
amplius per eandem viam reuertamini. 17 Non habebit vxores plurimas que
illiciant animum eius: neque argenti et auri immensa pondera. 18 Post ad quam
autem sederit in solio regni sui describet sibi deuteronomium legis huius in
volu sinistram. leuitice tribus 19 et habebit secum: legetque illud omnibus
diebus vite sue vt discat timere dominum deum suum· et custodire verba et
cerimonias eius que in lege precepta sunt. 20 Nec eleuetur cor eius in
superbiam super fratres suos: neque declinet in partem dextram vel sinistram:
vt longo tempore regnet ipse et filius eius super israhel.

18 Non habebunt sacerdotes et leuite et omnes qui de eadem tribu sunt
partem et hereditatem cum reliquo israhel: quia sacrificia domini et
oblationes eius comedent. 2 Et nichil aliud accipient de possessione fratrum
suorum. Dominus enim ipse est hereditas eorum: sicut locutus est illis. 3 Hoc
erit iudicium sacerdotum a populo et ab hijs qui offerunt victimas: siue
bouem siue ouem immolauerint dabunt sacerdoti armum ac ventriculum:
4 primitias frumenti vini et olei et lanarum partem ex ouium tonsione. 5 Ipsum
enim elegit dominus deus tuus de cunctis tribubus tuis: vt stet et ministret
nomini domini dei tui ipse et filij eius in sempiternum. 6 Si exierit leuites ex
vna vrbium tuarum ex omni israhel in qua habitat et voluerit venire desiderans
locum quem elegerit dominus: 7 ministrabit in nomine domini dei sui sicut
omnes fratres eius leuite qui stabunt eo tempore coram domino. 8 Partem
ciborum eandem accipiet quam et ceteri: excepto eo quod in vrbe sua ex
paterna ei successione debetur. 9 Quando ingressus fueris terram quam
dominus deus tuus dabit tibi caue ne imitari velis abominationes illarum
gentium: 10 nec inueniatur in te qui lustret filium suum aut filiam ducens per
ignem aut qui ariolos sciscitetur aut obseruet somnia atque auguria: ne sit
maleficus 11 ne incantator: ne phitones consulat nec diuinos: et querat a
mortuis veritatem. 12 Omnia enim hec abominatur dominus: et propter
istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. 13 Perfectus eris et absque macula:
cum domino deo tuo. 14 Gentes iste quarum possidebis terram augures et diui
nos audiunt: tu autem a domino deo tuo aliter institutus es. 15 Prophetam de
gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi dominus deus tuus: ipsum
audies 16 vt petisti a domino deo tuo in oreb quando contio congregata est
atque dixisti. Vltra non audiam vocem domini dei mei: et ignem hunc
maximum amplius non videbo ne moriar. 17 Et ait dominus michi. Bene
omnia sunt locuti. 18 Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum
similem tui: et ponam verba mea in ore eius: loqueturque ad eos omnia que
precepero illi. 19 Qui autem verba eius que loquetur in nomine meo audire
noluerit: ego vltor existam. 20 Propheta autem qui arrogantia deprauatus
voluerit loqui in nomine meo que ego non precepi illi vt diceret· aut ex nomine
alienorum deorum: interficietur. 21 Quod si tacita cogitatione responderis·
quomodo possum intelligere verbum quod dominus non est locutus: 22 hoc
habebis signum. Quod in nomine domini propheta ille predixerit et non
euenerit· hoc dominus non est locutus: sed per tumorem animi sui propheta
confinxit: et idcirco non timebis eum.

19 Cum Cum vm disperdiderit dominus deus tuus gentes quarum tibi
traditurus est terram· et possederis eam habitauerisque in vrbibus eius
et in edibus: 2 tres ciuitates separabis tibi in medio terre quam dominus deus
tuus dabit tibi in possessionem 3 sternens diligenter viam: et in tres equaliter

partes totam terre tue prouinciam diuides· vt habeat e vicino qui propter homicidium profugus est quo possit euadere. [4] Hec erit lex homicide fugientis: cuius vita seruanda est. Qui percusserit proximum suum nesciens· et qui heri et nudiustercius nullum contra eum odium habuisse comprobatur [5] sed abisse cum eo simpliciter in siluam ad ligna cedenda: et in succisione lignorum securis fugerit manu ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percusserit et occiderit: hic ad vnam supradictarum vrbium confugiet et viuet: [6] ne forsitan proximus eius cuius effusus est sanguis dolore stimulatus persequatur et apprehendat eum si longior via fuerit· et percutiat animam eius qui non est reus mortis: quia nullum contra eum qui occisus est odium prius habuisse monstratur. [7] Idcirco precipio tibi vt tres ciuitates equalis intra se spacij diuidas. [8] Cum autem dilatauerit dominus deus tuus terminos tuos sicut iurauit patribus tuis et dederit tibi cunctam terram quam eis pollicitus est: [9] si tamen custodieris mandata eius et feceris que hodie precipio tibi vt diligas dominum deum tuum et ambules in vijs eius omni tempore: addes tibi tres alias ciuitates et supradictarum trium vrbium numerum duplicabis: [10] vt non effundatur sanguis innoxius in medio terre quam dominus deus tuus dabit tibi possidendam· ne sis sanguinis reus. [11] Si quis autem odio habens proximum· insidiatus fuerit vite eius surgensque percusserit illum et mortuus fuerit fugeritque ad vnam de supradictis vrbibus: [12] mittent seniores ciuitatis illius et arripient eum de loco effugij tradentque in manu proximi cuius sanguis effusus est: et morietur. [13] Non misereberis eius: et auferes noxium sanguinem de israhel: vt bene sit tibi. [14] Non assumes et transferes terminos proximi tui quos fixerunt priores in possessione tua: quam dominus deus tuus dabit tibi in terra quam acceperis possidendam. [15] Non stabit testis vnus contra aliquem quicquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. [16] Si steterit testis mendax contra hominem accusans eum preuaricationis: [17] stabunt ambo quorum causa est ante dominum in conspectu sacerdotum et iudicum qui fuerint in diebus illis. [18] Cumque diligentissime perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: [19] reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit· et auferes malum de medio tui: [20] vt audientes ceteri timorem habeant et nequaquam talia audeant facere. [21] Non misereberis eius: sed animam pro anima· oculum pro oculo· dentem pro dente· manum pro manu: pedem pro pede exiges.

20 Si exieris ad bellum contra hostes tuos. et videris equitatus et currus· et maiorem quam tu habeas aduersarij exercitus multitudinem: non timebis eos quia dominus deus tuus tecum est qui eduxit te de terra egipti. [2] Appropinquante autem iam prelio stabit sacerdos ante aciem: et sic loquetur ad populum. [3] Audi israhel. Vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis: non pertimescat cor vestrum. Nolite metuere nolite cedere nec formidetis eos: [4] quia dominus deus vester in medio vestri est: et pro vobis contra aduersarios dimicabit vt eruat vos de periculo. [5] Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt. Quis est homo qui edificauit domum nouam: et non dedicauit eam? Vadat et reuertatur in domum suam: ne forte moriatur in bello et alius dedicet eam. [6] Quis est homo qui plantauit vineam: et necdum fecit eam esse communem de qua vesci omnibus liceat? Vadat et reuertatur in domum suam: ne forte moriatur in bello et alius homo eius fungatur officio. [7] Quis est homo qui despondit vxorem et non accepit eam? Vadat et reuertatur in domum suam: ne forte moriatur in bello et alius homo accipiat eam. [8] Hijs dictis addent reliqua: et loquentur ad populum. Quis est homo formidolosus et corde pauido? Vadat et reuertatur in domum suam: ne pauere faciat corda fratrum suorum· sicut ipse timore perterritus est. [9] Cumque siluerint duces exercitus et finem loquendi fecerint: vnusquisque suos ad bellum cuneos preparabit. [10] quando accesseris ad expugnandam ciuitatem: offeres ei primum pacem. [11] Si receperit et aperuerit tibi portas: cunctus populus qui in ea est saluabitur· et seruiet tibi sub tributo. [12] Sin autem fedus inire noluerit et reperint contra te bellum oppugnabis eam. [13] Cunque tradiderit dominus deus tuus illam in manu tua: percuties omne quod in ea generis masculini est in ore gladij [14] absque mulieribus et infantibus iumentis et ceteris que in ciuitate sunt. Omnem predam exercitui diuides: et comedes de spolijs hostium tuorum que dominus deus tuus dederit tibi. [15] Sic facies cunctis ciuitatibus que a te procul valde sunt: et non sunt de hijs vrbibus quas in possessionem accepturus es. [16] De hijs autem ciuitatibus que dabuntur tibi nullum omnino permittes viuere [17] sed interficies in ore gladij: etheum videlicet et amorreum et chananeum pherezeum et eueum et iebuseum sicut precepit tibi dominus deus tuus: [18] ne forte doceant vos facere cunctas abominationes quas ipsi operati sunt dijs suis· et pecce in dominum deum vestrum. [19] Quando obsederis ciuitatem multo tempore et munitionibus circundederis vt expugnes eam· non succides arbores de quibus vesci potest: nec securibus per circuitum debes vastare regionem quoniam lignum est et non homo: nec potest bellantium contra te augere numerum. [20] Si qua autem ligna non sunt pomifera sed agrestia et in ceteros apta vsus: succide et extrue machinas donec capias ciuitatem que contra te dimicat.

21 Quando inuentum fuerit in terra quam dominus deus tuus daturus est tibi hominis cadauer occisi· et ignorabitur cedis reus: [2] egredientur maiores natu et iudices tui et metientur a loco cadaueris· singularum per circuitum spacia ciuitatum: [3] et quam viciniorem ceteris esse perspexerint· seniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento que non traxit iugum· nec terram scidit vomere· [4] et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam que nunquam arata est. nec sementem recepit: et cedent in ea ceruices vitule. [5] Accedentque sacerdotes filij leui quos elegerit dominus deus tuus vt ministrent ei et benedicant in nomine eius· et ad verbum eorum omne negotium pendet et quicquid mundum vel immundum est iudicetur: [6] et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum lauabunt que manus suas super vitulam que in valle percussa est: [7] et dicent. Manus nostre non effuderunt sanguinem hunc: nec oculi viderunt. [8] Propicius esto populo tuo israhel quem redemisti domine: et non reputes sanguinem innocentem in medio populi tui israhel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis: [9] tu autem alienus eris ab innocentis cruore qui fusus est cum feceris quod precepit dominus. [10] Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos et tradiderit eos dominus deus tuus in manu tua captiuosque duxeris: [11] et videris in numero captiuorum mulierem pulcram et adamaueris eam voluerisque habere vxorem: [12] introduces eam in domum tuam. Que radet cesariem et circuncidet vngues· [13] et deponet vestem in qua capta est: sedensque in domo tua flebit patrem et matrem suam vno mense: et postea intrabis ad eam· dormiesque cum illa: et erit vxor tua. [14] Si autem postea non sederit animo tuo· dimittes eam liberam: nec vendere poteris pecunia nec opprimere per potentiam: quia humiliasti eam. [15] Si habuerit homo vxores duas vnam dilectam et alteram odiosam genueritque ex eis liberos et fuerit filius odiose primogenitus [16] volueritque substantiam inter filios suos diuidere: non poterit filium dilecte facere primogenitum et preferre filio odiose: [17] sed filium odiose agnoscet primogenitum dabitque ei de hijs que habuerit cuncta duplicia. Iste est enim principium liberorum eius: et huic debentur primogenita. [18] Si genuerit homo filium contumacem et proteruum qui non audierit patris ac matris imperium· et cohercitus obedire contempserit: [19] apprehendent eum et ducent ad seniores ciuitatis illius et ad portam iudicij: [20] dicentque ad eos. Filius noster iste proteruus et contumax est: monita nostra audire contemnit· commessationibus vacat et luxurie atque conuiuijs: [21] lapidibus eum obruet populus ciuitatis et morietur vt auferatis malum de medio vestri: et vniuersus israhel audiens pertimescat. [22] Quando peccauerit homo quod morte plectendum est: et adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo: [23] non permanebit cadauer eius in ligno· sed in eadem die sepelietur: quia maledictus a deo est qui pendet in ligno: et nequaquam contaminabis terram tuam quam dominus deus tuus dederit tibi in possessionem.

22 Non videbis bouem et ouem fratris tui errantem et preteribis: sed reduces fratri tuo· [2] etiam si non est propinquus frater tuus nec nosti eum. Duces in domum tuam: et erunt apud te quamdiu querat ea frater tuus et recipiat. [3] Similiter facies de asino et de vestimento· et de omni re fratris tui que perierit: si inueneris eam ne negligas quasi alienam. [4] Si videris asinum

fratris tui· aut bouem cecidisse in via: non despicies sed subleuabis cum eo. [5] Non induetur mulier veste virili: nec vir vtetur veste feminea. Abominabilis enim apud deum est qui facit hoc. [6] Si ambulans per viam· in arbore vel in terra nidum auis inueneris et matrem pullis vel ouis desuper incubantem: non tenebis eam cum filijs [7] sed abire patieris captos tenens filios: vt bene sit tibi et longo viuas tempore. [8] Cum edificaueris domum nouam facies murum tecti per circuitum ne effundatur sanguis in domo tua: et sis reus labente alio· et in preces ruente. [9] Non seres vineam tuam altero semine: ne et sementis quam seuisti et que nascuntur ex vinea pariter sanctificentur. [10] Non arabis in boue simul et asino. [11] Non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est. [12] Funiculos in fimbrijs facies per quatuor angulos pallij tui quo operiris. [13] Si duxerit vir vxorem et postea odio habuerit eam [14] quesieritque occasiones quibus dimittat eam obiciens ei nomen pessimum· et dixerit vxorem hanc accepi et ingressus ad eam non inueni virginem: [15] tollent eam pater et mater eius et ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis qui in porta sunt: [16] et dicet pater. Filiam meam dedi huic vxorem: quam quia odit [17] imponit ei nomen pessimum vt dicat non inueni filiam tuam virginem: et ecce hec sunt signa virginitatis filie mee. Expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis: [18] apprehendentque senes vrbis illius virum et verberabunt illum· [19] condemnantes insuper centum siclis argenti quos dabit patri puelle· quoniam diffamauit nomen pessimum super virginem israhel: habebitque eam vxorem et non poterit dimittere omnibus diebus vite sue. [20] Quod si verum est quod obicit et non est in puella inuenta virginitas: [21] eicient eam extra fores domus patris sui et lapidibus obruent viri ciuitatis illius et morietur quoniam fecit nephas in israhel vt fornicaretur in domo patris sui: et auferes malum de medio tui. [22] Si dormierit vir cum vxore alterius vterque morientur id est adulter et adultera: et auferes malum de israhel. [23] Si puellam virginem desponderit vir et inuenerit eam aliquis in ciuitate et concubuerit cum ea: [24] educes vtrumque ad portam ciuitatis illius et lapidibus obruentur: puella quia non clamauit cum esset in ciuitate: vir quia humiliauit vxorem proximi sui: et auferes malum de medio tui. [25] Sinautem in agro repererit vir puellam que desponsata est et apprehendens concubuerit cum ea ipse morietur solus: [26] puella nichil patietur nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum et occidit animam eius ita et puella perpessa est. [27] Sola erat in agro: clamauit et nullus affuit qui liberaret eam. [28] Si inuenerit vir puellam virginem que non habet sponsum et apprehendens concubuerit cum illa et res ad iudicium venerit: [29] dabit qui dormiuit cum ea patri puelle centumquinquaginta siclos argenti: et habebit eam quia humiliauit illam. Non dimittere eam cunctis diebus vite sue. [30] Non accipiet homo vxorem patris sui: nec reuelabit operimentum eius.

23 Non intrabit eunuchus attricis vel amputatis testiculis et absciso veretro ecclesiam domini. [2] Non ingredietur manser hoc est de scorto natus in ecclesiam domini vsque ad decimam generationem. [3] Ammonites et moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam domini in eternum: [4] quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via quando egressi estis de egipto: et quia conduxerunt contra te balaam filium beor de mesopotamia sirie vt malediceret tibi: [5] et noluit dominus deus tuus audire balaam: vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam eo quod diligeret te. [6] Non facies cum eis pacem: nec queras eis bona cunctis diebus vite tue in sempiternum. [7] Non abominaberis ydumeum quia frater tuus est: nec egiptium quia aduena fuisti in terra eius. [8] Qui nati fuerint ex eis tercia generatione intrabunt in ecclesiam domini. [9] Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam: custodies te ab omni re mala. [10] Si fuerit inter vos homo qui in nocturno sit pollutus somnio egredietur extra castra: [11] et non reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua: et post solis occasum regredietur in castra. [12] Habebis locum extra castra ad quem egrediaris ad requisita nature: [13] gerens paxillum in baltheo. Cunque sederis fodies per circuitum· et egesta humo operies [14] quo releuatus es. Dominus enim deus tuus ambulat in medio castrorum vt eruat te et tradat tibi inimicos tuos: vt sint castra tua sancta et nichil in eis appareat feditatis: ne derelinquat te. [15] Non trades seruum domino suo qui ad te confugerit. [16] Habitabit tecum in loco qui ei placuerit: et in vna vrbium tuarum requiescet: ne contristes eum. [17] Non erit meretrix de filiabus israhel: nec scortator de filijs israhel. [18] Non offeres mercedem prostibuli: nec precium canis in domo domini dei tui quicquid illud est quod vouerit quia abominatio est vtrumque apud dominum deum tuum. [19] Non fenerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam nec fruges nec quamlibet aliam rem: [20] sed alieno. Fratri autem tuo absque vsura· id quo indiget commodabis: vt benedicat tibi dominus deus tuus in omni opere tuo in terra ad quam ingredieris possidendam. [21] Cum votum voueris domino deo tuo non tardabis reddere quia requiret illud dominus deus tuus: et si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. [22] Si nolueris polliceri: absque peccato eris. [23] Quod autem semel egressum est de labijs tuis obseruabis et facies sicut promisisti domino deo tuo: et propria voluntate et ore tuo locutus es. [24] Ingressus vineam proximi tui comede vuas quantum tibi placuerit: fores autem ne efferas tecum. [25] Si intraueris segetem amici tui franges spicas et manu conteres: falce autem non metes.

24 Si i acceperit homo vxorem et habuerit eam et non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam feditatem: scribet libellum repudij et dabit in manu illius: et dimittet eam de domo sua. [2] Cunque egressa alterum maritum duxerit [3] et ille quoque oderit eam dederitque ei libellum repudij et dimiserit de domo sua vel certe mortuus fuerit: [4] non poterit prior maritus recipere eam in vxorem quia polluta est et abominabilis facta est coram domino: ne peccare facias terram tuam quam dominus deus tuus tradiderit tibi possidendam. [5] Cum acceperit homo nuper vxorem non procedet ad bellum nec ei quippiam necessitatis iniungetur publice: sed vacabit absque culpa domui sue: vt vno anno letetur cum vxore sua. [6] Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam: quia animam suam apposuit tibi. [7] Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filijs israhel· et vendito eo acceperit precium interficietur: et auferes malum de medio tui. [8] Obserua diligenter ne incurras plagam lepre: sed facies quecumque docuerit te sacerdotes leuitici generis iuxta id quod precepi eis: et imple sollicite. [9] Mementote que fecerit dominus deus vester marie in via cum egrederemini de egipto. [10] Cum repetes a proximo tuo rem aliquam quam debet tibi· non ingredieris domum eius vt pignus auferas: [11] sed stabis foris et ille tibi proferet quod habuerit. [12] Si autem pauper est· non pernoctabit apud te pignus [13] sed statim reddes ei ante solis occasum: vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi: et habeas iusticiam coram domino deo tuo. [14] Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui· siue aduene qui tecum moratur in terra et intra portas tuas est: [15] sed eadem die reddes ei precium laboris sui ante solis occasum· quia pauper est et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad dominum et reputetur tibi in peccatum. [16] Non occidentur patres pro filijs nec filij pro patribus: sed vnusquisque pro peccato suo morietur. [17] Non peruertes iudicium aduene et pupilli: nec auferes pignoris loco vidue vestimentum. [18] Memento quod seruieris in egipto: et eruerit te dominus deus tuus inde. Idcirco precipio tibi vt facias hanc rem. [19] Quando messueris segetem in agro tuo· et oblitus manipulum reliqueris: non reuerteris vt tollas illum· sed aduenam et pupillum et viduam auferre patieris: vt benedicat tibi dominus deus tuus in omni opere manuum tuarum. [20] Si fruges collegeris oliuarum: quicquid remanserit in arboribus non reuerteris vt colligas: sed relinques aduene pupillo ac vidue. [21] Si vindemiaueris vineam tuam· non colliges remanentes racemos: sed cedent in vsus aduene pupilli ac vidue. [22] Memento quod et tu seruieris in egipto: et idcirco precipio tibi vt facias hanc rem.

25 Si fuerit causa inter aliquos et inIterpellauerit iudices: quem iustum esse perspexerint illi iusticie palmam dabunt: quem impium condemnabunt impietatis. [2] Sinautem eum qui peccauit dignum viderint plagis: prosternent et coram se faciant verberari. Pro mensura peccati erunt et plagarum modus: [3] ita dumtaxat vt quadragenarium numerum non excedant: ne fede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. [4] Non ligabis os bouis

terentis in area fruges tuas. [5] Quando habitauerint fratres simul et vnus ex eis absque liberis mortuus fueritur: vxor defuncti non nubet alteri sed accipiet eam frater eius et suscitabit semen fratris sui: [6] et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit vt non deleatur nomen ex israhel. [7] Sinautem noluerit accipere vxorem fratris sui que ex lege debetur: perget mulier ad portam ciuitatis et interpellabit maiores natu: dicet Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in israhel: nec me in coniugium sumere. [8] Statimque accersiri eum facient: et interrogabunt. Si responderit nolo eam vxorem accipere: [9] accedet mulier ad eum coram senioribus· et tollet calciamentum de pede eius spuetque in faciem eius et dicet. Sic fiet homini qui non edificat domum fratris sui. [10] Et vocabitur nomen illius in israhel domus discalciati. [11] Si habuerint inter se iurgium viri duo et vnus contra alterum rixari ceperit: volensque vxor alterius eruere virum suum de manu fortioris· miseritque manum et apprehenderit verenda eius: [12] abscides manum illius· ne flecteris super eam vlla misericordia. [13] Non habebis in sacculo diuersa pondera maius et minus: [14] nec erit in domo tua modius maior et minor. [15] Pondus habebis iustum et verum: et modius equalis et verus erit tibi: vt multo viuas tempore super terram quam dominus deus tuus dederit tibi. [16] Abominatur enim dominus eum qui facit hec: et aduersatur omnem iniusticiam. [17] Memento que fecerit tibi amalech in via quando egrediebaris ex egipto: [18] quoniam occurrerit tibi et extremos agminis tui qui lassi residebant ceciderit· quando tu eras fame et labore confectus: et non timuerit deum. [19] Cum ergo dominus deus tuus dederit tibi requiem· et subiecerit cunctas per circuitum nationes in terra quam tibi pollicitus est: delebis nomen eius sub celo. Caue ne obliuiscaris.

26 Cunque intraueris terram quam dominus deus tuus tibi daturus est possidendam et obtinueris eam· atque habitaueris in illa: [2] tolles de cunctis frugibus tuis primitias et pones in cartallo pergesque ad locum quem dominus deus tuus elegerit vt ibi inuocetur nomen eius: [3] accedesque ad sacerdotem qui fuerit in diebus illis et dices ad eum. Profiteor hodie coram domino deo tuo: quod ingressus sum in terram pro qua iurauit patribus nostris vt daret eam nobis. [4] Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua ponet ante altare domini dei tui: [5] et loqueris in conspectu domini dei tui. Sirus persequebatur patrem meum: qui descendebat in egiptum et ibi peregrinatus est in paucissimo numero: creuitque in gentem magnam ac robustam et infinite multitudinis. [6] Afflixeruntque nos egiptij et persecuti sunt imponentes onera grauissima: [7] et clamauimus ad dominum deum patrum nostrorum qui exaudiuit nos et respexit humilitatem nostram et laborem atque angustiam: [8] et eduxit nos de egipto in manu forti et brachio extento· in ingenti pauore· in signis atque portentis: [9] et introduxit ad locum istum: et tradidit nobis terram lacte et melle manantem. [10] Et idcirco nunc offero primitias frugum terre: quam dominus dedit michi. Et dimittes eas in conspectu domini dei tui: et adorato domino deo tuo [11] epulaberis in omnibus bonis que dominus deus tuus dederit tibi et domui tue: tu et leuites aduena qui tecum est. [12] Quando compleueris decimam cunctarum frugum tuarum· anno decimarum tercio: dabis leuite et aduene et pupillo et vidue vt comedant intra portas tuas et saturentur: [13] loquerisque in conspectu domini dei tui. Attuli quod sanctificatum est de domo mea et dedi illud leuite et aduene et pupillo ac vidue sicut iussisti michi. Non preteriui mandata tua: nec sum oblitus imperij. [14] Non comedi ex eis in luctu meo: nec separaui ea in qualibet immundicia: nec expendi ex hijs quicquam in re funebri. Obediui voci domini dei mei: et feci omnia sicut precepisti michi. [15] Respice de sanctuario tuo et de excelso celorum habitaculo: et benedic populo tuo israhel· et terre quam dedisti nobis sicut iurasti patribus nostris: terre lacte et melle mananti. [16] Hodie dominus deus tuus precepit tibi vt facias mandata hec atque iudicia: vt custodias et impleas ex toto corde tuo et ex tota anima tua. [17] Dominum elegisti hodie vt sit tibi deus et ambules in vijs eius: vt custodias cerimonias illius et mandata atque iudicia: et obedias eius imperio. [18] En dominus elegit te hodie vt sis ei populus peculiaris sicut locutus est tibi et custodias omnia precepta illius: [19] et faciet te excelsiorem cunctis gentibus quas creauit in laudem et nomen et gloriam suam: vt sis populus sanctus domini dei tui sicut locutus est.

27 Precepit autem moyses et seniores populo israhel dicentes. Custodite omne mandatum quod precipio vobis hodie. [2] Cumque transierritis iordanen in terram quam dominus deus tuus dabit tibi· eriges ingentes lapides et calce leuigabis eos [3] vt possis in eis scribere omnia verba legis huius iordane transmisso: vt introeas terram quam dominus deus tuus dabit tibi: terram lacte et melle manantem sicut iurauit patribus tuis. [4] Quando ergo transierritis iordanen erigite lapides quos ego hodie precipio vobis in monte hebal: et leuigabis eos calce· [5] et edificabis ibi altare domino deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit· [6] et de saxis informibus et impolitis: et offeres super eo olocausta domino deo tuo [7] et immolabis hostias pacificas: comedesque ibi et epulaberis coram domino deo tuo. [8] Et scribes super lapides omnia verba legis huius plane et lucide. [9] Dixeruntque moyses et sacerdotes leuitici generis ad omnem israhelem. Attende et audi israhel. Hodie factus es populus domini dei tui. [10] Audies vocem eius: et facies mandata atque iusticias quas ego precipio tibi. [11] Precepitque moyses populo in die illo dicens. [12] Hij stabunt ad benedicendum domino super montem garrizim iordane transmisso: symeon leui iudas ysachar ioseph et beniamin. [13] Et eregione isti stabunt ad maledicendum in monte hebal: ruben gad et aser zabulon dan et neptalim. [14] Et pronunciabunt leuite: dicentque ad omnes viros israhel excelsa voce. [15] Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile abominationem domini· opus manuum artificum: ponetque illud in abscondito. Et respondebit omnis populus: et dicet amen. [16] Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem. Et dicet omnis populus amen. [17] Maledictus qui transferet terminos proximi sui. Et dicet omnis populus amen. [18] Maledictus qui errare facit cecum in itinere. Et dicet omnis populus amen. [19] Maledictus qui peruertit iudicium aduene pupilli et vidue. Et dicet omnis populus amen. [20] Maledictus qui dormit cum vxore patris sui: et reuelat operimentum lectuli eius. Et dicet omnis populus amen. [21] Maledictus qui dormit cum omni iumento. Et dicet omnis populus amen. [22] Maledictus qui dormit cum sorore sua filia patris sui vel matris sue. Et dicet omnis populus amen. [23] Maledictus qui dormit cum socru sua. Et dicet omnis populus amen. [24] Maledictus qui clam percusserit proximum suum. Et dicet omnis populus amen. [25] Maledictus qui accipit munera· vt percutiat animam sanguinis innocentis. Et dicet omnis populus amen. [26] Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius: nec eos opere perficit. Et dicet omnis populus amen.

28 Si autem audieris vocem domini dei tui vt facias atque custodias omnia mandata eius que ego precipio tibi hodie: faciet te dominus deus tuus excelsiorem cunctis gentibus que versantur in terra. [2] Venientque super te vniuerse benedictiones iste et apprehendent te: si tamen precepta eius audieris. [3] Benedictus tu in ciuitate: et benedictus in agro. [4] Benedictus fructus ventris tui et fructus terre tue: fructusque iumentorum tuorum greges armentorum tuorum et caule ouium tuarum. [5] Benedicta horrea tua: et benedicte reliquie tue. [6] Benedictus eris ingrediens et egrediens. [7] Dabit dominus inimicos tuos qui consurgent aduersum te corruentes in conspectu tuo. Per viam vnam venient contra te: et per septem fugient a facie tua. [8] Emittet dominus benedictionem super cellaria tua et super omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terra quam acceperis. [9] Suscitabit te dominus sibi in populum sanctum sicut iurauit tibi: si custodieris mandata domini dei tui et ambulaueris in vijs eius. [10] Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen domini inuocatum sit super te: et timebunt te. [11] Abundare te faciet dominus omnibus bonis: fructu vteri tui et fructu iumentorum tuorum fructu terre tue quam iurauit dominus patribus tuis vt daret tibi. [12] Aperiet dominus thesaurum suum optimum celum: vt tribuat pluuiam terre tue in tempore suo. Benedicetque cunctis operibus manuum tuarum: et fenerabis gentibus multis: et ipse a nullo fenus accipies. [13] Constituet te dominus deus tuus in caput et non in caudam: et eris semper supra et non subter: si tamen audieris mandata domini dei tui que ego

precipio tibi hodie et custodieris et feceris: [14] ac non declinaueris ab eis nec ad dextram nec ad sinistram: nec secutus fueris deos alienos neque colueris eos. [15] Quod si audire nolueris vocem domini dei tui vt custodias et facias omnia mandata eius et cerimonias quas ego precipio tibi hodie: venient super te omnes maledictiones iste et apprehendent te. [16] Maledictus eris in ciuitate: maledictus in agro. [17] Maledictum horreum tuum: et maledicte reliquie tue. [18] Maledictus fructus ventris tui et fructus terre tue: armenta boum tuorum et greges ouium tuarum. [19] Maledictus eris ingrediens: et maledictus egrediens. [20] Mittet dominus super te famem et esuriem et increpationem in omnia opera tua que tu facies: donec conterat te et perdat velociter propter adinuentiones tuas pessimas in quibus reliquisti me. [21] Adiungat tibi dominus pestilentiam: donec consumat te de terra ad quam ingrediens possidendam. [22] Percutiat te dominus egestate et febri et frigore ardore et estu et aere corrupto ac rubigine: et persequatur donec pereas. [23] Sit celum quod supra te est eneum: et terra quam calcas ferrea. [24] Det dominus ymbrem terre tue puluerem: et de celo descendat super te cinis donec conteraris. [25] Tradat te dominus corruentem ante hostes tuos: et per vnam viam egrediaris contra eos· et per septem fugias: et dispergaris per omnia regna terre. [26] Sit que cadauer tuum in escam cunctis volatilibus celi et bestijs terre: et non sit qui abigat. [27] Percutiat te dominus vlcere egipti· et partem corporis per quam stercora digerunt: scabie quoque et prurigine: ita vt curari nequeas. [28] Percutiat te dominus amentia et cecitate ac furore mentis: [29] et palpes in meridie sicut palpare solet cecus in tenebris: et non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas: et opprimaris violentia nec habeas qui liberet te. [30] Vxorem accipias et alius dormiat cum ea. Domum edifices: et non habites in ea. Plantes vineam: et non vindemies eam. [31] Bos tuus immoletur coram te: et non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo: et non reddatur tibi. Oues tue dentur inimicis tuis: et non sit qui te adiuuet. [32] Filij tui et filie tue tradantur alteri populo videntibus oculis tuis et deficientibus ad conspectum eorum tota die: et non sit fortitudo in manu tua. [33] Fructus terre tue et omnes labores tuos comedat populus quem ignoras: et sis semper calumniam sustinens· et oppressus cunctis diebus: [34] et stupens ad terrorem eorum que videbunt oculi tui. [35] Percutiat te dominus vlcere pessimo in genibus et in suris: sanarique non possis a planta pedis vsque ad verticem tuum. [36] Ducetque te dominus et regem tuum quem constitues super te in gentem quam ignoras tu et patres tui: et seruies ibi dijs alienis ligno et lapidi: [37] et eris perditus in prouerbium ac fabulam omnibus populis ad quos te introduxerit dominus. [38] Sementem multam iacies in terram et modicum congregabis: quia locuste deuorabunt omnia. [39] Vineam plantabis et fodies et vinum non bibes nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus. [40] Oliuas habebis in omnibus terminis tuis et non vngeris oleo: quia defluent et deperibunt. [41] Filios generabis et filias et non frueris eis: quoniam ducentur in captiuitatem. [42] Omnes arbores tuas et fruges terre tue rubigo consumet. [43] Aduena qui tecum versatur in terra ascendet super te eritque sublimior: tu autem descendes et eris inferior. [44] Ipse fenerabit tibi: et tu non fenerabis ei. Ipse erit in caput: et tu eris in caudam. [45] Et venient super te omnes maledictiones iste· et persequentes apprehendent te donec intereas: quia non audisti vocem domini dei tui: nec seruasti mandata eius et cerimonias quas precepit tibi. [46] Et erunt in te signa atque prodigia et in semine tuo vsque in sempiternum: [47] eo quod seruieris domino deo tuo in gaudio cordisque leticia propter rerum omnium abundanciam. [48] Seruies inimico tuo quem immittet tibi dominus in fame et siti et nuditate et omni penuria: et ponet iugum ferreum super ceruicem tuam donec te conterat. [49] Adducet dominus super te gentem de longinquo et de extremis terre finibus in similitudinem aquile volantis cum impetu cuius linguam intelligere non possis: [50] gentem procacissimam que non deferat seni nec misereatur paruuli: [51] et deuoret fructum iumentorum tuorum ac fruges terre tue· donec intereas: et non relinquat tibi triticum vinum et oleum armenta boum et greges ouium donec te disperdat [52] et conterat in cunctis vrbibus tuis: et destruantur muri tui firmi atque sublimes· in quibus habebas fiduciam in omni terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni terra tua quam dabit tibi dominus deus tuus: [53] et comedes fructum vteri tui et carnes filiorum tuorum et filiarum tuarum quas dederit tibi dominus deus tuus· in angustia et vastitate qua opprimet te hostis tuus. [54] Homo delicatus in te et luxuriosus valde inuidebit fratri suo et vxori que cubat in sinu suo [55] ne det eis de carnibus filiorum suorum quas comedet: eo quod nichil aliud habeat in obsidione et penuria qua vastauerint te inimici tui intra omnes portas tuas. [56] Tenera mulier et delicata que supra terram ingredi non valebat nec pedis vestigium figere propter molliciem et teneritudinem nimiam: inuidebit viro suo qui cubat in sinu eius super filij et filie carnibus [57] et illuuie secundinarum que egrediuntur de medio feminum eius: et super liberis qui eadem hora nati sunt. Comiedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam: in obsidione et vastitate qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. [58] Nisi custodieris et feceris omnia verba legis huius que scripta sunt in hoc volumine· et timueris nomen eius gloriosum et terribile hoc est dominum deum tuum: [59] augebit dominus plagas tuas· et plagas seminis tui plagas magnas et perseuerantes infirmitates pessimas et perpetuas: [60] et conuertet in te omnes afflictiones egipti quas timuisti et adherebunt tibi. [61] Insuper et vniuersos languores et plagas que non sunt scripte in volumine legis huius inducet dominus super te: donec te conterat. [62] Et remanebitis pauci numero qui prius eratis sicut astra celi pre multitudine: quoniam non audisti vocem domini dei tui. [63] Et sicut ante letatus est dominus super vos· bene vobis faciens vosque multiplicans: sic letabitur disperdens vos atque subuertens: vt auferamini de terra ad quam ingredieris possidendam. [64] Disperget te dominus in omnes populos a summitate terre vsque ad terminos eius: et seruies ibi dijs alienis quos et tu ignoras et patres tui lignis et lapidibus. [65] In gentibus quoque illis non quiesces: neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi dominus ibi cor pauidum et deficientes oculos· et animam consumptam merore: [66] et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die: et non credes vite tue. [67] Mane dices quis michi det vesperum: et vespere quis michi det mane· propter cordis tui formidinem qua terreberis et propter ea que tuis videbis oculis. [68] Reducet te dominus classibus in egiptum per viam de qua dixit tibi vt eam amplius non videres. Ibi vendenris deris inimicis tuis in seruos et ancillas: et non erit qui emat.

29 Hec sunt verba federis quod precepit dominus moysi vt feriret cum filijs israhel in terra moab: preter illud fedus quod cum eis pepigit in oreb. [2] Vocauitque moyses omnem israhel: et dixit ad eos. Vos vidistis vniuersa que fecit dominus coram vobis in terra egipti pharaoni et omnibus seruis eius vniuerse terre illius: [3] temptationes magnas quas viderunt oculi tui: signa illa portentaque ingentia: [4] et non dedit vobis dominus cor intelligens et oculos videntes: et aures que possint audire vsque in presentem diem. [5] Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra: nec calciamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. [6] Panem non comedistis vinum et siceram non bibistis: vt sciretis quia ipse est dominus deus vester. [7] Et venistis ad hunc locum: egressusque est seon rex esebon et og rex basan occurrentes nobis ad pugnam· et percussimus eos [8] et tulimus terram eorum: ac tradidimus possidendam ruben et gad et dimidie tribui manasse. [9] Custodite ergo verba pacti huius et implete ea: vt intelligatis vniuersa que facitis. [10] Vos statis hodie cuncti coram domino deo vestro· principes vestri et tribus ac maiores natu atque doctores omnis populus israhel [11] liberi et vxores vestre et aduene qui tecum morantur in castris exceptis lignorum cesoribus· et hijs qui comportant aquas: [12] vt transeas in federe domini dei tui· et in iureiurando quod hodie dominus deus tuus percutit tecum: [13] vt suscitet te sibi in populum et ipse sit dominus deus tuus sicut locutus est tibi· et sicut iurauit patribus tuis abraham ysaac et iacob. [14] Nec vobis solus ego hoc fedus ferio et hec iuramenta confirmo: [15] sed cunctis presentibus et absentibus. [16] Vos enim nostis quomodo habitauerimus in terra egipti· et quomodo transierimus per medium nationum: quas transeuntes [17] vidistis abominationes et sordes id est ydola eorum lignum et lapidem argentum et aurum que colebant. [18] Ne forte sit inter vos vir aut mulier familia aut tribus cuius cor auersum est hodie a domino deo vestro vt vadat et seruiat dijs illarum gentium: et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. [19] Cunque

audierit verba iuramenti huius benedicat sibi corde suo dicens pax erit michi· et ambulabo in prauitate cordis mei: et assumat ebria sitientem [20] et dominus non ignoscat ei: sed tunc quoque maxime furor eius fumet et zelus contra hominem illum· et sedeant super eum omnia maledicta que scripta sunt in hoc volumine: et deleat dominus nomen eius sub celo [21] et consumat eum in perdicione ex omnibus tribubus israhel: iuxta maledictiones que in libro legis huius ac federis continentur. [22] Dicetque sequens generatio et filij qui nascentur deinceps· et peregrini qui de longe venerunt videntes plagas terre illius et infirmitates quibus eam afflixerit dominus [23] sulphure et solis ardore comburens ita vt vltra non seratur nec virens quippiam germinet in exemplum subuersionis zodome et gomorre adame et seboim quas subuertit dominus in ira et in furore suo: [24] et dicent omnes gentes. Quare sic fecit dominus terre huic? Que est hec ira furoris eius immensa? [25] Et respondebunt. Quia dereliquerunt pactum domini quod pepigit cum patribus eorum quando eduxit eos de terra egipti [26] et seruierunt dijs alienis· et adorauerunt eos quos nesciebant et quibus non fuerunt attributi: [27] idcirco iratus est furor domini contra terram istam vt induceret super eam omnia maledicta que in hoc volumine scripta sunt: [28] et eiecit eos de terra sua in ira et in furore et in indignatione maxima· proiecitque in terram alienam sicut hodie comprobatur. [29] Abscondita a domino deo nostro que manifesta sunt nobis et filijs nostris vsque in sempiternum: vt faciamus cianus vniuersa legis huius.

30 Cum vm ergo venerint super te omnes sermones sermones isti benedictio siue maledictio quam proposui in conspectu tuo· et ductus penitudine cordis tui in vniuersis gentibus in quas disperserit te dominus deus tuus [2] et reuersus fueris ad eum· et obedieris eius imperijs sicut ego hodie precipio tibi cum filijs tuis in toto corde tuo et in tota anima tua: [3] reducet te dominus deus tuus de captiuitate tua ac miserebitur tui: et rursum congregabit te de cunctis populis in quos te ante dispersit. [4] Si ad cardines celi fueris dissipatus inde te retrahet dominus deus tuus: [5] et assumet atque introducet in terram quam possederunt patres tui et obtinebis eam: et benedicens tibi· maioris numeri te esse faciet quam fuerunt patres tui. [6] Circuncidet dominus deus tuus cor tuum et cor seminis tui: vt diligas dominum deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua: vt possis viuere. [7] Omnes autem maledictiones has conuertet super inimicos tuos: et eos qui oderunt te et persequuntur. [8] Tu autem reuerteris et audies vocem domini dei tui faciesque vniuersa mandata que ego precipio tibi hodie: [9] et abundare te faciet dominus deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum in sobole vteri tui et in fructu iumentorum tuorum: in vbertate terre tue et in rerum omnium largitate. Reuertetur enim dominus vt gaudeat super te in omnibus bonis sicut gauisus est in patribus tuis: [10] si tamen audieris vocem domini dei tui et custodieris precepta eius et cerimonias que in hac lege conscripta sunt: et reuertaris ad dominum deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua. [11] Mandatum hoc quod ego precipio tibi hodie non supra te est neque procul positum [12] nec in celo situm vt possis dicere quis nostrum valet ad celum ascendere vt deferat illud ad nos vt audiamus atque opere compleamus: ras [13] neque trans mare positum vt causeris et dicas ras quis e nobis poterit mare transfretare et illud ad nos vsque deferre vt possimus audire et facere quod preceptum est: [14] sed iuxta te est sermo valde in ore tuo et in corde tuo vt facias illum. [15] Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum et econtrario mortem et malum: [16] vt diligas dominum deum tuum et ambules in vijs eius et custodias mandata illius et cerimonias atque iudicia et viuas: atque multiplicet te benedicatque tibi in terra ad quam ingredieris possidendam. [17] Si autem auersum fuerit cor tuum et audire nolueris atque errore deceptus adoraueris deos alienos et seruieris eis: [18] predico tibi hodie quod pereas: et paruo tempore moreris in terra ad quam iordanne transmisso ingredieris possidendam. [19] Testes inuoco hodie celum et terram quod proposuerim vobis vitam et bonum: benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam vt et tu viuas et semen tuum: [20] diligas dominum deum tuum atque obedias voci eius: et illi adhereas. Ipse est enim vita tua et longitudo dierum tuorum: vt habites in terra pro qua iurauit dominus patribus tuis abraham ysaac et iacob vt daret eam illis.

31 Abijt quoque moyses et locutus est omnia verba hec ad vniuersum israhel: [2] et dixit ad eos. Centum viginti Centumuiginti annorum sum hodie: non possum vltra egredi et ingredi: presertim cum et dominus dixerit michi non transibis iordanen istum. [3] Dominus ergo deus tuus transibit ante te. Ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo: et possedebis eas. Et iosue iste transibit ante te: sicut locutus est dominus. [4] Facietque dominus eis sicut fecit seon et og regibus amorreorum et terre eorum: delebitque eos. [5] Cum ergo et hos tradiderit vobis similiter: facietis eis sicut precepi vobis. [6] Viriliter agite: et confortamini. Nolite timere: ne paueatis ad conspectum eorum quia dominus deus tuus ipse est ductor tuus: et non dimittet nec derelinquet te. [7] Vocauitque moyses iosue: et dixit ei coram omni israhel. Confortare: et esto robustus. Tu enim introduces populum istum in terram quam daturum se patribus eorum iurauit dominus: et tu eam diuides sorte. [8] Et dominus qui ductor est vester ipse erit tecum: non dimittet nec derelinquet te. Noli timere nec paueas. [9] Scripsit itaque moyses legem hanc et tradidit eam sacerdotibus filijs leui qui portabant archam federis domini: et cunctis senioribus israhel. [10] Precepitque eis dicens. Post septem annos remissionis in solemnitate tabernaculorum [11] conuenientibus cunctis ex israhel vt appareant in conspectu domini dei tui in loco quem elegerit dominus· leges verba legis huius coram omni israhel: audientibus eis [12] et in vnum omni populo congregato· tam viris quam mulieribus paruulis et aduenis qui sunt intra portas tuas: vt audientes discant et timeant dominum deum vestrum: et custodiant impleantque omnes sermones legis huius. [13] Filij quoque eorum qui nunc ignorant: vt audire possint et timeant dominum deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra: ad quam vos iordanne transmisso pergitis obtinendam. [14] Et ait dominus ad moysen. Ecce prope sunt dies mortis tue. Voca iosue: et state in tabernaculo testimonij vt precipiam ei. Abierunt ergo moyses et iosue et steterunt in tabernaculo testimonij: [15] apparuitque dominus ibi in columna nubis que stetit in introitu tabernaculi: [16] dixitque dominus ad moysen. Ecce tu dormies cum patribus tuis: et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra ad quam ingredietur et habitabit in ea: ibi derelinquet me et irritum faciet fedus quod pepigi cum eo. [17] Et irascetur furor meus contra eum in die illo: et derelinquam eum et abscondam faciem meam ab eo: et erit in deuorationem. Inuenient eum omnia mala et afflictiones: ita vt dicat in illa die. Vere quia non est deus mecum inuenerunt me hec mala. [18] Ego autem abscondam et celabo faciem meam in die illo propter omnia mala que fecit: quia secutus est deos alienos. [19] Nunc itaque scribite vobis canticum istud et docete filios israhel vt memoriter teneant et ore decantent: et sit michi carmen istud pro testimonio inter filios israhel. [20] Introducam enim eum in terram pro qua iuraui patribus eius lacte et melle manantem. Cunque comederint et saturati crassique fuerint auertentur ad deos alienos et seruient eis: detrahentque michi et irritum facient pactum meum. [21] Postquam inuenerint eum mala multa et afflictiones: respondebit ei canticum istud pro testimonio: quod nulla delebit obliuio ex ore seminis tui. Scio enim cogitationes eius· que facturus sit· hodie antequam introducam eum in terram quam ei pollicitus sum. [22] Scripsit quoque moyses canticum: et docuit filios israhel. [23] Precepitque dominus iosue filio nun: et ait. Confortare: et esto robustus. Tu enim introduces filios israhel in terram quam pollicitus sum: et ego ero tecum. [24] Postquam ergo scripsit moyses verba legis huius in volumine atque compleuit: [25] precepit leuitis qui portabant archam federis domini dicens. [26] Tollite librum istum et ponite eum in latere arche federis domini dei vestri: vt sit ibi contra te in testimonium. [27] Ego enim scio contentionem tuam: et ceruicem tuam durissimam. Adhuc viuente me et ingrediente vobiscum semper contenciose egistis contra dominum: quantomagis cum mortuus fuero? [28] Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras atque doctores: et loquar audientibus eis sermones istos: et inuocabo contra eos celum et terram. [29] Noui enim quod post mortem meam inique agetis: et declinabitis cito de via quam precepi vobis: et occurrent vobis mala in extremo

tempore quando feceritis malum in conspectu domini vt irritetis eum per opera manuum vestrarum. [30] Locutus est ergo moyses audiente vniuerso cetu israhel verba carminis huius: et ad finem vsque compleuit.

32 Audite celi que loquor: audiat terra verba oris mei. [2] Concrescat in pluuia doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum. Quasi ymber super herbam et quasi stille super gramina: [3] quia nomen domini inuocabo. Date magnificentiam deo nostro: [4] dei perfecta sunt opera: et omnes vie eius iudicia. Deus fidelis et absque vlla iniquitate: iustus et rectus. [5] Peccauerunt ei: non filij eius in sordibus. Generatio praua atque peruersa: [6] heccine reddis domino populo stulte et insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus qui possedit te· et fecit et creauit te? [7] Memento dierum antiquorum· cogita generationes singulas. Interroga patrem tuum et annunciabit tibi: maiores tuos et dicent tibi. [8] Quando diuidebat altissimus gentes· qu ando quando separabat· filios adam: Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum israhel. [9] Pars autem domini populus eius: iacob funiculus hereditatis eius. [10] Inuenit eum in terra deserta: in loco horroris et vaste solitudinis. Circunduxit eum et docuit: et custodiuit quasi pupillam oculi sui. [11] Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos: et super eos volitans. Expandit alas suas et assumpsit eum: atque portauit in humeris suis. [12] Dominus solus dux eius fuit: et non erat cum eo deus alienus. [13] Constituit eum super excelsam terram: vt comederet fructus agrorum. Vt sugeret mel de petra: oleumque de saxo durissimo. [14] Butirum de armento et lac de ouibus: cum adipe agnorum et arietum filiorum basan. Et hircos cum medulla tritici: et sanguinem vue biberent meracissimum. [15] Incrassatus est dilectus et recalcitrauit: incrassatus impiguatus dilatatus. Dereliquit deum factorem suum: et recessit a deo salutari suo. [16] Prouocauerunt eum in dijs alienis: et in abominationibus ad iracundiam concitauerunt. [17] Immolauerunt demonijs et non deo: dijs quos ignorabant. Noui recentesque venerunt: quos non coluerunt patres eorum. [18] Deum qui te genuit dereliquisti: et oblitus es domini creatoris tui. [19] Vidit dominus et ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt eum filij sui et filie. [20] Et ait abscondam faciem meam ab eis: et considerabo nouissima eorum. Generatio enim peruersa est: et infideles filij. [21] Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat deus: et irritauerunt in vanitatibus suis. Et ego prouocabo eos in eo qui non est populus: et in gente stulta irritabo illos. [22] Ignis succensus est in furore meo: et ardebit vsque ad inferni nouissima. Deuorabitque terram cum germine suo: et montium fundamenta comburet. [23] Congregabo super eos mala: et sagittas meas complebo in eis. [24] Consumentur fame: et deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Dentes bestiarum immittam in eos: cum furore trahentium super terram atque serpentium. [25] Foris vastabit eos gladius et intus pauor: iuuenem simul ac virginem lactentem cum homine sene. [26] Et dixi· vbi nam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. [27] Sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum. Et dicerent manus nostra excelsa: et non dominus fecit hec omnia. [28] Gens absque consilio est et sine prudentia· [29] vtinam saperent et intelligerent: ac nouissima prouiderent. [30] Quomodo persequebatur vnus mille: et duo fugarent decem milias? Nonne ideo quia deus suus vendidit eos: et dominus conclusit illos? [31] Non enim est deus noster vt deus eorum: et inimici nostri sunt iudices. [32] De vinea zodomiorum vinea eorum: et de suburbanis gomorre. Vua eorum vua fellis: et botrus amarissimus. [33] Fel draconum vinum eorum: et venenum aspidum insanabile. [34] Nonne hec condita sunt apud me· et signata in thesauris meis? [35] Mea est vltio et ego retribuam eis in tempore: vt labatur pes eorum. Iuxta est dies perdicionis: et adesse festinant tempora. [36] Iudicabit dominus populum suum: et in seruis suis miserebitur. Videbit quod infirmata sit manus: et clausi quoque defecerunt: residuique consumpti sunt. [37] Et dicent vbi sunt dij eorum: in quibus habebant fiduciam. [38] De quorum victimis comedebant adipes: et bibebant vinum libaminum. Surgant et opitulentur vobis: et in necessitate vos protegant. [39] Videte quod ego sim solus: et non sit alius deus preter me. Ego occidam et ego viuere faciam: percutiam et ego sanabo: et non est qui de manu mea possit eruere. [40] Leuabo ad celum manum meam: et dicam viuo ego in eternum. [41] Si acuero vt fulgur gladium meum: et arripuerit iudicium manus mea. Reddam vltionem hostibus meis: et hijs qui oderunt me retribuam. [42] Inebriabo sagittas meas sanguine: et gladius meus deuorabit carnes. De cruore occisorum: et de captiuitate nudati inimicorum capitis. [43] Laudate gentes populum eius: quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur. Et vindictam retribuet in hostes eorum: et propitius erit terre populi sui. [44] Venit ergo moyses et locutus est omnia verba cantici huius in auribus populi: ipse et iosue filius nun. [45] Compleuitque omnes sermones istos· loquens ad vniuersum israhel: [46] et dixit ad eos. Ponite corda vestra in omnia verba mea· que ego testificor vobis hodie: vt mandetis ea filijs vestris custodire et facere et implere vniuersa que scripta sunt in volumine legis huius: [47] quia non incassum precepta sunt vobis: sed vt singuli in eis viuerent: que facientes longo tempore perseueretis in terra ad quam iordane transmisso ingredimini possidendam. [48] Locutusque est dominus ad moysen in eadem die dicens. [49] Ascende in montem istum abarim id est transitum· in montem nebo qui est in terra moab contra iericho: et vide terram chanaan quam ego tradam filijs israhel obtinendam: et morere in monte. [50] Quem conscendens iungeris populis tuis· sicut mortuus est aaron frater tuus in monte hor et appositus populis suis: [51] quia preuaricati estis contra me in medio filiorum israhel ad aquas contradictionis in cades deserti syn: et non sanctificastis me inter filios israhel. [52] Econtra videbis eam: et non ingredieris in eam: quam ego dabo filijs israhel.

33 Hec est benedictio qua benedixit moyses homo dei filios israhel ante mortem suam. [2] Et ait. Dominus de syna venit: et de seir ortus est nobis. Apparuit de monte pharan: et cum eo sanctorum milia. In dextra eius ignea lex: [3] dilexit populos. Omnes sancti in manu illius sunt: et qui appropinquant pedibus eius· accipient de doctrina illius. [4] Legem precepit nobis moyses: hereditatem multitudinis iacob. [5] Erit apud rectissimum rex: congregatis principibus populi cum tribubus israhel. [6] Viuat ruben et non moriatur: et sit paruus in numero. [7] Hec est iude benedictio. Audi domiue vocem iude: et ad populum suum introduc eum. Manus eius pugnabunt pro eo: et adiutor illius contra aduersarios eius erit. [8] Leui quoque ait. Perfectio tua et doctrina tua a viro sancto tuo quem probasti in temptatione: et iudicasti ad aquas contradictionis. [9] Qui dixit patri suo et matri sue nescio vos: et fratribus suis ignoro illos: et nescierunt filios suos. Hij custodierunt eloquium tuum· et pactum tuum seruauerunt: [10] iudicia tua o iacob: et legem tuam o israhel. Ponent thimiama in furore tuo: et olocausta super altare tuum. [11] Benedic domine fortitudini eius: et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum eius: et qui oderunt eum non consurgant. [12] Et beniamin ait. Amantissimus domini habitabit confidenter: in eo quasi in thalamo tota die morabitur: et inter humeros illius requiescet. [13] Ioseph quoque ait. De benedictione domini terra eius: de pomis celi et rore atque abisso subiacente. [14] De pomis fructuum solis ac lune: [15] de vertice antiquorum montium: de pomis collium eternorum: [16] et de frugibus terre et de plenitudine eius. Benedictio illius qui apparuit iu rubo veniat super caput ioseph: et super verticem nazarei caput inter fratres suos. [17] Quasi primogeniti thauri pulcritudo eius: cornua rinocerotis cornua illius. In ipsis ventilabit gentes vsque ad terminos terre. Hee sunt multitudines ephraim: et hec milia manasse. [18] Et zabulon ait. Letare zabulon in exitu tuo: et ysachar in tabernaculis tuis: [19] populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iusticie. Qui inundationem maris quasi lac sugent: et thesauros absconditos arenarum. [20] Et gad ait. Benedictus in latitudine gad. Quasi leo requieuit: cepitque brachium et verticem. [21] Et vidit principatum suum quod in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi et fecit iusticias domini: et iudicium suum cum israhel. [22] Dan quoque ait. Dan catulus leonis: fluet largiter de basan. [23] Et neptali dixit. Neptalim abundantia perfruetur: et plenus erit benedictionibus domini. Mare et meridiem possidebit. [24] Aser quoque ait. Benedictus in filijs aser. Sit placens fratribus suis: et intinguat in oleo pedem suum. [25] Ferrum et es calciamentum eius. Sicut dies iuuentutis tue ita et senectus tua. [26] Non est alius vt deus rectissimus. Ascensor celi auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes: [27] habitaculum eius sursum et subter

brachia sempiterna. Eiciet a facie tua inimicum: dicetque conterere. [28] Habitabit israhel confidenter et solus. Oculus iacob in terra frumenti et vini: celique caligabunt rore. [29] Beatus tu israhel. Quis similis tui· populе qui saluaris in domino Scutum auxilij tui: et gladius glorie tue. Negabunt te inimici tui: et tu eorum colla calcabis.

34 scendit ergo moyses de campestribus moab super montem nebo in verticem phasga contra iherichо: ostenditque ei dominus omnem terram galaad vsque dan· [2] et vniuersum neptalim terramque ephraim et manasse et omnem terram vsque ad mare nouissimum· [3] et australem partem et latitudinem campi iherichо ciuitatis palmarum vsque segor. [4] Dixitque dominus ad eum. Hec est terra pro qua iuraui abraham ysaac et iacob dicens. Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis: et non transibis ad illam. [5] Mortuusque est ibi moyses seruus domini in terra moab iubente domino: [6] et sepeliuit eum in valle terre moab contra phogor: et non cognouit homo sepulcrum eius vsque in presentem diem. [7] Moyses centum et viginti annorum erat quando mortuus est. Non caligauit oculus eius: nec dentes illius moti sunt. [8] Fleuerunt que eum filij israhel in campestribus moab triginta diebus: et completi sunt dies planctus lugentium moysen. [9] Iosue vero filius nun repletus est spiritu sapientie: quia moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filij israhel: feceruntque sicut precepit dominus moysi. [10] Et non surrexit propheta vltra in israhel sicut moyses quem nosset dominus a facie ad faciem [11] in omnibus signis atque portentis que per eum misit vt faceret in terra egipti pharaoni et omnibus seruis eius vniuerseque terre illius: [12] et cunctam manum robustam magnaque mirabilia que fecit moyses coram vniuerso israhel.

Incipit prologus beati ieronimi presbiteri in librum iosue.

Tandem finito pentatheuco moysi velud grandi fenore liberati ad ihesum filium naue manum mittimus quem hebrei iosue bennun id est iosue filium nun vocant: et ad iudicum librum quem sopthim appellant: ad ruth quoque et hester quos ijsdem nominibus efferunt. Monemusque lectorem vt siluam hebraicorum nominum· et distinctiones per membra diuisas diligens scriptura conseruet: ne et noster labor et illius studium pereat. Et vt in primis quod sepe testatus sum sciat me non in reprehensionem veterum noua cudere sicut amici mei criminantur: sed pro vili portione offerre lingue mee hominibus quos tamen nostra delectant: vt pro grecorum exaploys que et sumptu et labore maximo indigent· editionem nostram habeant. Et sicubi in antiquorum voluminum lectione dubitarint: hec illis conferentes inueniant quod requirunt. Maxime cum apud latinos tot sint exemplaria quot codices: et vnusquisque pro arbitrio suo vel addiderit vel subtraxerit quod ei visum est: et vtique non possit verum esse quod dissonat. Vnde cesset arcuato vulnere contra nos insurgere scorpius· et sanctum opus venenata carpere lingua desistat: vel suscipiens si placet vel contemnens si displicet: memineritque illorum versuum. Os tuum abundauit malicia· et lingua tua concinabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris: et aduersus filium matris tue ponebas scandalum: hec fecisti et tacui. Existimasti inique quod ero tui similis· arguam te et statuam illa contra faciem tuam. Que enim audientis vel legentis vtilitas est nos laborando sudare· et alios detrahendo laborare: dolere iudeos quod calumniandi eis et irridendi cristianos sit oblata occasio: et ecclesie homines id despicere ymmo lacerare vnde aduersarij torqueantur? Quod si vetus eis tantum interpretatio placet· que et michi non displicet et nichil extra recipiendum putant: cur ea que sub asteriscis et obelis vel addita sunt vel amputata legunt et negligunt? Quare danielem iuxta theodotionis translationem ecclesie susceperunt: Cur origenem mirantur et eusebium pamphili: cunctas editiones similiter disserentes? Aut que fuit stulticia: postquam vera dixerint proferre que falsa sunt? Vnde autem in nouo testamento probare poterunt assumpta testimonia: que in libris veteribus non habentur? Hec dicimus: ne omnino calumniantibus tacere videamur Ceterum post sancte paule dormitionem cuius vita virtutis exemplum est· et hos libros quos eustochio virgini cristi negare non potui· decreuimus dum spiritus hos regit artus prophetarum explanationi incumbere· et omissum iam diu opus quodam post liminio repetere: presertim cum et ammirabilis sanctusque vir pammachius hoc idem litteris flagitet: et nos ad patriam festinantes· mortiferos syrenarum cantus surda debeamus aure transire.

Iosue

Incipit liber iosue.

1 Et t factum est post morA tem moysi serui domini· vt loqueretur dominus ad iosue filium nun ministrum moysi: et diceret ei. [2] Moyses seruus meus mortuus est. Surge et transi iordanem istum tu et omnis populus tecum: in terram quam ego dabo filijs israhel. [3] Omnem locum quem calcauerit vestigium pedis vestri vobis tradam: sicut locutus sum moysi. [4] A deserto et libano vsque ad fluuium magnum eufraten: omnis terra etheorum vsque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. [5] Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vite vestre. Sicut fui cum moyse ero et tecum: non dimittam nec derelinquam te. [6] Confortare et esto robustus. Tu enim sorte diuides populo huic terram: pro qua iuraui patribus tuis vt traderem eam illis. [7] Confortare igitur et esto robustus valde: vt custodias et facias omnem legem quam precepit tibi moyses seruus meus. Ne declines ab ea ad dextram vel ad sinistram: vt in telligas cuncta que agis. [8] Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus: vt custodias et facias omnia que scripta sunt in eo. Tunc diriges viam tuam: et intelliges eam. [9] Ecce precipio tibi: confortare et esto robustus. Noli metuere et noli timere: quoniam tecum est dominus deus tuus in omnibus ad quecumque perrexeris. [10] Precepitque iosue principibus populi dicens. Transite per medium castrorum: et imperate populo et dicite. [11] Preparate vobis cibaria: quoniam post diem tercium transibitis iordanen: et intrabitis ad possidendam terram quam dominus deus noster daturus est nobis. [12] Rubenitis quoque et gadditis et dimidie tribui manasse ait. [13] Mementote sermonis quem precepit vobis moyses famulus domini dicens. Dominus deus vester dedit vobis requiem et omnem terram. [14] Vxores vestre et filij ac iumenta manebunt in terra: quam tradidit vobis moyses transiordanen. Vos autem transite armati ante fratres vestros omnes fortes manu et pugnate pro eis [15] donec det requiem dominus fratribus vestris sicut et vobis dedit: et possideant ipsi quoque terram quam dominus deus vester daturus est eis: et sic reuertimini in terram possessionis vestre et habitabitis in ea quam vobis dedit moyses famulus domini transiordanen contra solis ortum. [16] Responderuutque ad iosue: atque dixerunt. Omnia que precepisti nobis faciemus: et quocunque miseris ibimus. [17] Sicut obediuimus in cunctis moysi ita obediemus et tibi: tantum sit dominus deus tecum sicut fuit cum moyse. [18] Qui contradixerit ori tuo et non obedierit cunctis sermonibus quos preceperis ei: moriatur. Tu tantum confortare: et viriliter age.

2 Misit igitur iosue filius nun de sethim duos viros exploratores abscondite: et dixit eis. Ite et considerate terram: vrbemque ihericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine raab: et quieuerunt apud eam. [2] Nunciatumque est regi ihericho· et dictum. Ecce viri ingressi sunt huc per noctem de filijs israhel: vt explorarent terram. [3] Misitque rex ihericho ad raab meretricem dicens. Educ viros qui venerunt ad te: et ingressi sunt domum tuam. Exploratores quippe sunt: et omnem terram considerare venerunt. [4] Tollensque mulier viros abscondit· et ait. Fateor venerunt ad me: sed nesciebam vnde essent. [5] Cunque porta clauderetur in tenebris: et illi pariter exierunt: nescio quo abierunt. Persequimini cito: et comprehendetis eos. [6] Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus sue: operuitque eos stipula lini que ibi erat. [7] Hij autem qui missi fuerant secuti sunt eos per viam que ducit ad vadum iordanis: illisque egressis statim porta clausa est. [8] Nec dum obdormierant qui latebant: et ecce mulier ascendit ad eos· et ait. [9] Noui quod dominus tradiderit vobis terram. Etenim irruit in nos terror vester: et elanguerunt omnes habitatores terre. [10] Audiuimus quod siccauerit dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum quando egressi estis ex egipto: et que feceritis duobus amorreorum regibus qui erant transiordanen seon et og quos interfecistis. [11] Et hec audientes pertimuimus et elanguit cor nostrum: nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus enim deus vester ipse est deus in celo sursum: et in terra deorsum. [12] Nunc ergo iurate michi per dominum vt quomodo ego misericordiam feci vobiscum ita et vos faciatis cum domo patris mei: detisque michi verum signum [13] vt saluetis patrem meum et matrem· fratres ac sorores meas· et omnia que illorum sunt: et eruatis animas nostras a morte. [14] Qui responderunt ei. Anima nostra sit pro vobis in mortem si tamen non prodideris nos. Cunque tradiderit nobis dominus terram: faciemus in te misericordiam et veritatem. [15] Demisit ergo eos per funem de fenestra. Domus enim eius herebat muro. [16] Dixitque ad eos. Ad montana conscendite ne forte occurrant vobis reuertentes: ibique latitate tribus diebus donec redeant: et sic ibitis per viam vestram. [17] Qui dixerunt ad eam. Innoxij erimus a iuramento hoc quo adiurasti nos [18] si ingredientibus nobis terram signum fuerit funiculus iste coccineus et ligaueris eum in fenestra per quam dimisisti nos: et patrem tuum ac matrem fratresque et omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam. [19] Qui hostium domus tue egressus fuerit: sibi erit. Sanguis ipsius erit in caput eius: et nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis qui tecum in domo fuerint redundabit in caput nostrum: si eos aliquis tetigerit. [20] Quod si nos prodere volueris et sermonem istum proferre in medium: erimus mundi ab hoc iuramento quo adiurasti nos. [21] Et illa respondit. Sicut locuti estis ita fiat. Dimittensque eos vt pergerent: appendit funiculum coccineum in fenestra. [22] Illi vero ambulantes peruenerunt ad montana: et manserunt ibi tres dies donec reuerterentur qui fuerant persecuti. Querentes enim per omnem viam non repererunt eos. [23] Quibus vrbem ingressis· reuersi sunt et descenderunt exploratores de monte: et transmisso iordane venerunt ad iosue filium nun: narraueruntque ei omnia que acciderant sibi· [24] atque dixerunt. Tradidit dominus omnem terram hanc in manus nostras: et timore prostrati sunt cuncti habitatores eius.

3 Igitur iosue de nocte consurgens mouit castra: egredientesque de sethim venerunt ad iordanen ipse et omnes filij israhel: et morati sunt ibi per tres dies. [2] Quibus euolutis transierunt precones per castrorum medium: [3] et clamare ceperunt. Quando videritis arcam federis domini dei vestri et sacerdotes stirpis leuitice portantes eam vos quoque consurgite et sequimini precedentes: [4] sitque inter vos et arcam spacium cubitorum duum milium vt procul videre possitis et nosse per quam viam ingrediamini quia prius non ambulastis per eam: et cauete ne appropinquetis ad arcam. [5] Dixitque iosue ad populum. Sanctificamini: cras enim faciet dominus inter vos mirabilia. [6] Et ait ad sacerdotes. Tollite arcam federis: et precedite populum. Qui iussa complentes tulerunt: et ambulauerunt ante eos. [7] Dixitque dominus ad iosue. Hodie incipiam exaltare te coram omni israhel: vt sciant quod sicut cum moyse fui· ita et tecum sim. [8] Tu autem precipe sacerdotibus qui portant arcam federis: et dic eis. Cum ingressi fueritis partem aque iordanis: state in ea. [9] Dixitque iosue ad filios israhel. Accedite huc: et audite verbum domini dei vestri. [10] Et rursum in hoc inquit scietis quod dominus deus viuens in medio vestri est: et disperdet in conspectu vestro chananeum et etheum eueum et pherezeum gergeseum quoque et iebuseum et amorreum. [11] Ecce arca federis domini omnis terre antecedet vos per iordanen. [12] Parate duodecim viros de duodecim tribubus israhel: singulos per singulas tribus. [13] Et cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes qui portant arcam federis domini dei vniuerse terre in aquis iordanis· aque que inferiores sunt decurrent atque deficient: que autem desuper veniunt in vna mole consistent. [14] Igitur egressus est populus de tabernaculis suis vt transiret iordanen: et sacerdotes qui portabant arcam federis pergebant ante eum. [15] Ingressisque eis iordanen et pedibus eorum in parte aque tinctis: iordanis autem ripas aluei sui tempore messis impleuerat: [16] steterunt aque descendentes in loco vno: et ad instar montis intumescentes apparebant procul ab vrbe que vocatur edom vsque ad locum sarthan: que autem inferiores erant in mare solitudinis quod nunc vocatur mortuum descenderunt vsquequo omnino deficerent. [17] Populus autem incedebat contra iordanen et sacerdotes qui portabant arcam federis domini stabant super siccam humum in medio iordanis accincti: omnisque populus per arentem alueum transibat.

4 Quibus transgressis: dixit dominus ad iosue. [2] Elige duodecim viros singulos per singulas tribus: [3] et precipe eis vt tollant de medio iordanis alueo vbi steterunt pedes sacerdotum duodecim durissimos lapides: quos ponetis in loco castrorum vbi fixeritis hac nocte tentoria. [4] Vocauitque iosue duodecim viros quos elegerat de filijs israhel singulos de singulis tribubus: [5] et ait ad eos. Ite ante arcam domini dei vestri ad iordanis medium: et portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris iuxta numerum filiorum israhel: [6] vt sit signum inter vos. Et quando interrogauerint vos filij vestri cras dicentes quid sibi volunt isti lapides: [7] respondebitis eis. Defecerunt aque iordanis ante arcam federis domini cum transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monimentum filiorum israhel vsque ineternum. [8] Fecerunt ergo filij israhel sicut precepit eis iosue portantes de medio iordanis alueo duodecim lapides vt dominus ei imperarat iuxta numerum filiorum israhel vsque in locum in quo castrametati sunt: ibique posuerunt eos. [9] Alios quoque duodecim lapides posuit iosue in medio iordanis alueo vbi steterunt sacerdotes qui portabant arcam federis domini: et sunt ibi vsque in presentem diem. [10] Sacerdotes autem qui portabant arcam stabant in iordanis medio donec omnia complerentur que iosue vt loqueretur ad populum preceperat dominus: vt dixerat ei moyses. Festinauitque populus et transiuit. [11] Cunque transissent omnes transiuit et archa domini: sacerdotes quoque pergebant ante populum. [12] Filij quoque ruben et gad et dimidia tribus manasse precedebant fratres suos filios israhel sicut eis preceperat moyses: [13] et quadraginta pugnatorum milia per turmas et cuneos incedebant per plana atque campestria vrbis ihericho. [14] In illo die magnificauit dominus iosue coram omni israhel: vt timerent eum sicut timuerant moysen dum adhuc viueret. [15] Dixitque ad eum. [16] Precipe sacerdotibus qui portant arcam federis: vt ascendant de iordane. [17] Qui precepit eis dicens. Ascendite de iordane. [18] Cunque ascendissent portantes arcam federis domini et siccam humum calcare cepissent· reuerse sunt aque in alueum suum: et fluebant sicut ante consueuerant. [19] Populus autem ascendit de iordane decimo die mensis primi: et castrametati sunt in galgalis contra orientalem plagam vrbis iericho. [20] Duodecim quoque lapides quos de iordanis alueo sumpserant posuit iosue in galgalis: [21] et dixit ad filios israhel. Quando interrogauerint filij vestri cras patres suos et dixerint eis quid sibi volunt lapides isti: [22] docebitis eos atque dicetis. Per arentem alueum transiuit israhel iordanen istum [23] siccante domino deo nostro aquas eius in conspectu nostro donec transiremus [24] sicut fecerat prius in mari rubro quod siccauit donec transiremus: [25] vt discant omnes terrarum populi fortissimam manum domini: vt et vos timeatis dominum deum vestrum omni tempore.

5 Postque ergo audierunt omnes reges amorreorum qui habitabant trans iordanen ad occidentalem plagam et cuncti reges chanaan qui propinqua possidebant magni maris loca· quod siccasset dominus fluenta iordanis coram filijs israhel donec transirent: dissolutum est cor eorum et non remansit in eis spiritus: timentium introitum filiorum israhel. [2] Eo tempore ait dominus ad iosue. Fac tibi cultros lapideos: et circumcide secundo filios israhel. [3] Fecit quoque quod iusserat dominus: et circumcidit filios israhel in colle prepuciorum. [4] Hec autem causa est secunde circumcisionis. Omnis populus qui egressus est de egipto generis masculini vniuersi bellatores viri mortui sunt in deserto per longissimos vie circuitus [5] qui omnes circumcisi erant: populus autem qui natus est in deserto [6] per quadraginta annos itineris latissime solitudinis incircuucisus fuit donec consumerentur qui non audierunt vocem domini: et quibus ante iurauerat vt ostenderet eis terram lacte et melle manantem. [7] Horum filij in locum successerunt patrum: et circumcisi sunt a iosue qui sicut nati fuerant in prepucio erant: nec eos in via aliquis circumciderat. [8] Postquam autem omnes circumcisi sunt: manserunt in eodem castrorum loco donec sanarentur. [9] Dixitque dominus ad iosue. Hodie abstuli obprobrium egipti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius galgala vsque in presentem diem. [10] Manseruntque filij israhel in galgalis: et fecerunt phase quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus iericho: [11] et comederunt de frugibus terre die altero azimos panes et polentam eiusdem anni. [12] Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terre: nec vsi sunt vltra cibo illo filij israhel: sed comederunt de frugibus presentis anni terre chanaan. [13] Cum autem esset iosue in agro vrbis iericho leuauit oculos: et vidit virum stantem contra se euaginatum tenentem gladium: perrexitque ad eum et ait. Noster es· an aduersariorum? [14] Qui respondit. Nequaquam: sed sum princeps exercitus domini: et nunc venio. [15] Cecidit iosue pronus in terram: et adorans ait. Quid dominus meus loquitur ad seruum suum? [16] Solue inquit calciamentum tuum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas sanctus est. Fecit que iosue: vt sibi fuerat imperatum.

6 Iericho autem clausa erat atque munita timore filiorum israhel: et nullus audebat vrbem ingredi vel egredi. [2] Dixit que dominus ad iosue. Ecce dedi in manus tuas iericho et regem eius: omnesque fortes viros. [3] Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem. Sic facietis sex diebus. [4] Septimo autem die sacerdotes tollent septem bucinas quarum vsus est in iubileo: et precedent archam federis. Septiesque circuibitis ciuitatem: et sacerdotes clangent bucinis. [5] Cumque insonuerit vox tube longior atque concisior et in auribus vestris increpuerit conclamabit omnis populus vociferatione maxima: et muri funditus corruent ciuitatis: ingredienturque singuli per locum contra quem steterint. [6] Vocauit ergo iosue filius nun sacerdotes: et dixit ad eos. Tollite archam federis. Et septem alij sacerdotes tollant septem iubileorum bucinas: et incedant ante archam domini. [7] Ad populum quoque ait. Ite: et circuite ciuitatem armati precedentes archam domini. [8] Cunque iosue verba finisset et septem sacerdotes septem bucinis clangerent ante archam federis domini: [9] omnisque populus precederet armati exercitus: reliquum vulgus archam sequebatur ac bucinis omnia concrepabant. [10] Preceperat autem iosue populo dicens. Non clamabitis: nec audietur vox vestra neque vllus sermo ex ore vestro egredietur: donec veniat dies in quo dicam vobis. Clamate et vociferamini. [11] Circuiuit ergo archa domini ciuitatem semel per diem: et reuersa in castra mansit ibi. [12] Igitur iosue de nocte consurgente tulerunt sacerdotes archam domini: [13] et septem ex eis septem bucinas quarum in iubileo vsus est: precedebantque archam domini ambulantes atque clangentes: et armatus populus ibat ante eos: vulgus autem reliquum sequebatur archam: et bucinis personabat. [14] Circuieruntque ciuitatem secundo die semel: et reuersi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. [15] Die autem septimo diluculo consurgentes: circuierunt vrbem sicut dispositum erat septies. [16] Cunque septimo circuitu clangerent bucinis sacerdotes: dixit iosue ad omnem israhel. Vociferamini. Tradidit enim vobis dominus ciuitatem. [17] Sitque ciuitas hec anathema et omnia que in ea sunt domino. Sola raab meretrix viuat: cum vniuersis que cum ea in domo sunt. Abscondit enim nuntios quos direximus. [18] Vos autem cauete ne de hijs que precepta sunt vobis quippiam contingatis et sitis preuaricationis rei: et omnia castra israhel sub peccato sint atque turbentur. [19] Quicquid autem auri aut argenti fuerit et vasorum eneorum ac ferri domino consecretur: repositum in thesauris eius. [20] Igitur omni populo vociferante et clangentibus tubis postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit muri ilico corruerunt: et ascendit vnusquisque per locum qui contra se erat. Ceperuntque ciuitatem: [21] et interfecerunt omnia que erant in ea a viro vsque ad mulierem: ab infante vsque ad senem. Boues quoque et oues et asinos in ore gladij percusserunt. [22] Duobus autem viris qui exploratores missi fuerant dixit iosue. Ingredimini domum mulieris meretricis et producite eam et omnia que illius sunt: sicut illi iuramento firmastis. [23] Ingressique iuuenes eduxerunt: raab et parentes eius: fratres quoque et cunctam suppellectilem ac cognationem illius: et extra castra israhel manere fecerunt. [24] Vrbem autem et omnia que inuenta sunt in ea succenderunt absque auro et argento et vasis eneis ac ferro: que in erarium domini consecrarunt. [25] Raab vero meretricem et domum patris eius et omnia que habebat fecit iosue viuere: et habitauerunt in medio israhel vsque in presentem diem: eo quod absconderit nuncios quos miserat vt explorarent iericho. In tempore illo imprecatus est iosue dicens. [26] Maledictus vir coram domino: qui suscitauerit et edificauerit ciuitatem iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat: et in nouissimo liberorum ponat portas eius. [27] Fuit ergo dominus cum iosue: et nomen eius vulgatum est in omni terra.

7 Filij autem israhel preuaricati sunt mandatum: et vsurpauerunt de anachemate. Nam achan filius charmi filij zabdi filij zare de tribu iuda tulit aliquid de anathemate. Iratusque est dominus contra filios israhel. [2] Cumque mitteret iosue de iericho viros contra hay que est iuxta bethauen ad orientalem plagam oppidi bethel: dixit eis. Ascendite: et explorate terram. Qui precepta complentes explorauerunt hay. [3] Et reuersi dixerunt ei. Non ascendat omnis populus: sed duo vel tria milia virorum pergant et deleant ciuitatem. Quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos? [4] Ascenderunt ergo tria milia pungnatorum. Qui statim terga vertentes [5] percussi sunt a viris vrbis hay: et corruerunt ex eis triginta et sex homines. Persecutique sunt eos aduersarij de porta vsque ad sabarim: et ceciderunt per prona fugientes. Pertimuitque cor populi: et ad instar aque liquefactum est. [6] Iosue vero scidit vestimenta sua: et pronus cecidit in terram coram archa domini vsque ad vesperam: tam ipse quam omnes senes israhel. Miseruntque puluerem super capita sua: [7] et dixit iosue. Heu domine deus. Quid voluisti traducere populum istum iordanen fluuium: vt traderes nos in manus amorrei et perderes? Vtinam vt cepimus mansissemus trans iordanen. [8] Mi domine deus quid dicam: videns israhelem hostibus suis terga vertentem? [9] Audient chananei et omnes habitatores terre: et pariter conglobati circundabunt nos: atque delebunt nomen nostrum de terra. Et quid facies magno nomini tuo? [10] Dixitque dominus ad iosue. Surge: cur iaces pronus in terra? [11] Peccauit israhel et preuaricatus est pactum meum: tuleruntque de anathemate et furati sunt atque mentiti: et absconderunt inter vasa sua. [12] Nec poterit israhel stare ante hostes suos: eosque fugiet: quia pollutus est anathemate. Non ero vltra vobiscum: donec conteratis eum qui huius sceleris reus est. [13] Surge sanctifica populum: et dic eis. Sanctificamini in crastinum. Hec enim dicit dominus deus israhel. Anathema in medio tui est israhel. Non poteris starecoram coram hostibus tuis: donec deleatur ex te qui contaminatus est hoc scelere. [14] Accedetisque mane singuli per tribus vestras: et quamcunque tribum sors inuenerit· accedet per cognationes suas et cognatio per domos domusque per viros: [15] et quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehensus comburetur igni cum omni substantia sua: quoniam preuaricatus est pactum domini: et fecit nephas in israhel. [16] Surgens itaque iosue mane. applicauit israhel per tribus suas: et inuenta est tribus iuda. [17] Que cum iuxta familias suas esset oblata: inuenta est familia zare. Illam quoque per domos offerens reperit zabdi: [18] cuius domum in singulos diuidens viros inuenit achan filium charmi filij zabdi filij zare de tribu iuda. [19] Et ait iosue ad achan. Fili mi da gloriam domino

deo israhel et confitere: atque indica michi quid feceris ne abscondas. [20] Respondit que achan iosue: et dixit ei. Vere ego peccaui domino deo israhel: et sic et sic feci. [21] Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum et ducentos siclos argenti regulamque auream quinquaginta siclorum: et concupiscens abstuli et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei: argentumque fossa humo operui. [22] Misit ergo iosue ministros: qui currentes ad tabernaculum illius repererunt cuncta abscondita in eodem loco: et argentum simul. [23] Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad iosue et ad omnes filios israhel: proieceruntque ante dominum. [24] Tollens itaque iosue achan filium zare· argentumque et pallium et auream regulam· filios quoque et filias eius· boues et asinos et oues ipsumque tabernaculum et cunctam supellectilem et omnis israhel cum eo: duxerunt eos ad vallem achor: [25] vbi dixit iosue. Quia turbasti nos: exturbet te dominus in die hac. Lapidauit que eum omnis israhel: et cuncta que illius erant igne consumpta sunt. [26] Congregaueruntque super eum aceruum magnum la pidum: qui permanent vsque in presentem diem. Et auersus est furor domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius vallis achor vsque hodie.

8 Dixit autem dominus ad iosue. Ne timeas· neque formides. Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum: et consurgens ascende in oppidum hay. Ecce tradidi in manum tuam regen eius et populum: vrbemque et terram. [2] Faciesque vrbi hay et regi eius: sicut fecisti iericho et regi illius. Predam vero et omnia animantia diripietis vobis. Pone insidias vrbi post eam. [3] Surrexitque iosue et omnis exercitus bellatorum cum eo: vt ascenderent in hay. Et electa triginta milia virorum fortium misit nocte: [4] precepitque eis dicens. Ponite insidias post ciuitatem. Nec longius recedatis: et eritis omnes parati. [5] Ego autem et reliqua multitudo que mecum est ascendemus ex aduerso contra vrbem. Cumque exierint contra nos sicut ante fecimus fugiemus: et terga vertemus [6] donec persequentes ab vrbe protrahantur longius. Putabant enim nos fugere sicut prius. [7] Nobis ergo fugientibus et illis persequentibus· consurgetis de insidijs et vastabitis ciuitatem: tradetque eam dominus deus vester in manus vestras. [8] Cunque repetitis succendite eam: et sic omnia facietis vt iussi. [9] Dimisitque eos et percexerunt ad locum insidiarum: sederuntque inter bethel et hay ad occidentalem plagam vrbis hay. Iosue autem nocte illa in medio mansit populi. [10] Surgensque diluculo recensuit socios: et ascendit cum senioribus in fronte exercitus: vallatus auxilio pugnatorum. [11] Cumque venissent et ascendissent ex aduerso ciuitatis Steterunt ad septentrionalem vrbis plagam: inter quam et eos vallis erat media. [12] Quinque autem milia viros elegerat et posuerat in insidijs inter bethauen et hay ex occidentali parte eiusdem ciuitatis: [13] omnis vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat: ita vt nouissimi multitudinis occidentalem plagam vrbis attingerent. Abijt ergo iosue nocte illa: et Stetit in vallis medio. [14] Quod cum vidisset rex hay festinauit mane: et egressus est cum omni exercitu ciuitatis direxitque aciem contra desertum: ignorans quod post tergum laterent insidie. [15] Iosue vero et omnis israhel cesserunt loco: simulantes metum et fugientes per solitudinis viam. [16] At illi vociferantes pariter et se mutuo cohortantes: persecuti sunt eos. Cumque recessissent a ciuitate: [17] et ne vnus quidem in vrbe hay et bethel remansisset qui non persequeretur israhel sicut eruperant aperta oppida relinquentes: [18] Dixit dominus ad iosue. Leua clipeum qui in manu tua est contra vrbem hay: quoniam tibi tradam eam. [19] Cumque eleuassent clipeum ex aduerso ciuitatis insidie que latebant surrexerunt confestim: et pergentes ad ciuitatem ceperunt: et succenderunt eam. [20] Viri autem ciuitatis qui persequebantur iosue respicientes et videntes fumum vrbis ad celum vsque conscendere· non potuerunt vltra huc illucque diffugere: presertim cum hij qui simulauerant fugam et tendebant ad solitudinem: contra persequentes fortissime restitissent. [21] Videnque iosue et omnis israhel quod capta esset ciuitas et fumus vrbis ascenderet: reuersus percussit viros hay. [22] Siquidem et illi qui ceperant et succenderant ciuitatem· egressi ex vrbe contra suos· medios hostium ferire ceperunt. Cum ergo ex vtraque parte aduersarij cederentur ita vt nullus de tanta multitudine saluaretur: [23] regem quoque vrbis hay apprehendere viuentem: et obtulerunt iosue. [24] Igitur omnibus interfectis qui israhelem ad deserta tendentes fuerant persecuti et in eodem loco gladio corruentibus: reuersi filij israhel percusserunt ciuitatem. [25] Erant autem qui in eodem die conciderant a viro vsque ad mulierem: duodecim milia hominum omnis vrbis hay. [26] Iosue vero non contraxit manum quam in sublime porrexerat tenens clipeum: donec interficerentur omnes habitatores hay. [27] Iumenta autem et predam ciuitatis diuiserunt sibi filij israhel: sicut preceperat dominus iosue. [28] Qui succendit vrbem: et fecit eam tumulum sempiternum. [29] Regem quoque eius suspendit in patibulo vsque ad vesperam et solis occasum: precepitque iosue et deposuerunt cadauer eius de cruce: proieceruntque in ipso introitu ciuitatis congesto super eum magno aceruo lapidum qui permanet vsque in presentem diem. [30] Tunc edificauit iosue altare domino deo israhel in monte hebal: [31] sicut preceperat moyses famulus domini filijs israhel et scriptum est in volumine legis moysi· altare de lapidibus impolitis quos ferrum non tetigit: et obtulit super eo olocaustum domino: immolauit pacificas victimas. [32] Et scripsit iosue super lapides deutronomium legis moysi: quod ille digesserat coram filijs israhel. [33] Omnis autem populus et omnes maiores natu· ducesque ac iudices stabant ex vtraque parte arche in conspectu sacerdotum qui portabant archam federis domini: vt aduena ita et indigena. Media pars eorum iuxta montem garizim et media iuxta montem hebal: sicut preceperat moyses famulus domini. Et primum quidem benedixit populo israhel: [34] post hec legit omnia verba benedictionis et maledictionis et cuncta que scripta fuerant in legis volumine. [35] Nichil ex hijs que moyses iusserat reliquit intactum: sed vniuersa replicauit coram omni multitudine israhel mulieribus ac paruulis et aduenis qui inter eos morabantur.

9 Quibus auditis: cuncti reges trans iordanen qui versabantur in montanis et campestribus et maritimis ac litore magni maris hij quoque qui habitabant iuxta libanum etheus et amorreus chananeus pherezeus et eueus et iebuseus [2] congregati sunt pariter: vt pugnarent contra iosue et israhel vno animo eademque sentencia. [3] At hij qui habitabant in gabaon· audientes cuncta que fecerat iosue iericho et hay: [4] et callide cogitantes tulerunt sibi cibaria· saccos veteres asinis imponentes et vtres vinarios scissos atque consutos [5] calciamentaque perantiqua que ad indicium vetustatis pitacijs consuta erant: induti veteribus vestimentis: panes quoque quos portabant ob viaticum duri erant et in frusta comminuti. [6] Perrexeruntque ad iosue qui tunc morabatur in castris galgale et dixerunt ei atque simul omni israheli. De terra longinqua venimus: pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri israhel ad eos: atque dixerunt. [7] Ne forte in terra que nobis sorte debetur habitetis: et non possimus fedus inire vobiscum. [8] At illi ad iosue: serui inquiunt tui sumus. Quibus iosue ait. Qui nam estis vos· aut vnde venistis? [9] Responderunt de terra longinqua valde venerunt serui tui: in nomine domini dei tui. Audiuimus enim famam potentie eius: cuncta que fecit in egipto [10] et duobus regibus amorreorum qui fuerunt trans iordanen seon regi esebon et og regi basan qui erant in astaroth: [11] dixeruntque nobis seniores et omnes habitatores terre nostre. Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam: et occurrite eis et dicite. Serui vestri sumus: fedus inite nobiscum. [12] En panes quando egressi sumus de domibus nostris· vt veniremus ad vos cali dos sumpsimus: nunc sicci facti sunt: et vetustate nimia comminuti. [13] Vtres vini nouos impleuimus: nunc rupti sunt et soluti. Vestes et calciamenta quibus induimur et que habemus in pedibus ob longitudinem longioris vie trita sunt: et pene consumpta. [14] Susceperunt igitur de cibarijs eorum: et os domini non interrogauerunt. [15] Fecitque iosue cum eis pacem: et inito federe pollicitus est vt non occiderentur. Principes quoque multitudinis iurauerunt eis. [16] Post dies autem tres initi federis audierunt quod in vicino habitarent· et inter eos futuri essent. [17] Moueruntque castra filij israhel: et venerunt in ciuitates eorum die tercio: quarum hec vocabula sunt: gabaon et caphira et beroth et cariathiarim. [18] Et non percusserunt eos: eo quod iurassent eis principes multitudinis in nomine domini dei israhel. Murmurauit itaque omne vulgus contra principes israhel. [19] Qui responderunt eis. Iurauimus eis in nomine domini dei israhel: et idcirco non possumus eos contingere. [20] Sed hoc faciemus eis. Reseruentur

quidem viuant ne contra nos ira domini concitetur si peierauerimus: [21] sed sic viuant: vt in vsus vniuerse multitudinis ligna cedant aquasque comportent. Quibus hec loquentibus [22] vocauit gabaonitas iosue: et dixit eis. Cur nos decipere fraude voluistis· vt diceretis procul valde habitamus a vobis cum in medio nostri sitis? [23] Itaque sub maledictione eritis: et non deficiet de stirpe vestra ligna cedens aquasque comportans iu domum dei mei. [24] Qui responderunt. Nunciatum est nobis seruis tuis que promisisset dominus deus tuus moysi seruo suo: vt traderet vobis omnem terram: et disperderet cunctos habitatores eius. Timuimus igitur valde et prouidimus animabus nostris vestro terrore compulsi: et hoc consilium iniuimus. [25] Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum et rectum videtur fac nobis. [26] Fecit ergo iosue vt dixerat: et liberauit eos de manibus filiorum israhel: vt non occiderentur. [27] Decreuitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi et altaris domini cedentes ligna et aquas comportantes: vsque in presens tempus in loco quem dominus elegisset.

10 Que Que cum audisset adonisedech rex iherusalem quod scilicet cepisset iosue hay et subuertisset eam: sicut enim fecerat iericho· et regi eius sic fecit hay et regi illius: et quod transfugissent gabaonite ad israhel et essent federati eorum: [2] timuit valde. Vrbs enim magna erat gabaon et vna ciuitatum regalium: et maior oppido hay: omnesque bellatores eius fortissimi. [3] Misit ergo adonisedech rex iherusalem ad oham regem hebron et ad pharan regem ierimoth: ad iaphie quoque regem lachis et ad dabir regem eglon dicens. [4] Ad me ascendite et ferte presidium vt expugnemus gabaon: quare transfugerit ad iosue et ad filios israhel. [5] Congregati igitur ascenderunt quinque reges amorreorum: rex iherusalem rex hebron rex ierimoth rex lachis rex eglon simul cum exercitibus suis: et castra metati sunt circa gabaon oppugnantes eam. [6] Habitatores autem gabaon vrbis obsesse miserunt ad iosue qui tunc morabatur in castris apud galgalam: et dixerunt ei. Ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorum tuorum. Ascende cito et libera nos: ferque presidium. Conuenerunt enim aduersum nos omnes reges amorreorum: qui habitant in montanis. [7] Ascenditque iosue de galgalis et omnis exercitus bellatorum cum eo viri fortissimi. [8] Dixitque dominus ad iosue. Ne timeas eos. In manus enim tuas tradidi illos. Nullus enim ex eis tibi resistere poterit. [9] Irruit itaque iosue super eos repente. Tota nocte ascendens de galgalis. [10] Et conturbauit eos dominus a facie israhel: contriuit que plaga magna in gabaon· ac persecutus est eos per viam ascensus bethoron: et percussit vsque azecha et maceda. [11] Cunque fugerent filios israhel et essent in descensu bethoron: dominus misit super eos lapides magnos de celo vsque ad azecha. Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis: quam quos gladio percusserant filij israhel. [12] Tunc locutus est iosue domino in die qua tradidit amorreum in conspectu filiorum israhel: dixitque coram eis. Sol contra gabaon ne mouearis: et luna contra vallem aialon. [13] Steteruntque sol et luna: donec vlcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro iustorum? Stetit itaque sol in medio celi: et non festinauit occumbere spacio vnius diei. [14] Non fuit ante et postea tam longa dies obediente domino voci hominis: et pugnante pro israhel. [15] Reuersusque est iosue cum omni israhel in castra galgale. [16] Fugerant enim quinque reges: et se absconderant in spelunca vrbis maceda. [17] Nunciatumque est iosue quod inuenti essent quinque reges: latentes in spelunca vrbis maceda. [18] Qui precepit socijs et ait. Voluite saxa ingentia ad os spelunce· et ponite viros industrios qui clausos custodiant. [19] Vos autem nolite stare: sed persequimini hostes: et extremos quosque fugientium cedite. Ne dimittatis eos vrbium suarum intrare presidia: quos tradidit dominus deus in manus vestras. [20] Cesis ergo aduersarijs plaga magna et vsque ad internetionem pene consumptis: hij qui israhel effugere potuerunt ingressi sunt ciuitates munitas. [21] Reuersusque est omnis exercitus ad iosue in maceda vbi tunc erant castra: sani et integro numero. Nullusque contra filios israhel mutire ausus est. [22] Precepitque iosue dicens. Aperite os spelunce: et producite ad me quinque reges qui in ea latitant. [23] Feceruntque ministri vt sibi fuerat imperatum: et adduxerunt ad eum quinque reges de spelunca: regem iherusalem regem hebron regem ierimoth regem lachis regem eglon. [24] Cumque educti essent ad eum vocauit omnes viros israhel: et ait ad principes exercitus qui secum erant. Ite et ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent et subiectorum colla pedibus calcarent: [25] rursum ait ad eos. Nolite timere nec paueatis: confortamini et estote robusti. Sic enim faciet dominus cunctis hostibus vestris: aduersum quos [26] Percussitque iosue et interfecit eos: atque suspendit super quinque stipites: fuerunt que suspensi vsque ad vesperum. [27] Cunque occumberet sol precepit socijs vt deponerent eos de patibulis: qui depositos proiecerunt in speluncam in qua latuerant: et posuerunt super os eius saxa ingentia que permanent vsque in presens. [28] Eodem die macedam quoque cepit iosue et percussit in ore gladij: regemque illius interfecit: et omnes habitatores eius. Non dimisit in ea saltem paruas reliquias. Fecitque regi maceda: sicut fecerat regi iericho. [29] Transiuit cum omni israhel de maceda in lebna et pugnabat contra eam: [30] quam tradidit dominus cum rege suo in manus israhel. Percusseruntque vrbem in ore gladij: et omnes habitatores eius. Non dimiserunt in ea vllas reliquias. Feceruntque regi lebna: sicut fecerant regi iericho. [31] De lebna transiuit in lachis cum omni israhel: et exercitu per girum disposito oppugnabat eam: [32] tradiditque dominus lachis in manus filiorum israhel et cepit eam de altero: atque percussit in ore gladij omnemque animam que fuerat in ea sicut fecerat lebna. [33] Eo tempore ascendit iram rex gazer vt auxiliaretur lachis: quem percussit iosue cum omni populo eius vsque ad internecionem. [34] Transiuitque de lachis in eglon: et circumdedit [35] atque expugnauit eam in eadem die: percussitque in ore gladij omnes animas que erant in ea iuxta omnia que fecerat lachis. [36] Ascendit quoque cum omni israhel de eglon in ebron et pugnauit contra eam: [37] cepitque et percussit in ore gladij: regem quoque eius et omnia oppida regionis illius vniuersasque animas que in ea fuerant commorate. Non reliquit in ea vllas reliquias. Sicut fecerat eglon sic fecit et ebron: cuncta que in ea repetit consumens gladio. [38] Inde reuersus in dabir [39] cepit eam atque vastauit: regem quoque eius atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladij. Non dimisit in ea vllas reliquias. Sicut fecerat ebron et lebna et regibus earum: sic fecit dabir et regi illius. [40] Percussit itaque iosue omnem terram montanam et meridianam atque campestrem: et asedoth cum regibus suis. Non dimisit in ea vllas reliquias: sed omne quod spirare poterat interfecit sicut perceperat ei dominus deus israhel: [41] a cades barne vsque ad gazam. Omnem terram gosen vsque gabaon [42] vuiuersosque reges et regiones eorum vno impetu cepit atque vastauit. Dominus enim deus israhel pugnauit pro eo. [43] Reuersusque est cum omni israhel ad locum castrorum in galgala.

11 Que cum audisset iabin rex asor misit ad iobab regem madon et ad regem seneron atque ad regem acsaph: [2] ad reges quoque aquilonis qui habitabant in montanis et in planicie contra meridiem ceneroch: in campestribus quoque et regionibus dor iuxta mare: [3] chananeum quoque ab oriente et occidente et amorreum atque etheum ac pherezeum et ihebuseum in montanis: eueum quoque qui habitabat ad radices hermon in terra masphe. [4] Egressique sunt omnes cum turmis suis: populus multus nimis sicut harena que est in litore maris: equi quoque et currus immense multitudinis. [5] Conueneruntque omnes reges isti in vnum ad aquas meron: vt pugnarent contra israhel. [6] Dixitque dominus ad iosue. Ne timeas eos. Cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu israhel. Equos eorum subneruabis: et currus igne combures. [7] Venitque iosue et omnis exercitus eius cum eo aduersus illos ad aquas meron subito· et irruerunt super eos: [8] tradiditque illos dominus in manus israhel. Qui percusserunt eos et per sunt vsque ad sydonem magnam et aquas masserephot: campumque masphe qui est ad orientalem illius partem. Itaque percussit omnes: vt nullas dimitteret ex eis reliquias. [9] Fecitque sicut preceperat ei dominus. Equos eorum subneruauit: currusque combussit igni. [10] Reuersusque statim cepit asor: et regem eius percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hec principatum tenebat. [11] Percussitque omnes animas que ibidem morabantur. Non dimisit in ea vllas reliquias sed vsque ad internecionem vniuersa vastauit: ipamque vrbem peremit incen vastauit. ipsamque vrbem dio: [12] et omnes per circuitum ciuitates. Reges quoque earum cepit percussit

atque dele quoque deleuit: sicut preceperat ei moyses famulus domini. 13 Absque vrbibus qui erant in collibus et in cumulis site ceteras succendit israhel: vnam tantum asor munitissimam flamma consumpsit. 14 Omnemque predam istarum vrbium ac iumenta diuiserunt sibi filij israhel: cunctis hominibus interfectis. 15 Sicut preceperat dominus moysi seruo suo: ita precepit moyses iosue: et ille vniuersa compleuit. Non preterijt de vniuersis mandatis: nec vnum quidem verbum quod moysi. iusserat dominus moysi. 16 Cepit itaque iosue omnem terram montanam et meridianam terramque gosen et planiciem et occidentalem plagam montemque israhel et campestria eius 17 et partem montis que ascendit seir vsque baalgath per planiciem libani subter montem hermon: omnes reges eorum cepit percussit et occidit. 18 Multo tempore pugnauit iosue contra reges istos. 19 Non fuit ciuitas que se non tra vt deret filijs israhel: preter eueum qui habitabat in gabaon. Omnes enim bellando cepit. 20 Domini enim sententia fuerat: indurarentur corda eorum et pugnarent contra israhel et caderent et non mererentur vllam clementia: ac perirent sicut preceperat dominus moysi. 21 In tempore illo venit iosue et interfecit enachim de montanis ebron et dabir et anab et de omni monte iuda et israhel: vrbesque eorum deleuit. 22 Non reliquit vllum de stirpe enachim in terra filiorum israhel: absque ciuitatibus gaza et geth et azoto in quibus solum relicti sunt. 23 Cepit ergo iosue omnem terram sicut locutus est dominus ad moysen: et tradidit eam in possessionem filijs israhel secundum partes et tribus suas: quieuitque terra a prelijs.

12 Hij sunt reges quos percusserunt filij israhel et possederunt terram eorum trans iordanen ad solis ortum· a torrente arnon vsque ad montem hermon: et omnem orientalem plagam que respicit solitudinem. 2 Seon rex amorreorum qui habitauit in esebon dominatus est ab aroer que sita est super ripam torrentis arnon: et medie partis in valle· dimidieque galaad vsque ad torrentem iaboc: qui est terminus filiorum ammon: 3 et a solitudine vsque ad mare ceneroth contra orientem· et vsque ad mare deserti quod est mare salsissimum: ad orientalem plagam per viam que ducit bechsimoch et ab australi parte que subiacet asedoch. Phasga 4 terminus og regis basan de reliquijs raphaim qui habitauit in astaroth et in edrai: et dominatus est monte hermon et in salacha atque in vniuersa basan vsque ad terminos 5 gessuri et machati et dimidie partis galaad terminos seon regis esebon. 6 Moyses famulus domini et israhel per filij cusserunt eos: tradiditque terram eorum moyses et ses in possessionem rubenitis et gadditis et dimidie tribui manasse. 7 H Hij sunt reges terre quos percussit iosue et filij israhel trans iordanen ad occidentalem plagam abaalgad in campo libani vsque ad montem libani: cuius pars ascendit in seir. Tradidit que eam iosue in possessionem tribubus israhel singulis partes suas· 8 tam in montanis quam in planis atque campestribus. In aseroth et in solitudine ac in meridie· etheus fuit et amorreus chananeus et pherezeus eueus et iebuseus. 9 Rex iericho vnus. Rex hay que est ex latere bethel vnus. 10 Rex iherusalem vnus. Rex ebron vnus. 11 Rex iherimoth vnus. Rex lachis vnus. 12 Rex eglon vnus. Rex gazer vnus. 13 Rex dabir vnus. Rex gader vnus. 14 Rex herma vnus. Rex hereth vnus. 15 Rex lebna vnus Rex odollam vnus. 16 Rex maceda vnus. Rex bethel vnus. 17 Rex taphna vnus. Rex ofer vnus. 18 Rex affec vnus. Rex saron vnus. 19 Rex madan vnus. Rex afor vnus. 20 Rex sameron vnus. Rex acsaph vnus 21 Rex thenach vnus. Rex mageddo vnus 22 Rex cedes vnus. Rex iachanen carmeli vnus. 23 Rex dor et prouincie dor vnus. Rex gentium galgal vnus. 24 Rex thersa vnus. Omnes reges triginta vnus.

13 Iosue vero senex prouecteque etatis erat: et dixit dominus ad eum. Senuisti et longeuus es terraque latissima derelicta est que necdum sorte diuisa est: et 2 omnis videlicet galilea philistijm et vniuersa gessuri· 3 a fluuio turbido qui irrigat egiptum· vsque ad terminos accaron contra aquilonen: terra chanaan que in quinque regulos philistijm diuiditur· gazeos et azotos ascalonitas getheos et accaronitas. 4 Ad meridiem vero sunt euehi omnis terra chanaan et maara sidoniorum vsque afeca· et terminos amorrei 5 eiusque confinia: libani quoque regio contra orientem abaalgad sub monte hermon donec ingrediaris emath· 6 omnium qui habitabant in monte a libano vsque ad aquas massephot vniuersique sidonij: ego sum qui delebo eos a facie filiorum israhel. Veniat ergo in partem hereditatis israhel sicut precepi tibi. 7 Et nunc diuide terram in possessionem nouem tribubus et dimidie tribui manasse: 8 cum qua ruben et gad possederunt terram quam tradidit eis· moyses famulus domini· trans fluenta iordanis ad orientalem plagam. 9 ab aroer que sita est in ripa torrentis arnon· et in vallis medio: vniuersaque campestria medaba vsque dibon· 10 et cunctas ciuitates seon regis amorrei· qui regnauit in esebon vsque ad terminos filiorum ammon: 11 et galaad ad terminum gessuri et machati et omnem montem hermon et vniuersam basan vsque salacha· 12 omne regnum og in basan qui regnauit in astaroth et edrai ipse fuit de reliquijs raphaim: percussitque eos moyses atque deleuit. 13 Noluerunt que disperdere filij israhel gessuri et machati: et habitauerunt in medio israhel vsque in presentem diem. 14 Tribui autem leui non dedit possessionem· sed sacrificia et victime domini dei israhel ipsa est eius hereditas· sicut locutus est illi. 15 Dedit ergo moyses possessionem tribui filiorum ruben iuxta cognationes suas. 16 Fuitque terminus eorum ab aroer que sita est in ripa torrentis arnon· et in valle eiusdem torrentis media· vniuersam planiciem que ducit medaba 17 et esebon· cunctosque viculos earum qui sunt in campestribus: dibon quoque et abamothbaal et oppidum baalmaon 18 et gessa et cedimoth et mephet· 19 et cariathaim et sabama et sarathasar· in monte conuallis 20 bethfogor et asedoch phasga et bethaisimoth 21 omnes vrbes campestres· vniuersaque regna seon regis amorrei· qui regnauit in esebon· quem percussit moyses cum principibus madian: eueum et recen et sur et vr et rebee duces seon habitatores terre: 22 et balaam filium beor ariolum occiderunt filij israhel gladio cum ceteris interfectis: 23 factusque est terminus filiorum ruben iordanis fluuius· hec est possessio rubenitarum per cognationes suas vrbium et viculorum. 24 Deditque moyses tribui gad et filijs eius per cognationes suas possessionem· cuius hec diuisio est. 25 Terminus gazer et omnes ciuitates galaad et dimidiam partem terre filiorum ammon· vsque ad aroer que est contra rabba· 26 et ab esebon vsque ad ramoth· masphe et bathanim et amanaim vsque terminos dabir. 27 In valle quoque betharan et bethnemra et soccoth et saphon reliquam partem regni seon regis esebon. Huius quoque finis iordanis est vsque ad extremam partem maris chenereth· trans iordanen ad orientalem plagam. 28 Hec est possessio filiorum gad per familias suas et ciuitates et ville earum. 29 Deditque que dimidie tribui manasse filijsque eius iuxta cognationes suas possessionem· 30 cuius hoc principium est. Amanaim· vniuersam basan et cuncta regna og regis basan· omnesque vicos ahir qui sunt in basan sexaginta oppida· 31 et dimidiam partem galaad et astaroth et edray vrbes regni og in basan· filijs machir filij manasse dimidie parti filiorum machir iuxta cognationes suas. 32 Hanc possessionem diuisit moyses in campestribus moab trans iordanen contra iericho ad orientalem plagam. 33 Tribui autem leui non dedit possessionem: quoniam dominus deus israhel ipse est possessio eius· vt locutus est illi.

14 Hoc est quod possederunt filij israhel terra chanaan· quam dederunt eis eleazar sacerdos et iosue filius nun· et principes familiarum per tribus israhel: 2 sorte omnia diuidentes sicut preceperat dominus in manu moysi· nouem tribubus et dimidie tribui. 3 Duabus enim tribubus et dimidie dederat moyses trans iordanen possessionem absque leuitis· qui nichil terre acceperunt inter fratres suos: 4 in eorum successerant locum filij ioseph· in duas diuisi tribus manasse et effraim. Nec acceperunt leuite aliam in terra partem nisi vrbes ad habitandum· et sub vrbana earum ad alenda iumenta et pecora sua. 5 Sicut preceperat dominus moysi· ita fecerunt filij israhel et diuiserunt terram. 6 Accesserunt itaque filij iuda ad iosue in galgala: locutusque est ad eum caleph filius iephone zenezeus. Nosti quid locutus sit dominus ad moysen hominem dei de me et te in cadesbarne. 7 Quadraginta annorum eram quando misit me moyses famulus domini de cadesbarne vt considerarem terram: nunciauique ei quod michi verum videbatur. 8 Fratres autem mei qui ascenderant mecum dissoluerunt cor populi: et nichilominus ego secutus sum dominum deum meum. 9 Iurauitque moyses in die illo

dicens. Terra quam calcauit pes tuus erit possessio tua et filiorum tuorum ineternum: quia secutus es dominum deum tuum. [10] Concessit ergo dominus vitam michi sicut pollicitus est vsque in presentem diem. Quadraginta et quinque anni sunt ex quo locutus est dominus verbum istud ad moysen· quando ambulabat israhel per solitudinem: hodie octogintaquinque annorum sum [11] sic valens vt eo valebam tempore· quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat· tam ad bellandum quam ad gradiendum. [12] Da ergo michi montem istum quem pollicitus est dominus te quoque audiente· in quo enachim sunt et vrbes magne atque munite: si forte sit dominus mecum et potuero delere eos· sicut promisit michi. [13] Benedixitque ei iosue et tradidit ei ebron in possessionem: [14] atque ex eo fuit ebron caleph filio iephone cenezeo vsque in presentem diem: quia secutus est dominum deum israhel. [15] Nomen ebron antea vocabatur cariatharbe. Adam maximus ibi inter enachim situs est: et terra cessauit a prelijs.

15 Igitur sors filiorum iude per cognationes suas ista fuit: a termino edom vsque ad desertum syn contra meridiem· et vsque ad extremam partem australis plage. [2] Inicium eius a summitate maris salsissimi· et a lingua eius que respicit meridiem: [3] egrediturque contra ascensum scorpionis et pertransit in syna· ascenditque in cadesbarne· et peruenit in esrom· ascendens ad daram· et circuiens cariathaa [4] atque inde pertransiens in asemona· et peruenies ad torrentem egipti: eruntque termini eius mare magnum. Hic erit finis meridiane plage. [5] Ab oriente vero erit inicium mare salsissimum vsque ad extrema iordanis· et ea que respiciunt ad aquilonem a lingua maris vsque ad eundem iordanis fluuium: [6] ascenditque terminus in bethagla· et transit ab aquilone in betharaba· ascendens ad lapidem boem filij ruben· [7] et tendens vsque ad terminos debera· de valle achor contra aquilonem respiciens galgala· que est ex aduerso ascensionis adommim ab australi parte torrentis· transitque aquas que vocantur fons solis· et erunt exitus eius ad fontem rogel: [8] ascenditque per conuallem filij ennon ex latere iebusei ad meridiem· hec est iherusalem: et inde se erigens ad verticem montis qui est contra iehennon ad occidentem· in summitate vallis raphaim contra aquilonem: [9] pertransitque a vertice montis vsque ad fontem aque nepthoa· et peruenit vsque ad vicos montis ephron: inclinaturque in bala que est cariathiarim· id est vrbs siluarum: [10] et circuit de bala contra occidentem vsque ad montem seir: transitque iuxta latus montis iarim ad aquilonem in cheslon et descendit in bethsames· transitque in thamna [11] et peruenit contra aquilonem partis accaron ex latere: inclinaturque secrona et transit montem baala· peruenitque in gebneel· et magni maris contra occidentem fine concluditur. [12] Hij sunt termini filiorum iuda per circuitum in cognationibus suis. [13] Caleph vero filio iephone dedit partem in medio filiorum iuda sicut preceperat ei dominus· cariatharbe patris enach ipsa est ebron: [14] deleuitque ex ea caleph tres filios enach· sesai hayman et tholmai de stirpe enach: [15] atque inde conscendens venit ad habitatores dabir que prius vocabatur cariathsepher· id est ciuitas litterarum. [16] Dixitque caleph. Qui percusserit cariathsepher· et ceperit eam dabo ei axam filiam meam vxorem. [17] Cepitque eam othonihel filius cenez frater caleph iunior: deditque ei axam filiam suam vxorem. [18] Qui cum pergerent simul suasit ei vir vt peteret a patre suo agrum: suspirauit vt sedebat in asino. Cui caleph quid habes inquit? [19] At illa respondit. Da michi benedictionem. Terram australem et arentem dedisti michi· iunge et irriguam. Dedit itaque ei caleph irriguum superius et inferius. [20] Hec est possessio tribus filiorum iuda per cognationes suas: [21] erant que ciuitates ab extremis partibus filiorum iuda· iuxta terminos edom a meridie· cabseel et eder et iagur [22] et cina et dimona et adada [23] et cedes et asor et iethan [24] zif et telem et baloth [25] asor noua et carioth iesrom hec est assoroman [26] same et meloda [27] et aser gadda et assemoth et bethfeleth [28] et asersual et bersabee et baziothia [29] et abala et hum esem [30] et heltholad et exul et zarma [31] et sicelech et medemmena et sensenna [32] lebaoth et selim et ahem remmon: omnes ciuitates vigintinouem et ville earum. [33] In campestribus vero estaol et sarea et asena [34] et azone et engannim et thaphua et enaym [35] et ierimoth et adulam socho et azecha [36] et sarim et adithaym et gedera et giderothaym: vrbes quatuordecim et ville earum. [37] Sanan et adasa et magdalgad [38] delean et masepha et iectel [39] lachis et baschat et eglon [40] rebbon et leemas et cethis [41] et gideroth et bethdagon et neama et maceda: ciuitates sedecim et ville earum. [42] Labana et ether et asan [43] iepta et esna et nesib [44] et ceyla et achzib et maresa: ciuitates nouem et ville earum. [45] Accaron cum vicis et villulis suis. [46] Ab accaron vsque ad mare· omnia que vergunt ad azotum et viculos eius. [47] Azotus cum vicis et villulis suis gasa cum vicis et villulis suis vsque ad torrentem egipti· et mare magnum terminus eius [48] et in monte samir et iecther et socchoth [49] et edenna cariathsenna hec est dabir: [50] anab et histhemo et anym [51] gosen et olon et gylo: ciuitates vndecim et ville earum. [52] Arab et roma et esaan [53] et ianum bethasua et afeca [54] athmatha et chariatharbe hec est ebron et sior: ciuitates nouem et ville earum. [55] Maon et chermel et ziph et loche [56] iesrahel et iucadam et zanoe [57] accaym gabaa et thamna: ciuitates decem et ville earum. [58] Alul et bethsor et ihedor [59] mareth et bethanoth et helchecen: ciuitates sex et ville earum. [60] Cariathbaal hec est chariathiarim vrbs siluarum et arebba: ciuitates due et ville earum. [61] In deserto betharaba meddyn et sacha [62] et nebsan: ciuitates salis et engaddi ciuitates sex et ville earum. Fiunt simul centum quindecim. [63] Iebuseum autem habitatorem iherusalem non potuerunt filij iuda delere: habitauit que iebuseus cum filijs iuda in iherusalem vsque in presentem diem.

16 Cecidit quoque sors filiorum ioseph ab iordane contra iericho· et aquas eius ab oriente solitudo que ascendit de iericho ad montem bethel· [2] et egreditur de bethel luzam: transitque terminum archiantharoth· atharoth· [3] et descendit ad occidentem iuxta terminum iefleti· vsque ad terminos betheron inferioris et gazer: finiunturque regiones eius mari magno· [4] possederuntque filij ioseph manasses et ephraim. [5] Et factus est terminus filiorum effraim per cognationes suas: et possessio eorum contra orientem ataroth addar vsque bethoron superiorem: [6] egrediunturque confinia in mare. Machmetath vero aquilonem respicit et circuit terminos contra orientem in thanatselo: et pertransit a torrente ianoe· [7] descenditque de iannoe in atharoth et noaratha· et peruenit in iericho: egrediturque ad iordanen [8] de taphua pertransitque contra mare in vallem harundineti: suntque egressus eius in mare salsissimum. Hec est possessio tribus filiorum ephraim per familias suas: [9] vrbesque seperate sunt filijs ephraim in medio possessionis filiorum manasse et ville earum. [10] Et non interfecerunt filij ephraim chananeum qui habitabat in gazer: habitauitque chananeus in medio ephraim vsque in diem hanc tributarius.

17 Cecidit autem sors tribui manasse. Ipse enim est primogenitus ioseph· machir primogenito manasse patri galaad qui fuit vir pngnator: habuitque possessionem galaad et basan [2] et reliquis filiorum manasse iuxta famili suas· filijs abyezer helech et filijs hesrihel et filijs sychen et filijs epher et filijs semida. sunt filij sychen Isti semida. Isti sunt filij manasse. Filij ioseph mares per cognationes suas. [3] Salphaat vero filio epher filij galaad filij machir filij manasse non erant filij sed sole filie: quarum ista sunt nomina· mahala et noha et egla et melcha et tersa. [4] Veneruntque in conspectu eleazari sacerdotis et iosue filij nun et principum dicentes: dominus precepit per manum moysi vt daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum: deditque iuxta imperium domini possessionem in medio fratrum patris earum· [5] et ceciderunt funiculi manasse decem absque terra galaad et basan trans iordanen. [6] Filie enim manasse possederunt hereditatem in medio filiorum eius. Terra autem galaad cecidit in sortem filiorum manasse qui reliqui erant. [7] Fuitque terminus manasse ab aser machimata qui respicit sychem· et egreditur ad dexteram iuxta habitatores fontis thaphue. [8] Etenim in sorte manasse reciderat terra thaphue· que est iuxta terminos manasse filiorum ephraim. [9] Descenditque terminus vallis harundineti in meridiem torrentis ciuitatum ephraim· que in medio sunt vrbium manasse. Terminus manasse ab aquilone torrentis et exitus eius pergit ad mare: [10] ita vt possessio ephraim sit ab austro et ab aquilone manasse· et vtramque claudat mare: et coniungantur sibi in tribu aser ab aquilone et in tribu ysachar ab oriente. [11] Fuitque hereditas manasse in ysachar et in aser· bersan ius· et iebblaan cum viculis suis· et viculi habi dor cum oppidis suis·

habitatores quoque endor cum viculis suis: similiterque habitatores thenach cum viculis rulis suis· et habitatores mageddo cum viculis suis· et tercia pars vrbis nopheth. Nec potuerunt filij manasse has sed cepit cha et ciuitates subuertere· eius· [12] Nec potuerunt filij subuertere· manasse has ciuitates sed cepit naneus habitare in terra sua. [13] Postquam autem conualuerunt filij israhel subiecerunt chananturos et fecerunt sibi tributarios· nec interfecerunt eos. [14] Locutique sunt filij ioseph ad iosue et dixerunt. Quare dedisti michi terram in possessionem sortis et funiculi vnius: cum sim tante multitudinis· et benedixit michi dominus? [15] Ad quos iosue ait. Si populus multus es ascende in siluam et succide tibi spacia in terra pherezei et raphaim: quia angusta est tibi possessio montis ephraim. [16] Cui responderunt filij ioseph. Non poterimus ad montana conscendere· cum ferreis curribus vtantur chananei qui habitant in terra campestri: in qua siti sunt bersan cum viculis suis et iezrahel mediam possidens vallem. [17] Dixitque iosue ad domum ioseph et ephraim et manasse. Populus multus es et magne fortitudinis· non habes sortem vnam [18] sed transibis ad montem· et succides tibi atque purgabis ad habitandum spacia: et poteris vltra procedere cum subuerteris chananeum quem dicis ferreos habere currus et esse fortissimum.

18 Congregatique sunt omnes filij israhel in sylo· ibique fixerunt tabernaculum testimonij: et fuit eis terra subiecta. [2] Remanserant autem filiorum israhel septem tribus· que nec dum acceperant possessiones suas. [3] Ad quos iosue ait. Vsque quo marcetis ignauia· et non intratis ad possidendam terram· quam dominus deus patrum vestrorum dedit vobis? [4] Eligite de singulis tribubus ternos viros· vt mittam eos et pergant atque circueant terram· et describant eam iuxta terminum vnius cuiusque multitudinis: referantque ad me quod descripserint. [5] Diuidite vobis terram in septem partes: iudas sit in terminis suis ab australi plaga· et domus ioseph ab aquilone: [6] mediam inter hos terram in septem partes describite: et huc venietis ad me· vt coram domino deo vestro mittam vobis hic sortem: [7] quia non est inter vos pars leuitarum· sed sacerdotium domini est eorum hereditas. Gad autem et ruben et dimidia tribus manasse iam acceperant possessiones suas· trans iordanen ad orientalem plagam· quas dedit eis moyses famulus domini. [8] Cunque surrexissent viri vt pergerent ad describendam terram· precepit eis iosue dicens. Circuite terram et describite eam· ac reuertimini ad me vt hic coram domino deo vestro in sylo mittam vobis sortem. [9] Itaque perrexerunt et lustrantes eam in septem partes diuiserunt· scribentes in volumine: reuersique sunt ad iosue in castra sylo. [10] Qui misit sortes coram domino in sylo: diuisit terram filijs israhel in septem partes. [11] Et ascendit sors prima filiorum beniamin per familias suas· vt possiderent terram inter filios iuda et filios ioseph. [12] Fuitque terminus eorum contra aquilonem· a iordane pergens iuxta latus iericho septentrionalis plage· et inde contra occidentem ad montana conscendens· et perueniens ad solitudinem bethauen· [13] atque pertransiens iuxta lusam ad meridiem ipsa est bethel: descenditque in atharoth addar in montem qui est ad meridiem bethoron inferioris· [14] et inclinatur circuiens contra mare ad meridiem montis qui respicit bethoron contra affricum. Suntque exitus eius in cariathbaal· que vocatur et cariathiarim vrbem filiorum iuda. Hec est plaga contra mare ad occidentem. [15] A meredie autem ex parte cariathiarim egreditur terminus contra mare· et peruenit vsque ad fontem aquarum nepthoa. [16] Descenditque in partem montis qui respicit vallem filiorum ennon· et est contra septentrionalem plagam in extrema parte vallis raphaim: descenditque in iehennon id est vallis ennon· iuxta latus iebusei ad austrum· et peruenit ad fontem rogel [17] transiens ad aquilonem· et egrediens ad ensemes id est fontem solis: [18] et pertransit ad vsque tumulos qui sunt eregione ascensus adommin: descenditque ad habenboen id est lapidem boen filij ruben· et pertransijt ex latere aquilonis ad campestria: descenditque in planiciem [19] et pretergreditur contra aquilonem bethagla: suntque exitus eius contra linguam maris salsissimi ab aquilone in fine iordanis· ad australem plagam [20] qui est terminus illius ab oriente. Hec est possessio filiorum beniamin per terminos suos in circuitu et familias suas. [21] Fueruntque ciuitates eius· ie et bethagla et vallis casis [22] betharaba et samaraim et bethel [23] et auim et affara et offora [24] villa hemona et offni et gabee: ciuitates duodecim et ville earum. [25] Gabaon et rama et beroth [26] et mesphe caphara et amosa [27] et recem iarephel et tharela [28] et sela heleph et iebus que est iherusalem· gabaad et cariath: ciuitates quatuordecim et ville earum. Fiunt omnes ciuitates vigintisex. Hec est possessio filiorum ben iamin iuxta familias suas.

19 Et egressa est sors secunda filiorum symeon per cognationes suas: fuitque hereditas [2] eorum in medio possessionis filiorum iuda· bersabee et sabee et molada [3] et asersua baala et asem [4] et heltholad bethularma [5] et siceleg et beth marchaboth et asersua [6] et beth lepaioth et sarohem: ciuitates tredecim et ville earum. [7] Ayn et remmon et athar et asan: ciuitates quatuor et ville earum. [8] Omnes viculi per circuitum vrbium istarum vsque ad balaad berrameth contra australem plagam. Fueruntque omnes ciuitates decem et septem. Hec est hereditas filiorum symeon· iuxta possessiones suas [9] in possessione et funiculo filiorum iuda· quia maior erat: et idcirco filij symeon possederunt in medio hereditatis eius. [10] Ceciditque sors tercia filiorum zabulon per cognationes suas: et factus est terminus possessionis filiorum zabulon vsque sarith. [11] Ascenditque de mari et medalaa· et peruenit in debbaseth vsque ad torrentem qui est contra ieconan· [12] et reuertitur de sarith contra orientem in finem sicelech thabor et egreditur ad daberet: ascenditque contra iasie· [13] et inde pertransit vsque ad orientalem plagam gethefer et thachasin· et egreditur in remmon amphar et noa· [14] et circuit ad aquilonem et nathon. Suntque egressus eius vallis ieptahel [15] et cathethet naalol et semron et iedaba et bethleem: ciuitates duodecim et ville earum. [16] Hec est hereditas tribus filiorum zabulon per cognationes suas: vrbes et viculi earum. [17] Ysachar egressa est sors quarta per cognationes suas: [18] fuitque eius hereditas iezrahel et casaloth et sunem [19] et affraim et senon et naarath [20] et rabboth et cesien haemes [21] et rameth et henganni et henadda et bethseses: [22] et peruenit terminus eius vsque thabor et seesima et bethsemes: erantque exitus eius iordanis ciuitates sedecim et ville earum. [23] Hec est possessio filiorum ysachar per cognationes suas· vrbes et viculi earum. [24] Ceciditque sors quinta tribui filiorum aser per cognationes suas: [25] fuitque terminus eorum alchat et cali et bethen et axab [26] et elmeleth et amaad et messal· et puenit vsque ad carmelum maris et syor et labanath: [27] ac reuertitur contra orientem bethdagon· et pertransit vsque zabulon et vallem ieptael contra aquilonem in bethemeth et neiel: egreditur que ad leuam cabul [28] et acran et roob amon et chana vsque ad sydonem magnam: [29] reuertiturque in orma vsque ad ciuitatem munitissimam tyrum et vsque osam: eruntque exitus eius in mare de funiculo acziba [30] et amma et afeg et roob: ciuitates vigintidue et ville earum. [31] Hec est possessio filiorum aser per cognationes suas· vrbesque et viculi earum. [32] Filiorum neptalim sexta pars cecidit per familias suas: [33] et cepit terminus de beleb et helon sannanim· et adami que est neceb et iebnahel· vsque lecun: et egressus eorum vsque ad iordanen: [34] reuertiturque terminus contra ocidentem et azauoth thabor· atque inde egreditur in vcura et pertransit in zabulon contra meridiem et in aser contra occidentem· et in iuda ad iordanen contra ortum solis [35] ciuitates munitissime: assedim ser et ammad et rechath et cenereth [36] et edema et arama asor [37] et ce des et edrai nasor [38] et ieron et magdihel horem et bethanat et bethsemes: ciuitates decem et nouem et ville earum. [39] Hec est possessio tribus filiorum neptalim per cognationes suas· vrbes et viculi earum. [40] Tribui filiorum dan per familias suas egressa est sors septima: [41] et fuit terminus possessionis eius saraa et hestaul et hair semes· id est ciuitas solis: [42] selebin et ahialon et iethela [43] helou et themna et achron [44] helcheten iebron et baalad [45] iud et bane et barach et iechremon [46] atque ihercon et arechon· cum termino qui respicit ioppen [47] et ipso fine concluditur. Ascenderuntque filij dan et pugnauerunt contra lesem· ceperuntque eam· et percusserunt eam in ore gladij· et possederunt et habitauerunt in ea: vocantes nomen eius lesem dan ex nomine dan patris sui. [48] Hec est possessio tribus filiorum dan per congnationes suas· vrbes et viculi earum. [49] Cunque complesset sorte terram diuidere singulis per tribus suas· dederunt filij israhel possessionem iosue filio nun in medio sui [50] iuxta preceptum domini· vrbem quam postulauit tannathsaraa in monte ephraim. Et edificauit ciuitatem· habitauitque in ea.

51 Hee sunt possessiones quas sorte diuiserunt eleazar sacerdos et iosue filius nun et principes familiarum ac tribuum filiorum israhel in sylo· coram domino ad hostium tabernaculi testimonij: partitique sunt terram.

20 Et locutus est dominus ad iosue dicens. Loquere filijs israhel et dic eis. 2 Separate vrbes fugitiuorum· de quibus locutus sum ad vos per manum moysi: 3 vt confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius· et possit euadere iram proximi· qui vltor est sanguinis· 4 cum ad vnam harum confugerit ciuitatum: stabitque ante portam ciuitatis· et loquetur senioribus vrbis illius· ea que se comprobent innocentem: sicque suscipient eum· et dabunt ei locum ad habitandum. 5 Cunque vltor sanguinis eum fuerit persecutus non tradent in manus eius· quia ignorans percussit proximum eius· nec ante biduum triduumue eius probatur inimicus. 6 Et habitabit in ciuitate illa donec stet ante iudicium causam reddens facti sui: et moriatur sacerdos magnus qui fuerit in illo tempore. Tunc reuertetur homicida et ingredietur ciuitatem et domum suam de qua fugerat. 7 Decreueruntque cedes in galilea montis neptalim· et sychem in monte ephraim· et cariatharbe ipsa est ebron in monte iuda: 8 et trans iordanen contra orientalem plagam iericho statuerunt bosor que sita est in campestri solitudine de tribu ruben· et ramoth galaad de tribu gad· et gaulon in basan de tribu manasse. 9 Hee ciuitates constitute sunt cunctis filijs israhel et aduenis qui habitabant inter eos· vt fugeret ad eas qui animam nescius percussisset: et non moreretur in manu proximi· effusum sanguinem vindicare cupientis: donec staret ante populum expositurus causam suam.

21 Accesseruntque principes familiarum leui ad eleazarum sacerdotem· et iosue filium nun: et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum israhel: 2 locutique sunt ad eos in sylo terre chanaan atque dixerunt. Dominus precepit per manum moysi vt darentur nobis vrbes ad habitandum et suburbana earum ad alenda iumenta. 3 Dederuntque filij israhel de possessionibus suis iuxta imperium domini· ciuitates et suburbana earum. 4 Egressaque est sors in familiam caath filiorum aaron sacerdotis de tribu iuda· et symeon et beniamin ciuitates tredecim: 5 et reliquis filiorum caath id est leuitis qui superfuerant· de tribubus ephraim et dan et dimidie tribus manasse ciuitates decem. 6 Porro filijs gerson egressa est sors vt acciperent de tribubus ysachar et aser et neptalim· dimidiaque tribu manasse in basan· ciuitates numero tredecim. 7 Et filijs merari per cognationes suas de tribubus ruben et gad et zabulon vrbes duodecim. 8 Dederuntque filij israhel leuitis ciuitates et suburbanna earum· sicut precepit dominus per manum moysi: singulis sorte tribuentes. 9 De tribubus filiorum iuda et symeon dedit iosue ciuitates quarum ista sunt nomina· 10 filijs aaron per familias caath leuitici generis· prima enim sors illis egressa est: 11 cariatharbe patris enach que vocatur ebron in monte iuda· et suburbana eius per circuitum. 12 Agros vero et villas eius dederat caleph filio iephone ad possidendum. 13 Dedit ergo filijs aaron sacerdotis hebron confugij ciuitatem ac suburbana eius· et lobnam cum suburbanis suis· 14 et iether et isthimon 15 et helon et dabir 16 et ain et iethan et bethsames cum suburbanis suis suis ciuitates nouem· de tribubus vt dictum est duabus. 17 De tribu autem filiorum beniamin gabaon et gabae 18 et anatoth et almon· cum suburbanis suis ciuitates quatuor: 19 omnes simul ciuitates filiorum aaron sacerdotis tredecim cum suburbanis suis. 20 Reliquis vero per familias filiorum caath leuitici generis hec est data possessio. 21 De tribu ephraim vrbes confugij sichem cum suburbanis suis in monte ephraim· et gazer 22 et iebsam et bethoron cum suburbanis suis ciuitates quatuor. 23 De tribu quoque dan helteco et gabathon 24 et haialon et gethreiumon cum suburbanis suis ciuitates quatuor. 25 Porro de dimidia tribu manasse tanath et gethremmon cum suburbanis suis ciuitates due. 26 Omnes ciuitates decem et suburbana earum date sunt filijs caath inferioris gradus. 27 Filijs quoque gerson leuitici generis dedit de dimidia tribu manasse confugij ciuitates· gaulon in basan et bosram cum suburbanis suis ciuitates duas. 28 Porro de tribu ysachar cesion et dabreth 29 et iaramoth et engannim cum suburbanis suis ciuitates quatuor. 30 De tribu autem aser masan et abdon 31 et elrach et roob cum suburbanis suis ciuitates quatuor. 32 De tribu quoque neptalim ciuitates confugij cedes in galilea et amothdor et carthari cum suburbanis suis ciuitates tres. 33 Omnes vrbes familiarum gerson tredecim cum suburbanis suis. 34 Filijs autem merari leuitis inferioris gradus per familias suas· data est de tribu zabulon iecnal et cartha 35 damna et naalol ciuitates quatuor cum suburbanis suis. 36 De tribu ben vltra iordanen contra iericho ciuitates refugij· bosor in solitudine et et iethson et misor quatuor cum suburbanis suis. 37 De tribu gad ciuitates confugij ramoth in galaad· et manaim et esebon et iazer ciuitates quatuor cum suburbanis suis. De tribu ruiordanen et iazer et iethson et maspha ciuitates quatuor cum suburbanis suis. 38 Omnes vrbes filiorum merari per familias et cognationes suas duodecim. 39 Itaque ciuitates vniuerse leuitarum in medio possessionis filiorum israhel· fuerunt quadragintaocto 40 cum suburbanis suis singule per familias distribute. 41 Deditque dominus deus israheli omnem terram quam traditurum se patribus eorum iurauerat: et possederunt illam atque habitauerunt in ea. 42 Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes· nullusque eis hostium resistere ausus est: sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. 43 Ne vnum quidem verbum quod illis prestiturum se esse promiserat irritum fuit: sed rebus expleta sunt omnia.

22 Eodem tempore vocauit iosue rubenitas et gadditas· et dimidiam tribum manasse: 2 dixitque ad eos. Fecistis omnia que precepit vobis moyses famulus domini· michi quoque in omnibus obedistis: 3 nec reliquistis fratres vestros longo tempore vsque in presentem diem· custodientes imperium domini dei vestri. 4 Quia igitur dedit dominus deus vester fratribus vestris quietem et pacem sicut pollicitus est: reuertimini et ite in tabernacula vestra et in terram possessionis· quam tradidit vobis moyses famulus domini trans iordanen: 5 ita dumtaxat· vt custodiatis attente· et opere compleatis mandatum et legem quam precepit vobis moyses famulus domini: vt diligatis dominum deum vestrum et ambuletis in omnibus vijs eius· et obseruetis mandata illius. Adhereatisque ei ac seruiatis in omni corde et in omni anima vestra. 6 Benedixitque eis iosue et dimisit eos. Qui reuersi sunt in tabernacula sua. 7 Dimidie autem tribui manasse possessionem moyses dederat in basan: et idcirco medie que superfuit dedit iosue sortem inter ceteros fratres suos· trans iordanen ad occidentalem eius plagam. Cunque dimitteret eos in tabernacula sua et benedixisset eis· 8 dixit ad eos. In multa substantia atque diuicijs reuertimini ad sedes vestras· cum argento et auro ere ac ferro et veste multiplici. Diuidite predam hostium cum fratribus vestris. 9 Reuersique sunt et abierunt filij ruben et filij gad· et dimidia tribus manasse a filijs israhel· de sylo que sita est in chanaan: vt intrarent galaad terram possessionis sue· quam obtinuerant iuxta imperium domini in manu moysi. 10 Cunque venissent ad tumulos iordanis in terra chanaan: edificauerunt iuxta iordanen altare infinite magnitudinis. 11 Quod cum audissent filij israhel· et ad eos certi nuncij detulissent edificasse filios ruben et gad et dimidie tribus manasse altare· in terra chanaan super iordanis tumulos contra filios israhel: 12 conuenerunt omnes in sylo· vt ascenderent et dimicarent contra eos. 13 Et interim miserunt ad illos in terram galaad phinees filium eleazari sacerdotem· 14 et decem principes cum eo singulos de singulis tribubus. 15 Qui venerunt ad filios ruben et gad et dimidie tribus manasse in terram galaad: dixeruntque ad eos. 16 Hec mandat omnis populus domini. Que est ista transgressio? Cur reliquistis dominum deum israhel edificantes altare sacrilegum· et a cultu illius recedentes? 17 An parum vobis est quod peccastis in beelphegor: et vsque in presentem diem macula huius sceleris in nobis permanet· multique de populo corruerunt? 18 Et vos hodie reliquistis dominum: et cras in vniuersum israhel ira eius deseuiet. 19 Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestre· transite ad terram in qua tabernaculum domini est· et habitate inter nos: tantum vt a domino et a nostro consortio non recedatis· edificato altari preter altare domini dei nostri. 20 Nonne achan filius zare preterijt mandatum domini: et super omnem populum israhel ira eius incubuit? Et ille erat vnus homo: atque vtinam solus perisset in scelere suo. 21 Responderuntque filij ruben et gad et dimidie tribus manasse principibus legationis israhel. 22 Fortissimus deus dominus ipse nouit· et israhel simul intelligitur: si

preuaricationis animo hoc altare construximus· non custodiat nos sed puniat nos in presenti. 23 Et si ea mente fecimus vt olocausta et sacrificium· et pacificas victimas super eo imponeremus· ipse querat et iudicet: 24 et non ea magis cogitatione atque tractatu· vt diceremus cras dicent filij vestri filijs nostris. Quid vobis et domino deo israhel? 25 Terminum posuit dominus inter nos et vos o filij ruben et filij gad iordanen fluuium: et idcirco partem non habetis in domino· et per hanc occasionem auertent filij vestri filios nostros a timore domini. Putauimus itaque melius 26 et diximus. Extruamus nobis altare non in olocausta neque ad victimas offerendas· 27 sed in testimonium inter nos et vos· et sobolem nostram vestramque progeniem vt seruiamus domino: et iuris nostri sit offerre et olocausta et victimas et pacificas hostias: et nequaquam dicant cras filij vestri filijs nostris· non est vobis pars in domino. 28 Quod si voluerint dicere. Respondebunt eis. Ecce altare domini quod fecerunt patres nostri· non in olocausta neque in sacrificium sed in testimonium nostrum ac vestrum. 29 Absit a nobis hoc scelus vt recedamus a domino et eius vestigia relinquamus· extructo altari ad olocausta et sacrificia et victimas offerendas: preter altare domini dei nostri quod extructum est ante tabernaculum eius. 30 Quibus auditis phinees sacerdos et principes legationis israhel qui erant cum eo placati sunt: et verba filiorum ruben et gad et dimidie tribus manasse libentissime susceperunt. 31 Dixitque phinees filius eleazari sacerdos ad eos. Nunc scimus quod nobiscum sit dominus· quoniam alieni estis a preuaricatione hac: et liberastis filios israhel de manu domini. 32 Reuersusque est cum principibus a filijs ruben· et gad de terra galaad finium chanaan ad filios israhel: et retulit eis. 33 Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudauerunt deum filij israhel: et nequaquam vltra dixerunt vt ascenderent contra eos atque pugnarent· et delerent terram possessionis eorum. 34 Vocaueruntque filij ruben et filij gad altare quod extruxerant testimonium nostrum· quod dominus ipse sit deus.

23 Reuoluto autem multo tempore postquam pacem dederat dominus israheli· subiectis in gyro nationibus vniuersis: et iosue iam longeuo et persenilis etatis: 2 vocauit iosue omnem israhelem· maioresque natu et principes ac duces et magistros: dixitque ad eos. Ego senui et progressioris etatis sum: 3 vosque cernitis omnia que fecerit dominus deus vester cunctis per circuitum nationibus. quomodo pro vobis ipse pugnauerit. 4 Et nunc quia vobis sorte diuisit omnem terram· ab orientali parte iordanis vsque ad mare magnum· multeque ad huc supersunt nationes: 5 dominus deus vester disperdet eas et auferet a facie vestra· et possidebitis terram sicut vobis pollicitus est. 6 Tantum confortamini et estote solliciti vt custodiatis cuncta que scripta sunt in volumine legis moysi: et non declinetis ab eis nec ad dextram neque ad sinistram: 7 ne postquam intraueritis ad gentes que inter vos future sunt· iuretis in nomine deorum earum et seruiatis eis et adoretis illos 8 sed adhereatis domino deo vestro· quod fecistis vsque in diem hanc. 9 Et tunc auferet dominus deus in conspectu vestro gentes magnas et robustissimas: et nullus vobis resistere poterit. 10 Vnus e vobis persequetur hostium mille viros: quia dominus deus vester pro vobis ipse pugnabit sicut pollicitus est: 11 hoc tantum diligentissime precauete vt diligatis dominum deum vestrum. 12 Quod si volueritis gentium harum que inter vos habitant erroribus adherere· et cum eis miscere connubia atque amicicias copulare: 13 iam tunc scitote quod dominus deus vester non eas deleat aute faciem vestram· sed sint vobis in foueam ac laqueum et offendiculum ex latere vestro· et sudes in oculis vestris: donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis. 14 En ego hodie ingrediar viam vniuerse terre· et toto animo cognoscetis quod de omnibus verbis que se dominus prestiturum vobis esse pollicitus est· vnum non preterierit incassum. 15 Sicut ergo impleuit opere quod promisit et prospera cuncta venerunt: sic adducet super vos quicquid malorum comminatus est· donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis: 16 eo quod preterieritis pactum domini dei vestri quod pepigit vobiscum· et seruieritis dijs alienis et adoraueritis eos. Cito atque velociter consurget in vos furor domini: et auferemini ab hac terra optima quam tradidit vobis.

24 Congregauitque iosue omnes tribus israhel in sychem· et vocauit maiores natu ac principes et iudices et magistros· steteruntque in conspectu domini: 2 et ad populum sic locutus est. Hec dicit dominus deus israhel. Transfluuium habitauerunt patres vestri ab inicio· thare pater abraham et nachor: seruieruntque dijs alienis. 3 Tuli ego patrem vestrum abraham de mesopotamie finibus· et adduxi eum in terra chanaan: multiplicauique semen eius 4 et dedi ei ysaac· illique rursum dedi iacob et esau quibus esau dedi montem seir ad possidendum: iacob vero et filij eius descenderunt in egiptum. 5 Misique moysen et aaron· et percussi egiptum multis signis atque portentis: 6 eduxique vos et patres vestros de egipto et venistis ad mare: persecutique sunt egiptij patres vestros cum curribus et equitatu vsque ad mare rubrum. 7 Clamauerunt autem ad dominum filij israhel: qui posuit tenebras inter vos et egiptios· et adduxit super eos mare et operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta que in egipto fecerim· et habitastis in solitudine multo tempore: 8 et introduxi vos in terram amorrei qui habitabat trans iordanen. Cunque pugnarent contra vos· tradidi eos in manus vestras: et possedistis terram eorum atque interfecistis eos. 9 Surrexit autem balach filius sephor rex moab· et pugnauit contra israhelem. Misitque et vocauit balaam filium beor vt malediceret vobis: 10 et ego nolui audire eum· sed econtrario per illum benedixi vobis: et liberaui vos de manu eius. 11 Transistisque iordanen et venistis ad iericho: pugnaueruntque contra vos viri ciuitatis eius· amorreus et pherezeus et chananeus et etheus et gergeseus et eueus et ihebuseus: et tradidi illos in manus vestras· 12 misique ante vos scrabrones et eieci eos de locis suis· duos reges amorreorum· non in gladio et in arcu tuo: 13 dedique vobis terram in qua non laborastis· et vrbes quas non edificastis· vt habitaretis in eis: vineas et oliueta que non plantastis. 14 Nunc ergo timete dominum et seruite ei perfecto corde atque verissimo: et auferte deos quibus seruierunt patres vestri in mesopotamia et in egipto: ac seruite domino. 15 Sinautem malum vobis videtur vt domino seruiatis· optio vobis datur. Eligite hodie quod placet· cui seruire potissimum debeatis: vtrum dijs quibus seruierunt patres vestri in mesopotamia· an dijs amorreorum in quorum terra habitatis. Ego autem et domus mea seruiemus domino. 16 Responditque populus et ait. Absit a nobis vt relinquamus dominum: et seruiamus dijs alienis. 17 Dominus deus noster ipse eduxit nos et patres nostros de terra egipti· et de domo seruitutis: fecitque videntibus nobis signa ingentia: et custodiuit nos in omni via per quam ambulauimus· et in cunctis populis per quos transiuimus: 18 et eiecit vniuersas gentes· amorreum habitatorem terre quam nos intrauimus. Seruiemus igitur domino: quia ipse est deus noster. 19 Dixitque iosue ad populum. Non poteritis seruire domino: deus enim sanctus et fortis emulator est· nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis. 20 Si dimiseritis dominum et seruieritis dijs alienis: conuertet se et affliget vos atque subuertet. postquam vobis prestiterit bona. 21 Dixitque populus ad iosue nequaquam ita vt loqueris erit: sed domino seruienus. 22 Et iosue ad populum testes inquit vos estis: quia ipsi elegeritis vobis dominum vt seruiatis ei. Responderuntque testes. 23 Nunc ergo ait auferte deos alienos de medio vestri: et inclinate corda vestra ad dominum deum israhel. 24 Dixitque populus ad iosue. Domino deo nostro seruiemus: et obedientes erimus preceptis eius. 25 Percussit ergo iosue in die illo fedus: et proposuit populo precepta atque iudicia in sychem. 26 Scripsit quoque omnia verba hec in volumine legis domini: et tulit lapidem pergrandem· posuitque eum subter quercum que erat in sanctuario domini: 27 et dixit ad omnem populum. En lapis iste erit vobis in testimonium· quod qui audieritis omnia verba domini que locutus est vobis: ne forte postea negare velitis et mentiri domino deo vestro. 28 Dimisitque populum singulos in possessionem suam. 29 Et post hec mortuus est iosue filius nun seruus domini· centum decem annorum: 30 sepelieruntque eum in finibus possessionis sue in thamnathsare: que sita est in monte ephraim· a septentrionali parte mons gaas. 31 Seruiuitque israhel domino cunctis diebus iosue et seniorum· qui longo vixerant tempore post iosue: et qui nouerant omnia opera domini que fecerat in israhel. 32 Ossa quoque ioseph que tulerant filij israhel de egipto· sepelierunt in sychem in parte agri quem emerat iacob a filijs emmor patris sychem centum nouellis ouibus: et fuit in possessionem

filiorum ioseph. 33 Eleazar quoque filius aaron mortuus est: et sepelierunt eum in gabaach phinees filij eius: que data est ei in monte ephraim. Post mortem iosue consuluerunt filij israhel dominum dicentes. Quis ascender ante nos contra chananeum· et erit dux belli: dixitque dominus. Iudas ascendet. Ecce tradidi terram in manu eius. Et ait iudas symeoni fratri suo. Ascende mecum in sorte mea· et pugna contra chananeum: vt et ego pergam tecum in sorte tua. Et abijt cum eo symeon. Acenditque iudas· et tradidit dominus chana a neum ac pherezeum in manus eorum:

Iudicum

Incipit liber sopchim quem nos iudicum appellamus.

1 Post mortem iosue consuluerunt filij israhel dominum dicentes. Quis ascendet ante nos contra chananeum· et erit dux belli: 2 Dixitque dominus. Iudas ascendet. Ecce tradidi terram in manu eius. 3 Et ait iudas symeoni fratri suo. Ascende mecum in sorte mea· et pugna contra chananeum: vt et ego pergam tecum in sorte tua. Et abijt cum eo symeon. 4 Ascenditque iudas· et tradidit dominus chananeum ac pherezeum in manus eorum: et percusserunt in bezech decem milia virorum. 5 Inueneruntque adonibezech· et in bezech: et pugnauerunt contra eum: ac percusserunt chananeum et pherezeum. 6 Fugit autem adonibezech: quem persecuti comprehenderunt· cesis summitatibus manuum eius ac pedum. 7 Dixitque adonibezech. Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci ita reddidit michi deus. Adduxeruntque eum in iherusalem: et ibi mortuus est. 8 Oppugnantes ergo filij iuda iherusalem ceperunt eam· et percusserunt in ore gladij: tradentes cunctam incendio ciuitatem. 9 Et postea descendentes pugnauerunt contra chananeum qui habitabat in montanis· et ad meridiem in campestribus. 10 Pergensque iudas contra chananeum qui habitabat in hebron· cuius nomen fuit antiquitus cariatharbe· percussit sysai et hayman et tholmai: 11 atque inde profectus abiit ad habitatores dabir· cuius nomen vetus erat cariathsepher id est ciuitas litterarum. 12 Dixitque caleph. Qui percusserit cariathsepher et vastauerit eam: dabo ei axam filiam meam vxorem. 13 Cunque cepisset eam othoniel filius cenez frater caleph minor: dedit ei axam filiam suam coniugem. 14 Quam pergentem in itinere monuit vir suus vt peteret a patre suo agrum. Que cum suspirasset sedens in asino dixit ei caleph. Quid habes? 15 At illa respondit. Da michi benedictionem: quia terram arentem dedisti michi· da et irriguam aquis. Dedit ergo ei caleph irriguum superius et irriguum inferius. 16 Filij autem cinei cognati moysi ascenderunt de ciuitate palmarum cum filijs iuda· in desertum sortis eius quod est ad meridiem arath: et habitauerunt cum eo. 17 Abijt autem iudas cum symeone fratre suo: et percusserunt simul chananeum qui habitabat in sephat· et interfecerunt eum. Vocatumque est nomen vrbis horma id est anathema. 18 Cepit que iudas gazam cum finibus suis: et aschalonem atque accaron cum terminis suis. 19 Fuitque dominus cum iuda et montana possedit. Nec potuit delere habitatores vallis: quia falcatis curribus habundabant. 20 Dederuntque caleph hebron sicut dixerat moyses: qui deleuit ex ea tres filios enach. 21 Ihebuseum autem habitatorem iherusalem non deleuerunt filij beniamin: habitauitque ihebuseus cum filijs beniamin in iherusalem vsque in presentem diem. 22 Domus quoque ioseph ascendit in bethel: fuitque dominus cum eis 23 nam cum obsiderent vrbem que prius luza vocabatur· 24 viderunt hominem egredientem de ciuitate: dixeruntque ad eum. Ostende nobis introitum ciuitatis: et faciemus tecum misericordiam. 25 Qui cum ostendisset eis percusserunt vrbem in ore gladij: hominem autem illum et omnem cognationem eius dimiserunt. 26 Qui dimissus abijt in terram ethim: et edificauit ibi ciuitatem. Vocauitque eam luzam: que ita appellatur vsque in presentem diem. 27 Manasses quoque non deleuit bethsan et chanach cum viculis suis et habitatores dor· et ieblaam et maieddo cum viculis suis: cepitque chananeus habitare cum eis. 28 Postquam autem confortatus est israhel fecit eos tributarios: et delere noluit. 29 Ephraim etiam non interfecit chanane vm qui habitabat in gazer: sed habitauit cum eo. 30 Zabulon non deleuit habitatores rethron et naalon: sed habitauit chananeus in medio eius· factusque est ei tributarius. 31 Aser quoque non deleuit habitatores accho et sydonis alab et achazib et amma et aphech et roob: 32 habitauitque in medio chananei habitatoris illius terre: nec interfecit eum. 33 Neptalim quoque non deleuit habitatores bethsemes et bethanath: et habitauit inter chananeum habitatorem terre: fuerunt que ei bethsemite et bethanite tributarij. 34 Artauitque amorreus filios dan in monte· nec dedit eis locum vt ad planiora descenderent: 35 habitauitque in monte hares quod interpretatur testatio in hailon et salabim. Et aggrauata est manus domus ioseph: factusque est ei tributarius. 36 Fuit autem terminus amorrei ab ascensu scorpionis petra et superiora loca.

2 Ascenditque angelus domini de galgala ad locum flentium et ait. Eduxi vos de egipto· et introduxi in terram pro qua iuraui patribus vestris: et pollicitus sum vt non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum: 2 ita dumtaxat vt non feriretis fedus cum habitatoribus terre huius· et aras eorum subuerteretis: et noluistis audire vocem meam. Cur hoc fecistis? 3 Quamobrem nolui delere eos a facie vestra: vt habeatis hostes· et dij eorum sint vobis in ruinam. 4 Cunque loqueretur angelus domini hec verba ad omnes filios israhel: eleuauerunt que vocem suam· et fleuerunt. 5 Et vocatum est nomen loci illius flentium siue lacrimarum: immolaueruntque ibi hostias domino. 6 Dimisit ergo iosue populum: et abierunt filij israhel vnusquisque in possessionem suam· vt obtinerent eam: 7 seruieruntque domino cunctis diebus eius et seniorum· qui longo post eum vixerunt tempore· et nouerant omnia opera domini que fecerat cum israhel. 8 Mortuus est autem iosue filius nun famulus domini centum et decem annorum: 9 et sepelierunt eum in finibus possessionis sue in thamnathsare in monte ephraim· a septentrionali plaga montis gaas. 10 Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos: et surrexerunt alij qui non nouerunt dominum: et opera que fecerat cum israhel. 11 Feceruntque filij israhel malum in conspectu domini· et seruierunt baalim: 12 ac dimiserunt dominum deum patrum suorum· qui eduxerat eos de terra egipti: et secuti sunt deos alienos· deos quoque populorum qui habitabant in circuitu eorum· et adorauerunt eos: et ad iracundiam concitauerunt dominum· 13 dimittentes eum et seruientes baal et astaroth. 14 Iratusque dominus contra israhel tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos et vendiderunt hostibus qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere aduersarijs suis: 15 sed quocumque pergere voluissent· manus domini super eos erat sicut locutus est et iurauit eis: et vehementer afflicti sunt. 16 Suscitauitque dominus iudices qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt· 17 fornicantes cum dijs alienis et adorantes eos. Cito deseruerunt viam per quam ingressi fuerant patres eorum: et audientes mandata domini· omnia fecere contraria. 18 Cumque dominus iudices suscitaret· in diebus eorum flectebatur misericordia: et audiebat afflictorum gemitus· et liberabat eos de cede vastantium. 19 Postquam autem mortuus esset iudex· reuertebantur et multo faciebant maiora quam fecerant patres eorum: sequentes deos alienos· seruientes eis et adorantes illos. Non dimiserunt adinuentiones suas: et viam durissimam per quam ambulare consueuerant. 20 Iratusque est furor domini in israhel et ait. Quia irritum fecit gens ista pactum meum quod pepigeram cum patribus eorum· et vocem meam audire contempsit: 21 et ego non delebo gentes quas dimisit iosue et mortuus est: 22 vt in ipsis experiar israhel vtrum

custodiant viam domini: et ambulent in ea· sicut custodierunt patres eorum an non. [23] Dimisit ergo dominus omnes has nationes: et cito subuertere noluit· nec tradidit in manibus iosue.

3 Hec sunt gentes quas dominus dereliquit vt erudiret in eis israhelem· et omnes qui non nouerant bella chananeorum: [2] et postea discerent filij eorum certare cum hostibus· et habere consuetudinem preliandi· [3] quinque satrapas philistinorum omnemque chananeum et sydonium atque eueum· qui habitabat in monte libano de monte baalhermon vsque ad introitum emath. [4] Dimisitque eos vt in ipsis experiretur israhelem: vtrum audirent mandata domini que preceperat patribus eorum per manum moysi an non. [5] Itaque filij israhel habitauerunt in medio chananei et ethei et amorrei et pherezei et euei et iebusei: [6] et duxerunt vxores filias eorum· ipsique filias suas filijs eorum tradiderunt: et seruierunt dijs eorum. [7] Feceruntque malum in conspectu domini: et obliti sunt roch. dei sui seruientes baalim et astharoth. [8] Iratusque dominus contra israhel tradidit eos in manus chusan rafathaim regis mesopotamie: seruieruntque ei octo annis. [9] Et clamauerunt ad dominum: qui suscitauit eis saluatorem et liberauit eos· othoniel videlicet filium cenez fratrem caleph minorem: [10] fuitque in eo spiritus domini et iudicauit israhel. Egressusque est ad pugnam: et tradidit dominus in manus eius chusainrafathaim regem sirie· et oppressit eum. [11] Quieuitque terra quadraginta annis: et mortuus est othoniel filius cenez. [12] Addiderunt autem filij israhel facere malum in conspectu domini· qui confortauit aduersum eos eglon regem moab· quia fecerunt malum in conspectu eius. [13] Et copulauit ei filios ammon et amelech: abijtque et percussit israhel· atque possedit vrbem palmarum. [14] Seruieruntque filij israhel eglon regi moab decem et octo annis: [15] et postea clamauerunt ad dominum. Qui suscitauit eis saluatorem vocabulo aoth inclitum filium gera filij iemini: qui vtraque manu pro dextra vtebatur. Miseruntque filij israhel per illum munera eglon regi moab. [16] Qui fecit sibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palme manus: et accinctus est eo subter sagum in dextro femore. [17] Obtulitque munera eglon regi moab. Erat autem eglon crassus nimis. [18] Cumque obtulisset ei munera persecutus est socios qui cum eo venerant: [19] et reuersus de galgalis vbi erant ydola dixit ad regem. Verbum secretum habeo ad te o rex. Et ille imperauit silentium. Egressisque omnibus qui circa eum erant [20] ingressus est aoth ad eum. Sedebat autem in estiuo cenaculo solus. Dixitque. Verbum dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. [21] Extenditque aoth sinistram manum et tulit sicam de dextro femore suo: infixitque in ventrem eius [22] tam valide vt capulus sequeretur ferrum in vulnere: ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium sed ita vt percusserat reliquit in corpore: statimque per secreta nature alui stercora proruperunt. [23] Aoth autem clausis diligentissime hostijs cenaculi et obfirmatis: [24] per posticam egressus est. Seruique regis ingressi viderunt clausas fores cenaculi: atque dixetunt. Forsitan purgat aluum in estiuo cubiculo. [25] Expectantesque diu donec erubescerent et videntes quod nullus aperiret· tulerunt clauem: et aperientes inuenerunt dominum suum in terra iacentem mortuum. [26] Aoth autem dum illi turbarentur effugit: et pertransijt locum ydolorum vnde reuersus fuerat. Venitque in seyrath [27] et statim insonuit bucina in monte ephraim: denas. scenderuntque cum eo filij israhel ipso in fronte gradiente. [28] Qui dixit ad eos. Sequimini me. Tradidit enim dominus inimicos nostros moabitas in manus nostras. Descenderunt que post eum et occupauerunt vada iordanis que transinittunt in moab et non dimiserunt transire quemquam: [29] sed percusserunt moabitas in tempore illo circiter decem milia omnes robustos et fortes viros. Nullus eorum euadere potuit. [30] Humiliatusque est moab in die illo sub manu israhel: et quieuit terra octoginta annis a prelijs. [31] Post hunc fuit samgar filius anath: qui percussit de philistijm sexcentos viros vomere. Et ipse quoque defendit israhel.

4 Addideruntque filij israhel facere malum Iin conspectu domini post mortem aoth: [2] et tradidit illos dominus in manus iabin chanan qui regnauit in asor ha ducem exercitus sui nomine sisaram. Ipse autem habitabat in arozeth gentium. [3] Clamaueruntque filij israhel ad dominum. Nongentos enim habebat falcatos currus: et per viginti annos vehementer oppresserat eos. [4] Erat autem debbora prophetes vxor lapidoth que iudicabat populum in illo tempore: [5] et sedebat sub palma que nomine illius vocabatur· inter rama et bethel in monte ephraim: ascendebantque ad eam filij israhel in omne iudicium. [6] Que misit et vocauit barach filium abinoem de cedes neptalim: dixitque ad eum. Precepit tibi dominus deus israhel. Vade descende: et duc exercitum in montem thabor: tollesque tecum decem milia pugnatorum de filijs neptalim et de filijs zabulon. [7] Ego autem adducam ad te in loco torrentis cyson sisaram principem exercitus iabin et currus eius atque omnem multitudinem: et tradam eos in manu tua. [8] Dixitque ad eam barach. Si venis mecum vadam: si nolueris venire mecum non pergam. [9] Que dixit ad eum. Ibo quidem tecum: sed in hac vice victoria non reputabitur tibi: quia in manu mulieris tradetur sisara. Surrexit itaque debbora et perrexit cum barach in cedes. [10] Qui accitis zabulon et neptalim ascendit cum decem milibus pugnatorum: habens debboram in comitatu suo. [11] Aber autem cineus recesserat quondam a ceteris cineis fratribus suis filijs obab cognati moysi et tetenderat tabernacula vsque ad vallem que vocatur sennim: et erat iuxta cedes. [12] Nunciatum que est sisare quod ascendisset barach filius abinoem in montem thabor. [13] Et congregauit nongentos falcatos currus: et omnem exercitum de aroseth gentium ad torrentem cyson. [14] Dixitque debbora ad barach. Surge: hec est enim dies in qua tradidit dominus sisaram in manus tuas. En ipse ductor est tuus. Descendit itaque barach de monte thabor: et decem milia pugnatorum cum eo. [15] Perterruitque dominus sisaram et omnes currus eius vniuersamque multitudinem in ore gladij ad conspectum barach: intantum vt sisara de curru desiliens pedibus fugeret: [16] et barach persequeretur fugientes currus et exercitum vsque ad aroseth gentium: et o mnis hostium multitudo vsque ad internitionem caderet. [17] Sisara autem fugiens peruenit ad tentorium iahel vxoris aber cynei. Erat autem pax inter iabin regem asor et domum aber cynei. [18] Egressa igitur iahel in occursum sisare dixit ad eum. Intra ad me domine mi: ne timeas. Qui ingressus tabernaculum eius et opertus ab ea pallio: [19] dixit ad eam. Da michi obsecro paululum aque: quia sitio valde. Que aperuit vtrem lactis et dedit ei bibere: et operuit illum. [20] Dixitque sisara ad eam. Sta ante hostium tabernacli: et cum venerit aliquis interrogans te· et dicens nunquid hic est aliquis: respondebis. Nullus est. [21] Tulit itaque iahel vxor aber clauum tabernaculi assumens pariter et malleum: et ingressa abscondite et cum silentio posuit super timpus capitis eius clauum percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram: qui soporem morti socians defecit et mortuus est. [22] Et ecce barach sequens sisaram veniebat: egre sisaram veniebat: iahel in occursum eius dixit ei. Veni: et ostendam tibi virum quem queris. Qui cum intrasset ad eam· vidit sisaram iacentem mortuum: et clauum infixum in timpore eius. [23] Humiliauit ergo deus in die illo iabin regem chanaan coram filijs israhel: [24] qui crescebant quotidie et forti manu opprimebant iabin regem chanaan donec delerent eum.

5 Cecineruntque debbora et barach filius abinoem in die illo dicentes. [2] Qui sponte obtulistis de israhel animas vestras ad periculum: benedicite domino. [3] Audite reges: auribus percipite principes. Ego sum qui domino canam: psallam domino deo israhel. [4] Domine cum exires de seir· et transires per regiones edom· terra mota est: celique ac nubes distillauerunt aquis. [5] Montes fluxerunt a facie domini: et synai a facie domini dei israhel. [6] In diebus samgar filij anach in diebus iahel quieuerunt semite: et qui ingrediebantur per eas ambulauerunt per calles deuios. [7] Cessauerunt fortes in israhel: et quieuerunt donec surgeret debbora· surgeret mater in israhel. [8] Noua bella elegit dominus: et portas hostium ipse subuertit. Clipeus et hasta si apparuerunt in quadraginta milibus israhel. [9] Cor meum diligit principes israhel. Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini benedicite domino: [10] qui ascenditis super nitentes asinas· et sedetis super iudicium· et ambulatis in via loquimini. [11] Vbi collisi sunt currus et hostium suffocatus est exercitus: ibi narrentur iusticie domini: clementie fortis israhel. Tunc descendit populus domini ad portas: et obtinuit principatum. [12] Surge surge debbora surge: loquere canticum. Surge barach: et apprehende captiuos tuos fili abinoem.

13 Saluate sunt reliquie populi. Dominus in fortibus dimicauit: 14 ex ephraim deleuit eos in amelech: et post eum ex beniamin in populos tuos o amalech. De machir principes descenderunt: et de zabulon qui exercitum ducerent ad bel hellandum. 15 Duces ysachar fuere cum debbora: barach vestigia sunt secuti: qui quasi in preceps ac baratrum se discrimini dedit. Diuiso contra se ruben: magnanimorum reperta contentio est. 16 Quare habitas inter duos terminos: vt audias sibilos gregum? Diuiso contra se ruben: magnanimorum reperta contentio est. 17 Galaad trans iordanen quiescebat: et dan vacabat nauibus. Aser habitabat in litore maris: et in portibus morabatur. 18 Zabulon vero et neptalim obtulerunt auimas suas morti in regione morome. 19 Venerunt reges et pugnauerunt: pugnauerunt reges chanaan in thanac iuxta aquas mageddon: et tamen nichil tulere predantes. 20 De celo dimicatum est contra eos: stelle manentes in ordine et cursu suo aduersus sisaram pugnauerunt. 21 Torrens cison traxit cadauera eorum: torrens cadumim torrens cison. Conculta anima mea robustos. 22 Vngule equorum ceciderunt: fugientibus impetu· et per preceps ruentibus fortissimis hostium. 23 Maledicite terre meroz dixit angelus domini: maledicite habitatoribus eius: quia non venerunt ad auxilium domini et adiutorium fortissimorum eius. 24 Benedicta inter mulieres iahel vxor aber cinei: et benedicatur in tabernaculo. 25 Aquam petenti lac dedit: et in phiala principum obtulit butirum. 26 Sinistram manum misit ad clauum: et dextram ad fabrorum malleos· percussitque sisaram querens in capite vulneri locum: et timpus valide perforans. 27 Inter pedes eius ruit: defecit et mortuus est voluebatur ante pedes eius: et iacebat exanimis et miserabilis. 28 Per fenestram respiciens vlulabat mater eius: et de cenaculo loquebatur. Cur moratur regredi currus eius: quare tardauerunt pedes quadrigarum illius? 29 Vna sapientior ceteris vxoribus eius hec socrui verba respondit. 30 Forsitan nunc diuidit spolia et pulcerrima feminarum eligitur ei. Vestes diuersorum colorum sisare traduntur in predam: et suppellex varia ad ornanda colla congeritur. 31 Sic pereant omnes inimici tui domine: qui autem diligunt te sicut sol in ortu suo splendet ita rutilent. 32 Quieuit terra per quadragita annos.

6 Fecerunt autem filij israhel malum in conspectu domini: qui tradidit illos in in manu madian septem annis: 2 et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra et speluncas in montibus: et munitissima ad repugnandum loca. 3 Cumque seuisset israhel ascendebat madian et amalech et ceteri orientalium nationum: 4 et apud eos figentes tentoria· sicut erant in herbis cuncta vastabant vsque ad introitum gaze· nichilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in israhel: non oues non boues non asinos. 5 Ipsi enim et vniuersi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis: et instar locustarum vniuersa complebant· innumera multitudo hominum et camelorum· quicquid tetigerant deuastantes. 6 Humiliatusque est israhel valde in conspectu madian. 7 Et clamauit ad dominum postulans auxilium contra madianitas. 8 Qui misit ad eos virum prophetam: et locutus est. Hec dicit dominus deus israhel. Ego feci vos conscendere de egipto et eduxi vos de domo seruitutis: 9 et liberaui de manu egiptiorum et omnium inimicorum qui affligebant vos. Eiecique eos ad introitum vestrum: et tradidi vobis terram eorum: 10 et dixi. Ego dominus deus vester. Ne timeatis deos amorreorum in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem meam. 11 Venit autem angelus domini et sedit sub quercu qui erat in efra: et pertinebat ad ioas patrem familie ezdri. Cunque gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari vt fugeret madian: 12 apparuit ei angelus domini et ait. Dominus tecum virorum fortissime. 13 Dixitque ei gedeon. Obsecro domine mi si dominus nobiscum est· cur ergo apprehenderunt nos hec omnia? Vbi sunt mirabilia eius que narrauerunt patres nostri: atque dixerunt de egipto eduxit nos dominus? Nunc autem dereliquit nos dominus: et tradidit in manu madian. 14 Respexitque ad eum dominus· et ait. Vade in hac fortitudine tua: et liberabis israhel de manu madian. Scito quod miserim te. 15 Qui respondens ait. Obsecro domine mi in quo liberabo israhel? Ecce familia mea infima est in manasse: et ego minimus in domo patris mei. 16 Dixitque ei dominus. Ego ero tecum: et percuties madian quasi vnum virum. 17 Et ille: si inueni inquit gratiam coram te da michi signum quod tu sis qui loqueris ad me: 18 nec recedas hinc donec reuertar ad te portans sacrificium et offerens tibi. Qui respondit. Ego prestolabor aduentum tuum. 19 Ingressus est itaque gedeon et coxit hedum et de farine modio azimos panes: carnesque ponens in canistro et ius carnium mittens in ollam· tulit omnia sub quercum: et obtulit ei. 20 Cui dixit angelus domini. Tolle carnes et azimos panes et pone super petram illam: et ius desuper funde. Cumque fecisset ita· 21 extendit angelus domini summitatem virge quam tenebat in manu et tetigit carnes et azimos panes: ascenditque ignis de petra et carnes azimosque panes consumpsit: angelus autem domini euanuit ex oculis eius. 22 Videnque gedeon quod esset angelus domini ait. Heu mi domine deus: quia vidi angelum domini facie ad faciem. 23 Dixitque ei dominus. Pax tecum. Ne timeas: non morieris. 24 Edificauit ergo ibi gedeon altare domino: vocauitque illud domini pax vsque in presentem diem. Cunque adhuc esset in efra que est familie ezdri: 25 nocte illa dixit dominus ad eum. Tolle thaurum patris tui et alterum thaurum annorum septem· destruesque aram baal que est patris tui· et nemus quod circa aram est succide: 26 et edificabis altare domino deo tuo in summitate petre huius super quam ante sacrificium posuisti: tollesque thaurum secundum et offeres olocaustum super struem lignorum que de nemore succideris. 27 Assumptis ergo gedeon decem viris de seruis suis· fecit sicut preceperat ei dominus. Timens autem domum patris sui et homines illius ciuitatis per diem noluit facere: sed omnia nocte compleuit. 28 Cunque surrexissent viri oppidi eius mane· viderunt destructam aram baal lucumque succisum: et thaurum alterum impositum super altare· quod tunc edificatum erat: 29 dixeruntque ad inuicem. Quis hoc fecit? Cunque perquirerent auctorem facti: dictum est. Gedeon filius ioas fecit hec omnia. 30 Et dixerunt ad ioas. Produc filium tuum huc vt moriatur quia destruxit aram baal: et succidit nemus. 31 Quibus ille respondit. Numquid vltores estis baal· vt pugnetis pro eo? Qui aduersarius est eius moriatur: antequam lux crastina veniat. Si deus est: vindicet se de eo qui suffondit aram eius. 32 Ex illo die vocatus est gedeon iherobaal: eo quod dixisset ioas vlciscatur se de eo baal· qui suffodit altare eius. 33 Ergo omnis madian et ama et orientales populi congregati sunt simul: et transeuntes iordanen castrametati sunt in valle iezrahel. 34 Spiritus autem domini induit gedeon: qui clangens bucina conuocauit domum abiezer vt sequeretur se. 35 Misitque nuncios in vniuersum manassen: qui et ipse secutus est eum. Et alios nuncios in aser et zabulon et neptalim: qui occurrerunt ei. 36 Dixitque gedeon ad dominum. Si saluum facis per manum meam populum israhel sicut locutus es: 37 ponam hoc vellus lane in area. Si ros in solo vellere fuerit et in omni terra siccitas· sciam quod per manum meam sicut locutus es liberabis israhel· 38 factumque est ita. Et de nocte consurgens: expresso vellere concam rore impleuit. 39 Dixitque rursus ad dominum. Ne irascatur furor tuus contra me: si adhuc semel temptauero signum querens in vellere· oro vt solum vellus siccum sit: et omnis terra rore madens. 40 Fecitque dominus nocte illa vt postulauerat: et fuit siccitas in solo vellere: et ros in omni terra.

7 Igitur iherobaal qui et gedeon de nocte consurgens et omnis populus cum eo venit ad fontem qui vocatur arad. Erant autem castra madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi. 2 Dixitque dominus ad gedeon. Multus tecum est populus: nec tradetur madian in manus eius: ne glorietur contra me israhel et dicat meis viribus liberatus sum. 3 Loquere ad populum: et cunctis audientibus predica. Qui formidolosus et timidus est reuertatur. Recesseruntque de monte galaad: et reuersi sunt ex populo vigintiduo milia virorum: et tantum decem milia remanserunt. 4 Dixitque dominus ad gedeon. Adhuc populus multus est. Duc eos ad aquas et ibi probabo illos: et de quo dixero tibi vt tecum vadat ipse pergat quem ire prohibuero reuertatur. 5 Cunque descendisset populus ad aquas: dixit dominus ad gedeon. Qui et lingua lambuerint aquas sicut solent canes lambere separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint in altera parte erunt. 6 Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os proiciente lambuerunt aquas trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo· flexo poplite biberat. 7 Et ait dominus ad gedeon. In trecentis viris qui lambuerunt aquas liberabo vos· et tradam in manu tua

madian: omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum suum. [8] Sumptis itaque pro numero cibarijs et tubis: omnem reliquam multitudinem abire precepit ad tabernacula sua: et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem madian erant subter in valle. [9] Eadem nocte dixit dominus ad eum. Surge et descende in castra: quia tradidi eos in manu tua. [10] Sinautem solus ire formidas: descendat tecum phara puer tuus. [11] Et cum audieris quid loquantur tunc confortabuntur manus tue: et securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse et phara puer eius in partem castrorum: vbi erant armatorum vigilie. [12] Madian autem et amalech et omnes orientales populi fusi iacebant in valle vt locustarum multitudo: cameli autem innumerabiles erant sicut harena que iacet in litore maris. [13] Cumque venisset gedeon narrabat aliquis somnium proximo suo: et in hunc modum referebat quod viderat. Vidi somnium: et videbatur michi quasi subcinericius panis ex ordeo volui: et in castra madian descendere. Cunque peruenisset ad tabernaculum percussit illud atque subuertit: et terre funditus coequauit. [14] Respondit is cui loquebatur. Non est hoc aliud: nisi gladius gedeonis filij ioas viri israhelite. Tradidit enim dominus in manus eius madian: et omnia castra eius. [15] Cunque audisset gedeon somnium et interpretationem eius adorauit: et reuersus est ad castra israhel et ait. Surgite: tradidit enim dominus in manus nostras castra madian. [16] Diuisitque trecentos viros in tres partes: et dedit tubas in manibus eorum: lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. [17] Et dixit ad eos. Quod me facere videritis hec facite. Ingrediar partem castrorum: et quod fecero sectamini. [18] Quando personuerit tuba in manu mea: vos quoque per castrorum circuitum clangite et conclamate domino et gedeoni. [19] Ingressusque est gedeon et trecenti viri qui erant cum eo in partem castrorum incipientibus vigilijs noctis medie: et custodibus suscitatis ceperunt bucinis clangere: et complodere inter se lagenas. [20] Cumque per girum castrorum in tribus personarent locis· et ydrias confregissent· tenuerunt sinistris manibus lampades· et dextris sonantes tubas: clamaueruntque· gladius domini et gedeonis: [21] stantes singuli in loco suo· per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt: et vociferantes vlulantesque fugerunt. [22] Et nichilominus insistebant trecenti viri bucinis personantes. Immisitque dominus gladium in omnibus castris: et mutua se cede truncabant [23] fugientes vsque ad bethseca et crepidinem abel meula in thebbath. Conclamantes autem viri israhel de neptali et aser et omni manasse persequebantur madian. Et dedit dominus victoriam populo israhel in die illa. [24] Misitque gedeon nuncios in omnem montem ephraim dicens. Descendite in occursum madian: et occupate aquas vsque bethbera atque iordanen. Clamauitque omnis ephraim: et preoccupauit aquas atque iordanen vsque bethbera. [25] Apprehensosque duos viros madian oreb et zeb· interfecit oreb in petra oreb: zeb vero in torculari zeb. Et persecuti sunt madian: capita oreb et zeb portantes ad gedeon trans fluenta iordanis.

8 Dixeruntque ad eum viri ephraim. Quid est hoc quod facere voluisti: vt non nos vocares cum ad pugnam pergeres contra madian? Iurgantes fortiter: et prope vim inferentes. [2] Quibus ille respondit. Quid enim tale facere potui: quale vos fecistis? Nonne melior est racemus ephraim vindemijs abiezer? [3] In manus vestras dominus tradidit principes madian oreb et zeb. Quid tale facere potui: quale vos fecistis? Quod cum locutus esset: requieuit spiritus eorum quo tumebant contra eum. [4] Cumque venisset gedeon ad iordanen transiuit eum cum trecentis viris qui secum erant: et pre lassitudine· fugientes persequi non poterant. [5] Dixitque ad viros soccoth. Date obsecro panes populo qui mecum est quia valde defecerunt: vt possimus persequi zebee et salmana reges madian. [6] Responderunt principes soccoth. Forsitan palme manuum zebee et salmana in manu tua sunt: et idcirco postulas vt demus exercitui tuo panes. [7] Quibus ille ait. Cum ergo tradiderit dominus zebee et salmana in manus meas: conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. [8] Et inde conscendens venit in phanuel: locutusque est ad viros loci illius similia. Cui et illi responderunt sicut responderant viri soccoth. [9] Dixit itaque eis. Cum reuersus fuero victor in pace destruam turrim hanc. [10] Zebee autem et salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim milia viri remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum: cesis centumuiginti milibus bellatorum et educentium gladium. [11] Ascendensque gedeon per viam eorum qui in tabernaculis morabantur ad orientalem partem nobe et iecbaa percussit castra hostium qui securi erant et nichil aduersi suspicabantur: [12] fugeruntque zebee et salmana: quos persequens gedeon comprehendit turbato omni exercitu eorum. [13] Reuertensque de bello ante solis ortum [14] apprehendit puerum de viris soccoth· interrogauitque eum nomina principum et seniorum soccoth: et descripsit septuagintaseptem viros· [15] venitque ad soccoth: et dixit eis. En zebee et salmana super quibus exprobrastis michi dicentes forsitan manus zebee et salmana in manibus tuis sunt: et idcirco postulas vt demus viris qui lassi sunt et defecerunt· panes. [16] Tulit ergo seniores ciuitatis et spinas deserti ac tribulos: et contriuit cum eis atque comminuit viros soccoth. [17] Turrim quoque phanuel subuertit: occisis habitatoribus ciuitatis. [18] Dixitque ad zebee et salmana. Quales fuerunt viri quos occidistis in thabor? Qui responderunt. Similes tui: et vnus ex eis quasi filius regis. [19] Quibus ille respondit. Fratres mei fuerunt: filij matris mee. Viuit dominus: quia si seruassetis eos non vos occiderem. [20] Dixitque iether primo genito suo. Surge et interfice eos. Qui non eduxit gladium. Timebat enim: quia adhuc puer erat. [21] Dixeruntque zebee et salmana. Tu surge et irrue in nos: quia iuxta etatem robur est hominis. Surrexit gedeon et interfecit zebee et salmana: et tulit ornamenta ac bullas quibus colla regalium camelorum decorari solent. [22] Dixeruntque omnes viri israhel ad gedeon. Dominare nostri tu et filius tuus et filius filij tui: quia liberasti nos de manu madian. [23] Quibus ille ait. Non dominabor vestri: nec dominabitur in vos filius meus: sed dominabitur dominus. [24] Dixitque ad eos. Vnam peticionem postulo a vobis. Date michi inaures ex preda vestra. Inaures enim aureas ysmahelite habere consueuerant. [25] Qui responderunt. Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium proiecerunt in eo inaures de preda: [26] et fuit pondus postulatarum inaurium mille septingenti auri sicli· absque ornamentis et monilibus et veste purpurea quibus reges madian vti soliti erant: et preter torques aureas camelorum. [27] Fecitque ex eo gedeon ephod: et posuit illud in ciuitate sua ephra. Fornicatusque est omnis israhel in eo: et factum est gedeoni et omni domui eius in ruinam. [28] Humiliatus est autem madian coram filijs israhel nec potuerunt vltra ceruices eleuare: sed quieuit terra per quadraginta annos quibus gedeon prefuit. [29] Abijt itaque ierobaal filius ioas et habitauit in domo sua: [30] habuitque septuaginta filios qui egressi sunt de femore eius: eo quod plures haberet vxores. [31] Concubina autem illius quam habebat in sichem genuit ei filium nomine abimelech. [32] Mortuusque est gedeon filius ioas in senectute bona: et sepultus est in sepulcro ioas patris sui in ephra de familia ezdri. [33] Postquam autem mortuus est gedeon auersi sunt filij israhel: et fornicati sunt in baalim. Percusseruntque cum baal fedus vt esset eis in deum: [34] nec recordati sunt domini dei sui qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum: [35] nec fecerunt misericordiam cum domo ierobaal gedeon iuxta omnia bona que fecerat israheli.

9 Abijt autem abimelech filius ierobaal in sichem ad fratres matris sue: et locutus est ad eos et ad omnem cognationem domus patris matrisque sue dicens. [2] Loquimini ad omnes viros sichem. Quid vobis est melius: dominentur vestri septuaginta viri vobis omnes vt filij ierobaal· an dominetur omnes vt vnus vir? Simulque considerate: quia os vestrum et caro vestra sum. [3] Locutique sunt fratres matris eius de eo ad omnes viros sichem vniuersos sermones istorum: istos: et inclinauerunt cor eorum post abimelech dicentes. Frater noster est. [4] Dederuntque illi septuaginta pondera argenti de phano baalberith. Qui conduxit sibi ex ea viros inopes et vagos: secutique sunt eum. [5] Et venit in domum patris sui in ephra: et occidit fratres suos filios ierobaal septuaginta viros super lapidem vnum. Remansitque ioathan filius ierobaal minimus: et absconditus est. [6] Congregati sunt autem omnes viri sichem et vniuerse familie vrbis mello: abieruntque et constituerunt regem abimelech iuxta quercum que stabat in sichem. [7] Quod cum nunciatum esset ioathan iuit et stetit in vertice montis garizim: eleuataque voce clamauit et dixit. Audite me viri sichem: ita vt audiat vos dominus. [8] Ierunt ligna vt vngerent super se

regem. Dixeruntque oliue. Impera nobis. [9] Que respondit. Nunquid possum deserere pinguedinem meam qua et dij vtuntur et homines: et venire vt inter ligna promouear? [10] Dixeruntque ligna ad arborem ficum. Veni: et super nos regnum accipe. [11] Que respondit eis. Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suauissimos: et ire vt inter cetera ligna promouear? [12] Locutaque sunt ligna ad vitem. Veni et impera nobis. [13] Que respondit eis. Nunquid possum deserere vinum meum quod letificat deum et homnies: et inter ligna cetera commoueri? [14] Dixeruntque omnia ligna ad ramnum. Veni et impera super nos. [15] Que respondit eis. Si vere me regem vobis constituitis venite et sub vmbra mea requiescite: sinautem non vultis: egrediatur ignis de ramno et deuoret cedros libani. [16] Nunc igitur si recte et absque peccato constituistis super vos regem abimelech et bene egistis cum ierobaal et cum domo eius: et reddidistis vicem beneficijs eius qui pugnauit pro vobis [17] et animam suam dedit periculis· vt erueret vos de manu madian: [18] qui nunc surrexistis contra domum patris mei et interfecistis filios eius septuaginta viros super vnum lapidem: et constituistis regem abimelech filium ancille eius super habitatores sichem eo quod frater vester sit: [19] si ergo recte et absque vicio egistis cum ierobaal et domo eius· hodie letemini in abimelech et ille letetur in vobis. [20] Sinautem peruerse: egrediatur ignis ex eo et consumat habitatores sichem et oppidum mello: egrediaturque ignis de viris sichem et de oppido mello et deuoret abimelech. [21] Que cum dixisset fugit et abijt in bera: habitauitque ibi ob metum abimelech fratris sui. [22] Regnauit itaque abimelech super israhel tribus annis. [23] Misitque dominus spiritum pessimum inter abimelech et habitatores sichem: qui ceperunt eum detestari: [24] et scelus interfectionis septuaginta filiorum ierobaal et effusionem sanguinis eorum conferre in abimelech fratrem suum: et in ceteros sichimorum principes qui eum adiuuerant. [25] Posueruntque insidias aduersum eum in summitate montium: et dum illius prestolabantur aduentum exercebant latrocinia: agentes predas de pretereuntibus. Nunciatumque est abimelech. [26] Venit autem gaal filius obed cum fratribus suis: et transiuit in sichimam. Ad cuius aduentum erecti habitatores sichem [27] egressi sunt in agros vastantes vineas vuasque calcantes: et factis cantantium choris· ingressi sunt phanum dei sui: et inter epulas et pocula maledicebant abimelech [28] clamante gaal filio obed. Quis est iste abimelech et que est sichem vt seruiamus ei? Nunquid non est filius ierobaal? Et constituit principem zebul seruum suum super viros emor patris sichem. Cur ergo seruiemus ei? [29] Vtinam daret aliquis populum istum sub manu mea: vt auferrem de medio abimelech. Dictumque est abimelech. Congrega exercitus multitudinem et veni. [30] Zebul enim princeps ciuitatis auditis sermonibus gaal filij obed iratus est valde: [31] et misit clam ad abimelech nuncios dicens. Ecce gaal filius obed venit in sichimam cum fratribus suis: et oppugnat aduersum te ciuitatem. [32] Surge itaque nocte cum populo qui tecum est et latita in agro: [33] et primo mane oriente sole irrue· super ciuitatem. Illo autem egrediente aduersum te cum populo suo: fac ei quod potueris. [34] Surrexit itaque abimelech cum omni exercitu suo nocte: et tetendit insidias iuxta sichimam in quatuor locis. [35] Egressusque est gaal filius obed: et stetit in introitu porte ciuitatis. Surrexit autem abimelech· et omnis exercitus cum eo de insidiarum loco. [36] Cunque vidisset populum gaal: dixit ad zebul. Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit. Vmbras montium vides quasi capita hominum: et hoc errore deciperis. [37] Rursumque gaal ait. Ecce populus de vmbilico terre descendit: et vnus cuneus venit per viam que respicit quercum. [38] Cui dixit zebul. Vbi est nunc os tuum quo loquebaris: quis est abimelech vt seruiamus ei? Nonne hic est populus quem despiciebas? Egredere et pugna contra eum. [39] Abijt ergo gaal exspectante sichimorum populo et pugnauit contra abimelech: [40] qui persecutus est eum fugientem in vrbem compulit. Ceciderunt que ex parte eius plurimi vsque ad portam ciuitatis: [41] et abimelech sedit in ruma. Zebul autem gaal et socios eius expulit de vrbe: nec in ea passus est commorari. [42] Sequenti ergo die egressus est populus in campum: quod cum nunciatum esset abimelech [43] tulit exercitum suum et diuisit in tres turmas: tendens insidias in agris. Vidensque quod egrederetur populus de ciuitate surrexit et irruit in eo [44] cum cuneo suo oppugnans et obsidens ciuitatem: due autem turme palantes per campum aduersarios persequebantur. [45] Porro abimelech omni die illo oppugnabat vrbem: quam cepit interfectis habitatoribus eius: ipsa quoque destructa ita vt sal in ea dispergeret. [46] Quod cum audissent qui habitabant in turre sichimorum: ingressi sunt phanum dei sui berith vbi fedus cum eo pepigerant et ex eo locus nomen acceperat: qui erat munitus valde. [47] Abimelech quoque audiens viros turris sichimorum pariter conglobatos [48] ascendit in montem selmon cum omni populo suo: et arrepta securi precidit arboris ramum impositumque ferens humero dixit ad socios. Quod me vidistis facere cito facite. [49] Igitur certatim ramos de arboribus precidentes sequebantur ducem. Qui circundantes presidium succenderunt: atque ita factum est vt fumo et igne mille hominum necarentur viri pariter et mulieres habitatorum turris sichem. [50] Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum thebes: quod circumdans obsidebat exercitu. [51] Erat autem turris excelsa in media ciuitate: ad quam confugerant simul viri ac mulieres et omnes principes ciuitatis clausa firmissime ianua: et super turris tectum stantes per propugnacula. [52] Accedensque abimelech iuxta turrim pugnabat fortiter: et appropinquans hostio ignem supponere nitebatur. [53] Et ecce vna mulier fragmen mole desuper iaciens illisit capiti abimelech: et confregit cerebrum eius. [54] Qui vocauit cito armigerum suum: et ait ad eum. Euagina gladium tuum et percute me: ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui iussa perficiens interfecit eum. [55] Illoque mortuo omnes qui cum eo erant de israhel· reuersi sunt in sedes suas: [56] et reddidit deus malum quod fecerat abimelech contra patrem suum interfectis septuaginta fratribus suis. [57] Sichimitis quoque quod operati erant retributum est: et venit super eos maledicto ioathan filij ierobaal.

10 Post abimelech surrexit dux in israhel thola filius phua patrui abimelech vir de isachar qui habitauit in sanir montis ephraim: [2] et iudicauit israhel viginti et tribus annis: mortuusque est ac sepultus in sanir. [3] Huic successit iair galaadites qui iudicauit israhel per viginti et duos annos: [4] habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum et principes triginta ciuitatum: que ex nomine eius sunt appellate auochiair id est oppida iair vsque in presentem diem in terra galaad. [5] Mortuusque est iair: ac sepultus in loco cui est vocabulum camon. [6] Filij autem israhel peccatis veteribus iungentes noua fecerunt malum in conspectu domini: et seruierunt ydolis baalim et astharoth et dijs sirie ac sidonis et moab et filiorum ammon et philistijm: dimiseruntque dominum et non coluerunt eum. [7] Contra quos iratus tradidit eos in manus philistijm et filiorum ammon: [8] afflictique sunt et vehementer oppressi per annos decem et octo· omnes qui habitabant trans iordanen in terra amorrei que est in galaad· [9] intantum vt filij ammon iordane transmisso vastarent iudam et beniamin et ephraim. Afflictus que est israhel nimis. [10] Et clamantes ad dominum dixerunt. Peccauimus tibi: quia dereliquimus dominum deum nostrum et seruiuimus baalim. [11] Quibus locutus est dominus. Nunquid non egiptij et amorrei filijque ammon et philistijm [12] sidonij quoque et amalech et chanaan oppresserunt vos· et clamastis ad me et erui vos de manu eorum? [13] Et tamen reliquistis me: et coluistis deos alienos. Idcirco non addam vt vltra vos liberem. [14] Ite et inuocate deos quos elegistis. Ipsi vos liberent vos in tempore angustie. [15] Dixeruutque filij israhel ad dominum. Peccauimus: redde tu nobis quicquid placet tibi: tantum nunc libera nos. [16] Que dicentes omnia de finibus suis alienorum deorum ydola proiecerunt: et seruierunt domino deo: qui doluit super miserijs eorum. [17] Itaque filij ammon conclamantes in galaad fixere tentoria: contra quos congregati filij israhel· in maspha castrametati sunt. [18] Dixeruntque principes galaad singuli ad proximos suos. Qui primus ex nobis contra filios ammon ceperit dimicare: erit dux populi galaad.

11 Fuit itaque illo in tempore iepthe galaadites vir fortissimus atque pugnator filius mulieris meretricis: qui natus est de galaad. [2] Habuit autem galaad vxorem de qua suscepit filios: qui postquam creuerant eiecerunt iepthe dicentes. Heres in domo patris nostri esse non poteris: quia de adultera matre natus es. [3] Quos ille fugiens atque deuitans habitauit in terra thob.

Congregatique sunt ad eum viri inopes et latrocinantes: et quasi principem sequebantur. [4] In illis diebus pugnabant filij ammon contra israhel: [5] quibus acriter instantibus· perrexerunt maiores natu de galaad vt tollerent in auxilium sui iepthe de terra thob. [6] Dixeruntque ad eum. Veni et esto princeps noster: et pugna contra filios ammon. [7] Quibus ille respondit. Nonne vos estis qui odistis me et eiecistis de domo patris mei: et nunc venistis ad me necessitate compulsi. [8] Dixeruntque principes galaad ad iepthe. Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus vt proficiscaris nobiscum: et pugnes contra filios ammon: sisque dux omnium qui habitant in galaad. [9] Iepthe quoque dixit eis. Si vere venistis ad me vt pugnem pro vobis contra filios ammon· tradideritque eos dominus in manus meas: ego ero vester princeps? [10] Qui responderunt ei. Dominus qui hec audit ipse mediator ac testis est: quod nostra promissa faciamus. [11] Abijt itaque iepthe cum principibus galaad: fecit que eum omnis populus principem sui. Locutus que est iepthe omnes sermones suos coram domino in maspha. [12] Et misit nuncios ad regem filiorum ammon: qui ex persona sua dicerent. Quid michi et tibi est quia venisti contra me vt vastares terram meam? [13] Quibus ille respondit. Quia tulit israhel terram meam quando ascendit de egipto: a finibus arnon vsque iabot atque iordanen. Nunc ergo cum pace redde michi eam. [14] Per quos rursum mandauit iepthe: et imperauit eis vt dicerent regi ammon. [15] Hec dicit iepthe. Non tulit israhel terram moab nec terram filiorum ammon: [16] sed quando de egipto conscenderunt ambulauit per solitudinem vsque ad mare rubrum: et venit in cades. [17] Misitque nuncios ad regem edom dicens. Dimitte me vt transeam terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus eius. Misit quoque ad regem moab: qui et ipse transitum prebere contempsit. Mansit itaque in cades: [18] et circuiuit ex latere terram edom et terram moab. Venitque ad orientalem plagam terre moab et castrametatus est trans arnon nec voluit intrare terminos moab. Arnon quippe confinium est terre moab. [19] Misit itaque israhel nuncios ad seon regem amorreorum qui habitabat in esebon: et dixerunt ei. Dimitte vt transeam per terram tuam vsque ad fluuium. [20] Qui et ipse israhel verba despiciens non dimisit eum transire per terminos suos: sed infinita multitudine congregata egressus est contra eum in iassa: et fortiter resistebat. [21] Tradiditque eum dominus in manu israhel cum omni exercitu suo et percussit eum: et possedit omnem terram amorrei habitatoris regionis illius [22] et vniuersos fines eius de arnon vsque iaboc: et de solitudine vsque ad iordanen. [23] Dominus ergo deus israhel subuertit amorreum pugnante contra illum populo suo israhel. Et tu nunc vis possidere terram eius? [24] Nonne ea que possedit chamos deus tuus tibi iure debetur? Que autem dominus deus noster victor obtinuit: in nostram cedent possessionem. [25] Nisi forte melior es balac filio sephor rege moab· aut docere potes quod iurgatus sit contra israhel et pugnauerit contra eum [26] quando habitauit in esebon et viculis eius et in aroer et villis illius: vel in cunctis ciuitatibus iuxta iordanen per trecentos annos? Quare tanto tempore nichil super hac repetitione temptastis? [27] Igitur non ego pecco in te: sed tu contra me male agis· indicens michi bella non iusta. Iudicet dominus arbiter huius diei inter israhel et inter filios ammon. [28] Noluitque acquiescere rex filiorum ammon verbis iepthe que per nuncios mandauerat. [29] Factus est ergo super iepthe spiritus domini: et circuiens galaad et manasse maspha quoque galaad: et inde transiens ad filios ammon [30] votum vouit domino dicens. Si tradideris filios ammon in manus meas: [31] quicumque primus fuerit egressus de foribus domus mee· michique occurrerit reuertenti cum pace a filijs ammon: eum olocaustum offeram domino. [32] Transiuitque iepthe ad filios ammon vt pugnaret contra eos: quos tradidit dominus in manus eius: [33] percussitque ab aroer vsque dum venias in mennith viginti ciuitates: et vsque ad abel que est vineis consita plaga magna nimis: humiliatique sunt filij ammon a filijs israhel. [34] Reuertenti autem iepthe in maspha domum suam occurrit ei vnigenita filia cum tympanis et choris. Non enim habebat alios liberos. [35] Qua visa: scidit vestimenta sua et ait. Heu me filia mi: decepisti me· et ipsa decepta es. Aperui enim os meum ad dominum: et aliud facere non potero. [36] Cui illa respondit. Pater mi· si aperuisti os tuum ad dominum· fac michi quodcumque pollicitus es: concessa tibi vltione atque victoria de hostibus tuis. [37] Dixitque ad patrem. Hoc solum michi presta quod deprecor. Dimitte me vt duobus mensibus circueam montes: et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. [38] Cui ille respondit. Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cunque abisset cum socijs et sodalibus suis: flebat virginitatem suam in montibus. [39] Expletisque duobus mensibus reuersa est ad patrem suum: et fecit ei sicut vouerat. Que ignorabat virum. Exinde mos increuit in israhel et consuetudo seruata est: [40] vt post anni circulum conueniant in vnum filie israhel et plangant filiam iepthe galaadite diebus quatuor.

12 Ecce autem in ephraim orta est sedicio. Nam transeuntes contra aquilonem· dixerunt ad iepthe. Quare vadens ad pugnam contra filios ammon vocare nos noluisti: vt pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam. [2] Quibus ille respondit. Disceptatio erat michi et populo meo contra filios ammon vehemens: vosque vocaui vt preberetis michi auxilium: et facere noluistis. [3] Quod cernens posui animam meam in manibus meis: transiuique ad filios ammon: et tradidit eos dominus in manus meas. Quid commerui: vt aduersum me consurgatis in prelium? [4] Vocatis itaque ad se cunctis viris de galaad pugnabat contra ephraim. Percusseruntque viri galaad ephraim: quia dixerat fugitiuus est galaad de ephraim et habitat in medio ephraim et manasse. [5] Occupauerunt galaadite vada iordanis per que ephraim reuersurus erat. Cunque venisset ad ea de ephraim numero fugiens· atque dixisset obsecro vt me transire permittas: dicebant ei galaadite. Nunquid ephrateus es? Quo dicente non sum: [6] interrogabant eum. Dic ergo sebboleth: quod interpretatur spica. Qui respondebat thebboleth: eadem littera spicam exprimere non valens: statimque apprehensum iugulabant in ipso iordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de ephraim quadraginta duo milia. [7] Iudicauit itaque iepthe galaadites israhel sex annis: et mortuus est ac sepultus in ciuitate sua galaad. [8] Post hunc iudicauit israhel abessan de bethleem: [9] qui habuit triginta filios et totidem filias. Quas emittens foras maritis dedit: et eiusdem numeri filijs suis accepit vxores: introducens in domum suam. Qui septem annis iudicauit israhel: [10] mortuus que est ac sepultus in bethleem. [11] Cui successit ahialon zabulonites: et iudicauit israhel decem annis: [12] mortuusque est ac sepultus in zabulon. [13] Post hunc iudicauit israhel abdon filius hellel pharatonites [14] qui habuit quadraginta filios et triginta ex eis nepotes ascendentes super septuaginta pullos asinarum: et iudicauit israhel octo annis: [15] mortuusque est ac sepultus in pharaton terre ephraim in monte amalech.

13 Rursumque filij israhel fecerunt malum in conspectu domini: qui tradidit eos in manus philistinorum quadraginta annis. [2] Erat autem quidam vir de saraa et de stirpe dan nomine manue habens vxorem sterilem: [3] cui apparuit angelus domini: et dixit ad eam. Sterilis es et absque liberis: sed concipies et paries filium. [4] Caue ergo ne bibas vinum ac siceram nec immundum quicquam comedas: [5] quia concipies et paries filium: cuius non tanget caput nouacula. Erit enim nazareus dei ab infantia sua et ex matris vtero: et ipse incipiet liberare israhel de manu philistinorum. [6] Que cum venisset ad maritum suum: dixit ei. Vir dei venit ad me habens vultum angelicum: terribilis nimis. Quem cum interrogassem quis esset et vnde venisset et quo nomine vocaretur noluit michi dicere: [7] sed hoc respondit. Ecce concipies et paries filium. Caue ne vinum bibas nec siceram: et ne aliquo vescaris immundo. Erit enim puer nazareus ab infantia sua et ex vtero matris sue: vsque ad diem mortis sue. [8] Orauit itaque manue dominum et ait. Obsecro domine vt vir dei quem misisti veniat iterum: et doceat nos quid nos debeamus facere de puero qui nasciturus est. [9] Exaudiuitque dominus deprecantem manue: et apparuit rursum angelus domini vxori eius sedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. Que cum vidisset angelum [10] festinauit et cucurrit ad virum suum: nunciauitque ei dicens. Ecce apparuit michi vir quem ante videram. [11] Qui surrexit et secutus est vxorem suam: veniensque ad virum dixit ei. Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit. Ego sum. [12] Cui manue. Quando inquit sermo tuus fuerit expletus: quid vis vt faciat puer aut a quo se obseruare debebit? [13] Dixitque angelus domini ad

manue. Ab omnibus que locutus sum vxori tue abstineat se: [14] et quicquid ex vinea nascitur non comedat: vinum et siceram non bibat: nullo vescatur immundo· et quod ei precepi impleuescatur immundo· et quod ei preceperim precepi impleat atque custodiat. [15] Dixit itaque manue ad angelum domini. Obsecro te vt acquiescas precibus meis: et faciamus tibi hedum de capris. [16] Cui respondit angelus. Si me cogis non comedam panes tuos: si autem vis olocaustum facere offer illud domino. Et nesciebat manue quod angelus domini esset. [17] Dixitque ad eum. Quod est tibi nomen: vt si sermo tuus fuerit expletus honoremus te? [18] Cui ille respondit. Cur queris nomen meum quod est mirabile? [19] Tulit itaque manue hedum de capris et libamenta: et posuit super petram offerens domino qui facit mirabilia. Ipse autem et vxor eius intuebantur. [20] Cumque ascenderet flamma altaris in celum: angelus domini pariter in flamma ascendit. Quod cum vidisset manue et vxor eius· proni ceciderunt in terram: [21] et vltra eis non apparuit angelus domini. Statimque intellexit manue angelum domini esse: [22] et dixit ad vxorem suam. Morte moriemur: quia vidimus dominum. [23] Cui respondit mulier. Si dominus nos vellet occidere· de manibus nostris olocaustum et libamenta non suscepisset: nec ostendisset nobis hec omnia: neque ea que sunt ventura dixisset. [24] Peperit itaque filium: et vocauit nomen eius samson. Creuitque puer et benedixit ei dominus: [25] cepitque spiritus domini esse cum eo in castris dan: in terra saraa et esthaol.

14 Descendit ergo samson in thamnatha: vidensque ibi mulierem de filiabus philistijm [2] ascendit et nunciauit patri suo et matri sue dicens. Vidi mulierem in thamnatha de filiabus philistinorum: quam queso vt michi accipiatis vxorem. [3] Cui dixerunt pater et mater sua. Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum et in omni populo tuo: quia vis accipere vxorem de philistijm qui incircumcisi sunt? Dixitque samson ad patrem suum. Hanc michi accipe quia placuit oculis meis. [4] Parentes autem eius nesciebant quod res a domino fieret: et quereret occasionem contra philistijm. Eo enim tempore dominabantur philistijm israheli. [5] Descendit itaque samson cum patre suo et matre in thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi apparuit catulus leonis seuus et rugiens: et occurrit ei. [6] Irruit autem spiritus domini in samson: et dilacerauit leonem quasi hedum in frusta decerperet nichil omnino habens in manu: et hoc patri et matri noluit indicare. [7] Descenditque et locutus est mulieri que placuerat oculis eius. [8] Et post aliquot dies reuertens vt acciperet eam: declinauit vt videret cadauer leonis. Et ecce examen apum in ore leonis erat: ac fauus mellis. [9] Quem cum sumpsisset in manibus comedebat in via: veniensque ad patrem suum et matrem dedit eis partem qui et ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat. [10] Descendit itaque pater eius ad mulierem: et fecit filio suo samson conuiuium. Sic enim iuuenes facere consueuerant. [11] Cum ergo ciues loci illius vidissent eum dederunt ei sodales triginta qui essent cum eo. [12] Quibus locutus est samson. Proponam vobis questionis problema: quod si solueritis michi intra septem dies conuiuij dabo vobis triginta syndones et totidem tunicas. [13] Sinautem non potueritis soluere: vos dabitis michi triginta syndones et eiusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei. Propone problema vt audiamus. [14] Dixitque eis. De comedente exiuit cibus: et de forti egressa est dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propositionem soluere. [15] Cumque adesset dies septimus: dixerunt ad vxorem samson. Blandire viro tuo: et suade ei vt indicet tibi quid significet problema. Quod si facere nolueris: incendemus te et domum patris tui. An idcirco vocastis nos ad nuptias vt spoliaretis. [16] Que fundebat apud samson lacrimas: et querebatur dicens. Odisti me et non diligis: idcirco problema quod proposuisti filijs populi mei non vis michi exponere. At ille respondit. Patri meo et matri nolui dicere: et tibi indicare potero? [17] Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum: tandemque die septimo cum ei esset molesta exposuit. Que statim indicauit ciuibus suis. [18] Et ille dixerunt ei die septimo ante solis occubitum. Quid dulcius melle: et quid fortius leone? Qui ait ad eos. Si non arassetis in vitula mea: non inuenissetis propositionem meam. [19] Irruit itaque in eum spiritus domini: descenditque ascalonem et percussit ibi triginta viros: quorum ablatas vestes dedit hijs qui problema soluerant. Iratus que nimis ascendit in domum patris sui: [20] vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius et pronubis.

15 Post aliquantum autem temporis cum dies triticee messis instarent venit samson· inuisere volens vxorem suam: et attulit ei hedum de capris. Cumque cubiculum eius solito vellet intrare: prohibuit illum pater illius dicens. [2] Putaui quod odisses eam: et ideo tradidi illam amico tuo. Sed habet sororem que iunior et pulcrior illa est: sit tibi pro ea vxor. [3] Cui samson respondit. Ab hac die non erit culpa in me contra philisteos. Faciam enim vobis mala. [4] Perrexitque et cepit trecentas vulpes: caudasque earum vinxit ad caudas et faces ligauit in medio: [5] quas igne succendens dimisit vt huc illucque discurrerent. Que statim perrexerunt in segetes philistinorum. Quibus succensis et comportate iam fruges et adhuc stantes in stipula concremate sunt: intantum vt vineas quoque et oliueta flamma consumeret. [6] Dixeruntque philistijm. Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est. Samson gener thamnathei: quia tulit vxorem eius et alteri tradidit hec operatus est. Ascenderuntque philistijm: et combusserunt tam mulierem quam patrem eius. [7] Quibus ait samson. Licet hec feceritis tamen adhuc ex vobis expetam vltionem: et tunc quiescam. [8] Percussitque eos ingenti plaga: ita vt stupentes suram femori imponerent. Et descendens habitauit in spelunca petre etham. [9] Igitur ascendentes philistijm in terram iuda castrametati sunt in loco qui postea vocatus est lechi id est maxilla: vbi eorum fusus est exercitus. [10] Dixeruntque ad eos de tribu iuda. Cur ascendistis aduersum nos? Qui responderunt. Vt ligemus samson venimus: et reddamus ei que in nos operatus est. [11] Descenderunt ergo tria milia virorum de iuda ad specum silicis etham. Dixeruntque ad samson. Nescis quod philistijm imperent nobis? Quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait. Sicut fecerunt michi: sic feci eis. [12] Ligare inquiunt te venimus: et tradere in manus philistinorum. Quibus samson iurate ait et spondete michi: quod non occidatis me. [13] Dixerunt. Non te occidemus: sed vinctum trademus. Ligaueruntque eum duobus nouis funibus: et tulerunt eum de petra etham. [14] Qui cum venisset ad locum maxille et philistijm vociferantes occurrissent ei irruit spiritus domini in eum: et sicut solent ad odorem ignis ligna consumi: ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt et soluta. [15] Inuentamque maxillam id est mandibulam asini que iacebat arripiens: interfecit in ea mille viros [16] et ait. In maxilla asini in mandibula pulli asinarum deleui eos: et percussi mille viros. [17] Cumque hec verba canens complesset: proiecit mandibulam de manu: et vocauit nomen loci illius ramathlechi: quod interpretatur eleuatio maxille. [18] Sitiensque valde clamauit ad dominum et ait. Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam atque victoriam: et en siti morior: incidamque in manus circumcisorum. [19] Aperuit itaque dominus molarem dentem in maxilla asini: et egresse sunt ex eo aque. Quibus haustis refocillauit spiritum: et vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius inuocantis fons de maxilla: vsque in presentem diem. [20] Iudicauitque israhel in diebus philistijm viginti annis.

16 Abijt quoque in gazam et vidit ibi mulierem meretricem: ingressusque est ad eam. [2] Quod cum audisset philistijm et percrebruisset apud eos· intrasse vrbem samson: circumdederunt eum positis in porta ciuitatis custodibus: et ibi tota nocte cum silentio prestolantes vt facto mane exeuntem occiderent. [3] Dormiuit autem samson vsque ad medium noctis: et inde consurgens apprehendit ambas porte fores cum postibus suis et sera: impositasque humeris suis portauit ad verticem montis qui respicit hebron. [4] Post hec amauit mulierem que habitauit in valle soreth: et vocabatur dalila. [5] Veneruntque ad eam principes philistinorum atque dixerunt. Decipe eum et disce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem: et quomodo eum superare valeamus et vinctum affligere. Quod si feceris: dabimus tibi singuli mille argenteos. [6] Locuta est ergo dalila ad samson. Dic michi obsecro in quo sit tua maxima fortitudo: et quid sit quo ligatus erumpere nequeas. [7] Cui respondit samson. Si septem neruiceis funibus necdum siccis et adhuc humentibus ligatus fuero: infirmus ero vt ceteri homines. [8] Attuleruntque ad eam satrape philistinorum septem funes vt dixerat: quibus vinxit eum [9] latentibus apud se

insidijs: et in cubiculo finem rei expectantibus. Clamauitque ad eum. Philistijm super te samson. Qui rupit vincula quomodo si rumpat quis filum de stuppa tortum spuramine cum odorem ignis acceperit: et non est cognitum in quo esset fortitudo eius. [10] Dixitque ad eum dalila. Ecce illusisti michi: et falsum locutus es. Saltem nunc indica michi quo ligari debeas. [11] Cui ille respondit. Si ligatus fuero nouis funibus qui numquam fuerunt in opere: infirmus ero et aliorum hominum similis. [12] Quibus rursum dalila vinxit eum: et clamauit philistijm super te samson: in cubiculo insidijs preparatis. Qui ita rupit vincula: quasi fila telarum. [13] Dixitque dalila rursum ad eum. Vsquequo decipis me et fallum loqueris Ostende de quo vinciri debeas. Cui respondit samson. Si inquit septem crines capitis mei cum licio plexueris et clauum hijs circumligatum terre fixeris: infirmus ero. [14] Quod cum fecisset dalila: dixit ad eum. Philistijm super te samson. Qui consurgens de somno extraxit clauum cum crinibus et licio. [15] Dixitque ad eum dalila. Quomodo dicis quod amas me cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es michi: et noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua. [16] Cunque molesta ei esset per multos dies iugiter adhereret· spacium ad quietem non tribuens: defecit anima eius et ad mortem vsque lassata est. [17] Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam. Ferrum numquam ascendit super caput meum: quia nazareus id est consecratus domino sum de vtero matris mee. Si rasum fuerit caput meum recedet a me fortitudo mea et deficiam: eroque sicut ceteri homines. [18] Vidensque illa quod confessus ei esset omnem animum suum: misit ad principes philistinorum ac mandauit. Ascendite adhuc semel: quia nunc michi aperuit cor suum. Qui ascenderunt: assumpta pecunia quam promiserant. [19] At illa dormire eum fecit super genua sua: et in sinu suo reclinare caput. Vocauitque tonsorem et rasit septem crines eius: et cepit abigere eum et a se repellere. Statim enim de eo fortitudo discessit. [20] Dixitque philistijm super te samson. Qui de sumno consurgens dixit in animo suo. Egrediar sicut ante feci et me excutiam: nesciens quod recessisset ab eo dominus. [21] Quem cum apprehendissent philistijm statim eruerunt oculos eius: et duxerunt gazam vinctum cathenis: et clausum in carcere molere fecerunt. [22] Iamque capilli eius renasci ceperant: et [23] principes philistinorum conuenerunt in vnum vt immolarent hostias magnificas dagon deo suo et epularentur dicentes: tradidit deus noster inimicum nostrum samson in manus nostras. [24] Quod etiam populus videns laudabat deum suum: eademque dicebat. Tradidit deus noster aduersarium nostrum in manus nostras: qui deleuit terram nostram: et occidit plurimos. [25] Letantesque per conuiuia sumptis iam epulis preceperunt vt vocaretur samson: et ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos: feceruntque eum stare inter duas columnas. [26] Qui dixit puero regenti gressus suos. Dimitte me vt tangam columnas quibus omnis imminet domus· et recliner super eas et paululum requiescam. [27] Domus autem erat plena virorum ac mulierum: et erant ibi omnes principes philistinorum: ac de tecto et solario circiter tria milia vtriusque sexus spectabant ludentem samson. [28] At ille inuocato domino ait. Domine deus meus memento mei: et redde michi nunc fortitudinem pristinam deus meus vt vlciscar me de hostibus meis: et pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiam. [29] Et apprehendens ambas columnas quibus innitebatur domus: alteramque earum dextera· et alteram leua tenens [30] ait. Moriatur anima mea cum philistijm. Concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes principes et ceteram multitudinem que ibi erat. Multoque plures interfecit moriens: quam ante viuus occideret. [31] Descendentes autem fratres eius et vniuersa cognatio tulerunt corpus eius: et sepelierunt inter saraa et estahol in sepulcro patris sui manue: iudicauitque israhel viginti annis.

17 vitque eo tempore vir quidam de monte ephraim nomine michas: [2] qui dixit matri sue. Millecentum argenteos quos separaueras et super quibus me audiente iuraueras ecce ego habeo: et apud me sunt. Cui illa respondit. Benedictus filius meus domino. [3] Reddidit ergo eos matri sue: que dixerat ei. Consecraui et voui hoc argentum domino· vt de manu mea suscipiat filius meus et faciat sculptile atque conflatile: et nunc trado illud tibi. [4] Reddidit igitur eos matri sue. Que tulit ducentos argenteos et dedit eos argentario: vt faceret ex eis sculptile atque conflatile quod fuit in domo miche. [5] Qui ediculam quoque in ea deo separauit: et fecit ephod theraphim id est vestem sacerdotalem et ydola. Impleuitque vnius filiorum suorum manum: et factus est ei sacerdos. [6] In diebus illis non erat rex in israhel: sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat. [7] Fuit quoque in tempore illo alter adolescens de bethleem iuda ex cognatione eius eratque ipse leuites et habitabat ibi. [8] Egressusque de ciuitate bethleem: peregrinari voluit vbicumque sibi commodum repperisset. Cumque venisset in montem ephraim iter faciens et declinasset parumper in domo miche: [9] interrogatus est ab eo vnde venisset. Qui respondit. Leuita sum de bethleem iuda: et vado vt habitem vbi potuero et vtile michi esse prospexero. [10] Mane apud me inquit et esto michi parens ac sacerdos: dabo sacerdos: dabo que tibi per annos singulos decem argenteos ac vestem duplicem: et que ad victum sunt necessaria. [11] Acquieuit et mansit apud hominem: fuitque illi quasi vnus de filijs. [12] Impleuitque micha manum eius: et habuit puerum sacerdotem apud se: [13] nunc scio dicens quod bene faciet michi deus· habenti leuitici generis sacerdotem.

18 In n diebus illis non erat rex in israhel: et tribus dan querebat possessionem sibi vt habitaret in ea. Vsque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat. [2] Miserunt ergo filij dan stirpis et familie sue quinque viros fortissimos de saraa et esthaol: vt explorarent terram et diligenter inspicerent. Dixeruntque eis. Ite et considerate terram. Qui cum pergentes venissent in montem ephraim et intrassent domum miche: requieuerunt ibi. [3] Et agnoscentes vocem adolescentis leuite· vtentesque illius diuersorio: dixerunt ad eum. Quis te huc adduxit? Quid hic agis? Quamobcausam huc venire voluisti? [4] Qui respondit eis. Hec et hec prestitit michi michas: et me mercede conduxit vt sim ei sacerdos. [5] Rogaueruntque eum vt consuleret dominum: et scire possent an prospero itinere pergerent· et res haberet effectum. [6] Qui respondit eis. Ite cum pace. Dominus respicit viam vestram: et iter quo pergitis. [7] Euntes igitur quinque viri venerunt lais: videruntque populum habitantem in ea absque vllo timore iuxta consuetudinem sydoniorum: securum et quietum nullo eis penitus resistente magnarumque opum: et procul a sydone atque a cunctis hominibus separatum. [8] Reuersique ad fratres suos in saraa et esthaol: et quid egissent sciscitantibus responderunt. [9] Surgite et ascendamus ad eos. Vidimus enim terram valde et vberem. Nolite negligere: noli cessare. Eamus et possideamus eam: nullus erit labor. [10] Intrabimus ad securos in regionem latissimam: tradetque nobis dominus locum in quo nullius rei est penuria eorum que gignuntur in terra. [11] Profecti igitur sunt de cognatione dan de saraa et esthaol sexcenti viri accincti armis bellicis: [12] ascendentesque manserunt in chariathiarim iude: qui locus ex eo tempore castrorum dan nomen accepit· et est post tergum chariathiarim. [13] Inde transierunt in montem ephraim. Cumque venissent ad domum miche: [14] dixerunt quinque viri qui prius missi fuerant ad considerandam terram lais ceteris fratribus suis. Nostis quod in domibus istis sit ephod et theraphim et sculptile atque conflatile? Videte quid vobis placeat. [15] Et cum paululum declinassent ingressi sunt domum adolescentis leuite qui erat in domo miche: salutaueruntque eum verbis pacificis: [16] sexcenti autem viri ita vt erant armati stabant ante ostium. [17] At illi qui ingressi fuerant domum iuuenis sculptile et ephod et theraphim atque conflatile tollere nitebantur: et sacerdos stabat ante ostium: sexcentis viris fortissimis haut procul exspectantibus. [18] Tulerunt igitur qui intrauerant sculptile ephod et ydola atque conflatile. Quibus dixit sacerdos. Quid facitis? [19] Cui responderunt. Tace et pone digitum super os tuum: venique nobiscum: vt habeamus te patrem ac sacerdotem. Quid tibi melius est vt sis sacerdos in domo vnius viri: an in vna tribu et familia in israhel? [20] Quod cum audisset acquieuit sermonibus eorum: et tulit ephod et ydola ac sculptile et profectus est cum eis. [21] Qui cum pergerent et ante se ire fecissent paruulos ac iumenta et omne quod erat preciosum [22] iam a domo miche essent procul: viri qui habitant in edibus miche conclamantes secuti sunt: [23] et post tergum clamare ceperunt. Qui cum respexissent dixerunt ad micham. Quid tibi vis? Cur

clamas? [24] Qui respondit. Deos quos michi feci tulistis et sacerdotem et omnia que habeo: et dicitis quid tibi est? [25] Dixeruntque ei filij dan. Caue ne vltra loquaris ad nos: et veniant ad te viri animo concitati: et ipse cum omni domo tua perias. [26] Et sic cepto itinere perrexerunt. Videns autem micha quod fortiores se essent: reuersus est in domum suam. [27] Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem et que supradiximus: veneruntque in lais ad populum quiescentem atque securum et percusserunt eos in ore gladij· vrbemque incendio tradiderunt [28] nullo penitus ferente presidium: eo quod procul habitarent a sydone et cum nullo hominum haberent quicque societatis ac negocij. Erat autem ciuitas sita in regione roob quam rursum extruentes habitauerunt in ea [29] vocato nomine ciuitatis dan iuxta vocabulum patris sui quem genuerat israhel que prius lais dicebatur. [30] Posueruntque sibi sculptile: et ionathan filium gersan filij moysi ac filios eius sacerdotes in tribu dan: vsque ad diem captiuitatis sue. [31] Mansitque apud eos ydolum miche omni tempore quo fuit domus dei in sylo. In diebus illis non erat rex in israhel.

19 Fuit quidam vir leuites habitans in latere montis ephraim· qui accepit vxorem de bethleem iuda. [2] Que reliquit eum et reuersa est in domum patris sui bethleem: mansitque apud eum quatuor mensibus. [3] Secutusque est eam vir suus volensque reconciliari ei atque blandiri et secum reducere: habens in comitatu puerum et duos asinos. Que suscepit eum: et introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer eius eumque vidisset occurrit ei letus: [4] et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus comedens cum eo et bibens familiariter: [5] die autem quarto de nocte consurgens proficisci voluit. Quem tenuit socer: et ait ad eum. Gusta prius pusillum panis et conforta stomachum: et sic proficisceris. [6] Sederuntque simul: ac comederunt et biberunt. Dixitque pater puelle ad generum suum. Queso te: vt hodie hic maneas pariterque letemur. [7] At ille consurgens cepit velle proficisci. Et nichilominus obnixe eum socer tenuit: et apud se fecit manere. [8] Mane autem facto parabat leuites iter. Cui socer rursum. Obsecro inquit vt paululum cibi capias: et assumptis viribus donec increscat dies· postea proficiscaris. Comederunt ergo simul: [9] surrexitque adolescens vt pergeret cum vxore sua et puero. Cui rursum locutus est socer. Considera quod dies ad occasum decliuior sit: et propinquat ad vesperum. Mane apud me etiam hodie et duc letum diem: et cras proficisceris vt vadas in domum tuam. [10] Noluit gener acquiescere sermonibus eius: sed statim perrexit et venit contra iebus que altero nomine vocatur iherusalem: ducens secum duos asinos onustos et concubinam. [11] Iamque aderant iuxta iebus et dies mutabatur in noctem. Dixitque puer ad dominum suum. Veni obsecro declinemus ad vrbem iebuseorum: et maneamus in ea. [12] Cui respondit dominus. Non ingrediar oppidum gentis aliene que non est de filijs israhel: sed transibo vsque gabaa [13] et cum illuc peruenero manebimus in ea: aut certe in vrbe rama. [14] Transierunt ergo iebus et ceptum carpebant iter: occubuitque eis sol iuxta gabaa que est in tribu beniamin: [15] diuerterunt ad eam vt manerent ibi. Quo cum intrassent sedebant in platea ciuitatis: et nullus eos recipere voluit hospitio. [16] Et ecce apparuit homo senex reuertens de agro et de opere suo vesperi: qui et ipse de monte erat ephraim: et peregrinus habitabat in gabaa. Homines autem regionis illius erant filij iemini. [17] Eleuatisque oculis vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea ciuitatis: et dixit ad eum. Vnde venis: et quo vadis? [18] Qui respondit ei. Profecti sumus de bethleem iuda: et pergimus ad locum nostrum qui est in latere montis ephraim vnde ieramus bethleem. Et nunc vadimus ad domum dei: nullusque sub tectum suum nos vult recipere· [19] habentes panleas et fenum in asinorum pabulum: et panem ac vinum in meos et ancille tue vsus et pueri qui mecum est. Nulla re indigemus nisi hospitio. [20] Cui respondit senex. Pax tecum sit. Ego prebebo omnia que necessaria sunt: tantum queso ne in platea maneas. [21] Introdu xitque eum in domum suam: et pabulum asinis prebuit: ac postquam lauerunt pedes suos recepit eos in conuiuium. [22] Illis epulantibus et post laborem itineris cibo et potu reficientibus corpora: venerunt viri ciuitatis illius filij belial id est absque iugo: et circumdantes domum senis fores pulsare ceperunt clamantes ad dominum domus atque dicentes. Educ virum qui ingressus est domum tuam: vt abutamur eo. [23] Egressusque est ad eos senex et ait. Nolite fratres nolite facere malum hoc: quia ingressus est homo hospitium meum: et cessate ab hac stulticia. [24] Habeo filiam virginem· et hic homo habet concubinam: educam eas ad vos vt humilietis eas et vestram libidinem compleatis: tantum obsecro ne scelus hoc contra naturam operemini in virum. [25] Nolebant acquiescere sermonibus illius. Quod cernens homo adduxit ad eos concubinam suam: et eis tradidit illudendam. Qua cum tota nocte abusi essent: dimiserunt eam mane. [26] At mulier recedentibus tenebris venit ad ostium domus vbi manebat dominus suus: et ibi corruit. [27] Mane facto surrexit homo et aperuit ostium vt ceptam expleret viam: et ecce concubina eius iacebat ante ostium sparsis in limine manibus. [28] Cui ille putans eam quiescere loquebatur. Surge vt ambulemus. Qua nichil respondente intelligens quod erat mortua· tulit eam et imposuit asino: reuersusque est in domum suam. [29] Quam cum esset ingressus arripuit gladium: et cadauer vxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens misit in omnes terminos israhel. [30] Quod cum vidissent singuli conclamabant. Nunquamque res talis facta est in israhel ex eo die quo ascenderunt patres nostri de egipto vsque in presens tempus. Ferte sententiam: et in comune decernite quid facto opus sit.

20 Egressi itaque sunt omnes filij israhel et pariter congregati quasi vir vnus de dan vsque bersabee et terra galaad ad dominum in maspha: [2] omnes que anguli populorum et cuncte tribus israhel in ecclesiam populi dei conuenerunt quadringenta milia peditum pugnatorum. [3] Nec latuit filios beniamin: quod ascendissent filij israhel in maspha. Interrogatus leuita maritus mulieris interfecte· quomodo tantum scelus perpetratum esset [4] respondit. Veni in gabaa beniamin cum vxore mea: illucque diuerti. [5] Et ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum in qua manebam volentes me occidere: et vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes: denique mortua est. [6] Quam arreptam in frusta concidi: misique partes in omnes terminos possessionis vestre: quia numquam tantum nefas et tam grande piaculum factum est in israhel. [7] Adestis omnes filij israhel: decernite quid facere debeatis. [8] Stansque omnis populus et quasi vnius hominis sermone respondit. Non recedemus in tabernacula nostra: nec suam quisquam intrabit domum: [9] sed hoc contra gabaa in commune faciemus. [10] Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus israhel et centum de mille et mille de decem milibus vt comportent exercitui cibaria: et possimus pugnare contra gabaa beniamin: et reddere ei pro scelere quod meretur. [11] Conuenitque vniuersus israhel ad ciuitatem quasi homo vnus eadem mente vno consilio: [12] et miserunt nuncios ad omnem tribum beniamin qui dicerent. Cur tantum nefas in vobis repertum est? [13] Tradite homines de gabaa qui hoc flagitium perpetrarunt vt moriantur: et auferatur malum de israhel. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum israhel audire mandatum: [14] sed ex cunctis vrbibus que sortis sue erant conuenerunt in gabaa vt illis ferrent auxilium: et contra vniuersum populum israhel dimicarent. [15] Inuentique sunt vigintiquinque milia de beniamin educentium gladium preter habitatores gabaa [16] qui septingenti erant viri fortissimi ita sinistra vt dextra preliantes: et sic fundis lapides ad certum iacientes vt capillum que possent percutere: et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. [17] Virorum que israhel absque filijs beniamin inuenta sunt quadringenta milia educentium gladios et paratorum ad pugnam: [18] qui surgentes venerunt in domum dei hoc est in silo: consulueruntque dominum atque dixerunt. Quis erit in exercitu nostro princeps certaminis contra filios beniamin? Quibus respondit dominus. Iudas sit dux vester. [19] Statimque filij israhel surgentes mane castrametati sunt iuxta gabaa: [20] et inde procedentes ad pugnam contra beniamin· vrbem oppugnare ceperunt. [21] Egressique filij beniamin de gabaa: occiderunt de filijs israhel die illo vigintiduo milia virorum. [22] Rursum filij israhel et fortitudine et numero confidentes in eodem loco in quo prius certauerunt aciem direxerunt: [23] ita tamen vt prius ascenderent et flerent coram domino vsque ad noctem: consulerentque eum et dicerent. Debeo vltra procedere ad dimicandum contra filios beniamin fratres meos an non? Quibus ille respondit. Ascendite ad eos: et inite certamen. [24] Cumque filij israhel altera die contra filios beniamin ad

prelium processissent· [25] eruperunt filij beniamin de portis gabaa: et occurrentes eis tanta in illos cede bachati sunt· vt decem et octo milia virorum educentium gladium prosternerent. [26] Quamobrem omnes filij israhel venerunt in domum dei: et sedentes flebant coram domino. Ieiunauerunt quod die autem illo vsque ad vesperam: et obtulerunt ei olocausta atque pacificas victimas: [27] et super statu suo interrogauerunt. Eo tempore ibi erit archa federis domini: [28] et phinees filius eleazari filij aaron prepositus domus. Consuluerunt igitur dominum atque dixerunt. Exire vltra debemus ad pugnam contra filios beniamin fratres nostros an quiescere? Quibus ait dominus. Ascendite. Cras enim tradam eos in manus vestras. [29] Posueruntque filij israhel insidias per circuitum vrbis gabaa: [30] et tercia vice sicut semel et bis contra beniamin exercitum produxerunt. [31] Sed et filij beniamin audacter eruperunt de ciuitate: et fugientes aduersarios longius persecuti sunt: ita vt vulnerarent ex eis sicut primo die et secundo: et cederent per duas semitas vertentes terga quarum vna ferebatur in bethel et altera in gabaa: atque prosternerent triginta circiter viros. [32] Putauerunt enim solito eos more cedere. Qui fugam arte simulantes inierunt consilium vt abstraherent eos de ciuitate: et quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent. [33] Omnes itaque filij israhel surgentes de sedibus suis tetenderunt aciem in loco qui vocatur baalthamar: insidie quoque que circa vrbem erant paulatim se aperire ceperunt [34] et ab occidentali vrbis parte procedere. Sed et alia decem milia virorum de vniuerso israhel· habitatores vrbis ad certamina prouocabant: ingrauatum quod est bellum contra filios beniamin: et non intellexerunt quod ex omni parte illis instarer interitus. [35] Percussitque eos dominus in conspectu filiorum israhel: et interfecerunt ex illis in illo die vigintiquinque milia et centum viros omnes bellatores et educentes gladium. [36] Filij autem beniamin cum se inferiores esse vidissent ceperunt fugere. Quod cernentes filij israhel dederunt eis ad fugiendum locum: vt ad preparatas insidias deuenirent quas iuxta vrbem posuerant. [37] Qui cum repente de latibulis surrexissent et beniamin terga cedentibus daret: ingressi sunt ciuitatem et percusserunt eam in ore gladij. [38] Signum autem dederant filij israhel hijs quos in insidijs collocauerant: et postquam vrbem cepissent ignem accenderent: vt ascendente in altum fumo captam vrbem demonstrarent. [39] Quod cum cernerent filij israhel in ipso certamine positi· putauerunt enim filij beniamin eos fugere et instantius persequebantur· cesis de exercitu eorum triginta viris: [40] et viderunt quasi columnam fumi de ciuitate conscendere: beniamin quoque respiciens retro cum captam cernerent ciuitatem et flammas in sublime ferri: [41] qui prius simulauerant fugam· versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filij beniamin in fugam versi sunt: [42] et ad viam deserti ire ceperunt: illuc quoque eos aduersarijs persequentibus. Sed et hij qui vrbem succenderant occurrerunt eis: [43] atque ita factum est vt ex vtraque parte ab hostibus cederentur: nec erat vlla requies morientium. Ceciderunt atque prostrati sunt ad orientalem plagam vrbis gabaa. [44] Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt decem et octo milia virorum: omnes robustissimi pugnatores. [45] Quod cum vidissent qui remanserant de beniamin fugerunt in solitudinem: et pergebant ad petram cuius vocabulum est remmon. In illa quoque fuga palantes et in diuersa tendentes occiderunt quinque milia viros. Et cum vltra tenderent persecuti sunt eos: et interfecerunt etiam alia duo milia. [46] Et sic factum est vt omnes qui ceciderant de beniamin in diuersis locis essent vigintiquinque milia pugnatores ad bella promptissimi. [47] Remanserunt itaque de omni numero beniamin qui euadere potuerunt et fugere in solitudinem sexcenti viri: sederuntque in petra remmon mensibus quatuor. [48] Regressi autem filij israhel omnes reliquias ciuitatis a viris vsque ad iumenta gladio percusserunt: cunctasque vrbes et viculos beniamin vorax flamma consumpsit.

21 Iurauerant quoque filij israhel in maspha: et dixerunt. Nullus nostrum dabit filijs beniamin de filiabus suis vxorem. [2] Veneruntque omnes ad domum dei in sylo: et in conspectu eius sedentes vsque ad vesperam leuauerunt vocem: et magno vlulatu ceperunt flere dicentes. [3] Quare domine deus israhel factum est hoc malum in populo tuo: vt hodie vna tribus auferretur ex nobis? [4] Altera autem die diluculo consurgentes extruxerunt altare: obtulerunt que ibi olocausta et pacificas victimas: et dixerunt. [5] Quis non ascendit in exercitum domini de vniuersis tribubus israhel? Grandi enim iuramento se constrinxerant cum essent in maspha· interfici eos qui defuissent: [6] ductique penitentia filij israhel super fratre suo beniamin ceperunt dicere. Ablata est tribus vna de israhel. [7] Vnde vxores accipient? Omnes enim in commune iurauimus non daturos nos hijs filias nostras. [8] Idcirco dixerunt. Quis est de vniuersis tribubus israhel· qui non ascendit ad dominum in masa? Et ecce inuenti sunt habitatores iabis galaad in illo exercitu non fuisse. [9] Eo quoque tempore cum essent in sylo nullus ex eis ibi repertus est. [10] Miserunt itaque decemmilia viros robustissimos: et preceperunt eis. Ite et percutite habitatores iabis galaad in ore gladij· tam vxores quam paruulos eorum: [11] et hoc erit quod obseruare debebitis. Omne generis masculini et mulieres que cognouerunt viros interficite: virgines resuate. [12] Inuente sunt de iabis galaad quadringente virgines que nescierunt viri thorum: et adduxerant eas ad castra in sylo in terram chanaan. [13] Miseruntque nuncios ad filios beniamin qui erant in petra remon: et preceperunt eis vt eos susciperent in pace. [14] Veneruntque filij beniamin in illo tempore: et date sunt eis vxores de filiabus iabis galaad: alias autem non reppererunt quas simili modo traderent. [15] Vniuersusque israhel valde doluit· et egit penitentiam super interfectione vnius tribus ex israhel: [16] dixeruntque maiores natu. Quid faciemus reliquis qui non acceperunt vxores? Omnes in beniamin femine conciderunt: [17] et magna nobis cura ingentique studio prouidendum est: ne vna tribus deleatur ex israhel. [18] Filias enim nostras eis dare non possumus constricti iuramento et maledictione qua diximus: maledictus qui dederit de filiabus suis vxorem beniamin. [19] Ceperuntque consilium: atque dixerunt. Ecce solemnitas domini est in sylo anniuersaria· que sita est ad septentrionem vrbis bethel: ad orientalem plagam vie que de bethel tendit ad sychimam et ad meridiem oppidi lebona. [20] Preceperuntque filijs beniamin atque dixerunt. Ite: et latitate in vineis. [21] Cunque videritis filias sylo ad ducendos choros ex more procedere: exite repente de vineis et rapite ex eis singuli vxores singulas: et pergite in terram beniamin. [22] Cumque venerint patres earum ac fratres et aduersum vos queri ceperint atque iurgari: dicemus eis. Miseremini eorum. Non enim rapuerunt eas iure bellantium atque victorum: sed rogantibus vt acciperent non dedistis: et a vestra parte peccatum est. [23] Feceruntque filij beniamin vt sibi fuerat imperatum: et iuxta numerum suum rapuerunt sibi de hijs que ducebant choros vxores singulas: abieruntque in possessionem suam edificantes vrbes et habitantes in eis. [24] Filij quoque israhel reuersi sunt per tribus et familias in tabernacula sua. In diebus illis non erat rex in israhel: sed vnusquisque quod bi rectum videbatur hoc faciebat.

Ruth

Incipit liber ruth.

1 In diebus vnius iudicis quando iudices preerant facta est fames in terra. Abijt ergo homo de bethleem iuda· vt peregrinaretur in regione moabitide: cum vxore sua ac duobus liberis. 2 Ipse vocabatur elimelech et vxor eius noemi· et duo filij alter naalon et alter chelion· effratei de bethleem iuda. Ingressique regionem moabitidem morabantur ibi. 3 Et mortuus est elimelech maritus noemi: remansitque ipsa cum filijs. 4 Qui acceperunt vxores moabitidas: quarum vna vocabatur orpha: alteraque ruth. Manseruntque ibi decem annis: 5 et ambo mortui sunt maalon videlicet et chelion: remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito. 6 Et surrexit vt in patriam pergeret cum vtraque nuru sua de regione moabitide. Audierat enim quod respexisset dominus populum suum et dedisset eis escas. 7 Egressa est itaque de loco peregrinationis sue cum vtraque nuru: et iam in via reuertendi posita in terram iuda: 8 dixit ad eas. Ite in domum matris vestre. Faciat vobiscum dominus misericordiam: sicut fecistis cum mortuis et mecum. 9 Det vobis inuenire requiem in domibus virorum quos sortiture estis. Et osculata est eas. Que eleuata voce flere ceperunt 10 et dicere. Tecum pergemus ad populum tuum. 11 Quibus illa respondit. Reuertimini filie mi· Cur venitis mecum: Num vltra habebo filios in vtero meo: vt viros ex me sperare possitis? 12 Reuertimini filie mi et abite. Iam enim senectute confecta sum: nec apta vinculo coniugali. Etiam si possem hac nocte concipere et parere filios: 13 si eos expectare velitis donec crescant et annos pubertatis impleant: ante eritis vetule quam nubatis. Nolite queso filie mi: quia vestra angustia magis me premit: et egressa est manus domini contra me. 14 Eleuata igitur voce rursum flere ceperunt. Orpha osculata est socrum ac reuersa: ruth adhesit socrui sue. 15 Cui dixit noemi. En reuersa est cognata tua ad populum suum et ad deos suos: vade cum ea. 16 Que respondit. Ne aduerseris michi: vt relinquam te et abeam. Quocumque perrexeris pergam: et vbi morata fueris et ego pariter morabor. Populus tuus populus meus: et deus tuus deus meus. 17 Que te terra susceperit morientem in ea moriar: ibique locum accipiam sepulture. Hec michi faciat deus et hec addat: si non sola mors mea te separauerit. 18 Videns ergo noemi quod obstinato ruth animo decreuisset secum pergere· aduersari noluit: nec ad suos vltra reditum persuadere. 19 Profecteque sunt simul: et venerunt in bethleem. Quibus vrbem ingressis velox apud cunctos fama dicebatque mulieres. crebruit: dicebantque mulieres. Hec est illa noemi. 20 Quibus ait. Ne vocetis me noemi id est pulcram: sed vocate me mara id est amaram: quia amaritudine valde repleuit me omnipotens. 21 Egressa sum plena: et vacuam reduxit me dominus. Cur ergo vocatis me noemi quam dominus humiliauit: et afflixit omnipotens? 22 Venit ergo noemi cum ruth moabitide nuru sua de terra peregrinationis sue: ac reuersa est in bethleem quando primum ordea metebantur.

2 Erat autem viro elimelech consanguineus· homo potens et magnarum opum nomine booz. 2 Dixitque ruth moabitis ad socrum suam. Si iubes vadam in agrum et colligam spicas que fugerint manus metentium: vbicumque clementis in me patrisfamilias repperero gratiam. Cui illa respondit. Vade filia mi. 3 Abijt itaque et colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem vt ager ille haberet dominum nomine booz: qui erat de cognatione elimelech. 4 Et ecce ipse veniebat de bethleem: dixitque messoribus. Dominus vobiscum. Qui responderunt ei. Benedicat tibi dominus. 5 Dixitque booz iuueni qui messoribus preerat. Cuius est hec puella? 6 Cui respondit. Hec est moabitis que venit cum noemi de regione moabitide: 7 et rogauit vt spicas colligeret remanentes· sequens messorum vestigia. Et de mane vsque nunc stat in agro: et nec ad momentum quidem domum reuersa est. 8 Et ait booz ad ruth. Audi filia. Ne vadas in alterum agrum ad colligendum nec recedas ab hoc loco: sed iungere puellis meis: 9 et vbi messuerint sequere. Mandaui enim pueris meis vt nemo molestus sit tibi: sed etiam si sitieris vade ad sarcinulas et bibe aquas de quibus et pueri mei bibunt. 10 Que cadens in faciem suam et adorans super terram· dixit ad eum. Vnde hoc michi vt inuenirem gratiam ante oculos tuos: et nosse me dignareris peregrinam mulierem? 11 Cui ille respondit. Nunciata sunt michi omnia que feceris socrui tue post mortem viri tui: et quod reliqueris parentes tuos et terram in qua nata es: et veneris ad populum quem antea nesciebas. 12 Reddat tibi dominus pro opere tuo: et plenam mercedem recipias a domino deo israhel ad quem venisti: et sub cuius confugisti alas. 13 Que ait. Inueni gratiam apud oculos tuos domine mi: qui consolatus es me et locutus es ad cor ancille tue: que non sum similis vnius puellarum tuarum. 14 Dixitque ad eam booz. Quando hora vescendi fuerit veni huc et comede panem: et intinge bucellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus et congessit polentam sibi: comeditque et saturata est: et tulit reliquias. 15 Atque inde surrexit: vt spicas ex more colligeret. Precepit autem booz pueris suis dicens. Etiam si vobiscum metere voluerit ne prohibeatis eam: 16 et de vestris quoque manipulis proicite de industria et remanere permittite vt absque rubore colligat: et colligentem nemo corripiat. 17 Collegit ergo in agro vsque ad vesperam: et que collegerat virga cedens et excutiens inuenit ordei quasi ephi mensuram id est tres modios: 18 quos portans reuersa est in ciuitatem et ostendit socrui sue. Insuper protulit et dedit ei de reliquijs cibi sui quo saturata fuerat. 19 Dixitque ei socrus sua. Vbi hodie collegisti? Et vbi fecisti opus? Sit benedictus qui misertus est tui. Indicauitque ei apud quem esset operata: et nomen dixit viri quod booz vocaretur. 20 Cui respondit noemi. Benedictus sit a domino: quoniam eandem gratiam quam prebuerat viuis seruauit et mortuis. Rursumque ait. Propinquus noster est homo. 21 Et ruth hoc quoque inquit precepit michi: vt tamdiu messoribus eius iungerer donec omnes segetes meterentur. 22 Cui dixit socrus. Melius est filia mi vt cum puellis eius exeas ad metendum: ne in alieno agro quispiam resistat tibi. 23 Iuncta est itaque puellis booz: et tamdiu cum eis messuit donec ordea et triticum in horreis conderentur.

3 Postquam autem reuersa est ad socrum suam: audiuit ab ea. Filia mi queram tibi requiem: et prouidebo vt bene sit tibi. 2 Booz iste cuius puellis in agro iuncta es propinquus noster est: et hac nocte aream ordei ventilat. 3 Leuare igitur et vngere: et induere cultioribus vestimentis: et descende in aream. Non te videat homo: donec esum potumque finierit. 4 Quando autem ierit ad dormiendum: nota locum in quo dormiat. Veniesque et discooperies pallium quo operitur a parte pedum: et proicies te et ibi iacebis. Ipse autem dicet tibi quid agere debeas. 5 Que respondit. Quicquid preceperis faciam. 6 Descenditque in aream: et fecit omnia que sibi imperauerat socrus. 7 Cumque comedisset booz et bibisset· et factus esset hilarior· issetque ad dormiendum iuxta aceruum manipulorum venit abscondite: et discooperto a pedibus eius pallio se proiecit. 8 Et ecce nocte iam media expauit homo et conturbatus est: viditque mulierem iacentem ad pedes suos 9 et ait illi. Que es? Illaque respondit. Ego sum ruth ancilla tua. Expande pallium tuam: super famulam quia propinquus es. 10 Et ille· benedicta inquit es a domino filia: et priorem misericordiam posteriori superasti: quia non es secuta iuuenes pauperes siue diuites. 11 Noli ergo metuere: sed quicquid dixeris michi faciam tibi. Scit enim omnis populus qui habitat intra portas vrbis mee mulierem te esse virtutis. 12 Nec abnuo me propinquum: sed est alius me propinquior. 13 Quiesce hac nocte: et facto mane· si te voluerit propinquitatis iure retinere bene res acta est: sin autem ille noluerit· ego te absque vlla dubitatione

suscipiam· viuit dominus. Dormi vsque mane. [14] Dormiuit itaque ad pedes eius vsque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo: et dixit booz. Caue ne quis nouerit quod huc veneris. [15] Et rursum: expande inquit pallium tuum quo operiris: et tene vtraque manu. Qua extendente et tenente: mensus est sex modios ordei et posuit super eam. Que portans ingressa est ciuitatem: [16] et venit ad socrum suam. Que dixit ei. Quid egisti filia? Narrauitque ei omnia que sibi fecisset homo. [17] Et ait. Ecce sex modios ordei dedit michi et ait: nolo vacuam te reuerti ad socrum tuam. [18] Dixitque noemi. Expecta filia donec videamus quem res exitum habeat. Neque enim cessabit homo: nisi compleuerit quod locutus est.

4 Ascendit ergo booz ad portam: et sedit ibi. Cumque vidisset propinquum preterire de quo prius sermo habitus est: dixit ad eum. Declina paulisper et sede hic: vocans eum nomine suo. Qui diuertit et sedit. [2] Tollens autem booz decem viros de senioribus ciuitatis dixit ad eos. Sedete hic. [3] Quibus residentibus: locutus est ad propinquum. Partem agri fratris nostri elimelech vendet noemi que reuersa est de regione moabitide: [4] quod audire te volui et tibi dicere coram cunctis sedentibus et maioribus natu de populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis eme et posside: si autem displicet tibi· hocipsum indica michi vt sciam quid facere debeam. Nullus enim est propinquus excepto te qui prior es: et me qui secundus sum. Ac ille respondit. Ego agrum emam. [5] Cui dixit booz. Quando emeris agrum de manu mulieris· ruch quoque moabitidem que vxor defuncti fuit debes accipere: vt suscites nomen propinqui tui in hereditate sua. [6] Qui respondit. Cedo iure propinquitatis. Neque enim posteritatem familie mee delere debeo. Tu meo vtere priuilegio: quo me libenter tacere profiteor. [7] Hic autem erit mos antiquitus in israhel inter propinquus vt si quando alter alteri suo iure cedebat· vt esset firma concessio soluebat homo calciamentum suum: et dabat propinquo suo. Hoc erat testimonium cessionis in israhel. [8] Dixit ergo propinquo suo booz. Tolle calciamentum. Quod statim soluit de pede suo. [9] At ille maioribus natu et vniuerso populo testis vos inquit estis hodie quod possederim omnia que fuerunt elimelech chelion et maalon tradente noemi: [10] et ruth moabitidem vxorem maalon in coniugium sumpserim vt suscitem nomen defuncti in hereditate sua: ne vocabulum eius de familia sua ac fratribus et populo deleatur. Vos inquam huius rei testes estis. [11] Respondit omnis populus qui erat in porta: et maiores natu. Nos testes sumus. Faciat dominus hanc mulierem que ingreditur domum tuam sicut rachel et lyam que edificauerunt domum israhel: vt sit exemplum virtutis in effrata et habeat celebre nomen in bethleem. [12] Fiatque domus tua sicut domus phares quem thamar peperit iude: de semine quod tibi dederit dominus ex hac puella. [13] Tulit itaque booz ruth et accepit vxorem: ingressusque est ad eam: dedit illi dominus vt conciperet et pareret filium. [14] Dixeruntque mulieres ad noemi. Benedictus dominus qui non est passus vt deficeret successor familie tue: et vocaretur nomen eius in israhel: [15] et habeas qui consoletur animam tuam et enutriet senectutem. De nuru enim tua natus est qui te diliget: et multo tibi melior est: quam si septem haberes filios. [16] Susceptumque noemi puerum posuit in sinu suo: et nutricis ac gerule fungebatur officio. [17] Vicine autem mulieres congratulantes ei et dicentes natus est filius noemi: vocauerunt nomen eius obed. Hic est pater ysai patris dauid. [18] Hee sunt generationes phares. Phares genuit esrom. [19] Esrom genuit aram: aram genuit aminadab. [20] Aminadab genuit naason: naason genuit salmon. [21] Salmon genuit booz: booz genuit obed. [22] Obed genuit ysai: ysai genuit dauid.

Incipit prologus in libros regum

Viginti et duas litteras esse apud hebreos· syrorum quoque lingua et chaldeorum testatur: que hebree magna ex parte confinis est. Nam et ipsi vigintiduo elementa habent: eodem sono· sed diuersis caracteribus. Samaritani eciam pentatheucum moysi totidem litteris scriptitant: figuris tantum et apicibus discrepantes. Certumque est hesdram scribam legisque doctorem· post captam iherosolimam· et instauracionem templi sub zorobabel· alias litteras reperisse· quibus nunc vtimur: cum ad illud vsque tempus· idem samaritanorum et hebreorum caracteres fuerint. In libro quoque numerorum· hec eadem supputacio· sub leuitarum ac sacerdotum censu· mistice ostenditur: et nomen domini tetragramaton· in quibusdam grecis voluminibus· vsque hodie· antiquis expressum litteris inuenimus. Sed et psalmi· xxxuius· et cxus· et cxius· et cxuiijus· et cxliiijus· quamquam diuerso scribantur metro: tamen eiusdem numeri texuntur alphabeto. Et iheremie lamentaciones· et oracio eius· salomonis quoque in fine prouerbia· ab eo loco in quo ait. mulierem fortem quis inueniet: eisdem alphabetis vel incisionibus supputantur. Porro quinque litere duplices apud hebreos sunt· caph· mem· nun· phe· sade. Aliter enim scribunt per has: principia medietatesque verborum: aliter fines. Vnde et quinque a plerisque libri duplices estimantur: samuel· malachym· dabreyamin· hesdras· iheremias cum cynoth· id est lamentacionibus suis. Quomodo igitur vigintiduo elementa sunt· per que scribimus hebraice omne quod loquimur· et eorum inicijs vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina supputantur· quibus quasi litteris et exordijs· in dei doctrina tenera adhuc et lactens· viri iusti eruditur infancia. Primus apud eos liber· vocatur bresich: quem nos genesim dicimus. Secundus ellesmoch: qui exodus appellatur. Tercius vagecra: id est leuiticus. Quartus vagedaber: quem numerum vocamus. Quintus elleaddabarim: qui deuteronomium prenotatur. Hij sunt quinque libri moysi: quos proprie thorach id est legem appellant. Secundum prophetarum ordinem faciunt: et incipiunt a ihesu filio naue: qui apud illos iosue bennum dicitur. Deinde subtexunt sopthym id est iudicum librum: et in eundem compingunt ruth· quia in diebus iudicum: facta eius narratur historia. Tercius sequitur samuel: quem nos regnorum primum et secundum dicimus. Quartus malachim id est qui tercio et quarto regnorum volumine continetur. Meliusque est multo malachim id est regum: quam malacoth id est regnorum dicere. Non enim multarum gencium describit regna: sed vnius israhelitici populi· qui tribubus duodecim continetur. Quintus est ysaias. Sextus iheremias. Septimus ezechiel. Octauus· liber duodecim prophetarum: qui apud illos vocatur thareasra. Tercius ordo: agiographa possidet. Et primus liber incipit ab iob. Secundus a dauid: quem quinque incisionibus· et vno psalmorum volumine comprehendunt. Tercius est salomon· tres libros habens: prouerbia· que illi parabolas id est masloch appellant: quartus eccliasten id est coeleth: quintus est canticum canticorum· quem tytulo syrasyrim prenotant. Sextus est daniel. Septimus dabreiamin id est verba dierum: quod significancius cronicon tocius diuine historie possumus appellare: qui liber apud nos· paralipomenon primus et secundus inscribitur. Octauus hesdras: qui et ipse similiter apud grecos et latinos in duos libros diuisus est. Nonus hester. Atque ita fiunt pariter veteris legis libri vigintiduo: id est moysi quinque· et prophetarum octo: agiographorum nouem. Quamquam nonnulli ruth· et cinoth inter agiographa scripserint· et ipsos hos libros in suo putent numero supputandos: ac per hoc esse prisce legis libros vigintiquatuor quos sub numero viginti quatuor seniorum· apocalipsis iohannis inducit· adorantes agnum· et coronas suas prostratis vultibus offerentes: stantibus coram quatuor animalibus oculatis ante et retro id est in preteritum et in futurum respicientibus· et indefessa voce clamantibus· sanctus· sanctus· sanctus· dominus deus omnipotens· qui erat· et qui est· et qui venturus est. Hic prologus scripturarum quasi galeatum principium· omnibus libris quos de hebreo vertimus in latinum conuenire potest: vt scire valeamus quitquid extra hos est· inter apocrapha esse ponendum. Igitur sapientia que vulgo salomonis inscribitur· et ihesu filij sirach liber· et iudith· et thobias· et pastor non sunt in canone. Machabeorum primum librum· hebraicum reperi. Secundus grecus est: quod ex ipsa phrasy probari potest. Que cum ita se habeant: obsecro te lector· ne laborem meum reprehensionem estimes antiquorum. In templo dei· offert vnusquisque quod potest. Alii aurum et

argentum et lapides preciosos: alij bissum et purpuram et coccum offerunt et iacinctum. Nobiscum bene agitur: si obtulerimus pelles et caprarum pilos. Et tamen apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria iudicat. Vnde et tota illa tabernaculi pulchritudo· et per singulas species ecclesie presentis· futureque distinccio pellibus tegitur et cilicijs: ardoremque solis· et iniuriam ymbrium· ea que viliora sunt prohibent. Lege ergo primum samuel· et malachim meum. Meum inquam meum. Quitquid enim crebrius vertendo· et emendando sollicicius· et didicimus et tenemus: nostrum est. Et cum intellexeris quod antea nesciebas· vel interpretem me estimato si gratus es: vel parafrasten si ingratus: quamquam michi omnino conscius non sim· mutasse me quippiam de hebraica veritate. Certe si incredulus es· lege grecos codices et latinos· et confer cum hijs opusculis que nuper emendauimus: et vbicumque discrepare inter se videris. interroga quemlibet hebreorum. cui magis accomodare debeas fidem: et si nostra firmauerit· puto quod eum non estimes coniectorem: vt in eodem loco mecum similiter diuinarit. Sed et vos famulas cristi rogo que domini discumbentis preciosissima fidei mirra vngitis caput· que nequaquam saluatorem queritis in sepulchro· quibus iam ad patrem cristus ascendit: vt contra latrantes canes· qui aduersum me rabido ore deseuiunt· et circueunt ciuitatem· atque in eo se doctos arbitrantur si alijs detrahant: oracionum vestrarum clippeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam· illius semper sentencie recordabor. Dixi custodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: cum consisteret peccator aduersum me. Obmutui et humiliatus sum et silui de bonis.

Regum I

Incipit primus liber regum capitulum primum

1 Fuit machaim sophim· de monte ephraim: et nomen eius helcha iheroboam· na· filius iheroboam· filij heliu· filij thau· filij suph· efrateus: [2] et habuit duas vxores: nomen vni anna: et nomen secunde fenenna. Fueruntque fenenne filij: anne autem non erant liberi. [3] Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus: vt adoraret et sacrificaret domino exercituum in sylo. Erant autem ibi duo filij heli· ofni et finees: sacerdotes domini. [4] Venit ergo dies et immolauit helchana· deditque fenenne vxori sue et cunctis filijs eius et filiabus partes. [5] Anne autem dedit partem vnam tristis· quia annam diligebat. Dominus autem concluserat vuluam eius. [6] Affligebat quoque eam emula eius· et vehementer angebat: intantum vt exprobraret quod dominus conclusisset vuluam eius. [7] Sicque faciebat per singulos annos· cumque redeunte tempore ascenderent ad templum domini: et sic prouocabat eam. Porro illa flebat: et non capiebat cibum. [8] Dixit ergo ei helchana vir suus. Anna cur fles· et quare non comedis: et quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi sum quam decem filij? [9] Surrexit autem anna: postquam comederat et biberat in sylo. Et hely sacerdote sedente super sellam ante postes domus domini· [10] cum esset anna amaro animo· orauit ad dominum flens largiter: [11] et votum vouit dicens. Domine exercituum si respiciens videris affliccionnem famule tue· et recordatus mei fueris nec oblitus ancille tue· dederisque serue tue sexum virilem· dabo eum domino omnibus diebus vite eius: et nouacula non ascendet super caput eius. [12] Factum est autem cum illa multiplicaret preces coram domino: vt hely obseruaret os eius. [13] Porro anna loquebatur in corde suo· tantumque labia eius mouebantur: et vox penitus non audiebatur. Estimauit ergo eam hely temulentam: [14] dixitque ei. Vsquequo ebria eris? Digere paulisper vinum quo mades. [15] Respondens anna· nequaquam inquit domine mi. Nam mulier infelix nimis ego sum: vinumque et omne quod inebriare potest non bibi· sed effudi animam meam in conspectu domini· [16] Ne reputes ancillam tuam quasi vnam de filiabus belial· quia ex multitudine doloris et meroris mei locuta sum vsque in presens. [17] Tunc hely ait ei. Vade in pace· et deus israhel det tibi peticionem tuam quam rogasti eum. [18] At illa dixit. Vtinam inueniat ancilla tua graciam in oculis tuis. Et abijt mulier in viam suam et comedit: vultusque illius non sunt amplius in diuersa mutati. [19] Et surrexerunt mane· et adorauerunt coram domino: reuersique sunt et venerunt in domum suam ramatha. Cognouit autem helchana annam vxorem suam: et recordatus est eius dominus. [20] Et factum est post circulum dierum· concepit anna et peperit filium· vocauitque nomen eius samuel: eo quod a domino postulasset eum. [21] Ascendit autem vir eius helchana et omnis domus eius· vt immolaret domino hostiam solemnem· et votum suum: [22] et anna non ascendit. Dixit enim viro suo. Non vadam donec ablactetur infans: et ducam eum vt appareat ante conspectum domini· et maneat ibi iugiter. [23] Et ait ei helchana vir suus. Fac quod bonum tibi videtur: et mane donec ablactes eum precorque vt impleat dominus verbum tuum. Mansit ergo mulier et lactauit filium suum: donec amouerret eum a lacte. [24] Et adduxit eum secum postquam ablactauerat in vitulis tribus et tribus modijs farine et amphora vini: et adduxit eum ad domum domini in sylo. Puer autem erat adhuc infantulus. [25] Et immolauerunt vitulum· et obtulerunt puerum hely. [26] Et ait anna. Obsecro mi domine· viuit anima tua domine. Ego sum illa mulier que steti coram te hic· orans dominum [27] pro puero isto. Oraui: et dedit michi dominus peticionem meam quam postulaui eum. [28] Idcirco et ego comodaui eum domino: cunctis diebus quibus fuit accomodatus domino. Et adorauerunt ibi dominum. Et adorauit anna et ait.

2 Exultauit cor meum in domino: et exaltatum est cornu meum in deo meo. Dilatatum est os meum super inimicos meos: quia letata sum in salutari tuo. [2] Non est sanctus vt est dominus· neque enim est alius extra te: et non est fortis sicut deus noster. [3] Nolite multiplicare loqui sublimia: gloriantes. Recedant vetera de ore vestro· quia deus scienciarum dominus est· et ipsi preparantur cogitaciones. [4] Arcus forcium superatus est: et infirmi accincti sunt robore. [5] Saturati prius pro panibus se locauerunt: et famelici saturati sunt. Donec sterilis peperit plurimos· et que multos habebat filios infirmata est. [6] Dominus mortificat et viuificat· deducit ad inferos et reducit. [7] Dominus pauperem facit et ditat: humiliat et subleuat. [8] Suscitat de puluere egenum· et de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum principibus: et solium glorie teneat. Domini enim sunt cardines terre et posuit super eos orbem. [9] Pedes sanctorum suorum seruabit· et impij in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir. [10] Dominum formidabunt aduersarij eius: et super ipsos in celis tonabit. Dominus iudicabit fines terre· et dabit imperium regi suo· et sublimabit cornu cristi sui. [11] Et abijt helchana in ramatha· in domum suam. Puer autem erat minister in conspectu domini: ante faciem hely sacerdotis. [12] Porro filij hely· filij belial· nescientes dominum· [13] neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam· veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes· et habebat fuscinulam tridentem in manu sua: [14] et mittebat eam in lebetem vel in caldariam· aut in ollam siue in cacabum: et omne quod leuabat fuscinula: tollebat sacerdos sibi. Sic faciebant vniuerso israheli· veniencium in sylo. [15] Eciam antequam adolerent adipem veniebat puer sacerdotis: et dicebat immolanti. Da michi carnem: vt coquam sacerdoti. Non enim accipiam a te carnem coctam· sed crudam. [16] Dicebatque illi immolans. Incendatur primum iuxta morem hodie adeps: et tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat ei. Nequaquam. Nunc enim dabis: alioquin tollam vi. [17] Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram domino: quia detrahebant homines sacrificio domini. [18] Samuel autem ministrabat ante faciem domini puer accinctus ephot lineo. [19] Et tunicam paruam faciebat ei mater sua: quam afferebat statutis diebus ascendens cum viro suo: vt immolaret hostiam

solemnem [20] et votum suum. Et benedixit hely helchane et vxori eius· dixitque ei. Reddat tibi dominus semen de muliere pro fenore hac: quod comodasti domino. Et abierunt in locum suum. [21] Visitauit ergo dominus annam concepit: et peperit tres filios et duas filias. Et magnificatus est puer samuel apud dominum. [22] Hely autem erat senex valde· et audiuit omnia que faciebant filij sui vniuerso israheli: et quomodo dormiebant cum mulieribus que obseruabant ad hostium tabernaculi: [23] et dixit eis. Quare facitis res huiuscemodi quas ego audio? res pessimas ab omni populo? [24] Nolite filij mei. Non enim est bona fama quam ego audio: vt transgredi faciatis populum domini. [25] Si peccauerit vir in virum· placari ei potest deus· si autem in domino peccauerit vir· quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit dominus occidere eos. [26] Puer autem samuel proficiebat atque crescebat: et placebat tam deo quam hominibus. [27] Venit autem vir dei ad hely: et ait ad eum. Hec dicit dominus. Numquid non aperte reuelatus sum domui patris tui cum esset in egipto in domo pharaonis: [28] et elegi eum ex omnibus tribubus israhel michi in sacerdotem· vt ascenderet ad altare meum· et adoleret michi incensum· et portaret ephot coram me· et dedi domui patris tui omnia de sacrificijs filiorum israhel. [29] Quare calce abiecistis victimam meam· et munera mea· que precepi vt offerrentur in templo: et magis honorasti filios tuos quam me· vt comederetis primicias omnis sacrificij israhel populi mei? [30] propterea ait dominus deus israhel. Loquens locutus sum· vt domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo: vsque in sempiternum. Nunc autem dicit dominus. Absit hoc a me. Sed quicumque honorificauit me glorificabo eum: qui autem contempnunt me erunt ignobiles. [31] Ecce dies veniunt: et prescidam brachium tuum· et brachium domus patris tui: vt non sit senex in domo tua. [32] Et videbis emulum tuum in templo in vniuersis prosperis israhel: et non erit senex in domo tua omnibus diebus. [33] Verumtamen non auferam virum penitus ex te ab altari meo: sed vt deficiant oculi tui· et tabescat anima tua· et pars magna domus tue morietur cum ad virilem etatem venerit. [34] Hoc autem erit tibi signum quod venturum est duobus filijs tuis ophny et finees. In die vno morientur ambo. [35] Et suscitabo michi sacerdotem fidelem qui iuxta cor meum et animam meam faciet: et edificabo ei domum fidelem: et ambulabit coram cristo meo cunctis diebus. [36] Futurum est autem· vt quicumque remanserit in domo tua veniat vt oretur pro eo: et offerat nummum argenteum et tortam panis· dicatque. Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem: vt comedam buccellam panis.

3 Puer autem samuel ministrabat domino coram hely: et sermo domini erat preciosus. In diebus illis non erat visio manifesta. [2] Factum est ergo in die quadam hely iacebat in lectulo suo: et oculi eius caligauerant: nec poterat videre [3] lucernam dei antequam extingueretur. Samuel autem dormiebat in templo domini· vbi erat archa dei. [4] Et vocauit dominus samuel. Qui respondens ait. Ecce ego. [5] Et cucurrit ad hely: et dixit. Ecce ego. Vocasti enim me. Qui dixit. Non vocaui te fili. Reuertere et dormi. Et abijt et dormiuit. [6] Et adiecit dominus rursum vocare samuel. Consurgensque samuel abijt ad hely: et dixit. Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit. Non vocaui te fili mi. Reuertere et dormi. [7] Porro samuel nec dum sciebat dominum: neque reuelatus fuerat ei sermo domini. [8] Et adiecit dominus: et vocauit adhuc samuel tercio. Qui consurgens abijt ad hely: [9] et ait. Ecce ego: quia vocasti me. Intellexit ergo hely quia dominus vocaret puerum: et ait ad samuel. Vade et dormi: et si deinceps vocauit te dices. Loquere domine: quia audit seruus tuus. Abijt ergo samuel: et dormiuit in loco suo. [10] Et venit dominus et stetit: et vocauit sicut vocauerat secundo. Samuel samuel. Et ait samuel. Loquere domine: quia audit seruus tuus. [11] Et dixit dominus ad samuel. Ecce ego facio verbum in israhel: quod quicumque audierit tinnient ambe aures eius. [12] In die illa suscitabo aduersum hely omnia que locutus sum super domum eius. Incipiam et complebo. [13] Predixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius ineternum propter iniquitatem: co quod nouerat indigne agere filios suos· et non corripuerit eos. [14] Idcirco iuraui domui hely: quod non expietur iniquitas domus eius victimis et muneribus· vsque ineternum. [15] Dormiuit autem samuel vsque mane: aperuitque hostia domus domini. Et samuel timebat indicare visionem hely. [16] Vocauit ergo hely samuelem· et dixit. Samuel fili mi. Qui respondens ait. Presto sum. [17] Et interrogauit eum. Quis est sermo quem locutus est dominus ad te? Oro te? ne celaueris me. Hec faciat tibi deus et hec addat: si abscondis a me sermonem ex omnibus verbis que dicta sunt tibi. [18] Indicauit itaque ei samuel vniuersos sermones: et non abscondit ab co. Et ille respondit. Dominus est. Quod bonum est in oculis suis faciat. [19] Creuit autem samuel et dominus erat cum eo: et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. [20] Et cognouit vniuersus israhel a dan vsque bersabee: quod fidelis samuel propheta esset domini. [21] Et addidit dominus vt appareret in sylo: quoniam reuelatus fuerat dominus samueli in sylo iuxta verbum domini· et euenit sermo samuelis vniuerso israheli

4 Et factum est in diebus illis: conuenerunt philistijm in pugnam. Egressus est namque israhel obuiam philistijm in prelium: et castra metatus est iuxta lapidem adiutorij. Porro philistijm venerunt in affec: [2] et instruxerunt aciem contra israhel. Inito autem certamine terga vertit israhel philisteis: et cesa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor milia virorum. [3] Et reuersus est populus ad castra. Dixeruntque maiores natu de israhel. Quare percussit nos dominus hodie coram philistijm? Afferamus ad nos de sylo archam federis domini· et veniat in medium nostri: vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. [4] Misit ergo populus in sylo: et tulerunt inde archam federis domini exercituum sedentis super cherubin. Erantque duo filij hely cum archa federis domini ofny et finees. [5] Cumque venisset archa fedeis domini in castra· vociferatus est omnis israhel clamore grandi: et personuit terra. [6] Et audierunt philistijm vocem clamoris: dixeruntque. Que nam hec est vox clamoris magni in castris hebreorum? Et cognouerunt quod archa domini venisset in castra. [7] Timueruntque philistiim dicentes. Venit deus in castra. Et ingemuerunt dicentes. [8] Ve nobis. Non enim fuit tanta exultacio heri et nudiustercius. Ve nobis. Quis nos saluabit de manu deorum sublimium istorum? Hij sunt dij: qui percusserunt egiptum omni plaga in deserto. [9] Confortamini et estote viri philistijm: ne seruiatis hebreis sicut et illi seruierunt nobis. Confortamini et bellate. [10] Pugnauerunt ergo philistijm et cesus est israhel: et fugit vnusquisque in tabernaculum suum. Et facta est plaga magna nimis· et ceciderunt de israhel triginta milia peditum· [11] et archa dei capta est. Duo quoque filij hely mortui sunt ofny et finees. [12] Currens autem vir de benyamin ex acie venit in sylo in die illa: cissa veste· et conspersus puluere caput. [13] Cumque ille venisset: hely sedebat super sellam contra viam expectans. Erat autem cor eius pauens pro archa domini. Vir autem ille postquam ingressus est nunciauit vrbi: et vlulauit omnis ciuitas. [14] Et audiuit hely sonitum clamoris: dixitque. Quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinauit et venit: et nunciauit hely. [15] Hely autem erat nonaginta et octo annorum· et oculi eius caligauerant· et videre non poterat. [16] Et dixit ad hely. Ego sum qui veni de prelio: et ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait. Quid actum est fili mi? [17] Respondens autem ille qui nunciabat· fugit inquit israhel coram philistijm: et ruina magna facta est in populo. Insuper et duo filij tui mortui sunt ophny et finees: et archa dei capta est. [18] Cumque ille nominasset archam dei cecidit de sella retrorsum iuxta hostium: et fractis ceruicibus mortuus est. Senex enim erat vir et grandeuus: et ipse iudicauit israhel quadraginta annis. [19] Nurus autem eius vxor finees pregnans erat: vicinaque partui. Et audito nuncio quod capta esset archa dei· et mortuus esset socer suus et vir suus: incuruauit se et peperit. Irruerant enim in eam dolores subiti. [20] In ipso autem momento mortis eius dixerunt ei qui stabant circa eam. Ne timeas: quia filium peperisti. Que non respondit eis: neque animaduertit. [21] Et vocauit puerum ychabod· dicens. Translata est gloria domini de israhel: quia capta est archa dei. Et pro socero suo et pro puero suo [22] ait. Translata est gloria ab israhel: eo quod capta esset archa dei.

5 Philistijm autem tulerunt archam dei: et asportauerunt eam a lapide adiutorij in azotum. [2] Tuleruntque philistiim archam dei: et intulerunt eam in templum dagon: et statuerunt eam iuxta dagon. [3] Cumque surrexissent diluculo azotij altera die: ecce dagon iacebat pronus in terra ante archam

domini. Et tulerunt dagon: et restituerunt eum in locum suum. [4] Rursumque mane die altera consurgentes: inuenerunt dagon iacentem super faciem suam in terra coram archa domini. Capud autem dagon et due palme manuum eius abscise erant super limen: [5] porro dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes dagon et omnes qui ingrediuntur templum eius super limen dagon in azoto: vsque in hodiernum diem. [6] Aggrauata est autem manus domini super azotios: et demolitus est eos. Et percussit in secretiore parte natium azotum et fines eius: et ebullierunt ville et agri in medio regionis illius et nate sunt mures: et facta est confusio mortis magne in ciuitate. [7] Videntes autem viri azotij huiuscemodi plagam dixerunt. Non maneat archa dei israhel apud nos: quoniam dura est manus eius super nos et super dagon deum nostrum. [8] Et mittentes congregauerunt omnes satrapas philistinorum ad se: et dixerunt. Quid faciemus de archa dei israhel? Responderuntque gethei. Circumducatur archa dei israhel. Et circumduxerunt archam dei israhel. [9] Illis autem circumducentibus eam· fiebat manus domini dei per singulas ciuitates interfeccionis magne nimis: et percuciebat viros vniuscuiusque vrbis a paruo vsque ad maiorem: et computrescebant prominentes exterales eorum. Inieruntque gethei consilium: et fecerunt sibi sedes pelliceas. [10] Miserunt ergo archam domini in accharon. Cumque venisset archa domini dei in accharon: exclamauerunt acchoronite dicentes. Adduxerunt ad nos archam dei israhel: vt interficiat nos et populum nostrum. [11] Miserunt itaque: et congregauerunt omnes satrapas philistinorum. Qui dixerunt. Dimittite archam dei israhel et reuertatur in locum suum: vt non interficiat nos cum populo nostro. [12] Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus: et grauissima manus domini dei. Viri quoque qui mortui non fuerant percuciebantur in secretiore parte natium: et ascendebat vlulatus vnius cuiusque ciuitatis in celum

6 Fuit ergo archa domini in regione philistinorum septem mensibus. [2] Et post hec vocauerunt philistijm sacerdotes et diuinos dicentes. Quid faciemus de archa dei? Indicate nobis: quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt. [3] Si remittitis archam dei israhel nolite dimittere eam vacuam: sed quod debetis ei· reddite pro peccato· et tunc curabimini: et scietis quare non recedat manus eius a vobis. [4] Qui dixerunt. Quid est quod pro delicto reddere debeamus eis? Responderuntque illi. [5] Iuxta numerum prouinciarum philistinorum quinque anos aureos facietis· et quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis et satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum· et similitudines murium qui demoliti sunt terram· et dabitis deo israhel gloriam: si forte releuet manum suam a vobis· et a dijs vestris et a terra vestra. [6] Quare grauatis corda vestra sicut aggrauauit egiptus et pharao cor suum? Nonne postquam percussus est tunc dimisit eos et abierunt? [7] Nunc ergo arripite et facite plaustrum nouum vnum: et duas vaccas fetas quibus non est impositum iugum iungite in plaustro· et recludite vitulos earum domi. [8] Tolletisque archam domini et ponetis in plaustro: et vasa aurea que exsoluistis ei pro delicto ponetis in capsellam ad latus eius· et dimittite eam vt vadat: [9] et aspicieris. Et siquidem per viam finium suorum contra bethsames ipse fecit nobis hoc malum grande· sin autem minime: sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos· sed casu accidit. [10] Fecerunt ergo illi hoc modo: et tollentes duas vaccas que lactabant vitulos iunxerunt ad plaustrum: vitulosque earum concluserunt domi. [11] Et posuerunt archam dei super plaustrum: et capsellam que habebat mures aureos et similitudinem indirectum psellam que habebat mures aureos et psellam silitudinem anorum. [12] Ibant autem indirectum vacce per viam que ducit bethsames: et itinere vno gradiebantur pergentes et mugientes: et non declinabant neque ad dextram neque ad sinistram. Sed et satrape philistijm sequebantur vsque ad terminos bethsames. [13] Porro bethsamite metebant triticum in valle. Et eleuantes oculos suos viderunt archam: et gauisi sunt cum vidissent. [14] Et plaustrum venit in agrum iosue bethsamite: et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus. Et conciderunt ligna plaustri: vaccasque imposuerunt super ea holocaustum domino. [15] Leuite autem deposuerunt archam dei· et capsellam que erat iuxta eam in qua erant vasa aurea: et posuerunt super lapidem grandem. Viri autem bethsamite· obtulerunt holocausta: et immolauerunt victimas in die illa domino. [16] Et quinque satrape philistinorum viderunt: et reuersi sunt in accharon in die illa. [17] Hij sunt autem ani aurei quos reddiderunt philistijm pro delicto domino. Azotus vnum· gaza vnum· aschalon vnum· geth vnum· accharon vnum: [18] et mures aureos secundum numerum vrbium philistijm quinque prouinciarum: ab vrbe murata vsque ad villam que erat absque muro: et vsque ad abel magnum· super quem posuerunt archam domini: que erat vsque in illa die in agro yosue bethsamitis. [19] Percussit autem dominus de viris bethsamitibus eo quod vidissent archam domini: et percussit de populo septuaginta viros et quinquaginta milia plebis. luxitque populus eo quod dominus percussisset plebem plaga magna. [20] Et dixerunt viri bethsamite. Quis poterit stare in conspectu domini dei sancti huius? Et ad quem ascendet a nobis? [21] Miseruntque nuncios ad habitatores cariathiarim dicentes. Reduxerunt philistijm archam domini: descendite et reducite eam ad vos.

7 Venerunt ergo viri cariathiarim et reduxerunt archam domini: et intulerunt eam in domum aminadab in gabaa. Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt: vt custodiret archam domini. [2] Et factum est· ex qua die mansit archa domini in cariathiarim: multiplicati sunt dies. Erat quippe iam annus vicesimus. Et requieuit omnis domus israhel post dominum. [3] Ait autem samuel ad vniuersam domum israhel dicens. Si in toto corde vestro reuertimini ad dominum auferte deos alienos de medio vestrum baalim et astaroth: et preparate corda vestra domino· et seruite ei soli: et eruet vos de manu philistijm. [4] Abstulerunt ergo filij israhel baalim et astaroth· et seruierunt domino soli. [5] Dixit autem samuel. Congregate vniuersum israhel in masphat: vt oran pro vobis dominum. [6] Et conuenerunt in masphat. Hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu domini: et ieiunauerunt in die illa et dixerunt. Tibi peccauimus domine. Iudicauitque samuel filios israhel in masphat. [7] Et audierunt philistijm quod congregati essent filij israhel in masphar· et ascenderunt satrape philistinorum ad israhel. Quod cum audissent filij israhel. timuerunt a facie philistinorum. [8] Dixeruntque ad samuelem. Ne cesses pro nobis clamare ad dominum deum nostrum: vt saluet nos de manu philistinorum. [9] Tulit autem samuel agnum lactentem vnum· et obtulit illum holocaustum integrum domino. Et clamauit samuel ad dominum pro israhel· et exaudiuit eum dominus. [10] Factum est autem cum samuel offerret holocaustum philisteos inire bellum contra israhel. Intonuit autem dominus fragore magno in die illa super philistijm et exterruit eos: et cesi sunt a filijs israhel. [11] Egressique viri israhel de masphat persecuti sunt philisteos· et percusserunt eos vsque ad locum qui erat subter bethchar. [12] Tulit autem samuel lapidem vnum et posuit eum inter masphat· et inter sen· et vocauit nomen loci illius: lapis adiutorij. Dixitque. Hucusque auxiliatus est nobis dominus. [13] Et humiliati sunt philistijm· nec apposuerunt vltra vt venirent in terminos israhel. Facta est itaque manus domini super philisteos cunctis diebus samuelis· [14] et reddite sunt vrbes quas tulerant philistijm ab israhel israheli· ab accharon vsque geth· et terminos suos. Liberauitque israhel de manu philistinorum: eratque pax inter israhel et amorreum. [15] Iudicabat quoque samuel israhel cunctis diebus vite sue· [16] et ibat per singulos annos circuiens bethel et galgala et masphat: et iudicabat israhelem in supradictis locis. [17] Reuertebaturque in ramatha· ibi enim erat domus eius: et ibi iudicabat israhelem. Edificauit eciam ibi altare domino.

8 Factum est autem cum senuisset samuel: posuit filios suos iudices israhel. [2] Fuitque nomen filij eius primogeniti yohel· et nomen secundi abya: iudicum in bersabee. [3] Et non ambulauerunt filij illius in vijs eius· sed declinauerunt post auariciam acceperuntque munera: et peruerterunt iudicium. [4] Congregati ergo vniuersi maiores natu israhel venerunt ad samuelem in ramatha: [5] dixeruntque ei. Ecce tu senuisti: et filij tui non ambulant in vijs tuis. Constitue nobis regem vt iudicet nos: sicut et vniuerse habent nationes. [6] Displicuitque sermo in oculis samuelis· eo quod dixissent· da nobis regem vt iudicet nos. Et orauit samuel ad dominum. [7] Dixit autem dominus ad samuelem. Audi vocem populi: in omnibus que locuntur tibi.

Non enim abiecerunt te sed me: ne regnem super eos. [8] Iuxta omnia opera sua que fecerunt a die que eduxi eos de egipto vsque ad diem hanc sicut dereliquerunt me et seruierunt dijs alienis: sic faciunt eciam tibi. [9] Nunc ergo vocem eorum audi. Verumtamen contestare eos: et predic eis ius regis qui regnaturus est super eos: [10] Dixit itaque samuel omnia verba domini ad populum qui pecierat a se regem· [11] et ait. Hoc erit ius regis· qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet et ponet in curribus suis· facietque sibi equites et precursores quadrigarum suarum: [12] et constituet sibi tribunos et centuriones· et aratores agrorum suorum et messores segetum· et fabros armorum et curruum suorum. [13] Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias· et focarias· et panificas. [14] Agros quoque vestros et vineas et oliueta optima tollet: et dabit seruis suis. [15] Sed et segetes vestras et vinearum redditus addecimabit· vt det eunuchis et famulis suis. [16] Seruos eciam vestros et ancillas· et iuuenes optimos et asinos auferet: et ponet in opere suo. [17] Greges quoque vestros addecimabit· vosque eritis ei serui. [18] Et clamabitis in die illa a facie regis vestri quem elegistis vobis· et non exaudiet vos dominus in die illa: quia petistis vobis regem. [19] Noluit autem populus audire vocem samuelis· sed dixerunt. Nequaquam. Rex enim erit super nos [20] et erimus nos quoque sicut omnes gentes· et iudicabit nos rex noster· et egredietur ante nos· et pugnabit bella nostra pro nobis. [21] Et audiuit samuel omnia verba populi: et locutus est ea in auribus domini. [22] Dixit autem dominus ad samuelem. Audi vocem eorum: et constitue super eos regem. Et ait samuel ad viros israhel. Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.

9 Et erat vir de benyamin nomine cis· filius abiel· filij seor· filij bechor· filij sareth· filij aphia· filij viri iemini fortis robore. [2] Et erat ei filius vocabulo saul· electus et bonus: et non erat vir de filijs israhel melior illo. Ab humero et sursum· eminebat super omnem populum. [3] Perierant autem asine cis patris saul. Et dixit cis ad saul filium suum. Tolle tecum vnum de pueris: et consurgens vade et quere asinas. Qui cum transissent per montem ephraim [4] et per terram salisa et non inuenissent: transierunt eciam per terram salim et non erant· sed et per teram iemini: et minime repererunt. [5] Cum autem venissent in terram suph: dixit saul ad puerum qui erat cum eo. Veni et reuertamur· ne forte dimiserit pater meus asinas: et solicitus sit pro nobis. [6] Qui ait ei. Ecce vir dei est in ciuitate hac vir nobilis· omne quod loquitur: sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc: si forte indicet nobis de via nostra propter quam venimus. [7] Dixitque saul ad puerum suum. Ecce ibimus. Quid feremus ad virum dei: Panis defecit in sistarcijs nostris· et sportulam non habemus vt demus homini dei: nec quicquam aliud. [8] Rursum puer respondit sauli et ait. Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti: demus homini dei· vt indicet nobis viam nostram. [9] Olim in israhel sic loquebatur vnusquisque: vadens consulere deum. Venite et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie: vocabatur olim videns. [10] Et dixit saul ad puerum suum. Optimus sermo tuus. Veni eamus. Et ierunt in ciuitatem: in qua erat vir dei. [11] Cumque ascenderent cliuum ciuitatis inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam: et dixerunt eis. Num hic est videns? [12] Que respondentes dixerunt illis. Hic est. Ecce ante te. Festina nunc. Hodie enim venit in ciuitatem: quia sacrificium est hodie populi in excelso. [13] Ingredientes vrbem statim inuenietis eum: antequam ascendat excelsum ad vescendum. Neque enim comessurus est populus donec ille veniat· quia ipse benedicet hostie: et deinceps comedent qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite: quia hodie reperietis cum. [14] Et ascenderunt in ciuitatem. Cumque ambularent in medio vrbis· apparuit samuel egrediens obuiam eis: vt ascenderet in excelsum. [15] Dominus autem reuelauerat auriculam samuelis: ante vnam diem quam veniret saul dicens. [16] Hac ipsa hora que nunc est· cras mittam virum ad te de terra benyamin: et vnges eum ducem super populum meum israhel. Et saluabit populum meum de manu philistinorum: quia respexi populum meum. Venit enim clamor eorum ad me. [17] Cumque aspexisset samuel saulem: dominus dixit ei. Ecce vir quem dixeram tibi. Iste dominabitur populo meo. [18] Accessit autem saul ad samuelem in medio porte et ait. Indica oro michi: vbi est domus videntis? [19] Et respondit samuel sauli dicens. Ego sum videns. Ascende ante me in excelsum vt comedas mecum hodie et dimittam te mane: et omnia que sunt in corde tuo indicabo tibi· [20] et de asinis quas nudiustercius perdidisti: ne solicitus sis· quia inuente sunt. Et cuius erunt optima queque israhel? Nonne tibi et omni domui patris tui? [21] Respondens autem saul ait. Numquid non filius iemini ego sum de minima tribu israhel· et cognacio mea nouissima inter omnes familias de tribu benyamin? Quare ergo locutus es michi sermonem istum? [22] Assumens itaque samuel saulem et puerum eius· introduxit eos in triclinium: et dedit eis locum in capite eorum qui fuerant inuitati. Erant enim quasi triginta viri. [23] Dixitque samuel coco. Da partem quam dedi tibi: et precepi vt reponeres seorsum apud te. [24] Leuauit autem cocus armum: et posuit ante saul. Dixitque samuel. Ecce quod remansit: pone ante te et comede: quia de industria seruatum est tibi quando populum vocaui. Et comedit saul cum samuele in die illa. [25] Et descenderunt de excelso in opidum· et locutus est cum saule in solario: strauitque saul in solario et dormiuit. [26] Cumque mane surrexissent et iam dies lucescent: vocauit samuel saulem in solario dicens. ge vt dimittam te. et surrexit saul. Egressique sunt ambo: ipse videlicet et samuel. [27] Cumque descendent in extrema parte ciuitatis: samuel dixit ad saul. Dic puero: vt antecedat nos et transeat. Tu autem subsiste paulisper: vt indicem tibi verbum domini.

10 Tulit autem samuel lenticulam olei· et effudit super capud eius: et deosculatus est eum et ait. Ecce vnxit te dominus super hereditatem suam in principem: et liberabis populum suum de manibus inimicorum eius qui in circuitu eius sunt. Et hoc tibi signum: quia vnxit te deus in principem. [2] Cumque abieris hodie a me: inuenies duos viros iuxta sepulchrum rachel in finibus benyamin in meridie: dicentque tibi. Inuente sunt asine ad quas ieras perquirendas: et intermissis pater tuus asinis solicitus est pro vobis· et dicit. Quid faciam de filio meo? [3] Cumque abieris inde· eris et vltra veneris ad quercum thabor· inuenient te tres viri ascendentes ad deum in bethel: vnus portans tres hedos· et alius tres tortas panis: et alius portans lagenam vini. [4] Cumque te salutauerint dabunt tibi duos panes: et accipies de manu eorum. [5] Post hec venies in collem domini: vbi est stacio philistinorum. Et cum ingressus fueris ibi vrbem· obuium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso: et ante eos psalterium et timpanum et tibiam et citharam· ipsosque prophetantes: [6] et insiliet in te spiritus domini et prophetabis cum eis: et mutaberis in virum alium. [7] Quando ergo euenerint signa hec omnia tibi· fac quecumque inuenerit manus tua: quia dominus est tecum. [8] Et descendes ante me in galgala. Ego quippe descendam ad te: vt offeras oblacionem et immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis donec veniam ad te: et ostendam tibi que facias. [9] Itaque cum auertisset humerum suum vt abi abieret a samuele· immutauit ei deus cor aliud. et venerunt omnia signa hec in die illa. [10] Veneruntque ad predictum collem: et ecce cuneus prophetarum obuius ei. Et insiluit super eum spiritus domini: et prophetauit in medio eorum. [11] Videntes autem omnes qui nouerant eum heri et nudiustercius quod esset cum prophetis· et prophetaret: dixerunt ad inuicem. Que nam res accidit filio cis? Num et saul inter prophetas? [12] Responditque alius ad alterum dicens. Et cis pater eius. Propterea versum est in prouerbium. Num et saul inter prophetas? [13] Cessauit autem prophetare: et venit ad excelsum. [14] Dixitque patruus saul ad eum et ad puerum eius. Quo abistis? Qui responderunt. Querere asinas. Quas cum non reperissemus· venimus ad samuelem. [15] Et dixit ei patruus suus. Indica michi· quid dixerit tibi samuel. [16] Et ait saul ad patruum suum. Indicauit nobis quia inuente essent asine. De sermone autem regni non indicauit ei: quem locutus fuerat ei samuel. [17] Et conuocauit samuel populum ad dominum in masphar: [18] et ait ad filios israhel. Hec dicit dominus deus israhel. Ego eduxi israhel de egipto· et erui vos de manu egiptiorum: et de manu omnium regum qui affligebant vos. [19] Vos autem hodie proiecistis dominum deum vestrum: qui solus saluabit vos de vniuersis malis et tribulacionibus vestris· et dixistis. Nequaquam: sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram domino per tribus vestras et per familias. [20] Et applicauit samuel omnes tribus israhel: et cecidit sors super tribum benyamin. [21] Et applicauit tribum benyamin et cognationes eius· et

cecidit super cognationem metri: et peruenit vsque ad saul filium cis. Quesierunt ergo eum: et non est inuentus illic. 22 Et consuluerunt post hec dominum: vtrum nam venturus esset illuc. Responditque dominus. Ecce absconditus est domi. 23 Cucurrerunt itaque et tulerunt eum inde· stetitque in medio populi: et altior fuit vniuerso populo ab humero et sursum. 24 Et ait samuel ad omnem populum. Certe videtis quem elegit dominus· quoniam non sit similis illi in omni populo. et clamauit omnis populus· et ait. Viuat rex. 25 Locutus est autem samuel legem regni ad populum· et scripsit in libro et reposuit coram domino. Et dimisit samuel omnem populum singulos in domum suam. 26 Sed et saul abijt in domum suam in gabaath. Et abijt cum eo pars exercitus· quorum tetigerat deus corda. 27 Filij vero belial dixerunt. Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum· et non attulerunt ei munera. Ille vero dissimulabat se audire

11 Et factum est quasi post mensem· ascendit naas amonites et pugnare cepit aduersum yabes galaad· dixeruntque omnes viri yabes ad naas. Habero nos federatos: et seruiemus tibi. 2 Et respondit ad eos naas amonites. In hoc feriam vobiscum fedus: vt eruam omnium vestrum oculos dextros: ponamque vos opprobrium in vniuerso israhel. 3 Et dixerunt ad eum seniores iabes. Concede nobis septem dies· vt mittamus nuncios ad vniuersos terminos israhel· et si non fuerit qui defendat nos egrediemur ad te. 4 Venerunt ergo nuncij in gabaath saulis· et locuti sunt verba hec audiente populo. Et leuauit omnis populus vocem suam et fleuit. 5 Et ecce saul veniebat sequens boues de agro et ait. Quid habet populus quod plorat? Et narrauerunt ei verba virorum iabes. 6 Et insiluit spiritus domini in saul cum audisset hec verba: et iratus est furor eius nimis. 7 Et assumens vtrumque bouem· concidit in frusta: misitque in omnes terminos israhel per manum nunciorum dicens. Quicumque non exierit· et secutus fuit saul et samuel: sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor domini populum· et egressi sunt quasi vir vnus: 8 et recensuit eos in bezech. Fueruntque filiorum israhel trecenta milia: virorum autem iuda· triginta milia. 9 Et dixerunt nuncijs qui venerant. Sic dicetis viris qui sunt in iabes galaad. Cras erit vobis salus: cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuncij et nunciauerunt viris iabes. Qui letati sunt 10 et dixerunt. Mane exibimus ad vos et facietis nobis omne quod placuit vobis. 11 Et factum est cum dies crastinus venisset· constituit saul populum in tres partes. Et ingressus est media castra in vigilia matutina. et percussit amon vsque dum incalescent dies. Reliqui autem dispersi sunt: ita vt non relinquerentur in eis duo pariter. 12 Et ait populus ad samuelem. Quis est iste qui dixit· saul non regnabit super nos? Date viros et interficiemus eos. 13 Et ait saul. Non occidetur quisquam in die hac· quia hodie fecit dominus salutem in israhel. 14 Dixit autem samuel ad populum. Venite et eamus in galgala et innouemus ibi regnum. 15 Et perrexit omnis populus in galgala· et fecerunt ibi regem saul· coram domino in galgala. Et immolauerunt ibi victimas pacificas coram domino. Et letatus est ibi saul et cuncti viri israhel nimis.

12 Dixit autem samuel ad vniuersum israhel. Ecce audiui vocem vestram iuxta omnia que locuti estis ad me· et constitui super vos regem. 2 Et nunc rex graditur ante vos. Ego autem senui et incanui. Porro filij mei vobiscum sunt. Itaque conuersatus coram vobis ab adolescencia mea vsque ad hanc diem: ecce presto sum. 3 Loquimini de me coram domino et coram cristo eius: vtrum bouem cuiusquam tulerim aut asinum· si quemquam calumniatus sum· si oppressi aliquem· si de manu cuius quam munus accepi· et contemnam illud hodie restituamque vobis. 4 Et dixerunt. Non es calumniatus nos· neque oppressisti· neque tulisti de manu alicuius quippiam. 5 Dixitque ad eos. Testis est dominus aduersum vos et testis cristus eius in die hac· quia non inueneritis in manu mea quippiam. Et Et dixerunt. Testis. Et dixerunt. Testis. 6 Et ait samuel ad Et ait samuel ad populum. Dominus qui fecit moysen et aaron: et eduxit patres nostros de terra egipti adest. 7 Nunc ergo state vt iudicio contendam aduersum vos coram domino· de omnibus misericordijs domini· quas fecit vobiscum et cum patribus vestris· 8 quomodo iacob ingressus est in egiptum· et clamauerunt patres vestri ad dominum· et misit dominus moysen et aaron· et eduxit patres vestros de egipto· et collocauit eos in loco hoc. 9 Qui obliti sunt domini dei sui· et tradidit eos in manu sysare magistri milicie asor et in manu philistinorum· et in manu regis moab· et pugnauerunt aduersum eos. 10 Postea autem clamauerunt ad dominum· et dixerunt. Peccauimus· quia dereliquimus dominum· et seruiuimus baalim et astaroth. Nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum· et seruiemus tibi. 11 Et misit dominus ierobaal et badan· et sampson· et barach· et yepte· et samuel· et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum· et habitastis confidenter. 12 Videntes autem quod naas rex filiorum amon venisset aduersum vos· dixistis michi nequaquam· sed rex imperabit nobis· cum dominus deus vester regnaret in vobis. 13 Nunc ergo presto est rex vester· quem elegistis et petistis. Ecce dedit vobis dominus regem. 14 Si timueritis dominum et seruieritis ei et audieritis vocem eius· et non exasperaueritis os domini· eritis et vos et rex qui imperat vobis sequentes dominum deum nostrum. 15 Si autem non audieritis vocem domini· sed exasperaueritis sermones eius· erit manus domini super vos et super patres vestros. 16 Sed et nunc state· et videte rem istam grandem· quam facturus est dominus in conspectu vestro. 17 Nunquid non messis tritici est hodie? Inuocabo dominum et dabit voces et pluuias· et scietis et videbitis quia grande feceritis vobis malum in conspectu domini· petentes super vos regem. 18 Et clamauit samuel ad dominum· et dedit dominus voces et pluuias in illa die. 19 Et timuit omnis populus nimis dominum· et samuelem. Et dixit vniuersus populus ad samuelem. Ora pro seruis tuis ad dominum deum tuum· vt non moriamur. Addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum· vt peteremus nobis regem. 20 Dixit autem samuel ad populum. Nolite timere. Vos fecistis vniuersum malum hoc. Verumtamen nolite recedere a tergo domini· sed seruite domino in omni corde vestro· 21 et nolite declinare post vana que non proderunt vobis· neque eruent vos· quia vana sunt· 22 et non derelinquet dominus populum suum· propter nomen suum magnum· quia iurauit dominus facere vos sibi populum. 23 Absit autem a me hoc peccatum in domino· vt cessem orare pro vobis· et docebo vos viam rectam et bonam. 24 Igitur timete dominum· et seruite ei in veritate· et ex toto corde vestro. Vidistis enim magnifica que in vobis gesserit dominus. 25 Quod si perseuerauitis in malicia et vos et rex vester pariter peribitis.

13 Filius vnius anni erat saul cum regnare cepisset· duobus autem annis regnauit super israhel. 2 Et elegit sibi saul tria milia de israhel. Et erant cum saul duo milia in machinas et in monte bethel· mille autem cum yonacha in gabaa benyamin. Porro ceterum populum remisit vnumquemque in tabernacula sua. 3 Et percussit yonathas stacionem philistinorum que erat in gabaa. Quod cum audissent philistijm· saul cecinit buccina in omni terra dicens. Audiant hebrei. 4 Et vniuersus israhel audiuit huiuscemodi famam· percussit saul stacionem philistinorum. Et erexit se israhel aduersus philistijm. Clamauit ergo populus post saul in galgala. 5 et philistijm congregati sunt ad preliandum contra israhel· triginta milia curruum· et sex milia equitum· et reliquum vulgus sicut harena que est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in machinas· ad orientem bethauen. 6 Quod cum vidissent viri israhel se in arco positos· afflictus enim erat populus· et absconderunt se in speluncis et in abditis· in petris quoque et in antris et in cisternis. 7 Hebrei autem transierunt iordanem· terram gad et galaad. Cumque adhuc esset saul in galgala· vniuersus populus perterritus est qui sequebatur eum. 8 Et expectauit iuxta placitum samuelis septem diebus· et non venit samuel in galgala. Dilapsusque est populus ab eo. 9 Ait ergo saul. Afferte michi holocaustum et pacifica. Et obtulit holocaustum. 10 Cumque complesset offerens holocaustum· ecce samuel veniebat. Et egressus est saul obuiam ei· vt salutaret eum. 11 Locutusque est ad eum samuel. Quid fecisti? Respondit saul. Quia vidi quod populus dilaberetur a me· et tu non veneras iuxta placitos dies· porro philistijm congregati fuerant in machinas· 12 dixi. Nunc descendent philistijm ad me in galgala· et faciem domini non placaui. Necessitate compulsus· obtuli holocaustum domino. 13 Dixitque samuel ad saul. Stulte egisti· nec custodisti mandata domini dei tui que precepi tibi. Quod si non fecisses· iam nunc preparasset dominus regnum tuum super israhel· in sempiternum. 14 Sed

nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quesiuit dominus sibi virum iuxta cor suum· et precepit ei dominus vt esset dux super populum suum· eo quod non seruaueris que precepit dominus. 15 Samuel autem surrexit· et ascendit de galgalis· in gabaa benyamin. Et reliqui populi ascenderunt post saul· obuiam populo· qui expugnabant eos· venientes de galgala in gabaa in colle benyamin. Et recensuit saul populum qui inuenti fuerant cum eo· quasi sexcentos viros· 16 et saul et yonathas filius eius· populusque qui inuentus fuerat cum eis· erat in gabaa benyamin. Porro philistijm consederant in machmas. 17 Et egressi sunt ad preliandum de castris philistinorum tres cunei. Vnus cuneus pergebat contra viam ephraim· ad terram saul. 18 Porro alius ingrediebatur per viam bethron. Tercius autem verterat se ad iter termini in terra sabaa· imminentis vallis seboym contra desertum. 19 Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra israhel. Cauerant enim philistijm· ne forte facerent hebrei gladium aut lanceam. 20 Descendebat ergo omnis israhel ad philistijm· vt acueret vnusquisque vomerem suum et ligonem et securim et tridentem et sarculum. 21 Retuse itaque erant acies vomerum et ligonum et tridentium et securium· vsque ad stimulum corrigendum. 22 Cumque venisset dies prelij· non est inuentus ensis et lancea in manu tocius populi qui erat cum saul et yonatha filij eius· excepto saul et yonatha filio eius. 23 Egressa est autem stacio philistijm· vt transcenderet in machmas.

14 Et accidit in quadam die· vt diceret yonathas filius saul ad adolescentem armigerum suum. Veni et transeamus ad stacionem philistinorum· que est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicauit. 2 Porro saul morabatur in extrema parte gabaa· sub malogranato que erat in agro gabaa. Et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. 3 Et achias filius achitob fratris ychabod filij phinees· qui ortus fuerat ex hely sacerdote domini in sylo· portabat ephot. Sed et populus ignorabat quo isset yonathas. 4 Erant autem inter ascensus· per quos nitebatur yonathas transire ad staciones philistinorum· eminentes petre ex vtraque parte· et quasi in modum dentium· scopuli hincinde prerupti. Nomen vni boses· et nomen alteri sene. 5 Vnus scopulus prominens ad aquilonem ex aduerso machinas· et alter ad meridiem contra gabaa. 6 Dixit autem yonathas ad adolescentem armigerum suum. Veni transeamus ad stationem incircuncisorum horum· si forte faciat dominus pro nobis· quia non est domino difficile saluare vel in multis vel in paucis. 7 Dixitque ei armiger suus. Fac omnia que placent animo tuo. Perge quo cupis· et ero tecum vbicumque volueris. 8 Et ait yonathas. Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis· 9 si taliter locuti fuerint ad nos· manete donec veniamus ad vos· stemus in loco nostro· nec ascendamus ad eos. 10 Si autem dixerint ascendite ad nos· ascendamus ad eos· quia tradidit dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum. 11 Apparuit igitur vterque stationi philistinorum. Dixeruntque philistijm. En hebrei egrediuntur de cauernis· in quibus absconditi fuerant. 12 Et locuti sunt viri de stacione ad yonathan et ad armigerum eius· dixeruntque. Ascendite ad nos· et ostendemus vobis rem. Et ait yonathas ad armigerum suum. Ascendamus. Sequere me. Tradidit enim dominus eos in manus israhel. 13 Ascendit autem yonathas· manibus et pedibus reptans· et armiger eius post eum. Et cum vidissent faciem yonathe. Itaque alij cadebant ante yonathan· alios armiger eius interficiebat· sequens eum. 14 Et facta est plaga prima· quam percussit yonathas et armiger eius· quasi viginti virorum· in media parte iugeris· quam par boum in die arare consueuit. 15 Et factum est miraculum in castris et per agros. Sed et omnis populus stationis eorum qui erant ad predandum obstupuit· et conturbata sunt castra. Et accidit quasi miraculum a deo. 16 Et respexerunt speculatores saul qui erant in gabaa benyamin. eorum Et ecce multitudo prostrata· et huc illucque diffugiens. 17 Et ait saul populo qui erat cum eo. Requirite et videte· quis abierit ex nobis. Cumque requisissent· repertum est non adesse yonathan· et armigerum eius. 18 Et ait saul ad achiam. Applica archam domini. Erat enim ibi archa domini in die illa· cum filijs israhel. 19 Cumque loqueretur saul ad sacerdotem· tumultus magnus exortus est in castris philistinorum. Crescebatque paulatim· et clarius resonabat. Et ait saul ad sacerdotem. Contrahe manum tuam. 20 Conclamauit ergo saul et omnis populus qui erat cum eo· et venerunt vsque ad locum certaminis. Et ecce versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum· et cedes magna nimis. 21 Sed et hebrei qui fuerant cum philistijm heri et nudiustercius. ascenderantque cum eis in castris· et reuersi sunt vt essent cum israhel· et qui erant cum saul et yonatha. 22 Omnes quoque israhelite qui se absconderant in monte ephraim· audientes quod fugissent philistei· sociauerunt se cum suis in prelio. Et erant cum saul quasi viginti milia virorum· 23 et saluauit dominus deus israhel in die illa. Pugna autem peruenit vsque ad bethauen. 24 Et viri israhel sociati sunt sibi in die illa. Adiurauit autem saul populum dicens. Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam· donec vlcistar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem. 25 Omneque terre vulgus venit in saltum· in quo erat mel super faciem agri. 26 Ingressus est itaque populus saltum et apparuit fluens mel· nullusque applicuit manum ad os suum. Timebat enim populus iuramentum. 27 Porro yonathas non audierat· cum adiuraret pater eius populum. Extenditque summitatem virgule quam habebat in manu· et intinxit in fauum mellis. Et conuertit manum suam ad os suum· et illuminati sunt oculi eius. 28 Respondensque vnus de populo ait. Iure iurando constrinxit pater tuus populum· dicens. Maledictus vir qui comederit panem hodie. Defecerat autem populus. 29 Dixitque yonathas. Turbauit pater meus terram. Vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei· eo quod gustauerim paululum de melle isto. 30 Quantomagis si comedisset populus de preda inimicorum suorum quam reperit. Nonne maior plaga facta fuisset in philistijm? 31 Percusserunt ergo in die illa philisteos· a machmis vsque in hailon. Defatigatus est autem populus nimis· 32 et versus ad predam· tulit oues et boues· et vitulos· et mactauerunt in terra. Comeditque populus cum sanguine. 33 Nunciauerunt autem sauli dicentes· quod populus peccasset domino· comedens cum sanguine. Qui ait. Preuaricati estis. Voluite ad me iam nunc saxum grande. 34 Et dixit saul. Dispergamini in vulgus· et dicite eis vt adducat ad me vnusquisque bouem suum et arietem· et occidite super istud· et vescimini et non peccabitis domino· comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus vnusquisque bouem in manu sua vsque ad noctem· et occiderunt ibi. 35 Edificauit autem saul altare domino. Tuncque primum cepit edificare altare domino. 36 Et dixit saul. Irruamus super philisteos nocte· et vastemus eos vsque dum illucescat mane· nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus. Omne quod bonum tibi videtur in oculis tuis fac. Et ait sacerdos. Accedamus huc ad deum. 37 Et consuluit saul dominum dicens. Num persequar philistijm si trades eos in manu israhel? Et non respondit ei in die illa. 38 Dixitque saul. Applicate huc vniuersos angulos populi· et scitote et videte per quem acciderit hoc peccatum hodie. 39 Viuit dominus saluator israhel· quia si per yonathan filium meum factum est· absque retractacione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. 40 Et ait ad vniuersum israhel. Separamini vos in partem vnam· et ego cum yonatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad saul. Quod bonum tibi videtur in oculis tuis fac. 41 Et dixit ad dominum deum israhel. Domine deus israhel da iudicium· quid est quod non responderis seruo tuo hodie? Si in me aut in yonatha filio meo est iniquitas hec da ostensionem. Aut si hec iniquitas est in populo tuo da sanctitatem. Et deprehensus est yonathas et saul· populus autem exiuit. 42 Et ait saul. Mittite sortem inter me· et inter yonathan filium meum. Et captus est yonathas. 43 Dixit autem saul ad yonatham. Indica michi quid feceris. Et indicauit ei yonathas· et ait. Gustans gustaui in summitate virge que erat in manu mea· paululum mellis· et ecce ego morior. 44 Et ait saul. Hec faciat michi deus· et hec addat· quia morte morieris yonatha. 45 Dixitque populus ad saul. Ergo ne yonathas morietur· qui fecit salutem hanc magnam in israhel. Hoc nephas est. Viuit dominus· si ceciderit capillus de capite eius in terram· quia cum deo operatus est hodie. Liberauit ergo populus yonathan· vt non moreretur. 46 Recessitque saul· nec persecutus est philistijm. Porro philistijm abierunt in loca sua. 47 Et saul confirmato regno super israhel· pugnabat per circuitum aduersum omnes inimicos eius· contra moab et filius amon· et edom· et reges soba et philisteos· et quocumque se verterat· superabat. 48 Congregatoque exercitu percussit amalech· et eruit israhel de

manu vastatorum eius. [49] Fuerunt autem filij saul· yonathas· et iesui· et melchisua· et nomina duarum filiarum eius· nomen primogenite merob· et nomen minoris michol· [50] et nomen vxoris saul achinoem· filia achimaas. Et nomen principis milicie eius abner filius ner· patruelis saul. [51] Porro cis fuit pater saul· et ner pater abner filius abiel. [52] Erat autem bellum potens aduersum philisteos· omnibus diebus saul. Nam quemcumque viderat saul virum fortem et aptum ad prelium· sociabat eum sibi.

15 Et dixit samuel ad saul. Me misit dominus· vt vngerem te in regem super populum eius israhel. Nunc ergo audi vocem domini. [2] Hec dicit dominus exercituum. Recensui quecumque fecit amalech israheli. quomodo restitit ei in via cum ascenderet de egipto. [3] Nunc ergo vade et percute amalech· et demolire vniuersa eius. Non parcas ei· et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid· sed interfice a viro vsque ad mulierem· et paruulum atque lactentem· bouem et ouem· camelum et asinum. [4] Precepit itaque saul populo· et recensuit eos quasi agnos· ducenta milia peditum· et decem milia virorum iuda. [5] Cumque venisset saul vsque ad ciuitatem amalech· tetendit insidias in torrente. [6] Dixitque saul cyneo. Abite· recedite· atque discedite ab amalech· ne forte inuoluam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filijs israhel· cum ascenderent de egipto. Et recessit cyneus de medio amalech. [7] Percussitque saul amalech ab eiula· donec veniat ad sur· que est cregione egipti. [8] Et apprehendit agag regem amalech· viuum. Omne autem vulgus interfecit in ore gladij. [9] Et pepercit saul et populus agag· et optimis gregibus ouium et armentorum· et vestibus· et arietibus· et vniuersis que pulchra erant· nec voluerunt disperdere ea. Quitquid ergo vile fuit et reprobum· hoc demoliti sunt. [10] Factum est autem verbum domini ad samuel· dicens. [11] Penitet me quod constituerim saul regem· quia dereliquit me· et verba mea opere non impleuit. Contristatusque est samuel· et clamauit ad dominum tota nocte. [12] Cumque denocte surrexisset samuel vt iret ad saul mane· nunciatum est samueli eo quod venisset saul in carmelum· et erexisset sibi fornicem triumphalem· et reuersus transisset· descendissetque in galgala. Venit ergo samuel ad saul· et saul offerebat olocaustum domino· de inicijs predarum que attulerat ex amalech. [13] Et cum venisset samuel ad saul· dixit ei saul. Benedictus tu domino. Impleui verbum domini. [14] Dixitque samuel. Et que est hec vox gregum que resonat in auribus meis· et armentorum quam ego audio? [15] Et ait saul. De amalech adduxerunt ea. Pepercit enim populus melioribus ouibus et armentis· vt immolarentur domino deo tuo· reliqua vero occidimus. [16] Ait autem samuel ad saul. Sine me et indicabo tibi que locutus sit dominus ad me nocte. Dixitque ei. Loquere. [17] Et ait samuel. Nonne cum paruulus esses in oculis tuis· caput in tribubus israhel factus es? Vnxitque te dominus in regem super israhel· [18] et misit te dominus in viam et ait. Vade et interfice peccatores amalech· et pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum. [19] Quare ergo non audisti vocem domini· sed versus ad predam es· et fecisti malum in oculis domini. [20] Et ait saul ad samuelem. Immo audiui vocem domini· et ambulaui in via per quam misit me dominus· et adduxi agag regem amalech· et amalech interfeci. [21] Tulit autem de preda populus oues et boues· primicias eorum que cesa sunt· vt immolet domino deo suo in galgalis. [22] Et ait samuel. Numquid vult dominus olocausta aut victimas· et non pocius vt obediatur voci domini? Melior est enim obedientia quam victime· et auscultare magis quam offerre adipem arietum· [23] quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare· et quasi scelus ydolatrie· nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecisti sermonem domini· abiecit te dominus ne sis rex. [24] Dixitque saul ad samuelem. Peccaui· quia preuaricatus sum sermonem domini· et verba tua· timens populum· et obediens voci eorum. [25] Sed nunc porta queso peccatum meum· et reuertere mecum vt adorem dominum. [26] Et ait samuel ad saul. Non reuertar tecum· quia proiecisti sermonem domini· et proiecit te dominus· ne sis rex super israhel. [27] Et conuersus est samuel vt abiret. Ille autem apprehendit summitatem pallij eiusque et scissa est. [28] Et ait samuel ad eum. Scidit dominus regnum israhel a te hodie· et tradidit illud proximo tuo meliori te. [29] Porro triumphator in israhel non parcet. et penitudine non flectetur. Neque enim homo est· vt agat penitenciam. [30] At ille ait. Peccaui. Sed nunc honora me coram senioribus populi mei· et coram israhel· et reuertere mecum vt adorem dominum deum tuum. [31] Reuersus ergo samuel· secutus est saulem. Et adorauit saul dominum. [32] Dixitque samuel. Adducite ad me agag regem amalech. Et oblatus est ei agag pinguissimus tremens. Et dixit agag. Siccine separat amara mors. [33] Et ait samuel. Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus· sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta conscidit eum samuel· coram domino in galgalis. [34] Abijt autem samuel in ramatha· saul vero ascendit in domum suam gabaa. [35] non vidit samuel vltra saul· vsque ad diem mortis sue. Verumtamen lugebat samuel saul· quoniam dominum penitebat quod constituisset regem saul super israhel.

16 Dixitque dominus ad samuelem. Vsquequo tu luges saul· cum ego proiecerim eum ne regnet super israhel. Imple cornu tuum oleo· et veni vt mittam te ad ysai bethleemitem. Prouidi enim in filijs eius michi regem. [2] Et ait samuel. Quomodo vadam? Audiet enim saul· et interficiet me. Et ait dominus. Vitulum de armento tolles in manu tua· et dices. Ad immolandum domino veni. [3] Et vocabis ysai ad victimam. Et ego ostendam tibi quid facias· et vnges quemcumque monstraueo tibi. [4] Fecit ergo samuel sicut locutus est ei dominus. Venitque in bethleem. Et admirati sunt seniores ciuitatis· occurrentes ei. Dixeruntque. Pacificus ne ingressus tuus? [5] Et ait. Pacificus. Ad immolandum domino veni. Sanctificamini. et venite mecum vt immolem. Sanctificauit ergo ysai· et filios eius· et vocauit eos ad sacrificium. [6] Cumque ingressi essent· vidit heliab et ait. Num coram domino est cristus eius? [7] Dixit dominus ad samuelem. Ne respicias vultum eius· neque altitudinem stature eius· quoniam abieci eum· nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim videt ea que parent· dominus autem intuetur cor. [8] Et vocauit ysai aminadab· et adduxit eum coram samuel. Qui dixit. Nec hunc elegit dominus. [9] Adduxit autem ysai samma· de quo ait. Eciam hunc non elegit dominus. [10] Adduxit itaque ysai septem filios suos coram samuel. Et ait samuel ad ysai. Non elegit dominus ex istis. [11] Dixitque samuel ad ysai. Numquid iam completi sunt filij? Qui respondit. Adhuc reliquus est paruulus· et pascit oues. Et ait samuel ad ysai. Mitte· et adduc eum. Nec enim discumbemus· prius que huc ille veniat. [12] Misit ergo et adduxit eum. Erat autem rufus et pulcher aspectu· decoraque facie. Et ait dominus surge et vnge eum· ipse est enim. [13] Tulit ergo samuel cornu olei· et vnxit eum in medio fratrum eius. Et directus est spiritus domini a die illa in dauid· et deinceps. Surgensque samuel abijt in ramatha. [14] Spiritus autem domini recessit a saul· et exagitabat eum spiritus nequam a domino. [15] Dixeruntque serui saul ad eum. Ecce spiritus domini malus exagitat te. [16] Iubeat dominus noster rex· et serui tui qui coram te sunt· querent hominem scientem psallere cithara· vt quando arripuerit te spiritus domini malus· psallat manu sua· et leuius feras. [17] Et ait saul ad seruos suos. Prouidete ergo michi aliquem bene psallentem· et adducite eum ad me. [18] Et respondens vnus de pueris· ait. Ecce vidi filium ysai bethleemitem· scientem psallere· et fortissimum robore· et virum bellicosum· et prudentem in verbis· et pulchrum virum· et dominus est cum eo. [19] Misit ergo saul nuncios ad ysai· dicens. Mitte ad me dauid filium tuum· qui est in pascuis. [20] Tulit itaque ysai asinum plenum panibus· et lagenam vini· et hedum de capris vnum· et misit per manum dauid filij sui· sauli. [21] Et venit dauid ad saul· et stetit coram eo. At ille dilexit eum nimis· et factus est eius armiger. [22] Misitque saul ad ysai dicens. Stet dauid in conspectu meo. Inuenit enim gratiam in oculis meis. [23] Igitur quandocumque spiritus domini malus arripiebat saul· dauid tollebat citharam et percutiebat manu sua· et refocillabatur saul· et leuius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.

17 Congregantes autem philistijm agmina sua in prelium· conuenerunt in sochot iude· et castrametati sunt inter sochot et azecha· in finibus domin. [2] Porro saul et viri israhel· congregati venerunt in valle therebinti· et direxerunt aciem ad pugnandum contra philistijm. [3] Et philistijm stabant super montem ex parte hac· et israhel stabat super montem ex altera parte· vallisque erat inter eos. [4] Et egressus est vir spurius de castris philistinorum· nomine goliath de geth· altitudinis sex cubitorum et palmo· [5] et cassis erea

super caput eius· et lorica hamata induebatur. Porro pondus lorice eius quinque milia siclorum eris erat· [6] et ocreas ereas habebat in cruribus· et clipeus ereus regebat humeros eius. [7] Hastile autem haste eius· erat quasi liciatorium texentium. Ipsum autem ferrum haste eius sexcentos siclos habebat ferri. Et armiger eius antecedebat eum. [8] Stansque clamabat aduersum phalangas israhel. et dicebat eis. Quare venistis parati ad prelium? Nunquid ego non sum philisteus et vos serui saul? Eligite ex vobis virum. et descendat ad singulare certamen. [9] Si quiuerit pugnare mecum et percusserit me· erimus vobis serui. Si autem ego preualuero et percussero eum· vos serui eritis· et seruietis nobis. [10] Et aiebat philisteus. Ego exprobraui agminibus israhel hodie. Date michi virum· et ineat singulare certamen mecum. [11] Audiens autem saul et omnes israhelite sermones philistei huiuscemodi· stupebant et metuebant nimis. [12] Dauid autem erat filius viri ephratei de quo supra dictum est· de bethleem iuda cui nomen erat ysai· qui habebat octo filios· et erat vir in diebus saul· senex et grandeuus inter viros. [13] Abierunt autem tres filij eius maiores· post saul in prelium. Et nomina trium filiorum eius qui perrexerunt ad bellum· heliab primogenitus· et secundus aminadab· tercius quoque samma. [14] Dauid autem erat minimus. Tribus ergo maioribus secutis saulem· [15] abijt dauid et reuersus est a saul· vt pasceret gregem patris sui in bethleem. [16] Procedebat vero philisteus mane et vespere· et stabat quadraginta diebus. [17] Dixit autem ysai ad dauid filium suum. Accipe fratribus tuis ephi polenta et decem panes istos· et curre in castra ad fratres tuos· [18] et decem formellas casei· has deferes ad tribunum. Et fratres tuos visitabis si recte agant· et cum quibus ordinati sunt disce. [19] Saul autem et illi· et omnes filij israhel in valle therebinti pugnabant aduersum philistijm. [20] Surrexit itaque dauid mane et commendauit gregem custodi· et onustus abijt sicut preceperat ei ysai. Et venit ad locum magala et ad exercitum· qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine. [21] Direxerat enim aciem israhel· sed et philistijm ex aduerso fuerant preparati. [22] Derelinquens ergo dauid vasa que attulerat sub manu custodis ad sarcinas· cucurrit ad locum certaminis· et interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos. [23] Cumque adhuc ille loqueretur eis· apparuit vir ille spurius ascendens goliath nomine· philisteus de geth· de castris philistinorum. Et loquente eo hec eadem verba· audiuit dauid. [24] Omnes autem israhelite cum vidissent virum fugerunt a facie eius· timentes eum valde. [25] Et dixit vnusquispiam de israhel. Num vidisti virum hunc qui ascendit? Ad exprobrandum enim israhel ascendit. Virum ergo qui percusserit eum· ditabit rex diuitijs magnis· et filiam suam dabit ei· et domum patris eius faciet absque tributo in israhel. [26] Et ait dauid ad viros qui stabant secum dicens. Quid dabitur viro qui percusserit philisteum hunc· et tulerit obprobrium de israhel? Quis est enim hic philisteus incircumcisus· qui exprobrauit aciem dei viuentis? [27] Referebat autem ei populus eundem sermonem dicens. Hec dabuntur viro· qui percusserit eum. [28] Quod cum audisset heliab frater eius maior loquente eo cum alijs. iratus est contra dauid et ait. Quare venisti· et quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam et nequiciam cordis tui· quia vt videres prelium descendisti· [29] et dixit dauid. Quid feci? Numquid non verbum est? [30] Et declinauit paululum ab eo ad alium. Dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius. [31] Audita sunt autem verba que locutus est dauid· et annunciata in conspectu saul. [32] Ad quem cum fuisset adductus· locutus est ei. Non concidat cor cuiusquam in eo. Ego seruus tuus vadam· et pugnabo aduersus philisteum. [33] Et ait saul ad dauid. Non vales resistere philisteo isti. nec pugnare aduersus eum quia puer es. Hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. [34] Dixitque dauid ad saul. Pascebat seruus tuus patris sui gregem· et veniebat leo vel vrsus. et tollebat arietem de medio gregis· [35] et persequebar eos et percutiebam· eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant aduersum me· et apprehendebam mentum eorum· et suffocabam interficiebamque eos. [36] Nam et leonem et vrsum interfeci ego seruus tuus. Erit igitur et philisteus hic incircumcisus quasi vnus ex eis. Nunc vadam et auferam opprobrium populi. Quoniam quis est iste philisteus incircumcisus· qui ausus est maledicere exercitui dei viuentis? [37] Et ait dauid. Dominus qui eripuit me de manu leonis et de manu vrsi· ipse me liberabit de manu philistei huius. Dixit autem saul ad dauid. Vade et dominus tecum sit. [38] Et induit saul dauid vestimentis suis· et imposuit galeam eream super caput eius· et vestiuit eum lorica. [39] Accinctus ergo dauid gladio eius sup vestem suam· cepit temptare si armatus posset incedere. Non enim habebat consuetudinem. Dixitque dauid ad saul. Non possum sic incedere· quia non vsum habeo· et deposuit ea. [40] Et tulit baculum suum quem semper habebat in manibus· et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente· et misit eos in peram pastoralem quam habebat secum· et fundam manu tulit· et processit aduersum philisteum. [41] Ibat autem philisteus incedens et appropinquans aduersum dauid· et armiger eius ante eum. [42] Cumque inspexisset eum philisteus et vidisset dauid· despexit eum. Erat autem adolescens rufus· et pulcer aspectu. [43] Et dixit philisteus ad dauid. Numquid ego canis sum· quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit philisteus dauid· in dijs suis. [44] Dixitque ad dauid. Veni ad me· et dabo carnes tuas volatilibus celi et bestijs terre. [45] Dixit autem dauid ad philisteum. Tu venis ad me cum gladio· et hasta· et clipeo· ego autem venio ad te in nomine domini exercituum dei agminum israhel· quibus exprobrasti [46] hodie· et dabit te dominus in manu mea· et percutiam te· et auferam caput tuum a te. Et dabo cadauera castrorum philistijm hodie volatilibus celi· et bestijs terre· vt sciat omnis terra quia est dominus deus in israhel· [47] et nouerit vniuersa ecclesia hec· quia non in gladio nec in hasta saluat dominus. Ipsius enim est bellum· et tradet vos in manus nostras. [48] Cum ergo surrexisset philisteus· et veniret et appropinquaret contra dauid· festinauit dauid et occurrit ad pugnam exaduerso philistei. [49] Et misit manum suam in peram· tulitque vnum lapidem et funda iecit· et circumducens percussit eum in fronte· et infixus est lapis in fronte eius· et cecidit in faciem suam super terram. [50] Preualuitque dauid aduersum philisteum in funda et lapide· percussumque philisteum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu dauid· [51] cucurrit et stetit super philisteum· et tulit gladium eius et eduxit eum de vagina sua et interfecit eum· preciditque caput eius. Videntes autem philistijm quod mortuus esset fortissimus eorum· fugerunt. [52] Et consurgentes viri israhel et iuda vociferati sunt· et persecuti sunt philisteos· vsque dum venirent in vallem et vsque ad portas accharon. Cecideruntque vulnerati de philistijm in via sarim et vsque ad geth· et vsque ad accharon. [53] Et reuertentes filij israhel· postquam persecuti sunt philisteos. inuaserunt castra eorum. [54] Assumens autem dauid caput philistei: attulit illud in iherusalem· arma vero eius posuit in tabernaculo suo. [55] Eo autem tempore quo viderat saul dauid egredientem contra philisteum: ait ad abner principem militie sue. De qua stirpe descendit hic adolescens? Dixitque abner. Viuit anima tua rex· si noui. [56] Et ait rex. Interroga tu cuius filius sit iste puer. [57] Cumque regressus esset dauid percusso philisteo· tulit eum abner· et introduxit coram saule caput philistei habentem in manu. [58] Et ait ad eum saul. De qua progenie es· o adolescens? Dixitque dauid· filius serui tui ysai bethleemite ego sum

18 Et est cum complesset loqui ad saul· anima yonathe conglutinata est anime dauid· et dilexit eum yonathas quasi animam suam. [2] Tulitque eum saul in die illa· et non concessit ei vt reuerteretur in domum patris sui. [3] Inierunt autem dauid et yonathas fedus. Diligebat enim eum quasi animam suam. [4] Nam expoliauit se yonathas tunica qua erat indutus· et dedit eam dauid: et reliqua vestimenta sua· vsque ad gladium et arcum suum· et vsque ad balteum. [5] Egrediebaturque dauid ad omnia quecumque misisset eum saul: et prudenter se agebat. Posuitque eum saul super viros belli· et acceptus erat in oculis vniuersi populi· maximeque in conspectu famulorum saul. [6] Porro cum reuerteretur percusso philisteo dauid: saul. Porro cum reuerteretur percusso philisteo dauid: et ferret caput eius in iherusalem· de vniuersis vrbibus israhel· cantantes· chorosque ducentes in occursum saul regis· in timpanis leticie et in sistris· [7] et precinebant mulieres: ludentes atque dicentes. Percussit saul mille· et dauid decem milia. [8] Iratus est autem saul nimis· et displicuit in oculis eius iste sermo. Dixitque. Dederunt dauid decem milia: et michi mille dederunt. Quid ei superest nisi solum regnum? [9] Non ergo rectis oculis saul aspiciebat dauid· a die illa et deinceps. [10] Post diem autem alteram inuasit spiritus dei

malus saul: et prophabat in medio domus sue. Dauid autem psallebat manu sua: sicut per singulos dies. Tenebatque saul lanceam [11] et misit eam: putans quod configere posset dauid cum pariete. Et declinauit dauid a facie eius secundo. [12] Et timuit saul dauid: eo quod esset dominus cum eo· et a se recessisset. [13] Amouit ergo eum saul a se: et fecit eum tribunum super mille viros. Et egrediebatur· et intrabat in conspectu populi. [14] In omnibus quoque vijs suis dauid prudenter agebat: et dominus erat cum eo. [15] Vidit itaque saul quod prudens esset nimis: et cepit cauere eum. [16] Omnis autem israhel et iuda diligebat dauid. Ipse autem ingrediebatur et egrediebatur ante eos. [17] Dixitque saul ad dauid. Ecce filia mea maior merob· ipsam dabo tibi vxorem: tantummodo esto vir fortis· et preliare bella domini. Saul autem reputabat dicens. Non sit manus mea in eo: sed sit super eum manus philistinorum. [18] Ait autem dauid ad saul. Quis ego sum· aut que est vita mea· aut cognatio patris mei in israhel· vt fiam gener regis. [19] Factum est autem tempus cum deberet dari merob filia saul dauid: data est hadriel molathite vxor. [20] Dilexit autem dauid michol filiam saul alteram. Et nunciatum est saul· et placuit ei. [21] Dixitque saul. Dabo eam illi· vt fiat ei in scandalum: et sit super eum manus philistinorum. Dixitque saul ad dauid. In duabus rebus gener meus eris hodie. [22] Et mandauit saul seruis suis. Loquimini ad dauid clam me: dicentes. Ecce places regi: et omnes serui eius diligunt te. Nunc ergo esto gener regis. [23] Et locuti sunt serui saul in auribus dauid: omnia verba hec. Et ait dauid. Num parum videtur vobis: generum esse regis? Ego autem sum pauper vir· et tenuis. [24] Et renunciauerunt serui saul dicentes. Huiuscemodi verba locutus est dauid. [25] Dixit autem saul. Sic loquimini ad dauid. Non habet rex sponsalia necesse· nisi tantum centum prepucia philistinorum: vt fiat vlcio de inimicis regis. Porro saul cogitabat dauid tradere in manus philistinorum. [26] Cumque renunciassent serui eius dauid· verba que dixerat saul: placuit sermo in oculis dauid· vt fieret gener regis. [27] Et post paucos dies surgens dauid: abijt in accharon cum viris qui sub eo erant· et percussit ex philistijm ducentos viros· et attulit eorum prepucia et annumerauit ea regi: vt esset gener eius. Dedit itaque saul ei: michol filiam suam vxorem. [28] Et vidit saul· et intellexit quod dominus esset cum dauid. Michol autem filia saul: diligebat eum. [29] Et saul magis cepit timere dauid. Factusque est saul inimicus dauid: cunctis diebus. [30] Et egressi sunt principes philistinorum. A principio autem egressionis eorum· prudentius se gerebat dauid: quam omnes viri saul· et celebre factum est nomen eius nimis.

19 Locutus est autem saul ad yonathan filium suum· et ad omnes seruos suos: vt occiderent dauid. Porro yonathas filius saul: diligebat dauid valde. [2] Et indicauit yonathas dauid dicens. Querit saul pater meus occidere te. Quapropter obserua te queso mane· et manebis clam et absconderis. [3] Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum in agro vbicumque fuerit· et ego loquar de te ad patrem meum· et quodcumque videro: nunciabo tibi. [4] Locutus est ergo yonathas de dauid bona: ad saul patrem suum. Dixitque ad eum. Ne pecces rex in seruum tuum dauid· quia non peccauit tibi: et opera eius bona sunt tibi valde· [5] et posuit animam suam in manu tua et percussit philisteum: et fecit dominus salutem magnam vniuerso israheli. Vidisti: et letatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio· interficiens dauid qui est absque culpa? [6] Quod cum audisset saul· placatus voce yonathe iurauit. Viuit dominus: quia non occidetur. [7] Vocauit itaque yonathas dauid: et indicauit ei omnia verba hec. Et introduxit yonathas dauid ad saul: et fuit ante eum· sicut fuerat heri et nudiustercius. [8] Motum est autem rursum bellum· et egressus dauid pugnauit aduersum philistijm: percussitque eos plaga magna· et fugerunt a facie eius. [9] Et factus est spiritus domini malus in saul. Sedebat autem in domo sua: et tenebat lanceam. Porro dauid psallebat in manu sua. [10] Misusque est saul configere dauid lancea in pariete. Et declinauit dauid a facie saul. Lancea autem casso vulnere plata est in parietem· et dauid fugit: et saluatus est nocte illa. [11] Misit ergo saul satellites suos nocte in domum dauid: vt custodirent eum et interficeretur mane. Quod cum annunciauisset dauid michol vxor sua dicens· nisi saluaueris te nocte hac: cras morieris· [12] deposuit eum per fenestram. Porro ille abijt et aufugit· atque saluatus est. [13] Tulit autem michol statuam· et posuit eam super lectum· et pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius: et operuit eam vestimentis. [14] Misit autem saul apparitores· qui raperent dauid: et responsum est quod egrotaret. [15] Rursumque misit saul nuncios vt viderent dauid dicens. Afferte eum ad me in lecto· vt occidatur. [16] Cumque venissent nuncij· inuentum est simulacrum super lectum· et pelles caprarum ad caput eius. [17] Dixitque saul ad michol. Quare sic illusisti michi: et dimisisti inimicum meum vt fugeret? Et respondit michol ad saul. Quia ipse locutus est michi dicens. Dimitte me: alioquin interficiam te. [18] Dauid autem fugiens saluatus est. Et venit ad samuel in ramatha: et nunciauit ei omnia que fecerat sibi saul. Et abierunt ipse et samuel: et morati sunt in nayoth. [19] Nunciatum est autem sauli a dicentibus. Ecce dauid in nayoth in ramatha. [20] Misit ergo saul lictores vt raperent dauid. Qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium· et samuel stantem super eos: factus est eciam spiritus domini in illis· et prophetare ceperunt eciam ipsi. [21] Quod cum nunciatum esset sauli: misit et alios nuncios. Prophetauerunt autem et illi. Et rursum misit saul tercios nuncios: qui et ipsi prophetauerunt. Et iratus iracundia saul [22] abijt eciam ipse in ramatha: et venit vsque ad cisternam magnam que est in sochoth. Et interrogauit et dixit. In quo loco sunt samuel et dauid? Dictumque est ei. Ecce in nayoth sunt in ramatha. [23] Et abijt in nayoth in ramatha. Et factus est eciam super eum spiritus domini· et ambulauit ingrediens: et prophetabat vsque dum veniret· in nayoth in ramatha. [24] Et expoliauit eciam ipse se vestimentis suis et prophetauit cum ceteris coram samuel: et cecinit nudus tota die illa et nocte. Vnde et exiuit prouerbium. Num et saul inter prophetas?

20 Fugit autem dauid de nayoth· que est in ramatha: veniensque locutus est coram yonatha. Quid feci? Que est iniquitas mea· et quod peccatum meum in patrem tuum: quia querit animam meam? [2] Qui dixit ei. Absit a te: non morieris. Neque enim faciet pater meus quicquam grande vel paruum: nisi prius indicauerit michi. Hunc ergo celauit a me pater meus sermonem tantummodo. Nequaquam enim erit istud. [3] Et iurauit rursum dauid. Et ille ait. Scit profecto pater tuus quod inueni graciam in oculis tuis· et dicet. Nesciat hoc yonathas: ne forte tristetur. Quinimmo viuit dominus et viuit anima tua: quia vno tantum vt ita dicam gradu ego morsque diuidimur. [4] Et ait yonathas ad dauid. Quodcumque dixerit michi anima tua· faciam tibi. [5] Dixit autem dauid ad yonathan. Ecce kalende sunt crastino: et ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum. Dimitte ergo me vt abscondar in agro: vsque ad vesperam diei tercie. [6] Si respiciens requisierit me pater tuus: respondebis ei. Rogauit me dauid vt iret celeriter in bethleem ciuitatem suam: quia victime solemnes ibi sunt vniuersis contribulibus suis. [7] Si dixit bene: pax erit seruo tuo. Si autem fuerit iratus: scito quia completa est malicia eius. [8] Fac ergo misericordiam in seruum tuum: quia fedus domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me· tu me interfice: et ad patrem tuum ne introducas me. [9] Et ait yonathas. Absit hoc a me. Neque enim fieri potest: vt si certe cognouero completam esse patris mei maliciam contra te· non annunciem tibi. [10] Responditque dauid ad yonathan. Quis renunciabit michi· si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me? [11] Et ait yonathas ad dauid. Veni et egrediamur foras in agrum. Cumque exissent ambo in agrum: [12] ait yonathas ad dauid. Domine deus israhel si inuestigauero sententiam patris mei crastino vel perendie et aliquid boni fuerit super dauid· et non statim misero ad te et notum tibi fecero: [13] hec faciat deus yonathe et hec augeat. Si autem perseuerauit patris mei malicia aduersum te: reuelabo aurem tuam et dimittam te vt vadas in pace: et sit dominus tecum sicut fuit cum patre meo. [14] Et si vixero· facies michi misericordias domini· si vero mortuus fuero: [15] non auferes misericordiam tuam a domo mea vsque in sempiternum. Aut si non fecero· quando eradicaueit dominus inimicos dauid vnumquemque de terra: auferat yonatham de domo sua: et requirat dominus de manu inimicorum dauid. [16] Pepigit ergo yonathas fedus cum domo dauid. [17] Et addidit yonathas deierare dauid: eo quod diligeret illum. Sicut enim animam suam ita diligebat eum. [18] Dixitque ad eum yonathas. Cras kalende sunt: et requireris. [19] Requirentur enim sessio tua vsque perendie. Descendes

ergo festinus et venies in locum vbi celandus es· in die quando operari licet: et sedebis iuxta lapidem· cui nomen est ezel. 20 Et ego tres sagittas mittam iuxta eum: et iaciam quasi exercens me ad signum. 21 Mittam quoque et puerum: dicens ei. Vade et affer michi sagittas. 22 Si dixero puero· ecce sagitte intra te sunt tolle eas: tu veni ad me quia pax tibi est et nichil est mali: viuit dominus. Si autem sic locutus fuero puero· ecce sagitte vltra te sunt: vade in pace quia dimisit te dominus. 23 De verbo autem quod locuti fuimus ego et tu: sit dominus inter me et te vsque in sempiternum. 24 Absconditus est ergo dauid in agro· et venerunt kalende: et sedit rex ad comedendum panem. 25 Cumque sedisset rex super cathedram suam secundum consuetudinem· que erat iuxta parietem: surrexit yonathas· et sedit abner ex latere saul· vacuusque apparuit locus dauid· 26 et non est locutus saul quicquam in die illa. Cogitabat enim quod forte euenisset ei· vt non esset mundus nec purificatus. 27 Cumque illuxisset dies secunda post kalendas: rursus apparuit racuus locus dauid. Dixitque saul ad yonathan filium suum. Cur non venit filius ysai nec heri nec hodie ad vescendum? 28 Responditque yonathas sauli. Rogauit me obnixe vt iret in bethleem: 29 et ait. Dimitte me: quoniam sacrificium solemne est in ciuitate mea· vnus de fratribus meis accersiuit me. Nunc ergo si inueni graciam in oculis tuis: vadam cito et videbo fratres meos. Obhanccausam· non venit ad mensam regis. 30 Iratus autem saul aduersum yonathan: dixit ei. Fili mulieris virum vltro rapientis: numquid ignoro quia diligis filium ysai in confusionem tuam· et in confusionem ignominiose matris tue? 31 Omnibus enim diebus quibus filius ysai vixerit super terram: non stabilieris tu neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte· et adduc eum ad me: quia filius mortis est. 32 Respondens autem yonathas sauli patri suo ait. Quare morietur? Quid fecit? 33 Et arripuit saul lanceam vt percuteret eum. Et intellexit yonathas: quod diffinitum esset a patre suo· vt interficeretur dauid. 34 Surrexit ergo yonathas a mensa in ira furoris: et non comedit in die kalendarum secunda panem. Contristatus est enim super dauid: eo quod confudisset eum pater suus. 35 Cumque illuxisset mane venit yonathas in agrum iuxta placitum dauid: et puer paruulus cum eo. 36 Et ait ad puerum suum. Vade et affer michi sagittas: quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset: iecit aliam sagittam trans puerum. 37 Venit itaque puer ad locum iaculi: quod miserat yonathas. Et clamauit yonathas post tergum pueri· et ait. Ecce ibi est sagitta: porro vltra te. 38 Clamauitque iterum yonathas post tergum pueri dicens. Festina velociter: ne steteris. Collegit autem puer yonathe sagittas· et attulit ad dominum suum: 39 et quid ageretur penitus ignorabat. Tantummodo enim yonathas et dauid rem nouerant. 40 Dedit ergo yonathas arma sua puero: et dixit ei. Vade et defer in ciuitatem. 41 Cumque abisset puer surrexit dauid de loco qui vergebat ad austrum: et cadens pronus in terram· adorauit tercio. Et osculantes se alterutrum· fleuerunt pariter· dauid autem amplius. 42 Dixit ergo yonathas ad dauid. Vade in pace. Quecumque iurauimus ambo in nomine domini· dicentes: dominus sit inter me et te· et inter semen tuum et semen meum· vsque in sempiternum. 43 Et surrexit dauid et abijt: sed et yonathas ingressus est ciuitate.

21 Venit autem dauid in nobe· ad achimelech sacerdotem. Et obstupuit achimelech· eo quod venisset dauid· et dixit ei. Quare tu solus: et nullus est tecum? 2 Et ait dauid ad achimelech sacerdotem. Rex precepit michi sermonem· et dixit. Nemo sciat rem propter quam missus es a me: et cuiusmodi precepta tibi dederim. Nam et pueris meis condixi· in illum et illum locum. 3 Nunc ergo si quid habes ad manum· vel quinque panes da michi: aut quicquid inuenis. 4 Et respondens sacerdos ad dauid: ait illi. Non habeo laicos panes ad manum: sed tantum panem sanctum. Si mundi sunt pueri· maxime a mulieribus· manducent. 5 Et respondit dauid sacerdoti: et dixit ei. Et quidem si de mulieribus agitur· continuimus nos ab heri et nudiustercius quando egrediebamur: et fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hec polluta est: sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis. 6 Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis· nisi tantum panes propositionis· qui sublati fuerant a facie domini: vt ponerentur panes calidi. 7 Erat autem ibi vir quidam de seruis saul· in die illa intus in tabernaculo domini: et nomen eius doech ydumeus: potentissimus pastorum saul. Hic pascebat mulas saul. 8 Dixit autem dauid ad achimelech. Si habes hic ad manum hastam aut gladium da michi: quia gladium meum et arma mea non tuli mecum. Sermo enim regis vrgebat. 9 Et dixit sacerdos. Ecce hic gladius goliath philistei· quem percussisti in valle therebinti· est inuolutus pallio post ephot. Si istum vis tollere· tolle. Neque enim hic est alius absque eo. Et ait dauid. Non est huic alter similis. Da michi eum. 10 Surrexit itaque dauid· et fugit in die illa a facie saul: et venit ad achis regem geth. 11 Dixeruntque serui achis: cum vidissent dauid. Numquid non iste est dauid rex terre? Nonne huic cantabant per choros dicentes: percussit saul mille· et dauid decem milia? 12 Posuit autem dauid sermones istos in corde suo: et extimuit valde a facie achis regis geth. 13 Et mutauit os suum coram achis· et collabebatur inter manus eorum: et impingebat in hostia porte: defluebantque saliue eius in barbam. 14 Et ait achis ad seruos suos. Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? 15 An desint nobis furiosi: quia introduxistis istum vt fureret me presente? Dimictite illum hinc: ne ingrediatur domum meam.

22 Abijt ergo dauid inde: et fugit in speluncam odollam. Quod cum audissent fratres eius et omnis domus patris eius: descenderunt ad eum illuc. 2 Et conuenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti· et oppressi ere alieno et amaro animo: et factus est eorum princeps. Fueruntque cum eo quasi quadringenti viri. 3 Et profectus est dauid inde in masphat: que est moab. Et dixit ad regem moab. Maneat oro pater meus et mater mea vobiscum: donec sciam quid faciat michi deus. 4 Et reliquit eos ante faciem regis moab. Manseruntque apud eum: cunctis diebus quibus dauid fuit in presidio. 5 Dixitque gad propheta ad dauid. Noli manere in presidio. Proficiscere et vade in terram iuda. Et profectus est dauid: et venit in saltum areth. 6 Et audiuit saul quod apparuisset dauid: et viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in gabaa et esset in nemore quod est in rama· hastam manu tenens· cunctique serui eius circunstarent eum: 7 ait ad seruos suos qui assistebant ei. Audite me nunc filij iemini. Nunquid omnibus vobis dabit filius ysai agros et vineas et vniuersos vos faciet tribunos et centuriones: 8 quoniam coniurastis omnes aduersum me· et non est qui michi renunciet maxime cum et filius meus fedus iunxerit cum filio ysai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis· nec qui annunciet michi: eo quod suscitauerit filius meus seruum meum aduersum me insidiantem michi vsque hodie. 9 Respondens autem doech ydumeus qui assistebat· et erat primus inter seruos saul: vidi inquit filium ysai in nobe· apud achimelech filium achitob sacerdotem. 10 Qui consuluit pro eo dominum: et cibaria dedit ei. Sed et gladium goliath philistei dedit illi. 11 Misit ergo rex ad accersiendum achimelech sacerdotem filium achitob: et omnem domum patris eius sacerdotum qui erant in nobe. Qui vniuersi venerunt ad regem. 12 Et ait saul ad achimelech. Audi fili achitob. Qui respondit. Presto sum domine. 13 Dixitque ad ad eum saul. Quare coniurastis aduersum me tu et filius ysai· et dedisti ei panes et gladium· et consuluisti pro eo dominum: vt consurgeret aduersum me insidiator vsque hodie permanens? 14 Respondensque achimelech regi ait. Et quis in omnibus seruis tuis sicut dauid fidelis et gener regis et pergens ad imperium tuum: et gloriosus in domo tuas? 15 Num hodie cepi consulere pro eo dominum? Absit hoc a me. Ne suspicetur rex aduersum seruum suum rem huiuscemodi: in vniuersa domo patris mei. Non enim sciuit seruus tuus quicque super hoc negocio: vel modicum vel grande. 16 Dixitque rex. Morte morieis achimelech: tu et omnis domus patris tui. 17 Et ait rex emissarijs qui circunstabant eum. Conuertimini: et interficite sacerdotes domini. Nam manus eorum cum dauid est: scientes quod fugisset et non indicauerunt michi. Noluerunt autem serui regis extendere manus suas in sacerdotes domini. 18 Et ait rex ad doech. Conuertere tu: et irrue in sacerdotes domini. Conuersusque doech ydumeus irruit in sacerdotes: et trucidauit in die illa octogintaquinque viros vestitos ephot lineo. 19 Nobe autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij: viros et mulieres et paruulos et lactantes· bouemque et asinum et ouem in ore gladij. 20 Euadens autem vnus· filius achimelech filij achitob cuius nomen erat abyatar· fugit ad dauid: 21 et

annunciauit ei quod occidisset saul sacerdotes domini. 22 Et ait dauid ad abyatar. Sciebam enim in die illa: quod cum ibi esset doech ydumeus· procul dubio annunciaret sauli. Ego sum reus omnium animarum patris tui. 23 Mane mecum: ne timeas. Si quis quesierit animam meam queret et animam tuam· mecumque seruaberis.

23 Et annunciauerunt dauid dicentes. Ecce philistijm oppugnant ceilam: et diripiunt areas. 2 Consuluit ergo dauid dominum dicens. Num vadam et percutiam philisteos istos? Et ait dominus ad dauid. Vade et percuties philisteos: et saluabis ceilam. 3 Et dixerunt viri qui erant cum dauid ad eum. Ecce nos hic in iudea consistentes timemus: quantomagis si ierimus in ceilam aduersum agmina philistinorum? Rursum agmina philistinorum: 4 Rursum ergo ergo dauid consuluit dominum. Qui respondens ait ei. Surge et vade in ceila. Ego enim n I I I Im N EA I F D l FS C I N N e d I N i IU a F e I EI II tradam philisteos in manu tua. 5 Abijt ergo dauid et viri eius in ceila: et pugnauit aduersum philisteos. Et abegit iumenta eorum et percussit eos plaga magna: et saluauit dauid habitatores ceile. 6 Porro eo tempore quo fugiebat abiatar filius achimelech ad dauid in ceilam: ephot secum habens descenderat. 7 Nunciatum est autem saul: quod venisset dauid in ceilam. Et ait saul. Tradidit eum dominus in manus meas· conclususque est introgressus vrbem: in qua porte et sere sunt. 8 Et precepit saul omni populo: vt ad pugnam descenderet in ceilam· et obsideret dauid et viros eius. 9 Quod cum recisset dauid quia prepararet ei saul clam malum: dixit ad abiatar sacerdotem. Applica ephot. 10 Et ait dauid. Domine deus israhel audiuit famam seruus tuus quod disponat saul venire ad ceilam: vt euertat vrbem propter me. 11 Si tradent me viri ceile in manus eius: et si descendet saul sicut audiuit seruus tuus: domine deus israhel indica seruo tuo. Et ait dominus. Descendet. 12 Dixitque rursum dauid. Si tradent me viri ceile· et viros qui sunt mecum in manus saul? Et dixit dominus. Tradent. 13 Surrexit ergo dauid et viri eius quasi sexcenti: et egressi de ceila huc atque illuc vagabantur incerti. Nunciatumque est saul quod fugisset dauid de ceila et saluatus esset: quamobrem dissimulauit exire. 14 Morabatur autem dauid in deserto in locis firmissimis: mansitque in monte solitudinis ziph in monte opaco. Querebat eum tamen saul cunctis diebus: et non tradidit eum dominus in manus eius. 15 Et vidit dauid quod egressus esset saul: vt quereret animam eius. Porro dauid erat in deserto ziph in silua. 16 Et surrexit yonathas filius saul et abijt ad dauid in siluam: et confortauit manus eius in deo· dixitque ei. 17 Ne timeas. Neque enim inueniet te manus saul patris mei. Et tu regnabis super israhel: et ego ero tibi secundus. Sed et saul pater meus scit hoc. 18 Percussit ergo vterque fedus coram domino. Mansitque dauid in silua: yonathas autem reuersus est in domum suam. 19 Ascenderunt autem ziphei ad saul in gabaa dicentes. Nonne ecce dauid latitat apud nos in locis tutissimis silue in colle achille· que est ad dextram deserti? 20 Nunc ergo sicut desideranit anima tua vt descenderes descende: nostrum autem erit vt tradamus eum in manus regis. 21 Dixitque saul. Benedicti vos a domino: quia doluistis vicem meam. 22 Abite ergo oro et diligentius preparate· et curiosius agite: et considerate locum vbi sit pes eius: vel quis viderit eum ibi vbi dixistis. Recogitat enim de me: quod callide insidier ei. 23 Considerate et videte omnia latibula eius in quibus absconditur: et reuertimini ad me ad rem certam· vt vadam vobiscum. Quod si eciam in terram se obstruxerit: perscrutabor eum in cunctis milibus iuda. 24 At illi surgentes abierunt in ziph ante saul. Dauid autem et viri eius erant in deserto maon in campestribus· ad dexteram iesimuth. 25 Iuit ergo saul et socij eius ad querendum eum. Et nunciatum est dauid: statimque descendit ad petram et versabatur in deserto maon. Quod cum audisset saul: persecutus est dauid in deserto maon. 26 Et ibat saul et viri eius ad latus montis ex parte vna: dauid autem et viri eius erant in latere montis ex parte altera. Porro dauid desperabat se posse euadere a facie saul. Itaque saul et viri eius in modum corone cingebant dauid et viros eius: vt caperent eos. 27 Et nuncius venit ad saul dicens. Festina et veni: quoniam infuderunt se philistijm super terram. 28 Reuersus est ergo saul desistens persequi dauid: et presit in occursum philistinorum. Propter hoc vocauerunt locum illum petram diuidentem.

24 Ascendit ergo dauid inde: et habitauit in locis tutissimis engaddi. 2 Cumque reuersus esset saul postquam persecutus est philisteos: nunciauerunt ei dicentes. Ecce dauid in deserto est engaddi. 3 Assumens ergo saul tria milia electorum virorum ex omni israhel· perrexit ad inuestigandum dauid et viros eius: eciam super abruptissimas petras que solis ibicibus peruie sunt. 4 Et venit ad caulas ouium que se offerebant vianti· eratque ibi spelunca: quam ingressus est saul vt purgaret ventrem. Porro dauid et viri eius in interiore parte spelunce latebant. 5 Et dixerunt serui dauid ad eum. Ecce dies de qua locutus est dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo dauid: et precidit oram clamidis saul silenter. 6 Post hec percussit cor suum dauid: eo quod abscidisset oram clamidis saul. 7 Dixitque ad viros suos. Propicius sit michi dominus ne faciam hanc rem domino meo cristo domini vt mittam manum meam in eum: quia cristus domini est. Viuit Viuit dominus: quia nisi dominus percusserit eum· aut dies eius venerit vt moriatur· aut descendens in prelium perierit: propicius michi sit dominus vt non mittam manum meam in cristum domini. 8 Et confregit dauid viros suos sermonibus istis: et non permisit eos vt consurgerent in saul. Porro saul exurgens de spelunca: pergebat cepto itinere. 9 Surrexit autem dauid post eum: et egressus de spelunca clamauit post tergum saul dicens. Domine mi rex. Et respexit saul post se: et inclinans se dauid pronus in terram adorauit. 10 Dixitque ad saul. Quare audis verba hominum loquentium: dauid querit malum aduersum te? 11 Ecce hodie viderunt oculi tui· quod tradiderit te dominus in manu mea in spelunca: et cogitaui vt occiderem te: sed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim. Non extendam manum meam in dominum meum: quia cristus domini est. 12 Quin pocius pater mi vide et cognosce oram clamidis tue in manu mea: quomodo cum preciderem summitatem clamidis tue· nolui extendere manum meam in te. Animaduerte et vide: quoniam non est in manu mea malum neque iniquitas: neque peccaui in te. Tu autem insidiaris anime mee: vt auferas eam. 13 Iudicet dominus inter me et te et vlciscatur me dominus ex te: manus autem mea non sit in te 14 sicut dicitur in prouerbio antiquo. Ab impijs egredietur impietas. Manus ergo mea non sit in te. 15 Quem persequeris rex israhel quem persequeris? Canem mortuum persequeris: et pulicem vnum. 16 Sit dominus iudex et iudicet inter me et te: et videat et iudicet causam meam: et eruat me de manu tua. 17 Cum autem complesset dauid loquens sermones huiuscemodi ad saul: dixit saul. Nunquid vox hec tua est fili mi dauid? et leuauit saul vocem suam· et fleuit: 18 dixitque ad dauid. Iustior tu es quam ego. Tu enim tribuisti michi bona: ego autem reddidi tibi mala. 19 Et tu indicasti michi hodie que feceris michi bona: quomodo tradiderit me dominus in manu tua: et non occideris me. 20 Quis enim cum inuenerit inimicum suum dimittet eum in via bona? Sed dominus reddat tibi vicissitudinem hanc: pro eo quod hodie operatus es in me. 21 Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis et habiturus in manu tua regnum israhel· 22 iura michi in domino ne deleas semen meum post me: neque auferas nomen meum de domo patris mei. 23 Et iurauit dauid sauli. Abijt ergo saul in domum suam: et dauid et viri eius ascenderunt ad tuciora loca.

25 Mortuus est autem samuel: et congregatus est vniuersus israhel et planxerunt eum nimis: et sepelierunt eum in domo sua in ramatha. Consurgensque dauid: descendit in desertum pharan. 2 Erat autem vir quispiam in solitudine maon· et possessio eius in carmelo: et homo ille magnus nimis: erantque ei oues tria milia et mille capre. Et accidit vt tonderetur grex eius in carmelo. 3 Nomen autem viri illius erat nabal: et nomen vxoris eius abigail. Eratque mulier illa prudentissima· et speciosa. Porro vir eius durus et pessimus: et malicio sus. Erat autem de genere caleph. 4 Cum autem audisset dauid in deserto quod tonderet nabal gregem suum: 5 misit decem iuuedecem nes et dixit eis. Ascendite in carmelum: et venieris ad nabal et salutabitis eum· dixit ges tuos qui erant nobiscum in deserto. Nunquam eis molesti fuimus: nec aliquando defuit eis quicquam de grege omni tempore quo in ex nomine meo pacifice: 6 et sic dicetis. Sit fratribus meis et tibi pax· et domui tue pax: et omnibus quecumque habes sit pax. 7 Audiui quod tonderent pastores tui

grecarmelo. fuerunt nobiscum in carmelo. Interroga pueros tuos: et indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui graciam in oculis tuis. In die eni bona venimus ad te. quodcumque inuenerit manus tua da seruis tuis: et filio tuo dauid. Cumque venisset pueri dauid· locuti sunt ad nabal omnia verba hec ex nomine dauid: et saluerunt. Respondens autem nabal pueris dauid· ait. Quis est dauid et quis est filius ysai? Hodie increuerunt serui: qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos et aquas meas et carnes pecorum que occidi tonsoribus meis: et dabo viris quos nescio vnde sunt: Regressi sunt autem pueri dauid per viam suam: et reuersi venerunt· et annunciauerunt ei omnia verba que dixerat nabal. Tunc ait dauid pueris Homines isti boni satis fuerunt nobis et non molesti: nec quicquam aliquando cum eis in deserto· pro muro erant nobis tam in nocte quam in die omnibus diebus omnibus quibus pauimus apud eos greges. Quamobrem considera et recogita quid aduersum virum tuum aduersum qui erant nobiscum in deserto. Munquam eis molesti: fuimus: nec aliquando defuit eis de grege omni tempore quo fuerunt nobiscum in carmenlo. [8] Anturroga pueros tuos: et indicabunt tibi. Nunc ergo inueniant pueri tui graciam in oculis tuis. In die enim bona venimus Quodcumque inuenerit manus tua da seruis tuis: et filio tuo dauid. [9] Cumque venissent pueri dauid· locuti sunt ad nabal omnia verba hec ex nomine [10] dauid: tuam: et ipse filius est belial· ita vt nemo Respondens autem nabal pueris dauid· ait. Quis est dauid et quis est filius ysai? Hodie increuerunt serui: qui fugiunt dominos suos. [11] Tollam ergo panes et aquas et carnes pecorum que occidi tonsoribus meis: et dabo viris quos nescio [12] Festinauit dauid per viam suam: et reuersi venerunt· possit ei loqui. dixerat [13] Tunc Festinauit dauid pueris suis. Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladijs suis. Accinctusque est et dauid ense suo: et secuti sunt dauid quasi quadringenti viri. Porro ducenti remanserunt ad sarcinas. [14] Abigail autem vxori nabal· nunciauit vnus de pueris suis dicens. Ecce dauid misit nuncios de deserto vt benedicerent domino nostro: et auersatus est eos. igitur Abigail· [15] Homines isti boni satis nobis et non molesti: nec aliquando perijt omni tempore quo fuimus conuersati cum eis in deserto: [16] muro erant nobis tam in nocte quam in die omnibus diebus quibus apud eos greges. [17] considera et recogita quid facias: quoniam completa est malicia aduersum virum tuum et et aduersum domum tuam: ipse belial· ita vt nemo possit ei loqui. [18] Festinauit igitur abigail· et tulit ducentos panes· et duos vtres vini et quinque arietes coctos et quinque sata polente: et centum ligaturas vue passe· et ducentas massas caricarum· et posuit super asinos: [19] dixitque pueris suis. Precedite me: et ecce ego post tergum sequar vos. Viro autem suo nabal non indicauit. [20] Cum ergo ascendisset asinum et descenderet ad radicem montis: dauid et viri eius descendebant in occursum eius. Quibus et illa occurrit. [21] Et ait dauid. Vere frustra seruaui omnia que huius erant in deserto: et non perijt quicquam de cunctis que ad eum pertinebant: et reddidit michi malum pro bono. [22] Hec faciat dominus inimicis dauid et hec addat: si reliquero de omnibus que ad eum pertinent vsque mane mingentem ad parietem. [23] Cum autem vidisset abigail dauid festinauit et descendit de asino: et procidit coram dauid super faciem suam et adorauit super terram: [24] et cecidit ad pedes eius· et dixit. In me sit domine mi hec iniquitas. Loquatur obsecro ancilla tua in auribus tuis: et audi verba famule tue. [25] Ne ponat oro dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum nabal· quoniam secundum nomen suum stultus est: et est stulticia cum eo. Ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos domine mi· quos misisti. [26] Nunc ergo domine mi viuit dominus et viuit anima tua qui prohibuit te ne venires in sanguinem: et saluauit manum tuam tibi. Et nunc fiant sicut nabal inimici tui: et qui querunt domino meo· malum. [27] Quapropter suscipe benedictionem hanc quam attulit ancilla tua tibi domino meo: et da pueris qui secuntur te dominum meum. [28] Aufer iniquitatem famule tue. Faciens enim faciet dominus tibi domino meo domum fidelem: quia prelia domini domine mi tu preliaris. Malicia ergo non inueniatur in te: omnibus diebus vite tue. [29] Si enim surrexerit aliquando homo persequens te vel querens animam tuam: erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium apud dominum deum tuum. Porro inimicorum tuorum anima rotabitur· quasi in impetu et circulo funde. [30] Cum ergo fecerit tibi dominus domino meo omnia hec que locutus est bona de te· et constituerit te ducem super israhel: [31] non erit tibi hoc in singultum et in scrupulum cordis domino meo quod effuderis sanguinem innoxium: aut ipse te vltus fueris. Et cum benefecerit dominus domino meo· recordaberis ancille tue: [32] et tu benefacies ei. Et ait dauid ad abigail. Benedictus dominus deus israhel qui misit te hodie in occursum meum: et benedictum eloquium tuum: [33] et benedicta tu que prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem et vlciscerer me manu mea. [34] Alioquin viuit dominus deus israhel· qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum michi· non remansisset nabal vsque ad lucem matutinam mingens ad parietem. [35] Suscepit ergo dauid de manu eius· omnia que attulerat ei: dixitque ei. Vade pacifice in domum tuam. Ecce audiui vocem tuam: et honoraui faciem tuam. [36] Venit autem abigail ad nabal. Et ecce erat ei conuiuium in domo eius quasi conuiuium regis: et cor nabal iocundum. Erat enim ebrius nimis: et non indicauit ei verbum pusillum aut grande· vsque mane. [37] Diluculo autem cum digessisset vinum nabal: indicauit ei vxor sua verba hec. Et emortuum est cor eius intrinsecus: et factus est quasi lapis. [38] Cumque pertranssissent decem dies: percussit dominus nabal et mortuus est. [39] Quod cum audisset dauid mortuum esse nabal· ait. Benedictus dominus qui iudicauit causam opprobrij mei de manu nabal: et seruum suum custodiuit a malo: et maliciam nabal reddidit dominus in caput eius. Misit ergo dauid et locutus est ad abigail: vt sumeret eam sibi in vxorem. [40] Et venerunt pueri dauid ad abigail in carmenlum: melum: et locuti sunt ad eam dicentes. Dauid misit nos ad te: vt accipiat te sibi in vxorem. [41] Que consurgens adorauit prona in terram: et ait. Ecce famula tua sit in ancillam: vt lauet pedes seruorum domini mei. [42] Et festinauit et surrexit abigail et ascendit super asinum: et quinque puelle ierunt cum ea pedisseque eius. Et secuta est nuncios dauid: et facta est illi vxor. [43] Sed et achinoem accepit dauid de iesrahel: et fuit vtraque vxor eius. [44] Saul autem dedit michol filiam suam vxorem dauid· falthi filio lais: qui erat de gallim.

26 Et venerunt ziphei ad saul i gabaa· dicentes. Ecce dauid absconditus est in colle achille: que est exaduerso solitudinis. [2] Et surrexit saul et descendit in desertum ziph· et cum eo tria milia virorum de electis israhel: vt quereret dauid in deserto ziph. [3] Et castrametatus est saul in gabaa achille: que erat exaduerso solitudinis in via. Dauid autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset saul post se in desertum: [4] misit exploratores et didicit quod illuc venisset certissime. [5] Et surrexit dauid clam: et venit ad locum vbi erat saul. Cumque vidisset locum in quo dormiebat saul et abner filius ner principem milicie eius· et saulem dormientem in tentorio et reliquum vulgus per circuitum eius: [6] ait dauid ad achimelech etheum et abisai filium saruie fratrem ioab dicens. Quis descendet mecum ad saul in castra? Dixitque abisai. Ego descendam tecum. [7] Venerunt ergo dauid et abisai ad populum nocte: et inuenerunt saul iacentem et dormientem in tentorio· et hastam fixam in terra ad caput eius: abner autem et populum dormientes in circuitu eius. [8] Dixitque abisai ad dauid. Conclusit deus inimicum tuum hodie iu manus tuas. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel: et secundo opus non erit. [9] Et dixit dauid ad abisai. Ne interficias eum. Quis enim extendet manum suam in cristum domini: et innocens erit? [10] Et dixit dauid. Viuit dominus: quia nisi dominus percusserit eum aut dies eius venerit vt moriatur· aut in prelium descendens perierit: [11] propicius michi sit dominus ne extendam manum meam in cristum domini. Nunc igitur tolle hastam que est ad caput eius et ciphum aque: et abeamus. [12] Tulit igitur dauid hastam· et ciphum aque qui erat ad caput eius: et abierunt. Et non erat quisquam qui videret et intelligeret et euigilaret: sed omnes dormiebant: quia sopor domini irruerat super eos. [13] Cumque transsisset dauid et stetisset in vertice montis delonge et esset grande interuallum inter eos: [14] clamauit dauid ad populum et ad abner filium ner dicens. Nonne respondebis abner? Et respondens abner ait. Quis es tu qui clamas: et inquietas regem? [15] Et ait dauid ad abner. Nunquid non vir tu es? et quis alius similis tui in israhel? Quare ergo non custodisti dominum tuum regem? Ingressus est enim vnus de turba: vt interficeret regem dominum

tuum. 16 Non est bonum hoc quod fecisti. Viuit dominus quoniam filij mortis estis vos: quia non custodistis dominum vestrum cristum domini. Nunc ergo vide vbi sit hasta regis: et vbi sit ciphus aque qui erat ad caput eius. 17 Cognouit autem saul vocem dauid: et dixit. Nunquid vox hec tua fili mi dauid? Et ait dauid. Vox mea domine mi rex. 18 Et ait. Quamobcausam dominus meus persequitur seruum suum? Quid feci: aut quod est malum in manu mea? 19 Nunc ergo audi oro domine mi rex verba serui tui. Si dominus incitat te aduersum me: odoretur sacrificium. Si autem filij hominum: maledicti sunt in conspectu domini qui eiecerunt me hodie vt non habitem in hereditate domini· dicentes: vade serui dijs alienis. 20 Et nunc non effundatur sanguis meus in terra coram domino: quia egressus est rex israhel vt quereret pulicem vnum sicut persequitur perdix in montibus. 21 Et ait saul. Peccaui. Reuertere fili mi dauid. Nequaquam enim vltra tibi malefaciam· eo quod preciosa fueit anima mea in oculis tuis hodie. Apparet enim quod stulte egerim: et ignorauerim multa nimis. 22 Et respondens dauid ait. Ecce hasta regis: transeat vnus de pueris regis et tollat eam. 23 Dominus autem retribuet vnicuique· secundum iusticiam suam et fidem. Tradidit enim te dominus hodie in manum meam: et nolui extendere manum meam in cristum domini. 24 Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis: sic magnificetur anima mea in oculis domini: et liberet me de omni angustia. 25 Ait ergo saul ad dauid. Benedictus tu fili mi dauid. Et quidem faciens facies: et potens poteris. Abijt autem dauid in viam suam: et saul reuersus est in locum suum.

27 Et ait dauid in corde suo. Aliquando incidam vna die in manus saul. Nonne melius est vt fugiam· et saluer in terra philistinorum: vt desperet saul· cessetque me querere in cunctis finibus israhel? Fugiam ergo manus eius. 2 Et surrexit dauid: et abijt ipse et sexcenti viri cum eo ad achis filium maoch regem geth. 3 Et habitauit dauid cum achis in geth: ipse et viri eius: et domus eius et due vxores eius· achinoem iesrahelitis· et abigail vxor nabal carmeli. 4 Et nunciatum est saul quod fugisset dauid in geth: et non addidit vltra querere eum. 5 Dixit autem dauid ad achis. Si inueni graciam in oculis tuis: detur michi locus in vna vrbium regionis huius vt habitem ibi. Cur enim manet seruus tuus in ciuitate regis tecum? 6 Dedit itaque ei achis in die illa sicelech. quamcausam facta est sicelech regum iuda: vsque in diem hanc. 7 Fuit autem numerus dierum quibus habitauit dauid in regione philistinorum quatuor mensium. 8 Et ascendit dauid et viri eius: et agebant predas de gesuri· et de gezre· et de amalechitis. Hij enim pagi habitabantur in terra antiquitus· euntibus sur vsque ad terram egipti. 9 Et percutiebat dauid omnem terram illorum nec reliquebat viuentem virum et mulierem: tollensque oues et boues et asinos et camelos et vestes reuertebatur: et veniebat ad achis. 10 Dicebat autem ei achis. In quem irruistis hodie? Respondebat dauid. Contra meridiem iude et contra meridiem hieramel: et contra meridiem ceni. 11 Virum et mulierem non viuificabat dauid: nec adducebat in geth dicens: ne forte loquantur aduersum nos. Hec fecit dauid: et hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitauit in regione philistinorum. 12 Credidit ergo achis dauid dicens. Multa mala operatus est contra populum suum israhel. Erit igitur michi seruus sempiternus.

28 Factum est autem in diebus. illis: congregauerunt philistijm agmina sua vt prepararentur ad bellum contra israhel. Dixitque achis ad dauid. Sciens nunc scito: quoniam mecum egredieris in castris· tu et viri tui. 2 Dixitque dauid ad achis. Nunc scies que facturus est seruus tuus. Et ait achis ad dauid. Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus. 3 Samuel autem mortuus est planxitque eum omnis israhel: et sepelierunt eum in ramatha vrbe sua. Et saul abstulit magos et ariolos de terra: et interfecit eos qui phitones habebant in ventre. 4 Congregatique sunt philistijm: et venerunt et castrametati sunt in sunam. Congregauit autem et saul vniuersum israhel: et venit in gelboe. 5 Et vidit saul castra philistiim et timuit: et expauit cor eius nimis. 6 Consuluitque dominum: et non respondit ei neque per somnia neque per sacerdotes neque per prophetas. 7 Dixitque saul seruis suis. Querite michi mulierem habentem phitonem: et vadam ad eam et sciscitabor per illam. Et dixerunt serui eius ad eum. Est mulier phitonem habens in endor. 8 Mutauit ergo habitum suum· vestitusque est alijs vestimentis: et abijt ipse et duo viri cum eo: veneruntque ad mulierem nocte· et ait illi. Diuina michi in phitone: et suscita michi quem dixero tibi. 9 Et ait mulier ad eum. Ecce tu nosti quanta fecerit saul: et quomodo eraserit magos et ariolos de terra. Quare ergo insidiaris anime mee vt occidar? 10 Et iurauit ei saul in domino dicens. Viuit dominus: quia non eueniet tibi quicquam mali propter hanc rem. 11 Dixitque ei mulier. Quem suscitabo tibi? Qui ait. Samuelem suscita michi. 12 Cum autem vidisset mulier samuelem· exclamauit voce magna: et dixit ad saul. Quare imposuisti michi? Tu es enim saul. 13 Dixitque ei rex. Noli timere. Quid vidisti? Et ait mulier ad saul. Deos vidi ascendentes de terra. 14 Dixitque ei. Qualis est forma eius? Que ait. Vir senex ascendit: et ipse amictus est pallio. Et intellexit saul quod samuel esset: et inclinauit se super faciem suam in terra: et adorauit. 15 Dixit autem samuel ad saul. Quare inquietasti me vt suscitarer? Et ait saul. Coartor nimis. Si quidem philistijm pugnant aduersum me· et deus recessit a me: et exaudire me noluit neque in manu prophetarum neque per somnia. Vocaui ergo te: vt ostendes michi quid faciam. 16 Et ait samuel. Quid interrogas me cum dominus recesserit a te· et transierit ad emulum tuum? 17 Faciet enim tibi dominus· sicut locutus est in manu mea: et scindet regnum tuum de manu tua· et dabit illud proximo tuo dauid: 18 quia non obedisti voci domini· neque fecisti iram furoris eius in amelech. Idcirco quod pateris fecit tibi dominus hodie: 19 et dabit dominus eciam israhel tecum in manu philistijm. Cras autem tu et filij tui mecum eritis: sed et castra israhel tradet dominus in manus philistijm. 20 Statimque saul cecidit porrectus in terram. Extimuerat enim verba samuelis et robur non erat in eo: quia non comederat panem tota die illa. 21 Ingressa est itaque mulier illa ad saul. Conturbatus enim erat valde. Dixitque ad eum. Ecce obediuit ancilla tua voci tue· et posui animam meam i manu mea: et audiui sermones tuos quos locutus es ad me. 22 Nunc igitur audi et tu vocem ancille tue: et ponam coram te buccellam panis vt comedens conualescas: et possis iter agere. 23 Qui renuit et ait. Non comedam. Coegerunt autem eum serui sui et mulier: et tandem audita voce eorum surrexit de terra: et sedit super lectum. 24 Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo: et festinauit et occidit eum. Tollensque farinam miscuit eam et coxit azima: 25 et posuit ante saul et ante seruos eius. Qui cum comedissent surrexerunt: et ambulauerunt per totam noctem illam.

29 Congregata sunt ergo agmina philistijm vniuersa in aphec. Sed et israhel castrametatus est super fontem qui erat in iesrahel. 2 Et satrape quidem philistijm incedebant in centurijs et milibus: dauid autem et viri eius erant in nouissimo agmine cum achis. 3 Dixeruntque principes philistijm ad achis. Quid sibi volunt hebrei isti? Et ait achis ad principes philistijm. Nunquid ignoratis dauid qui fuit seruus saul regis israhel et est apud me multis diebus vel annis? Et non inueni in eo quicquam ex die qua transfugit ad me: vsque ad diem hanc. 4 Irati sunt autem aduersus eum principes philistijm: et dixerunt ei. Reuertatur vir et sedeat in loco suo in quo constituisti eum: et non descendat nobiscum in prelium: ne fiat nobis aduersarius cum preliari ceperimus. Quomodo enim aliter poterit placare dominum suum: nisi in capitibus nostris? 5 Nonne iste est dauid cui cantabant in choris dicentes percussit saul in milibus suis: et dauid in decem milibus suis? 6 Vocauit ergo achis dauid: et ait ei. Viuit dominus quia rectus es et bonus in conspectu meo: et exitus tuus et introitus tuus mecum est in castris. Et non inueni in te quicquam mali· ex die qua venisti ad me vsque in diem hanc: sed satrapis non places. 7 Reuertere ergo et vade in pace: et non offendas oculos satraparum philistijm. 8 Dixitque dauid ad achis. Quid enim feci: et quid inuenisti in me seruo tuo a die qua fui in con spectu tuo vsque in diem hanc· vt non veniam et pugnem contra inimicos domini mei regis? 9 Respondens autem achis· locutus est ad dauid. Scio quia bonus es tu in oculis meis sicut angelus dei: sed principes philistinorum dixerunt. Non ascendet nobiscum in prelium. 10 Igitur consurge mane tu et serui domini tui qui venerunt tecum: et cum denocte surrexeritis et ceperit dilucescere pergite. 11 Surrexit itaque denocte

dauid ipse et viri eius: vt proficiscerentur mane et reuerterentur ad terram philistijm. Philistijm autem ascenderunt in iesrahel.

30 Cumque venissent dauid. et viri eius in sicelech die tercia: amalechite impetum fecerunt ex parte australi in sicelech: et percusserant sicelech et incenderunt eam igni. [2] Et captiuas duxerunt mulieres ex ea a minimo vsque ad magnum: et non interficerunt quemquam: sed secum duxerunt et pergebant itinere suo. [3] Cum ergo venisset dauid et viri eius ad ciuitatem et inuenissent eam succensam igni et vxores suas et filios suos et filias ductas esse captiuas: [4] leuauerunt dauid et populus qui erat cum eo voces suas: et planxerunt donec deficerent in eis lacrime. [5] Siquidem et due vxores dauid captiue ducte fuerant: achinoem iesrahelites· et abigail vxor nabal carmeli. [6] Et contristatus est dauid valde. Volebat enim eum populus lapidare: quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filijs suis et filiabus. Confortatus est autem dauid in domino deo suo: [7] et ait ad abiathar sacerdotem filium achimelech. Applica ad me ephot. Et aplicauit abiathar ephot ad dauid: [8] et consuluit dauid dominum dicens. Persequar latrunculos hos et comprehendam eos an non? Dixitque ei dominus. Persequere: absque dubio enim comprehendes eos: et excucies predam. [9] Abijt ergo dauid· ipse et sexcenti viri qui erant cum eo et venerunt vsque ad torrentem besor: et lassi quidam substiterunt. [10] Persecutus est autem dauid: ipse et quadringenti viri cum eo: substiterant enim ducenti: qui lassi transire non poterant torrentem besor. [11] Et inuenerunt virum egiptium in agro: et adduxerunt eum ad dauid. Dederuntque ei panem vt comederet et biberet aquam: [12] sed et fragmen masse carum et duas ligaturas vuepasse. Qui cum comedisset reuersus est spiritus eius: et refocillatus est. Non enim comederat panem neque biberat aquam: tribus diebus et tribus noctibus. [13] Dixit itaque ei dauid. Cuius es tu vel vnde: et quo pergis? Qui ait. Puer egipcius ego sum: seruus viri amelechite. Dereliquit autem me dominus meus: quia egrotare cepi nudiustercius. [14] Siquidem nos erumpimus ad australem plagam cerethi· et contra iudam et ad meridiem caleph: et sicelech succendimus igni. [15] Dixitque ei dauid. Potes me ducere ad istum cuneum? Qui ait. Iura michi per deum· quod non occidas me· et non tradas me in manus domini mei: et ego ducam te ad cuneum istum. Et iurauit ei dauid. [16] Qui cum duxisset eum: ecce illi discumbebant super faciem vniuerse terre· comedentes et bibentes et quasi festum celebrantes diem· pro cuncta preda et spolijs que ceperant de terra philistijm: et de terra iuda. [17] Et percussit eos dauid a vespa vsque ad vesperam alterius diei: et non euasit ex eis quisquam nisi tantum quadringenti viri adolescentes qui ascenderant camelos et fugerant. [18] Eruit ergo dauid omnia que tulerant amalechite: et duas vxores suas eruit. [19] Nec defuit quisquam a paruo vsque ad magnum tam de filijs quam de filiabus et de spolijs: et quecumque rapuerant omnia reduxit dauid: [20] et tulit vniuersos greges et armenta et minauit ante faciem suam. Dixeruntque. Hec est preda dauid. [21] Venit autem dauid ad ducentos viros qui lassi substiterant nec sequi poterant dauid: et residere eos iusserat in torrente besor. Qui egressi sunt obuiam dauid: et populo qui erat cum eo. Accedens autem dauid ad populum: salutauit eos pacifice. [22] Respondensque omnis vir pessimus et iniquus de viris qui erant cum dauid dixit. Quia non venerunt nobiscum non dabimus eis quicquam de preda quam eruimus: sed sufficiat vnicuique vxor sua et filij: quos cum acceperint: recedant. [23] Dixit autem dauid. Non sic facietis fratres mei de hijs que tradidit nobis dominus et custodiuit nos? et dedit latrunculos qui eruperant aduersum vos in manus nostras: [24] nec audiet vos quisquam super sermone hoc. Equa enim pars erit descendentis ad prelium et remanentis ad sarcinas: et similiter diuident. [25] Et factum est hoc ex die illa et deinceps constitutum et prefinitum et quasi lex in israhel: vsque in diem hanc. [26] Venit ergo dauid in sicelech: et misit dona de preda senioribus iuda proximis suis dicens. Accipite benedictionem de preda hostium domini. [27] Hijs qui erant in bethel· et qui in ramoth ad meridiem: et qui in gether· [28] et qui in aroer et qui in sephamot· et qui in esthama [29] et qui in rachal et qui in vrbibus iherameli· et qui in vrbibus ceni· [30] et qui in rama· et qui in lacu asan· et qui in athach· [31] et qui in ebron: et reliquis qui erant in hijs locis in quibus commoratus fuerat dauid et viri eius.

31 Philistijm autem pugnabant aduersum israhel. Et fugerunt viri israhel ante faciem philistijm: et ceciderunt interfecti in monte gelboe. [2] Irrueruntque philistijm in saul et in filios eius: et percusserunt yonathan· et aminadab· et melchisue filios saul: [3] totumque pondus prelij versum est in saul. Et consecuti sunt eum viri sagittarij: et vulneratus est vehementer a sagittarijs. [4] Dixitque saul ad armigerum suum. Euagina gladium tuum et interfice me: ne forte veniant incircumcisi isti et interficiant me illudentes michi. Et noluit armiger eius: fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit itaque saul gladium suum: et irruit super eum. [5] Quod cum vidisset armiger eius videlicet quod mortuus esset saul: irruit eciam ipse super gladium suum et mortuus est cum eo. [6] Mortuus est ergo saul et tres filij eius et armiger illius: et vniuersi viri eius in die illa pariter. [7] Videntes autem filij israhel qui erant trans vallem et trans iordanem quod fugissent viri israhelite· et quod mortuus esset saul et tres filij eius: reliquerunt ciuitates suas et fugerunt. Veneruntque philistijm: et habitauerunt ibi. [8] Facta autem die altera venerunt philistijm vt expoliarent interfectos: et inuenerunt saul et tres filios eius iacentes in monte gelboe. [9] Et preciderunt caput saul et expoliauerunt eum armis: et miserunt in terram philistinorum per circuitum: vt annunciaretur in templo ydolorum et in populis. [10] Et posuerunt arma eius in templo astaroth: corpus vero eius suspenderunt in muro bethsan. [11] Quod cum vidissent habitatores iabes galaad quecumque fecerant philistijm saul: [12] surrexerunt omnes viri fortissimi et ambulauerunt tota nocte cadauera et tulerunt cadauera saul et cadauera filiorum eius de muro bethsan. Veneruntque viri iabes galaad: et combusserunt igni [13] et tulerunt ossa eorum et sepelierunt in nemore iabes: et ieiunauerunt septem diebus. Factum est autem postquam Factum est autem postquam mortuus est saul vt mortuus est saul vt dauid reuerteretur a dauid reuerteretur a cede amalech: et macede amalech: et maneret in sicelech duas ea igni

Regum II

Incipit liber regum secundus.

1 Factum est autem postquam mortuus est saul vt dauid reuerteretur a cede amalech: et maneret in sicelech duas dies. [2] In die autem tercio apparuit homo veniens de castris saul veste conscissa: et puluere conspersus caput. Et vt venit ad dauid cecidit super faciem suam: et adorauit. [3] Dixitque ad eum dauid. Vnde venis? Qui ait ad eum. De castris israhel fugi. [4] Et dixit ad eum dauid. Quod est verbum quod factum est? Indica michi. Qui ait. Fugit populus ex prelio: et multi corruentes e populo mortui sunt: sed et saul et ionathas filius eius inteierunt. [5] Dixitque dauid ad adolescentem qui nunciabat ei. Vnde scis quia mortuus est saul et ionathas filius eius? [6] Ait adolescens qui nunciabat ei. Casu veni in montem gelboe· et saul incumbebat super hastam suam: porro currus et equites appropinquabant ei: [7] et conuersus post tergum suum· videnque me vocauit. Cui cum respondissem assum: [8] dixit michi. Quis nam es tu? Et aio ad eum. Amalechites ego sum. [9] Et locutus est michi. Sta super me· et interfice me quoniam tenent me angustie: et adhuc tota anima mea in me est. [10] Stansque super eum· occidi illum. Sciebam enim quod viuere non poterat post ruinam. Et tuli diadema quod

erat in capite eius: et armillam de brachio illius: et attuli ad te dominum meum huc. [11] Apprehendens autem dauid vestimenta sua scidit· omnesque viri qui erant cum eo: [12] et planxerunt et fleuerunt et ieiunauerunt vsque ad vesperam super saul et super ionathan filium eius et super populum domini· et super domum israhel: eo quod corruissent gladio. [13] Dixitque dauid ad iuuenem qui nunciauerat ei. Vnde es tu? Qui respondit. Filius hominis aduene amalechite ego sum. [14] Et ait ad eum dauid. Quare non timuisti mittere manum tuam· vt occideres cristum domini? [15] Vocansque dauid vnum de pueris suis ait. Accendens dens irrue in eum. Qui percussit illum: et mortuus est. [16] Et ait ad eum dauid. Sanguis tuus super caput tuum. Os enim tuum locutum est aduersum te dicens: ego interfeci cristum domini. [17] Planxit autem dauid planctum huiuscemodi super saul et super ionathan filium eius: [18] et precepit vt docerent filios iuda planctum sicut scriptum est in libro iustorum. Et ait. Considera israhel pro hijs qui mortui sunt: super excelsa tua vulnerati. [19] Incliti israhel super montes tuos interfecti sunt. Quomodo ceciderunt fortes? [20] Nolite annunciare in geth· neque annuncietis in compitis ascalonis: ne forte letentur filie philistijm· ne exultent filie incircumcisorum. [21] Montes gelboe nec ros nec pluuia· veniant super vos. Neque sint agri primiciarum: quia ibi abiectus est clipeus fortium: clipeus saul quasi non esset vnctus oleo [22] a sanguine interfectorum ab adipe fortium. Sagitta ionathe nunquam redijt retrorsum: et gladius saul non est reuersus inanis. [23] Saul et ionathas amabiles et decori valde in vita sua: in morte que non sunt diuisi. Aquilis velociores: leonibus fortiores. [24] Filie israhel super saul flete qui vestiebat vos coccino in delicijs: qui prebebat ornamenta aurea cultui vestro. [25] Quomodo ceciderunt fortes in prelio? Ionathas in excelsis tuis occisus est. [26] Doleo super te frater mi ionatha decore nimis: et amabiles super amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium suum: ita ego te diligebam. [27] Quomodo ceciderunt robusti: et perierunt arma bellica.

2 Igitur post hec consuluit dauid dominum dicens. Num ascendam in vnam de ciuitatibus iuda? Et ait dominus ad eum. Ascende. Dixitque dauid. Quo ascendam? Et respondit ei. In hebron. [2] Ascendit ergo dauid et due vxores eius achinoem iesrahelites et abigail vxor nabal carmeli: [3] sed et viros qui erant cum eo duxit dauid singulos cum domo sua: et manserunt in opidis hebron. [4] Veneruntque viri iuda et vnxerunt ibi dauid: vt regnaret super domum iuda. Et nunciatum est dauid: quod viri iabes galaad seplissent saul. [5] Misit ergo dauid nuncios ad viros iabes galaad: dixitque ad eos. Benedicti vos a domino qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro saul: et sepelistis eum. [6] Et nunc retribuet quidem vobis dominus misericordiam et veritatem: et ego reddam graciam eo quod fecistis verbum istud. [7] Confortentur manus vestre: et estote filij fortitudinis· licet enim mortuus sit dominus vester saul: tamen me vnxit domus iuda in regem sibi. [8] Abner autem filius ner princeps exercitus saul tulit hisboseth filium saul· et circumduxit eum per castra: [9] regemque constituit super galaad et super iessuri et super iesrahel et super ephraim· et super beniamin et super israhel vniuersum. [10] Quadraginta annorum erat hisboseth filius saul cum regnare cepisset super israhel: et duobus annis regnauit. Sola autem domus iuda sequebatur dauid. [11] Et fuit numerus dierum quos commoratus est dauid imperans in hebron super domum iuda: septem annorum et sex mensium. [12] Egressusque est abner filius ner et pueri hisboseth filij saul de castris in gabaon: [13] porro ioab filius sarme et pueri dauid egressi sunt· et occurrerunt eis iuxta piscinam gabaon. Et cum in vnum conuenissent: eregione sederunt hij vna parte piscine: et illi ex altera. [14] Dixitque abner ad ioab. Surgant pueri: et ludant coram nobis. Et respondit ioab. Surgant. [15] Surrexerunt ergo et transierunt numero duodecim de beniamin ex parte hisboseth filij saul: et duodecim de pueris dauid. [16] Apprehensoque vnusquisque capite comparis sui defixit gladium in latus contrarij: et ceciderunt simul. Vocatumque est nomen loci illius· ager robustorum in gabaon. [17] Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatusque est abner et viri israhel a pueris dauid. [18] Erant autem ibi tres filij sarme: ioab et abisai et asahel. Porro asahel cursor velocissimus fuit: quasi vnus capreis que morantur in siluis. [19] Persequebatur autem asahel abner: et non declinauit: ad dexteram siue ad sinistram omittens persequi abner. [20] Respexit itaque abner post tergum suum· et ait. Tu ne es asahel? Qui respondit. Ego sum. [21] Dixitque ei abner. Vade ad dexteram siue ad sinistram et apprehende vnum de adolescentibus: et tolle tibi spolia eius. Noluit autem asahel omittere: quin vrgeret eum. [22] Rursumque locutus est abner ad asahel. Recede et noli me sequi: ne forte compellar confodere te in terram: et leuare non potero faciem meam ad ioab fratrem tuum. [23] Qui audire contempsit: et noluit declinare. Percussit ergo eum abner auersa hasta in inguine et transfodit: et mortuus est in eodem loco. Omnesque qui transibant per locum illum in quo ceciderat asahel et mortuus erat subsistebant. [24] Persequentibus autem ioab et abisai fugientem abner: sol occubuit. Et venerunt vsque ad collem aque ductus: qui est exaduerso vallis et itineris deserti in gabaon. [25] Congregatique sunt filij beniamin ad abner: et conglobati in vnum cuneum· steterunt in summitate tumuli vnius. [26] Et exclamauit abner ad ioab: et ait. Num vsque ad internecionem tuus mucro deseuiet? An ignoras quod periculosa sit desperacio? vsquequo non dicis populo vt omittat persequi fratres suos? [27] Et ait ioab. Viuit dominus: si locutus fuisses mane: recessisset populus persequens fratrem suum. [28] Insonuit ergo ioab bucina et stetit omnis exercitus: nec persecuti sunt vltra israhel: neque iniere certamen. [29] Abner autem et viri eius abierunt per campestria moab tota nocte illa et transierunt iordanem: et lustrata omni bethoron venerunt ad castra. [30] Porro ioab reuersus omisso abner congregauit omnem populum: et defuerunt de pueris dauid· decem et nouem viri excepto asahele. [31] Serui autem dauid percusserunt de beniamin et de viris qui erant cum abner· trecentossexaginta mortui sunt. [32] Tuleruntque asahel: et sepelierunt eum in sepulcro patris sui in bethleem. Et ambulauerunt tota nocte ioab et viri qui erant cum eo: et in ipso crepusculo peruenerunt in hebron.

3 Facta est ergo longa concertatio: inter domum dauid et inter domum saulis: dauid proficiens et semper seipso robustior: domus autem saul decrescens cotidie. [2] Natique sunt filij dauid in hebron. Fuitque primogenitus eius amon de achinoem iesrahelite: [3] et post eum cheleab de abigail vxore nabal carmeli. Porro tercius absolon: filius maacha filie tholomai regis gessur. [4] Quartus autem adonias filius agith: et quintus saphacias filius abithal. [5] Sextus quoque ihetraam: de egla vxore dauid. Hij nati sunt dauid in hebron. [6] Cum ergo esset prelium inter domum saul et domum dauid: abner filius ner regebat domum saul. [7] Fuerat autem sauli concubina nomen respha· filia achia: ingressusque est ad eam abner. Dixitque isboseth ad abner. [8] Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba isboseth: ait. Nunquid caput canis ego sum aduersum iudam hodie· qui feceri misericordiam super domum saul patris tui· et super fratres et proximos eius: et non tradidi te in manu dauid· et tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie? [9] Hec faciat deus abner· et hec addat ei: nisi quomodo iurauit dominus dauid sic faciam cum eo [10] vt transferatur regnum de domo saul: et eleuetur tronus dauid super israhel et super iudam a dan vsque bersabee. [11] Et non potuit respondere ei quicquam: quia metuebat illum. [12] Misit ergo abner nuncios ad dauid in hebron pro se dicentes. Cuius est terra? et vt loquerentur. Fac mecum amicicias et erit manus mea tecum: et reducam ad te vniuersum israhel. [13] Qui ait optime. Ego faciam tecum amicicias: sed vnam rem peto a te dicens. Non videbis faciem meam· antequam adduxeris michi michol filiam saul: et sic venies et videbis me. [14] Misit autem dauid nuncios ad hisboseth filium saul dicens. Redde vxorem meam michol: quam despondi michi centum prepucijs philistijm. [15] Misit ergo hisboseth: et tulit eam a viro suo faltihel filio lais. [16] Sequebaturque eam vir suus plorans vsque baurim: et dixit ad eum abner. Vade et reuertere. Qui reuersus est. [17] Sermonem que intulit abner ad seniores israhel dicens. Tam heri quam nudiustercius querebatis dauid vt regnaret super vos. [18] Nunc ergo facite: quoniam dominus locutus est ad dauid dicens. In manu serui mei dauid saluabo populum meum israhel: de manu philistijm et omnium inimicorum eius. [19] Locutus est autem abner eciam ad beniamin. Et abijt vt loqueretur ad dauid in hebron omnia que placuerant israheli et vniuerso beniamin: [20] venitque ad dauid in hebron cum

viginti viris. Et fecit dauid abner et viris eius qui venerant cum eo conuiuium. [21] Et dixit abner ad dauid. Surgam vt congregem ad te dominum meum regem omnem israhel et ineam tecum fedus: et imperes omnibus sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset dauid abner· et ille isset in pace: [22] statim pueri dauid et ioab venerunt cesis latronibus cum preda magna nimis. Abner autem non erat cum dauid in hebron: quia iam dimiserat eum et profectus fuerat in pace: [23] et ioab et omnis exercitus qui erant cum eo: postea venerant. Nunciatum est itaque ioab a narrantibus. Venit abner filius ner ad regem: et dimisit eum et abijt in pace. [24] Et ingressus est ioab ad regem et ait. Quid fecisti? Ecce venit abner ad te. Quare dimisisti eum et abijt et recessit? [25] Ignoras abner filium ner quoniam ad hoc venit ad te vt deciperet te· et sciret exitum tuum et introitum tuum: et nosset omnia que agis? [26] Egressus itaque ioab a dauid misit nuncios post abner: et reduxit eum a cisterna sira ignorante dauid. [27] Cumque redisset abner in hebron seorsum abduxit eum ioab ad medium porte vt loqueretur ei in dolo: et percussit illum ibi in inguine et mortuus est: in vlcionem sanguinis asahel fratris eius. [28] Quod cum audisset dauid rem iam gestam· ait. Mundus ego sum et regnum meum apud deum vsque in sempiternum a sanguine abner filij ner: [29] et veniat super caput ioab· et super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo ioab fluxum seminis sustinens et leprosus· et tenens fusum: et cadens gladio et indigens pane. [30] Igitur ioab et abisai frater eius interfecerunt abner: eo quod occidisset asahel fratrem eorum in gabaon in prelio. [31] Dixit autem dauid ad ioab: et ad omnem populum qui erat cum eo. Scindite vestimenta vestra et accingimini saccis: et plangite ante exequias abner. Porro rex dauid sequebatur feretrum. [32] Cumque sepelissent abner in hebron leuauit rex dauid vocem suam: et fleuit super tumulum abner. Fleuit autem et omnis populus. [33] Plangensque rex et lugens abner· ait. Nequaquam vt mori solent ignaui: mortuus es abner. [34] Manus tue ligate non sunt et pedes tui non sunt compedibus aggrauati: sed sicut solent cadere coram filijs iniquitatis sic corruisti. Congeminansque omnis populus: fleuit super eum. [35] Cumque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum dauid clara adhuc die: iurauit dauid dicens. Hec faciat michi deus et hec addat: si ante occasum solis gustauero panem vel aliud quicque. [36] Omnisque populus audiuit: et placuerunt eis cuncta que fecit rex in conspectu omnis populi. [37] Et cognouit omne vulgus et vniuersus israhel in die illa: quoniam non actum fuisset a rege vt occideretur abner filius ner. [38] Dixitque rex ad seruos suos. Num ignoratis quoniam princeps et maximus cecidit hodie in israhel? [39] Ego autem adhuc delicatus et vnctus rex. Porro viri isti filij sarme duri michi sunt. Retribuat dominus facienti malum iuxta maliciam suam.

4 Audiuit autem hisboseth filius saul quod cecidisset abner in hebron et dissolute sunt manus eius: omnisque israhel perturbatus est. [2] Duo autem viri principes latronum erant filio saul: nomen vni banaa et nomen alteri rechab filij remmon berothite de filijs beniamin. Siquidem et beroth reputata est in beniamin. [3] Et fugerunt berothite in gethaim: fueruntque ibi aduene vsque ad tempus illud. [4] Erat autem ionathe filio saul filius debilis pedibus. Quinquennis enim fuit quando venit nuncius de saul et ionatha ex iesrahel. Tollens itaque eum nutrix sua fugit. Cumque festinaret vt fugeret cecidit: et claudus effectus est: habuitque vocabulum miphiboseth. [5] Venientes igitur filij remmon berothite rechab et banaa ingressi sunt feruente die domum hisboseth. Qui dormiebat super stratum suum meridie: et ostiaria domus purgans triticum obdormiuit. [6] Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici: et percusserunt eum in inguine rechab et banaa frater eius: et fugerunt. [7] Cum autem ingressi fuissent domum ille dormiebat super lectum suum in conclaui: et percucientes interfecerunt eum. Sublatoque capite eius abierunt per viam deserti tota nocte: [8] et attulerunt caput hisboseth ad dauid in hebron. Dixeruntque ad regem. Ecce caput hisboseth filij saul inimici tui qui querebat animam tuam: et dedit dominus domino nostro regi vlcionem hodie: de saul et de semine eius. [9] Respondens autem dauid rechab et banaa fratri eius filijs remmon berothite: dixit ad eos. Viuit dominus qui eruit animam meam de omni angustia: [10] quoniam eum qui annunciauerat michi et dixerat mortuus est saul qui putabat se prospera nunciare tenui et occidi eum in sicelech: cui oportebat me mercedem dare pro nuncio. [11] Quantomagis nunc cum homines impij interfecerunt virum innoxium in domo sua super lectum suum non queram sanguinem eius de manu vestra: et auferam vos de terra? [12] Precepit itaque dauid pueis suis: et interfecerunt eos: precidentesque manus et pedes eorum suspenderunt eos super piscinam in hebron. Caput autem hisboseth tulerunt: et sepelierunt in sepulcro abner in hebron.

5 Et venerunt vniuerse tribus israhel ad dauid in hebron dicentes. Ecce nos os tuum et caro tua sumus. [2] Sed et heri et nudiustercius cum esset saul rex super nos: tu eras educens et reducens israhel. Dixit autem dominus ad te. Tu pasces populum meum israhel: et tu eris dux super israhel. [3] Venerunt quoque et semores israhel ad regem: et percussit cum eis rex dauid fedus in hebron coram domino: vnxeruntque dauid in regem super israhel. [4] Filius triginta annorum erat dauid cum regnare cepisset: et quadraginta annis regnauit. [5] In hebron regnauit super iudam septem annis: et sex mensibus: in iherusalem autem regnauit triginta tribus annis super omne israhel et iudam. [6] Et abijt rex et omnes viri qui erant cum eo in iherusalem ad iebuseum habitatorem terre. Dictumque est dauid ab eis. Non ingredieris huc nisi abstuleris cecos et claudos dicentes. Non ingredietur dauid huc. [7] Cepit autem dauid arcem syon: hec est ciuitas dauid. [8] Proposuerat enim dauid in die illa premium qui percussisset iebuseum· et tetigisset domatum fistulas: et abstulisset cecos et claudos odientes animam dauid. Idcirco dicitur in prouerbio. Cecus et claudus non intrabunt in templum. [9] Habitauit autem dauid in arce syon et vocauit eam ciuitatem dauid: et edificauit per girum a mello et intrinsecus. [10] Et egrediebatur proficiens atque succrescens: et dominus deus exercituum erat cum eo. [11] Misit quoque hiram rex tiri nuncios ad dauid et ligna cedrina· et artifices lignorum· artificesque lapidum ad parietes: et edificauerunt domum dauid. [12] Et cognouit dauid quoniam confirmasset eum dominus regem super israhel: et quoniam exaltasset regnum eius super populum suum israhel. [13] Accepit ergo dauid adhuc concubinas et vxores de iherusalem: postquam venerat de hebron. Natique sunt dauid et alij filij et filie: [14] et hec nomina eorum qui nati sunt ei in iherusalem. Samua et sobab· et nathan· et salomon· [15] et ibaar· et helisua· et nepheg· [16] et raphia· et helisama· et helida· et helifelech. [17] Audierunt ergo philistijm quod vnxissent dauid in regem super israhel: et ascenderunt vniuersi vt quererent dauid. Quod cum audisset dauid: descendit in presidium. [18] Philistijm autem venientes diffussi sunt in valle raphaim. [19] Et consuluit dauid dominum dicens. Si ascendam ad philistijm· et si dabis eos in manu mea? Et dixit dominus ad dauid. Ascende: quia tradens dabo philistijm in manu tua. [20] Venit ergo dauid ad baalpharasim: et percussit eos ibi et dixit. Diuisit dominus inimicos meos coram me: sicut diuiduntur aque. Propterea vocatum est nomen loci illius baalpharasim. [21] Et reliquerunt ibi sculptilia sua: que tulit dauid et viri eius. [22] Et addiderunt adhuc philistiimut ascenderent: et diffussi sunt in valle raphaim. [23] Consuluit autem dauid dominum. Si ascendam contra philisteos: et tradas eos in manus meas? Qui respondit. Non ascendas contra eos sed gira post tergum eorum: et venies ad eos exaduerso pirorum. [24] Et cum audieris sonitum clamoris gradientis in cacumine pirorum tunc inibis prelium: quia tunc egredietur dominus ante faciem tuam: vt percutiat castra philistijm. [25] Fecit itaque dauid sicut preceperat ei dominus: et percussit philistijm de gabaa vsque dum venias gezer.

6 Congregauit autem rursum dauid omnes electos ex israhel triginta milia. [2] Surrexitque dauid et abijt et vniuersus populus qui erat cum eo de viris iuda vt adducerent archam dei: super quam inuocatum est nomen domini exercituum sedentis in cherubin super eam. [3] Et imposuerunt archam dei super plaustrum nouum. Tuleruntque eam de domo aminadab: qui erat in gabaa. Oza autem et haio filij aminadab minabant plaustrum nouum. [4] Cumque tulissent eam de domo aminadab qui erat in gabaa· custodiens archam dei· haio precedebat archam dei: [5] dauid autem et omnis israhel ludebant coram domino: in omnibus lignis fabrefactis et citharis· et liris· et timpanis· et sistris· et cimbalis. [6] Postquam autem venerunt ad aream nachor

extendit oza manum ad archam dei et tenuit eam: quoniam calcitrabant boues et declinauerunt eam. 7 Iratusque est indignacione dominus contra ozam: et percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi: iuxta archam dei. 8 Contristatus est autem dauid eo quod percussisset dominus ozam: et vocatum est nomen loci illius percussio oza vsque in diem hanc. 9 Et extimuit dauid dominum in die illa dicens. Quomodo ingredietur ad me archa domini? 10 Et noluit diuertere ad se archam domini in ciuitatem dauid: sed diuertit eam in domum obededom gethei. 11 Et habitauit archa domini in domo obededom gethei tribus mensibus: et benedixit dominus obededom· et omnem domum eius. 12 Nunciatumque est regi dauid: quod benedixisset dominus obededom et omnia eius propter archam dei. Dixitque dauid. Ibo: et reducam archam cum benedictione in domum meam. Abijt ergo dauid: et adduxit archam dei de domo obededom in ciuitatem dauid cum gaudio· et erant cum dauid septem chori: et victima vituli. 13 Cumque transcendissent qui portabant archam domini sex passus immolabant bouem et et arietem: 14 et dauid percutiebat in organis: et saltabat totis viribus ante dominum. Porro dauid erat accinctus ephot lineo: 15 et dauid et omnis domus israhel ducebant archam testamenti domini in iubilo et in clangore bucine. 16 Cumque intrasset archa domini in ciuitatem dauid: michol filia saul prospiciens per fenestram vidit regem dauid subsilientem atque salientem coram domino: et despexit eum in corde suo. 17 Et introduxerunt archam domini: et imposuerunt eam in loco suo in medio tabernaculi quod tetenderat ei dauid: et obtulit dauid olocausta coram domino et pacifica. 18 Cumque complesset offerens olocausta et pacifica: benedixit populo in nomine domini exercituum. 19 Et partitus est multitudini vniuerse israhel tam viro quam mulieri singulis colliridam panis vnam: et assaturam bubale carnis vnam: et similam frixam oleo. Et abijt omnis populus: vnusquisque in domum suam. 20 Reuersusque est dauid: vt beneditceret domui sue: et egressa michol filia saul in occursum dauid· ait. Quam gloriosus fuit hodie rex israhel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum: et nudatus est quasi si nudetur vnus de scurris. 21 Dixitque dauid ad michol. Viuit dominus: quia ludam ante dominum qui elegit me pocius quam patrem tuum et quam omnem domum eius: et precepit michi vt essem dux super populum domini in israhel. 22 Et ludam et vilior fiam plus quam factus sum· et ero humilis in oculis meis: et cum ancillis de quibus locuta es gloriosior apparebo. 23 Igitur michol filie saul non est natus filius: vsque in diem mortis sue.

7 Factum est autem cum sedisset rex in domo sua: et dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis: 2 dixit ad nathan prophetam. Vides ne quod ego habitem in domo cedrina: et archa dei posita sit in medio pellium? 3 Dixitque nathan ad regem. Omne quod est in corde tuo vade fac: quia dominus tecum est. 4 Factum est autem in illa nocte: et ecce sermo domini ad nathan dicens. 5 Vade et loquere ad seruum meum dauid. Hec dicit dominus. Numquid tu edificabis michi domum ad habitandum? 6 neque enim habitaui in domo ex die illa qua eduxi israhel de terra egipti vsque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo et in tentorio 7 per cuncta loca que transiui cum omnibus filijs israhel. Numquid loquens locutus sum ad vnam de tribubus israhel· cui precepi vt pasceret populum meum israhel· dicens. quare non edificasti michi domum cedrinam? 8 Et nunc hec dices seruo meo dauid. Hec dicit dominus exercituum. Ego tuli te de pascuis sequentem greges vt esses dux super populum meum israhel: 9 et fui tecum in omnibus vbicumque ambulasti: et interfeci vniuersos inimicos tuos a facie tua: fecique tibi nomen grande iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. 10 Et ponam locum populo meo israhel et plantabo eum et habitabo cum eo· et non turbabitur amplius: nec addent filij iniquitatis vt affligant eum sicut prius· 11 ex die qua constitui iudices super populum meum israhel. Et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis: predicetque tibi dominus: quod faciat tibi dominus domum. 12 Cumque completi fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis: suscitabo semen tuum post te· quod egredietur de vtero tuo: et firmabo regnum eius. 13 Ipse edificabit domum nomini meo: et stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. 14 Ego ero ei in patrem: et ipse erit michi in filium. Qui si inique aliquid gesserit: arguam eum in virga virorum: et in plagis filiorum hominum. 15 Misericordiam autem meam non auferam ab eo: sicut abstuli a saul· quem amoui a facie mea. 16 Et fidelis erit domus tua: et regnum tuum vsque in eternum ante faciem meam: et thronus tuus erit firmus iugiter. 17 Secundum omnia verba hec· et iuxta vniuersam visionem istam: sic locutus est nathan ad dauid. 18 Ingressus est autem rex dauid et sedit coram domino: et dixit. Quis ego sum domine deus et que domus mea: quia adduxisti me hucusque? 19 Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo domine deus: nisi loquereris eciam de domo serui tui in longinquum. Ista est enim lex ab adam domine deus. 20 Quid ergo addere poterit adhuc dauid vt loquatur ad te? Tu enim scis seruum tuum domine deus. 21 Propter verbum tuum et secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hec: ita vt notum faceres seruo tuo. 22 Idcirco magnificatus es domine deus: quia non est similis tui: neque est deus extra te in omnibus que audiuimus auribus nostris. 23 Que est autem vt populus tuus israhel gens in terra propter quam iuit deus vt redimeret eam sibi in populum et poneret sibi nomen: faceretque eis magnalia et horribilia super terram· a facie populi tui quem redemisti tibi ex egipto· gentem et deum eius: 24 Firmasti enim tibi populum tuum israhel in populum sempiternum: et tu domine deus factus eis in deum. 25 Nunc ergo domine deus verbum quod locutus es super seruum tuum et super domum eius suscita in sempiternum: et fac sicut locutus es 26 vt magnificetur nomen tuum vsque in sempiternum· atque dicatur. Dominus deus exercituum deus super israhel: et domus serui tui dauid erit· stabilita coram domino: 27 quia tu domine exercituum deus israhel reuelasti aurem serui tui dicens· domum edificabo tibi: propterea inuenit seruus tuus cor suum vt oraret te oracione hac. 28 Nunc ergo domine deus tu es deus: et verba tua erunt vera. Locutus es enim ad seruum tuum bona hec. 29 Incipe ergo et benedic domum serui tui vt sit in sempiternum coram te· quia tu domine deus locutus es: benedictone tua benedicetur domus serui tui in sempiternum.

8 Factum est autem post hec percussit dauid philistijm et humiliauit eos: et tulit dauid frenum tributi de manu philistijm: 2 et percussit moab et mensus est eos funiculo coequans terre. Mensus est autem duos funiculos: vnum ad occidendum· et vnum ad viuificandum. Factus est moab dauid seruiens sub tributo. 3 Et percussit dauid adadezer filium roob regem soba: quando profectus est vt dominaretur super flumen eufraten. 4 Et captis dauid ex parte eius milleseptingentis equitibus· et viginti milibus peditum: subneruauit omnes iugales curruum. Dereliquit autem ex eis centum currus. 5 nit quoque siria damasci: presidium ferret adadezer regi soba: et percussit dauid de siria vigintiduo milia virorum: 6 et posuit dauid presidium in siria damasci: factaque est siria dauid seruiens sub tributo. Seruauitque dominus dauid in omnibus ad quecumque profectus est. 7 Et tulit dauid arma aurea que habebant serui adadezer: et detulit ea in iherusalem. 8 Et de bethe· et de beroth ciuitatibus adadezer tulit rex dauid es multum nimis: de quo fecit salomon omnia vasa erea in templo· et mare eneum et columnas et altare. 9 Audiuit autem thou rex emath quod percussisset dauid omne robur adadezer. 10 Et misit thou ioram filium suum ad regem dauid vt salutaret eum congratulans: et gracias ageret eo quod expugnasset adadezer et percussisset eum. Hostis quippe erat thou adadezer. Et in manu eius erant vasa aurea et vasa argentea et vasa erea: 11 que et ipsa sanctificauit rex dauid domino cum argento et auro que sanctificauerat de vniuersis gentibus quas subegerat 12 de siria et moab et filijs ammon et philistijm et amalech: et de manubijs adadezer filij roob regis soba. 13 Fecit quoque sibi dauid nomen cum reuerteretur capta siria in valle salinarum cesis decem et octo milibus 14 et in gebelem ad viginti tria milia: et posuit in ydumea custodes: statuitque presidium. Et facta est vniuersa ydumea seruiens dauid: et seruauit dominus dauid in omnibus ad quecumque profectus est. 15 Et regnauit dauid super omnem israhel: faciebat quoque dauid iudicium et iusticiam omni populo suo. 16 Ioab autem filius filius saruie erat super exercitum: porro iosaphat achilud a comentarijs: 17 et sadoch filius achitob et achimelech filius abiathar erant sacerdotes: et saraias scriba

18 banaias autem filius ioiade super chereti et felethi. Filij autem dauid sacerdotes erant.

9 Et dixit dauid. Putasne est aliquis qui remanserit de domo saul· vt faciam cum eo misericordiam propter ionathan? 2 rat autem de domo saul seruus nomine siba. Quem cum vocasset rex ad se: dixit ei. Tu ne es siba? Et ille respondit. Ego sum seruus tuus. 3 Et ait rex. Numquid superest aliquis de domo saul· vt faciam cum eo misericordiam dei? Dixitque siba regi. Superest filius ionathe debilis pedibus. 4 Vbi inquit est? Et siba ad regem. Ecce ait in domo est machir filij amihel in 5 lodabar. 6 Cum autem venisset miphiboseth filius ionathe filij saul ad dauid: corruit in faciem suam et adorauit. Dixitque dauid. Miphiboseth. Qui respondit. Assum seruus tuus. 7 Et ait ei dauid. Ne timeas· quia faciens faciam in te misericordiam propter ionathan patrem tuum: et restituam tibi omnes agros saul patris tui: et tu comedes panem in mensa mea semper. 8 Qui adorans eum dixit. Quis ego sum seruus tuus: quoniam respexisti super canem mortuum similem mei? 9 Vocauit itaque rex sibam puerum saul: et dixit ei. Omnia quecumque fuerunt saul et vniuersam domum eius dedi filio domini tui. 10 Operare igitur ei terram tu et filij tui et serui tui: et inferes filio domini tui cibos vt alatur. Miphiboseth autem filius domini tui· comedet semper panem super mensam meam. Erant autem sibe quindecim filij: et viginti serui. 11 Dixitque siba ad regem. Sicut iussisti domine mi rex seruo tuo: sic faciet seruus tuus. Et miphiboseth comedet super mensam meam: quasi vnus de filijs regis. 12 Habebat autem miphiboseth filium paruulum nomine micha. Omnis vero cognatio domus sibe· seruiebat miphiboseth. 13 Porro miphiboseth habitabat in iherusalem· quia de mensa regis iugiter vescebatur: et erat claudus vtroque pede.

10 Factum est autem post hec· vt moreretur rex filiorum ammon: et regnauit anon filius eius pro eo. 2 Dixitque dauid. Faciam misericordiam cum anon filio naas: sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo dauid consolans eum per seruos suos super patris interitu. Cum autem venissent serui dauid in terram filiorum ammon: 3 dixerunt principes filiorum ammon ad anon dominum suum. Putas quod propter honorem patris tui miserit dauid ad te consolatores: et non ideo vt te inuestigaret et exploraret ciuitatem· et euerteret eam· misit dauid seruos suos ad te? 4 Tulit itaque anon seruos dauid· rasitque dimidiam partem barbe eorum: et prescidit vestes eorum medias vsque ad nates: et dimisit eos. 5 Quod cum nunciatum esset dauid: misit in occursum eorum. Erant enim viri confusi turpiter valde. Et mandauit eis dauid. Manete in iherichо donec crescat barba vestra: et tunc reuertimini. 6 Videntes autem filij ammon· quod iniuriam fecissent dauid: miserunt et conduxerunt mercede sirum roob· et sirum soba viginti milia peditum: et a rege maacha mille viros: et ab histob decem milia virorum. 7 Quod cum audisset dauid: misit ioab et omnem exercitum bellatorum. 8 Egressi sunt ergo filij ammon: et direxerunt aciem ante ipsum introitum porte. Sirus autem soba et roob et histob et maacha· seorsum erant in campo. 9 Videns ergo ioab quod preparatum esset aduersum se prelium· et exaduerso et post tergum: elegit sibi ex omnibus electis israhel et instruxit aciem contra sirum: 10 reliquam autem partem populi tradidit abisai fratri suo. Qui direxit aciem aduersum filios ammon. 11 Et ait ioab. Si preualuerint aduersum me siri· eris michi in adiutorium: si autem filij ammon preualuerint aduersum te· auxiliabor tibi. 12 Esto vir fortis: et pugnemus pro populo nostro et ciuitate dei nostri. Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. 13 Inijt itaque ioab et populus qui erat cum eo certamen contra siros: qui statim fugerunt a facie eius. 14 Filij autem ammon videntes quod fugissent siri· fugerunt et ipsi a facie abisai: et ingressi sunt ciuitatem. Reuersusque est ioab a filijs ammon: et venit iherusalem. 15 Videntes igitur filij ammon quoniam sirus expauit et quoniam corruissent coram israhel: congregati sunt pariter. 16 Misitque adadezer et eduxit siros qui erant trans fluuium: et adduxit eorum exercitum. Sobach autem magister milicie adadezer erat princeps eorum. 17 Quod cum nunciatum esset dauid contraxit omnem israhelem et transiuit iordanem: venitque in helam. Et direxerunt aciem siri exaduerso dauid: et pugnauerunt contra israhel. 18 Fugeruntque siri a facie israhel: et occidit dauid de siris septingentos currus et quadraginta milia equitum: et sobach principem milicie percussit: qui statim mortuus est. 19 Videntes autem vniuersi reges qui erant in presidio adadezer se victos ab israhel: expauerunt et fugerunt quinquaginta et octo milia coram israhel. Et fecerunt pacem cum israhel· et seruierunt eis: timueruntque siri auxilium prebere filijs ammon.

11 Factum est autem vertente anno· eo tempore quo solent reges ad bella procedere misit dauid ioab· et seruos suos cum eo· et vniuersum israhel: et vastauerunt filios ammon et obsederunt rabba. Dauid autem remansit in iherusalem. 2 Dum hec agerentur accidit quadam die vt surgeret dauid de stratu suo post meridiem: et deambularet in solario domus regie. Viditque mulierem se lauantem exaduerso super solarium suum. Erat autem mulier pulcra valde. 3 Misit ergo rex: et requisiuit que esset mulier. Nunciatumque est ei: quod ipsa esset bethsabee filia heliam vxor vrie ethei. 4 Missis itaque dauid nuncijs: tulit eam. Que cum ingressa esset ad illum: dormiuit cum ea. Statimque sanctificata est ab immundicia sua: 5 et reuersa est domum suam concepto fetu. Mittensque nunciauit dauid: et ait. Concepi. 6 Misit autem dauid ad ioab· dicens. Mitte ad me vriam etheum. Misitque ioab vriam ad dauid. 7 Et venit vrias ad dauid. Quesiuitque dauid quam recte ageret ioab et populus: et quomodo admini bellum. 8 Et dixit dauid ad vriam. Vade in domum tuam: et laua pedes tuos. Et egressus est vrias de domo regis: secutusque est eum cibus regius. 9 Dormiuit autem vrias ante portam domus regie cum alijs seruis domini sui: et non descendit ad domum suam. 10 Nunciatumque est dauid a dicentibus. Non iuit vrias in domum suam. Et ait dauid ad vriam. Numquid non de via longinqua venisti? Quare non descendisti in domum tuam? 11 Et ait vrias ad dauid. Archa dei et israhel et iuda habitant in papilionibus· et dominus meus ioab et serui domini mei super faciem terre manent: et ego ingrediar domum meam vt comedam et bibam et dormiam cum vxore mea? Per salutem tuam· et per salutem anime tue· non faciam rem hanc. 12 Ait ergo dauid ad vriam. mane hic eciam hodie: et cras dimittam te. Mansit vrias in iherusalem in die illa et altera: 13 et vocauit eum dauid vt comederet coram se et biberet: et inebriauit eum. Qui egressus vespere· dormiuit in stratu suo· cum seruis domini sui: et in domum suam non descendit. 14 Factum est ergo mane: et scripsit dauid epistolam ad ioab· misitque per manum vrie 15 scribens in epistola. Ponite vriam exaduerso belli vbi fortissimum est prelium: et derelinquite eum: vt percussus intereat. 16 Igitur cum ioab obsideret vrbem· posuit vriam in loco vbi sciebat viros esse fortissimos: 17 egressique viri de ciuitate bellabant aduersum ioab· et ceciderunt de populo seruorum dauid: et mortuus est eciam vrias etheus. 18 Misit itaque ioab et nunciauit dauid omnia verba prelij: 19 precepitque nuncio dicens. Cum compleueris vniuersos sermones belli ad regem· 20 si eum videris indignari et dixerit· quare accessistis ad murum vt preliaremini: an ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur: 21 quis percussit abimelech filium iheroboal. Nonne mulier misit super eum fragmen mole· de muro· et interfecit eum in thebes: quare iuxta murum accessistis· dices. Eciam seruus tuus vrias etheus occubuit. 22 Abijt ergo nuncius: et venit et narrauit dauid omnia que ei preceperat ioab: 23 et dixit nuncius ad dauid. Preualuerunt aduersum nos viri: et egressi sunt ad nos in agrum. Nos autem facto impetu persecuti eos sumus vsque ad portam ciuitatis: 24 et direxerunt iacula sagittarij ad seruos tuos ex muro desuper: mortuique sunt de seruis regis. Quin eciam seruus tuus vrias etheus mortuus est. 25 Et dixit dauid ad nuncium. Hec dices ioab. Non te frangat ista res. Varius enim euentus est belli: et nunc hunc et nunc illum consumit gladius. Conforta bellatores tuos aduersus vrbem· vt destruas eam: et exhortare eos. 26 Audiuit autem vxor vrie quod mortuus esset vrias vir suus: et planxit eum. 27 Transactoque luctu misit dauid et introduxit eam· in domum suam: et facta est ei vxor: peperitque ei filium. Et displicuit verbum hoc quod fecerat dauid coram domino.

12 Misit ergo dominus nathan ad dauid. Qui cum venisset ad eum: dixit ei. michi iudicium. Duo viri erant in ciuitate vna: vnus diues: et alter

pauper. [2] Diues habebat oues et boues plurimos valde: [3] pauper autem nichil habebat omnino preter ouem vnam paruulam quam emerat et nutrierat: et que creuerat apud eum· cum filijs eius: simul de pane illius comedens et de calice eius bibens· et in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia. [4] Cum autem peregrinus quidam venisset ad diuitem: parcens ille sumere de ouibus et de bobus suis vt exhiberet conuiuium peregrino illi qui venerat ad se· tulit ouem viri pauperis et preparauit cibos homini qui venerat ad se. [5] Iratus autem indignatione dauid aduersus hominem illum nimis: dixit ad nathan. Viuit dominus: quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. [6] Ouem reddet in quadruplum: eo quod fecerit verbum istud· et non pepercerit. [7] Dixit autem nathan ad dauid. Tu es ille vir: qui fecisti hanc rem. Hec dicit dominus deus israhel. Ego vnxi te in regem super israhel· et ego erui te· de manu saul· [8] et dedi tibi domum domini tui et vxores domini tui· in sinu tuo: dedique tibi domum israhel et iuda: et si parua sunt ista· adiciam tibi multa maiora. [9] Quare ergo contempsisti verbum domini: vt faceres malum in conspectu meo? Vriam etheum percussisti gladio: et vxorem illius accepisti in vxorem tibi et interfecisti eum gladio filiorum ammon. [10] Quamobrem non recedet a te gladius de domo tua vsque in sempiternum: eo quod despexeris me: et tuleis vxorem vrie ethei vt esset vxor tua. [11] Itaque hec dicit dominus. Ecce ego suscitabo super te malum· de domo tua: et tollam vxores tuas in oculis tuis et dabo proximo tuo: et dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius. [12] Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis israhel: et in conspectu solis huius. [13] Et dixit dauid ad nathan. Peccaui domino. Dixitque nathan ad dauid. Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Non morieris. [14] Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos· nomen domini propter verbum hoc: filius qui natus est tibi morte morietur. [15] Et reuersus est nathan in domum suam. Percussitque dominus paruulum quem peperit vxor vrie dauid: et desperatus est. [16] Deprecatusque est dauid dominum pro paruulo: et ieiunauit dauid ieiunio: et ingressus seorsum iacuit super terram. [17] Venerunt autem seniores domus eius: cogentes eum vt surgeret de terra. Qui noluit: nec comedit cum eis cibum. [18] Accidit autem die septima vt moreretur infans: timueruntque serui dauid nunciare ei quod mortuus esset paruulus. Dixerunt enim. Ecce cum paruulus adhuc viueret loquebamur ad eum· et non audiebat vocem nostram: quantomagis si dixerimus· mortuus est puer se affliget? [19] Cum ergo dauid audisset seruos suos musitantes: intellexit quod mortuus esset infantulus. Dixitque ad seruos suos. Nunquid mortuus est puer? Qui responderunt ei. Mortuus est. [20] Surrexit ergo dauid de terra: et lotus vnctusque est. Cumque mutasset vestem ingressus est domum domini et adorauit: et venit in domum suam· petiuitque vt ponerent ei panem: et comedit. [21] Dixerunt autem ei serui sui. Quis est sermo quem fecisti? propter infantem cum adhuc viueret ieiunasti et flebas: mortuo autem puero surrexisti: et comedisti panem. [22] Qui ait. Propter infantem dum adhuc viueret ieiunaui et fleui. Dicebam enim. Quis enim scit si forte donet eum michi dominus: et viuat infans? [23] Nunc autem quia mortuus est· quare ieiuno? Nunquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: ille vero non reuertetur ad me. [24] Et consolatus est dauid bethsabee vxorem suam· ingressusque ad eam· dormiuit cum ea. Que genuit filium: et vocauit nomen eius salomon: et dominus dilexit eum. [25] Misitque eum in manu nathan prophete: et vocauit nomen eius amabilis domino: eo quod diligeret eum dominus. [26] Igitur pugnabat ioab contra rabbath filiorum ammon: et expugnabat vrbem regiam. [27] Misitque ioab nuncios ad dauid dicens. Dimicaui aduersum rabba: et capienda est vrbs aquarum. [28] Nunc igitur congrega reliquam partem populi et obside ciuitatem et cape eam: ne cum a me vastata fuerit vrbs· nomini meo ascribatur victoria. [29] Congregauit itaque dauid omnem populum et profectus est aduersum rabbath. Cumque dimicasset: cepit eam. [30] Et tulit diadema melchon de capite eius pondo auri talentum habens gemmas preciosissimas: et impositum est super caput dauid. Sed et predam ciuitatis asportauit multam valde: [31] populumque eius adducens serrauit: et circumegit super eos ferrata carpenta. Diuisitque cultris: et transduxit in tipo laterum. Sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum ammon. Et reuersus est dauid et omnis exercitus in iherusalem.

13 Factum est autem post hec vt absalon filij dauid sororem speciosissimam vocabulo thamar adamaret ammon filius dauid: [2] et deperiret in eam valde· ita vt propter amorem eius egrotaret: quia cum esset virgo difficile ei videbatur: vt quippiam inhoneste ageret cum ea. [3] Erat autem ammon amicus nomine ionadab filius semmaa fratris dauid: vir prudens valde. [4] Qui dixit ad eum. Quare sic attenuaris macie fili regis per singulos dies? Cur non indicas michi? Dixitque ei ammon. Thamar sororem fratris mei absalom amo. [5] Cui respondit ionadab. Cuba super lectum tuum et languorem simula cumque venerit pater tuus vt visitet te: dic ei. Veniat oro thamar soror mea vt det michi cibum· et faciat pulmentum: vt comedam de manu eius. [6] Accubuit itaque ammon: et quasi egrotare cepit. Cumque venisset rex ad visitandum eum: ait ammon ad regem. Veniat obsecro thamar soror mea vt faciat in oculis meis duas sorbiciunculas: et cibum paratum capiam de manu eius. [7] Misit ergo dauid ad thamar domum dicens. Veni in domum ammon fratris tui: et fac ei pulmentum. [8] Venitque thamar in domum ammon fratris sui: ille autem iacebat. Que tollens farinam commiscuit et liquefaciens in oculis eius· coxit sorbiciunculas: [9] tollensque quod coxerat effudit· et posuit coram eo: et noluit comedere. Dixitque ammon. Eicite vniuersos a me. Cumque eiecisset omnes: [10] dixit ammon ad thamar. Infer cibum in conclaui: vt vescar de manu tua. Tulit ergo thamar sorbiciunculas quas fecerat: et intulit ad ammon fratrem suum in conclaui. [11] Cumque obtulisset ei cibum: apprehendit eam et ait. Veni cuba mecum soror mea. [12] Que respondit ei. Noli frater mi noli opprimere me: neque enim hoc phas est in israhel. Noli facere stulticiam hanc. [13] Ego enim ferre non potero opprobrium meum: et tu eris quasi vnus de insipientibus in israhel: quin pocius loquere ad regem· et non negabit me tibi. [14] Noluit autem ammon acquiescere precibus eius: sed preualens viribus· oppressit eam: et cubauit cum ea. [15] Et exosam eam habuit odio magno nimis: ita vt maius esset odium quo oderat eam: amore quo ante dilexerat. Dixitque ei ammon. Surge et vade. [16] Que respondit. Maius est hoc malum quod nunc agis aduersum me quam quod ante fecisti: expellens me. Et noluit audire eam: [17] sed vocato puero qui ministrabat ei· dixit. Eice hanc a me foras: et claude hostium post eam. [18] Que induta erat talari tunica: huiuscemodi enim filie regis virgines vestibus vtebantur. Eiecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam. [19] Que aspergens cinerem capiti suo· scissa talari tunica: impositisque manibus super caput suum: ibat ingrediens et clamans. [20] Dixit autem ei absalon frater suus. Nunquid ammon frater tuus concubuit tecum? Sed nunc soror tace: frater tuus est. Neque affliges cor tuum pro hac re. Mansit itaque thamar contabescens· in domo absalon fratris sui. [21] Cum autem audisset rex dauid verba hec contristatus est valde: et noluit contristari spiritum ammon filij sui quoniam diligebat eum: quia primogenitus erat ei. [22] Porro non est locutus absalon ad ammon nec malum nec bonum. Oderat enim absalon ammon: eo quod violasset thamar sororem suam. [23] Factum est autem post tempus biennij· vt tonderentur oues absalon in balasor: que est iuxta effraim Et vocauit absalom omnes filios regis: [24] venitque ad regem: et ait ad eum. Ecce tondentur oues serui tui: veniat oro rex cum seruis suis ad seruum suum. [25] Dixitque rex ad absalom. Noli fili mi: noli rogare vt veniamus omnes: et grauemus te. Cum autem cogeret eum et noluisset ire: benedixit ei. [26] Et ait absalon ad dauid. Si non vis venire: veniat obsecro nobiscum saltem ammon frater meus. Dixitque ad eum rex. Non est necesse vt vadat tecum. [27] Coegit itaque absalon eum: et dimisit cum eo ammon: et vniuersos filios regis. Feceratque absalon conuiuium: quasi conuiuium regis. [28] Preceperat autem absalon pueris suis dicens. Obseruate cum temulentus fuerit ammon vino: et dixero vobis· percutite eum et interficite: nolite timere. Ego enim sum qui precipio vobis. Roborammini: et estote viri fortes. [29] Fecerunt ergo pueri absalom aduersum ammon: sicut preceperat eis absalon. Surgentesque omnes filij regis: ascenderunt singuli mulas suas mulas suas et fugerunt. [30] Cumque adhuc ad huc pergerent in itinere: fama peruenit ad dauid dicens. Percussit

absalon omnes filios regis: et non remansit ex eis saltem vnus. [31] Surrexit itaque rex dauid· et scidit vestimenta sua et cecidit super terram: et omnes serui illius qui assistebant ei· sciderunt vestimenta sua. [32] Respondens autem ionadab filius semmaa fratris dauid dixit. Ne estimet dominus meus rex quod omnes pueri regis occisi sint. Ammon solus mortuus est: quoniam in odio absalom erat positus ex die qua oppressit thamar sororem eius. [33] Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud dicens: omnes filij regis occisi sunt: quoniam amon solus mortuus est. [34] Fugit autem absalon. Et eleuauit puer speculator oculos suos et aspexit: et ecce populus multus veniebat per iter deuium ex latere montis. [35] Dixit autem ionadab ad regem. Ecce filij regis assunt: iuxta verbum serui tui· sic factum est. [36] Cumque cessasset loqui: apparuerunt et filij regis. Et intrantes leuauerunt vocem suam: et fleuerunt. Sed et rex et omnes sui eius fleuerunt ploratu magno nimis. [37] Porro absalon fugiens abijt ad thosomai filium amiur regem gessur. Luxit ergo dauid filium suum amon multis diebus. [38] Absalom autem cum fugisset et venisset in gessur fuit ibi tribus annis: [39] cessauitque rex dauid persequi absalom: eo quod consolatus esset super amon interitu.

14 Intelligens autem ioab filius saruie quod cor regis versum esset ad absalom: [2] misit thecuam et tulit inde mulierem sapientem: dixitque ad eam. lugere te simula· et induere veste lugubri: et ne vngais oleo: vt sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum. [3] Et ingredieris ad regem: et loqueris ad eum sermones huiuscemodi. Posuit autem ioab verba in ore eius. [4] Itaque cum ingressa fuisset mulier thecuites ad regem cecidit coram eo super terram: et adorauit et dixit. Serua me rex. [5] Et ait ad eam rex. Quid cause habes? Que respondit. Heu mulier vidua ego sum. Mortuus est enim vir meus· [6] et ancille tue erant duo filij: qui rixati sunt aduersum se in agro nullusque erat qui eos prohibere posset: et percussit alter alterum et interfecit eum. [7] Et ecce consurgens vniuersa cognatio· aduersum ancillam tuam· dicit. Trade eum qui percussit fratrem suum vt occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit· et deleamus heredem: et querunt extinguere scintillam meam que relicta est: vt non supersit viro meo nomen et reliquie super terram. [8] Et ait rex ad mulierem. Vade in domum tuam: et ego iubebo pro te. [9] Dixitque mulier thecuites ad regem. In me domine mi rex sit iniquitas et in domo patris mei: rex autem et thronus eius· sit innocens. [10] Et ait rex. Qui contradixit tibi adduc eum ad me: et vltra non addet vt tangat te. [11] Que ait. Recordetur rex domini dei sui vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum: et nequaquam interficiant filium meum. Qui ait. Viuit dominus: quia non cadet de capillis filij tui super terram. [12] Dixit ergo mulier. Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait. Loquere. [13] Dixitque mulier. Quare cogitasti huiusmodi rem contra populum dei: et locutus est rex verbum istud vt peccet· et non reducat eiectum suum? [14] Omnes morimur: et quasi aque dilabimur in terram que non reuertuntur. Nec vult deus perire animam: sed retractat cogitans ne penitus pereat qui abiectus est. [15] Nunc igitur veni vt loquar ad dominum meum regem· verbum hoc: presente populo. Et dixit. Ancilla tua. Loquar ad regem: si quo modo faciat rex verbum ancille sue. [16] Et audiuit rex vt liberaret ancillam suam· de manu omnium qui volebant· de hereditate domini delere me: et filium meum simul. [17] Dicat ergo ancilla tua: vt fiat verbum domini mei regis· sicut sacrificium. Sicut enim angelus domini· sic est dominus meus rex: vt nec benedictione nec maledictione moueatur. Vnde et dominus deus tuus est tecum. [18] Et respondens rex dixit ad mulierem. Ne abscondas a me verbum: quod te interrogo. Dixitque ei mulier. Loquere domine mi rex. [19] Et ait rex. Nunquid manus ioab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier et ait. Per salutem anime tue· domine mi rex: nec ad sinistram nec ad dexteram est ex omnibus hijs que locutus est dominus meus rex. Seruus enim tuus ioab ipse precepit michi: et ipse posuit in os ancille tue· omnia verba hec: [20] vt verterem figuram sermonis huius. Seruus enim tuus ioab precepit istud. Tu autem domine mi rex sapiens es· sicut habet sapientiam angelus dei: vt intelligas omnia super terram. [21] Et ait rex ad ioab. Ecce placatus feci verbum tuum. Vade ergo et reuoca puerum absalon. [22] Cadensque ioab super faciem suam in terram adorauit: et benedixit regi. Et dixit ioab. Hodie intellexit seruus tuus· quia inueni graciam in oculis tuis domine mi rex Fecisti enim sermonem domine serui tui. [23] Surrexit ergo ioab et abijt in gessur: et adduxit absalon in iherusalem. [24] Dixit autem rex. Reuertatur in domum suam: et faciem meam non videat. Reuersus est itaque absalon in domum suam: et faciem regis non vidit: [25] porro sicut absalon· vir non erat pulcer in omni israhel: et decorus nimis. A vestigio pedis vsque ad verticem: non erat in eo vlla macula. [26] Et quando tondebat capillum· semel autem in anno tondebatur· quia grauabat eum cesaries: ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. [27] Nati sunt autem absalon filij tres: et filia vna nomine thamar elegantis forme. [28] Mansitque absalon in iherusalem duobus annis: et faciem regis non vidit. [29] Misit itaque ad ioab: vt mitteret eum ad regem. Qui noluit venire ad eum. Cumque secundo misisset· et ille noluisset venire ad eum: [30] dixit seruis suis. Scitis agrum ioab iuxta agrum meum: habentem messem ordei. Ite igitur: et succendite eum igni. Succenderunt ergo serui absalom segetem igni. Et venientes serui ioab scissis vestibus suis dixerunt. Succenderunt serui absalon partem agri igni. [31] Surrexitque ioab et venit ad absalon in domum eius: et dixit. Quare succenderunt serui tui segetem meam igni? [32] Et respondit absalon ad ioab. Misi ad te obsecrans vt venires ad me et mitterem te ad regem: et diceres ei. Quare veni de gessur? Melius michi erat ibi esse. Obsecro ergo vt videam faciem regis. Quod si memor est iniquitatis mee interficiat me. [33] Ingressus itaque ioab ad regem: nunciauit ei omnia. Vocatusque est absalon et intrauit ad regem: et adorauit super faciem terre coram eo. Osculatusque est rex absalon.

15 Igitur post hec fecit sibi absalom currus et equites: et quinquaginta viros qui precederent eum. [2] Et mane consurgens absalon stabat iuxta introitum porte in via: et omnem virum qui habebat negocium vt veniret ad regis iudicium vocabat absalon ad se: et dicebat. De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat. Ex vna tribu israhel ego sum seruus tuus. [3] Respondebatque ei absalon. Videntur michi sermones tui boni et iusti: sed non est qui te audiat constitutus a rege. Dicebatque absalon. [4] Quis me constituat iudicem super terram· vt ad me veniant omnes qui habent negocium et iuste iudicem? [5] Sed cum accederet ad eum homo vt salutaret illum· extendebat manum suam et apprehendens osculabatur eum. [6] Faciebatque hoc omni israhel· venienti ad iudicium vt audiretur a rege· et sollicitabat corda virorum israhel. [7] Post quadraginta autem annos dixit absalon ad regem dauid. Vadam et reddam vota mea que voui domino in hebron. [8] Vouens enim vouit seruus tuus cum esset in gessur sirie dicens. Si reduxit me dominus in iherusalem: sacrificabo domino. [9] Dixitque ei rex dauid. Vade in pace. Et surrexit: et abijt in hebron. [10] Misit autem absalon exploratores in vniuersas tribus israhel dicens. Statim vt audieritis clangorem bucine dicite. Regnabit absalon in hebron. [11] Porro cum absalon ierunt ducenti viri de iherusalem vocati: euntes simplici corde: et causam penitus ignorantes. [12] Accersiuit quoque absalon achitofel gilonintem consiliarium dauid: de ciuitate sua gilo. Cumque immolaret victimas facta est coniuracio valida: populusque concurrens augebatur cum absalon. [13] Venit igitur nuncius ad dauid dicens. Toto corde vniuersus israhel sequitur absalon. [14] Et ait dauid seruis suis: qui erant cum eo in iherusalem. Surgite. Fugiamus: neque enim erit nobis effugium a facie absalon. Festinate egredi: ne forte veniens occupet nos et impleat super nos ruinam: et percutiat ciuitatem in ore gladij. [15] Dixeruntque serui regis ad eum. Omnia quecumque preceperit dominus noster rex libenter exequemur serui tui. [16] Egressus est ergo rex et vniuersa domus eius pedibus suis. Et reliquit rex decem mulieres concubinas: ad custodiendam domum. [17] Egressusque rex et omnis israhel pedibus suis stetit procul a domo: [18] et vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum: et legiones cerethi et phelethi· et omnes gethei pugnatores validi sexcenti viri qui secuti eum fuerant de geth pedites precedebant regem. [19] Dixit autem rex ad ethai getheum. Cur venis nobiscum? Reuertere et habita cum rege: quia peregrinus es· et egressus es de loco tuo· [20] heri venisti: et hodie compelleris nobiscum egredi? Ego autem vadam quo iturus sum. Reuertere· et reduc tecum fratres

tuos: et dominus faciat tecum misericordiam et veritatem: quia ostendisti graciam et fidem. 21 Et respondit ethai regi dicens. Viuit dominus et viuit dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex siue in morte siue in vita· ibi erit seruus tuus. 22 Et ait dauid ethai. Veni et transi. Et transiuit ethai getheus et rex et omnes viri qui cum eo erant: et reliqua multitudo. 23 O mnesque flebant voce magna: et vniuersus populus transibat. Rex quoque transgrediebatur· torrentem cedron: et cunctus populus incedebat contra viam oliue que respicit ad desertum. 24 Venit autem et sadoch sacerdos et vniuersi leuite cum eo portantes archam federis dei: et deposuerunt archam federis dei. Et ascendit abiathar: donec expletus esset omnis populus qui egressus fuerat de ciuitate. 25 Et dixit rex ad sadoch. Reporta archam dei in vrbem. Si inuenero graciam in oculis domini reducet me et ostendet michi eam· et tabernaculum suum: 26 si autem dixerit michi: non places· presto sum: faciat quod bonum est coram se. 27 Et dixit rex ad sadoch sacerdotem. O videns reuertere in ciuitatem in pace· et achimaas filius tuus et ionathan filius abiathar duo filij vestri sint vobiscum. 28 Ecce ego abscondar in campestribus deserti: donec veniat sermo a vobis indicans michi. 29 Reportauerunt ergo sadoch et abiathar archam dei in iherusalem: et manserunt ibi. 30 Porro dauid ascendebat· cliuum oliuarum scandens et flens nudis pedibus incedens: et operto capite. Sed et omnis populus qui erat cum eo: operto capite ascendebat plorans. 31 Nunciatum est autem dauid: quod achitofel esset in coniuracione cum absalon. Dixitque dauid. Infatua queso domine consilium achitofel. 32 Cumque ascenderet dauid summitatem montis in quo adoraturus erat dominum: ecce occurrit ei chusi arachites scissa veste et terra pleno capite. 33 Et dixit ei dauid. Si venis mecum eris michi oneri: 34 si autem in ciuitatem reuertaris et dixeris absalon· seruus tuus sum rex patere me viuere· sicut fui seruus patris tui· sic ero seruus tuus: dissipabis consilium achitofel. 35 Habes autem tecum sadoch et abiathar sacerdotes: et omne verbum· quodcumque audieris· in domo regis· indicabis sadoch et abiathar sacerdotibus. 36 Sunt enim cum eis duo filij eorum achimaas filius sadoch et ionathan filius abiathar: et mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis. 37 Veniente ergo chusai amico dauid in ciuitatem. absalon quoque ingressus est iherusalem: et achitofel cum eo.

16 Cumque dauid transisset paululum montis verticem· apparuit siba puer miphiboseth in occursum eius cum duobus asinis: qui onerati erant ducentis panibus· et centum alligaturis vuepasse· et centum massis palatarum: et duobus vtribus vini. 2 Et dixit rex sibe. Quid sibi volunt hec? Respondit que siba. Domine mi rex. Asini domesticis regis vt sedeant: et panes et palate ad vescendum pueris tuis: vinum autem· vt bibat si quis defecerit in deserto. 3 Et ait rex. Vbi est filius domini tui? Responditque siba regi. Remansit in iherusalem dicens. Hodie restituet michi domus israhel regnum patris mei. 4 Et ait rex sibe. Tua sint omnia que fuerunt miphiboseth. Dixitque siba. Oro vt inueniam graciam coram te domine mi rex. 5 Venit ergo rex dauid vsque bahurim. Et ecce egrediebatur inde vir· de cognatione domus saul nomine semei filius gera: procedebatque egrediens: et maledicebat 6 mittebatque lapides· contra dauid· et contra vniuersos seruos regis dauid. Omnis autem populus et vniuersi bellatores· a dextro et a sinistro latere regis incedebant. 7 Ita autem loquebatur semei cum malediceret regi. Egredere· egredere vir sanguinum: et vir belial. 8 Reddidit tibi dominus vniuersum sanguinem domus saul· quoniam inuasisti regnum pro eo: et dedit dominus regnum in manu absalon filij tui: et ecce premunt te mala tua quoniam vir sanguinum es. 9 Dixit autem abisai filius sarine regi. Quare maledicit canis hic moriturus domino meo regi? Vadam et amputabo caput eius. 10 Et ait rex. Quid michi et vobis est filij sarine? Dimitte eum vt maledicat. Dominus enim precepit ei vt malediceret dauid. Et quis est qui audeat dicere· quare sic fecerit? 11 Et ait rex abisai et vniuersis seruis suis. Ecce filius meus qui egressus est de vtero meo· querit animam meam: quantomagis hic filius gemini maledicit michi. Dimittite eum vt maledicat iuxta preceptum domini: 12 si forte respiciat dominus afflictionem meam: et reddat michi dominus bonum pro maledictione hac die hodierna. 13 Ambulabat itaque dauid et socij eius per viam cum eo: semei autem per iugum montis ex latere contra illum· gradiebatur maledicens: et mittens lapides aduersum eum· terramque spargens. 14 Venit itaque rex dauid et vniuersus populus cum eo lassus: et refocillati suut ibi. 15 Absalon autem et omnis populus eius ingressi sunt iherusalem: sed et achitofel cum eo. 16 Cum autem venisset chusai arachites amicus dauid ad absalon: locutus est ad eum. Salue rex: salue rex. 17 Ad quem absalon. Hec est inquit gratia tua ad amicum tuum? Quare non iuisti cum amico tuo? 18 Responditque chusai ad absalom. Nequaquam: quia illius ero quem elegit dominus et omnis hic populus· et vniuersus israhel: et cum eo manebo. 19 Sed vt et hoc inferam: cui ego seruiturus sum? Nonne filio regis? Sicut parui patri tuo: ita parebo et tibi. 20 Dixit autem absalon ad achitofel. Inite consilium: quid agere debeamus. 21 Et ait achitofel ad absalon. Ingredere ad concubinas patris tui· quas dimisit ad custodiendam domum: vt cum audierit omnis israhel· quod fedaueris patrem tuum: roborentur tecum manus eorum. 22 Tetenderunt ergo absalom tabernaculum in solario: ingressusque est ad concubinas patris sui· coram vniuerso israhel. 23 Consilium autem achitofel· quod dabat in diebus illis: quasi siquis consuleret dominum. Sic. erat omne consilium achitofel: et cum esset cum dauid et cum esset cum absalom.

17 Dixit ergo achitofel ad absalon. Eligam michi duodecim milia virorum· et consurgens persequar dauid hac nocte: 2 et irruens super eum quippe qui lassus est et solutis manibus: percutiam eum. Cumque fugerit omnis populus qui cum eo est percutiam regem desolatum: 3 et reducam vniuersum populum· quomodo vnus homo reuerti solet. Vnum enim virum tu queris: et omnis populus erit in pace. 4 Placuitque sermo eius absalon: et cunctis maioribus natu israhel. 5 Ait autem absalon. Vocate chusai arachiten: et audiamus quid eciam ipse dicat. 6 Cumque venisset chusai ad absalon. ait absalom ad eum. Huiuscemodi sermonem locutus est achitofel. Facere debemus an non? Quod das consilium? 7 Et dixit chusai ad absalom. Non est bonum hoc consilium: quod dedit achitofel hac vice. 8 Et rursum intulit chusai. Tu nosti patrem tuum et viros qui cum eo sunt esse fortissimos et amaro animo: veluti si vrsa raptis catulis in saltu seuiat. Sed et pater tuus vir bellator est: nec morabitur cum populo. 9 Forsitan nunc latitat in foueis aut in vno quo voluerit loco: et cum ceciderit vnus quilibet in principio: audiet quicumque audieit· et dicet. Facta est plaga in populo· qui sequebatur absalon. 10 Et fortissimus ipse· cuius cor est quasi leonis: pauore soluetur? Scit enim omnis populus israhel fortem esse patrem tuum: et robustos omnes qui cum eo sunt. 11 Sed hoc michi videtur rectum esse consilium. Congregetur ad te vniuersus populus israhel a dan vsque bersabee· quasi arena maris innumerabilis et tu eris in medio eorum: 12 et irruemus super eum in quocumque loco inuentus fuerit· et operiemus eum sicut cadere solet ros super terram: et non relinquemus de viris qui cum eo sunt· nec vnum quidem. 13 Quod si vrbem aliquam fuit ingressus: circumdabit omnis israhel· ciuitati illi funes· et trahemus eam in torrentem: vt non reperiatur nec calculus quidem ex ea. 14 Dixitque absalon et omnes viri israhel. Melius est consilium chusai arachite consilio achitofel. Domini autem nutu dissipatum est consilium achitofel vtile: vt induceret dominus super absalon malum. 15 Et ait chusai sadoch et abiathar sacerdotibus. Hoc et hoc modo consilium dedit achitofel absalon et senioribus israhel: et ego tale et tale dedi consilium. 16 Nunc ergo mittite cito: et nunciate dauid dicentes. Ne moreris nocte hac in campestribus deserti· sed absque dilacione transgredere: ne forte absorbeatur rex: et omnis populus qui cum eo est. 17 Ionathas autem et achimaas stabant iuxta fontem rogel. Abijt ancilla et nunciauit eis: et illi profecti sunt· vt referrent ad regem dauid nuncium. Non enim poterant videri: aut introire ciuitatem. 18 Vidit autem eos quidam puer: et indicauit absalom. Illi vero concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in bahurim· qui habebat puteum· in vestibulo suo: et descenderunt in eum. 19 Tulit autem mulier et expandit velamen super os putei· quasi siccans tipsanas: et sic latuit res. 20 Cumque venissent serui absalon· in domum ad mulierem dixerunt. Vbi est achimaas et ionathas? Et respondit eis mulier. Transierunt festinanter: gustata paululum aque. At hij qui querebant: cum non reperissent· reusi sunt in iherusalem. 21 Cumque

abissent ascenderunt illi de puteo: et pergentes nunciauerunt regi dauid et dixerunt. Surgite et transite cito fluuium: quoniam huiuscemodi dedit consilium· contra vos achitofel. 22 Surrexit ergo dauid et omnis populus qui cum eo erat: et transierunt iordanen donec dilucesceret antequam denudaretur verbum: et nec vnus quidem residuus fuit qui non transiret fluuium. 23 Porro architofel· videns quod non fuisset factum consilium suum: strauit asinum suum: surrexitque et abijt in domum suam et in ciuitatem suam: et disposita domo sua suspendio interijt et sepultus est in sepulcro patris sui. 24 Dauid autem venit in castra: et absalom transijt iordanen: ipse et omnes viri israhel cum eo. 25 Amasam vero constituit absalon pro ioab super exercitum. Amasa autem erat filius viri qui vocabatur iethra de ihesreli: qui ingressus est ad abigail filiam naas sororem sarine que fuit mater ioab. 26 Et castrametatus est israhel cum absalon in terra galaad. 27 Cumque venisset dauid in castra sobi filius naas de rabhath filiorum ammon· et machir filius ammihel de lodabar· et berzellai galaadites de rogelim· 28 obtulerunt ei stratoria et tapecia et vasa fictilia: frumentum et ordeum et farinam et polentam et fabam et lentem et frixum cicer 29 et mel et butirum· oues et pingues vitulos: dederuntque dauid et populo qui cum eo erat ad vescendum. Suspicati enim sunt populum fame et siti fatigari in deserto.

18 Igitur considerato dauid populo suo· constituit super eos tribunos et centuriones: 2 et dedit populi terciam partem sub manu ioab· et terciam partem sub manu abisai filij sarine fratris ioab: et terciam partem sub manu ethai qui erat de geth. Dixitque rex ad populum. Egrediar et ego vobiscum. 3 Et respondit populus. Non exibis. Siue enim fugerimus non magno opere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit e nobis non satis curabunt: quia tu vnus solus pro decem milibus computaris. Melius est igitur vt sis nobis in vrbe presidio. 4 Ad quos rex ait. Quod vobis videtur rectum hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam. Egrediebaturque populus per turmas suas: centeni et milleni. 5 Et precepit rex ioab et abisai et ethai dicens. Seruate michi puerum absalon. Et omnis populus audiebat precipientem regem cunctis principibus pro absalon. 6 Itaque egressus est populus· in campum contra israhel· et factum est prelium in saltu ephraim. 7 Et cesus est ibi populus israhel ab exercitu dauid: factaque est plaga magna in die illa viginti milium. 8 Fuit autem ibi prelium disper super faciem omnis terre: et multo plures erant quos saltus consumpserat de populo quam hij quos vorauerat gladius in die illa. 9 Accidit autem vt occurreret absalon seruis dauid: sedens mulo. Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam adhesit caput eius quercui: et illo suspenso inter celum et terram. mulus cui insederat pertransiuit. 10 Vidit autem hoc quispiam: et nunciauit ioab dicens. Vidi absalon pendere de quercu. 11 Et ait ioab viro qui nunciauerat ei. Si vidisti quare non confodisti eum cum terra: et ego dedissem tibi decem argenti siclos et vnum baltheum? 12 Qui dixit ad ioab. Si appenderes in manibus meis mille argenteos: nequaquam mitterem manum meam in filium regis. Audientibus enim nobis precepit rex tibi et abisai ethai dicens. Custodite michi puerum absalon. 13 Sed et si fecissem contra animam meam audacter nequaquam hoc regem latere potuisset: et tu stares exaduerso. 14 Et ait ioab. Non sicut tu vis. Sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo ioab tres lanceas in manu sua. et infixit eas in corde absalon. Cumque adhuc palpitaret herens in quercu: 15 cucurrerunt decem iuuenes armigeri ioab: et percutientes interfecerunt eum. 16 Cecinit autem ioab bucina et retinuit populum· ne persequeretur fugientem israhel: volens parcere multitudini. 17 Et tulerunt absalon· et proiecerunt eum in saltu in foueam grandem: et comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis. Omnis autem israhel fugit in tabernacula sua. 18 Porro absalon erexerat sibi cum adhuc viueret titulum: qui est in valle regis. Dixerat enim. Non habeo filium: et hoc erit monimentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine suo: et appellatur manus absalon vsque ad hanc diem. 19 Achimaas autem filius sadoch ait. Curram et nunciabo regi: quia iudicium fecerit ei deus de manu inimicorum eius. 20 Ad quem ioab dixit. Non eris nuncius in hac die: sed nunciabis in alia. Hodie nolo te nunciare. Filius enim regis est mortuus. 21 Et ait ioab chusi. Vade: et nuncia regi que vidisti. Adorauit chusi ioab: et cucurrit. 22 Rursus autem achimaas filius sadoch dixit ad ioab. Quid impedit si eciam ego curro post chusi? Dixitque ei ioab. Quid vis currere fili mi? Veni huc non eris boni nuncij baiulus. 23 Qui respondit. Quid enim si cucurrero? Et ait ei. Curre. Currens ergo achimaas per viam compendij transiuit chusi. 24 Dauid autem sedebat inter duas portas. Speculator vero qui erat in fastigio porte· super murum eleuans oculos vidit hominem currentem solum: 25 et exclamans indicauit regi. Dixitque rex. Si solus est: bonus est nuncius in ore eius. Properante autem illo et accedente propius· 26 vidit speculator hominem alterum currentem: et vociferans in culmine ait. Apparet michi alter homo: currens solus. Dixitque rex. Et iste bonus est nuncius. 27 Speculator autem contemplor ait. Curprioris: quasi cursum achimaas· sum filij sadoch. Et ait rex. Vir bonus est· nuncium portans bonum venit. 28 Clamans autem achimaas dixit ad regem. Salue rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram ait. Benedictus dominus deus tuus: qui conclusit homines qui leuauerunt manus suas contra dominum meum regem. 29 Et ait rex. Est ne pax puero absalon? Dixitque achimaas· vidi tumultum magnum cum mitteret ioab seruus tuus o rex me seruum tuum: nescio aliud. 30 Ad quem rex: transi ait et sta hic. Cumque ille transisset et staret: 31 apparuit chusi. Et veniens ait. Bonum apporto nuncium domine mi rex. Iudicauit enim pro te dominus hodie: de manu omnium qui surrexerunt contra te. 32 Dixit autem rex ad chusi. Est ne pax puero absalon? Cui respondens chusi: fiant inquit sicut puer inimici domini mei regis: et vniuersi qui consurgunt aduersus eum in malum. 33 Contristatus itaque rex ascendit cenaculum porte et fleuit: et sic loquebatur vadens. Fili mi absalom: absalom fili mi. Quis michi tribuat vt ego moriar pro te? Absalon fili mi: absalon.

19 Nunciatum est autem ioab quod rex fleret et lugeret filium suum. 2 et versa est victoria in luctum in die illa omni populo. Audiuit enim populus in die illa dici: dolet rex super filio suo. 3 Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem: quomodo declinare solet populus versus et fugiens de prelio. 4 Porro rex operuit caput suum: et clamabat voce magna. Fili mi absalon: absalon fili mi. 5 Ingressus ergo ioab· ad regem in domum· dixit. Confudisti hodie vultus omnium seruorum tuorum qui saluam fecerunt animam tuam et animam filiorum tuorum et filiarum tuarum· et animam vxorum tuarum et animam concubinarum tuarum. 6 Diligis odientes te: et odio habes diligentes te. Et ostendisti hodie· quia non curas de ducibus tuis· et de seruis tuis: et vere cognoui modo· quia si absalom viueret et omnes nos occubuissemus: tunc placeret tibi. 7 Nunc igitur surge et procede: et alloquens satisfac seruis tuis. Iuro enim tibi per dominum: quod si non exieris nec vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac: et peius erit hoc tibi quam omnia mala que venerunt super te· ab adolescentia tua vsque in presens. 8 Surrexit ergo rex: et sedit in porta. Et omni populo nunciatum est: quod rex sederet in porta. Venitque vniuersa multitudo coram rege: israhel autem fugit in tabernacula sua. 9 Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus israhel dicens. Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum: ipse saluauit nos· de manu philistinorum: et nunc fugit de terra propter absalom. 10 Absalon autem quem vnximus super nos· mortuus est in bello. Vsquequo siletis: et non reducitis regem? Et consilium tocius israhel venit ad regem. 11 Rex vero dauid misit ad sadoch et abiathar sacerdotes dicens. Loquimini ad maiores natu iuda· dicentes. Cur venitis nouissimi ad reducendum regem in domum suam? Sermo autem omnis israhel peruenerat ad regem in domo eius: quia dixerat rex. Hec dicetis ad populum. 12 Fratres mei vos: os meum et caro mea vos. Quare nouissimi reducitis regem? 13 Et amase dicite. Nonne os meum es et caro mea? Hec faciat michi deus et hec addat: si non magister milicie fueris coram me omni tempore pro ioab. 14 Et inclinauit cor omnium virorum iuda quasi viri vnius. Miseruntque ad regem dicentes. Reuertere tu: et omnes serui tui. 15 Et reuersus est rex. Et venit vsque iordanen. Et omnis iuda venit vsque in galgala vt occurreret regi: et transduceret eum iordanem. 16 Festinauit autem semei filius gera filij iemini de bahurim: et descendit cum viris iuda in occursum regis dauid 17 cum mille viris de beniamin: et siba puer de domo saul et quindecim filij eius ac viginti serui erant cum eo. Et irrumpentes iordanen

ante regem [18] transierunt vada: vt transducerent domum regis: et facerent iuxta iussionem eius. Semei autem filius gera prostratus coram rege cum iam transisset iordanen: [19] dixit ad eum. Ne reputes michi domine mi iniquitatem: neque memineris iniuriarum serui tui in die qua egressus es domine mi rex de iherusalem: neque ponas rex in corde tuo. [20] Agnosco enim seruus tuus peccatum meum: et idcirco hodie primus veni de omni domo ioseph: descendique in occursum domini mei regis. [21] Respondens vero abisai filius sarine dixit. Numquid pro hijs verbis non occidetur semei· qui maledixit cristo domini? [22] Et ait dauid. Quid michi et vobis filij sarine? Cur efficimini michi hodie in sathan? Ergo ne hodie interficietur vir in israhel? An ignoro hodie me factum regem super israhel? [23] Et ait rex semei. Non morieris. Iurauitque ei. [24] phiboseth quoque filius saul· descendit in occursum regis illotis pedibus et intonsa barba: vestesque suas non lauerat a die qua egressus fuerat rex: vsque ad diem reuersionis eius in pace. [25] Cumque occurrisset regi: dixit ei rex. Quare non venisti mecum miphiboseth? [26] Et respondens ait· domine mi rex: seruus meus contempsit me. Dixique ei ego famulus tuus vt sterneret michi asinum: et ascendens abirem cum rege. Claudus enim sum seruus tuus. [27] Insuper et accusauit me seruum tuum: ad te dominum meum regem. Tu autem domine mi rex sicut angelus dei es: fac quod placitum est tibi. [28] Neque enim fuit domus patris mei· nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me seruum tuum· inter conuiuas mense tue. Quid ergo habeo iuste querele: aut quid possum vltra vociferari ad regem? [29] Ait ergo ei rex. Quid vltra loqueris? Fixum est quod locutus sum. Tu et siba diuidite possessiones. [30] Responditque miphiboseth regi. Eciam cuncta accipiat: postquam reuersus est dominus meus rex pacifice in domum suam. [31] Berzellai quoque galaadites senex valde descendens de rogelim transduxit regem iordanem: paratus eciam vltra fluuium prosequi eum. [32] Erat autem berzellai galaadites senex valde id est octogenarius: et ipse prebuit alimenta regi· cum moraretur in castris. Fuit quippe vir dives nimis. [33] Dixit itaque rex ad berzellai. Veni mecum: vt requiescas securus in iherusalem. [34] Et ait berzellai ad regem. Quot sunt dies annorum vite mee: vt ascendam cum rege in iherusalem? [35] Octogenarius sum hodie. Num vigent sensus mei· ad discernedum suaue aut amarum: aut delectare potest seruum tuum cibus aut potus vel audire possum vltra vocem cantorum atque cantatrincum? Quare seruus tuus fit oneri domino meo regi? [36] Paululum procedam famulus tuus ab iordane tecum. Nunc indigeo hac vicissitudine· [37] sed obsecro vt reuertar seruus tuus· et moriar in ciuitate mea: et sepeliar iuxta sepulcrum patris mei· et matris mee. Est autem seruus tuus chammaam ipse vadat tecum domine mi rex: et fac ei quicquid tibi bonum videtur. [38] Dixit itaque ei rex. Mecum transeat chamaam: et ego faciam ei quicquid tibi placuerit: et omne quod petieris a me impetrabis. [39] Cumque transisset vniuersus populus et rex iordanen restitit: et osculatus est rex berzellai et benedixit ei: et ille reuersus est in locum suum. [40] Transiuit ergo rex in galgalam: et chamaam cum eo. Omnis autem populus iuda transduxerat regem: et media tantum pars affuerat de populo israhel. [41] Itaque omnes viri israhel· concurrentes ad regem: dixerunt ei. Quare te furati sunt fratres nostri viri iuda· et transduxerunt regem et domum eius iordanen· omnesque viros dauid cum eo? [42] Et respondit omnis vir iuda· ad viros israhel. Quia michi propior est rex. Cur irasceris super hac re? Nunquid comedimus aliquid ex rege: aut munera nobis data sunt? [43] Et respondit vir israhel ad viros iuda: et ait. Decem partibus maior ego sum apud regem: magisque ad me pertinet dauid quam ad te. Cur fecisti michi iniuriam: et non michi nunciatum est priori vt reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri iuda· viris israhel.

20 Accidit que vt ibi esset vir· belial· nomine seba filius bochri· vir iemineus: et cecinit bucina et ait. Non est nobis pars in dauid: neque hereditas in filio ysai. Reuertere in tabernacula tua israhel. [2] Et separatus est omnis israhel a dauid· secutusque est seba filium bochri: viri autem iuda adheserunt regi suo a iordanne vsque iherusalem. [3] Cumque venisset rex in domum suam iherusalem tulit decem mulieres concubinas quas dereliquerat ad custodiendam domum: et tradidit eas in custodiam alimenta eis prebens. Et non est ingressus ad eas: sed erant clause vsque ad diem mortis sue in viduitate viuentes. [4] Dixit autem rex ammase. Conuoca michi omnes viros iuda· in diem tercium: et tu adesto presens. [5] Abijt ergo amasa· vt conuocaret iudam: et moratus est extra placitum quod ei constituerat rex. [6] Ait autem dauid ad abisai. Nunc magis afflicturus est nos seba filius bochri· quam absalon. Tolle ergo seruos domini tui et persequere eum: ne forte inueniat ciuitates munitas et effugiat nos. [7] Egressi sunt ergo cum eo viri ioab: cerethi quoque et felethi et omnes robusti exierunt de iherusalem· ad persequendum seba filium bochri. [8] Cumque illi essent iuxta lapidem grandem· qui est in gabaon: amasa veniens occurrit eis. Porro ioab vestitus erat tunica stricta· ad mensuram habitus sui: et desuper accinctus gladio dependente vsque ad ilia in vagina: qui fabrifactus leui motu egredi poterat et percutere. [9] Dixit itaque ioab ad amasam. Salue mi frater. Et tenuit manu dextra mentum amase: quasi osculans eum. [10] Porro amasa non obseruauit gladium· quem habebat ioab. Qui percussit eum in latere: et effudit intestina eius in terram· et mortuus est: nec secundum vulnus apposuit. Ioab autem et abisai frater eius· persecuti sunt seba filium bochri. [11] Interea quidam viri cum stetissent iuxta cadauer amase de socijs ioab· dixerunt. Ecce qui esse voluit pro ioab comes dauid. [12] Amasa autem conspersus sanguine· iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quod subsisteret omnis populus ad videndum eum: et amouit amasam de via in agrum: operuitque eum vestimento· ne subsisterent transeuntes propter eum. [13] Amoto ergo illo de via transibat omnis vir sequens ioab: ad persequendum siba filium bochri. [14] Porro ille transierat per omnes tribus israhel vsque in abelam et in bethmacha: omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. [15] Venerunt itaque et oppugnabant eum in abela et in bethmacha: et circumdederunt munitionibus ciuitatem: et obsessa est vrbs. Omnis autem turba que erat cum ioab· moliebatur destruere muros. [16] Et exclamauit mulier sapiens de ciuitate. Audite audite: dicite ioab: appropinqua huc et loquar tecum. [17] Qui cum accessisset ad eam: ait illi. Tu es ioab? Et ille respondit. Ego. Ad quem sic locuta est. Audi sermones ancille tue. Qui respondit. Audio. [18] Rursumque illa: sermo inquit dicebatur in veteri prouerbio. Qui interrogant interrogent in abela: et sic proficiebant. [19] Nonne ego sum que respondeo veritatem in israhel: et tu queris subuertere ciuitatem: et euertere matrem in israhel? Quare precipitas hereditatem domini? [20] Respondensque ioab ait. Absit· absit hoc a me: non precipito· neque demolior. [21] Non se sic habet res. Sed homo de monte effraim seba filius bochri cognomine: leuauit manum suam contra regem dauid. Tradite illum solum: et recedemus a ciuitate. Et ait mulier ad ioab. Ecce caput eius mittetur ad te per murum. [22] Ingressa est ergo ad omnem populum: et locuta est eis sapienter. Qui abscisum caput sebe filij bochri proiecerunt ad ioab. Et ille cecinit tuba: et recesserunt ab vrbe vnusquisque in tabernacula sua. Ioab autem reuersus est iherusalem ad regem. [23] Fuit ergo ioab super omnem exercitum israhel: banaias autem filius ioiade super ceretheos et feletheos: [24] aduram vero super tributa: porro iosaphat filius ahilud· a comentarijs. [25] Siba autem scriba: sadoch vero et abiathar sacerdotes: [26] hira autem iharites erat sacerdos dauid.

21 Facta est que fames in diebus dauid tribus annis iugiter. Et consuluit dauid oraculum domini: dixitque dominus? Propter saul et domum sanguinum: quia occidit gabaonitas. [2] Vocatis ergo gabaonitis rex: dixit ad eos. Porro gabaonite non sunt de filijs israhel: sed reliquie amorreorum. Filij quippe israhel iurauerant eis: et voluit saul percutere eos zelo quasi pro filijs israhel et iuda. [3] Dixit ergo dauid ad gabaonitas. Quid faciam vobis: et quod erit vestrum piaculum vt benedicatis hereditati domini? [4] Dixeruntque ei gabaonite. Non est nobis super argento et auro questio: sed contra saul et contra domum eius: neque volumus vt interficiatur homo de israhel. Ad quos rex ait. Quid ergo vultis vt faciam vobis? [5] Qui dixerunt regi. Virum qui attriuit nos et oppressit inique ita delere debemus: vt nec vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus israhel. [6] Dentur nobis septem viri de filijs eius: vt crucifigamus eos domino in gabaa saul quondam electi domini. Et ait rex. Ego dabo. [7] Pepercitque rex miphiboseth filio ionathe filij saul. propter iusiurandum: quod fuerat inter dauid et ionathan filium saul.

8 Tulit itaque rex duos filios respha filie a quos peperit saul armom: et phibosech et quinque filios michol filie saul quos genuerat hadrieli filio berzellai qui fuit de molathi: 9 et dedit eos in manus gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram domino. Et ceciderunt hij septem simul occisi in diebus messis prime: incipiente messione ordei. 10 Tollens autem respha filia ahia cilicium substrauit sibi supra petram ab inicio messis· donec stillaret aqua super eos de celo: et non dimisit aues lacerare eos per diem: neque bestias per noctem. 11 Et nunciata sunt dauid que fecerat respha filia ahia concubina saul. 12 Et abijt dauid et tulit ossa saul· et ossa ionathe filij eius a viris iabes galaad qui furati fuerant ea de platea bethsan· in qua suspenderant eos philistijm cum interfecissent saul in gelboe: 13 et asportauit inde ossa saul· et ossa ionathe filij eius: et colligentes ossa eorum qui affixi fuerant· 14 sepelierunt ea cum ossibus saul· et ionathe filij eius: in terra beniamin in latere sepulcri cis patris saul. Feceruntque omnia que preceperat rex: et repropiciatus est deus terre post hec. 15 Factum est autem rursum prelium philistinorum aduersum israhel: et descendit dauid et serui eius cum eo: et pugnabant contra philistijm. Deficiente autem dauid· 16 ielbi de nob· qui fuit de genere arafa cuius ferrum haste trecentas vncias appendebat· et accinctus erat ense nouo· nisus est percutere dauid: 17 presidioque ei fuit abisai filius saruie: et percussum philisteum interfecit. Tunc iurauerunt viri dauid dicentes. Iam non egredieris nobiscum in bellum: ne extinguas lucernam israhel. 18 Secundum quoque fuit bellum in gob: contra philisteos. Tunc percussit sobochai de vsachi· zaph de stirpe arafa· de genere gigantum. 19 Tercium quoque fuit bellum in gob contra philisteos: in quo percussit adeodatus filius saltus polimitarius bethleemites goliath getheum: cuius hastile haste erat quasi liciatorium texentium. 20 Quartum bellum fuit in geth: in quo vir fuit excelsus qui senos in manibus pedibusque habebat digitos id est viginti et quatuor: et erat de origine arafa: 21 et blasphemauit israhel. Percussit autem eum ionathas filius sammaa fratris dauid. 22 Hij quatuor nati sunt de arafa in geth: et ceciderunt in manu dauid et seruorum eius.

22 Locutus est autem dauid· domino verba carminis huius: in die qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorum suorum: et de manu saul. 2 Et ait. Dominus petra mea· et robur meum: et saluator meus. 3 Deus dominus fortis meus: sperabo in eum. Scutum meum et cornu salutis mee: eleuator meus· et refugium meum· saluator meus: de iniquitate liberabis me. 4 Laudabilem inuocabo dominum: et ab inimicis meis saluus ero. 5 Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes belial terruerunt me. 6 Funes inferi circumdederunt me: preuenerunt me laquei mortis. 7 In tribulatione mea inuocabo dominum: et ad deum meum clamabo. Et exaudiet de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus veniet ad aures eius. 8 Commota est et contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt et conquassata: quoniam iratus est eis. 9 Ascendit fumus de naribus eius: et ignis de ore eius vorauit: carbones succensi sunt ab eo. 10 Et inclinauit celos et descendit: et caligo sub pedibus eius. 11 Et ascendit super cherubin et volauit: et lapsus est super pennas venti. 12 Et posuit tenebras circuitu suo latibulum: cribrans aquas de nubibus celorum. 13 Pre fulgore in conspectu eius nubes: succensi sunt carbones ignis. 14 Tonabit de celo dominus: et excelsus dabit vocem suam. 15 Misit sagittas suas et dissipauit eos: fulgura et consumpsit eos. 16 Et apparuerunt effusiones maris: et reuelata sunt fundamenta orbis· ab increpacione domini: ab inspiracione spiritus furoris eius. 17 Misit de celo· et assumpsit me: et traxit me de aquis multis. 18 Liberauit me ab inimico meo potentissimo: et ab hijs qui oderant me: quoniam robustiores me erant. 19 Preuenit me in die afflictionis mee: et factus est dominus firmamentum meum. 20 Et eduxit me in latitudinem: liberauit me quia complacui ei. 21 Retribuet michi dominus secundum iusticiam meam: et secundum mundiciam manuum mearum reddet michi. 22 Quia custodiui vias domini: et non egi impie a deo meo. 23 Omnia enim iudicia eius in conspectu meo: et precepta eius non amoui a me. 24 Et ero perfectus coram eo: et custodiam me ab iniquitate mea. 25 Et restituet michi dominus secundum iusticiam meam: et secundum mundiciam manuum mearum in conspectu oculorum suorum. 26 Cum sancto sanctus eris: et cum robusto perfectus. 27 Cum electo electus eris: et cum peruerso subuerteris. 28 Et populum pauperem saluum facies: oculisque tuis excelsos humiliabis. 29 Quia tu lucerna mea domine: et tu domine illuminabis tenebras meas. 30 In te enim curram accinctus: in deo meo transiliam murum. 31 Deus inmaculata via eius: eloquium domini igne examinatum: scutum est omnium sperantium in se. 32 Quis est deus preter dominum: et quis deus fortis preter dominum nostrum? 33 Deus qui accinxit me fortitudine: et complanauit perfectam viam meam. 34 Coequans pedes meos ceruis· et super excelsa mea statuens me. 35 Docens manus meas ad prelium: et componens quasi arcum ereum brachia mea. 36 Dedisti michi clipeum salutis tue: et mansuetudo mea multiplicauit me. 37 Dilatabis gressus meos subtus me: et non deficient tali mei. 38 Persequar inimicos meos· et conteram: et non conuertar donec consumam eos. 39 Consumam eos et confringam vt non consurgant: cadent sub pedibus meis. 40 Accinxisti me fortitudine ad prelium: incuruasti resistentes michi subtus me. 41 Inimicos meos dedisti michi dorsum: odientes me. et disperdam eos. 42 Clamabunt et non erit qui saluet: ad dominum: et non exaudiuit eos. 43 Delebo eos vt puluerem terre: quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam. 44 Saluabis me a contradictionibus populi mei: custodies me in caput gentium. Populus quem ignoro seruiet michi: 45 filij alieni resistent michi: auditu auris obedient michi. 46 Filij alieni defluxerunt: et contrahentur in angustijs suis. 47 Viuit dominus et benedictus deus meus: et exaltabitur deus fortis salutis mee. 48 Deus qui das vindictas michi: et deicis populos sub me. 49 Qui educis me ab inimicis meis: et a resistentibus michi eleuas me: a viro iniquo liberabis me· 50 propterea confitebor tibi domine in gentibus: et nomini tuo cantabo. 51 Magnificantis salutem regis sui: et facienti misericordiam cristo suo dauid in sempiternum. et semini eius in sempiternum.

23 Hec autem sunt que verba nouissima: dixit dauid filius ysai. Dixit vir cui constitutum est de cristo dei iacob: egregius psaltes israhel. 2 Spiritus domini locutus est per me: et sermo eius per linguam meam. 3 Dixit. Deus israhel michi locutus est: fortis israhel. Dominator hominum iustus: et dominator in timore dei. 4 Sicut lux aurore oriente sole mane absque nubibus rutilat: et sicut pluuijs germinat herba de terra. 5 Nec tanta est domus mea apud deum: vt pactum eternum iniret mecum· firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea et omnis voluntas: nec est quicque ex ea quod non germinet. 6 Preuaricatores autem quasi spine euellentur vniuersi: que non tolluntur manibus. 7 Et si quis tangere voluerit eas· armabitur ferro et ligno lanciato: igneque succense comburentur vsque ad nichilum. 8 Hec nomina fortium dauid. Dauid sedens in cathedra: sapientissimus princeps inter tres. Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus: qui octingentos interfecit impetu vno. 9 Post hunc eleazar filius patrui eius· ahoi inter tres fortes qui erant cum dauid: quando exprobrauerunt philistijm et congregati sunt illuc in prelium. 10 Cumque ascendissent filij israhel· ipse stetit et percussit philisteos: donec deficeret manus eius· et obrigesceret cum gladio. Fecitque dominus salutem magnam in die illa: et populus qui fugerat reuersus est ad cesorum spolia detrahenda. 11 Et post hunc sammaa filius agge de arari. Et congregati sunt philistijm in stacione. Erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus a facie philistijm 12 stetit ille in medio agri et tuitus est eum. Percussitque philisteos: et fecit dominus salutem magnam. 13 Necnon et ante descenderant tres qui erant principes inter triginta: et venerant tempore messis ad dauid in speluncam odollam. Castra autem philistinorum erant posita in valle gigantum: 14 et dauid erat in presidio: porro stacio philistinorum tunc erat in bethleem. 15 Desiderauit ergo dauid et ait. O si quis michi daret potum aque de cisterna: que est in bethleem· iuxta portam. 16 Irruperunt ergo tres fortes castra philistinorum: et hauserunt aquam de cisterna bethleem· que erat iuxta portam: et attulerunt ad dauid. At ille noluit bibere: sed libauit illam domino 17 dicens. Propicius sit michi dominus: ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum qui profecti suut· et animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere. Hec fecerunt tres robustissimi. 18 Abisai quoque frater ioab filius sarine· princeps erat de tribus. Ipse est qui leuauit hastam

suam· contra trecentos quos interfecit: nominatus in tribus: [19] et inter tres nobilior: eratque eorum princeps: sed vsque ad tres primos non peruenerat. [20] Et banaias filius ioiade viri fortissimi· magnorum operum de capseel. Ipse percussit duos leones moab: et ipse descendit et percussit leonem in media cisterna in diebus niuis. [21] Ipse quoque interfecit virum egiptium: virum dignum spectaculo: habentem in manu hastam. Itaque cum descendisset ad eum in virga· inextorsit hastam de manu egiptij: et interfecit eum hasta sua. [22] Hec fecit banaias filius ioiade. [23] Et ipse nominatus inter tres robustos· qui erant inter triginta nobiliores: verumpretamen vsque ad tres non peruenerat. Fecitque eum sibi dauid auricularium a secreto. [24] Asahel frater ioab: inter triginta. Elea filius patrui eius· de bethleem. [25] Semma de arari. Elicha de arodi. [26] Heles de phalti. Hira filius acces de thecua. [27] Abieser de anathot. Mobonnai de vsathi. [28] Selmon ahoites. Macharai netophatites. [29] Eleph filius baana: et ipse netophatites. Itai filius ribai: de gebeeth filiorum beniamin. [30] Banai pharatonites. Heldai de torrente gaas. [31] Albialbon arbathites. Azmaueth de beromi. [32] Eliaba de salboni. Filij iasen: ionathan [33] semma de orodi· Haiam filius sarar arothites. [34] Elifeleth filius aasbai filij maachari. Heliam filius achitofel gelonites. [35] Esrai de carmelo. Farai de arbi. [36] Igaal filius nathan· de soba. Bonni de gaddi. [37] Selech de ammoni. Maarai berothites armiger ioab filij sarine. [38] Ira ihetrites. Gareb et ipse ihetrites. [39] Vrias etheus. O mnes trigintaseptem. triginta septem.

24 Et addidit furor domini irasci contra israhel: commouitque dauid in eis dicentem ad ioab. Vade numera israhel et iudam. [2] Dixitque rex ad ioab principem exercitus sui. Perambula omnes tribus israhel· a dan vsque ad bersabee· et numerate populum: vt sciam numerum eius. [3] Dixitque ioab regi. Adaugeat dominus deus tuus ad populum tuum quantus nunc est: iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis. Sed quid sibi dominus meus rex vult in re huiuscemodi? [4] Obtinuit autem sermo regis verba ioab: et principum exercitus. Egressusque est ioab et principes militum a facie regis: vt numerarent populum israhel. [5] Cumque pertransissent iordanen· venerunt in aroer ad dexteram vrbis que est in valle gad: [6] et per iazer transierunt in galaad· et in terram inferiorem hodsi: et venerunt in dan siluestria. Circueuntesque iuxta sydonem [7] transierunt prope menia tyri et omnem terram euei et chananei: veneruntque ad meridiem iuda in bersabee: [8] et lustrata vniuersa terra· affuerunt post nouem menses et viginti dies in iherusalem. [9] Dedit ergo ioab numerum descriptionis populi regi. Et inuenta sunt de israhel· octingenta milia virorum fortium qui educerent gladium: et de iuda quingenta milia pugnatorum. [10] Percussit autem cor dauid eum postquam numeratus est populus. Et dixit dauid ad dominum. Peccaui valde in hoc facto: sed precor domine vt transferas iniquitatem serui tui quia stulte egi nimis. [11] Surrexit itaque dauid mane: et sermo domini factus est ad gad prophetam et videntem dauid dicens. [12] Vade et loquere ad dauid. Hec dicit dominus. Trium tibi datur optio: elige vnum quod volueis ex hijs: vt faciam tibi. [13] Cumque venisset gad ad dauid: nunciauit ei dicens. Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos et illi te persequentur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera: et vide quem respondeam ei qui me misit sermonem. [14] Dixit autem dauid ad gad. Coartor nimis: sed melius est vt incidam in manus domini: multe enim misericordie eius sunt: quam in manibus hominum. [15] Immisitque dominus pestilentiam in israhel· de mane vsque ad tempus constitutum: et mortui sunt ex populo a dan vsque bersabee septuaginta milia virorum. [16] Cumque extendisset manum suam angelus dei super iherusalem vt disperderet eam: misertus est dominus super afflictione: et ait angelo percutienti populum. Sufficit nunc: contine manum tuam. Erat autem angelus domini iuxta aream areuna ihebusei. [17] Dixitque dauid ad dominum: cum vidisset angelum cedentem populum. Ego sum qui peccaui et ego inique egi isti qui oues sunt quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me: et contra domum patris mei. [18] Venit autem gad propheta ad dauid in die illa: et dixit ei. Ascende et constitue altare domino: in area areuna ihebusei. [19] Et ascendit dauid iuxta sermonem gad: quem preceperat ei dominus. [20] Conspiciensque areuna animaduertit regem et seruos eius transire ad se: [21] et egressus adorauit regem prono vultu in terram et ait. Quod cause est vt veniat dominus meus rex ad seruum suum? Cui dauid ait. Vt emam a te aream: et edificem altare domino: et cesset interfectio que grassatur in populo. [22] Et ait areuna ad dauid. Accipiat et offerat dominus meus rex: sicut placet ei. Habes boues in olocaustum: et plaustrum et iuga boum in vsum lignorum. [23] Omnia dedit areuna regi. Dixitque areuna ad regem. Dominus deus tuus suscipiat votum tuum. [24] Cui respondens rex ait. Nequaquam vt vis sed emam precio a te: et non offeram domino deo meo olocausta gratuita. Emit ergo dauid aream et boues argenti siclis quinquaginta: [25] et edificauit ibi dauid altare domino: et obtulit olocausta et pacifica. Et repropiciatus est dominus terre: et cohibita est plaga ab israhel.

Regum III

Incipit tercius.

1 Et rex dauid senuerat: habebatque etatis plurimos dies. Cumque operiretur vestibus non calefiebat. [2] Dixerunt ergo ei serui sui. Queramus domino nostro regi adolescentulam virginem: et stet coram rege· et foueat eum dormiatque in sinu suo: et calefaciat dominum nostrum regem. [3] Quesierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus israhel: et inuenerunt abisac sunamitem· et adduxerunt eam ad regem. [4] Erat autem puella pulcra nimis: dormiebatque cum rege· et ministrabat ei: rex vero non cognouit eam. [5] Adonias autem filius agith eleuabatur dicens. Ego regnabo. Fecitque sibi currus et equites: et quinquaginta viros qui currerent ante eum. [6] Nec corripuit eum pater suus aliquando dicens. Quare hoc fecisti? Erat autem et ipse pulcer valde: secundus natu post absalon. [7] Et sermo eius cum ioab filio sarine· et cum abiathar sacerdote: qui adiuuabant partes adonie. [8] Sadoch vero sacerdos· et banaias filius ioiade et nathan propheta et semei et cerethi et felethi· et omne robur exercitus dauid non erat cum adonia. [9] Immolatis ergo adonias arietibus et vitulis et vniuersis pinguibus iuxta lapidem zoeleth qui erat vicinus fonti rogel: vocauit vniuersos fratres suos filios regis· et omnes viros iuda seruos regis: [10] nathan autem prophetam et banaiam et robustos quosque et salomonem fratrem suum non vocauit. [11] Dixit itaque nathan ad bethsabee matrem salomonis. Num audisti quod regnauerit adonias filius agith et dominus noster dauid hoc ignorat? [12] Nunc ergo veni accipe consilium a me: et salua animam tuam filijque tui salomonis. [13] Vade et ingredere ad regem dauid: et dic ei. Nonne tu domine mi rex iurasti michi ancille tue dicens: quod salomon filius tuus regnabit post me· et ipse sedebit in solio meo? Quare ergo regnat adonias? [14] Et adhuc ibi te loquente cum rege ego veniam post te: et complebo sermones tuos. [15] Ingressa est itaque bethsabee ad regem in cubiculo. Rex autem senuerat nimis: et abisac sunamitis ministrabat ei. [16] Inclinauit se bethsabee: et adorauit regem. Ad quam rex· quid tibi inquit vis? [17] Que respondens ait. Domine mi tu iurasti per dominum deum tuum ancille tue: salomon filius tuus regnabit post me et ipse sedebit in solio meo: [18] et ecce nunc adonias regnat· te domine mi rex ignorante. [19] Mactauit boues et pinguia queque et arietes plurimos: et vocauit omnes filios regis· abiathar quoque sacerdotem· et ioab principem milicie: salomonem autem seruum tuum non vocauit. [20] Verumtamen domine mi rex in te oculi respiciunt tocius

israhel: vt indices eis quis sedere debeat in solio tuo domine mi rex post te. 21 Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis: erimus ego et filius meus salomon peccatores. 22 Adhuc illa loquente cum rege: nathan propheta venit. 23 Et nunciauerunt regi dicentes. Adest nathan propheta. Cumque introisset in conspectu regis et adorasset eum pronus in terram: 24 dixit nathan. Domine mi rex tu dixisti· adonias regnet post me· et ipse sedeat super thronum meum? 25 Quia descendit hodie· et immolauit boues et pinguia et arietes plurimos: et vocauit vniuersos filios regis et principes. Abiathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus et bibentibus coram eo· et dicentibus viuat rex adonias· 26 me seruum tuum· et sadoch sacerdotem et banaiam filium ioiade et famulum tuum salomonem non vocauit. 27 Nunquid a domino meo rege exiuit hoc verbum: et michi non indicasti seruo tuo· quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum? 28 Et respondit rex dauid dicens. Vocate ad me bethsabee. Que cum fuisset ingressa coram rege· et stetisset ante eum: 29 iurauit rex et ait. Viuit dominus qui eruit animam de omni angustia: 30 quia sicut iuraui tibi per dominum deum israhel dicens salomon filius tuus regnabit post me· et ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie. 31 Summissoque bethsabee in terram vultu: adorauit regem dicens. Viuat dominus meus rex dauid· in eternum. 32 Dixitque rex dauid. Vocate michi sadoch sacerdotem· et nathan prophetam: et banaiam filium ioiade. Qui cum ingressi fuissent coram rege: 33 dixit ad eos. Tollite vobiscum seruos domini vestri: et imponite salomonem filium meum super mulam meam· et ducite eum in gion: 34 et vnguat eum ibi sadoch sacerdos et nathan propheta in regem super israhel. Et canetis bucina: atque dicetis. Viuat rex salomon. 35 ascendetis post eum sedebit venietis in iherusalem: et sedebit Et super· solium meum: et ipse regnabit pro me illique precipiam: vt sit dux super israhel et super iudam. 36 Et respondit banaias filius ioiade regi dicens. Amen. Sic loquatur dominus deus domini mei regis. 37 Quomodo fuit dominus cum domino meo rege· sic sit cum salomone: et sublimius faciat solium eius· a solio domini mei regis dauid. 38 Descendit ergo sadoch sacerdos et nachan propheta et banaias filius ioiade· et cerethi et felethi et imposuerunt salomonem super mulam regis dauid: et adduxerunt eum in gion. 39 Sumpsitque sadoch sacerdos cornu olei de tabernaculo· et vnxit salomonem: et cecinerunt bucina: et dixit omnis populus. Viuat rex salomon. 40 Et ascendit vniuersa multitudo post eum et populus canentium tibijs et letantium gaudio magno: et insonuit terra a clamore eorum. 41 Audiuit autem adonias: et omnes qui inuitati fuerant ab eo. Iamque conuiuium finitum erat. Sed et ioab audita voce tube· ait. Quid sibi vult clamor ciuitatis tumultuantis? 42 Adhuc illo loquente: ionathan filius abiathar sacerdotis venit. Cui dixit adonias. Ingredere quia vir fortis es: et bona nuncians. 43 Responditque ionathan adonie. Nequaquam. Dominus enim noster rex dauid regem constituit salomonem: 44 misitque cum eo sadoch sacerdotem et nathan prophetam· et banaiam filium ioiade· et cerethi et felethi: et imposuerunt eum super mulam regis. 45 Vnxeruntque eum sadoch sacerdos et nathan propheta regem in gion: et ascenderunt inde letantes: et insonuit ciuitas. Hec est vox quam audistis. 46 Sed et salomon sedet super solium regni: 47 et ingressi serui regis benedixerunt domino nostro regi dauid dicentes. Amplificet deus nomen salomonis super nomen tuum: et magnificet thronum eius super thronum tuum. Et adorauit rex in lectulo suo: insuper 48 et hec locutus est. Benedictus dominus deus israhel: qui dedit hodie sedentem in solio meo videntibus oculis meis. 49 Territi sunt ergo et surrexerunt omnes qui inuitati fuerant ab adonia: et iuit vnusquisque in viam suam. 50 Adonias autem timens salomonem surrexit et abijt in tabernaculum domini: tenuitque cornu altaris. 51 Et nunciauerunt salomoni dicentes. Ecce adonias timens regem salomonem tenet cornu altaris dicens. Iuret michi rex salomon hodie: quod non interficiat seruum suum gladio. 52 Dixitque salomon. Si fuerit vir bonus non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram: sinautem malum inuentum fuerit in eo· morietur. 53 Misit ergo rex salomon et eduxit eum ab altari: et ingressus adorauit regem salomonem. Dixitque ei salomon. Vade in domum tuam.

2 Appropinquauerunt autem dies dauid vt moreretur: precepitque salomoni filio suo dicens. 2 Ecce ego ingredior viam vniuerse terre. Confortare et esto vir fortis: 3 et obserua vt custodias mandata domini dei tui· vt ambules in vijs eius· et custodias cerimonias eius et precepta eius et iudicia et testimonia· sicut scriptum est in lege moysi: vt intelligas vniuersa que facis· et quocumque te verteris: 4 vt confirmet dominus sermones suos: quos locutus est dominus de me dicens. Si custodierint filij tui vias meas· et ambulauerint coram me in veritate· in omni corde suo· et in omni anima sua: non auferetur tibi vir de solio israhel. 5 Tu quoque nosti que fecerit michi ioab filius sarine· que fecerit duobus principibus exercitus israhel· abner filio ner et amasa filio iether· quos occidit et effudit sanguinem belli in pace: et posuit cruorem prelij in baltheo suo qui erat circa lumbos eius: et in calciamento suo quod erat in pedibus eius. 6 Facies ergo iuxta sapientiam tuam: et non deduces caniciem eius pacifice ad inferos. 7 Sed et filijs berzellai galaaditis reddes gratiam: eruntque comedentes in mensa tua. Occurrerunt enim michi: quando fugiebam a facie absalon fratris tui. 8 Habes quoque apud te semei filium gera filij iemini de baurim: qui maledixit michi maledictione pessima quando ibam ad castra. Sed quia descendit michi in occursum cum transirem iordanem et iuraui ei per dominum dicens non te interficiam gladio: 9 tu noli pati eum esse in noxium. Vir autem sapiens es vt scias que facies ei: deducesque canos eius cum sanguine ad inferos. 10 Dormiuit igitur dauid cum patribus suis: et sepultus est in ciuitate dauid. 11 Dies autem quibus regnauit dauid super israhel: quadraginta anni sunt. In hebron regnauit septem anis: in iherusalem vigintitribus. 12 Salomon autem sedit super thronum dauid patris sui: et firmatum est regnum eius nimis. 13 Et ingressus est adonias filius agith ad bethsabee matrem salomonis. Que dixit ei. Pacificus ne est ingressus tuus? Qui respondit. Pacificus. 14 Additditque. Sermo michi est ad te. Cui ait. Loquere. Et ille: 15 tu inquit nosti quia meum erat regnum· et me proposuerat omnis israhel sibi in regem: sed translatum est regnum et factum est fratris mei. A domino enim constitutum est ei. 16 Nunc ergo petitionem vnam precor a te: ne confundas faciem meam. Que dixit ad eum. Loquere. 17 Et ille ait. Precor vt dicas salomoni regi: neque enim negare tibi quicquam potest: vt det michi abisac sunamitem vxorem. 18 Et ait bethsabee. Bene ego loquar pro te regi. 19 Venit ergo bethsabee ad regem salomonem: vt loqueretur ei pro adonia. Et surrexit rex in occursum eius adorauitque eam: et sedit super thronum suum. Positusque est thronus matri regis: que sedit ad dexteram eius: 20 dixitque ei. Petitionem vnam paruulam ego deprecor a te: ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex. Pete mater mea. Neque enim fas est: vt auertam faciem tuam. 21 Que ait. Detur abisac sunamitis adonie fratri tuo vxor. 22 Responditque rex salomon: et dixit matri sue. Quare postulas abisac sunamitem adonie? Postula ei et regnum. Ipse est enim frater meus maior me: et habet abiathar sacerdotem· et ioab filium sarine. 23 Iurauit itaque rex salomon per dominum dicens. Hec faciat michi deus et hec addat: quia contra animam suam locutus est adonnias verbum hoc. 24 Et nunc viuit dominus qui firmauit me et collocauit me super solium dauid mei: et qui fecit michi domum sicut locutus est: quia hodie occidetur adonias. 25 Misitque rex salomon per manum banaie filij ioiade: qui interfecit eum et mortuus est. 26 Abiathar quoque sacerdoti dixit rex. Vade in anathot ad agrum tuum. Et quidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam: quia portasti archam domini dei coram dauid patre meo: et sustinuisti laborem in omnibus in quibus laborauit pater meus. 27 Eiecit ergo salomon abiathar vt non esset sacerdos domini: vt impleretur sermo domini· quem locutus est super domum heli in silo. 28 Venit autem nuncius ad salomonem quod ioab declinasset post adoniam: et post salomonem non declinasset. Fugit ergo ioab in tabernaculum domini: et apprehendit cornu altaris. 29 Nunciatumque est regi salomoni quod fugisset ioab in tabernaculum domini· et esset iuxta altare. Misitque salomon banaiam filium ioiade dicens. Vade interfice eum. 30 Et venit banaias ad tabernaculum domini: et dixit ei. Hec dicit rex. Egredere. Qui ait. Non egrediar sed hic moriar. Renunciauit banaias regi sermonem dicens. Hec locutus est ioab: et hec locutus est michi. 31 Dixitque ei rex. Fac sicut locutus est: et interfice eum et sepeli: et amouebis

sanguinem innocentem qui effusus est a ioab· a me et a domo patris mei: [32] et reddat dominus sanguinem eius super caput eius: quia interfecit duos viros iustos melioresque se: et occidit eos gladio patre meo dauid ignorante· abner filium ner principem milicie israhel: et amasam filium gether principem exercitus iuda. [33] Et reuertetur sanguis illorum in caput ioab et in caput seminis eius in sempiternum: dauid autem et semini eius et domui et throno illius sit pax vsque in eternum a domino. [34] Ascendit itaque ba ioiade banaias filius ioiade et aggressus eum percircuitum. interfecit: sepultusque est in domo sua in deserto. [35] Et constituit rex banaiam filium ioiade pro eo super exercitum: et sadoch quoque sacerdotem posuit pro abiathar. [36] Misit que rex et vocauit semei: dixitque ei. Edifica tibi domum in iherusalem· et habita ibi: et non egredieris inde huc atque illuc. [37] Quacumque autem die egressus fueris et transieris torrentem cedron: scito te ciendum. Sanguis tuus erit super caput tuum. [38] Dixitque semei regi. Bonus sermo· sicut locutus est dominus meus rex: sic faciet seruus tuus. Habitauit itaque semei in iherusalem diebus multis. [39] Factum est autem post annos tres: vt fugerent serui semei ad achis filium maacha regem geth. Nunciatumque est semei quod serui eius issent in geth. [40] Et surrexit semei et strauit asinum suum: iuitque ad achis in geth ad requirendum seruos suos: et adduxit eos de geth. [41] Nunciatum est autem regi salomoni quod isset semei in geth de iherusalem: et redisset. [42] Et mittens vocauit eum: dixitque illi. Nonne testificatus sum tibi per dominum· et predixi tibi: quacumque die egressus fueis huc et illuc· scito te esse moriturum? Et respondisti michi. Bonus sermo quem audiui. [43] Quare ergo non custodisti iusiurandum domini: et preceptum quod preceperam tibi? [44] Dixitque rex ad semei. Tu nosti omne malum cuius tibi conscium est cor tuum: quod fecisti dauid patri meo. Reddidit dominus maliciam tuam in caput tuum: [45] et rex salomon benedictus: et thronus dauid erit stabilis coram domino vsque in sempiternum. [46] Iussit itaque rex banaie filio ioiade: qui aggressus percussit eum et mortuus est.

3 Confirmatum Confirmatum igitur regnum in manu salomonis: et affinitate coniunctus est pharaoni regi egipti. Accepit namque filiam eius: et adduxit in ciuitatem dauid: donec compleret edificans domum suam· et domum domini et murum iherusalem [2] Attamen populus immolabat in excelsis. Non enim edificatum erat templum nomini domini: vsque in diem illum. [3] Dilexit autem salomon dominum ambulans in preceptis dauid patris sui: excepto quod in excelsis immolabat: et accendebat thimiama. [4] Abijt itaque in gabaon: vt immolaret ibi. Illud quippe erat excelsum maximum. Mille hostias in olocaustum obtulit salomon super altare illud in gabaon. domum suam· et domum domini et murum iherusalem per circuitum. Attamen populus immolabat in excelsis. Non enim edificatum erat templum nomini domini: vsque in diem illum. Dilexit autem salomon dominum ambulans in preceptis dauid patris sui: excepto quod in immolabar: miama. Abijt itaque in gabaon: vr immolaret ibi. Illud quippe erat excelsum maximum. Mille hostias in olocaustum obtulit salomon super altare illud in gabaon. [5] Apparuit autem dominus salomoni per somnium nocte· dicens. Postula quod vis: vt dem tibi. [6] Et ait salomon. Tu fecisti cum seruo tuo dauid patre meo misericordiam magnam: sicut ambulauit in conspectu tuo in veritate et iusticia et recto corde tecum. Custodisti ei misericordiam tuam grandem: et dedisti ei filium sedentem super thronum sicut est hodie. [7] Et nunc domine deus tu regnare fecisti seruum tuum: pro dauid patre meo. Ego autem sum puer paruulus· et ignorans egressum et introitum meum: [8] et seruus tuus in medio est populi quem elegisti: populi infiniti· qui enumerari et supputari non potest pre multitudine. [9] Dabis ergo seruo tuo cor docile vt populum tuum iudicare possit: et discernere inter bonum et malum. Quis enim poterit iudicare populum istum: populum tuum hunc multum? [10] Placuit ergo sermo coram domino: quod salomon postulasset huiuscemodi rem. [11] Et dixit dominus salomoni. Quia postulasti verbum hoc· et non petisti tibi dies multos· nec diuitias aut animas inimicorum tuorum: sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: [12] ecce feci tibi secundum sermones tuos. Et dedi tibi cor sapiens et intelligens: intantum· vt nullus ante te similis tui fuerit: nec post te surrecturus sit. [13] Sed et hec que non postulasti dedi tibi diuitias scilicet et gloriam: vt nemo fuerit similis tui in regibus· cunctis retro diebus. [14] Si autem ambulaueris in vijs meis· et custodieris precepta mea· et mandata mea· sicut ambulauit pater tuus: longos faciam dies tuos. [15] Igitur euigilauit salomon: et intellexit quod esset somnium. Cumque venisset iherusalem· stetit coram archa federis domini: et obtulit olocausta· et fecit victimas pacificas: et grande conuiuium· vniuersis famulis suis. [16] Tunc venerunt due mulieres meretrices ad regem: steteruntque coram eo. [17] Quarum vna ait. Obsecro mi domine: ego et mulier hec habitabamus in domo vna: et peperi apud eam in cubiculo. [18] Tercia autem die postquam ego peperi: peperit et hec: et eramus simul: nullusque alius nobiscum in domo· exceptis nobis duabus. [19] Mortuus est autem filius mulieris huius nocte. Dormiens quippe oppressit eum. [20] Et consurgens in tempeste noctis silentio· tulit filium meum de latere meo ancille tue dormientis· et collocauit in sinu suo: suum autem filium qui erat mortuus· posuit in sinu meo. [21] Cumque surrexissem mane vt darem lac filio meo: apparuit mortuus. Quem diligentius intuens clara luce: deprehendi non esse meum quem genueram. [22] Responditque altera mulier. Non est ita vt dicis: sed filius tuus mortuus est: meus autem viuit. Econtrario illa dicebat. Mentiris. Filius quippe meus viuit: et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. [23] Tunc rex ait. [24] Afferte michi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege: [25] diuidite inquit infantem viuum in duas partes: et date dimidiam partem vni· et dimidiam partem alteri. [26] Dixit autem mulier cuius filius erat viuus ad regem: commota sunt quippe viscera eius super filio suo. Obsecro domine date illi infantem viuum: et nolite interficere eum. Econtrario illa dicebat. Nec michi nec tibi sit: sed diuidatur. [27] Respondit rex· et ait. Date huic infantem viuum: et non occidatur. Hec est autem mater eius. [28] Audiuit itaque omnis israhel iudicium quod iudicasset rex: et timuerunt regem videntes sapientiam dei esse in eo ad faciendum iudicium.

4 Erat autem rex salomon regnans super omnem israhel: [2] et hij principes quos habebat. Azarias filius sadoch sacerdotis: [3] helioreph et ahia filij sesa scribe. Iosaphat filius ahilud a comentarijs. [4] Banaias filius ioiade super exercitum. Sadoch autem et abiathar sacerdotes: [5] azarias filius nathan super eos qui assistebant regi. Sabud filius nathan sacerdos: amicus regis: [6] et ahisar prepositus domus: et adoniram filius abda super tributa. [7] Habebat autem salomon duodecim prefectos super omnem israhel: qui prebebant annonam regi et domui eius. Per singulos enim menses in anno singuli necessaria ministrabant. [8] Et hec nomina eorum. Benhur in monte effraim. [9] Bendecar in macces· et in salebim· et in bethsames· et in helon et in bethanan. [10] Benesed in araboch. Ipsius enim erat socho: et omnis terra epher. [11] Benabinadab· cuius omnis nephador: thaphet filiam salomonis habebat vxorem. [12] Bana filius ahilud regebat thanach· et magedo et vniuersam bethsan· que est iuxta sarthana subter iesrahel: a bethsan vsque abelmeula eregione iecmaan. [13] Bengaber in ramoth galaad· habebat auothiair filij manasse in galaad. Ipse preerat in omni regione argob· que est in basan: sexaginta ciuitatibus magnis atque muratis que habebant seras ereas. [14] Ahinadab filius addo preerat in manaim. [15] Achimaas in neptalim. Sed et ipse habebat basemath filiam salomonis in coniugio. [16] Baana filius husi· in aser et in baloth. [17] Iosaphat filius pharue· in ysachar. [18] Semei filius hela· in beniamin. [19] Gaber filius suri in terra galaad· et in terra seon regis amorrei et og regis basan: super omnia que erant in illa terra. [20] Iuda et israhel innumerabiles sicut arena maris in multitudine: comedentes et bibentes atque letantes. [21] Salomon autem erat in dicione sua habens omnia regna secum a flumine terre philistijm vsque ad terminum egipti: offerentium sibi munera et seruientium ei cunctis diebus vite eius. [22] Erat autem cibus salomonis per dies singulos triginta chori simile et sexaginta chori farine: [23] decem boues pingues et viginti boues pascuales· et centum arietes: excepta venacione ceruorum caprearum atque bubalorum et auium altilium. [24] Ipse enim obtinebat omnem regionem que erat trans flumen quasi a thapsa vsque ad gazam· et cunctos reges illarum regionum: et habebat pacem ex omni parte in circuitu. [25] Habitabatque iuda et israhel

absque timore vllo vnusquisque sub vite sua et sub ficu sua· a dan vsque bersabee: cunctis diebus salomonis. [26] Et habebat salomon quadraginta milia presepia equorum curulium et duodecim milia equestrium: [27] nutriebantque eos supradicti regis prefecti: sed et necessaria mense regis salomonis cum ingenti cura prebebant in tempore suo. [28] Ordeum quoque et paleas equorum et iumentorum deferebant in locum vbi erat rex: iuxta constitutum sibi. [29] Dedit quoque deus sapientiam salomoni et prudentiam multam nimis et latitudinem cordis quasi arenam que est in litore maris: [30] et precedebat sapientia salomonis sapientiam omnium orientalium et egiptiorum: [31] et erat sapientior cunctis hominibus. Sapientior ethau ezraite· et heman· et calchal· et dorda· filijs maol: et erat nominatus in vniuersis gentibus per circuitum. [32] Locutus est quoque salomon tria milia parabolas: et fuerunt carmina eius quinque milia. [33] Et disputauit super lignis a cedro que est in libano vsque ad isopum que egreditur de pariete: et disseruit de iumentis et volucribus et reptilibus et piscibus. [34] Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam salomonis: et ab vniuersis regibus terre· qui audiebant sapientiam eius.

5 Misit quoque hiram rex tiri seruos suos ad salomonem. Audiuit enim quod ipsum vnxissent regem super israhel pro patre eius: quia amicus fuerat hiram dauid omni tempore. [2] Misit autem salomon ad hiram dicens. [3] Tu scis voluntatem dauid patris mei: et quia non poterat edificare domum nomini domini dei sui propter bella inminentia per circuitum: donec daret dominus eos sub vestigio pedum eius. [4] Nunc autem requiem dedit deus meus michi per circuitum: et non est sathan neque occursus malus: [5] quamobrem cogito edificare templum nomini domini dei mei sicut locutus est dauid patri meo dicens. Filius tuus quem dabo pro te super solium tuum: ipse edificabit domum nomini meo. [6] Precipe igitur vt precidant michi serui tui cedros de libano: et serui mei sint cum seruis tuis: mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris. Scis enim quomodo non est in populo meo vir: qui nouerit ligna cedere sicut sydonij. [7] Cum ergo audisset hiram verba salomonis· letatus est valde: et ait. Benedictus dominus deus hodie: qui dedit dauid filium sapientissimum super populum hunc plurimum. [8] Et misit hiram ad salomonem dicens. Audiui quecumque mandasti michi. Ego faciam omnem voluntatem tuam: in lignis cedrinis et abiegnis. [9] Serui mei deponent ea de libano ad mare· et ego componam ea in ratibus in mari· vsque ad locum quem significaueris michi· et applicabo ea ibi: et tu tolles ea. Prebebisque necessaria michi: vt detur cibus domui mee. [10] Itaque hiram dabat salomoni ligna cedrina· et ligna abiegna: iuxta omnem voluntatem eius. [11] Salomon autem prebebat hiram viginti milia choros tritici in cibum domui eius: et viginti choros purissimi olei. Hec tribuebat salomon hiram per singulos annos. [12] Dedit quoque dominus sapientiam salomoni sicut locutus est ei: et erat pax inter hiram et salomonem: et percusserunt ambo fedus. [13] Elegitque rex salomon operarios de omni israhel: et erat indictio triginta milia virorum. [14] Mittebatque eos in libanum· decem milia per menses singulos vicissim: ita vt duobus mensibus essent in domibus suis. Et adoniram erat super huiuscemodi indictionem. [15] Fuerunt itaque salomoni septuaginta milia eorum qui onera portabant: et octoginta milia latomorum in monte: [16] absque prepositis qui preerant singulis operibus numero trium milium et trecentorum: precipientium populo et hijs qui faciebant opus. [17] Precepitque rex vt tollerent lapides grandes lapides preciosos in fundamentum templi et quadrarent eos: [18] quos dolauerunt cementarij salomonis et cementarij hiram. Porro biblij preparauerunt ligna et lapides· ad edificandam domum.

6 Factum est ergo quadringentesimo· et octogesimo anno egressionis filiorum israhel de terra egipti in anno quarto mense zio ipse est mensis secundus regni salomonis super israhel: edificare cepit domum domino. [2] Domus autem quam edificabat rex salomon domino habebat sexaginta cubitos in longitudine: et viginti cubitos in latitudine: et triginta cubitos in latitudine: [3] Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis templi: et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi: [4] fecitque in templo fenestras obliquas. [5] Et edificauit super parietem templi tabulata per girum in parietibus domus per circuitum templi et oraculi: et fecit latera in circuitu. [6] Tabulatum quod subter erat quinque cubitos habebat latitudinis: et medium tabulatum· sex cubitorum latitudinis: et tercium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus: vt non hererent muris templi. [7] Domus autem cum edificaretur· de lapidibus dolatis atque perfectis edificata est: et malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo cum edificaretur. [8] Ostium lateris medij in pariete erat domus dextre: et per cocleam ascendebant in medium cenaculum: et a medio in tercium. [9] Et edificauit domum: et consummauit eam. Texit quoque domum laquearibus cedrinis: [10] et edificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis: et operuit domum lignis cedrinis. [11] Et factus est sermo domini ad salomonem dicens. [12] Domus hec quam edificas· si ambulaueris in preceptis meis· et iudicia mea feceris· et custodieris omnia mandata mea gradiens per ea: firmabo sermonem meum tibi quem locutus sum ad dauid patrem tuum· [13] et habitabo in medio filiorum israhel: et non derelinquam populum meum israhel. [14] Igitur edificauit salomon domum: et consummauit eam. [15] Et edificauit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis a pauimento domus vsque ad summitatem parietum· et vsque ad laquearia: et operuit lignis cedrinis intrinsecus: et texit pauimentum domus tabulis abiegnis. [16] Edificauitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi· tabulata cedrina a pauimento vsque ad superiora: et fecit interiorem domum oraculi in sanctum sanctorum. [17] Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi: [18] et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur habens tornaturas et iuncturas suas fabrefactas: et celaturas eminentes. Omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete. [19] Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat: vt poneret ibi arcam federis domini. [20] Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis et viginti cubitos latitudinis et viginti cubitos altitudinis: et operuit illud atque vestiuit auro purissimo. Sed et altare vestiuit cedro. [21] Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo: et affixit laminas clauis aureis. [22] Nichilque erat in templo: quod non auro tegeretur. Sed et totum altare oraculi texit auro. [23] Et fecit in oraculo duo cherubin de lignis oliuarum: decem cubitorum altitudinis. [24] Quinque cubitorum ala cherub vna· et quinque cubitorum ala cherub altera: id est decem cubitos habentes· a summitate ale· vsque ad ale alterius summitatem. [25] Decem quoque cubitorum erat cherub secundus in mensura pari: et opus vnum erat in duobus cherubin: [26] id est altitudinem habebat vnus cherub decem cubitorum et similiter cherub secundus. [27] Posuitque cherubin in medio templi interioris. Extendebant autem alas suas cherubin: et tangebat ala vna parietem et ala cherub secundi tangebat parietem alterum: ale autem altere in media parte templi se inuicem contingebant. [28] Texit quoque cherubin auro. [29] Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit varijs celaturis et torno. Et fecit in eis cherubin et palmas et picturas varias: quasi prominentes de pariete et egredientes. [30] Sed et pauimentum domus texit auro· intrinsecus et extrinsecus. [31] Et in ingressu oraculi fecit duo ostiola de lignis oliuarum· postesque angulorum quinque: [32] et duo ostia de lignis oliuarum. Et sculpsit in eis picturam cherubin· et palmarum species· et anaglifa· valde prominentia et texit ea auro: et operuit tam cherubin quam palmas et cetera auro. [33] Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum· quadrangulatos· [34] et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: et vtrumque ostium· duplex erat: et se inuicem tenens aperiebatur. [35] Et sculpsit cherubin et palmas et celaturas valde eminentes: operuitque omnia laminis aureis· opere quadro ad regulam. [36] Et edificauit atrium interius· tribus ordinibus lapidum politorum: et vno ordine lignorum cedri. [37] quarto fundata est domus domini in mense zio: [38] et in anno vndecimo mense ebul· ipse est mensis octauus· perfecta est domus in omni opere suo· et in vniuersis vtensilibus: edificauitque eam annis septem

7 Domum autem suam edificauit salomon tredecim annis: et ad perfectum vsque perduxit. [2] Edificauit quoque domum saltus libani centum cubitorum longitudinis· et quinquaginta cubitorum latitudinis· et triginta

cubitorum altitudinis: et quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas. Ligna quippe cedrina exciderat in columnas: [3] et tabulatis cedrinis vestiuit totam cameram: que quadragintaquinque columnis sustentabatur. Vnus autem ordo habebat columnas quindecim [4] contra se inuicem positas: [5] et eregione se respicientes equali spacio inter columnas: et super columnas quadrangulata ligna in cunctis equalia. [6] Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis· et triginta cubitorum latitudinis: et alteram porticum in faciem maioris porticus: et columnas et epistilia super columnas fecit. [7] Porticum quoque solij in qua tribunal est fecit: et texit lignis cedrinis a pauimento vsque ad summitatem: [8] et domuncula in qua sedebatur ad iudicandum· erat in medio porticu simili opere. Domum quoque fecit filie pharaonis quam vxorem duxerat salomon: tali opere quali et hanc porticum. [9] Omnia lapidibus preciosis· qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant: a fundamento vsque ad summitatem parietum: et intrinsecus vsque ad atrium maius. [10] Fundamenta autem de lapidibus preciosis lapidibus magnis· decem siue octo cubitorum: [11] et desuper lapides preciosi equalis mensure secti erant: similiterque de cedro. [12] Et atrium maius rotundum trium ordinum de lapidibus sectis: et vnius ordinis· de dolata cedro: necnon et in atrio· domus domini interiori et in porticu domus. [13] Misitque rex salomon· et tulit hiram de tyro [14] filium mulieris vidue de tribu neptalim patre tyrio artificem erarium: et plenum sapientia intelligentia et doctrina· ad faciendum omne opus ex ere. Qui cum venisset ad regem salomonem fecit omne opus eius: [15] et finxit duas columnas ereas decem et octo cubitorum altitudinis columnam vnam: et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque. [16] Duo quoque capitella que ponerentur super capita columnarum fusilia ex ere: quinque cubitorum altitudinis capitellum vnum· et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum: [17] et quasi in modum retis et catenarum sibi inuicem miro opere contextarum. Vtrumque capitellum columnarum fusile erat. Septena versuum reciacula in capitello vno: et septena reciacula in capitello altero. [18] Et perfecit columnas: et duos ordines per circuitum reciaculorum singulorum: vt tegerent capitella que erant super summitatem malorum granatorum. Eodem modo fecit et capitello secundo. [19] Capitella autem que erant super capita columnarum quasi opere lilij fabricata erant in porticu· quatuor cubitorum: [20] et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper iuxta mensuram columne contra reciacula. Malorum granatorum autem ducenti ordines erant: in circuitu capitelli secundi. [21] Et statuit duas columnas in porticu templi. Cumque statuisset columnam dexteram: vocauit eam nomine iachim. Similiter erexit columnam secundam: et vocauit nomen eius booz. [22] Et super capita columnarum opus in modum lilij posuit: perfectumque est opus columnarum. [23] Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio vsque ad labium: rotundum in circuitu. Quinque cubitorum altitudo eius: et resticula triginta cubitorum cingebant illud per circuitum: [24] et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare. Duo ordines sculpturarum histriatarum erant fusiles: [25] et stabant super duodecim boues. Equibus tres respiciebant ad aquilonem et tres ad occidentem· et tres ad meridiem· et tres ad orientem: et mare super eos desuper erat: quorum posteriora vniuersa intrinsecus latitabant. [26] Grossitudo autem luteris trium vnciarum erat: labiumque eius quasi labium calicis et folium repandi lilij. Duo milia batos capiebat: [27] et tria milia metretas. Et fecit bases decem eneas· quatuor cubitorum longitudinis· bases singulas: et quatuor cubitorum latitudinis et trium cubitorum altitudinis: [28] et ipsum opus basium interrasile erat. Et sculpture inter iuncturas: [29] et inter coronulas et plectas· leones et boues· et cherubin: et in iuncturis similiter desuper. Et subter leones et boues quasi lora ex ere dependentia: [30] et quatuor rote per bases singulas et axes erei: et per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles· contra se inuicem respectantes. [31] Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: et quod forinsecus apparebat vnius cubiti erat totum rotundum: pariterque habebat vnum cubitum et dimidium. In angulis autem columnarum varie celature erant: et media intercolumnia quadrata non rotunda. [32] Quatuor quoque rote que per quatuor angulos basis erant: coherebant sibi subter basim. Vna rota habebat altitudinis cubitum et semis. [33] Tales autem rote erant: quales solent in curru fieri. Et axes earum et radij· et canti et modioli: omnia fusilia. [34] Nam et humeruli illi quatuor per singulos angulos basis vnius: ex ipsa basi fusiles et coniuncti erant. [35] In summitate autem basis erat quedam rotunditas vnius et dimidij cubiti· ita fabrefacta vt luter desuper posset imponi: habens celaturas suas variasque sculpturas ex semetipsa. [36] Sculpsit quoque quoque in tabulatis illis que erant ex ere et in angulis· cherubin et leones· et palmas· quasi in similitudinem hominis stantis: vt non celata sed apposita per circuitum viderentur. [37] In hunc modum fecit decem bases: fusura vna et mensura· sculpturaque consimili. [38] Fecit quoque decem luteres eneos. Quadraginta batos capiebat luter vnus: eratque quatuor cubitorum. Singulosque luteres per singulas id est decem bases posuit: [39] et constituit decem bases· quinque ad dexteram partem templi et quinque ad sinistram: mare autem posuit ad dexteram partem templi contra orientem ad meridiem. [40] Fecit ergo hiram lebetes et scutras et amulas: et perfecit omne opus regis salomonis in templo domini: [41] columnas duas· et funiculos capitellorum super capita columnarum [42] et malogranata quadringenta in duobus reciaculiss: duos versus malorum granatorum in reciaculis singulis ad operiendos funiculos capitellorum qui erant super capita columnarum: [43] et bases decem et luteres decem super bases: [44] et mare vnum· et boues duodecim subter mare: [45] et lebetes et scutras amulas. Omnia vasa que fecit hiram regi salomoni in domo domini: de auricalco erant. [46] In campestri regione iordanis fudit ea rex in argillosa terra: inter sochot et sarthan. [47] Et posuit salomon omnia vasa in domo domini. Propter multitudinem autem nimiam· non erat pondus eris. [48] Fecitque salomon omnia vasa in domo domini: altare aureum· et mensam super quam ponerentur panes proposicionis auream: [49] et candelabra aurea quinque ad dexteram et quinque ad sinistram· contra oraculum ex auro puro: et quasi lilij flores· et lucernas desuper aureas· et forticipes aureos· [50] et ydrias· et fuscinulas· et fialas· et mortariola· et thuribula de auro purissimo: et cardines ostiorum domus interioris sancti sanctorum et ostiorum domus templi ex auro erant. [51] Et perfecit omne opus quod faciebat salomon in domo domini: et intulit que sanctificauerat dauid pater suus argentum et aurum et vasa: reposuitque in thesauris domus domini.

8 Tunc congregati sunt omnes maiores natu israhel cum principibus tribuum et duces familiarum filiorum israhel ad regem salomonem in iherusalem: vt deferrent arcam federis domini de ciuitate dauid id est de syon. [2] Conuenitque ad regem salomonem vniuersus israhel in mense bethanim in solemni die: ipse est mensis septimus. [3] Veneruntque cuncti senes de israhel: et tulerunt arcam sacerdotes: [4] et portauerunt arcam domini et tabernaculum federis et omnia vasa sanctuarij que erant in tabernaculo: et ferebant ea sacerdotes et leuite. [5] Rex autem salomon et omnis multitudo israhel que conuenerat ad eum gradiebatur cum illo ante arcam: et immolabant oues et boues absque estimatione et numero. [6] Et intulerunt sacerdotes arcam federis domini in locum suum in oraculum templi in sanctum sanctorum: subter alas cherubin. [7] Siquidem cherubin expandebant alas super locum arche: et protegebant arcam: et vectes eius desuper. [8] Cumque eminerent vectes et apparerent summitates eorum foris sanctuarium ante oraculum: non apparebant vltra extrinsecus: qui et fuerunt ibi vsque in presentem diem. [9] In arca autem non erat aliud nisi due tabule lapidee quas posuerat in ea moyses in oreb: quando pepigit dominus fedus cum filijs israhel· cum egrederentur de terra egipti. [10] Factum est autem cum exissent sacerdotes de sanctuario· nebula impleuit domum domini: [11] et non poterant sacerdotes stare· et ministrare propter nebulam. Impleuerat enim gloria domini domum domini. [12] Tunc ait salomon. Dominus dixit vt habitaret in nebula. [13] Edificans edificaui domum et habitaculum tuum: firmissimum solium tuum in sempiternum. [14] Conuertitque rex faciem suam: et benedixit omni ecclesie in israhel. Omnis enim ecclesia israhel stabat. [15] Et ait salomon. Benedictus dominus deus israhel: qui locutus est ore suo ad dauid patrem meum: et in manibus eius perfecit dicens. [16] A die qua eduxi populum meum israhel de egipto· non elegi

ciuitatem de vniuersis tribubus israhel vt edificaretur domus· et esset nomen meum ibi: sed elegi dauid: vt esset super populum meum israhel. 17 Voluitque dauid pater meus edificare domum nomini domini dei israhel: 18 et ait dominus ad dauid patrem meum. Quod cogitasti in corde tuo edificare domum nomini meo: benefecisti hoc ipsum mente tractans. 19 Verumtamen tu non edificabis michi domum: sed filius tuus qui egredietur de renibus tuis: ipse edificabit domum nomini meo. 20 Confirmauit dominus sermonem suum quem locutus est: stetique pro dauid patre meo· et sedi super thronum israhel sicut locutus est dominus: et edificaui domum nomini domini dei israhel: 21 et constitui ibi locum arche in qua fedus domini est· quod percussit cum patribus nostris· quando egressi sunt de terra egipti. 22 Stetit autem salomon ante altare domini in conspectu ecclesie israhel: et expandit manus suas in celum 23 et ait. Domine deus israhel non est similis tui deus in celo desuper· et super terram deorsum: qui custodis pactum et misericordiam seruis tuis qui ambulant coram te in toto corde suo: 24 qui custodisti seruo tuo dauid patri meo que locutus es ei. Ore locutus es et manibus perfecisti: vt hec dies probat. 25 Nunc igitur domine deus israhel· conserua famulo tuo dauid patri meo que locutus es ei dicens. Non auferetur de te vir coram me· qui sedeat super thronum israhel: ita tamen si custodierint filij tui viam suam· vt ambulent coram me· sicut tu ambulasti in conspectu meo. 26 Et nunc domine deus israhel firmentur verba tua: que locutus es seruo tuo dauid patri meo. 27 Ergo ne putandum est quod vere deus habitet super terram? Si enim celum et celi celorum te capere non possunt: quantomagis domus hec quam edificaui. 28 Sed respice ad oracionem serui tui· et ad preces eius domine deus meus. Audi ymnum et oracionem quam seruus tuus orat coram te hodie: 29 vt sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum de qua dixisti erit nomen meum ibi: vt exaudias oracionem quam orat in loco isto ad te seruus tuus: 30 vt exaudias deprecationem serui tui et populi tui israhel· quodcumque orauerit in loco isto: et exaudies in loco habitaculi tui in celo: et cum exaudieris propicius eris. 31 Si peccauerit homo in proximum suum et habuerit aliquod iuramentum quo teneatur astrictus· et venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam: 32 tu exaudies in celo et facies· et iudicabis seruos tuos· condemnans impium· et reddens viam suam super caput eius: iustificansque iustum· et retribuens ei secundum iusticiam suam. 33 Si fugerit populus tuus israhel inimicos suos quia peccaturus est tibi: et agentes penitentiam et confitentes nomini tuo· venerint et adorauerint et deprecati te fuerint in domo hac 34 exaudi in celo· et dimitte peccatum populi tui israhel: et reduces eos in terram quam dedisti patribus eorum. 35 Si clausum fuerit celum et non pluerit propter peccata eorum· et orantes in loco isto penitentiam egerint nomini tuo et a peccatis suis conuersi fuerint propter afflictionem suam: 36 exaudi eos in celo et dimitte peccata seruorum tuorum et populi tui israhel· et ostende eis viam bonam per quam ambulent: et da pluuiam super terram· quam dedisti populo tuo in possessionem. 37 Fames si oborta fuerit in terra aut pestilentia aut corruptus aer· aut erugo· aut locusta vel rubigo· et afflixerit eum inimicus eius portas obsidens: omnis plaga· vniuersa infirmitas· 38 cuncta deuotatio et imprecatio que acciderit omni homini de populo tuo israhel: si quis cognouerit plagam cordis sui· et expanderit manus suas in domo hac· 39 tu exaudies in celo in loco habitationis tue. et repropiciaberis: et facies vt des vnicuique secundum omnes vias suas· sicut videris cor eius· quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum: 40 vt timeant te cunctis diebus quibus viuunt super faciem terre· quam dedisti patribus nostris. 41 Insuper et alienigena qui non est de populo tuo israhel cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum: audietur enim nomen tuum magnum et manus tua fortis· et brachium tuum 42 extentum vbique· cum venerit ergo et orauit in hoc loco· 43 tu exaudies in celo in firmamento habitaculi tui: et facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena vt discant vniuersi populi terrarum nomen tuum timere sicut populus tuus israhel: et probent quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc quam edificaui. 44 Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam quocumque miseris eos: orabunt te contra viam ciuitatis· quam elegisti· et contra domum quam edificaui nomini tuo: 45 et exaudies in celo oraciones eorum et preces eorum· et facies iudicium eorum. 46 Quod si peccauerint tibi: non est enim homo qui non peccet: et iratus tradideris eos inimicis suis· et captiui ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope: 47 et egerint penitentiam in corde suo in loco captiuitatis· et conuersi deprecati te fuerint in captiuitate sua dicentes· peccauimus· inique egimus· impie gessimus: 48 et reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo· et tota anima sua in terra inimicorum suorum ad quam captiui ducti fuerint: et orauerint te contra viam terre sue quam dedisti patribus eorum· et ciuitatis quam elegisti· et templi quod edificaui nomini tuo: 49 exaudies in celo in firmamento solij tui· oraciones eorum et preces eorum: et facies iudicium eorum 50 et propiciaberis populo tuo qui peccauit tibi· et omnibus iniquitatibus eorum quibus preuaricati sunt in te: et dabis misericordiam coram eis· qui eos captiuos habuerint vt misereantur eis. 51 Populus enim tuus est· et hereditas tua quos eduxisti de terra egipti· de medio fornacis ferree: 52 vt sint oculi tui aperti ad deprecationem serui tui et populi tui israhel: et exaudies eos in vniuersis pro quibus inuocauerint te. 53 Tu enim seperasti eos tibi in hereditatem· de vniuersis populis terre: sicut locutus es per moysen seruum tuum: quando eduxisti patres nostros de egipto domine deus. 54 Factum est autem cum complesset salomon orans dominum omnem oracionem et deprecationem hanc: surrexit de conspectu altaris domini. Vtrumque enim genu in terram fixerat: et manus expanderat ad celum. 55 Stetit ergo et benedixit omni ecclesie israhel: voce magna dicens. 56 Benedictus dominus qui dedit requiem populo suo israhel: iuxta omnia que locutus est. Non cecidit ne vnus quidem sermo. ex omnibus bonis que locutus est per moysen seruum suum. 57 Sit dominus deus noster nobiscum sicut fuit cum patribus nostris· non derelinquens nos neque proiciens: 58 sed inclinet corda nostra ad se· vt ambulemus in vniuersis vijs eius· et custodiamus mandata eius· et cerimonias et iudicia quecumque mandauit patribus nostris: 59 et sint sermones mei isti quibus deprecatus sum coram domino appropinquantes coram domino deo nostro· die ac nocte: vt faciat iudicium seruo suo et populo suo israhel· per singulos dies: 60 et sciant omnes populi terre quia dominus ipse est deus· et non est vltra absque eo: 61 sit quoque cor nostrum perfectum cum domino deo nostro: vt ambulemus in decretis eius et custodiamus mandata eius· sicut et hodie. 62 Igitur rex et omnis israhel cum eo immolabant victimas coram domino. 63 Mactauitque salomon hostias pacificas quas immolauit domino: boum vigintiduomilia et ouium centumuigintimilia. Et dedicauerunt templum domini rex et filij israhel. 64 In die illa sanctificauit rex medium atrij· quod erat ante domum domini. Fecit quippe olocaustum ibi et sacrificium et adipem pacificorum: quoniam altare ereum quod erat coram domino minus erat: et capere non poterat holocaustum· et sacrificium et adipem pacificorum. 65 Fecit ergo salomon in tempore illo festiuitatem celebrem· et omnis israhel cum eo multitudo magna ab introitu emath vsque ad riuum egipti coram domino deo nostro· septem diebus et septem diebus· id est quatuordecim diebus: 66 et in die octauo dimisit populos. Qui benedicentes regi profecti sunt in tabernacula sua: letantes et alacrique corde super omnibus bonis que fecerat dominus dauid seruo suo et israhel populo suo.

9 Factum est autem cum perfecisset salomon edificium domus domini et edificium regis· et omne quod optauerat et voluerat facere: 2 apparuit ei dominus secundo sicut apparuerat ei in gabaon. 3 Dixitque dominus ad eum. Exaudiui oracionem tuam et deprecationem tuam: quam deprecatus es coram me. Sanctificaui domum hanc quam edificasti· vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum: et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. 4 Tu quoque si ambulaueris coram me sicut ambulauit pater tuus in simplicitate cordis· et in equitate et feceris omnia que precepi tibi et iudicia mea seruaueris et legitima mea: 5 ponam thronum regni tui super israhel in sempiternum sicut locutus sum dauid patri tuo dicens: non auferetur vir de genere tuo de solio israhel. 6 Si autem auersione auersi fueritis vos et filij vestri non sequentes me· nec custodientes mandata mea· et cerimonias quas proposui vobis: sed abieritis et colueritis deos alienos et adoraueritis eos· 7 auferam israhel de superficie

terre quam dedi eis: et templum quod sanctificaui nomini meo proiciam a conspectu meo: eritque israhel in prouerbium et in fabulam cunctis populis: [8] et domus hec erit in exemplum. Omnis qui transierit per eam stupebit: et sibilabit et dicet. Quare fecit dominus sic terre huic et domui huic? [9] Et respondebunt. Quia dereliquerunt dominum deum suum qui eduxit patres eorum de terra egipti· et secuti sunt deos alienos et coluerunt eos et adorauerunt eos: idcirco induxit dominus super eos omne malum hoc. [10] Expletis autem annis viginti postquam edificauerat salomon duas domos id est domum domini et domum regis· [11] hiram rege tyri prebente salomoni ligna cedrina et abiegna et aurum iuxta omne quod opus habuerat: tunc dedit salomon hiram viginti opida in terra galilee. [12] Et egressus est hiram de tyro· vt videret opida que dederat ei salomon: et non placuerunt ei. [13] Et ait. Heccine sunt ciuitates quas dedisti michi frater? Et appellauit eas terram chabul vsque in diem hanc. [14] Misit ergo hiram ad regem salomonem centumuiginti talenta auri. [15] Hec est summa expensarum quam obtulit salomon rex ad edificandum domum domini et domum suam et mello· et murum iherusalem: et eser et mageddo et gazer. [16] Pharao rex egipti ascendit· et cepit gazer succenditque eam igni: et chananenum naneum qui habitabat in ciuitate interfecit: et dedit eam in dotem filie sue vxori salomonis. [17] Edificauit ergo salomon gazer· et bethoron inferiorem· [18] et baalach· et palmiram in terra solitudinis: [19] et omnes vicos qui ad se pertinebant· et erant absque muro muniuit: et ciuitates curruum· et ciuitates equitum et quodcumque ei placuit· vt edificaret in iherusalem et in libano· et in omni terra potestatis sue. [20] Vniuersum populum qui remanserat· de amorreis et de etheis et pherezeis· et eueis et iebuseis· qui non sunt de filijs israhel: [21] horum filios qui remanserant in terra quos scilicet non potuerant filij israhel exterminare fecit salomon tributarios· vsque in diem hanc. [22] De filijs autem israhel non constituit salomon seruire quemquam: sed erant viri bellatores et ministri eius et principes et duces et prefecti curruum et equorum. [23] Erant autem principes super omnia opera salomonis prepositi quingentiquinquaginta: qui habebant subiectum populum· et statutis operibus imperabant. [24] Filia autem pharaonis ascendit de ciuitate dauid in domum suam: quam edificauerat ei salomon. Tunc edificauit mello. [25] Offerebat quoque salomon tribus vicibus per annos singulos olocausta et pacificas victimas super altare quod edificauerat domino: et adolebat thimiama coram domino. Perfectumque est templum. [26] Classem quoque fecit rex salomon in asion gaber que est iuxta aylam in litore maris rubri: in terra ydumee. [27] Misitque hiram in classe illa seruos suos viros nauticos et gnaros maris· cum seruis salomonis: [28] qui cum venissent in ophir: sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem salomonem.

10 Sed et regina saba audita fama salomonis in nomine domini: venit temptare eum in enigmatibus. [2] Et ingressa iherusalem multo cum comitatu et diuicijs· camelis portantibus aromata et aurum infinitum nimis et gemmas preciosas venit ad regem salomonem: et locuta est ei vniuersa que habebat in corde suo. [3] Et docuit eam salomon omnia verba que proposuit. Non fuit sermo qui regem posset latere: et non responderet ei. [4] Videns autem regina saba omnem sapientiam salomonis et domum quam edificauerat [5] et cibos mense eius· et habitacula seruorum et ordines ministrantium vestesque eorum et pincernas· et olocausta que offerebat in domo domini non habebat vltra spiritum: [6] dixitque ad regem. Verus est sermo quem audiui in terra mea [7] super sermonibus tuis et super sapientia tua: et non credebam narrantibus michi· donec ipsa veni et vidi oculis meis: et probaui quod media pars michi nunciata non fuerit. Maior est sapientia et opera tua: quam rumor quem audiui. [8] Beati viri tui et beati serui tui hij qui stant coram te semper: et audiunt sapientiam tuam. [9] Sit dominus deus tuus benedictus cui complacuisti: et posuit te super thronum israhel eo quod dilexerit dominus israhel in sempiternum: et constituit te regem vt faceres iudicium et iusticiam. [10] Dedit ergo regi centumuiginti talenta auri: et aromata multa nimis: et gemmas preciosas. Non sunt allata vltra aromata tam multa: quam ea que dedit regina saba regi salomoni. [11] Sed et classis hiram que portabat aurum de ophir· attulit ex ophir ligna thijna multa nimis: et gemmas preciosas. [12] Fecitque rex de lignis thijnis fulcra domus domini et domus regine: et citharas lirasque cantoribus. Non sunt allata huiuscemodi ligna thijna: neque visa vsque in presentem diem. [13] Rex autem salomon dedit regine saba omnia que voluit et petiuit ab eo: exceptis hijs que vltro obtulerat ei munere regio. Que reuersa est: et abijt in terram suam cum seruis suis. [14] Erat autem pondus auri quod offerebatur salomoni per annos singulos· sexcentorumsexagintasex talentorum auri: [15] excepto eo quod offerebant viri qui super vectigalia erant et negociatores· vniuersique scuta vendentes: et omnes reges arabie ducesque terre. [16] Fecit quoque rex salomon ducenta scuta de auro purissimo. Sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti vnius: [17] et trecentas pelcas ex auro probato. Trecenteque mine auri: vnam pelcam vestiebant. Posuitque eas rex in domo saltus libani. [18] Fecit eciam rex salomon thronum de ebore grandem: et vestiuit eum auro fuluo nimis: [19] qui habebat sex gradus. Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori· et due manus hinc atque inde tenentes sedile: et duo leones stabant iuxta manus singulas: [20] et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde. Non est factum tale opus in vniuersis regnis. [21] Sed et omnia vasa de quibus potabat rex salomon erant aurea: et vniuersa suppellex domus saltus libani de auro purissimo. Non erat argentum nec alicuius precij putabatur in diebus salomonis: [22] quia classis regis per mare cum classe hiram semel per tres annos ibat in tharsis: deferens inde aurum et argentum· et dentes elephantorum et simias et pauos. [23] Magnificatus est ergo rex salomon super omnes reges terre diuitijs et sapientia: [24] et vniuersa terra desiderabat vultum salomonis· vt audiret sapientiam eius quam dederat deus in corde eius: [25] et singuli deferebant ei munera· vasa argentea et aurea· vestes et arma bellica· aromata quoque et equos et mulos per annos singulos. [26] Congregauitque salomon currus et equites et facti sunt ei millequadringenti currus et duodecim milia equitum: et disposuit eos per ciuitates munitas: et cum rege in iherusalem. [27] Fecitque vt tanta esset abundantia argenti in iherusalem quanta et lapidum: et cedrorum prebuit multitudinem: quasi sicomoros que nascuntur in campestribus. [28] Et educebantur equi salomoni de egipto et de choa. Negociatores enim regis emebant de choa: et statuto precio perducebant. [29] Egrediebatur autem quadriga ex egipto sexcentis siclis argenti: et equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges etheorum et sirie equos venundabant.

11 Rex autem salomon amauit mulieres alienigenas multas: filiam quoque pharaonis: et moabitidas et ammonitidas· ydumeas et sydonias· et cetheas: [2] de gentibus super quibus dixit dominus filijs israhel. Non ingrediemini ad eas: neque de illis ingredientur ad vestras. Certissime enim auertent corda vestra: vt sequamini deos earum. Hijs itaque copulatus est salomon ardentissimo amore. [3] Fueruntque ei vxores quasi regine septingente: et concubine trecente. Et auerterunt mulieres cor eius. [4] Cumque iam esset senex deprauatum est cor eius per mulieres vt sequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum domino deo suo sicut cor dauid patris eius: [5] sed colebat salomon astharthen deam sydoniorum· et chamos deum moabitarum et moloch ydolum ammonitarum. [6] Fecitque salomon quod non placuerat coram domino: et non adimpleuit vt sequeretur dominum sicut dauid pater eius. [7] Tunc edificauit salomon fanum chamos ydolo moab in monte qui est contra iherusaleni: rusalem: et moloch ydolo filiorum ammon. [8] Atque in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis: que adolebant thura et immolabant dijs suis. [9] Igitur iratus est dominus salomoni· quod auersa esset mens eius a domino deo israhel qui apparuerat ei secundo: [10] et preceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos: et non custodiuit que mandauit ei dominus. [11] Dixit itaque dominus salomoni. Quia habuisti hoc apud te et non custodisti pactum meum et precepta mea que mandaui tibi: disrumpens scindam regnum tuum· et dabo illud seruo tuo: [12] verumtamen in diebus tuis non faciam propter dauid patrem tuum. De manu filij tui scindam illud: [13] nec totum regnum auferam sed tribum vnam dabo filio tuo: propter dauid seruum meum et iherusalem quam elegi. [14] Suscitauit autem dominus aduersarium salomoni adad ydumeum de semine regio: qui erat in edom. [15] Cum enim esset dauid in ydumea et ascendisset ioab princeps milicie ad

sepeliendum eos qui fuerant interfecti· et occidisset omne masculinum in ydumea: [16] sex enim mensibus ibi moratus est ioab· et omnis israhel donec interimeret omne masculinum in ydumea: [17] fugit adad ipse et viri ydumei de seruis patris eius cum eo· vt ingrederetur egiptum. Erat autem adad puer paruulus. [18] Cumque surrexissent de madian: venerunt in pharan. Tuleruntque secum viros de pharan: et introierunt egiptum· ad pharaonem regem egipti. Qui dedit ei domum: et cibos constituit: et terram delegauit. [19] Et inuenit adad gratiam coram pharaone valde: intantum vt daret ei vxorem sororem vxoris sue germanam tafnes regine. [20] Genuitque ei soror tafnes genebath filium: et nutriuit eum tafnes in domo pharaonis. Eratque genebath habitans apud pharaonem cum filijs eius. [21] Cumque audisset adad in egipto dormisse dauid cum patribus suis: et mortuum esse ioab principem milicie: dixit pharaoni. Dimitte me: vt vadam in terram meam. [22] Dixitque ei pharao. Qua enim re apud me indiges: vt queras ire ad terram tuam? At ille respondit. Nulla. Sed obsecro te: vt dimittas me. [23] Suscitauit quoque ei deus aduersarium razon filium eliadan qui fugerat adadezer regem soba dominum suum: [24] et congregauit contra eum viros et factus est princeps latronum cum interficeret eos dauid: abieruntque damascum et habitauerunt ibi: et constituerunt eum regem in damasco: [25] eratque aduersarius israhel cunctis diebus salomonis. Et hoc est malum adad et odium contra israhel: regnauitque in siria. [26] Iheroboam quoque filius nabath euphrateus de sareda· seruus salomonis cuius mater erat nomine serua mulier vidua: leuauit manum contra regem. [27] Et hec causa rebellionis aduersus eum: quia salomon edificauit mello: et coequauit voraginem ciuitatis dauid patris sui. [28] Erat autem iheroboam vir fortis et potens. Vidensque salomon adolescentem bone indolis et industrium constituerat eum prefectum super tributa vniuerse domus ioseph. [29] Factum est igitur in tempore illo vt iheroboam egrederetur de iherusalem: et inueniret eum ahias silonites propheta in via opertus pallio nouo. Erant autem duo tantum in agro. [30] Apprehendensque ahias pallium suum nouum quo coopertus erat scidit in duodecim partes: [31] et ait ad iheroboam. Tolle tibi decem scissuras. Hec enim dicit dominus deus israhel. Ego scindam regnum de manu salomonis: et dabo tibi decem tribus. [32] Porro vna tribus remanebit ei propter seruum meum dauid· et iherusalem ciuitatem· quam elegi ex omnibus tribubus israhel: [33] eo quod dereliquerit me· et adorauerit astharthen deam sydoniorum et chamos deum moab· et moloch deum filiorum ammon: et non ambulauerit in vijs meis vt faceret iusticiam coram me· et precepta mea et iudicia sicut dauid pater eius. [34] Nec auferam omne regnum de manu eius: sed ducem ponam eum cunctis diebus vite sue propter dauid seruum meum quem elegi: qui custodiuit mandata mea et precepta mea. [35] Auferam autem regnum de manu filij et dabo tibi decem tribus: [36] filio autem eius vnam: et dabo neat lucerna dauid suo seruo meo bus coram me in iherusalem ciuitate quam elegi· vt esset nomen meum tibi. [37] Te autem as [38] tribus: dauid dauid super hoc: verumtamen dabo tribum vnam: vt remacunctis diesumam: [39] et regnabis super omnia que [40] desidenon re iheroboam. Qui surrexit et affugit in egiptum ad sesac regem egipti: et fuit in egipto vsque ad mortem salomonis. [41] Reliquum autem verborum salomonis et omnia que fecit et sapientia eius: ecce vniuersa scripta sunt in libro verborum dierum salomonis. [42] Dies autem quos regnauit salomon rat anima tua: erisque rex super israhel. Si igitur audieris omnia que precepero tibi et lomon in iherusalem super omnem Dormiuitque ambulaueris in vijs meis· et feceris quod rectum est coram me custodiens mandata mea et precepta mea· sicut fecit dauid sertibi vus meus ero tecum: et edificabo tibi domum mum fidelem· quomodo edificaui dauid do dauid mum et tradam tibi israhel· et affligam semen cunctis diebus. [43] Voluit ergo salomon interficeaffugit fuit in lomon cum patribus suis: et sepultus est in roboam filius eius pro eo. scripta sunt in libro verborum dierum saloroboam israhel: qua Illuc enim congregatus ciuitate dauid patris sui: regnauitque roboam filius populus pro eo.

12 Venit autem roboam in sichem. Illuc Venit enim congregatus erat omnis populus ad constituendum eum regem. [2] At vero iheroboam filius nabath cum adhuc esset in egipto profugus a facie salomonis regis: audita morte eius reuersus est de egipto. [3] Miseruntque et vocauerunt eum. Venit ergo iheroboam et omnis multitudo israhel: et locuti sunt ad roboam dicentes. [4] Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo et de iugo grauissimo quod imposuit nobis: et seruiemus tibi. [5] Qui ait eis. Ite vsque ad tercium diem: et reuertimini ad me. Cumque abisset populus: [6] iniit consilium rex roboam cum senioribus· qui assistebant coram salomone patre eius cum adhuc viueret: et ait. Quod datis consilium vt respondeam populo? [7] Qui dixerunt ei. Si hodie obedieris populo huic· et seruieris et peticioni eorum cesseris· locutusque fueris ad eos verba lenia: erunt tibi serui sui cunctis diebus. [8] Qui dereliquit consilium senum quod dederant ei: et adhibuit adolescentes adolescentes qui nutriti fuerant cum eo. et assistebant illi: [9] dixitque ad eos. Quod michi datis consilium vt respondeam populo huic· qui dixerunt michi leuius fac iugum quod imposuit pater tuus super nos? [10] Et dixerunt ei iuuenes Sic loquere populo huic: qui locuti sunt ad te dicentes. Pater tuus aggrauauit iugum nostrum: tu releua nos. Sic loqueris ad eos. Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. [11] Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue: ego autem addam super iugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis: ego autem cedam vos scorpionibus. [12] Venit ergo iheromboam· et omnis populus ad roboam· die tercia: sicut locutus fuerat rex dicens· reuertimini ad me die tercia. [13] Responditque rex populo dura· derelicto consilio seniorum quod ei dederant: [14] et locutus est eis secundum consilium iuuenum dicens. Pater meus aggrauauit iugum vestrum: ego autem addam iugo vestro. Pater meus cecidit vos flagellis: ego autem cedam vos scorpionibus. [15] Et non acquieuit rex populo quoniam auersatus fuerat eum dominus: vt suscitaret verbum suum quod locutus fuerat in manu ahie sylonite ad iheroboam filium nabath. [16] Videns itaque populus quod noluisset eos audire rex: respondit ei dicens. Que nobis pars in dauid· vel que hereditas in filio ysai? Vade in tabernacula tua israhel. Nunc vide domum tuam dauid. Et abijt israhel in tabernacula sua. [17] Super filios autem israhel· quicumque habitabant in ciuitatibus iuda· regnauit roboam. [18] Misit ergo rex roboam aduram qui erat super tributa: et lapidauit eum omnis israhel: et mortuus est. Porro rex roboam festinus ascendit currum et fugit in iherusalem: [19] recessitque israhel a domo dauid vsque in presentem diem. [20] Factum est autem cum audisset omnis israhel quod reuersus esset iheroboam miserunt et vocauerunt eum congregato cetu: et constituerunt eum regem super omnem israhel: nec secutus est quisquam domum dauid preter tribum iuda solam. [21] Venit autem roboam iherusalem et congregauit vniuersam domum iuda et tribum beniamin centumoctogintamilia electorum virorum et bellatorum: vt pugnarent contra domum israhel: et reducerent regnum roboam filio salomonis. [22] Factum est autem sermo domini ad semeiam virum dei dicens. [23] Loquere ad roboam filium salomonis regem iuda· et ad omnem domum iuda et beniamin et reliquos de populo dicens. [24] Hec dicit dominus. Non ascendetis: nec bellabitis contra fratres vestros filios israhel. Reuertatur vir in domum suam. A me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem domini: et reuersi sunt de itinere sicut eis preceperat dominus. [25] Edificauit autem iheroboam sychem in monte effraim: et habitauit ibi. Et egressus inde edificauit phanuel. [26] Dixitque iheroboam in corde suo. Nunc reuertetur regnum ad domum dauid· [27] si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia in domo domini in iherusalem: et conuertetur cor populi huius ad dominum suum roboam regem iuda: interficientque me et reuertentur ad eum [28] Et ex cogitato consilio fecit duos vitulos aureos: et dixit eis. Nolite vltra ascendere iherusalem. Ecce dij tui israhel: qui te eduxerunt de terra egipti. [29] Posuitque vnum in bethel· et alterum in dan: [30] et factum est verbum hoc in peccatum. Ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in dan. [31] Et fecit phana in excelsis: et sacerdotes de extremis populi qui non erant de filijs leui. [32] Constituitque diem solemnem in mense octauo· quintadecima die mensis: in similitudinem solemnitatis que celebrabatur in iuda. Et ascendens altare similiter fecit in bethel: vt immolaret vitulis quos fabricatus fuerat. Constituitque in bethel sacerdotes excelsorum que fecerat: [33] et ascendit super

altare quod extruxerat in bethel: quintadecima die mensis octaui quem finxerat de corde suo. Et fecit solemnitatem filijs israhel: et ascendit super altare vt adoleret incensum.

13 Et ecce vir dei venit de iuda in sermone domini in bethel iheroboam stante super altare: et thus iaciente. [2] Et exclamauit contra altare in sermone domini· et ait. Altare altare: hec dicit dominus. Ecce filius nascetur domui dauid iosias nomine: et immolabit super te sacerdotes excelsorum qui nunc in te thura succendunt: et ossa hominum super te incendet. [3] Deditque in illa die signum dicens. Hoc erit signum quod locutus est dominus. Ecce altare scindetur: et effundetur cinis qui in eo est. [4] Cumque audisset rex sermonem hominis dei quem inclamauerat contra altare in bethel: extendit manum suam de altari dicens. Apprehendite eum. Et exaruit manus eius quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se. [5] Altare quoque scissum est: et effusus est cinis de altari: iuxta signum quod predixerat vir dei in sermone domini. [6] Et ait rex ad virum dei. Deprecare faciem domini dei tui et ora pro me: vt restituatur manus mea michi. Orauit vir dei faciem domini: et reuersa est manus regis ad eum: et facta est sicut prius fuerat. [7] Locutus est autem rex ad virum dei. Veni mecum domum vt prandeas: et dabo tibi munera. [8] Responditque vir dei ad regem. Si dederis michi mediam partem domus tue non veniam tecum: nec comedam panem neque bibam aquam in loco isto. [9] Sic enim mandatum est michi in sermone domini precipientis. Non comedes panem neque bibes aquam: nec reuerteris per viam qua venisti. [10] Abijt ergo per aliam viam: et non est reuersus per iter quo venerat in bethel: [11] prophetes autem quidam senex habitabat in bethel: ad quem venerunt filij sui· et narrauerunt ei omnia opera que fecerat vir dei illa die in bethel. Et verba que locutus fuerat ad regem narrauerunt patri suo. [12] Et dixit eis pater eorum. Per quam viam abijt? Ostenderunt ei filij sui viam per quam abierat vir dei qui venerat de iuda. [13] Et ait filijs suis. Sternite michi asinum. Qui cum strauissent: ascendit [14] et abijt post virum dei: et inuenit eum sedentem subtus therebintum. Et ait illi. Tu ne es vir dei qui venisti de iuda? Respondit ille. Ego sum. [15] Dixitque ad eum. Veni mecum domum: vt comedas panem. [16] Qui ait. Non possum reuerti neque venire tecum: nec comedam panem nec bibam aquam in loco isto: [17] quia locutus est dominus ad me in sermone domini dicens. Non comedes panem et non bibes aquam ibi: nec reuerteris per viam qua ieris. [18] Qui ait illi. Et ego propheta sum simils tui: et angelus locutus est michi in sermone domini dicens. Reduc eum tecum in domum tuam: vt comedat panem et bibat aquam. Fefellit eum: [19] et reduxit secum. Comedit ergo panem in domo eius: et bibit aquam. [20] Cumque sederent ad mensam: factus est sermo domini ad prophetam qui reduxerat eum. [21] Et exclamauit ad virum dei qui venerat de iuda dicens. Hec dicit dominus. Quia non obediens fuisti ori domini· et non custodisti mandatum quod precepit tibi dominus deus tuus [22] et reuersus es et comedisti panem et bibisti aquam· in loco in quo precepit tibi· ne comederes panem neque biberes aquam: non inferetur cadauer tuum in sepulcrum patrum tuorum. [23] Cumque comedisset et bibisset: strauit asinum suum propheta quem reduxerat. [24] Qui cum abisset inuenit eum leo in via· et occidit: et erat cadauer eius proiectum in itinere. Asinus autem stabat iuxta illum: et leo stabat iuxta cadauer. [25] Et ecce viri transeuntes viderunt cadauer proiectum in via: et leonem stantem iuxta cadauer. Et venerunt et diuulgauerunt in ciuitatem: in qua prophetes ille senex habitabat. [26] Quod cum audisset propheta ille qui reduxerat eum de via ait. Vir dei est qui inobediens fuit ori domini: et tradidit eum dominus leoni· et confregit eum: et occidit iuxta verbum domini quod locutus est ei. [27] Dixitque ad filios suos. Sternite michi asinum. Qui strauissent [28] et ille abisset: inuenit cadauer eius proiectum in via: et asinum et leonem stantes iuxta cadauer. Non comedit leo de cadauere: nec lesit asinum. [29] Tulit cadauer viri dei et posuit illud super asinum: et reuersus intulit in [30] eum: heu heu frater. [31] Cumque eum: dixit ad filios suos. cum mortuus fuero sepelite me in sepulcro in quo vir dei sepultus est: iuxta ossa eius ossa mea. [32] Profecto enim veniet predixit in sermone domini contra quod est in bethel: et contra excelsorum que sunt in vrbibus samarie. [33] Post verba hec non est reuersus iheroboam via sua pessima: sed sacerdotes excelsorum. volebat implebat manum et fiebat sacerdos excelsorum. [34] Et propter hanc causam peccauit domus iheroboam· et euersa est: et de superfitie terre.

14 tempore illo egrotauit abia filius [2] Dixitque iheroboam vxori sue. Surge et commuta habitum ne quod sis vxor iheroboam: et vade in qui locutus est michi quod regnaturus essem super populum hunc. [3] Tolle quoque in manu tua decem et crustulam et vas mellis: et vade ad illum. Ipse enim indicabit tibi: quid euenturum sit puero huic. [4] Fecit vt vxor iheroboam. et consurgens et venit in domum ahie. At ille non presenectute. [5] Dixit autem dominus ad ahiam. Ecce vxor iheroboam ingreditur vt consulat te super filio suo. Sternite michi asinum. Qui cum egrotat. Hec et hec loqueris ei. Cum ergo illa intraret et dissimularet se esse que erat: [6] audiuit sonitum pedum eius introeuntis strauissent et ille abisset: inuenit cadaper ostium: ait. Ingredere vxor roboam. Quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuncius. leo de cadauere: nec lesit asinum. Tulit ergo prophetes cadauer viri dei [7] et posuit illud super asinum: et cimedio propuli in cite ducem super vitatem prophete senis vt plangerent eum: et poum israhel· [8] et scidi regnum domus dauid et suit cadauer eius in sepulcro suo. Et plandedi illud tibitet non fuisti sicut xerunt eum: heu heu mi frater. Cumque planmeus dauid qui custodiuit mandata xissent eum: dixit ad filios suos. Cum mea· et secutus est toto corde faciens placitum esset in quo pomeo: dei sepultus est: iuxta ossa eius ponite ossa mea. [9] Profecto enim veniet ser qui fuerunt ante te· et fecisti tibi deos alin mo quem et conflatiles· vt me ad iracundiam altare quod est in bethel: et contra omnia pha me autem na excelsorum na sunt in vrbibus [10] samarie. ecce ego inducam mae la super domum iheroboam et percutiam de via sua pessima: sed econtrario fecit de mingentem ad parietem.: et nouissimis populis sacerdotes excelsorum. israhel mundabo Quicumque volebat implebat manum su reliquias am· et fiebat am· excelsorum. Et propter ad pur. [11] Qui mortui fuerint ciuitate comedent euersa est: et deleta de superficie terre. eos canes: autem mortui fuerint in In illo egrotauit abia filius celi: quia dominus iheroboam. locutus [12] Tu igitur sue. iheroboam. Dixitque vxori et vade in cognoscamum tuam: et in ipso introitu ris ris orum vxor iheroboam: et vade in sylo vbi est ahias [13] propheta qui eum locutus israhel est sepeliet. Iste enim solus de iheroboam sepulcrum: paquia Tolle quoque in manu tua decem pa eo sermo bonus nes a domino deo israhel in domo iheromboam. [14] vt dixerat vxor iheroboam· et consurgens abijt in sy vxor abijt in sylo: et venit in domum ahie. At ille non podeus Constituet autem sibi dominus regem super israhel: qui percutiet domum iheroboam in hac die· et in hoc tempore: [15] et percutiet dominus israhel: sicut mouerisolet terat videre: quia caligauerunt oculi eius pre senectute. Dixit autem dominus ad ahiam. Ecce vxor iheroboam ingreditur vt consulat te super filio suo quia egrotat. Hec et hec loqueris ei. Cum ergo illa intraret et dissimularet se esse que erat: audiuit ahias sonitum pedum eius introeuntis per ostium: et ait. Ingredere vxor iheroboam. Quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuncius. Vade et dic iheroboam. Hec dixit dominus deus israhel. Quia exaltaui te de medio populi et dedi te ducem super populum meum israhel· et scidi regnum domus dauid et dedi illud tibi· et non fuisti sicut seruus meus dauid qui custodiuit mandata mea· et secutus est me in toto corde suo faciens quod placitum esset in conspectu meo: sed operatus es male super omnes qui fuerunt ante te· et fecisti tibi deos alienos et conflatiles· vt me ad iracundiam prouocares: me autem proiecisti post corpus tuum: idcirco ecce ego inducam mala sup domum iheroboam· et percutiam de iheagro vorabunt eos aues celi: quia dominus locutus est. Tu igitur surge et vade in dosolus inferetur de iheroboam in sepulcrum: do in aqua. Et euellet israhel de terra bona hac roboam mingentem ad parietem et clausum et nouissimum in israhel: et mundabo reliquias domus iheroboam sicut mundari solet fimus vsque ad purum. Qui mortui fuerint de iheroboam in ciuitate comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in mum tuam: et in ipso introitu pedum tuarum in vrbem morietur puer: et planget eum omnis israhel et sepeliet. Iste enim quia in ventus est super eo sermo bonus a domino deo israhel in domo iheroboam. deus israhel: sicut moueri solet harun quam

dedit patribus eorum: et ventilabit eos transflumen: quia fecerunt sibi lucos vt irritarent dominum. 16 Et tradet dominus deus deus israhel propter peccata iheroboam: qui peccauit et peccare fecit israhel. 17 Surrexit itaque vxor iheroboam· et abijt: et venit in tharsa. Cumque illa ingrederetur limen domus· puer mortuus est: 18 et sepelierunt eum et planxit eum omnis israhel· iuxta sermonem domini quem locutus est in manu serui sui ahie prophete. 19 Reliqua autem verborum iheroboam quomodo pugnauerit· et quomodo regnauerit· ecce scripta sunt in libro verborum dierum regum israhel· 20 dies autem quibus regnauit iheroboam: vigintiduo anni sunt. Et dormiuit iheroboam cum patribus suis: regnauitque nadab filius eius pro eo. 21 Porro roboam filius salomonis regnauit in iuda. Quadraginta et vnius anni erat roboam cum regnare cepisset: decem et septem annis regnauit in iherusalem ciuitate quam elegit dominus vt poneret nomen suum ibi ex omnibus tribubus israhel. Nomen autem matris eius naama amanites. 22 Et fecit iudas malum coram domino: et irritauerunt eum super omnibus que fecerant patres eorum in peccatis suis que peccauerunt. 23 Edificauerunt enim et ipsi sibi aras et statuas et lucos super omnem collem excelsum et subter omnem arborem frondosam· 24 sed et effeminati fuerunt in terra: feceruntque omnes abhominationes gentium: quas attriuit dominus ante faciem filiorum israhel. 25 In quinto autem anno regni roboam ascendit sesac rex egipti in iherusalem: 26 et tulit thesauros domus domini et thesauros regios et vniuersa diripuit: scuta quoque aurea que fecerat salomon 27 pro quibus fecit rex roboam scuta erea: et tradidit ea in manu ducum scutariorum· et eorum qui excubabant ante ostium domus regis. 28 Cumque ingrederetur rex in domum domini portabant ea qui preeundi habebant officium: et postea reportabant ad armamentarium scutariorum. 29 Reliqua autem sermonum roboam et omnia que fecit: ecce scripta sunt in libro sermonum dierum regum iuda. 30 Fuitque bellum inter roboam et iheroboam· cunctis diebus. 31 Dormiuitque roboam cum patribus suis: et sepultus est cum eis in ciuitate dauid. Nomen autem matris eius naama amanites. Et regnauit abia filius eius pro eo.

15 Igitur in octauodecimo anno regni iheroboam filij nabath· regnauit abya super iudam. 2 Tribus annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius maacha filia abessalon: 3 ambulauitque in omnibus peccatis patris sui que fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cum domino deo suo sicut cor dauid patris eius. 4 Sed propter dauid dedit ei dominus deus suus lucernam in iherusalem vt suscitaret filium eius post eum· et statueret iherusalem: 5 eo quod fecisset dauid rectum in oculis domini: et non declinasset ab omnibus que preceperat ei cunctis diebus vite sue: excepto sermone vrie ethei· 6 at tamen bellum fuit inter abyam et iheroboam omni tempore vite eius. 7 Reliqua autem sermonum abye· et omnia que fecit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda? Fuitque prelium inter abyam et inter iheroboam. 8 Et dormiuit abya cum patribus suis: et sepelierunt eum in ciuitate dauid: regnauitque asa filius eius pro eo. 9 In anno ergo vicesimo iheroboam regis israhel· regnauit asa rex iuda: 10 et quadraginta et vno anno regnauit in iherusalem. Nomen matris eius maacha· filia abessalom· 11 et fecit asa rectum ante conspectum domini sicut dauid pater eius: 12 et abstulit effeminatos de terra: purgauitque vniuersas sordes ydolorum· que fecerant patres eius. 13 Insuper et maacham matrem suam amouit ne esset princeps in sacris priapi· et in luco eius quem consecrauerat: subuertitque specum eius· et confregit simulacrum turpissimum: et combussit in torrente cedron. 14 Excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor asa perfectum erat cum domino deo suo cunctis diebus suis: 15 et intulit ea que sanctificauerat pater suus et vouerat in domum domini: argentum et aurum et vasa. 16 Bellum autem erat inter asa et baasa regem israhel: cunctis diebus eorum. 17 Ascendit quoque baasa rex israhel in iudam· et edificauit rama: vt non posset quispiam egredi vel ingredi de parte asa regis iude. 18 Tollens itaque asa omne argentum et aurum quod remanserat in thesauris domus domini et in thesauris domus regie· dedit illud in manus seruorum suorum: et misit ad benadab filium rabremmon filij ezion regem sirie qui habitabat in damasco dicens. 19 Fedus est inter me et te et inter patrem meum et patrem tuum: ideo misi tibi munera argentum et aurum: et peto vt venias· et irritum facias fedus quod habes cum baasa rege israhel· et recedat a me. 20 Acquiescens benadab regi asa misit principes exercitus sui in ciuitates israhel: et percusserunt ahion et dan et abel· domum maacha· et vniuersam ceneroth· omnem scilicet terram neptalim. 21 Quod cum audisset baasa intermisit edificare rama: et reuersus est in tersa. 22 Rex autem asa nuncium misit in omnem iudam dicens. Nemo sit excusatus. Et tulerunt lapides de rama et ligna eius quibus edificauerat baasa: et extruxit de eis rex asa gabaa beniamin· et maspha. 23 Reliqua autem omuium sermonum asa et vniuerse fortitudinis eius et cuncta que fecit et ciuitates quas extruxit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda? Verumtamen in tempore senectutis sue doluit pedes: 24 et dormiuit cum patribus suis et sepultus est cum eis in ciuitate dauid patris sui: regnauitque iosaphat filius eius pro eo. 25 Nadab vero filius iheroboam regnauit super israhel anno secundo asa regis iuda: regnauitque super israhel duobus annis: 26 et fecit quod malum est in conspectu domini: et ambulauit in vis patris sui et in peccatis eius· quibus peccare fecit israhel. 27 Insidiatus est autem ei baasa filius ahie de domo ysachar: et percussit eum in gebbethon que est vrbs philistinorum. Siquidem nadab et omnis israhel obsidebant gebbethon. 28 Interfecit ergo illum baasa in anno tercio asa regis iuda: et regnauit pro eo. 29 Cumque regnasset: percussit omnem domum iheroboam. Non dimisit nec vnam quidem animam de semine eius donec deleret eum: iuxta verbum domini quod locutus fuerat in manu serui sui ahie silonitis· 30 propter peccata iheroboam que peccauerat et quibus peccare fecerat israhel: et propter delictum quo irritauerat dominum deum israhel. 31 Reliqua autem sermonum nadab et omnia que operatus est: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israhel? 32 Fuitque bellum inter asa et baasa regem israhel: cunctis diebus eorum. 33 Anno tercio asa regis iuda regnauit baasa filius ahie super omnem israhel in thersa vigintiquatuor annis: 34 et fecit malum coram domino: ambulauitque in vijs iherobaam· et in peccatis eius quibus peccare fecit israhel.

16 Factus est autem sermo domini ad iehu filium anani contra baasa dicens. 2 Pro eo quod exaltaui te de puluere· et posui te ducem super populum meum israhel· tu autem ambulasti in via iheroboam· et peccare fecisti populum meum israhel vt me irritares in peccatis eorum: 3 ecce ego demetam posteriora baasa· et posteriora domus eius: et faciam domum tuam: sicut domum iheroboam filij nabath. 4 Qui mortuus fuerit de baasa in ciuitate comedent eum canes: et qui mortuus fuerit ex eo in regione: comedent eum volucres celi. 5 Reliqua autem sermonum baasa· et quecumque fecit et prelia eius: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israhel? 6 Dormiuit ergo baasa cum patribus suis sepultusque est in thersa: et regnauit hela filius eius pro eo. 7 Cum autem in manu iehu filij anani prophete verbum domini factum esset contra baasa· et contra domum eius· et contra omne malum quod fecerat coram domino ad irritandum eum in operibus manuum suarum· vt fieret sicut domus iheroboam: ob hanc causam occidit eum· hoc est iehu filium anani prophetam. 8 Anno vicesimosexto asa regis iuda regnauit hela filius baasa super israhel in thersa duobus annis: 9 et rebellauit contra eum seruus suus zambri dux medie partis equitum. Erat autem hela in thersa bibens et temulentus: in domo arsa prefecti thersa. 10 Irruens ergo zambri percussit et occidit eum anno vicesimoseptimo asa regis iuda: et regnauit pro eo. 11 Cumque regnasset et sedisset super solium eius percussit omnem domum baasa et non dereliquit ex ea mingentem ad parietem: et propinquos et amicos eius. 12 Deleuitque zambri omnem domum baasa iuxta verbum domini quod locutus fuerat· ad baasa in manu iehu prophete 13 propter vniuersa peccata baasa· et peccata hela filij eius: qui peccauerunt· et peccare fecerunt israhel· prouocantes dominum deum israhel in vanitatibus suis. 14 Reliqua autem sermonum hela· et omnia que fecit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israhel? 15 Anno vicesimoseptimo· asa regis iuda regnauit zambri septem diebus in thersa. Porro exercitus obsidebat gebbethon vrbem philistinorum. 16 Cumque audisset rebellasse zambri et occidisse regem: fecit sibi regem omnis israhel ambri qui erat princeps militie super israhel in die illa

in castris. [17] Ascendit ergo ambri et omnis israhel cum eo de gebbethon: et obsidebant thersa. [18] Videns autem zambri quod expugnanda esset ciuitas ingressus est palatium et succendit se cum domo regia: et mortuus est [19] in peccatis suis que peccauerat faciens malum coram domino: et ambulans in via iheroboam· et in peccato eius quo fecit peccare israhel. [20] Reliqua autem sermonum zambri et insidiarum eius et tyrannidis: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israhel? [21] Tunc diuisus est populus israhel in duas partes. Media pars populi sequebatur thebni filium gineth vt constitueret eum regem: et media pars amri. [22] Preualuit autem populus qui erat cum amri populo qui sequebatur thebni filium gineth: mortuusque est thebni et regnauit amri. [23] Anno vicesimoprimo asa regis iuda regnauit amri super israhel duodecim annis. In thersa regnauit sex annis: [24] emitque montem samarie a somer duobus talentis argenti et edificauit eum: et vocauit nomen ciuitatis quam extruxerat nomine somer: idest montem domini vel montem samarie. [25] Fecit autem amri malum in conspectu domini: et operatus est nequiter super omnes qui fuerunt ante eum. [26] Ambulauitque in omni via iheroboam filij nabath et in peccatis eius· quibus peccare fecerat israhel: vt irritaret dominum deum israhel in vanitatibus suis. [27] Reliqua autem sermonum amri· et prelia eius que gessit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israhel? [28] Dormiuitque amri cum patribus suis: et sepultus est in samaria: regnauit que achab filius eius pro eo. [29] Achab vero filius amri regnauit super israhel· anno tricesimooctauo asa regis iuda. Et regnauit achab filius amri super israhel in samaria· viginti et duobus annis. [30] Et fecit achab filius amri malum in conspectu domini: super omnes qui fuerunt ante eum. [31] Nec suffecit ei vt ambularet in peccatis iheroboam filij nabath: insuper duxit vxorem iezabel filiam merbaal regis sidoniorum. Et abijt et seruiuit baal· et adorauit eum: [32] et posuit aram baal in templo baal· quod edificauerat in samaria: [33] et plantauit lucum. Et addidit achab in opere suo irritans dominum deum israhel: super omnes reges israhel qui fuerunt ante eum. [34] In diebus eius: edificauit ahiel de bethel iherichо. In abiram primitiuo suo fundauit eam: et in segub nouissimo suo posuit portas eius: iuxta verbum domini quod locutus fuerat in manu iosue filij nun.

17 Et dixit helias thesbites de habitatoribus galaad ad achab. Viuit dominus deus israhel in cuius conspectu sto: si erit annis hijs ros et pluuia nisi iuxta oris mei verba. [2] Et factum est verbum domini ad eum dicens. [3] Recede hinc et vade contra orientem: et abscondere in torrente carith qui est contra iordanem [4] et ibi de torrente bibes: coruisque precepi vt pascant te ibi. [5] Abijt ergo: et fecit iuxta verbum domini. Cumque abisset: sedit in torrente carith qui est contra iordanem. [6] Corui quoque deferebant ei panem et carnes mane: similiter panem et carnes vesperi: et bibebat de torrente. [7] Post dies autem aliquantos siccatus est torrens: non enim pluerat super terram. [8] Factus est ergo sermo domini ad eum dicens. [9] Surge et vade in sarepta sidoniorum: et manebis ibi. Precepi enim ibi mulieri vidue vt pascat te. [10] Surrexit: et abijt in sarepta sidoniorum. Cumque venisset ad portam ciuitatis apparuit ei mulier vidua colligens ligna: et vocauit eam: dixitque ei. Da michi paululum aque in vase vt bibam. [11] Cumque illa pergeret vt afferret: clamauit post tergum eius dicens. Affer michi obsecro et buccellam panis in manu tua. [12] Que respondit. Viuit dominus deus tuus: quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farine in ydria: et paululum olei in lechito. En colligo duo ligna: vt ingrediar et faciam illud michi et filio meo: vt comedamus et moriamur. [13] Ad quam helias ait. Noli timere: sed vade et fac sicut dixisti. Verumtamen michi primum fac de ipsa farinula subcineritium panem paruulum· et affer ad me: tibi autem et filio tuo facies postea. [14] Hec autem dicit dominus deus israhel. Ydria farine non deficiet: nec lechitus olei minuetur: vsque in diem in qua dominus daturus est pluuiam super faciem terre. [15] Que abijt: et fecit iuxta verbum helie. Et comedit ipse et illa et domus eius: et ex illa die [16] ydria farine non defecit et lechitus olei non est imminutus· iuxta verbum domini quod locutus fuerat in manu helie. [17] Factum est autem post verba hec· egrotauit filius mulieris matrisfamilias: et erat languor fortissimus ita vt non remanerret in eo alitus. [18] Dixit ergo ad heliam. Quid michi et tibi vir dei? Ingressus es ad me vt rememorarentur iniquitates mee: et interficeres filium meum. [19] Et ait ad eam helias. Da michi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius et portauit in cenaculum vbi ipse manebat: et posuit super lectulum suum: [20] et clamauit ad dominum et dixit. Domine deus meus· eciam ne viduam aput quam ego vt cunque sustentor afflixisti: interficeres filium eius? [21] Et expandit se atque mensus est super puerum tribus vicibus: et clamauit ad dominum et ait. Domine deus meus: reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. [22] Et exaudiuit dominus vocem helie: et reuersa est anima pueri intra eum: et reuixit. [23] Tulitque helias puerum et deposuit eum de cenaculo in inferiorem domum: et tradidit matri sue: et ait illi. En viuit filius tuus. [24] Dixitque mulier ad heliam. Nunc in isto cognoui quoniam vir dei es tu: et verbum domini in ore tuo verum est.

18 Post dies multos· factum est verbum domini ad heliam· in anno tercio dicens. Vade et ostende te achab: vt dem pluuiam super faciem terre. [2] Iuit ergo helias vt ostenderet se achab. Erat autem fames vehemens in samaria. [3] Vocauitque achab abdiam dispensatorem domus sue. Abdias autem timebat dominum deum valde. [4] Nam cum interficeret iezabel prophetas domini tulit ille centum prophetas et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis: et pauit eos pane et aqua. [5] Dixit ergo achab ad abdiam. Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum et in cunctas valles: si forte possimus inuenire herbam et saluare equos et mulos: et non penitus iumenta intereant. [6] Diuiserunt sibi regiones: vt circuirent eas. Achab ibat per viam vnam: et abdias per viam alteram seorsum. [7] Cumque esset abdias in via: helias occurrit ei. Qui cum cognouisset eum: cecidit super faciem suam et ait. Num tu es domine mi helias? [8] Cui ille respondit. Ego. Et dixit. Vade et dic domino tuo. Adest helias. [9] Et ille: quid peccaui inquit quoniam trades me seruum tuum· in manu achab vt interficiat me? [10] Viuit dominus deus tuus: quia non est gens aut regnum· inquo non miserit dominus meus te requirens. Et respondentibus cunctis non est hic: adiurauit regna singula et gentes· eo quod minime reperireris. [11] Et nunc dicis michi: vade et dic domino tuo adest helias? [12] Cumque recessero a te spiritus domini asportabit te in locum quem ego ignoro: et ingressus nunciabo achab: et non inueniens te interficiet me. Seruus autem tuus timet dominum ab infantia sua. [13] Numquid non indicatum est tibi domino meo quid fecerim cum interficeret iezabel prophetas domini: quod absconderim de prophetis domini centum viros quinquagenos et quinquagenos in speluncis et pauerim eos pane et aqua? [14] Et nunc tu dicis vade et dic domino tuo adest helias: vt interficiat me? [15] Et dixit helias. Viuit dominus exercituum ante cuius vultum sto: quia hodie apparebo ei. [16] Abijt ergo abdias in occursum achab: indicauitque ei. Venitque achab in occursum helie: [17] et cum vidisset eum ait. Tu ne es ille: qui conturbas israhel? [18] Et ille ait. Non ego turbaui israhel sed tu et domus patris tui: qui dereliquistis mandata domini et secuti estis baalim. [19] Verumtamen nunc mitte et congrega ad me vniuersum israhel in monte carmeli: et prophetas baal quadringentos quinquaginta· prophetasque lucorum quadringentos: qui comedunt de mensa ie zabel. [20] Misit achab ad omnes filios israhel: et congregauit prophetas in monte carmeli. [21] Accedens autem helias ad omnem populum israhel ait. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si dominus est deus sequimini eum: si autem baal: sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum [22] Et ait rursus helias ad populum. Ego remansi propheta domini solus: prophete autem baal quadringenti et quinquaginta· propheteque lucorum quadringenti viri sunt. [23] Dentur nobis duo boues: et illi eligant sibi bouem vnum et in frusta cedentes ponant super ligna: ignem autem non supponant. Et ego faciam bouem alterum et imponam super ligna: ignem autem non supponam. [24] Inuocate nomina deorum vestrorum: et ego inuocabo nomen dei mei: et deus qui exaudierit per ignem ipse sit deus. Respondens omnis populus. ait. Optima proposicio quam locutus est helias. [25] Dixit ergo helias prophetis baal. Eligite vobis bouem vnum et facite primi quia vos plures estis: et inuocate nomina deorum vestrorum: ignemque non supponatis. [26] Qui cum tulissent bouem quem dederat eis fecerunt: et inuocabant nomen baal demane vsque ad meridiem dicentes. Baal exaudi nos.

Et non erat vox: neque qui responderet. Transiliebantque altare quod fecerant. [27] Cumque esset iam meridies: illudebat illis helias dicens. Clamate voce maiore. Deus enim est: et forsitan loquitur· aut in diuersorio est· aut in itinere: aut certe dormit: vt excitetur. [28] Clamabant ergo voce magna: et incidebant se iuxta ritum suum cultris et lanceolis. donec perfunderentur sanguine. [29] Postquam autem transijt meridies· et illis prophetantibus· venerat tempus quo sacrificium offerri solet: nec audiebatur vox neque aliquis respondebat nec attendebat orantes: [30] dixit helias omni populo. Venite ad me. Et accedente ad se populo curauit altare domini quod destructum fuerat: [31] et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum iacob ad quem factus est sermo domini dicens· israhel erit nomen tuum: [32] et edificauit de lapidibus altare in nomine domini. Fecitque aqueductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris: [33] et composuit ligna· diuisitque per membra bouem et posuit super liet [34] ait. Implete quatuor ydrias aqua: et fundite super olocaustum et super ligna. Rursumque dixit. Eciam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo· ait. Eciam tercio idipsum facite. Feceruntque tercio: [35] et currebant aque circum altare: et fossa aqueductus repleta est. [36] Cumque iam tempus esset vt offerretur olocaustum: accedens helias propheta ait. Domine deus abraham et ysaac et israhel· ostende hodie quia tu es deus israhel et ego seruus tuus: et iuxta preceptum tuum feci omnia verba hec. [37] Exaudi me domine exaudi me: vt discat populus iste· quia tu es dominus deus: et tu conuertisti cor eorum iterum. [38] Cecidit autem ignis domini et vorauit olocaustum et ligna et lapides: puluerem quoque et aquam que erat in aqueductu lambens. [39] Quod cum vidisset omnis populus: cecidit in faciem suam et ait. Dominus ipse est deus: dominus ipse est deus. [40] Dixitque helias ad eos. Apprehendite prophetas baal: et ne vnus quidem effugiat ex eis. exeis. Quos cum apprehendissent: duxit eos helias ad torrentem cyson: et interfecit eos ibi. [41] Et ait helias ad achab. Ascende comede et bibe: quia sonus multe pluuie est. [42] Ascendit achab· vt comederet et biberet: helias autem ascendit in verticem carmeli et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua: [43] et dixit ad puerum suum. Ascende: et prospice contra mare. Qui cum ascendisset et contemplatus esset ait. Non est quicquam. Et rursum ait illi. Reuertere septem vicibus. [44] In septima autem vice ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait. Ascende: et dic achab. Iunge currum tuum et descende: ne occupet te pluuia. [45] Cumque se verteret huc atque illuc: ecce celi contenebrati sunt· et nubes et ventus: et facta est pluuia grandis. Ascendens itaque achab abijt in iesrahel: [46] et manus domini facta est super heliam: accinctisque lumbis currebat ante achab donec veniret in iesrahel.

19 Nunciauit autem achab ihezabel· omnia que fecerat helias: et quomodo occidisset vniuersos prophetas baal gladio. [2] Misitque ihezabel nuncium ad heliam dicens. Hec michi faciant dij· et hec addant: nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam vnius ex illis. [3] Timuit ergo helias et surgens abijt quocunque eum ferebat voluntas: venitque in bersabee iuda· et dimisit ibi puerum suum: [4] et perrexit in desertum viam vnius diei. Cunque venisset et sederet subter vnam iuniperum: petiuit anime sue vt moreretur. Et ait. Sufficit michi domine: tolle animam meam. Neque enim melior sum quam patres mei. [5] Proiecitque se: et obdormiuit in vmbra iuniperi. Et ecce angelus domini tetigit eum: et dixit illi. Surge comede. [6] Respexit: et ecce ad caput suum subcineritius panis et vas aque. Comedit ergo et bibit: et rursum obdormiuit. [7] Reuersusque est angelus domini secundo et tetigit eum: dixitque illi. Surge comede. Grandis enim tibi restat via. [8] Qui cum surrexisset comedit et bibit: et ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus vsque ad montem dei oreb. [9] Cumque venisset illuc: mansit in spelunca. Et ecce sermo domini ad eum: dixitque illi. Quid hic agis helia? [10] At ille respondit. Zelo zelatus sum pro domino deo exercituum: quia dereliquerunt pactum domini filij israhel. Altaria tua destruxerunt· et prophetas tuos occiderunt gladio: et derelictus sum ego solus: et querunt animam meam· vt auferant eam. [11] Et ait ei. Egredere: et sta in monte coram domino. Et ecce dominus transijt: et spiritus grandis et fortis· subuertens montes: et conterens petras ante dominum. Non in spiritu dominus. Et post spiritum commotio. Non in commotione dominus. [12] Et post commotionem ignis. Non in igne dominus. Et post ignem sibi lus aure tenuis. [13] Quod cum audisset helias operuit vultum suum pallio: et egressus stetit in ostio spelunce: et ecce vox ad eum dicens. Quid hic agis helia? Et ille respondit. [14] Zelo zelatus sum pro domino deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij israhel. Altaria tua destruxerunt et prophetas tuos occiderunt gladio: et derelictus sum ego solus: et querunt animam meam vt auferant eam. [15] Et ait dominus ad eum. Vade et reuertere in viam tuam· per desertum in damascum. Cunque peruueneris illuc· vnges asahel regem super syriam: [16] et iehu filium namsi vnges regem israhel: heliseum autem filium saphat super qui est de abelmaula vnges prophetam pro te. [17] Et erit quicumque fugerit gladium asahel occidet eum iehu: et quicunque fugerit gladium iehu interficiet eum heliseus. [18] Et derelinquam michi in israhel septem milia virorum quorum genua non sunt in curuata ante baal: et omne os quod non adorauerit eum osculans manum. [19] Profectus ergo inde helias reperit heliseum filium saphat arantem in duodecim iugis boum: et ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat. Cunque venisset helias ad eum: misit pallium suum super eum. [20] Qui statim relictis bobus cucurrit post heliam. Et ait. Osculor oro te patrem meum et matrem meam: et sic sequar te. Dixitque ei. Vade et reuertere. Quod enim meum erat feci tibi. [21] Reuersus autem ab eo tulit par boum et mactauit illud: et in aratro boum coxit carnes: et dedit populo et comederunt. Consurgensque abijt et secutus est heliam: et ministrabat ei.

20 Porro benadab rex sirie congregauit omnem exercitum suum· et trigintaduos reges secum· et equos et currus: et ascendens pugnabat contra samariam: et obsidebat eam. [2] Mittens que nuncios ad achab regem israhel in ciuitatem [3] ait. Hec dicit benadab. Argentum tuum et aurum tuum meum est: et vxores tue et filij tui optimi mei sunt. [4] Responditque rex israhel. Iuxta verbum tuum domine mi rex: tuus sum ego et omnia mea. [5] Reuertentesque nuncij dixerunt. Hec dicit benadab qui misit nos ad te. Argentum tuum et aurum tuum et vxores tuas et filios tuos dabis michi. [6] Cras igitur hac eadem hora mittam seruos meos ad te: et scrutabuntur domum tuam et domum seruorum tuorum: et omne quod eis placuerit ponent in manibus suis et auferent. [7] Vocauit autem rex israhel omnes seniores terre· et ait. Animaduertite et videte: quoniam insidietur nobis. Misit enim ad me pro vxoribus meis et filijs et pro argento et auro: et non abnui. [8] Dixeruntque omnes maiores natu et vniuersus populus ad eum. Non audias: neque acquiescas illi. [9] Responditque nuncijs benadab. Dicite domino meo regi. Omnia propter que misisti ad me seruum tuum in inicio faciam: hanc autem rem facere non possum. [10] Reuersique nuncij: retulerunt ei. Qui remisit et ait. Hec faciant michi dij et hec addant: si suffecerit puluis samarie pugillis omnis populi qui sequitur me. [11] Et respondens rex israhel ait. Dicite ei. Ne glorietur accinctus· eque vt discinctus. [12] Factum est autem cum audisset benadab verbum istud bibebat ipse et reges in vmbraculis: et ait seruis suis. Circundate ciuitatem. Et circundederunt eam. [13] Et ecce propheta vnus accedens ad achab regem israhel ait ei. Hec dicit dominus. Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam. Ecce ego tradam eam in manum tuam hodie: vt scias quia ego sum dominus. [14] Et ait achab. Per quem? Dixitque ei. Hec dicit dominus. Per pedissequos principum prouintiarum. Et ait. Quis incipiet preliari? Et ille dixit. Tu. [15] Recensuit ergo pueros principum prouintiarum: et reperit numerum ducentorum trigintaduorum. Et recensuit post eos populum omnes filios israhel septem milia: [16] et egressi sunt meridie. Benedab autem bibebat temulentus in vmbraculo suo: et reges trigintaduo cum eo qui ad auxilium eius venerant. [17] Egressi sunt autem pueri principum prouintiarum in prima fronte. Misit itaque benadab: qui nunciauerunt ei dicentes. Viri egressi sunt de samaria. [18] At ille ait. Siue pro pace veniunt apprehendite eos viuos: siue vt prelientur viuos eos capite. [19] Egressi sunt ergo pueri principum prouintiarum: ac reliquus exercitus sequebatur. [20] Et percussit vnusquisque virum qui contra se veniebat: fugeruntque siri: et persecutus est eos israhel. Fugit quoque benadab rex sirie in equo cum

equitibus suis. [21] Necnon egressus rex israhel percussit equos et currus: et percussit siriam plaga magna nimis. [22] Accedens autem propheta ad regem israhel dixit ei. Vade et confortare: et scito· et vide quid facias. Sequenti enim anno· rex sirie ascendet contra te. [23] Serui vero regis sirie dixerunt ei. Dij montium sunt dij eorum: ideo superauerunt nos. Sed melius est vt pugnemus contra eos in campestribus: et obtinebimus eos. [24] Tu ergo verbum hoc fac. Amoue reges singulos ab exercitu tuo: et pone principes pro eis: [25] et instaura numerum militum qui ceciderunt de tuis et equos secundum equos pristinos· et currus secundum currus quos ante habuisti· et pugnabimus contra eos in campestribus: et videbis quod obtinebimus eos. Credidit consilio eorum: et fecit ita. [26] Igitur annus transierat recensuit benadab siros et ascendit in affec: vt pugnaret contra israhel. [27] Porro filij israhel recensiti sunt et acceptis cibarijs profecti ex aduerso: castraquemetati sunt contra eos quasi duo parui greges caprarum: siri autem repleuerunt terram. [28] Et accedens vnus vir dei dixit ad regem israhel. Hec dicit dominus. Quia dixerunt siri deus montium est dominus· et non est deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua: et scietis quia ego sum dominus. [29] Dirigebantque septem diebus ex aduerso hij atque illi acies: septima autem die commissum est bellum. Percusserunt que filij israhel de siris centum milia peditum in die vna. [30] Fugerunt autem siri qui remanserunt in affec in ciuitatem: et cecidit murus super vigintiseptem milia hominum qui remanserant. Porro benadab fugiens ingressus est ciuitatem in cubiculum quod erat intra cubiculum: [31] dixeruntque ei serui sui. Ecce audimus quod reges domus israhel clementes sint. Ponamus itaque saccos in lumbis nostris et funiculos in capitibus nostris: et egrediamur ad regem israhel: forsitan saluabit animas nostras. [32] Accinxerunt saccis lumbos suos et posuerunt funiculos in capitibus suis: veneruntque ad regem israhel et dixerunt ei. Seruus tuus benadab dicit. Viuat oro te anima mea. Et ille ait. Si ad huc viuit: frater meus est. [33] Quod acceperunt viri pro omine: et festinantes rapuerunt verbum ex ore eius: atque dixerunt. Frater tuus benadab. Et dixit eis. Ite et adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum benadab: et leuauit eum in currum suum. [34] Qui dixit ei. Ciuitates quas tulit pater meus a patre tuo reddam: et plateas fac tibi in damasco sicut fecit pater meus in samaria: et ego federatus recedam a te. Pepigit ergo fedus: et dimisit eum. [35] Tunc vir quidam de filijs prophetarum. dixit ad socium suum in sermone domini. Percute me. At ille noluit percutere. [36] Cui ait. Quia noluisti audire vocem domini: ecce recedes a me: et percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo: inuenit eum leo atque percussit. [37] Sed et alterum inueniens virum: dixit ad eum. Percute me. Qui percussit eum: et vulnerauit. [38] Abijt ergo propheta et occurrit regi in via: et mutauit aspersione pulueris os· et oculos suos. [39] Cunque rex transisset: clamauit ad regem et ait. Seruus tuus egressus est ad preliandum cominus: cumque fugisset vir vnus· adduxit eum quidam ad me: et ait. Custodi virum istum. Qui si lapsus fuerit erit anima tua pro anima eius: aut talentum argenti appendes. [40] Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem: subito non comparuit. Et ait rex israhel ad eum. Hoc est iudicium tuum: quod ipse decreuisti. [41] At ille statim abstersit puluerem de facie sua: et cognouit eum rex israhel quod esset de prophetis. [42] Qui ait ad eum. Hec dicit dominus. Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua· erit anima tua pro anima eius: et populus tuus pro populo eius. [43] Reuersus est igitur rex israhel in domum suam· audire contemnens: et furibundus venit in samariam.

21 Post verba autem hec tempore illo vinea erat naboth iesrahelite qui erat in iesrahel: iuxta palacium achab regis samarie. [2] Locutus est ergo achab ad naboth dicens. Da michi vineam tuam vt faciam michi ortum olerum: quia vicina est et prope domum meam. Daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas argenti precium quantum digna est. [3] Cui respondit naboth. Propicius michi sit dominus: ne dem hereditatem patrum meorum tibi. [4] Venit ergo achab in domum suam· indignans et frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum naboth iesrahelites dicens: non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et proiciens se in lectulum suum auertit faciem suam ad parietem: et non comedit panem. [5] Ingressa est autem ad eum iezabel vxor sua: dixitque ei. Quid est hoc vnde anima tua contristata est· et quare non commedis panem? [6] Qui respondit ei. Locutus sum naboth iesrahelite et dixi ei. Da michi vineam tuam accepta pecunia: aut si tibi placet dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait. Non dabo tibi vineam meam. [7] Dixit ergo ad eum iezabel vxor eius. Grandis auctoritatis es: et bene regis regnum israhel. Surge et comede panem: et equo animo esto. Ego dabo tibi vineam naboth iesrahelite. [8] Scripsit itaque litteras ex nomine achab· et signauit eas anulo eius: et misit ad maiores natu· et optimates qui erant in ciuitate eius: et habitabant cum naboth. [9] Litterarum autem hec erat sentencia. Predicate ieiunium et sedere facite naboth inter primos populi: [10] et submittite duos viros filios belial contra eum· et falsum testimonium dicant benedixit naboth deum et regem: et educite eum et lapidare. sicque moriatur. [11] Fecerunt ergo ciues eius maiores natu et optimates qui habitabant cum eo in vrbe sicut preceperat eis iezabel: et sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos. [12] Predicauerunt ieiunium: et sedere fecerunt naboth inter primos populi: [13] et adductis duobus viris filijs diaboli fecerunt eos sedere contra eum. At illi scilicet vt viri diabolici· dixerunt contra eum testimonium coram multitudine. Benedixit naboth deum et regem. Quamobrem eduxerunt eum extra ciuitatem: et lapidibus interfecerunt. [14] Miseruntque ad iezabel dicentes. Lapidatus est naboth: et mortuus est. [15] Factum est autem cum audisset iezabel lapidatum naboth et mortuum: locuta est ad achab. Surge posside vineam naboth iesrahelite: qui noluit tibi acquiescere et dare eam accepta pecunia. Non enim viuit naboth: sed mortuus est. [16] Quod cum audisset achab mortuum videlicet naboth: surrexit et descendebat in vineam naboth iesrahelite vt possideret eam. [17] Factus chesbiten est igitur sermo domini ad heliam chesbiten dicens. [18] Surge: descende in occursum achab regis israhel: qui est in samaria. Ecce ad vineam naboth descendit: vt possideat eam. [19] Et loqueris ad eum dicens. Hec dicit dominus deus. Occidisti: insuper et possedisti. Et post hec addes Hec dicit dominus. In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem naboth: lambent quoque sanguinem tuum. [20] Et ait achab ad heliam. Num inuenisti me inimicum tibi? Qui dixit· Inueni: eo quod venundatus sis vt faceres malum in conspectu domini. dicit dominus. [21] Ecce ego inducam super te malum· super te et demetam posteriora tua: et interficiam de achab mingentem ad parietem: et clausum et vltimum in israhel. [22] Et dabo domum tuam sicut domum iheroboam filij nabath· et sicut domum baasa filij ahia: quia egisti vt me ad iracundiam prouocares et peccare fecisti israhel [23] Sed et et de iezabel locutus est dominus dicens. Canes comedent iezabel: in agro iesrahel. [24] mortuus fuerit hel. mortuus fuerit achab in ciuitate comedent eum canes: Si autem mortuus fuerit in agro: comedent eum volucres celi. [25] Igitur non fuit alter talis sicut achab: qui venundatus est vt faceret malum in conspectu domini. Concitauit enim eum iezabel vxor sua: [26] et abominabilis factus est· intantum vt sequeretur ydola que fecerant amorrei: quos consumpsit dominus a facie filiorum israhel. [27] Itaque cum audisset achab sermones istos scidit vestimenta sua· et operuit cilicio carnem suam: ieiunauitque et dormiuit in sacco: et ambulauit de misso capite. [28] Et factus est sermo domini ad heliam thesbiten dicens. [29] Nonne vidisti humiliatum achab coram me: quia igitur humiliatus est mei causa· non inducam malum in diebus eius: sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.

22 Transierunt igitur tres anni absque bello inter siriam et israhel. [2] In anno autem tercio descendit iosaphat rex iuda ad regem israhel. [3] Dixitque rex israhel ad seruos suos. Ignoratis quod nostra sit ramoth galaad· et negligimus tollere eam de manu regis sirie? [4] Et ait ad iosaphat. Veniesne mecum ad preliandum in ramoth galaad? [5] Dixitque iosaphat ad regem israhel. Sicut ego sum: ita et tu. Populus meus et populus tuus vnum sunt: et equites mei equites tui. Dixitque iosaphat ad regem israhel. Quere oro te hodie sermonem domini. [6] Congregauit ergo rex israhel prophetas· quadringentos circiter viros: et ait ad eos. Ire debeo in ramoth galaad ad bellandum an quiescere? Qui responderunt. Ascende: et dabit eam dominus in manu regis. [7] Dixit autem iosaphat. Non est hic propheta domini quispiam: vt interrogemus per eum? [8] Et ait rex israhel ad iosaphat. Remansit vir vnus per

quem possumus interrogare dominum: sed ego odi eum· quia non prophetat michi bonum sed malum: micheas filius iemla. Cui iosaphat ait. Ne loquaris ita rex. [9] Vocauit ergo rex israhel eunuchum quendam: et dixit ei. Festina adducere micheam filium iemla. [10] Rex autem israhel et iosaphat rex iuda sedebant· vnusquisque in solio suo vestiti cultu regio in area iuxta ostium porte samarie: et vniuersi prophete prophetabant in conspectu eorum. [11] Fecit quoque sibi sedechias filius chanaan cornua ferrea et ait. Hec dicit dominus. Hijs ventilabis siriam: donec deleas eam. [12] Omnesque prophete similiter propherabant dicentes. Ascende in ramoth galaad et vade prospere: et tradet dominus in manus regis. [13] Nuncius vero qui ierat vt vocaret micheam: locutus est ad eum dicens. Ecce sermones prophetarum ore vno regi bona predicant. Sit ergo sermo tuus similis eorum: et loquere bona. [14] Cui micheas ait. Viuit dominus: quia quodcunque dixerit michi dominus hoc loquar. [15] Venit itaque ad regem: et ait illi rex. Michea: ire debemus in ramoth galaad ad preliandum an cessare? Cui ille respondit. Ascende et vade prospere: et tradet dominus in manu regis. [16] Dixit autem rex ad eum. Iterum atque iterum adiuro te: vt non loquaris michi nisi quod verum est in nomine domini. [17] Et ille ait. Vidi cunctum israhel dispersum in montibus: quasi oues non habentes pastorem. Et ait dominus. Non habent isti dominum: reuertatur vnusquisque in domum suam in pace. [18] Dixit ergo rex israhel ad iosaphat. Nunquid non dixi tibi quia non prophetat michi bonum: sed semper malum? [19] Ille vero addens ait. Propter hoc audi sermonem domini. Vidi dominum sedentem super solium suum: et omnem exercitum celi assistentem ei a dextris et a sinistris. [20] Et ait dominus. Quis decipiet achab regem israhel vt ascendat: et cadat in ramoth galaad? Et dixit vnus verba huiuscemodi: et alius aliter. [21] Egressus est autem spiritus: et stetit coram domino: et ait. Ego decipiam illum. Cui locutus est dominus. In quo? [22] Et ille ait. Egrediar: et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit dominus. Decipies et preualebis: egredere· et fac ita. [23] Nunc igitur ecce dedit dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt: et dominus locutus est contra te malum. [24] Accessit autem sedechias filius chanaan: et percussit micheam in maxillam· et dixit. Me ne ergo dimisit spiritus domini: et locutus est tibi? [25] Et ait micheas. Visurus es in die illa: quando ingredieris cubiculum intra cubiculum vt abscondaris. [26] Et ait rex israhel. Tollite micheam et maneat aput ammon principem ciuitatis· et aput ioas filium amalech: [27] et dicite eis. Hec dicit rex. Mittite virum istum in carcerem: et sustentate eum pane tribulacionis et aqua angustie: donec reuertar in pace. [28] Dixitque micheas. Si reuersus fueris in pace: non est locutus in me dominus. Et ait. Audite populi omnes. [29] Ascendit itaque rex israhel et iosaphat rex iuda· in ramoth galaad. [30] Dixit itaque rex israhel ad iosaphat. Sume arma et ingredere pre et induere vestibus tuis. Porro rex israhel mutauit habitum suum: et ingressus est bellum. [31] Rex autem sirie preceperat principibus curruum trigintaduobus dicens. Non pugnabitis contra minorem et maiorem quemquam: nisi contra regem israhel solum. [32] Cum ergo vidissent principes curruum iosaphat suspicati sunt quod ipse esset rex israhel: et impetu facto pugnabant contra eum. Et exclamauit iosaphat. [33] Intellexeruntque principes curruum iosaphat. Intellexerunt que principes cur quod non esset rex israhel: et cessauerunt ab eo. [34] Vnus autem quidam tetendit arcum. in incertum sagittam dirigens: et casu percussit regem israhel inter pulmonem et stomachum. At ille dixit aurige suo. Verte manum tuam· et eice me de exercitu: quia grauiter vulneratus sum. [35] Commissum est ergo prelium in die illa. Et rex israhel stabat in curru suo· contra siros: et mortuus est vespere. Fluebat autem sanguis plage in sinum currus: [36] et preco insonuit in vniuerso exercitu antequam sol occumberet dicens. Vnusquisque reuertatur in ciuitatem et in terram suam. [37] Mortuus est autem rex: et perlatus est in samariam. Sepelieruntque regem in samaria: [38] et lauerunt currum eius in piscina samarie et linxerunt canes sanguinem eius: et habenas lauerunt iuxta verbum domini quod locutus fuerat. [39] Reliqua autem sermonum achab et vniuersa que fecit· et domus eburnea quam edificauit· cunctarumque vrbium quas exstruxit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israhel? [40] Dormiuit ergo achab cum patribus suis: et regnauit ochozias filius eius pro eo. [41] Iosaphat vero filius asa regnare ceperat super iudam: anno quarto achab regis israhel hel. [42] Trigintaquinque annorum erat cum regnare cepisset: et vigintiquinque annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius azuba: filia salai. [43] Et ambudeclinauit ex ea. Fecitque quod rectum conspectu domini: [44] veruntamen excelsa non ea. Adhuc enim populus sacrificabat et adolebat incensum in excelsis. [45] Pacemque habuit iosaphat cum rege israhel. [46] Reliqua autem verborum iosaphat· et opera eius que gessit et prelia nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda? [47] Sed et reliquias effeminatorum qui remanserant in diebus asa patris eius abstulit de terra. [48] Nec erat tunc rex constitutus in edom. [49] Rex vero iosaphat fecerat classes in mari· que nauigarent in ophir propter aurum: et ire non poterant: quia confracte sunt in asyongaber. [50] Tunc ait ochozias filius achab ad iosaphat. Vadant serui mei cum seruis tuis in nauibus. Et noluit iosaphat. [51] Dormiuitque iosaphat cum patribus suis: et sepultus est cum eis in ciuitate dauid patris sui: regnauitque ioram filius eius pro eo. [52] Ochozias autem filius achab regnare ceperat super israhel in samaria anno septimodecimo iosaphat regis iuda: regnauitque super regnare [53] in conspectu domini: et ambulauit via ceperat [54] israhel in samaria num deum israhel iuxta omnia que fecerat pater eius. israhel duobus annis. Et fecit malum in via patris sui· et matris sue: et in via iheroboam filij nabath qui peccare fecit israhel. Seruiuit quoque baal et adorauit eum: et irritauit domifecerat pater eius. Incipit liber

Regum IV

Incipit regum quartus.

1 Preuaricatus est autem moab in israhel: postquam mortuus est achab. [2] Ceciditque ochozias per cancellos cenaculi sui· quod habebat in samaria et egrotauit: misitque nuncios dicens ad eos. Ite consulite beelzebub deum accharon: vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. [3] Angelus autem domini locutus est ad heliam thesbiten dicens. Surge et descende in occursum nunciorum regis samarie: et dices ad eos. Nunquid non est deus in israhel· vt eatis ad consulendum beelzebub deum accharon? [4] Quamobrem hec dicit dominus. De lectulo super quem ascendisti non descendes: sed morte morieris. Et abijt helias: [5] reuersique sunt nuncij ad ochoziam. Qui dixit eis. Quare reuersi estis? [6] At illi responderunt ei. Vir occurrit nobis: et dixit ad nos. Ite reuertimini ad regem qui misit vos: et dicetis ei. Hec dicit dominus. Nunquid quia non erat deus in israhel mittis vt consulatur beelzebub deus accharon? Idcirco de lectulo super quem ascendisti non descendes: sed morte morieris. [7] Qui dixit eis. Cuius figure et habitus est vir ille qui occurrit vobis: et locutus est verba hec? [8] At illi dixerunt. Vir pilosus: et zona pellicia accinctus renibus. Qui ait. Helias thesbites est. [9] Misitque ad eum quinquagenarium principem: et quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: sedentique in vertice montis ait. Homo dei: rex precepit vt descendas. [10] Respondens que helias· dixit quinquagenario. Si homo dei sum: descendat ignis de celo et deuoret te et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de celo· et deuorauit eum: et quinquaginta qui erant cum eo. [11] Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum: et quinqua cum eo. Qui locutus est illi. Homo dei: hec dicit rex. Festina· descende. [12] Respondens helias ait. Si homo

dei ego sum: descendat ignis de celo et deuoret te et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de celo: et deuorauit illum· et quinquaginta eius. [13] Iterum misit principem quinquagenarium tercium: et quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum venisset curuauit genua contra heliam: et precatus est eum et ait. Homo dei: noli despicere animam meam· et animas seruorum tuorum qui mecum sunt. [14] Ecce descendit ignis de celo et deuorauit duos principes quinquagenarios primos: et quinquagenos qui cum eis erant. Sed nunc obsecro vt miserearis anime mee. [15] Locutus est autem angelus domini ad heliam dicens. Descende cum eo. Ne timeas. Surrexit igitur et descendit cum eo ad regem: [16] et locutus est ei. Hec dicit dominus. Quia misisti nuncios ad consulendum beelzebub deum accharon quasi non esset deus in israhel a quo posses interrogare sermonem: ideo de lectulo super quem ascendisti non descendes: sed morte morieris. [17] Mortuus est autem iuxta sermonem domini quem locutus est helias: et regnauit ioram frater eius pro eo: anno secundo ioram filij iosaphat regis iude. Non enim habebat filium. [18] Reliqua autem verborum ochozie que operatus est· nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum israhel?

2 Factum est autem cum leuare vellet dominus heliam per turbinem in celum: ibant helias et heliseus de galgalis. [2] Dixitque helias ad heliseum. Sede hic: quia dominus misit me vsque in bethel. Cui ait heliseus. Viuit dominus· et viuit anima tua: quia non derelinquam te. Cunque descendissent bethel: [3] egressi sunt filij prophetarum qui erant in bethel ad heliseum: et dixerunt ei. Nunquid nosti: quia hodie dominus tollet dominum tuum a te? Qui respondit. Et ego noui. Silete. [4] Dixit autem helias ad heliseum. Sede hic: quia dominus misit me in ihericho. Et ille ait. Viuit dominus· et viuit anima tua: quia non derelinquam te. Cumque venissent ihericho. [5] accesserunt filij prophetarum qui erant in ihericho ad heliseum: et dixerunt ei. Nunquid nosti: quia dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait. Et ego noui. Silete. [6] Dixit autem ei helias. Sede hic: quia dominus misit me vsque ad iordanem. Qui ait. Viuit dominus· et viuit anima tua: quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter: [7] et quinquaginta viri de filijs prophetarum secuti sunt eos. Qui et steterunt econtra longe. Illi autem ambo stabant super iordannem. [8] Tulitque helias pallium suum et inuoluit illud: et percussit aquas que diuise sunt in vtranque partem: et transierunt ambo per siccum. [9] Cumque transissent: helias dixit ad heliseum. Postula quod vis: vt faciam tibi antequam tollar a te. Dixitque heliseus. Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus. [10] Qui respondit. Rem difficilem postulasti. Attamen si videris me quando tollar a te erit quod petisti: si autem non videris· non erit. [11] Cunque pergerent et incedentes sermocinarentur: ecce currus igneus et equi ignei diuiserunt vtrunque. Et ascendit helias per turbinem in celum: [12] heliseus autem videbat: et clamabat. Pater mi pater mi: currus israhel et auriga eius. Et non vidit eum amplius. Apphendit que vestimenta sua: et scidit illa in duas partes. [13] Et leuauit pallium helie quod ceciderat ei. Reuersusque stetit super ripam iordanis: [14] et pallio helie quod ceciderat ei percussit aquas: et non sunt diuise. Et dixit. Vbi est deus helie eciam nunc? Percussitque aquas: et diuise sunt huc atque illuc: et transijt heliseus. [15] Videntes autem filij prophetarum qui erant in ihericho decontra dixerunt. Requieuit spiritus helie super heliseum. Et venientes in occursum eius adorauerunt eum proni in terram: [16] dixeruntque illi. Ecce cum seruis tuis sunt quinquaginta viri fortes· qui possunt ire· et querere dominum tuum: ne forte tulerit eum spiritus domini et proiecerit eum in vnum montium aut in vnam vallium. Qui ait. Nolite mittere. [17] Coegeruntque eum: donec acquiesceret et diceret. Mittite. Et miserunt quinquaginta viros. Qui cum quesissent tribus diebus: non inuenerunt. [18] Et reuersi sunt ad eum. At ille habitabat in ihericho: et dixit eis. Nunquid non dixi vobis: nolite mittere? [19] Dixerunt quoque viri ciuitatis ad heliseum. Ecce habitacio ciuitatis huius optima est sicut tuipse domine prospicis: sed aque pessime sunt: et terra sterilis. [20] At ille ait. Afferte michi vas nouum: et mittite in illud sal. Quod cum attulissent: [21] egressus ad fontem aquarum misit in illum sal: et ait. Hec dicit dominus. Sanaui aquas has: et non erit vltra in eis mors neque sterilitas. [22] Sanate sunt ergo aque vsque in diem hanc: iuxta verbum helisei quod locutus est. [23] Ascendit autem inde heliseus in bethel. Cunque asceuderet per viam pueri parui egressi sunt de ciuitate: et illudebant ei dicentes. Ascende calue: ascende calue. [24] Qui cum respexisset vidit eos: et maledixit eis in nomine domini. Egressique sunt duo vrsi· de saltu: et lacerauerunt ex eis quadragintaduos pueros. [25] Abijt autem inde in montem carmeli: et inde reuersus est in samariam.

3 Ioram vero filius achab regnauit super israhel in samaria: anno decimooctauo iosaphat regis iude. Regnauitque duodecim annis: [2] et fecit malum coram domino: sed non sicut pater suus et mater. Tulit enim statuas baal quas fecerat pater eius: [3] veruntamen in peccatis iheroboam filij nabath qui peccare fecit israhel adhesit: nec recesit ab eis. [4] Porro mesa rex moab nutriebat pecora multa: et soluebat regi israhel centum milia agnorum· et centum milia arietum cum velleribus suis. [5] Cunque mortuus fuisset achab: preuaricatus est fedus quod habebat cum rege israhel. [6] Egressus est igitur rex ioram in die illa de samaria: et recensuit vniuersum israhel: [7] misitque ad iosaphat regem iuda dicens. Rex moab recessit a me: veni mecum contra eum ad prelium. Qui respondit. Ascendam. Qui meus est tuus est: populus meus populus tuus: et equi mei equi tui. [8] Dixitque. Per quam viam ascendemus? At ille respondit. Per desertum ydumee. [9] Perrexerunt igitur rex israhel et rex iuda et rex edom· et circuierunt per viam septem dierum: nec erat aqua exercitui et iumentis que sequebantur eos. [10] Dixitque rex israhel. Heu heu heu. Congregauit nos dominus tres reges: vt traderet in manu moab. [11] Et ait iosaphat. Est ne hic propheta domini: vt deprecemur dominum per eum? Et respondit vnus de seruis regis israhel. Est hic heliseus filius saphat: qui fundebat aquam super manus helie. [12] Et ait iosaphat. Est apud eum sermo domini? Descenditque ad eum rex israhel et iosaphat rex iuda: et rex edom. [13] Dixit autem heliseus ad regem israhel. Quid michi et tibi est? Vade ad prophetas patris tui et matris tue. Et ait illi rex israhel. Quare congregauit dominus tres reges hos vt traderet eos in manus moab? [14] Dixitque ad eum heliseus. Viuit dominus exercituum in cuius conspectu sto: quod si non vultum iosaphat regis iude erubescerem: non attendissem quidem te: nec respexissem. [15] Nunc autem adducite michi psalten. Cumque caneret psaltes: facta est super eum manus domini. Et ait. [16] Hec dicit dominus. Facite alueum torrentis huius fossas et fossas. [17] Hec enim dicit dominus. Non videbitis ventum neque pluuiam: et alueus iste replebitur aquis: et bibetis vos et familie vestre et iumenta vestra. [18] Parumque est hoc in conspectu domini: insuper tradet eciam moab in manus nostras. [19] Et percutietis omnem ciuitatem munitam et omnem vrbem electam: et vniuersum lignum fructiferum succidetis cunctosque fontes aquarum obturabitis: et omnem agrum egregium operietis lapidibus. [20] Factum est igitur mane quando sacrificium offerri solet: et ecce aque veniebant per viam edom. Et repleta est terra aquis. [21] Vniuersi autem moabite audientes quod descendissent tres reges vt pugnarent aduersus eos conuocauerunt omnes qui accincti erant baltheo desuper: et steterunt in terminis [22] primoque mane surgentes· et orto iam sole ex aduerso aquarum: viderunt moabite econtra aquas rubras quasi sanguinem: [23] dixeruntque. Sanguis gladij est. Pugnauerunt reges contra se: et cesi sunt mutuo. Nunc perge ad predam moab. [24] Perrexeruntque in castra israhel. Porro consurgens israhel percussit moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant· et percusserunt moab· [25] et ciuitates destruxerunt: et omnem agrum optimum mittentes singuli lapides repleuerunt: et vniuersos fontes aquarum obturauerunt: et omnia ligna fructifera succiderunt: ita vt muri tantum fictiles remanerent. Et circundata est ciuitas a fundibularijs: et magna ex parte percussa. [26] Quod cum vidisset rex moab preualuisse scilicet hostes tulit secum septingentos viros educentes gladios vt irrumperent ad regem edom: et non potuerunt. [27] Arripiensque filium suum primogenitum qui regnaturus erat pro eo obtulit olocaustum super murum: et facta est indignatio magna in israhel. Statimque recesserunt ab eo· et reuersi sunt in terram suam.

4 Mulier autem quedam de vxoribus prophetarum· clamabat ad heliseum dicens. Seruus tuus vir meus mortuus est: et tu nosti quia seruus tuus fuit

timens deum. Et ecce creditor venit: vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. [2] Cui dixit heliseus. Quid vis vt faciam tibi? Dic michi. Quid habes in domo tua? At illa respondit. Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea: nisi parum olei quo vngar. [3] Cui ait. Vade· pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca: [4] et ingredere et claude ostium tuum cum intrinsecus fueris tu et filij tui· et mitte inde in omnia vasa hec: et cum plena fuerint tolles. [5] Iuit itaque mulier: et clausit ostium super se et super filios suos. Illi offerebant vasa: et illa infundebat. [6] Cunque plena fuissent vasa: dixit ad filium suum. Affer michi adhuc vas. Et ille respondit. Non habeo. Stetitque oleum. [7] Venit autem illa et indicauit homini dei. Et ille? Vade inquit vende oleum et redde creditori tuo: tu autem et filij tui viuite de reliquo. [8] Facta est autem quedam dies: et transibat heliseus per sunam ciuitatem. Erat autem ibi mulier magna: que tenuit eum vt comederet panem. Cunque frequenter inde transiret: diuertebat ad eam vt comederet panem. [9] Que dixit ad virum suum. Animaduerto quod vir dei sanctus est iste: qui transit per nos frequenter. [10] Faciamus ergo ei cenaculum paruum: et ponamus ei in eo lectulum et mensam et sellam et candelabrum: vt cum venerit ad nos maneat ibi. [11] Facta est ergo dies quedam: et veniens diuertit in cenaculum: et requieuit ibi. [12] Dixitque ad giezi puerum suum. Voca sunamiten istam. Qui cum vocasset eam· et illa stetisset coram eo: [13] dixit ad puerum suum. Loquere ad eam. Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis: quid vis vt faciam tibi? Nunquid habes negotium: et vis vt loquar regi siue principi militie? Que respondit. In medio populi mei habito. [14] Et ait. Quid ergo vult vt faciam ei? Dixitque giezi. Ne queras. Filium enim non habet: et vir eius senex est. [15] Precepit itaque vt vocaret eam. Que cum vocata fuisset et stetisset ante ostium: [16] dixit ad eam. In· tempore isto in hac eadem hora si vita comes fuerit: habebis in vtero filium. At illa. Noli queso domine mi vir dei: noli mentiri ancille tue. [17] Et concepit mulier: et peperit filium in tempore· et in hora eadem qua dixerat heliseus. [18] Creuit autem puer: et cum esset quedam dies et egressus isset ad patrem suum ad messores: [19] ait patri suo. Caput meum doleo. At ille dixit puero. Tolle: et duc eum ad matrem suam. [20] Qui cum tulisset et duxisset eum ad matrem suam: posuit eum illa super genua sua vsque ad meridiem: et mortuus est. [21] Ascendit autem et collocauit eum super lectum hominis dei: et clausit ostium. Et egressa [22] vocauit virum suum. Et ait. Mitte mecum obsecro vnum de pueris et asinam: vt excurram vsque ad hominem dei· et reuertar. [23] Qui ait illi. Quamobcausam vadis ad eum? Hodie non sunt kalende neque sabbatum. Que respondit. Vadam. [24] Strauitque asinam: et precepit puero. Mina et propera: ne michi moram facias in eundo: et hoc age quod precipio tibi. [25] Profecta est igitur: et venit ad virum dei in monte carmeli. Cunque vidisset eam vir dei decontra: ait ad giezi puerum suum. Ecce sunamitis illa. [26] Vade ergo in occursum eius: et dic ei. Rectene agitur circa te et circa virum tuum: et circa filium tuum? Que respondit. Recte. [27] Cumque venisset ad virum dei in montem apprehendit pedes eius: et accessit giezi vt amoueret eam. Et ait homo dei. Dimitte illam. Anima enim eius in amaritudine est: et dominus celauit a me· et non indicauit michi. [28] Que dixit illi. Nunquid petiui filium a domino meo? Nunquid non dixi tibi: ne illudas me? [29] Et ille ait ad giezi. Ac lumbos tuos: et tolle baculum meum in manu tua et vade. Si occurrerit tibi homo non salutes eum: et si salutauerit te quispiam non respondeas illi. Et pones baculum meum super faciem pueri. [30] Porro mater pueri ait. Viuit dominus et viuit anima tua: non dimittam te. Surrexit ergo: et secutus est eam. [31] Giezi autem precesserat ante eos: et posuerat baculum super faciem pueri: et non erat vox neque sensus. Reuersus que est in occursum eius: et nunciauit ei dicens. Non surrexit puer. [32] Ingressus est ergo heliseus domum: et ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius. [33] Ingressusque clausit ostium super se et super puerum: et orauit ad dominum. [34] Et ascendit· et incubuit super puerum: posuitque os suum super os eius et oculos suos super oculos eius· et manus suas super manus eius et incuruauit se super eum: et calefacta est caro pueri. [35] At ille reuersus· deambulabat in domo semel huc atque illuc: et ascendit et incubuit super eum. Et oscitauit puer septies: aperuitque oculos. [36] Et ille vocauit giezi: et dixit ei. Voca sunamiten hanc. Que vocata ingressa est ad eum. Qui ait. Tolle filium tuum. [37] Venit illa et corruit ad pedes eius: et adorauit super terram. Tulitque filium suum· et egressa est: [38] et heliseus reuersus est in galgala. Erat autem fames in terra: et filij prophetarum habitabant coram eo· dixitque vni de pueris suis. Pone ollam grandem: et coque pulmentum filijs prophetarum. [39] Et egressus est vnus in agrum: vt colligeret herbas agrestes. Inuenitque quasi vitem siluestrem: et collegit ex ea coloquintidas agri et impleuit pallium suum: et reuersus conscidit in ollam pulmenti. Nesciebat enim quid esset: [40] infuderunt igitur sociis vt comederent. Cumque gustassent de coctione: exclamauerunt dicentes. Mors in olla vir dei. Et non potuerunt comedere. [41] At ille: afferte inquit farinam. Cumque tulissent: misit in ollam et ait. Infunde turbe vt comedant. Et non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla. [42] Vir autem quidam venit de balsalisa deferens viro dei panes primitiarum· et viginti panes ordeaceos: et frumentum nouum in pera sua. At ille dixit. Da populo vt comedat. [43] Responditque ei minister eius. Quantum est hoc vt apponam coram centum viris? Rursum ille: ait populo vt comedat. Hec enim dicit dominus. Comedent: et supererit. [44] Posuit itaque coram eis. Qui comederunt: et superfuit iuxta verbum domini.

5 Naaman princeps militie regis sirie erat vir magnus aput dominum suum: et honoratus. Per illum enim dedit dominus salutem sirie. Erat autem vir fortis et diues: sed leprosus. [2] Porro de siria egressi fuerant latrunculi: et captiuam duxerant de terra israhel puellam paruulam: que erat in obsequio vxoris naaman. [3] Que ait ad dominam suam. Vtinam fuisset dominus meus ad prophetam qui est in samaria: profecto curasset eum a lepra quam habet. [4] Ingressus est itaque naaman ad dominum suum: et nunciauit ei dicens. Sic et sic locuta est puella de terra israhel. [5] Dixit que ei rex sirie. Vade: et mittam litteras ad regem israhel. Qui cum profectus esset et tulisset secum decem talenta argenti et sex milia aureos· et decem mutatoria vestimentorum: [6] detulit litteras ad regem israhel in hec verba. Cum acceperis epistolam hanc: scito quod miserim ad te naaman seruum meum vt cures eum a lepra sua. [7] Cunque legisset rex israhel litteras: scidit vestimenta et ait. Aunquid deus ego sum vt occidere possim et viuificare: quia iste misit ad me vt curem hominem a lepra sua? Animaduertite et videte: quod occasiones querat aduersum me. [8] Quod cum audisset heliseus vir dei· scidisse videlicet regem israhel vestimenta sua: misit ad eum dicens. Quare scidisti vestimenta tua? Veniat ad me: et sciat esse prophetam in israhel. [9] Venit ergo naaman cum equis et curribus: et stetit ad ostium domus helisei. [10] Misitque ad eum heliseus nuncium dicens. Vade et lauare septies in iordane: et recipiet sanitatem caro tua atque mundaberis. [11] Iratus naaman· recedebat dicens. Putabam quod egrederetur ad me et stans inuocaret nomen domini dei sui: et tangeret manu sua locum lepre: et curaret me. [12] Nunquid non meliores sunt abana et pharfar fluuij damasci omnibus aquis israhel· vt lauer in eis et munder? Cum ergo vertisset se et abiret indignans: [13] accesserunt ad eum serui sui· et locuti sunt ei. Pater: et si rem grandem dixisset tibi propheta· certe facere debueras. Quantomagis quia nunc dixit tibi lauare et mundaberis? [14] Descendit et lauit septies in iordanne iuxta sermonem viri dei: et restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli: et mundatus est. [15] Reuersusque ad virum dei cum vniuerso comitatu suo: venit et stetit coram eo et ait. Vere scio quod non sit alius deus in vniuersa terra: nisi tantum in israhel. Obsecro itaque vt accipias benedictionem a seruo tuo. [16] At ille respondit. Viuit dominus ante quem sto: quia non accipiam. Cumque vim faceret: penitus non acquieuit. [17] Dixitque naaman. Vt vis. Sed obsecro concede michi seruo tuo: vt tollam onus duorum burdonum de terra. Non enim faciet vltra seruus tuus olocaustum aut victimam dijs alienis: nisi domino. [18] Hoc autem solum est de quo depreceris dominum pro seruo tuo: quando ingredietur dominus meus templum remmon vt adoret· et illo innitente super manum meam· si adorauero in templo remmon· adorante eo in eodem loco: vt ignoscat michi dominus seruo tuo pro hac re. [19] Qui dixit ei. Vade in pace. Abijt ergo ab eo: electo tempore terre. [20] Dixitque giezi puer viri dei. Pepercit dominus meus naaman siro isti: vt non acciperet ab eo que attulit. Viuit dominus quia curram post eum: et accipiam ab eo aliquid. [21] Et secutus est giezi post tergum naaman· Quem cum vidisset ille currentem ad se:

desilijt de curru in occursum eius et ait. Rectene sunt omnia? 22 Et ille ait. Recte. Dominus meus misit me ad te dicens. Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte ephraim: ex filijs prophetarum. Da eis talentum argenti: et vestes mutatorias duplices. 23 Dixitque naaman. Melius est vt accipias duo talenta. Et coegit eum: ligauitque duo talenta argenti duobus saccis et duplicia vestimenta et imposuit duobus pueris suis: qui et portauerunt coram eo. 24 Cumque venisset iam vesperi· tulit de manu eorum· et reposuit in domo: dimisitque viros et abierunt: 25 ipse autem ingressus stetit coram domino suo. Et dixit heliseus. Vnde venis giezi? Qui respondit. Non iuit seruus tuus quoquam. 26 At ille ait. Nonne cor meum in presenti erat: quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum et accepisti vestes: vt emas oliueta· et vineas et oues et boues et seruos et ancillas. 27 Sed et lepra naaman adherebit tibi et semini tuo vsque in sempiternum. Et egressus est quasi nix ab eo leprosus.

6 Dixerunt autem filij prophetarum ad heliseum. Ecce locus in quo habitamus coram te: angustus est nobis. 2 Eamus vsque ad iordanem et tollant singuli de silua materias singulas: vt edificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit. Ite. 3 Et ait vnus ex illis. Veni ergo et tu cum seruis tuis. Respondit. Ego veniam. 4 Et abijt cum eis. Cunque venissent ad iordanen: cedebant ligna. 5 Accidit autem: vt cum vnus materiam succidisset· caderet ferrum securis in aquam. Exclamauitque ille et ait: Heu heu heu domine mi: et hocipsum mutuo acceperam. 6 Dixit autem homo dei. Vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. Prescidit ergo lignum: et misit illuc. Natauitque ferrum. 7 Et ait. Tolle. Qui extendit manum: et tulit illud. 8 Rex autem sirie pugnabat contra israhel: consiliumque inijt cum seruis suis dicens. In loco illo et illo· ponamus insidias. 9 Misit itaque vir dei ad regem israhel dicens. Caue ne transeas in locum illum: quia ibi siri in insidijs sunt. 10 Misit itaque rex israhel ad locum quem dixerat ei vir dei et preoccupauit eum: et obseruauit se ibi non semel neque bis. 11 Conturbatumque est cor regis sirie pro hac re: et conuocatis seruis suis ait. Quare non indicatis michi quis proditor mei sit apud regem israhel? 12 Dixitque vnus seruorum eius. Nequaquam domine mi rex: sed heliseus propheta qui est in israhel indicat regi israhel omnia verba quecunque locutus fueris in conclaui tuo. 13 Dixitque eis. Ite et videte vbi sit: vt mittam et capiam eum. Annunciauerunt ei dicentes. Ecce in dothaim. 14 Misit ergo illuc equos et currus: et robur exercitus. Qui cum venissent nocte: circundederunt ciuitatem. 15 Consurgens autem diluculo minister viri dei egressus est: viditque exercitum in circuitu ciuitatis et equos et currus. Nunciauitque ei dicens heu heu domine mi quid faciemus? 16 At ille respondit. Noli timere. Plures enim nobiscum sunt: quam cum illis. 17 Cunque orasset heliseus ait. Domine: aperi oculos huius vt videat. Et aperuit dominus oculos pueri· et vidit: et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu helisei. 18 Hostes vero descenderunt ad eum. Porro heliseus orauit ad dominum dicens. Percute obsecro gentem hanc cecitate. Percussitque eos obseeos dominus ne viderent: iuxta verbum heliseni. lisei. 19 Dixit autem ad eos heliseus. Non est hec via: nec ista est ciuitas. Sequimini me: et ostendam vobis virum quem queritis. Duxit ergo eos in samariam. 20 Cumque ingressi fuissent in samariam: dixit heliseus. Domine: aperi oculos istorum vt videant. Aperuitque dominus oculos eorum: et viderunt se esse in medio samarie. 21 Dixitque rex israhel ad heliseum: cum vidisset eos. Nunquid percutiam eos pater mi? 22 Et ille ait. Non percuties. Neque enim cepisti eos gladio et arcu tuo: vt percutias. Sed pone panem et aquam coram eis· nt comedant et bibant: et vadant ad dominum suum. 23 Appositaque est eis ciborum magna preparatio. Et comederunt et biberunt: et dimisit eos: abierunt que ad dominum suum. Et vltra non venerunt latrones sirie in terram israhel. 24 Factum est autem post hec congregauit benadab rex sirie vniuersum exercitum suum: et ascendit et obsidebat samariam. 25 Facta quod est fames magna in samaria: et tam diu obsessa est donec venundaretur caput asini octoginta argenteis: et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis. 26 Cumque rex israhel transiret per murum: mulier quedam exclamauit ad eum dicens. Salua me domine mi rex. 27 Qui ait. Non te saluet dominus. Vnde te possum saluare? De area: vel de torculari? Dixitque ad eam rex. Quid tibi vis? Que respondit. 28 Mulier ista dixit michi. Da filium tuum vt comedamus eum hodie: et filium meum comedemus cras. 29 Coximus ergo filium meum· et comedimus: dixique ei die altera. Da filium tuum: vt comedamus eum. Que abscondit filium suum. 30 Quod cum audisset rex scidit vestimenta sua: et transiebat per murum. Viditque omnis populus cilicium quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. 31 Et ait rex. Hec michi faciat deus· et hec addat: si steterit caput helisei filij saphat super ipsum hodie. 32 Heliseus autem sedebat in domo sua: et senes sedebant cum eo. Premisit itaque virum: et antequam veniret nuncius: ille dixit ad senes. Nunquid scitis quod miserit filius homicide hic vt prescidatur caput meum? Videte ergo: cum venerit nuncius· claudite ostium: et non sinatis eum introire. Ecce enim sonitus pedum domini eius post eum est. 33 Adhuc illo loquente eis: apparuit nuncius qui veniebat ad eum. Et ait. Ecce tantum malum a domino est. Quid amplius expectabo a domino?

7 Dixit autem heliseus. Audite verbum domini. Hec dicit dominus. In tempore hoc cras· modius simile vno stantere erit: et duo modij ordei statere vno in porta samarie. 2 Respondens vnus de ducibus super cuius manum rex incumbebat homini dei ait. Si dominus fecerit etiam catharactas in celo: nunquid poterit esse quod loqueris? Qui ait. Videbis oculis tuis: et inde non comedes. 3 Quatuor ergo viri erant leprosi iuxta iutroitum porte: qui dixerunt ad inuicem. Quid hic esse voluimus donec moriamur? 4 Siue ingredi voluerimus ciuitatem fame moriemur: siue manserimus hic moriendum nobis est. Venite ergo et transfugiamus ad castra sirie. Si pepercerint nobis viuemus: si autem occidere voluerint: nichilominus moriemur. 5 Surrexerunt ergo vesperi: vt venirent ad castra sirie. Cumque venissent ad principium castrorum sirie: nullum ibidem repererunt. 6 Siquidem dominus sonitum audiri fecerat in castris sirie· curruum et equorum: et exercitus plurimi. Dixeruntque ad inuicem. Ecce mercede conduxit aduersum nos rex israhel reges getheorum et egiptiorum: et venerunt super nos. 7 Surrexerunt ergo et fugerunt in tenebris: et dereliquerunt tentoria sua et equos et asinos in castris: fugeruntque· animas tantum suas saluare cupientes. 8 Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum ingressi sunt vnum tabernaculum: et comederunt et biberunt. Tulerunt que inde argentum et aurum et vestes: et abierunt et absconderunt. Et rursum reuersi sunt ad aliud tabernaculum: et inde similiter auferentes absconderunt. 9 Dixeruntque ad inuicem. Non recte facimus. Hec enim dies boni nuncij est. Si tacuerimus et noluerimus nunciare vsque mane: sceleris arguemur. Venite eamus: et nunciemus in aula regis. 10 Cunque venissent ad portam ciuitatis: narrauerunt eis dicentes. Iuimus ad castra sirie et nullum ibidem reperimus hominem: nisi equos et asinos alligatos: et fixa tentoria. 11 Ierunt ergo portaxij: et nunciauerunt in palacio regis intrinsecus. 12 Qui surrexit nocte: et ait ad seruos suos. Dico vobis quid fecerint nobis siri. Sciunt quia fame laboramus: et idcirco egressi sunt de castris: et latitant in agris dicentes. Cum egressi fuerint de ciuitate capiemus eos viuos: et tunc ciuitatem ingredi poterimus. 13 Respondit autem vnus seruorum eius. Tollamus quinque equos qui remanserunt in vrbe: quia ipsi tantum sunt in vniuersa multitudine israhel· alij enim consumpti sunt: et mittentes explorare poterimus. 14 Adduxerunt ergo duos equos: misitque rex in castra sirorum dicens. Ite et videte. 15 Qui abierunt post eos vsque ad iordanen. Ecce autem omnis via plena erat vestibus et vasis: que proiecerant siri cum turbarentur. Reuersique nuncij indicauerunt regi. 16 Et egressus populus diripuit castra sirie: factusque est modius simile statere vno· et duo modij ordei statere vno: iuxta verbum domini. 17 Porro rex ducem illum in cuius manu incubuerat constituit ad portam: quem conculcauit turba in introitu porte et mortuus est: iuxta quod locutus fuerat vir dei quando descenderat rex ad eum. 18 Factumque est secundum sermonem viri dei· quem dixerat regi quando ait· duo modij ordei statere vno erunt· et modius simile statere vno hoc eodem tempore cras in porta samarie: 19 quando responderat dux ille viro dei et dixerat· etiam si dominus fecerit catharactas in celo nunquid poterit fieri quod loqueris: et

dixit ei videbis oculis tuis· et inde non comedes. [20] Euenit ergo ei sicut predictum erat: et conculcauit eum populus in porta: et mortuus est.

8 Heliseus autem locutus est ad mulierem: cuius viuere fecerat filium dicens. Surge: vade tu et domus tua: et peregrinare vbicumque repereris. Vocabit enim dominus famem: et veniet super terram septem annis. [2] Que surrexit et fecit iuxta verbum hominis dei: et vadens cum domo sua: peregrinata est in terra philistijm· diebus multis. [3] Cunque finiti essent anni septem: reuersa est mulier de terra philistijm. Et ingressa est: vt interpellaret regem pro domo sua· et pro agris suis. [4] Rex autem loquebatur cum giezi puero viri dei dicens. Narra michi omnia magnalia que fecit heliseus. [5] Cumque ille narraret regi quomodo mortuum suscitasset: apparuit mulier cuius viuificauerat filium clamans ad regem pro domo sua et pro agris suis. Dixitque giezi. Domine mi rex hec est mulier: et hic est filius eius quem suscitauit heliseus. [6] Et interrogauit rex mulierem. Que narrauit ei. Deditque ei rex eunuchum vnum dicens. Restitue ei omnia que sua sunt: et vniuersos redditus agrorum a die qua reliquit terram vsque ad presens. [7] Venit quoque heliseus damascum: et benadab rex sirie egrotabat. Nunciaueruntque ei dicentes. Venit vir dei huc. [8] Et ait rex ad azahel. Tolle tecum munera et vade in occursum viri dei: et consule dominum per eum dicens. Si euadere potero de infirmitate mea hac? [9] Iuit igitur azahel in occursum eius habens secum munera et omnia bona damasci onera quadraginta camelorum. Cunque stetisset coram eo ait. Filius tuus benadab rex sirie misit me ad te dicens. Si sanari potero de infirmitate mea hac? [10] Dixitque ei heliseus. Vade dic ei. Sanaberis. Porro ostendit michi dominus: quia morte morietur. [11] Stetitque cum eo: et conturbatus est vsque ad suffusionem vultus. Fleuitque vir dei. [12] Cui azahel ait. Quare dominus meus flet? At ille dixit. Quia scio que facturus sis filijs israhel mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes: et iuuenes eorum interficies gladio: et paruulos eorum elides· et pregnantes diuides. [13] Dixitque azahel. Quid enim sum seruus tuus canis: vt faciam rem istam magnam? Et ait heliseus. Ostendit michi dominus te regem sirie fore. [14] Qui cum recessisset ab heliseo: venit ad dominum suum. Qui ait ei. Quid tibi dixit heliseus? At ille respondit. Dixit michi: recipies sanitatem. [15] Cumque venisset dies altera· tulit stragulum et infudit aquam: et expandit super faciem eius. Quo mortuo: regnauit azahel pro eo. [16] Anno quinto ioram filij achab regis israhel regnauit ioram filius iosaphat rex iuda. [17] Trigintaduorum annorum erat cum regnare cepisset: et octo annis regnauit in iherusalem. [18] Ambulauitque in vijs regum israhel: sicut ambulauerat domus achab. Filia enim achab erat vxor eius. Et fecit quod malum est in conspectu domini. [19] Noluit autem dominus disperdere iudam propter dauid seruum suum: sicut promiserat ei vt daret illi lucernam· et filijs eius cunctis diebus. [20] In diebus eius recessit edom ne esset sub iuda: et constituit sibi regem. [21] Venitque ioram seira: et omnis exercitus cum eo. Et surrexit nocte: percussitque ydumeos qui eum circundederant· et principes curruum. Populus autem fugit in tabernacula sua. [22] Recessit ergo edom ne esset sub iuda: vsque ad diem hanc. Tunc recessit et lobna in tempore illo. [23] Reliqua autem sermonum ioram et vniuersa que fecit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda? [24] Et dormiuit ioram cum patribus suis: sepultusque est cum eis in ciuitate dauid: et regnauit ochozias filius eius pro eo. [25] Anno duodecimo ioram filij achab regis israhel: regnauit ochozias filius ioram regis iude. [26] Viginti duorum annorum erat ochozias cum regnare cepisset: et vno anno regnauit in iherusalem. Nomen matris eius atalia filia amri regis israhel: [27] et ambulauit in vijs domus achab: et fecit quod malum est coram domino sicut domus achab. Gener enim domus achab fuit. [28] Abijt quoque cum ioram filio achab ad preliandum contra asahel regem sirie in ramoth galaad: et vulnerauerunt siri ioram. [29] Qui reuersus est· vt curaretur in iesrahel: quia vulnerauerunt eum siri in ramoth preliantem contra asahel regem sirie. Porro ochozias filius ioram rex iuda descendit inuisere ioram filium achab in iesrahel: quia egrotabat ibi.

9 Eliseus autem prophetes vocauit vnum de filijs prophetarum: et ait illi. Accinge lumbos tuos: et tolle lenticulam olei hanc in manu tua: et vade in ramoth galaad. [2] Cunque veneris illuc: videbis iehu filium iosaphat filij namsi. Et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum et introduces in interius cubiculum: [3] tenensque lenticulam olei fundes super caput eius: et dices. Hec dicit dominus. Vnxi te regem super israhel. Aperiesque ostium et fugies: et non ibi subsistes. [4] Abijt ergo adolescens puer prophete in ramoth galaad: [5] et ingressus est illuc. Ecce autem principes exercitus sedebant. Et ait. Verbum michi ad te o princeps. Dixitque iehu. Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit. Ad te o princeps. [6] Et surrexit: et ingressus est cubiculum. At ille fudit oleum super caput eius. Et ait. Hec dicit dominus deus israhel. Vnxi te regem super populum domini israhel: [7] et percuties domum achab domini tui. Et vlciscar sanguinem seruorum meorum prophetarum· et sanguinem omnium seruorum domini de manu iezabel: [8] perdam que omnem domum achab. Et interficiam de domo achab mingentem ad parietem: et clausum et nouissimum in israhel. [9] Et dabo domum achab sicut domum iheroboam filij nabath: et sicut domum baasa filij achia. [10] Ihezabel quoque comedent canes in agro iesrahel: nec erit qui sepeliat eam. Aperuitque ostium et fugit. [11] Iehu autem ingressus est ad seruos domini sui. Qui dixerunt ei. Rectene sunt omnia? Quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis. Nostis hominem: et quid locutus sit? [12] At illi responderunt falsum est: sed magis narra nobis. Qui ait eis. Hec et hec locutus est michi. Et ait. Hec dicit dominus. Vnxi te regem super israhel. [13] Festinauerunt itaque: et vnusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis: et cecinerunt tuba atque dixerunt. Regnabit iehu. [14] Coniurauit ergo iehu filius iosaphat filij namsi contra ioram. Porro ioram obsederat ramoth galaad· ipse et omnis israhel contra asahel regem sirie: [15] et reuersus fuerat vt curaretur in iesrahel propter vulnera: quia percusserant eum siri preliantem contra asahel regem sirie. Dixitque iehu. Si placet vobis nemo egrediatur profugus de ciuitate: ne vadat et nunciet in iesrahel. [16] Et ascendit: et profectus est in iesrahel. Ioram enim egrotabat ibi: et ochozias rex iuda descenderat ad visitandum ioram. [17] Igitur speculator qui stabat super turrim iesrahel: vidit globum iehu venientis. Et ait. Video ego globum. Dixitque ioram. Tolle currumlet rum: et mitte in occursum eorum: et dicat vadens. Rectene sunt omnia? [18] Abijt ergo qui ascenderat currum in occursum eius. Et ait. Hec dicit rex. Pacata sunt omnia? Dixitque iehu. Quid tibi et paci? Transi et sequere me. Nunciauit quoque speculator dicens. Venit nuncius ad eos: et non reuertitur. [19] Misit etiam currum equorum secundum: venitque ad eos: et ait. Hec dicit rex. Numquid pax est? Et ait iehu. Quid tibi et paci? Transi et sequere me. [20] Nunciauit autem speculator dicens. Venit vsque ad eos: et non reuertitur. Est autem incessus quasi incessus iehu filij namsi. Preceps enim graditur. [21] Et ait ioram. Iungite currum. Iunxeruntque currum eius. Et egressus est ioram rex israhel et ochozias rex iuda: singuli in curribus suis. Egressique sunt in occursum iehu et inuenerunt eum in agro naboth iesrahelite. [22] Cunque vidisset ioram iehu: dixit. Pax est iehu? At ille respondit. Que pax? Adhuc fornicationes iezabel matris tue· et veneficia eius multa vigent. [23] Conuertit autem ioram manum suam: et fugiens ait ad ochoziam. Insidie ochzia. [24] Porro iehu tetendit arcum manu: et percussit ioram inter scapulas· et egressa est sagitta per cor eius: statimque corruit in curru suo. [25] Dixitque iehu· ad badacher ducem. Tolle proice eum in agro naboth iesrahelite. Memini enim quando ego et tu sedentes in curru sequebamur achab patrem huius: quod dominus onus hoc leuauerit super eum dicens. [26] Si non pro sanguine naboth· et pro sanguine filiorum eius quem vidi heri ait dominus: reddam tibi in agro isto dicit dominus. Nunc ergo tolle et proice eum in agro: iuxta verbum domini. [27] Ochozias autem rex iuda videns hoc fugit per viam domus orti: persecutusque est eum iehu: et ait. Etiam hunc percutite in curru suo. Et percusserunt eum in ascensu gaber: qui est iuxta ieblaam. Qui fugit in mageddo: et mortuus est ibi. [28] Et imposuerunt eum serui eius super currum suum et tulerunt in iherusalem: sepelieruntque in sepulcro cum patribus suis in ciuitate dauid. [29] Anno vndecimo ioram filij achab regis israhel regnauit ochozias super iudam: [30] venitque iehu in iesrahel. Porro iezabel introitu eius audito depinxit oculos suos stibio· et ornauit caput suum: et respexit per

fenestram [31] ingredientem iehu per portam: et ait. Nunquid pax potest esse zamri· qui interfecit dominum suum? [32] Leuauit que iehu faciem suam ad fenestram et ait. Que est ista? Et inclinauerunt se ad eum duo vel tres eunuchi: et dixerunt. Hec est illa iezabel. [33] At ille dixit eis. Precipitate eam deorsum. Et precipitauerunt eam. Aspersusque est sanguine paries: et equorum vngule conculcauerunt eam. [34] Cumque introgressus esset vt comederet biberet que ait. Ite et videte maledictam illam et sepelite eam: quia filia regis est. [35] Cumque issent vt sepelirent eam: non inuenerunt nisi caluariam et pedes et summas manus. [36] Reuersique nunciauerunt ei. Et ait iehu. Sermo domini est: quem locutus est per seruum suum heliam thesbiten dicens. In agro iesrahel comedent canes carnes iezabel. [37] Et erunt carnes iezabel sicut stercus super faciem terre in agro iesrahel: ita vt pretereuntes dicant. Heccine est illa iezabel?

10 Erant autem achab septuaginta filij in samaria. Scripsit ergo iehu litteras: et misit in samariam ad optimates ciuitatis et ad maiores natu et ad nutricios achab dicens. [2] Statim vt acceperitis litteras has qui habetis filios domini vestri et currus et equos et ciuitates firmas et arma: [3] eligite meliorem et eum qui vobis placuerit de filijs domini vestri· et eum ponite super solium patris sui: et pugnate pro domo domini vestri. [4] Timuerunt illi vehementer: et dixerunt. Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo: et quomodo nos valebimus resistere? [5] Miserunt ergo prepositi domus et prefecti ciuitatis et maiores natu et nutricij ad iehu dicentes. Serui tui sumus: quecunque iusseris faciemus: nec constituemus nobis regem. Quecumque tibi placent fac. [6] Rescripsit autem eis litteras secundo dicens. Si mei estis et obeditis michi: tollite capita filiorum domini vestri: et venite ad me hac eadem hora cras in iesrahel. Porro filij regis septuaginta viri apud optimates ciuitatis nutriebantur. [7] Cumque venissent littere ad eos: tulerunt filios regis et occiderunt septuaginta viros: et posuerunt capita eorum in cophinis et miserunt ad eum in iesrahel. [8] Venit autem nuncius ad eum: et indicauit ei dicens. Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit. Ponite ea ad duos aceruos iuxta introitum porte vsque mane. [9] Cunque diluxisset egressus est: et stans dixit ad omnem populum. Iusti estis. Si ego coniuraui contra dominum meum et interfeci eum: quis percussit omnes hos? [10] Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus domini in terram quos locutus est dominus super domum achab: et dominus fecit quod locutus est in manu serui sui helie. [11] Percussit igitur iehu omnes qui reliqui erant de domo achab in iesrahel· et vniuersos optimates eius et notos et sacerdotes: donec non remanerent ex eo reliquie. [12] Et surrexit: et venit in samariam. Cumque venisset ad cameram pastorum in via. [13] inuenit fratres ochozie regis iuda: dixitque ad eos. Qui nam estis vos? Qui responderunt. Fratres ochozie sumus: et descendimus ad salutandos filios regis· et filios regine. [14] Qui ait. Comprehendite eos viuos. Quos cum comprehendissent viuos: iugulauerunt eos in cisterna iuxta cameram quadragitaduos duos viros: et non reliquit ex eis quenquam. [15] Cumque abisset inde inuenit ionadab filium rechab in occursum sibi: et benedixit ei. Et ait iehu ad eum. Nunquid est cor tuum rectum cum corde meo sicut cor meum cum corde tuo? Et ait ionadab. Est. Si est inquit: da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille leuauit eum ad se in currum: [16] dixitque ad eum. Veni mecum: et vide zelum meum pro domino. Et impositum in curru suo [17] duxit in samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de achab in samaria vsque ad vnum: iuxta verbum domini quod locutus est per heliam. [18] Congregauit ergo iehu omnem populum: et dixit ad eos. Achab coluit baal parum: ego autem colam eum amplius. [19] Nunc igitur omnes prophetas baal· et vniuersos seruos eius et cunctos sacerdotes ipsius vocate ad me. Nullus sit qui non veniat. Sacrificium enim grande est michi baal. Quicumque defuerit non viuet. Porro iehu faciebat hoc insidiose: vt disperderet cultores baal. [20] Et dixit. Sanctificate diem solemnem baal. Vocauitque [21] et misit in vniuersos terminos israhel: et venerunt cuncti serui baal. Non fuit residuus ne vnus quidem: qui non veniret. Et ingressi sunt templum baal. Et repleta est domus baal: a summo vsque ad summum. [22] Dixitque hijs qui preerant super vestes. Proferte vestimenta vniuersis seruis baal. Et protulerunt eis vestes. [23] Ingressusque iehu et ionadab filius rechab templum baal: ait cultoribus baal. Perquirite et videte: ne quis forte vobiscum sit de seruis domini: sed vt sint serui baal soli. [24] Ingressi sunt igitur vt facerent victimas et olocausta: iehu autem preparauerat sibi foris octoginta viros: et dixerat eis. Quicumque fugerit de hominibus hijs quos ego adduxero in manus vestras: anima eius erit pro anima illius. [25] Factum est autem cum completum esset olocaustum: precepit iehu militibus et ducibus suis. Ingredimini et percutite eos. Nullus euadat. Percusseruntque eos in ore gladij et proiecerunt· milites et duces. Et ierunt in ciuitatem templi baal [26] et protulerunt statuam de phano baal: et combusserunt [27] et comminuerunt eam. Destruxeruntque edem baal: et fecerunt pro ea latrinas vsque in diem hanc. [28] Deleuit itaque iehu baal de israhel: [29] verumtamen a peccatis iheroboam filij nabath qui peccare fecit israhel non recessit: nec dereliquit vitulos aureos: qui erant in bethel et in dan. [30] Dixit autem dominus ad iehu. Quia studiose egisti quod rectum erat et placebat in oculis meis: et omnia que erant in corde meo fecisti contra domum achab: filij tui vsque ad quartam generationem non sedebunt super thronum israhel. [31] Porro iehu custodiuit vt ambularet in lege domini dei israhel· in toto corde suo. Non enim recessit a peccatis iheroboam: qui peccare fecerat israhel. [32] In diebus illis cepit dominus tedere super israhel. Percussitque eos asahel in vniuersis finibus israhel: [33] a iordane contra orientalem plagam· omnem terram galaad· et gad· et ruben· et manasse· ab aroer que est super torrentem arnon et galaad et basan. [34] Reliqua autem verborum iehu et vniuersa que fecit et fortitudo eius: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israhel? [35] Et dormiuit iehu cum patribus suis: sepelieruntque eum in samaria: et regnauit ioachaz filius eius pro eo. [36] Dies autem quos regnauit iehu super israhel viginti et octo anni sunt in samaria.

11 Atalia vero mater ochozie videns mortuum filium suum: surrexit et interfecit omne semen regium. [2] Tollens autem iosaba filia regis ioram· soror ochozie· ioas filium ochozie· furata est eum de medio filiorum regis qui interficiebantur· et nutricem eius detriclinio: et abscondit eum a facie atalie vt non interficeretur: [3] eratque cum ea sex annis clam in domo domini. Porro atalia regnauit super terram septem annis. [4] Anno autem septimo misit ioiada et assumens centuriones et milites introduxit ad se in templum domini: pepigitque cum eis fedus. Et adiurans eos in domo domini ostendit eis filium regis: [5] et precepit illis dicens. Iste est sermo quem facere debetis. [6] Tercia pars vestrum introeat sabbato: et obseruet excubias domus regis. Tercia autem pars sit ad portam seyr: et tercia pars sit ad portam que est post habitaculum scutariorum: et custodietis excubias domus messa. [7] Due vero partes e vobis omnes egredientes sabbato custodiant excubias domus domini circa regem: [8] et vallabitis eum habentes arma in manibus vestris. Si quis autem ingressus fuerit septum templi: interficiatur. Eritisque cum rege introeunte et egrediente. [9] Et fecerunt centuriones iuxta omnia que preceperat eis ioiada sacerdos. Et assumentes singuli viros suos qui ingrediebantur sabbatum cum hijs qui egrediebantur e sabbato: venerunt ad ioiadam sacerdotem. [10] Qui dedit eis hastas et arma regis dauid: que erant in domo domini. [11] Et steterunt singuli habentes arma in manu sua a parte templi dextra vsque ad partem sinistram altaris et edis· circum regem. [12] Produxitque filium regis: et posuit super eum diadema et testimonium· feceruntque eum regem et vnxerunt: et plaudentes manu dixerunt. Viuat rex. [13] Audiuit autem atalia vocem populi currentis: et ingressa ad turbas in templum domini· [14] vidit regem stantem super tribunal iuxta morem· et cantores et turbas prope eum· omnemque populum terre letantem· et canentem tubis: et scidit vestimenta sua clamauit Coniuratio· coniuratio. [15] Precepit autem ioiada centurionibus qui erant super exercitum: et ait eis. Educite eam extra septa templi: et quicunque eam secutus fuerit: feriatur gladio. Dixerat enim sacerdos: non occidatur in templo domini. [16] Imposueruntque ei manus et impegerunt eam per viam introitus equorum iuxta palacium: et interfecta est ibi. [17] Pepigit ergo ioiada fedus inter deum et regem et inter populum· vt esset populus domini: et inter regem et populum. [18] Ingressusque est omnis populus terre templum baal· et destruxerunt aras eius: et ymagines contriuerunt valide: mathan quoque sacerdotem baal occiderunt coram altari. Et posuit sacerdos custodias in domo domini:

19 tulitque centuriones et chereti et pheleti legiones et omnem populum terre: deduxeruntque regem de domo domini. Et venerunt per viam porte scutariorum in palacium: et sedit super thronum regum. 20 Letatusque est omnis populus terre: et ciuitas conquieuit. Atalia autem occisa est gladio in domo regis: 21 septemque annorum erat ioas cum regnare cepisset.

12 Anno septimo iehu regnauit ioas. Quadraginta annis regnauit in iherusalem: nomen matris eius sebia de bersabee. 2 Fecitque ioas rectum coram domino· cunctis diebus quibus docuit eum ioiada sacerdos: 3 veruntamen excelsa non abstulit. Adhuc enim populus immolabat et adolebat in excelsis incensum. 4 Dixitque ioas ad sacerdotes. Omnem pecuniam sanctorum que illata fuerit in templum domini a pretereuntibus que offertur pro precio anime et quam sponte et arbitrio cordis sui inferunt in templum domini· 5 accipiant illam sacerdotes iuxta ordinem suum: et instaurent sartatecta domus si quid necessarium viderint instauratione. 6 Igitur vsque ad vicesimumtercium annum regis ioas: non instaurauerunt sacerdotes sartatecta templi. 7 Vocauitque rex ioas ioiadam pontificem et sacerdotes: dicens eis. Quare sartatecta non instauratis templi? Nolite ergo amplius accipere pecuniam iuxta ordinem vestrum: sed ad instaurationem templi reddite eam. 8 Prohibitique sunt sacerdotes vltra accipere pecuniam a populo: et instaurare sartatecta domus. 9 Et tulit ioiada pontifex gazophilacium vnum· aperuitque foramen desuper: et posuit illud iuxta altare ad dextram ingredientium domum domini: mittebantque in eo sacerdotes qui custodiebant ostia omnem pecuniam que deferebatur ad templum domini. 10 Cumque viderent nimiam pecuniam esse in gazophilacio· ascendebat scriba regis et pontifex· effundebantque et numerabant pecuniam que inueniebatur in domo domini: 11 et dabant eam iuxta numerum atque mensuram in manu eorum qui preerant cementarijs domus domini. Qui impendebant eam in fabris lignorum et in cementarijs hijs qui operabantur in domo domini· 12 et sartatecta faciebant: et in hijs qui cedebant saxa· et vt emerent ligna et lapides qui excidebantur: ita vt impleretur instauratio domus domini in vniuersis que indigebant expensa ad muniendam domum. 13 Veruntamen non fiebant ex eadem pecunia ydrie templi domini et fuscinule et thuribula et tube et omne vas aureum et argentum: de pecunia que inferebatur in templum domini. 14 Hijs enim qui faciebant opus dabatur: vt instauraretur templum domini. 15 Et non fiebat ratio hijs hominibus qui accipiebant pecuniam vt distribuerent eam artificibus: sed in fide tractabant eam. 16 Pecuniam vero pro delicto et pecuniam pro peccatis· non inferebant in templum domini: quia sacerdotum erat. 17 Tunc ascendit asahel rex sirie et pugnabat contra geth: cepitque eam. Et direxit faciem suam vt ascenderet in iherusalem. 18 Quamobrem tulit ioas rex iuda omnia sanctificata que consecrauerat iosaphat et ioram et ochozias patres eius reges iuda· et que ipse obtulerat· et vniuersum argentum quod inueniri potuit in thesauris templi domini· et in palacio regis: misitque asaheli regi sirie: et recessit ab iherusalem. 19 Reliqua autem sermonum ioas et vniuersa que fecit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda? 20 Surrexerunt autem serui eius et coniurauerunt inter se: percusseruntque ioas in domo mello in descensu sela· 21 iozachar namque filius semath et iozabath filius somer serui eius percusserunt eum: et mortuus est. Et sepelierunt eum cum patribus suis in ciuitate dauid: regnauitque amasias filius eius pro eo.

13 Anno vicesimotercio ioas filij ochozie regis iude· regnauit ioachaz filius iehu super israhel in samaria decem et septem annis: 2 et fecit malum coram domino. Secutusque est peccata iheroboam filij nabath qui peccare fecit israhel: et non declinauit ab eis. 3 Iratusque est furor domini contra israhel: et tradidit eos in manu asahel regis sirie et in manu benadab filij asahel cunctis diebus. 4 Deprecatus est autem ioachaz faciem domini: et audiuit eum dominus. Vidit enim angustiam israhel: quia attriuerat eos rex 5 sirie. Et dedit dominus saluatorem israheli: et liberatus est de manu regis sirie: habitaueruntque filij israhel in tabernaculis suis· sicut heri et nudiustertius. 6 Veruntamen non recesserunt a peccatis domus iheroboam qui peccare fecit israhel: sed in ipsis ambulauerunt. Siquidem et lucus permansit in samaria: 7 et non sunt derelicti ioachaz de populo nisi quinquaginta equites: et decem currus et decem milia peditum interfecerat enim eos rex sirie: et redegerat quasi puluerem in tritura aree. 8 Reliqua autem sermonum ioachaz et vniuersa que fecit et fortitudo eius: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum israhel? 9 Dormiuit ioachaz cum patribus suis: et sepelierunt eum in samaria: regnauitque ioas filius eius pro eo. 10 Anno tricesimoseptimo ioas regis iuda regnauit ioas filius ioachaz super israhel in samaria sedecim annis: 11 et fecit quod malum est in conspectu domini. Non declinauit ab omnibus peccatis iheroboam filij nabath qui peccare fecit israhel: sed in ipsis ambulauit. 12 Reliqua autem sermonum ioas vniuersa que fecit: et fortitudo eius quomodo pugnauerit contra amasiam regem iuda· nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum israhel? 13 Et dormiuit ioas cum patribus suis: iheroboam autem sedit super solium eius. Porro ioas sepultus est in samaria cum regibus israhel. 14 Heliseus autem egrotabat infirmitate qua et mortuus est. Descenditque ad eum ioas rex israhel· et flebat coram eo: dicebatque pater mi· currus israhel et auriga eius. 15 Et ait illi heliseus. Affer arcum et sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum et sagittas: 16 dixit ad regem israhel. Pone manum tuam· super arcum. Et cum posuisset ille manum suam: superposuit heliseus manus suas manibus regis: 17 et ait. Aperi fenestram orientalem. Cunque aperuisset· dixit heliseus iace iace sagittam. Et iecit. Et ait heliseus. Sagitta salutis domini: et sagitta salutis contra siriam. Percutiesque siriam in aphec: donec consumas eam. 18 Et ait. Tolle sagittas. Qui cum tulisset: rursum dixit ei. Percute iaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus et stetisset: 19 iratus est vir dei contra eum: et ait. Si percussisses quinquies aut sexies siue septies: percussisses siriam vsque ad consummationem. Nunc autem tribus vicibus percuties eam. 20 Mortuus est ergo heliseus: et sepelierunt eum. Latrunculi autem de moab venerunt in terram in ipso anno. 21 Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos: et proiecerunt cadauer in sepulcro helisei. Quod cum tetigisset ossa helisei reuixit homo: et stetit super pedes suos. 22 Igitur asahel rex sirie afflixit israhel: cunctis diebus ioachaz. 23 Et misertus est dominus eorum: et reuersus est ad eos propter pactum suum quod habebat cum abraham et ysaac et iacob: et noluit disperdere eos neque proicere penitus vsque in presens tempus. 24 Mortuus est autem asahel rex sirie: et regnauit benadab filius eius pro eo. 25 Porro ioas filius ioachaz tulit vrbes de manu benadab filij asahel quas tulerat de manu ioachaz patris sui: iure prelij. Tribus vicibus percussit eum ioas: et reddidit ciuitates israhel.

14 In anno secundo ioas filij ioachaz regis israhel: regnauit amasias filius ioas regis iuda 2 vigintiquinque annorum erat cum regnare cepisset: viginti autem et nouem annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius ioaden de iherusalem. 3 Et fecit rectum coram domino: veruntamen non vt dauid pater eius. Iuxta omnia que fecit ioas pater suus fecit: 4 nisi hoc tantum quod excelsa non abstulit. Adhuc enim populus adolebat et immolabat incensum in excelsis. 5 Cunque obtinuisset regnum percussit seruos suos qui interfecerant regem patrem suum: 6 filios autem eorum qui occiderant non occidit: iuxta quod scriptum est in libro legis moysi sicut precepit dominus dicens. Non morientur patres pro filijs neque filij pro patribus: sed vnusquisque in peccato suo morietur. 7 Ipse percussit edom in valle salinarum decem milia: et apprehendit petram in prelio: vocauitque nomen eius iezechel vsque in presentem diem. 8 Tunc misit amasias nuncios ad ioas filium ioachaz filij iehu regis israhel· dicens. Veni et videamus nos. 9 Remisitque ioas rex isra ad amasiam regem iuda dicens. Carduus libani misit ad cedrum que est in libano· dicens. Da filiam tuam filio meo vxorem. Transieruntque bestie saltus que sunt in libano: et conculcauerunt carduum. 10 Percutiens inualuisti super edom: et subleuauit te cor tuum. Contentus esto gloria: et sede in domo tua. Quare prouocas malum: vt cadas tu et iudas tecum? 11 Et non acquieuit amasias. Ascenditque ioas rex israhel: et viderunt se ipse et amasias rex iuda in bethsames oppido iude. 12 Percussus est iuda coram israhel: et fugerunt vnusquisque in tabernacula sua. 13 Amasiam vero regem iuda filium ioas filij ochozie cepit ioas rex israhel in bethsames: et adduxit eum in iherusalem. Et

interrupit murum iherusalem a porta effraim vsque ad portam anguli· quadringentis cubitis. [14] Tulitque omne aurum et argentum et vniuersa vasa que inuenta sunt in domo domini et in thesauris regis et obsides: et reuersus est in samariam. [15] Reliqua autem verborum ioas que fecit et fortitudo eius qua pugnauit contra amasiam regem iuda· nonne hec scripta sunt in filius libro sermonum dierum regum israhel? [16] Dormiuitque ioas cum patribus suis et sepultus est in samaria cum regibus israhel: et regnauit iheroboam filius eius pro eo. [17] Vixit autem amasias fiioas lius ioas rex iuda. Postquam mortuus est ioas filius ioachaz regis israhel· hec viginti quinque annis. [18] Reliqua autem sermonum amasie· nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum iuda: [19] Factaque est contra eum coniuratio in iherusalem: at ille fugit in lachis. Miseruntque post eum in lachis et interfecerunt eum ibi: [20] et asportauerunt in equis: sepultusque est iherusalem cum patribus suis in ciuitate dauid. [21] Tulit autem vniuersus populus iude azariam annos natum sedecim: et constituerunt eum regem pro patre eius amasia. [22] Ipse edificauit ahilam: et restituit eam iude postquam dormiuit rex cum patribus suis. [23] Anno quintodecimo amasie filij ioas regis iuda regnauit iheroboam filius ioas regis israhel in samaria quadraginta et vno dierum anno: [24] et fecit quod malum est coram domino. Non recessit ab omnibus peccatis domino. Non recessit ab omnibus peccatis iheroboam filij nabath: qui peccare fecit israhel. [25] Ipse restituit terminos israhel ab introitu emath vsque ad mare solitudinis: iuxta sermonem domini dei israhel quem locutus est per seruum suum ionam filium amathi prophetam: qui erat de geth que est in opher. [26] Vidit enim dominus afflictionem israhel amaram nimis: et quod consumpti essent vsque ad clausos carceris et extremos: et non esset qui auxiliaretur israhel. [27] Nec locutus est dominus vt deleret nomen israhel de sub celo: sed samaria: saluauit eos in manu iheroboam et filij ioas. [28] Reliqua autem sermonum ihero boam et vniuersa que fecit: et fortitudo fecit eius qua preliatus est· et quomodo restituit damascum et emach iude in israhel. nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum israhel? [29] Dormiuitque iheroboam cum patribus suis regibus israhel: et regnauit zacharias filius eius pro eo.

15 Anno vicesimoseptimo iheroboam regis israhel regnauit azarias filius amasie regis iuda. [2] Sedecim annorum erat cum regnare cepisset: et quinquagintaduobus annis regnauit in ierusalem. Nomen matris eius iecelia de iherusalem. [3] Fecitque quod erat placitum coram domino· iuxta omnia que fecit amasias pater eius: [4] veruntamen excelsa non est demolitus. Adhuc populus sacrificabat et adolebat incensum in excelsis. [5] Percussit autem dominus regem: et fuit leprosus vsque in diem mortis sue: et habitabat in domo libera seorsum. Ioathan vero filius regis gubernabat palacium: et iudicabat populum terre. [6] Reliqua autem sermonum azarie et vniuersa que fecit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda? [7] Et dormiuit azarias cum patribus suis: sepelieruntque eum cum maioribus suis in ciuitate dauid: et regnauit ioathan filius eius pro eo. [8] Anno tricesimooctano mooctauo mooctauo azarie regis iude regnauit zacharias filius iheroboam super israhel in samaria sex mensibus: [9] et fecit quod malum est coram domino sicut fecerant patres eius. Non recessit a peccatis iheroboam filij nabath: qui peccare fecit israhel. [10] Coniurauit autem contra eum sellum filius iabes percussitque eum palam et interfecit: regnauitque pro eo. [11] Reliqua autem verborum zacharie nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum israhel? [12] Iste est sermo domini quem locutus est ad iehu dicens. Filij tui vsque ad quartam generationem· sedebunt de te super thronum israhel. Factumque est ita. [13] Sellum filius iabes regnauit tricesimonono anno azarie regis iude. Regnauit autem vno mense in samaria. [14] Et ascendit manahen filius gaddi de thersa· venitque samariam: et percussit sellum filium iabes in samaria et interfecit eum: regnauitque quod pro eo. [15] Reliqua autem verborum sellum et coniuratio eius per quam tetendit insidias: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum israhel? [16] Tunc percussit manahen thapsam et omnes qui erant in ea: et terminos eius de thersa. Noluerant enim aperire ei. Et interfecit omnes pregnantes eius: et scidit eas. [17] Anno tricesimonono azarie regis iude israhel decem annis in samaria: fecit regnauit manahen filius gaddi super que [18] quod erat malum coram domino. Non recessit a peccatis iheroboam filij nabath qui peccare fecit israhel: cunctis diebus eius· [19] Veniebat phul rex assiriorum in thersa: et dabat manahen phul mille talenta argenti· vt esset ei in auxilium et et firmaret regnum eius. [20] Indixitque manahen argentum super israhel cunctis potentibus et diuitibus vt daret regi assiriorum: quinquaginta siclos argenti per singulos. Reuersusque est rex assiriorum: et non est moratus in thersa. [21] Reliqua autem sermonum manahen et vniuersa que fecit: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum israhel? [22] Et dormiuit manahen cum patribus suis: regnauitque phaceia filius eius pro eo. [23] Anno quinquagesimo azarie regis iude regnauit phaceia filius manahen super israhel in samaria biennio: [24] et fecit quod erat malum coram domino. Non recessit a peccatis iheroboam filij nabath: qui peccare fecit israhel. [25] Coniurauit autem aduersus eum phacee filius romelie dux eius· et percussit eum in samaria in turre domus regie iuxta argob et iuxta ariph· et cum eo quinquaginta viros de filijs galaadititarum et interfecit eum: regnauitque pro eo. [26] Reliqua autem sermonum phaceie et vniuersa que fecit: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum israhel? [27] Anno quinquagesimosecundo azarie regis iude· regnauit phacee filius romelie super israhel in samaria viginti annis: [28] et fecit quod erat malum coram domino. Non recessit a peccatis iheroboam filij nabath: qui peccare fecit israhel. [29] In diebus phacee regis israhel venit theglat phalassar rex assur· et cepit ahion· et abel domum maacha et ianoe et cedes et asor· et galaad et galileam et vniuersam terram neptalim: et transtulit eos in assirios. [30] Coniurauit autem et tetendit insidias osee filius hela contra phacee filium romelie: et percussit eum et interfecit: regnauitque pro eo vicesimoanno ionathan filij ozie. [31] Reliqua autem sermonum phacee et vniuersa que fecit: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum israhel? [32] Anno secundo phacee filij romelie regis israhel: regnauit ioathan filius ozie regis iuda. [33] Vigintiquinque annorum erat cum regnare cepisset: et sedecim annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius iherusa: filia zadoch. [34] Fecitque quod erat placitum coram domino. Iuxta omnia que fecit ozias pater suus operatus est: [35] verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc populus immolabat et adolebat incensum in excelsis. Ipse edificauit portam domus domini sublimissimam. [36] Reliqua autem sermonum ioathan et vniuersa que fecit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda? [37] In diebus illis cepit dominus mittere in iudam rasin regem sirie: et phacee filium romelie. [38] Et dormiuit ioathan cum patribus suis sepultus que est cum eis in ciuitate dauid patris sui: et regnauit achaz filius eius pro eo.

16 Anno decimoseptimo phacee filij romelie· regnauit achaz filius ioathan regis iuda. [2] Viginti annorum erat achaz cum regnare cepisset: et sedecim annis regnauit in iherusalem. Non fecit quod erat placitum in conspectu domini dei sui sicut dauid pater eius: [3] sed ambulauit in via regum israhel. Insuper et filium suum consecrauit transferens per ignem secundum ydola gentium: que dissipauit dominus coram filijs israhel. [4] Immolabat quoque victimas et adolebat incensum in excelsis et in collibus: et sub omni ligno frondoso. [5] Tunc ascendit rasin rex sirie: et phacee filius romelie rex israhel· ad preliandum in iherusalem. Cumque obsiderent achaz: non valuerunt superare eum. [6] tempore illo restituit rasin rex sirie haylam sirie: et eiecit iudeos de hayla. Et ydumei Et siri venerunt in haylam: et habitauerunt ibi vsque in diem hanc. [7] Misit autem achaz nuncios ad teglat phalassar regem assiriorum dicens. Seruus tuus et filius tuus ego sum. Ascende et saluum me fac de manu regis sirie et de manu regis israhel: qui consurrexerunt aduersum me. [8] Et cum collegisset argentum et aurum quod inueniri potuit in domo domini· et in thesauris regis misit regi assiriorum munera: [9] qui et acquieuit voluntati eius. Ascendit autem rex assiriorum in damascum et vastauit eam: et transtulit habitatores eius cyrenen: rasin autem interfecit. [10] Perrexitque rex achaz in occursum teglat phalassar regi assiriorum in damascum. Cumque vidisset altare damasci: misit rex achaz ad vriam sacerdotem exemplar eius et similitudinem iuxta omne opus eius. [11] Exstruxit que vrias sacerdos altare. Iuxta omnia que preceperat rex achaz de damasco: ita fecit sacerdos vrias donec veniret rex achaz de damasco. [12] Cunque venisset rex de damasco vidit altare et

veneratus est illud: ascenditque et immolauit olocausta et sacrificium suum: [13] et libauit libamina et fudit sanguinem pacificorum que obtulerat super altare. [14] Porro altare ereum quod erat coram domino transtulit de facie templi et de loco altaris et de loco templi domini: posuitque illud ex latere altaris ad aquilonem. [15] Precepit quoque rex achaz vrie sacerdoti dicens. Super altare maius offer olocaustum matutinum et sacrificium vespertinum et olocaustum regis et sacrificium eius: et olocaustum vniuersi populi terre et sacrificia eorum et libamina eorum: et omnem sanguinem olocausti et vniuersum sanguinem victime super illud effundes. Altare vero ereum erit paratum ad voluntatem meam. [16] Fecit igitur vrias sacerdos iuxta omnia que preceperat rex achaz. [17] Tulit autem rex achaz celatas bases et luterem qui erat desuper: et mare deposuit de bobus ereis qui sustentabant illud: et posuit super pauimentum stratum lapide. [18] Musach quoque sabbati quod edificauerat in templo et ingressum regis exterius conuertit in templum domini: propter regem assiriorum. [19] Reliqua autem verborum achaz omnia que fecit: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum iuda? [20] Dormiuitque achaz cum patribus suis: et sepultus est cum eis in ciuitate dauid: et regnauit ezechias filius eius pro eo.

17 Anno duodecimo achaz regis iuda regnauit osee filius hela in samaria super israhel nouem annis: [2] fecitque malum coram domino: sed non sicut reges israhel qui ante eum fuerunt. [3] Contra hunc ascendit salmanasar rex assiriorum: et factus est ei osee seruus: reddebatque illi tributa. [4] Cumque deprehendisset rex assiriorum osee quod rebellare nitens misisset nuncios ad sua regem egipti· ne prestaret tributa regi assiriorum. sicut singulis annis solitus erat: obsedit eum· et vinctum misit in carcerem: [5] peruagatusque est omnem terram: et ascendens samariam obsedit eam tribus annis. [6] Anno autem nono osee cepit rex assiriorum samariam: et transtulit israhel in assirios: posuitque eos in haylam et in abor iuxta fluuium gozan in ciuitatibus medorum. [7] Factum est enim cum peccassent filij israhel domino deo suo qui eduxerat eos de terra egipti de manu pharaonis regis egipti: coluerunt deos alienos· [8] et ambulauerunt iuxta ritum gentium quas consumpserat dominus in conspectu filiorum israhel et regum israhel: quia similiter fecerant. [9] Et irritauerunt filij israhel verbis non rectis dominum deum suum: et edificauerunt sibi excelsa in cunctis vrbibus suis a turre custodum vsque ad ciuitatem munitam. [10] Feceruntque sibi statuas et lucos in omni colle sublimi· et subter omne lignum nemorosum: [11] et adolebant ibi incensum super aras in morem gentium quas transtulerat dominus a facie eorum. Feceruntque verba pessima irritantes dominum: [12] et coluerunt immundicias de quibus precepit eis dominus ne facerent verbum hoc. [13] Et testificatus est dominus in israhel et in iuda per manum omnium prophetarum et videntium dicens. Reuertimini a vijs vestris pessimis· et custodite precepta mea et cerimonias: iuxta omnem legem quam precepi patribus vestris: et sicut misi ad vos in manu seruorum meorum prophetarum. [14] Qui non audierunt: sed indurauerunt ceruicem suam iuxta ceruicem patrum suorum qui noluerunt obedire domino deo suo. [15] Et abiecerunt legitima eius· et pactum quod pepigit cum patribus eorum et testificationes quibus contestatus est eos: secutique sunt vanitates et vane egerunt: et secuti sunt gentes que erant per circuitum eorum super quibus preceperat dominus eis vt non facerent sicut et ille faciebant. [16] Et dereliquerunt omnia precepta domini dei sui: feceruntque sibi conflatiles duos vitulos et lucos: et adorauerunt vniuersam militiam celi. Seruieruntque baal: [17] et consecrauerunt filios suos et filias suas per ignem. Et diuinationi inseruiebant et augurijs· et tradiderunt se vt facerent malum coram domino: et irritarent eum. [18] Iratusque est dominus vehementer israheli: et abstulit eos a conspectu suo: et non remansit nisi tribus iuda tantummodo. [19] Sed nec ipse iuda custodiuit mandata domini dei sui: verumtamen ambulauit in erroribus israhel· quos operatus fuerat. [20] Proiecit que dominus omne semen israhel et afflixit eos et tradidit eos in manu diripientium· donec proiceret eos a facie sua: [21] ex eo iam tempore quo scissus est israhel a domo dauid: et constituerunt sibi regem iheroboam filium nabach. Separauit enim iheroboam israhel a domino: et peccare eos fecit peccatum magnum. [22] Et ambulauerunt filij israhel in vniuersis peccatis iheroboam que fecerat: et non recesserunt ab eis [23] vsquequo dominus auferret israhel a facie sua: sicut locutus fuerat in manu omnium seruorum suorum prophetarum. Translatusque est israhel de terra sua in assirios vsque in diem hanc. [24] Adduxit autem rex assiriorum de babilone et de cutha· et de ahiach· et de emach et de sepharuaim: et collocauit eos in ciuitatibus samarie pro filijs israhel. Qui possederunt samariam: et habitauerunt in vrbibus eius. [25] Cumque ibi habitare cepissent non timebant dominum· et immisit eis dominus leones: qui interficiebant eos. [26] Nunciatumque est regi assiriorum et dictum. Gentes quas transtulisti et habitare fecisti in ciuitatibus samarie ignorant legitima dei terre: et immisit in eos dominus leones et ecce interficiunt eos: eo quod ignorent ritum dei terre. [27] Precepit autem rex assiriorum dicens. Ducite illuc vnum de sacerdotibus quos inde captiuos adduxistis: vt vadat et habitet cum eis: et doceat eos legitima dei terre. [28] Igitur cum venisset vnus de sacerdotibus hijs qui captiui ducti fuerant de samaria habitauit in bethel: et docebat eos quomodo colerent dominum. [29] Et vnaqueque gens fabricata est deum suum. Posueruntque eos in fanis excelsis que fecerant samarite gens et gens in vrbibus suis: in quibus habitabant [30] viri enim babilonij fecerunt sochot benoth: viri autem cutheni fecerunt nergel: et viri de emath fecerunt asuna. [31] Porro euei fecerunt nebaaz et thachaz hij autem qui erant de sefaruaim comburebant filios suos igni ad ramelech et anamelech dijs sefaruaim: [32] et nichilominus colebant dominum. Fecerunt autem sibi de nonissimis sacerdotes excelsorum: et ponebant eos in fanis sublimibus. [33] Et cum dominum colerent: dijs quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem gentium de quibus translati fuerant samariam. [34] Vsque in presentem diem morem sequuntur antiquum. Non timent dominum: neque custodiunt cerimonias eius atque iudicia et legem et manda donec tum quod preceperat dominus filijs iacob quem cognominauit israhel: [35] et percusserat cum eis pactum· et mandauerat eis dicens. Nolite timere deos alienos et non adoretis eos neque colatis eos et non immoletis eis: [36] sed dominum deum vestrum qui eduxi vos de terra egipti in fortitudine magna et in brachio extento· ipsum timete et illum adorate: et ipsi immolare. [37] Cerimonias quoque et iudicia et legem et mandatum quod scripsit vobis custodite vt faciatis cunctis diebus: et non timeatis deos alienos. [38] Et padum quod percussit vobiscum nolite obliuisci: nec colatis deos alienos [39] sed dominum deum vestrum timete: et ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum. [40] Illi vero non audierunt: sed iuxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant. [41] Fuerunt igitur gentes iste timentes quidem dominum: sed nichilominus et ydolis suis seruientes. Nam filij eorum et nepotes sicut fecerunt patres sui ita faciunt: in presentem diem.

18 Anno tercio osee filij hela regis israhel regnauit ezechias filius achaz regis iuda. [2] Vigintiquinque annorum erat cum regnare cepisset: et viginti nouem annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius abisa filia zacharie. [3] Fecitque quod erat bonum coram domino: iuxta omnia que fecerat dauid pater eius. [4] Ipse dissipauit excelsa: et contriuit statuas et succidit lucos: confregitque serpentem ereum quem fecerat moyses. Siquidem vsque ad illud tempus filij israhel adolebant ei incensum. Vocauitque nomen eius nohestan. [5] Et in domino deo israhel sperauit. Itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus iuda sed neque in hijs qui ante eum fuerunt: [6] et adhesit domino: et non recessit a vestigijs eius: fecitque mandata eius que preceperat dominus moysi [7] vnde et erat dominus cum eo: et in cunctis ad que procedebat sapienter se agebat. Rebellauit quoque contra regem assiriorum: et non seruiuit ei. [8] Ipse percussit philisteos vsque ad gazam· et omnes terminos eorum: a turre custodum vsque ad ciuitatem munitam. [9] Anno quarto regis ezechie qui erat annus septimus osee filij hela regis israhel· ascendit salmanasar rex assiriorum samariam: et oppugnauit eam [10] et cepit. Nam post annos tres anno sexto ezechie id est nono anno osee regis israhel capta est samaria: [11] et transtulit rex assiriorum israhel in assirios· collocauit eos in ahyla et in abor· fluuijs gozan in ciuitatibus medorum: [12] quia non audierunt vocem domini dei sui· sed pretergressi sunt pactum eius. Omnia que preceperat moyses seruus domini non audierunt neque fecerunt. [13] Anno quartodecimo regis ezechie

ascendit rex assiriorum ad vniuersas ciuitates iuda munitas: et cepit eas. 14 Tunc misit ezechias rex iuda nuncios ad regem assiriorum in lachis dicens. Peccaui. Recede a me: et omne quod imposueris michi feram. Indixit itaque rex assiriorum ezechie regi iude trecenta talenta argenti et triginta talenta auri. 15 Deditque ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo domini: et in thesauris regis. 16 In tempore illo confregit ezechias valuas templi domini et laminas auri quas ipse affixerat: et dedit eas regi assiriorum. 17 Misit autem rex assiriorum thartan et rapsaris et rapsacen de lachis ad regem ezechiam cum manu valida iherusalem. Qui cum ascendissent venerunt iherusalem et steterunt iuxta aqueductum piscine superioris que est in via agri fullonis: 18 vocaueruntque regem. Egressus est autem ad eos eliachim filius elchie prepositus domus et sobna scriba et ioahe filius asaph a comentarijs: 19 dixitque ad eos rapsaces. Loquimini ezechie. Hec dicit rex magnus: rex assiriorum. Que est ista fiducia qua niteris? 20 Forsitan inisti consilium: vt prepares te ad prelium. In quo confidis: vt audeas rebellare? 21 An speras in baculo arundineo atque confracto egipto? Super quem incubuerit homo: comminutus ingredietur manum eius: et perforabit eam. Sic est pharao rex egipti· omnibus qui confidunt in se. 22 Quod si dixeritis michi in domino deo nostro habemus fiduciam: nonne iste est cuius abstulit ezechias excelsa et altaria· et precepit iude et iherusalem ante altare hoc adorabitis in iherusalem? 23 Nunc igitur transite ad dominum meum regem assiriorum: et dabo vobis duo milia equorum: et videte an habere valeatis ascensores eorum. 24 Et quomodo potestis resistere ante vnum satrapam de seruis domini mei minimis? An fiduciam habes in egipto propter currus et equites? 25 Numquid sine domini voluntate ascendi ad locum istum: vt demolirer eum? Dominus dixit michi. Ascende ad terram hanc: et demolire eam. 26 Dixerunt autem eliachim filius elchie et sobna scriba et ioahe rapsaci. Precamur vt loquaris nobis seruis tuis siriace· siquidem intelligimus hanc linguam: et non loquaris nobis iudaice re audiente populo: qui est super murum. 27 Responditque eis rapsaces dicens. Nunquid ad dominum tuum et ad te misit me dominus meus vt loquerer sermones hos· et non pocius ad viros qui sedent super murum vt comedant stercora sua: et bibant vrinam suam vobiscum? 28 Stetit itaque rapsaces: et exclamauit voce magna iudaice et ait. Audite verba regis magni: regis assiriorum. 29 Hec dicit rex. Non vos seducat ezechias. Non enim poterit eruere vos de manu mea· 30 neque fiduciam vobis tribuat super dominum dicens. Eruens liberabit nos dominus: et non tradetur ciuitas hec in manu regis assiriorum. 31 Nolite audire ezechiam. Hec enim dicit rex assiriorum. Facite mecum quod vobis est vtile: et egredimini ad me. Et comedet vnusquisque de vinea sua· et de ficu sua et bibetis aquas de cisternis vestris: 32 donec veniam et transferam vos in terram que similis est terre vestre· in terram fructiferam et fertilem vini· terram panis et vinearum· terram oliuarum et olei ac mellis: et viuetis et non moriemini. Nolite audire ezechiam qui vos decipit dicens: dominus liberabit nos. 33 Aunquid liberauerunt dij gentium terram suam de manu regis assiriorum? 34 Vbi est deus emath et arphat? Vbi est deus sapharuaim ana et aua? Nunquid liberauerunt samariam de manu mea? 35 Qui nam illi sunt in vniuersis dijs terrarum qui eruerunt regionem suam de manu mea: vt possit eruere dominus iherusalem de manu mea? 36 Tacuit itaque populus: et non respondit ei quicque. Siquidem preceptum regis acceperant: vt non responderent ei. 37 Venitque eliachim filius helchie prepositus domus et sobna scriba et ioahe filius asaph a comentarijs ad ezechiam scissis vestibus: et nunciauerunt ei verba rapsacis.

19 Que cum audisset ezechias rex scidit vestimenta sua· et opertus est sacco: ingressusque est domum domini: 2 et mi sit eliachim prepositum domus et sobnam scribam· et senes de sacerdotibus opertos saccis ad ysaiam prophetam filium amos. 3 Qui dixerunt. Hec dicit ezechias. Dies tribulationis et increpationis et blasphemie dies iste. Venerunt filij vsque ad partum: et vires non habet parturiens. 4 Si forte audiat dominus deus tuus vniuersa verba rapsacis quem misit rex assiriorum dominus suus vt exprobraret deum viuentem et argueret verbis que audiuit dominus deus tuus: et fac orationem pro reliquijs que reperte sunt. 5 Venerunt ergo serui regis ezechie ad ysaiam. 6 Dixit que eis ysaias. Hec dicetis domino vestro. Hec dicit dominus. Noli timere a facie sermonum quos audisti: quibus blasphemauerunt pueri regis assiriorum me. 7 Ecce ego immittam ei spiritum et audiet nuncium· et reuertetur in terram suam: et deiciam eum gladio in terra sua. 8 Reuersus est ergo rapsaces: et inuenit regem assiriorum expugnantem lobnam. Audierat enim quod recessisset de lachis. 9 Cumque audisset de tharacha rege ethiopie dicentes· ecce egressus est vt pugnet aduersum te et iret contra eum: misit nuncios ad ezechiam dicens. 10 Hec dicite ezechie regi iuda. Non te seducat deus tuus in quo habes fiduciam: neque dicas· non tradetur iherusalem in manus regis assiriorum. 11 Tu enim ipse audisti que fecerunt reges assiriorum vniuersis terris: quomodo vastauerunt eas. Num ergo solus poteris liberari? 12 Nunquid liberauerunt dij gentium singulos quos vastauerunt patres mei gozan videlicet et aran et reseph et filios eden· qui erant in thelassar? 13 Vbi est rex emath et rex arphat et rex ciuitatis sepharuaim ana et aua? 14 Itaque cum accepisset ezechias litteras de manu nunciorum et legisset eas: ascendit in domum domini et expandit eas coram domino: 15 et orauit in conspectu eius dicens. Domine deus israhel qui sedes super cherubin tu es deus solus regum omnium terre: tu fecisti celum et terram. 16 Inclina aurem tuam et audi. Aperi domine oculos tuos et vide: et audi omnia verba senacherib: que misit vt exprobraret nobis deum viuentem. 17 Vere domine dissipauerunt reges assiriorum gentes et terras omnium: 18 et miserunt deos eorum in ignem. Non enim erant dij: sed opera manuum hominum ex ligno et lapide: et perdiderunt eos. 19 Nunc igitur domine deus noster saluos nos fac de manu eorum: vt sciant omnia regna terre quia tu es dominus deus solus. 20 Misit autem ysaias filius amos ad ezechiam dicens. Hec dicit dominus deus israhel. Que deprecatus es me super sennacherib rege assiriorum audiui. 21 Iste est sermo quem locutus est dominus de eo. Spreuit te et subsannauit te virgo filia syon: post tergum tuum caput mouit filia iherusalem. 22 Cui exprobrasti: et quem blasphemasti? Contra quem exaltasti vocem tuam: et eleuasti in excelsum oculos tuos? Contra sanctum israhel. 23 Per manum seruorum tuorum exprobrasti domino: et dixisti. In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate libani: et succidi sublimas cedros eius: et electas abietes illius. Et ingressus sum vsque ad terminos eius: et saltum carmeli eius 24 ego succidi. Et bibi aquas alienas· et siccaui vestigijs pedum meorum omnes aquas clausas. 25 Numquid non audisti quid ab inicio fecerim? Ex diebus antiquis plasmaui illud: et nunc adduxi. Erunt que in ruinam collium compugnantium ciuitates munite: 26 et qui sedent in eis humiles manu. Contremuerunt et confusi sunt facti sunt velud fenum agri· et virens herba tectorum: que arefacta est antequam veniret ad maturitatem. 27 Habitaculum tuum et egressum tuum et introitum tuum et viam tuam ego presciui: et furorem tuum contra me. 28 Insanisti in me: et superbia tua ascendit in aures meas. Ponam itaque circulum in naribus tuis· et chamum in labijs tuis: et reducam te in viam per quam veuisti. nisti. 29 Tibi autem ezechia hoc erit signum. Comede hoc anno que reppereris: in secundo autem anno que sponte nascuntur. Porro in anno tercio seminate et metite: plantate vineas et comedite fructum earum. 30 Et quodcumque reliquum fuerit de domo iuda mittet radicem deorsum: et faciet fructum sursum. 31 De iherusalem quippe egredientur reliquie: et quod saluetur de monte syon. Zelus domini exercituum faciet hoc. 32 Quamobrem hec dicit dominus de rege assiriorum. Non ingredietur vrbem hanc· nec mittet in eam sagittam: nec occupabit eam clipeus: nec circundabit eam munitio. 33 Per viam qua venit reuertetur: et ciuitatem hanc non ingredietur dicit dominus: 34 protegamque vrbem hanc et saluabo eam· propter me et propter dauid seruum meum: 35 factum est igitur in nocte illa venit angelus domini: et percussit in castris assiriorum centum octogintaquinque milia. Cumque diluculo surrexisset vidit omnia corpora mortuorum: et recedens abijt· 36 et reuersus est sennacherib rex assiriorum: et mansit in niniue. 37 Cunque adoraret in templo nesrach deum suum atramelech et sarasar filius eius percusserunt eum gladio: fugeruntque in terram armeniorum: et regnauit asaradon filius eius pro eo. n

20 In diebus illis egrotauit ezechias vsque ad mortem: et venit ad eum ysaias filius amos prophetes: dixitque ei. Hec dicit dominus deus. Precepi domui tue. Morieris enim tu: et non viues. [2] Qui conuertit faciem suam ad parietem: et adorauit dominum dicens. [3] Obsecro domine: memento queso quomodo ambulauerim coram te in veritate et in corde perfecto: et quod placitum est coram te fecerim. Fleuit itaque ezechias fletu magno [4] et antequam egrederetur ysaias mediam partem atrij Factus est sermo domini ad eum dicens. [5] Reuertere: et dic ezechie duci populi mei. Hec dicit dominus deus dauid patris tui. Audiui orationem tuam: vidi lacrimam tuam: et ecce sanaui te. Die tercio ascendes templum domini: [6] et addam diebus tuis quindecim annos. Sed et de manu regis assiriorum libera bo te et ciuitatem hanc: et protegam vrbem istam propter me et propter dauid seruum meum. [7] Dixitque ysaias. Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent et posuissent super vlcus eius curatus est. [8] Dixerat autem ezechias ad ysaiam. Quod erit signum quia dominus me sanabit: et quia ascensurus sum die tercia templum domini? [9] Cui ait ysaias. Hoc erit signum a domino: quod facturus sit dominus sermonem quem locutus est. Vis vt ascendat vmbra decem lineis: aut vt reuertatur totidem gradibus? [10] Et ait ezechias. Facile est vmbram crescere decem lineis. Nec hoc volo vt fiat: sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. [11] Inuocauit itaque ysaias propheta dominum: et reduxit vmbram per lineas quibus iam descenderat in dibus. [12] In tempore illo misit merodach baladan filius baladan rex babiloniorum litteras et munera ad ezechiam. Audierat enim quod egrotasset ezechias. [13] Letatus est autem in aduentu eorum ezechias: et ostendit eis domum aromatum· et aurum et argentum et pigmenta varia: vngenta quoque et domum vasorum suorum et omnia que habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstrasset eis ezechias in domo sua: et in omni potestate sua. [14] Venit autem ysaias propheta ad regem ezechiam: dixitque ei. Quid dixerunt viri isti: aut vnde venerunt ad te? Cui ait ezechias. De terra longinqua venerunt ad me: de babilone. [15] At ille respondit. Quid viderunt in domo tua: Ait ezechias. Omnia quecunque sunt in domo mea viderunt. Nichil est enim quod non monstrauerim eis in thesauris meis. [16] Dixit itaque ysaias ezechie. Audi sermonem domini. [17] Ecce dies venient: et auferentur omnia que sunt in domo tua· et que condiderunt patres tui vsque in diem hanc in babilonem. Non remanebit quicquam ait dominus. [18] Sed et de filijs tuis qui egredientur ex te quos generabis tollentur: et erunt eunuchi in palacio regis babilonis. [19] Dixit ezechias ad ysaiam. Bonus sermo domini quem locutus est. Sit tantum pax et veritas in diebus meis. [20] Reliqua autem sermonum ezechie et omnis fortitudo eius et quomodo fecerit piscinam et aqueductum et introduxerit aquas in ciuitatem: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum iuda: [21] Dormiuitque ezechias cum patribus suis: et regnauit manasses filius eius pro eo.

21 Duodecim annorum erat manasses cum regnare cepisset: et quinquacum regnare cepisset: et quinquasalem. Nomen mattis eius aphsiba. [2] Fecitque malum in conspectu domini: iuxta ydola gentium quas deleuit dominus a facie filiorum israhel. [3] Conuersus que est et edificauit excelsa que dissipauerat ezechias pater eius: et erexit aras baal et fecit lucos sicut fecerat achab rex israhel: et adorauit omnem militiam celi et coluit eam. [4] Exstruxitque aras in domo domini de qua dixit dominus in iherusalem ponam nomen meum: [5] et exstruxit altaria vniuerse militie celi· in duobus atrijs templi domini. [6] Et traduxit filium suum per ignem: et ariolatus est et obseruauit auguria· et fecit phitones· et aruspices multiplicauit: vt faceret malum coram domino et irritaret eum. [7] Posuitque ydolum luci quem fecerat in templo domini: super quo locutus est dominus ad dauid et ad salomonem filium eius. In templo hoc et in iherusalem quam elegi de cunctis tribubus israhel ponam nomen meum in sempiternum: [8] et vltra non faciam commoueri pedem israhel de terra quam dedi patribus eorum: si custodie rint opere omnia que precepi eis: et vni versam legem quam mandauit eis seruus meus moyses. [9] Illi vero non audierunt: sed seducti sunt a manasse: vt facerent malum super gentes quas contriuit dominus a facie filiorum israhel. [10] Locutusque est dominus in manu seruorum suorum prophetarum dicens. [11] Quia fecit manasses rex iuda abominationes istas pessimas super omnia que fecerunt amorrei ante eum et peccare fecit etiam iudam in immundicijs suis: [12] propterea hec dicit dominus deus israhel. Ecce ego inducam mala super iherusalem et iudam: vt quicunque audierit tinniant ambe aures eius. [13] Et extendam super iherusalem funiculum samarie et pondus domus achab: et delebo iherusalem sicut deleri solent tabule. Delens vertam: et ducam crebrius stilum super faciem eius. [14] Dimittam vero reliquias hereditatis mee et tradam eas in manus inimicorum eius: eruntque in vastitatem et in rapinam cunctis aduersarijs suis [15] eo quod fecerint malum coram me: et perseuerauerunt irritantes me ex die qua egressi sunt patres eorum ex egipto vsque ad hanc diem. [16] Insuper et sanguinem innoxium fudit manasses multum nimis donec impleretur iherusalem vsque ad os: absque peccatis suis quibus peccare fecit iudam vt faceret malum coram domino. [17] Reliqua autem sermonum manasse et vniuersa que fecit· et peccatum eius quod peccauit: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum iuda? [18] Dormiuitque manasses cum patribus suis: et sepultus est in orto domus sue· in orto ozam: et regnauit amon filius eius pro eo. [19] Vigintiduorum annorum erat amon cum regnare cepisset: duobus quoque annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius messallemeth filia arus de ietheba. [20] Fecitque malum in conspectu domini sicut fecerat manasses pater eius: [21] et ambulauit in omni via per quam ambulauerat pater eius. Seruiuitque immundicijs quibus seruiebat pater eius et adorauit eas: [22] et dereliquit dominum deum patrum suorum: et non ambulauit in via domini. [23] Tetenderunt que ei insidias serui sui: et interfecerunt regem in domo sua. [24] Percussit autem populus terre omnes qui coniuraverant contra regem amon: et constituerunt sibi regem iosiam filium eius pro eo. [25] Reliqua autem sermonum amon que fecit: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum iuda? [26] Sepelierunt que eum in sepulcro suo in orto ozam: et regnauit iosias filius eius pro eo.

22 Octo annorum erat iosias cum regnare cepisset: et trigintauno anno regnauit in iherusalem. Nomen matris eius ydida filia phadaia de besechat. [2] Fecit que quod placitum erat coram domino: et ambulauit per omnes vias dauid patris sui. Non declinauit ad dexteram siue ad sinistram. [3] Anno autem octauodecimo regis iosie misit rex saphan filium allia filij mesulam scribam templi domini: dicens ei. [4] Vade ad helchiam sacerdotem magnum vt confletur pecunia que illata est in templum domini quam collegerunt ianitores templi a populo: [5] deturque fabris per prepositos domus domini. Qui et destribuant eam hijs qui operantur in templo domini ad instauranda sartatecta templi· [6] tignarijs videlicet et cementarijs· et hijs qui interrupta componunt: et vt emantur ligna et lapides de lapicidinis ad instaurandum templum domini. [7] Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt: sed in potestate habeant et in fide. [8] Dixit autem helchias pontifex ad saphan scribam. Librum legis repperi in domo domini. Deditque helchias volumen saphan scribe: qui et legit illud. [9] Venit quoque saphan scriba ad regem: et renunciauit ei quod preceperat: et ait. Conflauerunt serui tui pecuniam que reperta est in domo domini: et dederunt vt distribueretur fabris ac prefectis operum templi domini. [10] Narrauit quoque saphan scriba regi dicens. Librum dedit michi helchias sacerdos. Quem cum legisset saphan coram rege· [11] et audisset rex verba libri legis domini scidit vestimenta sua: [12] et precepit helchie sacerdoti et ahicham filio saphan et achobor filio micha et saphan scribe· et asaie seruo regis dicens. [13] Ite et consulite dominum super me et super populo et super omni iuda· de verbis voluminis istius quod inuentum est. Magna enim ira domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres nostri verba libri huius vt facerent omne quod scriptum est nobis. [14] Ierunt itaque helchias sacerdos et ahicham et achobor et saphan et asaia ad oldam propheten vxorem sellum filij thecue filij aras custodis vestium que habitabat in iherusalem in secunda: locutique sunt ad eam. [15] Et illa respondit eis. Hec dicit dominus deus israhel. Dicite viro qui misit vos ad me. [16] Hec dicit dominus. Ecce ego adducam mala super locum istum et super habitatores eius omnia verba legis que legit rex iuda: [17] quia dereliquerunt me et

sacrificauerunt dijs alienis irritantes me in cunctis operibus manuum suarum. Et succendetur indignatio mea in loco hoc: et non extinguetur. 18 Regi autem iuda qui misit vos vt consuleretis dominum sic dicetis. Hec dicit dominus deus israhel. Pro eo quod audisti verba voluminis 19 et perterritum est cor tuum et humiliatus es coram domino· auditis sermonibus contra locum istum et habitatores eius quod videlicet fierent in stuporem et in maledictum et scidisti vestimenta tua et fleuisti coram me et ego audiui ait dominus: 20 idcirco colligam te ad patres tuos· et colligeris ad sepulcrum tuum in pace: vt non videant oculi tui omnia mala que introducturus sum super locum istum.

23 Et renunciauerunt regi quod dixerat. Qui misit: et congregati sunt ad eum omnes senes iuda et iherusalem. 2 Ascenditque rex templum domini· et omnes viri iuda vniuersique qui habitabant in iherusalem cum eo sacerdotes et prophete et omnis populus a paruo vsque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri federis qui inuentus est in domo domini. 3 Stetitque rex super gradum et fedus percussit coram domino: vt ambularent post dominum· et custodirent precepta eius et testimonia et cerimonias in omni corde et in tota anima: et suscitarent verba federis huius que scripta erant in libro illo. Acquieuitque populus pacto. 4 Et precepit rex helchie pontifici et sacerdotibus secundi ordinis et ianitoribus vt proicerent de templo domini omnia vasa que facta fuerant baal et in luco et vniuerse militie celi: et combussit ea foris iherusalem in conualle cedron: et tulit puluerem eorum in bethel. 5 Et deleuit auruspices quos posuerant reges iuda ad sacrificandum in excelsis per ciuitates iuda et in circuitu iherusalem: et eos qui adolebant incensum baal et soli et lune et duodecim signis et omni militie celi. 6 Et efferri fecit lucum de domo domini foras iherusalem in conualle cedron et combussit eum ibi et redegit in puluerem: et proiecit super sepulcra vulgi. 7 Destruxit que ediculas effeminatorum que erant in domo domini: pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci. 8 Congregauitque omnes sacerdotes de ciuitatibus iuda: et contaminauit excelsa vbi sacrificabant sacerdotes· de gabaa vsque bersabee. Et destruxit aras portarum in introitu ostij iosie principis ciuitatis: quod erat ad sinistram porte ciuitatis. 9 Veruntamen non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare domini in iherusalem: sed tantum comedebant azima in medio fratrum suorum. 10 Contaminauit quoque tophet quod est in conualle filij ennon: vt nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem moloch. 11 Abstulit quoque equos quos dederant reges iude soli in introitu templi domini iuxta exedram nathamelech eunuchi: qui erat in pharurim: currus autem solis combussit igni. 12 Altaria quoque que erant super tecta cenaculi achaz· que fecerant reges iuda et altaria que fecerat manasses in duobus atrijs templi domini destruxit rex: et cucurrit inde et dispersit cinerem eorum in torrentem cedron. 13 Excelsa quoque que erant in iherusalem ad dextram partem montis offensionis que edificauerat salomon rex israhel astaroch ydolo sydoniorum et chamos offensioni moab· et melchon abominationi filiorum ammon rex: polluit rex: 14 et contriuit statuas et succidit lucos: repleuitque loca eorum ossibus mortuorum. 15 Insuper et altare quod erat in bethel et excelsum quod fecerat iheroboam filius nabath qui peccare fecit israhel· et altare illud excelsum destruxit atque combussit et comminuit in puluerem: succenditque etiam lucum. 16 Et conuersus iosias vidit ibi sepulcra que erant in monte: misitque et tulit ossa de sepulcris· et com bussit ea super altare: et polluit illud bussit ea super altare: et polluit illud iuxta verbum domini quod locutus est vir dei qui predixerat verba hec. 17 Et ait. Quis est titulus ille quem video? Responderunt que ei ciues vrbis illius. Sepulcrum est hominis dei qui venit de iuda: et predixit verba hec que fecisti super altare bethel. 18 Et ait. Dimittite eum. Nemo commoueat ossa eius. Et intacta manserunt ossa illius· cum ossibus prophete qui venerat de samaria. 19 Insuper et omnia sana excelsorum que erant in ciuitatibus samarie que fecerant reges israhel ad irritandum dominum abstulit iosias: et fecit eis secundum omnia que fecerat in bethel. 20 Et occidit vniuersos sacerdotes excelsorum qui erant ibi super altaria: et combussit ossa humana super ea. Reuersusque est iherusalem: 21 et precepit omni populo dicens. Facite phase domino deo vestro: secundum quod scriptum est in libro federis huius. 22 Nec enim factum est phase tale a diebus iudicum qui iudicauerunt israhel et omnium dierum regum israhel et regum iuda: 23 sicut in octauodecimo anno regis iosie factum est phase istud domino in iherusalem. 24 Sed et phitones et ariolos et figuras ydolorum· et immundicias et abominationes que fuerunt in terra iuda et iherusalem abstulit iosias: vt statueret verba legis que scripta sunt in libro quem inuenit helchias sacerdos in templo domini. 25 Similis illi non fuit ante eum rex· qui reuerteretur ad dominum in omni corde suo et in tota anima sua et vniuersa virtute sua iuxta omnem legem moysi: neque post eum surrexit similis illi. 26 Veruntamen non est auersus dominus ab ira furoris sui magni: quo iratus est furor eius contra iudam propter irritationes quibus prouocauerat eum manasses. 27 Dixit itaque dominus. Etiam iudam auferam a facie mea sicut abstuli israhel: et proiciam ciuitatem hanc quam elegi iherusalem et domum de qua dixi· erit nomen meum ibi. 28 Reliqua autem sermonum iosie et vniuersa que fecit: nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda: 29 In diebus eius ascendit pharao nechao rex egipti contra regem assirao nechao rex egipti contra regem assiriorum ad flumen eufraten. Et abijt riorum ad flumen eufraten. Et iosias rex in occursum eius: et occisus est in mageddo cum vidisset eum. 30 Et portauerunt eum serui sui mortuum de mageddo· et pertulerunt in iherusalem: et sepelierunt eum in sepulcro suo. Tulit quod populus terre ioachaz filium iosie· et vnxerunt eum: et constituerunt eum regem pro patre suo. 31 Vigintitrium annorum erat ioachaz cum regnare cepisset: et tribus mensibus regnauit in iherusalem. Nomen matris eius amithal: filia ieremie de lobna. 32 Et fecit malum coram domino: iuxta omnia que fecerant patres eius. 33 Vinxitque eum pharao nechao in reblatha· que est in terra emath: ne regnaret in iherusalem. Et imposuit mulctam terre centum talentis argenti: et talento auri. 34 Regenque constituit pharao nechao heliachim filium iosie pro iosia patre eius: vertitque nomen eius ioakim: porro ioachaz tulit et duxit in egiptum. 35 Argentum autem et aurum dedit ioakim pharaoni cum indixisset terre per singulos: vt conferretur iuxta preceptum pharaonis. Et vnumquemque iuxta vires suas exegit tam argentum quam aurum de populo terre: vt daret pharaoni nechao. 36 Vigintiquinque annorum erit ioakim cum regnare cepisset: et vndecim annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius zebida: filia phadaia de ruma. 37 Et fecit malum coram domino: iuxta omnia que fecerant patres eius.

24 In diebus eius ascendit nabuchodonosor rex babilonis: et factus est ei ioakim seruus tribus annis: et rursum rebellauit contra eum. 2 Immisitque ei dominus latrunculos caldeorum et latrunculos sirie et latrunculos moab· et latrunculos filiorum ammon: et immisit eos in iudam vt disperderent eam iuxta verbum domini quod locutus fuerat per seruos suos prophetas. 3 Factum est autem hoc per verbum domini contra iudam vt auferret eum coram se: propter peccata manasse vniuersa que fecit 4 et propter sanguinem innoxium quem effudit: et impleuit iherusalem cruore innocentium: et obhanc rem noluit dominus propiciari. 5 Reliqua autem sermonum ioakim et vniuersa que fecit: nonne hec scripta sunt in libro sermonum dierum regum iuda? Et dormiuit ioakim cum patribus suis: 6 et regnauit ioachin filius eius pro eo. 7 Et vltra non addidit rex egipti vt egrederetur de terra sua. Tulerat enim rex babilonis a riuo egipti vsque ad fluuium eufraten omnia que fuerant regis egipti. 8 Decem et octo annorum erat ioachin cum regnare cepisset: et tribus mensibus regnauit in iherusalem. Nomen matris eius noescha filia helnathan de iherusalem. 9 Et fecit malum coram domino: iuxta omnia que fecerat pater eius. 10 In tempore illo ascenderunt serui nabuchodonosor regis babilonis in iherusalem: et circundata est vrbs munitionibus. 11 Venitque nabuchodonosor rex babilonis ad ciuitatem cum seruis suis: vt oppugnarent eam. 12 Egressusque est ioachin rex iuda ad regem babilonis ipse et mater eius et serui eius et principes eius et eunuchi eius: et suscepit eum rex babilonis anno octauo regni sui. 13 Et protulit inde omnes thesauros domus domini et thesauros domus regie: et concidit vniuersa vasa aurea que fecerat salomon rex israhel in templo domini iuxta verbum domini: 14 et transtulit omnem iherusalem· et vniuersos principes et omnes fortes exercitus decem milia in captiuitatem et omnem artificem et

inclusorem: nichil que relictum est exceptis pauperibus populi terre. [15] Transtulit quoque ioachin in babilonem: et matrem regis et vxores regis et eunuchos regis et iudices terre duxit in captiuitatem de iherusalem in babilonem: [16] et omnes viros robustos septem milia· et artifices et inclusores mille· omnes viros fortes et bellatores: duxitque eos rex babilonis captiuos in babilonem. [17] Et constituit mathathiam patruum eius pro eo: imposuitque nomen ei sedechiam. [18] Vicesimum et primum annum etatis habebat sedechias cum regnare cepisset: et vndecim annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius erat ammithal: filia ieremie de lobna. [19] Et fecit malum coram domino: iuxta omnia que fecerat ioachin. [20] Irascebatur enim dominus contra iherusalem et contra iudam: donec proiceret eos a facie sua. Recessitque sedechias a rege babilonis.

25 Factum est autem anno nono regni eius mense decimo decima die mensis venit nabuchodonosor rex babilonis ipse et omnis exercitus eius in iherusalem et circundederunt eam: et extruxerunt in circuitu eius munitiones. [2] Et clausa est ciuitas atque vallata: vsque ad vndecimum annum regis sedechie [3] nona die mensis. Preualuitque fames in ciuitate: nec erat panis populo terre. [4] Et interrupta est ciuitas: et omnes viri bellatores nocte fugerunt: per viam porte que est inter duplicem murum ad ortum regis. Porro chaldei obsidebant in circuitu ciuitatem. Fugit itaque sedechias: per viam que ducit ad campestria solitudinis. [5] Et persecutus est exercitus chaldeorum regem: comprehenditque eum in planicie ihericho: et omnes bellatores qui erant cum eo dispersi sunt et reliquerunt eum. [6] Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem babilonis in reblatha: qui locutus est cum eo iudicium. [7] Filios autem sedechie occidit coram eo: et oculos eius effodit: vinxit que eum cathenis et adduxit in babilonem. [8] Mense quinto septima die mensis ipse est annus nonusdecimus regis babilonis venit nabuzardan princeps exercitus seruus regis babilonis in iherusalem [9] et succendit domum domini et domum regis et domos iherusalem: omnemque domum combussit igni: [10] et muros iherusalem in circuitu destruxit omnis exercitus chaldeorum qui erat cum principe mi litum. [11] Reliquam autem populi partem que remanserat in ciuitate· et perfugas qui transfugerant ad regem babilonis· et reliquum vulgus transtulit nabuzardan princeps militie: [12] et de pauperibus terre reliquit vinitores et agricolas: [13] columnas autem ereas que erant in templo domini et bases et mare ereum quod erat in domo domini confregerunt chaldei: et transtulerunt es omne in babilonem. [14] Ollas quoque ereas et trullas· et tridentes· et sciphos· et mortariola· et omnia vasa erea· in quibus ministrabant tulerunt: [15] necnon et thuribula· et fialas. Que aurea aurea· et que argentea argentea· tulit princeps militie: [16] id est columnas duas· mare vnum et bases quas fecerat rex salomon in templo domini. Non erat pondus eris· omnium vasorum. [17] Decem et octo cubitos altitudinis habebat columna vna· et capitellum ereum super se altitudinis trium cubitorum: et retiaculum et malagranata super capitellum columne: omnia erea. Similem et columna secunda habebat ornatum. [18] Tulitque princeps militie saraiam sacerdotem primum· et sophoniam sacerdotem secundum· et tres ianitores [19] et de ciuitate eunuchum vnum qui erat prefectus super bellatores viros: et quinque viros de hijs qui steterant coram rege quos repperit in ciuitate: et sopher principem exercitus qui probabat tyrones de populo terre: et sex viros e vulgo qui inuenti fuerant in ciuitate. [20] Quos tollens nabuzardan princeps militum duxit ad regem babilonis in reblatha: [21] percussitque eos rex babilonis et interfecit eos in reblatha in terra emath. Et translatus est iuda de terra sua. [22] Populo autem qui relictus erat in terra iuda quem dimiserat nabuchodonosor rex babilonis prefecit godoliam filium aichan filij saphan. [23] Quod cum audissent omnes duces militum ipsi et viri qui erant cum eis videlicet quod constituisset rex babilonis godoliam: venerunt ad godoliam in maspha ismahel filius nathanie et iohannan filius caree et saraia filius thanameth netophatites· et iezonias filius maachati: ipsi et socij eorum. [24] Iurauitque godolias ipsis et socijs eorum dicens. Nolite timere seruire chaldeis. Manete in terra: et seruite regi babilonis: et bene erit vobis. [25] Factum est autem in mense septimo venit ismahel filius nathanie filij elisama de semine regio et decem viri cum eo: percusseruntque godoliam· qui et mortuus est: sed et iudeos et chal deos qui erant cum eo in maspha. [26] Con surgensque omnis populus a paruo vsque ad magnum et principes militum venerunt in egiptum: timentes chaldeos [27] Factum est vero in anno tricesimoseptimo transmigrationis ioachin regis iude· mense duodecimo vicesima et septima die mensis· subleuauit euilmerodach rex babilonis anno quo regnare ceperat caput ioachin regis iuda de carcere: [28] et locutus est ei benigne. Et posuit tronum eius super tronum regum qui erant cum eo in babilone: [29] et mutauit vestes eius quas habuerat in carcere· et comedebat panem semper in conspectu eius cunctis diebus vite sue: [30] annonam quoque constituit ei sine intermissione que et dabatur ei a rege per singulos dies omnibus diebus vite sue.

Incipit prologus in librum paralipomenon primum.

Si septuaginta interpretum pura· et vt ab eis in grecum versa est editio permaneret: superflue mi chromati episcoporum sanctissime atque doctissime impelleres: vt hebrea volumina latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupauerat· et nascentis ecclesie roborauerat fidem: iustum erit etiam nostro silentio comprobari. Nunc vero cum pro varietate regionum diuersa ferantur exemplaria et germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata: nostri arbitrij putas· aut e pluribus iudicare quid verum sit aut nouum opus in veteri opere condere: illudentibusque iudeis· cornicum vt dicitur oculos configere. Alexandria et egiptus in septuaginta suis esichium laudat auctorem: constantinopolis vsque antiochiam luciani martiris exemplaria probat. Medie inter has prouincie palestinos codices legunt: quos ab origene elaboratos eusebius et pamphilus vulgauerunt. Totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. Et certe origenes non solum exempla composuit quatuor editionum e regione singula verba describens· vt vnus dissentiens statim ceteris inter se consentientibus arguatur: sed quod maioris audacie est in editione septuaginta theodocionis editionem miscuit: asteriscis designans que minus fuerint· et virgulis que ex superfluo videbantur apposita. Si igitur alijs licuit non tenere quod semel susceperant· et post septuaginta cellulas que vulgo sine auctore iactantur singulas cellulas aperuere. Hocque in ecclesijs legitur quod septuaginta nescierunt: cur me non suscipiant latini mei qui inuiolata editione veteri ita nouam condidi· vt laborem meum hebreis et quod hijs maius est apostolis auctoribus comprobem? Scripsi nuper librum de optimo genere interpretandi· ostendens illa de euangelio· ex egipto vocaui filium meum· et quoniam nazareus vocabitur· et videbunt in quem compunxerunt· et illud apostoli quod oculus non vidit nec auris audiuit et in cor hominis non ascenderunt que preparauit deus diligentibus se· ceteraque hijs similia in hebreorum libris inueniri. Certe apostoli et euangeliste· septuaginta interpretes nouerant: et vnde eis hec dicere que in septuaginta non habentur? Cristus dominus noster vtriusque testamenti conditor in euangelio secundum iohannem qui credit inquit in me sicut dicit scriptura: flumina de ventre eius fluent aque viue. Vtique scriptum est: quod saluator scriptum esse testatur. Vbi scriptum est? Septuaginta non habent: apocrifa nescit ecclesia. Ad hebreos igitur reuertendum est: vnde et dominus loquitur· et discipuli exempla presumunt. Hec pace veterum loquor: et obtrectatoribus meis tantum respondeo· qui canino dente me rodunt: in publico detrahentes et legentes in angulis id est accusatores et defensores: cum in alijs probent quod in me reprobant: quasi virtus et vicium non in rebus sit· sed cum auctore mutetur. Ceterum memini editionem septuaginta translatorum olim de greco emendatam tribuisse me nostris: nec inimicum debere estimari eorum quos in conuentu fratrum semper edissero. Et quod nunc debreiamin id est verba dierum interpretatus sum idcirco feci: vt inextricabiles moras et siluam

nominum que scriptorum confusa sunt vicio· sensuumque barbariem aptius et peruersuum cola digererem: michi metipsi et meis· iuxta ismenium canens· si aures surde sunt ceterorum.

Paralipomenon I

Incipit liber paralipomenon.

1 Adam seth enos [2] caynan malalehel iared [3] enoch matusale lamech [4] noe sem cham et iafeth. [5] Filij iafeth: gomer magog madai et iauan thubal mosoch thiras. [6] Porro filij gomer: ascenez et riphat et thogorma. [7] Filij autem iauan: elisa et tharsis cethim et dodanim. [8] Filij cham: chus et mesraim phut et chanaan. [9] Filij autem chus: saba· et euila sabatha et regma et sabathaca. Porro filij regma· saba et dadan. [10] Chus autem genuit nemroth. Iste cepit esse potens in terra. [11] Mesraim vero genuit ludim et annamim et laabim et nepthuim: [12] phethrusim quoque et chasluim de quibus egressi sunt philistijm et capthurim. [13] Chanaan vero genuit sydonem primogenitum suum: etheum quoque [14] et iebuseum et amorreum et gergeseum [15] eueumque et aracheum et asineum [16] aradium quoque et samareum et ematheum. [17] Filij sem: elam et assur. Et arfaxad· et lud et aram. Filij aram: hus et hul· et gether· et mes. [18] Arfaxat autem genuit sale: qui et ipse genuit heber. [19] Porro heber nati sunt duo filij: nomen vni phalech quia in diebus eius diuisa est terra: et nomen fratris eius iectan. [20] Ie ctan ctan autem genuit elmodad et saleph. et asormoth et iare: [21] aduram quoque et vzal et de ela [22] ebal etiam et abimael et saba· necnon [23] et ophir· et euila· et iobab. Omnes isti filij iectan [24] sem arfaxat sale [25] heber phalech ragau· [26] seruch nachor thare [27] abram: iste est abraham. [28] Filij autem abraham: isaac et ismahel. [29] Et hee generationes eorum. Primogenitus ismahelis nabaioth: et cedar et abdehel et mabsan [30] et masina et duma massa addad et thema [31] iachur naphis cedma. Hij sunt filij ismahelis. [32] Filij autem cethure concubine abraham quos genuit: zamram iecsan madan madian iesboc et sue. Porro filij iecsan: san: saba et dadan. Filij autem dadan: asurim et lathusim et loomim. [33] Filij autem madian: epha et epher· et enoch et abida et eldaa. Omnes hij filij cethure. [34] Generauit autem abraham isaac: cuius fuerunt filij esau et israhel. [35] Filij esau: eliphaz rahuel iehus ielon chore. [36] Filij eliphaz: theman· omar· zepphi· gothan cenez thamna amalech. [37] Filij rahuel: naath zara samma meza. [38] Filij seir: lothan sobal sebeon· ana· dison· eser disan. [39] Filij lothan: horri· ahohiman. Soror autem lothan fuit thamna. [40] lij sobal alian et manaath· et ebal et sebeon: phi· onan. Filij ahaia et ana. Filij ana: dison. [41] Filij dison: hamaran et eseban· et iethran et charran. [42] Filij eser: balaan· et zaban et iachan. Filij disan: vs et aran. [43] Isti sunt reges qui imperauerunt in terra edom: antequam esset rex super filios israhel. Bale filius beor: et nomen ciuitatis eius denaba. [44] Mortuus est autem bale: et regnauit pro eo iobab filius zare de bosra. [45] Cunque et iobab fuisset mortuus: regnauit pro eo husan de terra themanorum. [46] Obijt quoque et husan: et regnauit pro eo adad filius badad qui percussit madian in terra moab: et nomen ciuitatis eius auith. [47] Cunque et adad fuisset mortuus: regnauit pro eo semla de masreca. [48] Sed et semla mortuus est: et regnauit pro eo saul de rooboth que iuxta amnem sita est. [49] Mortuo quoque saul regnauit pro eo balaana filius achobor. [50] Sed et hic mortuus est: et regnauit pro eo adad cuius vrbis nomen fuit phai· et appellata est vxor eius mehetabel filia matred· filie mezaab. [51] Adad autem mortuo: duces pro regibus in edom esse ceperunt. Dux thamna· dux alia· dux ietheth· [52] dux oolibama· dux hela· dux phinon [53] dux cenez dux theman· dux mapsar· [54] dux magdihel· dux hiram. Hij duces edom.

2 Filij autem israhel· ruben simeon leui iuda isachar et zabulon: [2] dan ioseph beniamin. neptalim gad et aser. [3] Filij iuda: her· aunan· et sela. Hij tres nati sunt ei de filia sue chananitidis. Fuit autem her primogenitus iuda malus coram domino: et occidit eum. [4] Thamar autem nurus eius peperit ei phares et zara. Omnes ergo Filij iuda quinque. [5] autem phares esrom et amul. [6] Filij quoque zare: zamri· et ethan et eman· chalcal quoque et darda· simul quinque. [7] Filij charmi: achar qui turbauit israhel et peccauit in furto anathematis. [8] Filij ethan: azarias. [9] Filij autem esrom qui nati sunt ei: ierammehel· et ram et calubi· hic est caleph. [10] Porro ram genuit aminadab: aminadab autem genuit naason principem filiorum iuda. [11] Naason quoque genuit salma: de quo ortus est booz. [12] Booz vero genuit obed: qui et ipse genuit isai. [13] Isai autem genuit primogenitum heliab: secundum abinadab· tercium symmaha [14] quartum nathanael· quintum raddai [15] sextum ason septimum dauid: [16] quorum sorores fuerunt saruia et abigail. Filij saruie: abisai ioab et asahel tres. [17] Abigail autem genuit amasa: cuius pater fuit gether ismahelites. [18] Caleb vero filius esrom accepit vxorem nomine azuba: de qua genuit ierioth. Fueruntque filij eius iaser et sobab et ardon. [19] Cunque mortua fuisset azuba accepit vxorem caleb ephrata: que peperit ei vr. [20] Porro vr genuit vri: et vri genuit beselehel. [21] Post hec ingressus est esrom ad filiam machir patris galaad: et accepit eam cum esset annorum sexaginta. Que peperit ei segub: [22] sed et segub genuit iair et possedit vigintitres ciuitates in terra galaad. [23] Cepitque gessur et aran oppida iair: et canath et viculos eius sexaginta ciuitatum. Omnes isti filij machir patris galaad. [24] Cum autem mortuus esset esrom: ingressus est caleb ad ephrata. Habuit quoque esrom vxorem abia: que peperit ei assur patrem techue. [25] Nati sunt autem filij ieramehel· primogeniti esrom ram primogenitus eius: et buna et aram et ason et achia. [26] Duxit quoque vxorem alteram iheramehel nomine atthara: que fuit mater onam. [27] Sed et filij ram primogeniti iheramehel fuerunt moos ioamin et achar. [28] Onam autem habuit filios semei et iadan. Filij autem semei: nadab et abysur. [29] Nomen vero vxoris abisur abiahil: que peperit ahobban et molid. [30] Filij autem nadab: fuerunt saled et apphaim. Mortuus est autem saled absque liberis. [31] Filius vero apphaim iesi: qui iesi genuit sesan. Porro sesan genuit ahalai. [32] Filij autem iadai fratris semei iether et ionathan. Sed et iether mortuus est absque liberis. [33] Porro ionathan genuit phalech et ziza. Isti fuerunt filij ieramehel primogeniti esrom. [34] Sesan autem non habuit filios sed filias: et seruum egiptium nomine ieraa. [35] Deditque ei filiam suam vxorem: que peperit ei [36] Ethei autem genuit nathan: et nathan genuit zabad. [37] Zabad quoque genuit ophal: et ophal genuit obed. [38] Obed genuit iehu: iehu genuit azariam. [39] Azarias genuit helles: et helles genuit helasa. [40] Helasa genuit sisamoy: sisamoy genuit sellum. [41] Sellum genuit ithamian ithamia autem genuit elisama. [42] Filij autem caleb fratris ierammehel: mesa primogenitus eius: ipse est pater ziph filij maresa patris hebron. [43] Porro filij hebron chore et taphua et recem et samma. [44] Samma autem genuit raam patrem ierchaam: et recem genuit semmei· [45] filius semei maon: et maon pater bethsur. [46] Epha autem concubina caleb peperit aran et musa et gezez. Porro aran genuit gezez· [47] filij iahaddai regam et ioathan et gesan et phalech et epha et saaph. [48] Concubina caleb maacha peperit saber et tharana. [49] Genuit autem saaph pater madmena sue patrem machbena: et patrem gabaa. Filia vero caleb fuit achsa. [50] Hij erant filij caleb filij vr primogeniti ephrata: sobal pater cariathiarim· [51] salma pater bethleem· ariph pater bethgader. [52] Fuerunt autem filij sobal· patris cariathiarim· qui videbat dimidium requietionum: [53] et de cognatione cariathiarim· iethrei· et apuchei· et semathei et maserei. Ex hijs egressi sunt saraite et esthaholite. [54] Filij salma: bethleem et nethophati corone domus iacob· et dimidium requietionis sarai. [55] Cognationes quoque scribarum

habitantium in iabes canentes atque resonantes: et in tabernaculis commorantes. Hij sunt cinei: qui venerunt de calore patris domus rechab.

3 Dauid vero hos habuit filios qui ei nati sunt in hebron. Primogenitum ammon· ex achinoam israhelitide: secundum daniel de abigail carmelitide: [2] tercium absalon filium maacha filie tholomei regis gessur: quartum adoniam filium aggith: [3] quintum saphaciam ex abital: sextum iethraham de egla vxore sua. [4] Sex ergo nati sunt ei in hebron: vbi regnauit septem annis et sex mensibus. Triginta autem· et tribus annis regnauit in iherusalem. [5] Porro in iherusalem nati sunt ei filij: symmaa et sobab et nathan· et salomon quatuor de bethsuba filia ammihel. [6] Iebaar quoque et helisua [7] et eliphaleth et noge et napheg et iaphie [8] necnon elisama· et eliade et eliphaleg nouem. [9] Omnes hij filij dauid absque filijs concubinarum: habueruntque sororem thamar. [10] Filius autem salomonis roboam: cuius abia filius genuit asa. De hoc quoque natus est iosaphat [11] pater ioram: qui ioram genuit oziam: ex quo ortus est ioas: [12] et huius amasias filius genuit azariam. Porro azarie filius ioathan [13] procreauit achaz patrem ezechie: de quo natus est manasses: [14] sed et manasses genuit ammon patrem iosie. [15] Filij autem iosie fuerunt: primogenitus iohannan· secundus ioakim tercius sedechias· quartus sellum. [16] De ioakim natus est iechonias et sedechi as. [17] Filij iechonie fuerunt asir qui salathiel· [18] melchiram· phadaia senneser· et iecemia sama et nadabia. [19] De phadaia orti sunt zorobabel et semmei. Zorobabel genuit mosollam ananiam et salomith· sororem eorum: [20] asabam quoque et ohol et barachiam· et asadiam· iosabeseth quinque. [21] Filius autem ananie phaltias pater iheseie: cuius filius phaia. Huius quoque filius arnau: de quo natus est obdia· cuius filius fuit sechenias. [22] Filius sechenie semeia: cuius filij attus et iegaal et baria· et naaria et saphat et sesa sex numero. [23] Filius naarie: elioenaiet ezechias et ezricam tres. [24] Filij e lioenai oduia et heliasub et pheleia et accub· et iohannan et dalaia et anan septem.

4 Filij iuda: phares esrom· et charmi et vr· et subal. [2] Rahia vero filius subal genuit iaad de quo nati sunt ahumai et laad. Hee cognationes sarathi. [3] Ista quoque stirps ethan: iesrahel et iesema et iedebos. Nomen quoque sororis eorum asalel phuni. [4] Phuniel autem pater gedor: et eser pater osa. Isti sunt filij vr· primogeniti ephrata patris bethleem. [5] Assur vero patris thecue erant due vxores alaa et naara. [6] Peperit autem ei naara oozam et epher· et themani et aastari. Isti sunt naara. [7] filij Porro alaa: sereth ysaar et ethnan. [8] Chus autem genuit anob et soboba et cognationem aharel filij arum. [9] Fuit autem iabes inclitus pre fratribus suis: et mater eius vocauit nomen illius iabes dicens: quia peperi eum in dolore. [10] Inuocauit ergo iabes deum israhel dicens. Si benedicens benedixeris michi· et dilataueris terminos meos: et fuerit manus tua mecum: et feceris me a malitia non opprimi. Et prestitit deus que precatus est. [11] Caleph autem frater sua genuit machir: qui fuit pater esthon. [12] Porro esthon genuit bethrapha et phesse et tehinna patrem vrbis naas. Hij sunt viri recha. [13] Filij autem cenez: othoniel et saraia. Porro filij othoniel: athat et maonathi. [14] Maonathi genuit ophra. Saraias autem genuit ioab patrem vallis artificum. Ibi quippe artifices erant. [15] Filij vero caleph filij iephone: hir et hela et nahem. Filij quoque hela cenez· [16] filij quoque ialel elziph et zipha thiria et asrahel. [17] Et filij ezra: iether et mereth· et epher· et iahalon. Genuitque mariam: et sammai et iesba patrem esthamo. [18] Vxor quoque eius indaia peperit iareth patrem gedor: et heber patrem zocho et ichutiel patrem zanoa. Hij autem filij bithie filie pharaonis quam accepit mered: [19] et filij vxoris odaie sororis nahan patris ceila carmi et esthamo qui fuit de machati. [20] Filij quoque symon: amon et rimma filius anan et thilon: et filij iesi zoeth et benzoeth. [21] Filij sela filij iude· her pater lecha: et laada pater maresa: et cognationes domus operantium bissum· in domo iuramenti: [22] et qui stare fecit solem· virique mendacij et securus et incedens: qui principes fuerunt in moab: et que reuerse sunt in lehem. Hec autem verba vetera. [23] Hij sunt figuli habitantes in plantationibus et in sepibus apud regem in operibus eius: commoratique sunt ibi. [24] Filij symeon: namuel et iamin iarib· zara saul. [25] Sellum filius eius: mabsam filius eius: masma filius eius. [26] Filij masma: amuhel filius eius: zachur filius eius: semmei filius eius. [27] Filij semmei sedecim: et filie sex. Fratres autem eius non habuerunt filios multos: et vniuersa cognatio non potuit adequare summam filiorum iuda. [28] Habitauerunt autem in bersabee et molada et hasarsual [29] et in ballaa· et in asom et in tholad [30] et in bathuel et in orma· et in siceleg [31] et in betmarchaboth et in asarsasusim et in bethberai et in saarim. Hee ciuitates eorum vsque ad regem dauid: [32] villeque earum etham et aen remmon et thocen et asan ciuitates quinque: [33] et vniuersi viculi eorum per circuitum ciuitatum istarum vsque ad baal. Hec est habitatio eorum: et sedium distributio. [34] Mosobab quoque et iemlech et iosa filius amasie [35] et iohel iehu filius iosabie filij saraie filij asihel [36] et elioenai et iacoba et isuaia et asaia et adihel et isimihel et banaia [37] ziza quoque filius sephei filij allon· filij ydaia· filij semri filij samaia: [38] isti sunt nominati principes in cognationibus suis: et in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer. [39] Et profecti sunt vt ingrederentur in gador vsque ad orientem vallis: et vt quererent pascua gregibus suis. [40] Inueneruntque pascuas vberes et valde bonas· et terram latissimam et quietam et fertilem: in qua ante habitauerant de stirpe cham. [41] Hij ergo venerunt quos supra descripsimus nominatim in diebus ezechie regis iuda: et percusserunt tabernacula eorum et habitatores qui inuenti fuerant ibi: et deleuerunt eos vsque ad presentem diem: habitaueruntque pro eis quoniam vberrimas pascuas ibidem reppererunt. [42] De filijs quoque symeon abierunt in montem seir viri quingenti· habentes principes phaltiam et naariam et raphaiam et ozihel filius iesi: [43] et percusserunt reliquias que euadere potuerant amelechitarum: et habitauerunt ibi pro eis vsque ad diem hanc.

5 Filij quoque ruben primogeniti israhel: ipse quippe fuit primogenitus eius: sed cum violasset thorum patris sui data sunt primogenita eius filijs ioseph filij israhel: et non est ille reputatus in primogenitum. [2] Porro iudas qui erat fortissimus inter fratres suos: de stirpe eius principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt ioseph. [3] Filij ergo ruben primogeniti israhel: enoch et phallu esrom et charmi [4] filij iohel: samaia filius eius: gog filius eius· semei filius eius· [5] micha filius eius· rechia filius eius· baal filius eius· [6] beera filius eius: quem captiuum duxit theglatfalasar rex assiriorum: et fuit princeps in tribu ruben. [7] Fratres autem eius et vniuersa cognatio eius quando numerabantur per familias suas habuerunt principes iehihel et zachariam. [8] Porro bala filius azaz filij samma filij iohel: ipse habitauit in aroer vsque ad ne et beelmeon. [9] Contra orientalem quoque plagam habitauit vsque ad introitum heremi et fluuium eufraten. Multum quippe iumentorum numerum possidebant in terra galaad. [10] In diebus autem saul preliati sunt contra agarenos et interfecerunt illos: habitaueruntque pro eis in tabernaculis eorum in omni plaga que respicit ad orientem galaad. [11] Filij vero gad eregione eorum habitauerunt in terra basan vsque selcha: [12] iohel in capite· et saphan secundus: ianai autem et saphat in basan. [13] Fratres vero eorum secundum domos cognationum suarum: michael et mosollam et sebe et iori et iachan· et zie· et heber septem. [14] Hij filij abiahil: filij vri filij iara filij galaad· michael filij iesesi· filij ieddo filij buz. [15] Fratres quoque filij abdihel filij guni principes domus in familijs suis: [16] et habitauerunt in galaad et in basan et in viculis eius: et in cunctis suburbanis saron vsque ad terminos. [17] Omnes hij numerati sunt in diebus ioathan regis iuda et in diebus iheroboam regis israhel [18] filij ruben et gad et dimidie tribus manasse: viri bellatores scuta portantes et gladios: et tendentes arcum eruditique ad prelia quadragintaquatuor milia et septingenti sexaginta procedentes ad pugnam· [19] dimicauerunt contra agarenos: ithurei vero et naphei et nodab [20] prebuerunt eis auxilium. Traditique sunt in manus eorum agareni et vniuersi qui fuerant cum eis: quia deum inuocauerunt cum preliarentur: et exaudiuit eos eo quod credidissent in eum. [21] Ceperuntque omnia que possederant camelorum quinquaginta milia: et ouium ducenta quinquaginta milia· asinos duo milia: et animas hominum centum milia. [22] Vulnerati autem multi corruerunt. Fuit enim bellum domini· Habitaueruntque pro eis vsque ad transmigrationem. [23] Filij quoque dimidie tribus manasse possederunt terram a finibus basan vsque baal hermon et sanir et montem hermon. Ingens quippe numerus erat. [24] Et hij fuerant principes

domus cognationis eorum: efer· iesi et helihel ezrihel et iheremia et odoia· et iedihel viri fortissimi et potentes: et nominati duces in familijs suis. 25 Reliquerunt autem deum patrum suorum et fornicati sunt post deos populorum terre· quos abstulit dominus coram eis: 26 et suscitauit dominus israhel spiritum phul regis assiriorum et spiritum teglatfanasar regis assur: et transtulit ruben et gad et dimidiam tribum manasse et adduxit eos in ale et in abor et ara et fluuium gozan vsque ad diem hanc.

6 Filij leui: gerson caath et merari. 2 Filij caath: amram ysaar hebron et ozihel. 3 Filij amram: aaron moyses et maria. Filij aaron: nadab et abiu eleazar et ythamar. 4 Eleazar genuit finees: et finees genuit abisue. 5 Abisue vero genuit bocci et bocci genuit ozi: 6 ozi genuit zaraiam et zaraias genuit meraioth. 7 Porro meraioth genuit amariam· et amarias genuit achitob: 8 achitob genuit sadoch· et sadoch genuit achimaas. 9 Achimaas genuit azariam: azarias genuit iohannan· 10 iohannan genuit azariam. Ipse est qui sacerdotio functus est in domo quam edificauit salomon in iherusalem. 11 Genuit autem azarias amariam: et amarias genuit achitob. 12 Achitob genuit sadoch: et sadoch genuit sellum. 13 Sellum genuit helchiam: et helchias genuit azariam. 14 Azarias genuit zaraiam: et zaraias genuit iosedech. 15 Porro iiosedech egressus est quando transtulit dominus iudam et iherusalem per manus nabuchodonosor. 16 Filij ergo leui gerson caath et merari. 17 Et hec nomina filiorum gerson: lobni et semei. 18 Filij caath: amram et ysaar· et hebron et ozihel. 19 Filij merari: mooli et musi. Hec autem cognationes leui secundum familias eorum. 20 Gerson: lobni filius eius: iaath filius eius· zamma filius eius· 21 ioaa filius eius· addo filius eius· zara filius eius: iethrai filius eius. 22 Filij caath: amminadab filius eius: chore filius eius· asir filius eius· 23 helcana filius eius· abiasaph filius eius. asir filius eius· 24 raach filius eius· vriel filius eius: ozias filius eius: saul filius eius. 25 Filij helcana: amasai et achimoth 26 et helcana. Filij helcana. sophai filius eius: naath filius eius: 27 heliab filius eius· iheroam filius eius: helcana filius eius. 28 Filij samuel: primogenitus vasseni et abia. 29 Filij autem merari· mooli: lobni filius eius: semei filius eius· oza filius eius· 30 samaa filius eius· aggia filius eius: asaia filius eius. 31 Isti sunt quos constituit dauid super cantores domus domini exquo collocata est archa: 32 et ministrabant coram tabernaculo testimonij canentes donec edificaret salomon domum domini in iherusalem. Stabant autem iuxta ordinem suum in ministerio. 33 Hij vero sunt qui assistebant cum filijs suis de filijs caath: heman cantor filius iohel· filij samuel 34 filij helcana filij ieroam filij helihel filij thou 35 filij suph filij helcana· filij iohel filij maath filij amasai 36 filij helcana filij iohel filij azarie filij sophonie 37 filij thaath filij asir· filij abisaph· filij chore 38 filij ysaar filij caath filij leui· filij israhel: 39 et frater eius asaph· qui stabat a dextris eius: asaph filius barachie· filij samaa· 40 filij michael· filij basaie filij melchie· 41 filij athanai· filij zara filij adaia· 42 filij ethan filij zamma filij semei 43 filij ieth filij gerson filij leui. 44 Filij autem merari fratres eorum ad sinistram: ethan filij chusi· filij abdi· filij maloch 45 filij asabie filij amasie filij helchie 46 filij amasai· filij bonni filij somer 47 filij mooli· filij musi filij merari filij leui. 48 Fratres quoque eorum leuite: qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus domini. 49 Aaron vero et filij eius adolebant incensum super altare olocausti· et super altare thimiamatis· in omne opus sancti sanctorum: et vt precarentur pro israhel iuxta omnia que preceperat moyses seruus dei. 50 Hij sunt autem filij aaron. Eleazar filius eius: finees filius eius· abisue filius eius 51 bocci filius eius· ozi filius eius· zaraia filius eius· 52 meraioth filius eius· amaria filius eius achitob filius eius· 53 sadoch filius eius: achimaas filius eius. 54 Et hec habitacula eorum per vicos atque confinia filiorum scilicet aaron iuxta cognatones caachitarum. ipsis enim sorte contigerant 55 dederunt igitur eis hebron in terra iuda et suburbana eius per circuitum: 56 agros autem ciuitatis et villas caleph filij iephone. 57 Porro filijs aaron dederunt ciuitates ad confugiendum hebron et lobna et suburbana eius: 58 iether quoque et esthemo cum suburbanis suis· sed et helon et dabir cum suburbanis suis: 59 asan quoque et bethsemes et suburbana earum. 60 De tribu autem beniamin gabee et suburbana eius: et almath cum suburtanis suis: anathot quoque cum suburbanis suis. Omnes ciuitates tredecim: per cognationes suas. 61 Filijs autem caath residuis de cognatione sua· dederunt ex dimidia tribu manasse in possessionem vrbes decem. 62 Porro filijs gerson per cognationes suas de tribu ysachar et de tribu aser et de tribu neptalim· et de tribu manasse in basan vrbes tredecim. 63 Filijs autem merari per cognationes suas de tribu ruben et de tribu gad· et de tribu zabulon· dederunt sorte ciuitates duodecim. 64 Dederunt quoque filij israhel leuitis ciuitates et suburbana earum. 65 Dederuntque per sortem ex tribu filiorum iuda· et ex tribu filiorum symeon· et ex tribu filiorum beniamin vrbes has quas vocauerunt nomiuibus suis: 66 et hijs qui erant ex cognatione filiorum caath. Fueruntque ciuitates in terminis eorum de tribu ephraim. 67 Dederunt ergo eis vrbes ad confugiendum sichem cum suburbanis suis· in montem ephraim et gazer cum suburbanis suis: 68 iecmaam quoque cum suburbanis suis· et bethoron similiter: 69 necnon et helon cum suburbanis suis et gethremon in eundem modum. 70 Porro ex dimidia tribu manasse aner et suburbana eius· balaam et suburbana eius: hijs videlicet qui de cognatione filiorum caath reliqui erant. 71 Filijs autem gerson de cognatione dimidie tribus manasse gaulon in basan et suburbana eius: et astaroth cum suburbanis suis. 72 De tribu ysachar· cedes cum suburbanis suis· et dabereth cum suburbanis suis: 73 ramoth quoque et suburbana eius· et anem cum suburbanis suis. 74 De tribu vero aser masal cum suburbanis suis· et abdon similiter: 75 asach quoque et suburbana eius: roob cum suburbanis suis. 76 Porro de tribu neptalim cedes in galilea et suburtana eius: amon cum suburbanis suis: et cariathaim et suburbana eius. 77 Filijs autem merari residuis· de tribu zabulon· remmono et suburbana eius: et thabor cum suburbanis suis. 78 Trans iordanen quoque ex aduerso iherricho contra orientem iordanis de tribu ruben bosor in solitudinem cum suburbanis suis: et iassa cum suburbanis suis: 79 cademoth quoque et suburbana eius: et miphaath cum suburbanis suis. 80 Necnon et de tribu gad· ramoth in galaad et suburbana eius: et manaim cum suburbanis suis: 81 sed et esebon cum suburtanis suis· et iezer cum suburbanis suis.

7 Porro isachar: thola et phua iasub et simeron quatuor. 2 Filij thola: ozi et raphaia· et ierihel et iemai et iepsem· et samuel principes per domos cognationum suarum. De stirpe thola viri fortissimi numerati sunt in diebus dauid: vigintiduo milia sexcenti. 3 Filij ozi: israhia de quo nati sunt michael et obadia et iohel et iesia quinque omnes principes: 4 cum eis per familias et populos suos accincti ad prelium viri fortissimi: trigintasex milia. Multas enim habuerunt vxores et filios. 5 Fratres quoque eorum per omnem cognationem isachar robustissimi ad pugnandum: octogintaseptem milia numerati sunt. 6 Filij beniamin: bale et bochor et iadihel tres. 7 Filij bale: esbon et ozi et ozihel et ierimoth et vrai quinque: principes familiarum et ad pugnandum robustissimi. Numerus autem eorum vigintiduo milia et trigintaquatuor. 8 Porro filij bochor zamira et ioas et eliezer et helienai· et amri et ierimoth et abia et anathut· et almathan. Omnes hij filij bechor. 9 Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum ad bella fortissimi: viginti milia et ducenti. 10 Porro filij iadihel balan. Filij autem balan: iheus et beniamin et ahoth et chanana· et iothan et tharsis et haisaar. 11 Omnes hij filij iadihel principes cognationum suarum viri fortissimi: decem et septem milia et ducenti ad prelium procedentes: 12 sephan quoque et haphan filij hir et asim filij aer. 13 Filij autem neptalim iasihel et guni· et aser et sellum filij bala. 14 Porro filij manasse· esrihel: concubinaque eius sira peperit machir patrem galaad. 15 Machir autem accepit vxorem filijs suis happhim et sepham: et habuit sororem nomine maacha. Nomen autem secundi salphaath. Nateque sunt salphaath filie. 16 Et peperit maacha vxor machir filium: vocauitque nomen eius phares. Porro nomen fratris eius sares: et filij eius vlam et rehen. 17 Filius autem vlam bedan hij sunt filij galaad filij machir: filij manasse. 18 Soror autem eius regma· peperit virum decorum et abiezer et moola. 19 Erant autem filij semida ahin et sechem· et leci et aniam. 20 Filij autem ephraim suthala: bareth filius eius: thaath filius eius: elada filius eius thaath filius eius: et huius filius zadab· 21 et huius filius suthala et huius filius ezer· et elad. Occiderunt autem eos viri geth indigne: quia descenderant vt inuaderent possessiones eorum. 22 Luxit igitur ephraim pater eorum multis diebus: et venerunt fratres eius vt consolarentur eum. 23 Ingressusque est ad vxorem

suam: que concepit et peperit filium et vocauit nomen eius bereia: eo quod in malis domus eius ortus esset [24] filia autem eius fuit sara: que edificauit bethoron inferiorem et superiorem· et ozenzara. [25] Porro filius eius rapha et reseph et thale: de quo natus est thaan· [26] qui genuit laadan. Huius quoque filius ammiud qui genuit elisama [27] de quo ortus est nun: qui habuit filium iosue. [28] Possessio autem eorum et habitatio bethel cum filiabus suis: et contra orientem noran: ad occidentalem plagam gazer et filie eius: sichem quoque cum filiabus suis vsque asa et filiabus eius: [29] iuxta filios quoque manasse bethsan et filias eius: thanac et filias eius. mageddo et filias eius: dor et filias eius. In hijs habitauerunt filij ioseph· filij israhel. [30] Filij aser: iemna et iesua et isui· et baria et sara soror eorum. [31] Filij autem baria: heber et melchiel: ipse est pater barsaith. [32] Heber autem genuit iephlat et somer et iothan et suaa· sororem eorum. [33] Filij iephalt phosech et chamaal et asoph. Hij filij iephalt. [34] Porro filij somer: ahi et roaga et iaba et aram. [35] Filij autem helem fratris eius: supha et iemna· et selles et amal. [36] Filij supha: sue· aruaphed· et sual et beri et iamra [37] bosor et od et samma et salusa et iethran et bera. [38] Filij iether: iephone et phaspha et ara. [39] Filij autem olla: aree et auihel et resia. [40] Omnes hij filij aser: principes cognationum electi atque fortissimi duces ducum. Numerus autem eorum etatis que apta esset ad bellum: vigintisex milia.

8 etiamin autem genuit bale primogenitum suum: asbal secundum ahara tercium· [2] noaha quartum: et rapha quintum. [3] fueruntque filij bale addaor et gera· et abiud: [4] abisue quoque et neman et ahoe [5] sed et gera· et sephuphan et vram. [6] Hij sunt filij ahod· principes cognationum habitantium in gabaa: qui translati sunt in manath. [7] Nooman autem et achia et gera ipse transtulit eos: et genuit oza et ahiud. [8] Porro saarahim genuit in regione moab· postquam dimisit vsim· et bara vxores suas. [9] Genuit autem de odes vxore sua iobab et sebia et mosa et molchom [10] iehus quoque et sethia et marmach. Hij sunt filij eius principes in familijs suis. [11] Mehusim vero genuit achitob et elphaal. [12] Porro filij elphaal: heber et misaam et samad. Hic edificauit ono et lod et filias eius. [13] Bara autem et samma principes cognationum habitantium in ahialon. Hij fugauerunt habitatores geth. [14] Et haio et sesac et iherimoth [15] et zabadia et arod et heder· [16] michahel quoque et iespha et ioaa: filij baria. [17] Et zabadia et mosollam et ezeci et heber [18] et esamari· et iezlia et iobab: filij elphaal. [19] Et iacim· et zechri· et zabdi· [20] et helioenai· et selethai· et heliel· [21] et adaia et baraia· et samarath: filij semei. [22] Et iesphan et heber et helihel [23] et abdon et zechri et hanan· [24] et anania et ailam et anathothia [25] et iephdaia et phanuhel: filij sesac. [26] Et samsari· et sooria· et otholia· [27] et iersia· helia· et zechri: filij ieroam. [28] Hij patriarche et cognationum principes: qui habitauerunt in iherusalem. [29] In gabaon autem habitauerunt abigabaon et nomen vxoris eius maacha: [30] filiusque eius primogenitus abdon et sur et cis et baal et nadab: [31] gedur quoque et ahio et zacher et macelloth. [32] Et macelloth genuit samaa. Habitaueruntque ex aduerso fratrum suorum in iherusalem cum fratribus suis. [33] Ner autem genuit cis: et cis genuit saul. Porro saul genuit ionathan et melchisue et abinanuit ionathan et abina dab et hesbaal. [34] Filius autem ionathan meribbaal: et meribbaal genuit micha. [35] Filij micha phiton et melech et thara· ahaz: [36] et ahaz genuit ioada et ioada genuit almoth et asmoth et zamri. Porro zamri genuit mosa· [37] et mosa genuit baana: cuius filius fuit rapha de quo ortus est elasa· qui genuit asel. [38] Porro asel sex filij fuerunt hijs nominibus: ezricam· bochru· ismahel· saria· abadia· anan. Omnes hij filij asel. [39] Filij autem esech fratris eius: vlam primogenitus· et hus secundus: et heliphalech tercius. [40] Fueruntque filij vlam viri robustissimi· et magno robore tendentes arcum et multos habentes filios ac nepotes: vsque ad centum quinquaginta milia. Omnes hij filij beniamin.

9 Vniuersus ergo israhel dinumeratus est· et summa eorum scripta est in libro regum israhel et iuda translatique sunt in babilonem propter delictum suum. [2] Qui autem habitauerunt primi in possessionibus et in vrbibus suis israhel· et sacerdotes et leuite et nathinnei: [3] commorati sunt in iherusalem de filijs iuda et de filijs beniamin. De filijs quoque ephraim et manasse [4] othei filius ammiud· filius emri· filij omrai filij bonni. De filijs phares filij iuda· [5] et de siloni: asaia primogenitus et filij eius. [6] De filijs autem zara: iehuel et fratres eorum sexcenti nonaginta. [7] Porro de filijs beniamin: salo filius mosollam filij oduia filij asana· [8] et iobama filius ieroam et helam filius ozi filij mochori et mosollam filius saphacie filij rahuel· filij iebanie [9] et fratres eorum per familias suas nongenti quinquagintasex. Omnes hij principes cognationum· per domos patrum suorum. [10] De sacerdotibus autem iedaia ioiarib et iachin [11] azarias quoque filius helchie filij mosollam filij sadoch filij meraioth filij achitob pontifex domus dei. [12] Porro adaias filius ieroam filij phasor filij melchia et maasia filius adithel filij iezra filij mosollam· filij mosollamoth filij emmer: [13] fratres quoque eorum principes per familias suas mille septingenti sexaginta fortissimi robore ad faciendum opus ministerij in domo dei. [14] De leuitis autem semeia filius assub et filij ezricam filij asebia de filijs merari. [15] Gacbachar quoque carpentarius et galal et mathania filius micha filij zechri filij azaph [16] et obdia filius semeie· filij galal· ydithun: et barachia filius asa filij helcana qui habitauit in atrijs nethophati. [17] Ianitores autem sellum et achub et thelmon· et ahiman: et frater eorum sellum princeps: [18] vsque ad illud tempus in porta regis ad orientem obseruabant per vices suas de filijs leui. [19] Sellum vero filius chore filij abiasaph filij chore cum fratribus suis: et domo patris sui. Hij sunt chorite super opera ministerij: custodes vestibulorum tabernaculi et familie eorum per vices castrorum domini: custodientes introitum. [20] Finees autem filius eleazar erat dux eorum coram domino. [21] Porro zacharias filius mosollamia ianitor porte tabernaculi testimonij. [22] Omnes hij electi in ostiarios per portas ducenti duodecim in et descripti i villis proprijs: quos dauid et samuel videns in fide sua: [23] tam ipsos quam filios eorum in ostijs domus domini et in tabernaculo vicibus suis. [24] Per quatuor ventos erant ostiarij id est ad orientem et ad occidentem et ad aquilonem et ad austrum· [25] fratres autem eorum in viculis morabantur: et veniebant in sabbatis suis de tempore vsque ad tempus. [26] Hijs quatuor leuitis creditus erat omnis numerus ianitorum: et erant super exedras et thesauros domus domini. [27] Per girum quoque templi domini morabantur in custodijs suis: vt cum tempus fuisset ipsi mane aperirent fores. [28] De horum grege erant et super vasa ministerij. Ad numerum enim et inferebantur vasa et efferebantur. [29] De ipsis et qui credita bant vtensilia sanctuarij: preerant sise et vino et oleo et thuri et aromatibus. [30] Filij autem sacerdotum vngenta ex aromatibus conficiebant: [31] et mathatias leuites primogenitus sellum chorite prefectus eorum· que in sartagine frigebantur. [32] Porro de filijs caath fratribus eorum super panes erant propositionis: vt semper nouos per singula sabbata prepararent. [33] Hij sunt principes cantorum per familias leuitarum qui in exedris morabantur: ita vt die ac nocte iugiter suo ministerio deseruirent. [34] Capita leuitarum per familias suas principes manserunt in iherusalem. [35] In gabaon autem commorati sunt pater gabaon iahiel: et nomen vxoris eius maacha. [36] Filius primogenitus eius ab don: et sur· et cis· et baal· et ner· et nadab· [37] gedor quoque et ahio· et zacharias· et macelloth. [38] Porro macelloth genuit semmaan. Isti habitauerunt eregione fratrum suorum in iherusalem cum fratribus suis. [39] Ner autem genuit cis: et cis genuit saul. Et saul genuit ionathan· et melchisue et aminadab· et esbaal. [40] Filius autem ionathan meribbaal: et meribbaal genuit micha. [41] Porro filij micha: phiton et melech et thara et ahaz. [42] Ahaz autem genuit iara: et iara genuit alamath et azmoth et zamri. Zamri autem genuit mosa: [43] mosa vero genuit baana cuius filius raphaia genuit elasa: de quo ortus est asel. [44] Porro asel sex filios habuit hijs nominibus: ezricam bochru ismahel saria obdia anan. Hij filij asel.

10 Philistijm autem pugnabant contra israhel: fugeruntque viri israhel palestinos et ceciderunt vulnerati in monte gelboe. [2] Cumque appropinquassent philistei persequentes saul filios eius: percusserunt ionathan et aminadab et melchisue filios [3] saul. Et aggrauatum est prelium contra saul: inueneruntque venerunt que eum sagittarij· et vulnerauerunt iaculis. [4] Et dixit ad armigerum runt gladium tuum et interfice me: ne forte veniant iaculis. isti et illudant michi. Noluit autem armiger eius hoc facere: timore perterritus. dixit Arripuit ergo saul ensem: et irruit in eum. [5] Quod cum vidisset armiger eius videlicet esse saul irruit ad ipse in gladium suum et mortuus est. [6] Interijt

et tres filij eius: et omnis domus illius pariter concidit. 7 Quod cum vidissent viri israhel qui habitabant campestribus dereliquerunt vrbes suas mortuum esse saul: venerunt etiam ipse in ergo saul et tres filij eius: et omnis in campestribus fugerunt: et saul et filijs eius mortuus dereliquerunt vrbes suas et huc illucque dispersi sunt: venerunt in eis. Die que philistijm et habitauerunt in eis. 8 Die igitur altero detrahentes philistijm spolia cesorum: inuenerunt saul et filios eius iacentes in monte gelboe. 9 Cunque spoliassent eum et amputassent caput· armisque nudassent: miserunt in terram suam· vt circumferretur et ostenderetur ydolorum templis et populis. 10 Arma autem eius consecrauerunt in fano dei sui: et corpus affixerunt in templo dagon. 11 Hoc cum audissent viri iabes galaad omnia scilicet que philistijm fecerant super saul: 12 consurrexerunt singuli virorum fortium· et tulerunt cadauera saul et filiorum eius: attuleruntque ea in iabes et sepelierunt ossa eorum subter quercum que erat in iabes: et ieiunauerunt septem diebus. 13 Mortuus est ergo saul propter iniquitates suas: eo quod preuaricatus sit mandatum domini quod preceperat et non custodierit illud: sed insuper etiam phi tonissam consuluerit 14 nec sperauerit in domino: propter quod et interfecit eum: et transtulit regnum eius ad dauid filium ysai.

11 Congregatus est igitur omnis israhel ad dauid in hebron dicens. Os tuum sumus· et caro tua. 2 Heri quoque et nudiustercius cum adhuc regnaret saul: tu eras qui educebas et introducebas israhel. Tibi enim dixit dominus deus tuus. Tu pasces populum meum israhel: et tu eris princeps super eum. 3 Venerunt ergo omnes maiores natu israhel ad regem in hebron: et inijt dauid cum eis fedus coram domino. Vnxeruntque eum regem super israhel: iuxta sermonem domini quem locutus est in manu samuhel. 4 Abijt quoque dauid et omnis israhel in iherusalem. Hec est iebus: vbi erant iebusei habitatores terre. 5 Dixeruntque qui habitabant in iebus ad dauid. Non ingredieris huc. Porro dauid cepit arcem syon: que est ciuitas dauid. 6 Dixitque. Omnis qui percusserit iebuseum in primis: erit princeps et dux. Ascendit igitur primus ioab filius saruie: et factus est princeps. 7 Habitauit autem dauid in arce: et idcirco appellata est ciuitas dauid. 8 Edificauit que vrbem in circuitu a mello vsque ad girum. Ioab autem reliqua vrbis exstruxit. 9 Proficiebatque dauid vadens et crescens: et dominus exercituum erat cum eo. 10 Hij principes virorum fortium dauid· qui adiuuerunt eum vt rex fieret super omnem israhel· iuxta verbum domini quod locutus est ad israhel: 11 et iste numerus robustorum dauid. Iesbaam filius ahamoni: princeps inter triginta. Iste leuauit hastam suam super trecentos vulneratos· vna vice. 12 Et post eum eleazar filius patrui eius ahoites: qui erat inter tres potentes. 13 Iste fuit cum dauid in aphec dommim: quando philistijm congregati sunt ad locum illum in prelium. Et erat ager regionis illius· plenus ordeo: fugerat populus a facie philistinorum. 14 Hij steterunt in medio agri: et defenderunt eum. Cumque percussissent philisteos: dedit dominus salutem magnam populo suo. 15 Descenderunt autem tres de triginta principibus ad petram in qua erat dauid ad speluncam odollam: quando philistijm fuerant castrametati in valle raphaim. 16 Porro dauid erat in presidio: et statio philistinorum in bethleem. 17 Desiderauit igitur dauid: et dixit. O si quis daret michi aquam de cisterna bethleem: que est in porta. 18 Tres ergo isti per media castra philistinorum perrexerunt: et hauserunt aquam de cisterna bethleem que erat in porta: et attulerunt ad dauid vt biberet. Qui noluit: sed magis libauit illam domino 19 dicens. Absit vt in conspectu dei mei hoc faciam: et sanguinem virorum istorum bibam: quia in periculo animarum suarum attulerunt michi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere. Hec fecerunt tres robustissimi. 20 Abisai que frater ioab ipse erat princeps trium: et ipse leuauit hastam suam contra trecentos vulneratos: et ipse erat inter tres nominatissimus: 21 inter tres secundus: inclitus et princeps eorum. Veruntamen vsque ad tres primos non peruenerat. 22 Banaia filius ioiade viri robustissimi qui multa opera perpetrat de capsehel: ipse percussit duos ariel moab. Et ipse descendit et interfecit leonem in media cisterna tempore niuis: 23 et ipse percussit virum egiptium· cuius statura erat quinque cubitorum: et habebat lanceam vt liciatorium texentium. Descendit igitur ad eum cum virga: et rapuit hastam quam tenebat manu: et interfecit eum hasta sua. 24 Hec fecit banaia filius ioiade· qui erat inter tres robustos nominatissimus: 25 inter triginta primus. Veruntamen ad tres vsque non peruenerat. Posuit autem eum dauid ad auriculam suam. 26 Porro fortissimi viri in exercitu: asahel frater ioab· et eleanan filius patrui eius de bethleem: 27 sammoth arodites· helles plonites· 28 iras filius acces thecuites· abiezer anatothites· 29 subochai vsatites ilai abothites· 30 marai netophatites· heleth filius baana netophatites· 31 ethai filius ribai de gabaath filiorum beniamin: banaia pharathonites· 32 hurai de torrente gaaz: abiel arabathites· azmoth bauranites· eliaba salabonites· 33 filij assen gezoni· ionathan filius saie ararithes 34 ahiam filius sachar ararithes· 35 eliphal filius vr: 36 epher meherathites ahia phellonites· 37 ezro carmelites· naarai filius azbi: 38 iohel frater nathan· mibaar filius agarai· 39 selech ammonites· naarai berothites armiger ioab filij saruie: 40 iras iethreus· gareb iethreus· 41 vrias hetheus: zabad filius ooli: 42 adyna filius sechar rubenites princeps rubenitarum· et cum eo triginta 43 haanan filius macha et iosaphat mathanites· 44 ozias astharothites· semma et iahihel filij hothan araorithes: 45 iedihel filius zamri et ioha frater eius thosaites· 46 helihel mahumites et ieribai et iosoia filij elnaem· et iethma moabites· elihel et obed et iasihel de masobia.

12 Hij quoque venerunt ad dauid in siceleg cum adhuc fugeret saul filium cis: qui erant fortissimi et egregij pugnatores: 2 tendentes arcum et vtraque manu fundis saxa iacientes: et dirigentes sagittas. De fratribus saul ex beniamin. 3 Princeps abiezer et ioas filij samaa· gabaathites· et iasihel et phalleth filij azmoth et baracha et iehu anathotites· 4 samaias quoque gabaonites· for fortissimus inter triginta· et super triginta: ieremias et ihezihel et iohannan· et iezabad gaderothites· 5 et luzai et ierimuth et baalia et samaria et saphatia· araphites. 6 Helcana et iesia· et azrahel et ioezer et iesbaam de careim: 7 ioela quoque et zabadia filij ioroam de gedor. 8 Sed et de gaddi transfugerunt ad dauid cum lateret in deserto· viri robustissimi et pugnatores optimi: tenentes clipeum et hastam. Facies eorum quasi facies leonis: et veloces quasi capree in montibus. 9 Ezer princeps: obdias secundus· eliab tercius· 10 masmana quartus· ieremias quintus· 11 ethi sextus· heliel septimus· 12 iohannan octauus· helzebad nonus· 13 ieremias decimus· bachanai vndecimus. 14 Hij de filijs gad: princeps exercitus. Nouissimus centum militibus preerat: et maximus mille. 15 Isti sunt qui transierunt iordanen mense primo quando inundare consueuit super ripas suas: et omnes fugauerunt qui morabantur in vallibus ad orientalem plagam et occidentalem. 16 Venerunt autem et de beniamin et de iuda ad presidium in quo morabatur dauid. 17 Egressusque est dauid obuiam eis et ait. Si pacifice venistis ad me· vt auxiliemini michi: cor meum iungatur vobis. Si autem insidiamini michi pro aduersarijs meis· cum ego iniquitatem in manibus non habeam: videat deus patrum nostrorum et iudicet. 18 Spiritus vero domini induit abisai principem inter triginta· et ait. Tui sumus o dauid: et tecum fili isai. Pax pax tibi: et pax adiutoribus tuis. Te enim adiuuat vat deus tuus. Suscepit ergo eos dauid: et constituit principes turme. 19 Porro de manasse transfugerunt ad dauid quando veniebat cum philistijm aduersus saul vt pugnaret et non dimicauit cum eis: quia inito consilio remiserunt eum principes philistinorum dicentes· Periculo capitis nostri reuertetur ad dominum suum saul. 20 Quando igitur reuersus est in siceleg transfugerunt ad eum de manasse ednas et iozabab et iedihel et michahel et ednas et iosabath et henliu et salathi· principes militum in manasse. 21 Hij prebuerunt auxilium dauid aduersus latrunculos. Omnes enim erant viri fortissimi: et facti sunt principes in exercitu. 22 Sed et per singulos dies veniebant ad dauid· ad auxiliandum ei: vsque dum fieret grandis numerus quasi exercitus dei. 23 Iste quoque est numerus principum exercitus qui venerunt ad dauid cum esset in hebron: vt transferrent regnum saul ad eum iuxta verbum domini. 24 Filij iuda portantes clipeum et hastam: sex milia octingenti expediti ad prelium. 25 De filijs symeon: virorum fortissimorum ad pugnandum septem milia centum. 26 De filijs leui: quatuor milia sexcenti. 27 Ioiada quoque princeps de stirpe aaron: et cum eo tria milia septingenti. 28 Sadoch etiam puer egregie indolis: et domus patris eius principes vigintiduo. 29 De filijs autem beniamin fratribus saul: tria milia. Magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum saul.

30 Porro de filijs ephraim viginti milia octingenti: fortissimi robore· viri nominati in cognationibus suis. 31 Et ex dimidia tribu manasse decem et octo milia: singuli per nomina sua venerunt et constituerent regem dauid. 32 De filijs quoque ysachar viri eruditi qui nouerant singula tempora ad precipiendum quid facere deberet israhel: principes ducenti. Omnis autem reliqua tribus· eorum consilium sequebatur. 33 Porro de zabulon qui egrediebantur ad prelium et stabant in acie instructi armis bellicis quinquaginta milia venerunt in auxilium: non in corde duplici. 34 Et de neptalim principes mille: et cum eis instructi clipeo et hasta triginta et septem milia. 35 De dan etiam preparati ad prelium: vigintiocto milia sexcenti. 36 Et de aser egredientes ad pugnam et in acie prouocantes: quadraginta milia. 37 Trans iordanen autem de filijs ruben et de gad· et dimidia parte tribus manasse: instructi armis bellicis· centum viginti milia. 38 Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum corde perfecto· venerunt in hebron: vt constituerent regem dauid· super vniuersum israhel. Sed et omnes reliqui ex israhel vno corde erant vt rex fieret dauid: 39 fueruntque ibi apud dauid tribus diebus comedentes et bibentes. Preparauerant enim eis fratres sui. 40 Sed et qui iuxta eos erant vsque ysachar et zabulon et neptalim· afferebant panes in asinis et camelis et mulis et bubus ad vescendum· farinam palatas vuampassam vinum oleum boues arietes ad omnem copiam. Gaudium quippe erat in israhel.

13 Inijt autem consilium dauid cum tribunis et centurionibus et vniuersis principibus: 2 et ait ad omnem cetum israhel. Si placet vobis· et a domino deo nostro egredietur sermo quem loquor: mittamus ad fratres nostros reliquos in vniuersas regiones israhel· et ad sacerdotes et leuitas qui habitant in suburbanis vrbium· vt congregentur ad nos: 3 et reducamus arcam dei nostri ad nos. Non enim requisiuimus eam in diebus saul. 4 Et respondit vniuersa multitudo vt ita fieret. Placuerat enim sermo omni populo. 5 Congregauit ergo dauid cunctum israhel a syor egipti· vsque dum ingrediaris emath: vt adduceret arcam dei de cariathiarim. 6 Et ascendit dauid et omnis vir israhel ad collem cariathiarim que est in iuda: vt afferret inde arcam domini dei sedentis super cherubin vbi inuocatum est nomen eius. 7 Imposueruntque arcam dei super plaustrum nouum de domo amminadab. Oza autem et fratres eius minabant plaustrum. 8 Porro dauid et vniuersus israhel ludebant coram deo omni virtute· in canticis· et in citharis et psalterijs et timpanis· et cimbalis et tubis 9 Cum autem peruenissent ad aream chidon· tetendit oza manum suam vt sustenta arcam: bos quippe lasciuiens pausulum inclinauerat eam. 10 Iratus est itaque dominus contra ozam· et percussit eum eo quod tetigisset arcam: et mortuus est ibi coram domino. 11 Contristatusque est dauid eo quod diuisisset dominus ozam: vocauitque locum illum diuisio oze vsque iu presentem diem. 12 Et timuit deum tunc temporis dicens. Quomodo possum ad me introducere arcam dei? 13 Et ob hanc causam non adduxit eam ad se· hoc est in ciuitatem dauid: sed auertit in domum obede gethei. 14 Mansit ergo arca dei in domo obededom tribus mensibus: et benedixit dominus domui eius· et omnibus que habebat.

14 Misit quoque hiram rex tyri ad dauid· et ligna cedrina et artifices parietum lignorumque: vt edificarent ei domum. 2 Cognouitque dauid eo quod confirmasset eum dominus in regem super israhel: et subleuatum est regnum suum super populum eius israhel. 3 Accepit quoque dauid alias vxores in iherusalem: genuitque filios et filias. 4 Et hec nomina eorum qui nati sunt ei in iherusalem. Samma et sobab nathan et salomon 5 ietar et elisu et eliphalech· 6 noga quoque et napheg· et iaphie 7 elisama et baliada et eliphaleth. 8 Audientes autem philisti eo quod vnctus esset dauid in regem super vniuersum israhel: ascenderunt omnes vt quererent eum. Quod cum audisset dauid· egressus est obuiam eis. 9 Porro philistijm venientes diffusi sunt in valle raphaim. 10 Consuluitque dauid dominum dicens. Si ascendam ad philisteos· et si trades eos in manu mea? Et dixit ei dominus. Ascende et tradam eos in manu tua. 11 Cunque illi ascendissent in baalpharasim· percussit eos ibi dauid et dixit. Diuisit deus inimicos meos per manum meam sicut diuiduntur aque: et idcirco vocatum est nomen loci illius baal pharasim. 12 Dereliqueruntque ibi deos suos: quos dauid iussit exuri. 13 Alia etiam vice philistijm irruerunt· et diffusi sunt in valle. 14 Consuluitque rursum dauid deum: et dixit ei deus. Non ascendas post eos: recede ab eis et venies contra illos ex aduerso pirorum. 15 Cumque audieris sonitum gradientis in cacumine pirorum: tunc egredieris ad bellum. Egressus est enim deus ante te vt percutiat castra philistijm. 16 Fecit ergo dauid sicut preceperat ei deus: et percussit castra philistinorum de gabaon vsque gazera. 17 Diuulgatumque est nomen dauid in vniuersis regionibus: et dominus dedit pauorem eius super omnes gentes.

15 Fecit quoque sibi domos in ciuitate dauid: et edificauit locum arche dei· tetenditque ei tabernaculum. 2 Tunc dixit dauid. Illicitum est vt a quocunque portetur archa dei: nisi a leuitis quos elegit dominus ad portandum eam· et ad ministrandum sibi vsque ineternum. 3 Congregauitque vniuersum israhel in iherusalem· vt afferretur archa dei in locum suum quem preparauerat ei: 4 necnon et filios aaron et leuitas. 5 De filijs caath vrihel princeps fuit et fratres eius ducentiuiginti. 6 De filijs merari· asaia princeps et fratres eius ducentitriginta. 7 De filijs gerson· iohel et fratres eius centumtriginta. 8 De filijs elisaphan· semeias princeps et fratres eius ducenti. 9 De filijs hebron· elihel princeps et fratres eius octoginta. 10 De filijs ozihel· aminadab princeps et fratres eius centum duodecim. 11 Vocauitque dauid sadoch et abiathar sacerdotes et leuitas· vrihel: asaiam· iohel semeiam elihel et aminadab: 12 et dixit ad eos. Vos qui estis principes familiarum leuiticarum· sanctificamini cum fratribus vestris: et afferte arcam domini dei israhel ad locum qui ei preparatus est: 13 ne vt a principio quia non eratis presentes percussit nos dominus· sic et nunc fiat· illicitum quid nobis agentibus. 14 Sanctificati sunt ergo sacerdotes et leuite· vt portarent arcam domini dei israhel. 15 Et tulerunt filij leui arcam dei sicut preceperat moyses iuxta verbum domini humeris suis in vectibus. 16 Dixitque dauid principibus leuitarum· vt constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum· nablis videlicet et liris et cimbalis: vt resonaret in excelsis sonitus leticie. 17 Constitueruntque leuitas heman filium iohel· et de fratribus eius asaph filium barachie: de filijs vero merari fratribus eorum· ethan filium chasaie 18 et cum eis fratres eorum. In secundo ordine· zachariam et ben et iazihel et semiramoth· et iehihel· et ani· heliab et banaiam et maasiam et mathathiam· et eliphalu et maceniam et obededom et iehihel ianitores. 19 Porro cantores heman· asaph· et ethan· in cimbalis eneis concrepantes. 20 Zacharias autem et ozihel et semiramoth· et iahihel et ani eliab et maasias· et banaias· in nablis archana cantabant. 21 Porro mathathias et eliphalu· et macenias· et obededom· et iehihel et ozaziu in citharis pro octaua canebant· epinichion. 22 Chonenias autem princeps leuitarum prophetie preerat: et ad precinendam melodiam. Erat quippe valde sapiens. 23 Et barachias et helcana· ianitores arche. 24 Porro sebenias et iosaphat et nathanael et amasai et zacharias et banaias et eliezer sacerdotes clangebant tubis coram archa dei: et obededom et ahias erant ianitores arche. 25 Igitur dauid et omnes maiores natu israhel et tribuni· ierunt ad deportandam arcam federis domini de domo obededom· cum leticia. 26 Cumque adiuuisset deus leuitas qui portabant arcam federis domini: immolabantur septem thauri et septem arietes. 27 Porro dauid erat indutus stola bissina: et vniuersi leuite qui portabant arcam federis cantoresque et chonenias princeps prophetie inter cantores. Dauid autem indutus erat ephot lineo. 28 Vniuersusque israhel deducebant arcam federis domini: in iubilo et sonitu bucine et tubis et cimbalis et nablis et citharis concrepantes. 29 Cunque peruenisset archa federis domini vsque ad ciuitatem dauid: michol filia saul prospiciens per fenestram· vidit regem dauid saltantem atque ludentem: et despexit eum in corde suo.

16 Attulerunt igitur arcam dei et constituerunt eam in medio tabernaculi quod tetenderat ei dauid: et obtulerunt olocausta et pacifica coram deo. 2 Cunque complesset dauid offerens olocausta et pacifica benedixit populo in nomine domini: 3 et diuisit vniuersis per singulos a viro vsque ad mulierem tortam panis· et partem asse carnis bubale: et frixam oleo similam. 4 Constituit que coram archa domini de leuitis qui ministrarent et

recordarentur operum eius· et glorificarent atque laudarent dominum deum israhel: [5] asaph principem et secundum eius zachariam. Porro et semiramoth· et iehihel· et mathathiam· et eliab· et banaiam· et obededom· iehihel· super organa psalterij et liras: asaph autem vt in cimbalis personaret: [6] banaiam vero et azihel sacerdotes· canere tuba iugiter coram archa federis domini. [7] In illo die fecit dauid principem ad confitendum domino asaph et fratres eius. [8] Confitemini domino et inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. [9] Cantate ei et psallite ei· et narrate omnia mirabilia eius: [10] laudate nomen sanctum eius: letetur cor querentium dominum. [11] Querite dominum et virtutem eius: querite faciem eius semper. [12] Recordamini mirabilium eius que fecit· signorum illius et iudiciorum oris eius. [13] Semen israhel serui eius: filij iacob electi eius. [14] Ipse dominus deus noster: in vniuersa terra iudicia eius. [15] Recordammini in sempiternum pacti eius: sermonis quem precepit in mille generationes. [16] Quem pepigit cum abraham et iuramenti illius cum ysaac. [17] Et constituit illud iacob in preceptum: et israhel in pactum sempiternum [18] dicens. Tibi dabo terram chanaan· funiculum hereditatis vestre. [19] Cum essent pauci numero· parui et coloni eius. [20] Et transierunt de gente in gentem: et de reguo ad populum alterum. [21] Non dimisit quenquam calumniari eos: sed increpauit pro eis reges. [22] Nolite tangere cristos meos: et in prophetis meis nolite malignari. [23] Cantate domino omnis terra: annunciate ex die in diem salutare eius. [24] Narrate in gentibus gloriam eius: et in cunctis populis mirabilia eius. [25] Quia magnus dominus et laudabilis nimis: et horribilis super omnes deos. [26] Omnes enim dij populorum ydola: dominus autem celos fecit. [27] Confessio et magnificentia coram eo: fortitudo et gaudium in loco eius. [28] Afferte domino familie populorum: afferte domino gloriam et imperium: [29] date domino gloriam nomini eius. Leuate sacrificium et venite in conspectu eius: et adorate dominum in decore sancto. [30] Commoueatur a facie eius omnis terra: ipse enim fundauit orbem immobilem. [31] Letentur celi et exultet terra: et dicant in nationibus dominus regnauit. [32] Tonet mare et plenitudo eius: exultent agri et omnia que in eis sunt. [33] Tunc laudabunt ligna saltus coram domino: quia venit iudicare terram. [34] Confitemini domino quoniam bonus: quoniam ineternum misericordia eius. [35] Et dicite: salua nos deus saluator noster: et congrega nos et erue de gentibus: vt confiteamur nomini sancto tuo: et exultemus in carminibus tuis. [36] Benedictus dominus deus israhel ab eterno vsque ineternum: et dicat omnis populus amen et ymnum deo. [37] Dereliquit itaque ibi coram archa federis domini asaph et fratres eius: vt ministrarent in conspectu arche iugiter per singulos dies et vices suas. [38] Porro obededom et fratres eius sexagintaocto et obededom filium ydithun et osa· constituit ianitores. [39] Sadoch autem sacerdotem et fratres eius sacerdotes coram tabernaculo domini in excelso quod erat in gabaon: [40] vt offerrent olocausta domino super altare olocaustomatis iugiter mane et vespere: iuxta omnia que scripta sunt in lege domini quam precepit israheli. [41] Et post eum: heman· et ydithun et reliquos electos· vnumquenque vocabulo suo ad confitendum domino quoniam ineternum misericordia eius. [42] Heman que et idithun canentes tuba et quatientes cimbala· et omnia musicorum organa ad canendum domino. Filios autem ydithun fecit esse portarios. [43] Reuersusque est omnis populus in domum suam: et dauid vt benediceret etiam domui sue.

17 Cum habitaret dauid in domo sua: dixit ad nathan prophetam. Ecce ego habito in domo cedrina: archa autem federis domini sub pellibus est. [2] Et ait nathan ad dauid. Omnia que in corde tuo sunt fac: dominus enim tecum est. [3] Igitur nocte illa factus est sermo domini ad nathan dicens. [4] Vade et loquere dauid seruo meo. Hec dicit dominus. Non edificabis tu michi domum ad habitandum. [5] Neque enim mansi in domo· ex eo tempore quo eduxi israhel de terra egipti vsque ad hanc diem: sed fui semper mutans loca tabernaculi· et in tentorio [6] manens cum omni israhel. Nunquid locutus sum saltem vni iudicum israhel quibus preceperam vt pascerent populum meum· et dixi quare non edificasti michi domum cedrinam? [7] Nunc itaque sic loqueris ad seruum meum dauid. Hec dicit dominus exercituum. Ego tuli te cum in pascuis sequereris gregem· vt esses dux populi mei israhel: [8] et fui tecum quocunque perrexisti: et interfeci omnes inimicos tuos coram te: fecique tibi nomen quasi vnius magnorum qui celebrantur in terra. [9] Et dedi locum populo meo israhel. Plantabitur et habitabit in eo· et vltra non commouebitur: nec filij iniquitatis atterent eos sicut a principio· [10] ex diebus quibus dedi iudices populo meo israhel: et humiliaui vniuersos inimicos tuos. Annuncio ergo tibi· quod edificaturus sit tibi dominus domum. [11] Cunque impleueris dies tuos vt vadas ad patres tuos: suscitabo semen tuum post te quod erit de filijs tuis· et stabiliam regnum eius. [12] Ipse edificabit michi domum et firmabo solium eius vsque ineternum. [13] Ego ero ei in patrem· et ipse erit michi in filium: et misericordiam meam non auferam ab eo sicut abstuli ab eo qui ante te fuit. [14] Et statuam eum in domo mea· et in regno meo vsque in sempiternum: et thronus eius erit firmissimus imperpetuum. [15] Iuxta omnia verba hec· et iuxta vniuersam visionem istam: sic locutus est nathan ad dauid. [16] Cunque venisset rex dauid et sedisset coram domino: dixit. Quis ego sum domine deus· et que domus mea· vt prestares michi talia? [17] Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo. Ideo que locutus es super domum serui tui etiam in futurum: et fecisti me spectabilem super omnes homines. Domine deus meus [18] quid vltra addere potest dauid cum ita glorificaueris seruum tuum et cognoueris eum? [19] Domine propter famulum tuum iuxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc: et nota esse voluisti vniuersa magnalia. [20] Domine non est similis tui: et non est alius deus absque te ex omnibus quos audiuimus auribus nostris. [21] Quis enim est alius vt populus tuus israhel· gens vna in terra ad quam perrexit deus vt liberaret et faceret populum sibi: et magnitudine sua atque terroribus eiceret nationes a facie eius quem de egipto liberarat? [22] Et posuisti populum tuum israhel tibi in populum vsque ineternum: et tu domine factus es deus eius. [23] Nunc igitur domine sermo quem locutus es famulo tuo et super domum eius· confirmetur imperpetuum: et fac sicut locutus es: [24] permaneatque et magnificetur nomen tuum vsque in sempiternum: et dicatur dominus exercituum deus israhel· et domus dauid serui eius permanens coram eo. [25] Tu enim domine deus meus reuelasti auriculam serui tui· vt edificares ei domum: et idcirco inuenit seruus tuus fiduciam vt oret coram te. [26] Nunc ergo domine tu es deus et locutus es ad seruum tuum tanta beneficia: [27] et cepisti benedicere do mui serui tui vt sit semper coram te. Te enim domine benedicente· benedicta erit in perpetuum.

18 Factum est autem post hec vt percuteret dauid philistijm et humiliaret eos: et tolleret geth et filias eius de manu philistijm: [2] percuteretque moab et fierent moabite serui dauid· offerentes ei munera. [3] Eo tempore percussit dauid etiam adadezer regem soba regionis emath: quando perrexit vt dilataret imperium suum vsque ad flumen eufraten. [4] Cepit ergo dauid mille quadrigas eius et septem milia equitum ac viginti milia virorum peditum. Subneruauitque omnes equos curruum: exceptis centum quadrigis quas reseruauit sibi. [5] Superuenit autem et sirus damascenus: vt auxilium preberet adadezer regi soba. Sed et huius percussit dauid vigintiduo milia virorum. [6] Et posuit milites in damasco: vt siria quoque seruiret sibi et offerret munera. Adiuuitque dominus eum in cunctis ad que perrexerat. [7] Tulit quoque dauid pharetras aureas quas habuerant serui adadezer· et attulit eas in iherusalem: [8] necnon de thebat et chun· vrbibus adadezer eris plurimum: de quo fecit salomon mare eneum et columnas· et vasa enea. [9] Quod cum audisset thou rex emath· percussisse videlicet dauid omnem exercitum adadezer regis soba: [10] misit aduram filium suum ad regem dauid· vt postularet ab eo pacem: et congratularetur ei eo quod percussisset et expugnasset adadezer. Aduersarius quippe erat thou adadezer. [11] Sed et omnia vasa aurea et argentea et enea consecrauit dauid rex domino· cum argento et auro quod tulerat ex vniuersis gentibus: tam de ydumea et moab et filijs ammon· quam de philistijm et amelech. [12] Abisai vero filius saruie percussit edom in valle salinarum decem et octo milia: [13] et constituit in edom presidium· vt seruiret ydumea dauid. Saluauitque dominus dauid in cunctis ad que prexerat. [14] Regnauit ergo dauid super vniuersum israhel: et faciebat iudicium atque iusticiam cuncto populo suo. [15] Porro ioab filius saruie erat super exercitum: et iosaphat filius ahiluth a comentarijs. [16] Sadoch autem filius achitob· et ahimelech filius abiathar

sacerdotes: et susa scriba. [17] Banaias quoque filius idiade super legiones cerethi et felethi. Porro filij dauid primi ad manum regis.

19 Accidit autem vt moreretur naas rex filiorum ammon: et regnaret anon filius eius pro eo. [2] Dixitque dauid. Faciam misericordiam cum anon filio naas. Prestitit enim michi pater eius gratiam. Misitque dauid nuncios ad consolandum eum super mortem patris sui. Qui cum peruenissent in terram filiorum ammon· vt consolarentur anon: [3] dixerunt principes filiorum ammon ad anon. Tu forsitan putas quod dauid honoris causa in patrem tuum miserit qui consolarentur te: nec animaduertis quod vt explorent et inuestigent et scrutentur terram tuam· venerint ad te serui eius. [4] Igitur anon pueros dauid decaluauit et rasit: et prescidit tunicas eorum a natibus vsque ad pedes et dimisit eos. [5] Qui cum abissent et hoc mandassent dauid· misit in occursum eorum. Grandem enim contumeliam sustinuerunt: et precepit vt manerent iu iherichо donec cresceret barba eorum· et tunc reuerterentur. [6] Videntes autem filij ammon quod iniuriam fecissent dauid· tam anon quam reliquus populus: miserunt mille talenta argenti· vt conducerent sibi de mesopotamia et de siria maacha et de soba currus et equites. [7] Conduxeruntque trigintaduo milia curruum: et regem maacha cum populo eius. Qui cum venissent· castrametati sunt e regione medaba. Filij quoque ammon congregati de vrbibus suis· venerunt ad bellum. [8] Quod cum audisset dauid: misit ioab et omnem exercitum virorum fortium. [9] Egressique filij ammon: direxerunt aciem iuxta portam ciuitatis. Reges autem qui ad auxilium eius venerant separatim in agro steterunt. [10] Igitur ioab intelligens bellum ex aduerso et post tergum contra se fieri: elegit viros fortissimos de vniuerso israhel· et perrexit contra sirum. [11] Reliquam autem partem populi dedit sub manu abisai fratris sui: et perrexerunt contra filios ammon. [12] Dixitque. Si vicerit me sirus auxilio eris michi: si autem superauerint te filij ammon ero tibi in presidium. [13] Confortare et agamus viriliter pro populo nostro· et pro vrbibus dei nostri. Dominus autem quod in conspectu suo bonum est faciat. [14] Perrexit ergo ioab et populus qui cum eo erat contra sirum ad prelium: et fugauit eos. [15] Porro filij ammon videntes quod fugisset sirus· ipsi quoque fugerunt· abisai fratrem eius: et ingressi sunt ciuitatem. Reuersusque est etiam ioab in iherusalem. [16] Videns autem sirus quod cecidisset coram israhel: misit nuncios· et adduxit sirum qui erat transfluuium. Sophat autem princeps militie adadezer erat dux eorum. [17] Quod cum annunciatum esset dauid: congregauit vniuersum israhel· et transiuit iordanen: irruit que in eos et direxit ex aduerso aciem· illis contra pugnantibus. [18] Fugit autem sirus israhel. Et interfecit dauid de siris· septem milia curruum et quadraginta milia peditum: et sophat exercitus principem. [19] Videntes autem serui adadezer se ab israhel esse superatos: transfugerunt ad dauid et seruierunt ei. Noluitque vltra siria auxilium prebere filijs ammon.

20 Factum est autem post anni circulum eo tempore quo solent reges ad bella procedere· congregauit ioab exercitum et robur militie: et vastauit terram filiorum ammon. Perrexitque et obsedit rabba. Porro dauid manebat in iherusalem quando ioab percussit rabba· et destruxit eam. [2] Tulit autem dauid coronam melchon de capite eius· et inuenit in ea auri pondo talentum et preciosissimas gemmas: fecitque sibi inde diadema. Manubias quoque vrbis plurimas tulit: [3] populum autem qui erat in ea eduxit· et fecit super eos tribulas· et trahas· et ferrata carpenta transire: ita vt dissecarentur et contererentur. Sic fecit dauid cunctis vrbibus filiorum ammon: et reuersus est cum omni populo suo in iherusalem. [4] Post hec initum est bellum in gazer aduersum philisteos: in quo percussit sobochai vsathites saphai de genere raphaim et humiliauit eos. [5] Aliud quoque bellum gestum est aduersus philisteos: in quo percussit adeodatus filius saltus bethleemites fratrem goliath gethei: cuius haste lignum quasi liciatorium texentium. [6] Sed et aliud bellum accidit in geth: in quo fuit homo longissimus senos habens digitos id est simul vigintiquatuor: qui et ipse de raphaim fuerat stirpe generatus. [7] Hic blasphemauit israhel: et percussit eum ionathan filius sammaa fratris dauid. Hij sunt filij rapha in geth: qui ceciderunt in manu dauid et seruorum eius.

21 Consurrexit autem sathan Vcontra israhel: et incitauit dauid vt numeraret israhel. [2] Dixitque dauid ad ioab et ad principes populi. Ite et numerate israhel a bersabee vsque dan: et afferte michi numerum vt sciam. [3] Responditque ioab. Augeat dominus populum suum centuplum quam sunt. Nonne domine mi rex· omnes serui tui sunt: Quare hoc querit dominus meus quod in peccatum reputetur israheli? [4] Sed sermo regis magis preualuit. Egressusque est ioab et circuiuit vniuersum israhel et reuersus est iherusalem. [5] Deditque dauid numerum eorum quos circuierat: et inuentus est omnis numerus israhel mille milia et centum milia virorum educentium gladium. De iuda autem· quadringenta septuaginta milia bellatorum. [6] Nam leui et beniamin non numerauit: eo quod inuitus exequeretur regis imperium. [7] Displicuit autem deo quod iussum erat: et percussit israhel. [8] Dixitque dauid ad deum· peccaui nimis vt hoc facerem. Obsecro aufer iniquitatem serui tui: quia insipienter egi. [9] Et locutus est Dominus ad gad videntem dauid dicens. [10] Vade et loquere ad dauid· et dic ei. Hec dicit dominus. Trium tibi optionem do: vnum quod volueris elige vt faciam tibi. [11] Cunque venisset gad ad dauid· dixit ei. Hec dicit dominus. Elige quod volueris. [12] Aut tribus annis pestilentiam· aut tribus mensibus fugere te hostes tuos et gladium eorum non posse euadere: aut tribus diebus gladium domini et mortem versari in terra· et angelum domini interficere in vniuersis finibus israhel. Nunc igitur vide quid respondeam ei qui misit me. [13] Et dixit dauid ad gad. Ex omni parte me angustie premunt. Sed melius michi est vt incidam in manus domini quia multe sunt miserationes eius· quam in manus hominum. [14] Misit ergo dominus pestilentiam in israhel: et ceciderunt de israhel septuaginta milia virorum. [15] Misit quoque angelum in iherusalem: vt percuteret eam. Cunque percuteretur· vidit dominus et misertus est super magnitudinem mali: et imperauit angelo qui percutiebat. Sufficit De iam: cesset manus tua. Porro angelus angelus domini stabat iuxta aream ornan iebusei: [16] leuansque dauid oculos suos· vidit angelum domini stantem inter celum et terram: et euaginatum gladium in manu eius· et versum contra iherusalem: et reciderunt tam ipse quam maiores et ceciderunt maiores natu vestiti ciliciis proni in terram. Dixitque dauid ad deum. Nonne ego sum natu vestiti cilicijs proni in terram. [17] Dixitque dauid ad deum. Nonne ego sum qui iussi vt numeraretur populus? Ego qui peccaui: ego qui malum feci. Iste grex quid commeruit? Domine deus meus vertatur obsecro manus tua in me· et in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur. [18] Angelus autem domini precepit gad vt diceret dauid: vt ascenderet extrueretque altare domino deo in area ornan iebusei. Ascendit ergo dauid a ornan iebusei. [19] Ascendit ergo dauid sermonem gad: quem locutus ei iuxta sermonem gad: quem locutus ei fuerat ex nomine domini. [20] Porro ornan cum suspexisset et vidisset angelum quatuorque filij eius cum eo: absconderunt se. Nam eo tempore terebant in area triticum. [21] Igitur cum veniret dauid ad ornan aspexit eum ornan: et processit ei obuiam de area et adorauit eum pronus in terram. [22] Dixitque ei dauid. Da michi locum aree tue· vt edificem in ea altare domino ita vt quantum valet argenti accipias: et cesset plaga a populo. [23] Dixit autem ornan ad dauid. Tolle et faciat dominus meus rex quodcunque ei placet Sed et boues do in olocaustum et tribulas in ligna: et triticum in sacrificium: onnia libens prebebo. Dixitque ei rex Damnia libens prebebo. [24] Dixitque ei rex Dauid. Nequaquam ita fiet: sed argentum dabo quantum valet. Neque etiam tibi auferre debeo: et sic offerre domino olocausta gratuita. [25] Dedit ergo dauid ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos: [26] et edificauit ibi altare domino: obtulitque olocausta et pacifica: et inuocauit deum et exaudiuit eum in igne de celo super altare olocausti. [27] Precepitque dominus angelo et conuertit gladium suum in vaginam. [28] Protinus ergo dauid videns quod exaudisset eum dominus in area ornan iebusei: immolauit ibi· victimas. [29] Tabernaculum autem domini quod fecerat moyses in deserto· et altare olocaustorum ea tempestate erat in excelso gabaon: [30] et non preualuit dauid ire ad altare vt ibi obsecraret deum. Nimio enim fuerat timore perterritus· videns gladium angeli domini.

22 Dixitque dauid. Hec est domus dei et hoc altare in olocaustum israhel· [2] Et precepit vt congregarentur omnes proseliti de terra israhel: et constituit ex eis latomos ad cedendos lapides et poliendos· vt edificaretur domus dei. [3] Ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum· et ad commissuras atque iuncturas preparauit dauid: et eris pondus innumerabile. [4] Ligna quoque cedrina non poterant estimari: que sydonij et tyrij deportauerunt ad dauid. [5] Et dixit dauid. Salomon filius meus puer paruulus est et delicatus. Domus autem quam edificare volo domino talis esse debet: vt in cunctis regionibus nominetur. Preparabo ergo ei necessaria. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes preparauit impensas. [6] Vocauitque salomonem filium suum: et precepit ei vt edificaret domum domino deo israhel. [7] Dixitque dauid ad salomonem. Fili mi: voluntatis mee fuit vt edificarem domum nomini domini dei mei: [8] sed factus est sermo domini ad me dicens. Multum languinem effudisti et plurima bella bellasti: non poteris edificare domum nomini meo· tanto effuso sanguine coram me. [9] Filius qui nascetur tibi: erit vir quietissimus. Faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: et ob hanc causam pacificus vocabitur: et pacem otium dabo in israhel cunctis diebus eius. [10] Ipse edificabit domum nomini meo: et ipse erit michi in filium et ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni eius super israhel in eternum. [11] Nunc ergo fili mi sit dominus tecum· et prosperare et edifica domum domino deo tuo: sicut locutus est de te. [12] Detque tibi dominus prudentiam et sensum: vt regere possis israhel· et custodire legem domini dei tui. [13] Tunc enim proficere poteris: si custodieris mandata et iudicia que precepit dominus moysi vt doceret israhel. Confortare et viriliter age: ne timeas neque paueas. [14] Ecce ego in paupertate mea preparaui impensas domus domini auri talenta centum milia: et argenti mille milia talentorum: eris vero et ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine. Ligna et lapides preparaui ad vniuersa impendia. [15] Habes quoque plurimos artifices· latomos· et cementarios· artificesque lignorum· et omnium artium· ad faciendum opus prudentissimos· [16] in auro et argento· et ere et ferro· cuius non est numerus. Surge igitur et fac: et erit dominus tecum. [17] Precepit quoque dauid cunctis principibus israhel· vt adiuuarent salomonem filium suum: [18] inquietis quod dominus deus vester vobiscum sit· et dederit vobis requiem per circuitum· et tradiderit omnes inimicos vestros in manus ve stras: et subiecta sit terra coram domino et coram populo eius. [19] Prebete igitur corda vestra et animas vestras· vt queratis dominum deum vestrum: et consurgite et edificate sanctuarium domino deo: vt introducatur archa federis domini et vasa domino consecrata in domum que edificatur nomini domini.

23 Igitur dauid senex et plenus dierum regem dierum regem constituit salomonem filium suum super israhel: [2] et congregauit omnes principes israhel et sacerdotes atque leuitas. [3] Numeratique sunt leuite a viginti annis et supra: et inuenta sunt trigintaocto milia virorum. [4] Ex hijs electi sunt et distributi in ministerium domus domini vigintiquatuor milia: prepositorum autem et iudicum sex milia. [5] Porro quatuor milia ianitores et totidem psaltes canentes domino in organis· que fecerat ad canendum: [6] et distribuit eos dauid per vices filiorum leui gerson videlicet et caath et merari. [7] Filij gerson leedan et semei. [8] Filij leedan principes· iehiel et zethan et iohel tres. [9] Filij semei· salomith et ozihel et aran tres. Isti principes familiarum leedan. [10] Porro filij semei· leeth· et ziza et yaus et baria. Isti filij semei quatuor. [11] Erat autem leeth prior· ziza secundus. Porro yaus et baria non habuerunt plurimos filios: et idcirco in vna familia vnaque domo computati sunt. [12] Filij caath· amram et ysaar hebron et ozihel quatuor. [13] Filij amram· aaron et moyses. Separatusque est aaron vt ministraret in sancta sanctorum· ipse et filij eius in sempiternum: et adoleret incensum domino secundum ritum suum: ac beneficeret nomini eius in perpetuum. [14] Moysi quoque hominis dei filij annumerati sunt in tribu leui. [15] Filij moysi gersom et eliezer. [16] Filij gersom subuhel primus. [17] Fuerunt autem filij eliezer roobia primus: et non erant eliezer filij alij. Porro filij roobia multiplicati sunt nimis. [18] Filij ysaar salomith primus. [19] Filij hebron ieriau primus· amarias secundus· iaziel tercius· ithemaan quartus. [20] Filij ozihel micha primus· iesia secundus. [21] Filij merari· mooli et musi. Filij mooli· eleazar et cis. [22] Mortuus est autem eleazar· et non habuit filios sed filias: acceperuntque eas filij cis fratres earum. [23] Filij musi mooli et eder et ierimuth tres. [24] Hij filij leui in cognationibus et familijs suis· principes per vices et numerum capitum singulorum· qui faciebant opera ministerij domus domini a viginti annis et supra. [25] Dixit enim dauid. Requiem dedit dominus deus israhel populo suo· et habitationem iherusalem vsque in eternum: [26] nec erit officij leuitarum vt vltra portent tabernaculum· et omnia vasa eius ad ministrandum. [27] Iuxta precepta quoque dauid nouissima supputabitur numerus filiorum leui· a viginti annis et supra: [28] et erunt sub manu filiorum aaron· in cultum domus domini in vestibulis et in exedris· et in loco purificationis et in sanctuario et in vniuersis operibus ministerij templi domini. [29] Sacerdotes autem super panes propositionis et ad simile sacrificium· ad lagana et azima· et sartaginem· et ad torrendum: et super omne pondus atque mensuram. [30] Leuite vero vt stent mane ad confitendum et canendum domino: similiterque ad vesperam [31] tam in oblationem olocaustorum domini quam in sabbatis et kalendis et solemnitatibus reliquis· iuxta numerum et cerimonias vniuscuiusque rei· iugiter coram domino: [32] et custodiant obseruationes tabernaculi federis· et ritum sanctuarij· et obseruationem filiorum aaron fratrum suorum: vt ministrent in domo domini.

24 Porro filijs aaron hee partitiouusnes erant. Filij aaron nadab abiu et eleazar et ythamar. [2] Mortui sunt autem nadab et abiu ante patrem suum absque liberis: sacerdotioque functus est eleazar et ythamar. [3] Et diuisit eos dauid· id est sadoch de filijs eleazari et ahimelech de filijs ythamar secundum vices suas et ministerium: [4] inuentique sunt multo plures filij eleazar in principibus· viris quam filij ythamar. Diuisit autem eis hoc est filijs eleazar principes sedecim: et filijs ythamar per familias et domos suas octo. [5] Porro diuisit vtrasque inter se et familias sortibus. Erant enim principes sanctuarij et principes domus dei: tam de filijs eleazar quam de filijs ythamar. [6] Descripsitque eos semeias filius nathanael scriba leuites· coram rege et principibus et sadoch sacerdote et ahimelech filio abiathar: principibus quoque familiarum sacerdotalium et leuiticarum vnam domum que ceteris preerat eleazar· et alteram domum que sub se habebat ceteros ythamar. [7] Exiuit autem sors prima ioiarib· secunda iedeie· [8] tercia harim· quarta seorim· [9] quinta melchia· sexta maiman· [10] septima acchos· octaua abia· [11] nona ihesu· decima sechenia [12] vndecima eliasib· duodecima iacim· tredecima [13] hoppha· decimaquarta isbaal· [14] decimaquinta belga· decimasexta emmer· [15] decimaseptima ezir· decimaoctaua aphses· [16] decimanona apheceia· vicesima ezechiel· [17] vicesimaprima iachin· vicesimasecunda gamul· [18] vicesimatercia dalaiau vicesimaquarta mazziau. [19] Hee vices eorum secundum ministeria sua vt ingrediantur domum dei· et iuxta ritum suum sub manu aaron patris eorum: sicut preceperat dominus deus israhel. [20] Porro filiorum leui qui reliqui fuerant de filijs amram· erat subahel: et de filijs subahel iedeia. [21] De filijs quoque roobie princeps iesias. [22] Ysaaris vero filius salemoth: filiusque salemoth [23] filiusque eius ieriau primus· amarias secundus· iazihel tercius iechmoan quartus. [24] Filius ozihel micha· filius micha samijr· [25] frater micha iesia: filiusque iesie zacharias. [26] Filij merari mooli et musi· filius osian· bennon: [27] filius quoque merari oziau: et soem et zachur et hebri. [28] Porro mooli filius eleazar: qui non habebat liberos. [29] Filius vero cis ieramihel. [30] Filij musi mooli· eder et iherimoth. Isti filij leui secundum domos familiarum suarum. [31] Miseruntque et ipsi sortes contra fratres suos· filios aaron coram dauid rege· et sadoch et ahimelech et principibus familiarum sacerdotalium et leuiticarum: tam maiores quam minores omnes sors equaliter diuidebat.

25 Igitur dauid et magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios asaph· et heman· et ydithun: qui prophetarent in citharis· et psalterijs et cimbalis· secundum numerum suum· dedicato sibi officio seruientes. [2] De filijs asaph zachur et ioseph et nathania et asarela: filij asaph sub manu asaph prophetantes iuxta regem. [3] Porro ydithun· godolias sori

ieseias et sabias et mathatias· sex sub manu patris sui ydithun: qui in cithara prophetabat super confitentes et laudantes dominum. [4] Heman quoque filij heman bocciau mathamu ozihel subuhel et iherimoth ananias· anani· eliacha· geldelthi· et romethiezer· et iesbaccasa· mellothi· othir· mozioth. [5] Omnes isti filij heman videntes regis in sermonibus dei vt exaltaret cornu. Deditque deus heman filios quatuordecim et filias tres. [6] Vniuersi sub manu patris sui ad cantandum in templo domini distributi erant in cimbalis et psalterijs et citharis· in ministeria domus domini iuxta regem: asaph videlicet et ydithun et heman. [7] Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis qui erudiebant canticum domini cuncti doctores ducenti octogintaocto. [8] Miseruntque sortes per vices suas· ex equo tam maior quam minor· doctus pariter et indoctus. [9] Egressaque est sors prima ioseph qui erat de asaph: secunda godolie· ipsi et filijs eius et fratribus eius duodecim: [10] tercia zachur filijs et fratribus eius duodecim: [11] quarta ysari· filijs et fratribus eius duodecim: [12] quinta nathanie filijs eius et fratribus eius duodecim: [13] sexta bocciau filijs et fratribus eius duodecim: [14] septima isrehela filijs et fratribus eius duodecim: [15] octaua ysaie filijs et fratribus eius duodecim: [16] nona mathanie filijs et fratribus eius duodecim: [17] decima semeie filijs et fratribus eius duodecim: [18] vndecima esrahel filijs et fratribus eius duodecim: [19] duodecima asabie filijs et fratribus eius duodecim: [20] terciadecima subahel filijs et fratribus eius duodecim: [21] quartadecima mathatie filijs et fratribus eius duodecim: [22] quintadecima iherimoth filijs et fratribus eius duodecim: [23] sextadecima ananie filijs et fratribus eius duodecim: [24] septimadecima iesbocase filijs et fratribus eius duodecim: [25] octauadecima anani filijs et fratribus eius duodecim: [26] nonadecima mellothi filiis et fratribus eius duodecim: [27] vicesima eliatha filijs et fratribus eius duodecim: [28] vicesimaprima othir filijs et fratribus eius duodecim: [29] vicesimasecunda goddollathi filijs et fratribus eius duodecim: [30] vicesimatercia aziud filijs et fratribus eius duodecim: [31] vicesimaquarta romanithiezer filijs et fratribus eius duodecim.

26 Diuisiones autem ianitorum de choritis mesellemia filius chore: de filijs asaph [2] filij mesellemie· zacharias primogenitus iadihel secundus· zabadias tercius· iathanael quartus· [3] abilam quintus· iohannan sextus· helioenai septimus. [4] Filij autem obededom· semeias primogenitus· iozabad secundus· iohaa tercius· sachar quartus· nathanahel quintus· [5] ammihel sextus· ysachar septimus· phollathi octauus· quia benedixit illi dominus. [6] Semeie autem filio eius nati sunt filij prefecti familiarum suarum: erant enim viri fortissimi. [7] Filij ergo semeie othni et raphael· et obediel zabad et fratres eius viri fortissimi: heliu quoque et samachias. [8] Omnes hij de filijs obededom ipsi et filij et fratres eorum fortissimi ad ministrandum sexagintaduo de obededom. [9] Porro mesellamie filij et fratres eorum robustissimi decem et octo. [10] De hosa autem id est de filijs merari seuri princeps. Non enim habuerat primogenitum: et idcirco posuerat eum pater eius in principem. [11] Helchias secundus· tabelias tercius· zacharias quartus. Omnes hij filij et fratres hosa tredecim. [12] Hij diuisi sunt in ianitores: vt semper principes custodiarum sicut et fratres eorum ministrarent in domo domini. [13] Misse sunt ergo sortes ex equo· et paruis et magnis per familias suas in vnamquamque portarum. [14] Cecidit ergo sors orientalis selemie. Porro zacharie filio eius viro prudentissimo et erudito· sortito obtigit plaga septentrionalis. [15] Obededom vero et filijs eius ad austrum in qua parte domus erat seniorum concilium: [16] sephphima et hosa ad occidentem iuxta portam que ducit ad viam ascensionis· custodia contra custodiam. [17] Ad orientem vero leuite sex et ad aquilonem quatuor per diem· atque ad meridiem similiter in die quatuor· et vbi erat coucilium bini et bini. [18] In cellulis quoque ianitorum· ad occidentem quatuor in via: binique per cellulas. [19] Hee sunt diuisiones ianitorum filiorum chore et merari. [20] Porro achias erat super thesauros domus domini· et vasa sanctorum. [21] Filij quoque· dan filij gersonni. De ledan princeps familiarum. ledan et gersonni ieiheli: [22] filij ieiheli zathan et iohel fratres eius super thesauxos sauros sauros domus domini [23] amramitis et ysaaritis et hebronitis et hozihelitibus. [24] Subahel autem filius gersom· filij moysi prepositus thesauris: [25] frater quoque eius eliezer cuius filius raabia· et huius filius ysaias· et huius filius ioram· huius quoque filius zechri· et huius filius selemith. [26] Ipse selemith et fratres eius super thesauros sanctorum· que sanctificauit dauid rex et principes familiarum et tribuni et centuriones· et duces exercitus· [27] de bellis et manubijs preliorum· que consecrauerant ad instaurationem· et suppellectilem templi domini. [28] Hec autem vniuersa sanctificauit sammuhel videns et saul filius cis· et abner filius ner· et ioab filius saruie: omnisque sanctificauerant ea per manum salemith et fratrem eius. [29] Saraitis vero preerat conenias et filij eius ad opera forinsecus super israhel· ad docendum et iudicandum eos. [30] Porro de hebronitis asabias et fratres eius viri fortissimi mille septingenti preerant israheli· trans iordanen contra occidentem in cunctis operibus domini· et in ministerium regis. [31] Hebronitarum autem princeps fuit hieria: secundum familias et cognationes eorum. Quadragesimo anno regni dauid recensiti sunt et inuenti sunt viri fortissimi in gazer galaad: [32] fratresque eius robustioris etatis duo milia septingenti principes familiarum. Preposuit autem eos dauid rex rubenitis et gadditis· et dimidie tribui manasse: in omne ministerium dei et regis.

27 Filij autem israhel secundum numerum suum principes familiarum· tribuni et centuriones· et prefecti qui ministrabant regi iuxta turmas suas· ingredientes et egredientes per singulos menses in anno: vigintiquatuor milibus singuli preerant. [2] Prime turme in primo mense isboam preerat filius zabdihel: et sub eo vigintiquatuor milia. [3] De filijs phares: princeps cunctorum principum in exercitu mense primo. [4] Secundi mensis habebat turmam dudiaohites et post se alter nomine macelloth: qui regebat partem exercitus vigintiquatuor milium. [5] Dux quoque turme tercie in mense tercio erat banaias filius ioiade sacerdos: et in diuisione sua vigintiquatuor milia. [6] Ipse est banaias fortissimus inter triginta: et super triginta. Preerat autem turme ipsius amizadab filius eius. [7] Quartus mense quarto asahel frater ioab· et zabadias filius eius post eum: et in turma eius vigintiquatuor milia. [8] Quintus mense quinto princeps samaoth iezerites: et in turma eius vigintiquatuor milia. [9] Sextus mense sexto hira filius acces thecuites: et in turma eius vigintiquatuor milia. [10] Septimus mense septimo helles phallonites de filijs ephraim: et in turma eius vigintiquatuor milia. [11] Octauus mense octauo sobochai vsarchites de stirpe zarai: et in turma eius vigintiquatuor milia. [12] Nonus mense nono abiezer anathotites de filijs iemini: et in turma eius vigintiquatuor milia. [13] Decimus mense decimo marai et ipse nethophatites de stirpe zarai: et in turma eius vigintiquatuor tuorum milia. [14] Vndecimus mense vndeci banaias pharathonites de filijs ephraim: et in turma eius vigintiquatuor milia. [15] Duodecimus mense duodecimo holdai nethophatites de stirpe gothoniel: et in turma eius vigintiquatuor milia. [16] Porro tribubus preerant in israhel· rubenitis· dux eliezer filius zechri: symeG onitis: dux saphatias filius macha: [17] leuitis· asabias filius chamuel: aaronitis· sadoch: [18] iuda· heliu frater dauid: ysachar· amri filius michael: [19] zabulonitis· iesmaias filius abdie: neptalitibus· ierimoth filius oziel: [20] filijs ephra osee filius ozaziu· dimidie tribui manasse· iohel filius phadaie: [21] et dimidie tribui manasse in galaad· iaddo filius zacharie: beniamin autem iasihel filius abner: [22] dan vero ezriel filius ieroam. Hij principes filiorum israhel. [23] Noluit autem dauid numerare eos a viginti annis inferius: quia dixerat dominus vt multiplicaret israhel quasi stellas celi. [24] Ioab filius saruie ceperat numerare nec compleuit quia super hoc ira dei irruerat in israhel: et idcirco numerus eorum qui fuerant recensiti non est relatus in fastos regis dauid. [25] Super thesauros autem regis fuit azmoth filius adihel: hijs autem thesauris qui erant in vrbibus et in vicis et in turribus presidebat ionathan filius ozie. [26] Operi autem rustico et agricolis qui exercebant terram preerat ezri filius chelub: [27] vinearumque cultoribus semeias romathites: cellis autem vinarijs zabdias aphonites. [28] Nam super oliueta et ficeta que erant in campestribus balanan gederites: super apothecas autem olei ioas. [29] Porro armentis que pascebantur in sarona prepositus fuit setrai saronites: et super boues in vallibus saphat filius adli. [30] super camelos vero vbil hismahelites: et super asinos· iadias meronatites: [31] super oues quoque iaziz agarenus. Omnes hij principes substantie regis dauid. [32] Ionathan autem patruus dauid consiliarius vir prudens et litteratus: ipse et iahihel filius

achamoni erant cum filijs regis. 33 Achitophel etiam consiliarius regis: et chusi arachites amicus regis. 34 Post achitophel fuit ioiada filius banaie et abiathar. Princeps autem exercitus regis erat ioab.

28 Conuocauit igitur dauid omnes principes israhel· duces tribuum et prepositos turmarum· qui ministrabant regi: tribunos quoque et centuriones et qui preerant substantie et possessionibus regis: filiosque suos cum eunuchis et potentes et robustissimos quosque in exercitu iherusalem. 2 Cunque surrexisset rex et stetisset ait. Audite me fratres mei: et populus meus. Cogitaui vt edificarem domum in qua requiesceret archa federis domini et scabellum pedum domini dei nostri: et ad edificandum omnia preparaui. 3 Deus autem dixit michi. Non edificabis domum nomini meo· eo quod sis vir bellator et sanguinem fuderis: 4 sed et elegit dominus deus israhel me de vniuersa domo patris mei: vt essem rex super israhel in sempiternum. De iuda enim elegit principes. Porro de domo iuda domum patris mei: et de filijs patris mei placuit ei vt me eligeret regem super cunctum israhel: 5 sed et de filijs meis· filios enim michi multos dedit dominus: elegit salomonem filium meum vt sederet in throno regni domini super israhel: 6 dixitque michi. Salomon filius tuus edificabit domum meam et atria mea. Ipsum enim elegi michi in filium· et ego ero ei in patrem: 7 et firmabo regnum eius vsque in eternum: si perseuerauerit facere precepta mea et iudicia sicut et hodie. 8 Nunc ergo coram vniuerso cetu israhel audiente deo nostro custodite et perquirite cuncta mandata domini dei nostri vt possideatis terram bonam: et relinquatis eam filijs nostris post vos vsque in sempiternum. 9 Tu autem salomon fili mi scito deum patris tui: et serui ei corde perfecto et animo voluntario. Omnia enim corda scrutatur dominus: et vniuersas mentium cogitationes intelligit. Si quesieris eum inuenies: si autem dereliqueris eum proiciet te in eternum. 10 Nunc ergo quia elegit te dominus vt edificares domum sanctuarij: confortare et perfice. 11 Dedit autem dauid salomoni filio suo descriptionem porticus et templi et cellariorum et cenaculi et cubiculorum in aditis et domus propiciationis· 12 necnon et omnium que cogitauerat atriorum et exedrarum per circuitum in thesauros domus domini et in thesauros sanctorum: 13 diuisionumque sacerdotalium et leuiticarum in omnia opera domus domini et in vniuersa vasa ministerij templi domini: 14 aurum in pondere per singula vasa ministerij: argentique pondus pro vasorum et operum diuersitate: 15 sed et in candelabra aurea et ad lucernas· aurum pro mensura vniuscuiusque candelabri et lucernarum: similiter et in candelabra argentea et in lucerna eorum pro diuersitate mensure· pondus argenti tradidit. 16 Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diuersitate mensarum: similiter et argentum in alias mensas argenteas. 17 Ad fuscinulas quoque et fialas et thuribula ex auro purissimo· et leunculos aureos pro qualitate mensure pondus distribuit· in leunculum et leunclin: similiter et in leones argenteos diuersum argenti pondus separauit. 18 Altari autem in quo adoletur incensum· aurum purissimum dedit: et vt ex ipso fieret similitudo quadrige cherubin extendentium alas et velantium archam federis domini. 19 Omnia inquit venerunt scripta manu domini ad me: vt intelligerem vniuersa opera exemplaris. 20 Dixit quoque dauid salomoni filio suo. Viriliter age et confortare et fac: ne timeas et ne paueas. Dominus enim deus meus tecum erit: et non dimittet te nec derelinquet: donec perficias omne opus ministerij domus domini. 21 Ecce diuisiones sacerdotum et leuitarum in omne ministerium domus domini assistunt tibi et parati sunt: et nouerunt tam principes quam populus omnia precepta tua.

29 Locutusque Locutusque est dauid rex ad omnem ecclesiam. Salomonem filium meum vnum elegit dominus adhuc puerum et tenellum. Opus enim grande est: neque enim homini preparatur habitacio· sed deo. 2 Ego enim totis viribus meis preparaui impensas domus domini dei mei: aurum ad vasa aurea et argentum in argentea· es in enea· ferrum in ferrea· ligna ad lignea· lapides onichinos et quasi stibinos et diuersorum colorum omnemque preciosum lapidem et marmor parium habundantissime: 3 et super hec que obtuli in domum dei mei· de peculio meo aurum et argentum do in templum dei mei: exceptis hijs que preparaui in edem sanctam 4 tria milia talenta auri de auro ophir: et septem milia talentorum argenti probatissimi ad deaurandas parietes templi: 5 et vbicumque opus est aurum de auro et vbicunque opus est argentum de argento. Opera fiant per manus artificum: et si quis sponte offert impleat manum suam hodie: et offerat quod voluerit domino. 6 Polliciti sunt itaque principes familiarum et proceres tribuum israhel· tribuni quoque et centuriones et principes principum possessionum regis: 7 dederuntque in opera domus domini auri talenta quinque milia et solidos decem milia argenti talenta decem milia: et eris talenta decem et octo milia: ferri quoque centum milia talentorum: 8 et apud quemcunque inuenti sunt lapides dederunt in thesauros domus domini per manum iehihel gersonitis. 9 Letatusque est populus cum vota sponte promitterent: quia corde toto afferebant ea domino. Sed et dauid rex letatus est gaudio magno: 10 et benedixit domino coram vniuersa multitudine et ait. Benedictus es domine deus israhel patris nostri: ab eterno in eternum. 11 Tua est domine magnificentia et potentia et gloria atque victoria: et tibi laus. Cuncta enim que in celo sunt et in terra· tua sunt. Tuum domine regnum: et tu es super omnes principes. 12 Tue diuitie: et tua est gloria: tu dominaris omnium. In manu tua virtus et potentia: in manu tua magnitudo et imperium omnium. 13 Nunc igitur deus noster confitemur tibi: et laudamus nomen tuum inclitum. 14 Quis ego et quis populus meus: vt possimus hec tibi vniuersa promittere? Tua sunt omnia: et que de manu tua accepimus dedimus tibi. 15 Peregrini enim sumus coram te et aduene: sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi vmbra super terram: et nulla est mora. 16 Domine deus noster omnis hec copia quam parauimus vt edificaretur domus nomini sancto tuo de manu tua est: et tua sunt omnia. 17 Scio deus meus quod probes corda et simplicitatem diligas: vnde et ego in simplicitate cordis mei letus obtuli vniuersa hec: et populum tuum qui hic repertus est vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. 18 Domine deus abraham et ysaac et israhel patrum nostrorum custodi in eternum hanc voluntatem cordis eorum: et semper in venerationem tui mens ista permaneat. 19 Salomon quoque filio meo da cor perfectum· vt custodiat mandata tua testimonia tua et cerimonias tuas et faciat vniuersa: et edificet edem cuius impensas paraui. 20 Precepit autem dauid vniuerse ecclesie. Benedicite domino deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia domino deo patrum suorum: et inclinauerunt se et adorauerunt deum: et deinde regem. 21 Immolaueruntque victimas domino: et obtulerunt olocausta die sequenti thauros mille arietes mille agnos mille cum libaminibus suis· et vniuerso ritu abundantissime in omnem israhel. 22 Et comederunt et biberunt coram domino in die illo cum grandi leticia: et vnxerunt secundo salomonem filium dauid. Vnxerunt autem eum domino in principem: et sadoch in pontificem. 23 Seditque salomon super solium domini in regem pro dauid patre suo et cunctis placuit: et paruit illi omnis israhel. 24 Sed et vniuersi principes et potentes et cuncti filij regis dauid dederunt manum: et subiecti fuerunt salomoni regi. 25 Magnificauit ergo dominus salomonem super omnem israhel: et dedit illi gloriam regni qualem nullus habuit ante eum rex israhel. 26 Igitur dauid filius ysai regnauit super vniuersum israhel: 27 et dies quibus regnauit super israhel fuerunt quadraginta anni. In hebron regnauit septem annis et in iherusalem annis triginta tribus: 28 et mortuus est in senectute bona plenus dierum· et diuitijs et gloria: et regnauit salomon filius eius pro eo. 29 Gesta autem regis priora et nouissima scripta sunt in libro samuhel videntis et in libro nathan prophete atque in volumine gad videntis: 30 vniuersique regni eius et fortitudinis et temporum que transierunt sub eo siue in israhel· siue in cunctis regnis terrarum.

Paralipomenon II

Incipit secundus.

1 Confortatus est ergo salomon filius da Confortatus vid in regno suo: et dominus erat cum eo: est ergo et magnificauit eum que salomon in excelsum. 2 Precepit vniuerso israheli· tribunis et centurionibus et ducibus et iudicibus omnis israhel et principibus familiarum: 3 et abijt cum vniuersa multitudine in excelsum gabaon· vbi erat tabernaculum federis domini: quod fecit moyses famulus dei in solitudine. 4 Archam autem dei adduxerat dauid de cariathiarim in locum quem preparauerat ei· et vbi fixerat illi tabernaculum: hoc est in iherusalem. 5 Altare quoque eneum quod fabricatus fuerat beselehel filius vri filij vr ibi erat coram tabernaculo domini: quod et requisiuit salomon et omnis ecclesia. 6 Ascenditque salomon ad altare eneum coram tabernaculo federis domini: et obtulit in eo mille hostias. 7 Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei deus dicens. Postula quod vis: vt dem tibi. 8 Dixitque salomon deo. Tu fecisti cum dauid patre meo misericordiam magnam: et constituisti me regem pro eo. 9 Nunc ergo domine deus: impleatur sermo tuus quem pollicitus es dauid patri meo. Tu enim me fecisti regem super populum tuum multum: qui tam innumerabilis est quam puluis terre. 10 Da michi sapientiam et intelligentiam: vt ingrediar et egrediar coram populo tuo. Quis enim potest hunc populum tuum digne qui tam grandis est iudicare? 11 Dixit autem deus ad salomonem. Quia hoc magis placuit cordi tuo· et non postulasti diuitias et substantiam et gloriam· neque animas eorum qui te oderant. sed nec dies vite plurimos: petisti au sapientiam et scientiam· vt iudicare possis populum meum· super quem constitui te regem: 12 sapientia et scientia data sunt tibi. Diuitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi: ita vt nullus in regibus nec ante te nec post te fuerit similis tui. 13 Venit ergo salomon ab excelso gabaon in iherusalem coram tabernaculo federis: et regnauit super israhel. 14 Congregauitque sibi currus et equites: et facti sunt ei mille quadringenti currus et duodecim milia equitum: et fecit eos esse in vrbibus quadrigarum et cum rege in iherusalem. 15 Prebuitque rex argentum et aurum in iherusalem quasi lapides: et cedros quasi sicomoros que nascuntur in campestribus multitudine magna. 16 Adducebantur autem ei equi de egipto de choa a negociatoribus regis: qui ibant et emebant precio 17 quadrigam equorum sexcentis argenteis et equum centum quinquaginta. Similiter de vniuersis regnis ceththeorum et a regibus sirie emptio celebrabatur.

2 Decreuit autem salomon edificare domum nomini domini: et palatium sibi. 2 Et numerauit septuaginta milia virorum portantium humeris: et octoginta milia qui cederent lapides in montibus: prepositosque eorum tria milia sexcentos. 3 Misit quoque ad hiram regem tyri dicens. Sicut egisti cum dauid patre meo· et misisti ei ligna cedrina vt edificaret sibi domum in qua et habitauit: 4 sic fac mecum vt edificem domum nomini domini dei mei et consecrem eam: ad adolendum incensum coram illo et fumiganda aromata· et ad propositionem panum sempiternam· et ad olocaustomata mane et vespere· sabbatis quoque et neomenijs· et solemnitatibus domini dei nostri in sempiternum que mandata sunt israheli. 5 Domus enim quam edificare cupio magna est. Magnus est enim deus noster: super omnes deos· 6 Quis ergo poterit preualere vt edificet ei dignam domum? Si celum et celi celorum capere eum nequeunt: quantus ego sum vt possim edificare ei domum? Sed ad hoc tantum: vt adoleatur incensum coram illo. 7 Mitte igitur michi virum eruditum qui nouerit operari in auro et argento ere et ferro purpura coccino et iacincto· et qui sciat sculpere celaturas: cum hijs artificibus quos mecum habeo in iudea et in iherusalem quos preparauit dauid pater meus. 8 Sed et ligna cedrina mitte michi et artheutina et pinea de libano. Scio enim quod serui tui nouerint cedere ligna de libano. Et erunt serui mei cum seruis tuis: 9 vt parentur michi ligna plurima. Domus enim quam cupio edificare magna est nimis et inclita. 10 Preterea operarijs qui cesuri sunt ligna seruis tuis dabo in cibaria tritici choros viginti milia: et ordei choros totidem: olei quoque sata viginti milia. 11 Dixit autem hiram rex tyri per litteras quas miserat salomoni. Quia dilexit dominus populum suum: idcirco te regnare fecit super eum. 12 Et addidit dicens. Benedictus dominus deus israhel qui fecit celum et terram: qui dedit dauid regi filium sapientem et eruditum et sensatum atque prudentem: vt edificaret domum domino· et palatium sibi. 13 Misi ergo tibi virum prudentem et scientissimum· hiram patrem meum 14 filium mulieris de filiabus dan cuius pater fuit tyrius: qui nouit operari in auro et argento· ere et ferro marmore et lignis: in purpura quoque et iacindo et bissino et coccino: et qui sciat celare omnem sculpturam· et adinuenire prudenter quodcunque in opere necessarium est: cum artificibus tuis et cum artificibus domini mei dauid patris tui. 15 Triticum ergo et ordeum et oleum et vinum· que pollicitus es domine mi mitte seruis tuis. 16 Nos autem cedemus ligna de libano quot necessaria habueris: et applicabimus ea ratibus per mare in ioppe: tuum autem erit transferre ea in iherusalem. 17 Numerauit igitur salomon omnes viros proselitos qui erant in terra israhel post dinumerationem quam dinumerauit pater eius: et inuenti sunt centum quinquaginta milia et tria milia sexcenti. 18 Fecitque ex eis septuaginta milia qui humeris onera portarent: et octoginta milia qui lapides de montibus cederent: tria autem milia et sexcentos prepositos operum populi.

3 Et Et cepit salomon edificare domum domini in iherusalem in monte moria qui demonstratus fuerat dauid patri eius: in loco quem parauerat dauid in area ornan iebusei. 2 Cepit autem edificare mense secundo: anno quarto regni sui. 3 Et hec sunt fundamenta que iecit salomon vt edificaret domum dei· longitudinis· cubitos in mensura prima sexaginta: latitudinis cubitos viginti. 4 Porticum vero ante frontem que tendebatur in longum· iuxta mensuram latitudinis domus: cubitorum viginti. Porro altitudo centum viginti cubitorum erat. Et deaurauit eam intrinsecus auro mundissimo. 5 Domum que maiorem texit tabulis ligneis abiegnis: et laminas auri obrizi affixit per totum. Sculpsitque in ea palmas: et quasi catenulas se inuicem complectentes. 6 Strauit quoque pauimentum templi preciosissimo marmore: decore multo. 7 Porro aurum erat probatissimum· de cuius laminis texit domum et trabes eius et postes et parietes et ostia: et celauit cherubin in parietibus. 8 Fecit que quoque domum sancti sanctorum: longitudinem iuxta latitudinem domus cubitorum viginti: et latitudinem similiter viginti cubitorum. Et laminis aureis texit eam quasi talentis sexcentis: 9 sed et clauos fecit aureos: ita vt singuli clauisidos quinquagenos appenderent. Cenacula quoque rexit auro. 10 Fecit etiam in domo sancti sanctorum cherubim duos opere statuario: et texit eos auro. 11 Ale cherubim viginti cubitis extendebantur: ita vt vna ala haberet cubitos quinque et tangeret parietem domus: et altera quinque cubitos habens· alam tangeret alterius cherub. 12 Similiter cherub alterius ala· quinque habebat cubitos· et tangebat parietem: et ala eius altera quinque cubitorum· alam cherub alterius contingebat. 13 Igitur ale vtriusque cherub expan et ginti. Ipsi autem stabant erectis pediginti. Ipsi autem stabant erectis pedibus: et facies eorum erant verse ad exteriorem domum. 14 Fecit quoque velum exiacindo purpura coccino et bisso: et intexuit ei cherubim. 15 Ante fores etiam templi duas columnas: que triginta et quinque cubitos habebant altitudinis. Porro capita eorum quinque cubitorum: 16 necnon et quasi catenulas in oraculo: et supposuit eas capitibus columnarum. Malagranata etiam centum: que columnas catenulis interposuit.

17 Ipsas quoque colu mnas posuit in vestibulo templi: vnam a dextris et alteram a sinistris. Eam que a dextris erat vocauit iachin: et que ad leuam vocauit booz.

4 Fecit quoque altare eneum viginti Fecit quoque altare eneum viginti cubitorum longitudinis et viginti cubitorum latitudinis et decem cubitorum altitudinis. 2 Mare etiam eneum fusile decem cubitis a labio vsque ad labium: rotundum per circuitum. Quique cubitos habebat altitudinis: et funiculus triginta cubitorum ambigebat gyrum eius. 3 Similitudo quoque boum erat subter illud. Et decem cubitis quedam extrinsecus relature: quasi duobus versibus aluum maris circuibant. Boues autem erant fusiles: 4 et ipsum mare super duodecim boues impositum erat: quorum tres respici A ebant ad aquilonem· et alij tres ad occidentem. Porro tres alij meridiem· et tres qui reliqui erant orientem: habentes mare suppositum. Posteriora autem boum erant intrinsecus sub mari. 5 Porro vastitas eius habebat mensuram palmi: et labium illius erat quasi la bium calicis vel repandi lilij: capietur que tria milia metretas. 6 Fecit que concas k decem et posuit quinque a dextris et quinque a sinistris: vt lauarent in eis omnia que in olocaustum oblaturi erant. Porro in mari sacerdotes lauabantur· 7 Fecit autem et candelabra aurea decem secundum speciem quam iusserat fieri: et posuit ea in templo quinque a dextris et quinque a sinistris. 8 Nec non et mensas decem et posuit eas in templo quinque a dextris et quinque a sinistris. Fialas quoque aureas centum. 9 Fecit etiam atrium sacerdotum et basilicam grandem: et ostia in basilica que texit ere. 10 Porro mare posuit in latere dextro contra orientem ad meridiem. 11 Fecit autem hiram lebetas et creagras et fialas· et compleuit omne opus regis in domo dei. 12 Hoc est columnas duas et epistilia· et capita· et quasi queda retiacula· que capita tegerent super epistilia. 13 Malagranata quoque quadraginta et retiacula duo· ira vt bini ordines malagranatorum singulis retiaculis iungerentur: que protegerent epistilia· et capita columnarum. 14 Bases etiam fecit· et concas· quas supposuit basibus: 15 mare vnum· boues quoque duodecim sub mari 16 et lebetas et creagras et fialas. Omnia vasa fecit salomoni hiram pater eius in domo domini· ex ere mundissimo. 17 In regione iordanis fudit ea rex in argillosa terra: inter sochot et saredata. 18 Erat autem multitudo vasorum innumerabilis: ita vt ignoraretur pondus eris. 19 Fecitque salomon omnia vasa domus dei: et altare aureum et mensas· et super eas panes propositionis. 20 Candelabra quoque cum lucernis suis vt lucerent ante oraculum iuxta ritum ex auro purissimo· 21 et florentia quedam et lucernas· et forcipes aureos. Omnia de auro mundissimo facta sunt. 22 Thimi quoque et thuribula et fialas et mortariola· ex auro purissimo. Et ostia celauit templi interioris id est in sancta sanctorum: et ostia templi forinsecus aurea. Sicque completum est omne opus quod fecit salomon in domo domini.

5 Intulit igitur salomon omnia que vouerat dauid pater suus· argentum et aurum: et vniuersa vasa posuit in thesauris domus domini. 2 Post que congregauit maiores natu israhel et cunctos principes tribuum· et capita familiarum de filijs israhel in iherusalem: vt adducerent archam federis domini de ciuitate dauid que est in syon. 3 Venerunt itaque ad regem omnes viri israhel: in die solemni mensis septimi. 4 Cunque venissent cuncti seniorum israhel· portauerunt leuite archam: 5 et intulerunt eam· et omnem paraturam tabernaculi. Porro vasa sanctuarij que erant in tabernaculo portauerunt sacerdotes cum leuitis. 6 Rex autem salomon et vniuersus cetus israhel· et omnes qui fuerunt congregati: ante archam immolabant arietes et boues absque vllo numero. Tanta enim erat multitudo victimarum. 7 Et intulerunt sacerdotes archam federis domini in locum suum id est ad oraculum templi in sancta sanctorum subter alas cherubin: 8 ita vt cherubin expanderent alas suas super locum in quo posita erat archa: et ipsam archam tegerent cum vectibus suis. 9 Vectium autem quibus portabatur archa· quia paululum longiores erant capita parebant ante oraculum. Si vero quis paululum fuisset extrinsecus: eos videre non poterat. Fuit itaque archa ibi vsque in presentem diem. 10 Nichilque erat aliud in archa nisi due tabule· quas posuerat moyses in oreb: quando legem dedit dominus filijs israhel egredientibus ex egipto. 11 Egressis autem sacerdotibus de sanctuario· omnes enim sacerdotes qui ibi potuerant inueniri sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices et ministerigrum riorum ordo inter eos diuisus erat. 12 Tam leuite quam cantores· id est et qui sub asaph erant· et qui sub heman· et qui sub ydithun· filij et fratres eorum vestiti bissinis· cimbalis· et psalterijs· et citharis· concrepabant stantes ad orientalem plagam altaris: et cum eis sacerdotes centumuiginti canentes tubis. 13 Agitur cunctis pariter et tubis et voce et cimbalis et organis· et diuersi generis musicorum concinentibus· et vocem in sublime tollentibus· longe sonitus audiebatur: ita vt cum dominum laudare cepissent et dicere· confitemini domino quoniam bonus quoniam in eternum misericordia eius· impleretur domus dei nube: 14 ne possent sacerdotes stare et ministrare propter caliginem. Compleuerat enim gloria domini domum dei.

6 Tunc salomon ait. Dominus pollicitus est· vt habitaret in caligine: 2 ego autem edificaui domum nomini eius: vt habitaret ibi in perpetuum. 3 Et conuertit rex faciem suam: et benedixit vniuerse multitudini israhel. Nam omnis turba stabat intenta et ait. 4 Benedictus dominus deus israhel: qui quod locutus est dauid patri meo· opere compleuit dicens. 5 A die qua eduxi populum meum de terra egipti· non elegi ciuitatem de cunctis tribubus israhel vt edificaretur in ea domus nomini meo: neque elegi quenquam alium virum vt esset dux in populo meo israhel: 6 sed elegi iherusalem vt sit nomen meum in ea: et elegi dauid vt constituerem eum super populum meum israhel. 7 Cumque fuisset voluntatis dauid patris mei vt edificaret domum nomini domini dei israhel: 8 dixit dominus ad eum. Quia hec fuit voluntas tua vt edificares domum nomini meo: bene quidem fecisti huiuscemodi habere voluntatem: 9 sed non tu edificabis michi domum. Veruntamen filius tuus qui egredietur de lumbis tuis: ipse edificabit domum nomini meo. 10 Compleuit ergo dominus sermonem suum quem locutus fuerat: et ego surrexi pro dauid patre meo· et sedi super thronum israhel sicut locutus est dominus: et edificaui domum nomini domini dei israhel· 11 et posui in ea archam in qua est pactum domini quod pepigit cum filijs israhel. 12 Stetit ergo coram altare domini ex aduerso vniuerse multitudinis israhel: et extendit manus suas. 13 Siquidem fecerit salomou basim eneam et posuerat eam in medio basilice: habentem: quinque cubitos longitudinis et quinque latitudinis· et tres cubitos altitudinis. Stetitque super eam: et deinceps flexis genibus contra vniuersam multitudinem israhel: et palmis in celum leuatis 14 ait. Domine deus israhel· non est similis tui deus in celo et in terra· qui custodis pactum et misericordiam cum seruis tuis· qui ambulant coram te in toto corde suo: 15 qui prestitisti seruo tuo dauid patri meo quecunque locutus fueras ei: et que ore promiseras opere complesti· sicut et presens tempus probat. 16 Nunc ergo domine deus israhel imple seruo tuo patri meo dauid quecunque locutus es dicens. Non deficiet ex te vir coram me qui sedeat super thronum israhel: ita tamen si custodierint filij tui vias meas· et ambulauerint in lege mea: sicut et tu ambulasti coram me. 17 Et nunc domine deus israhel firmetur sermo tuus: quem locutus es seruo tuo dauid. 18 Ergo ne credibile est· vt habitet deus cum hominibus super terram? Si celum et celi celorum non te capiunt: quantomagis domus ista quam edificaui? 19 Sed ad hoc tantum facta est· vt respicias orationem serui tui· et obsecrationem eius domine deus meus audias: et preces quas fudit famulus tuus coram te: 20 vt aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus· super locum in quo pollicitus es vt inuocetur nomen tuum: 21 et exaudires orationem quam seruus tuus orat in eo: et exaudias preces famuli tui et populi tui israhel. Quicunque oraverit in loco isto· exaudi de habitaculo tuo id est de celis· et propiciare. 22 Si peccauerit quispiam in proximum suum et iurare contra eum paratus venerit. seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista: 23 tu audies de celo· et facies iudicium seruorum tuorum: ita vt reddas iniquo viam suam in caput proprium: et vlciscaris iustum retribuens ei secundum iusticiam suam. 24 Si superatus fuerit populus tuus israhel ab inimicis· peccabunt enim tibi· et conuersi egerint penitentiam· et obsecrauerint nomen tuum· et fuerint deprecati in loco isto: 25 tu exaudies de celo et propiciare peccato populi tui israhel· et reduc eos in terram quam dedisti eis et patribus eorum. 26 Si clauso celo pluuia non fluxerit propter peccata populi tui· et deprecati te fuerint in

loco isto· et confessi nomini tuo· et conuersi a peccatis suis cum eos afflixeris: [27] exaudi de celo domine· et dimitte peccata seruis tuis· et populi tui israhel: et doce eos viam bonam· per quam ingrediantur: et da pluuiam terre quam dedisti populo tuo ad possidendum. [28] Fames si orta fuerit in terra· et pestilentia erugo et aurugo· et locusta et brucus· et hostes vastatis regionibus portas obsederint ciuitatis· omnisque plaga et infirmitas presserit: [29] si quis de populo tuo israhel fuerit deprecatus· cognoscens plagam et infirmitatem suam· et expanderit manus suas in domo hac: [30] tu exaudies de celo de sublimi scilicet habitaculo tuo· et propiciare: et redde vnicuique secundum vias suas quas nosti eum habere in corde suo. Tu enim solus nosti corda filiorum hominum: [31] vt timeant te et ambulent in vijs tuis· cunctis diebus quibus viuunt super faciem terre quam dedisti patribus nostris. [32] Externum quoque qui non est de populo tuo israhel· si venerit de terra lon propter nomen tuum magnum et propter manum tuam robustam· et brachium tuum extentum· et adorauerit in loco isto: [33] tu exaudies de celo firmissimo habitaculo tuo· et facies cuncta pro quibus inuocauerit te ille peregrinus: vt sciant omnes populi terre nomen tuum· et timeant te sicut populus tuus israhel: et cognoscant quia nomen tuum inuocatum est super domum hanc quam edificaui. [34] Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra aduersarios suos· per viam in qua miseris eos: adorabunt te contra viam in qua ciuitas hec est quam elegisti· et domus quam edificaui nomini tuo: [35] vt exaudias de celo preces eorum et obsecrationem· et vlciscaris. [36] Si autem peccauerint tibi· neque enim est homo qui non peccet· et iratus fueris eis· et tradideris hostibus· et captiuos duxerint eos in terram longinquam· vel certe que iuxta est: [37] et conuersi in corde suo in terra ad quam captiui ducti fuerant egerint penitentiam· et deprecati te fuerint in terra captiuitatis sue dicentes· peccauimus· inique fecimus· iniuste egimus: [38] et reuersi fuerint ad te in toto corde suo· et tota anima sua in terra captiuitatis sue· ad quam ducti sunt: adorabunt te contra viam terre sue quam dedisti patribus eorum· et vrbis quam elegisti· et domus quam edificaui nomini tuo: [39] vt exaudias de celo hoc est de firmo habitaculo tuo preces eorum: et facias iudicium· et dimittas populo tuo quamuis peccatori. [40] Tu es enim deus meus. Aperiantur queso oculi tui: et aures tue intente sunt ad orationem que fit in loco isto. [41] Nunc igitur consurge domine deus in requiem tuam: tu et archa fortitudinis tue. Sacerdotes tui domine· deus induantur salutem: et sancti tui letentur in bonis. [42] Domine deus meus ne auerseris faciem cristi tui. Memento misericordiarum dauid serui tui

7 Cumque complesset salomon fundens preces· ignis descendit de celo: et deuorauit olocausta et victimas· et maiestas domini impleuit domum: [2] nec poterant sacerdotes ingredi templum domini eo quod implesset maiestas domini· templum domini: [3] sed et omnes filij israhel videbant descendentem ignem· et gloriam domini super domum: et corruentes proni in terram super pauimentum stratum lapide· adorauerunt et laudauerunt dominum quoniam bonus quoniam in seculum misericordia eius. [4] Rex autem et omnis populus immolabant victimas coram domino. [5] Mactauit igitur rex salomon hostias· boum vigintiduo milia: arietum centumuiginti milia. Et dedicauit domum dei rex et vniuersus populus. [6] Sacerdotes autem stabant in officijs suis· et leuite in organis carminum domini. que fecit dauid rex ad laudandum dominum· quoniam in seculum misericordia eius: ymnos dauid canentes per manus suas. Porro sacerdotes canebant tubis ante eos: cunctusque israhel stabat. [7] Sanctificauitque salomon medium atrij ante templum domini. Obtulerat enim ibi olocausta et adipes pacificorum: quia altare eneum quod fecerat non poterat sustinere olocausta et sacrificia et adipes. [8] Fecit ergo salomon solemnitatem in tempore illo septem diebus et omnis israhel cum eo· ecclesia magna valde: ab introitu emath vsque ad torrentem egipti. [9] Fecitque die octauo collectam· eo quod dedicasset altare septem diebus· et solemnitatem celebrasset diebus septem. [10] Igitur in die vicesimatercia mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua: letantes atque gaudentes super bono quod fecerat dominus dauid et salomoni et israhel populo suo. [11] Compleuitque salomon domum domini· et domum regis· et omnia que disposuerat in corde suo vt faceret in domo domini et in domo sua: et prosperatus est. [12] Apparuit autem ei dominus nocte: et ait. Audiui orationem tuam: et elegi locum istum michi in domum sacrificij. [13] Si clausero celum et pluuia non fluxerit· et mandauero et precepero locuste vt deuoret terram· et misero pestilentiam in populum meum: [14] conuersus autem populus meus super quos inuocatum est nomen meum· deprecatus me fuerit· et exquisierit faciem meam· et egerit penitentiam a vijs suis pessimis: et ego exaudiam de celo· et propicius ero peccatis eorum· et sanabo terram eorum. [15] Oculi quoque mei erunt aperti· et aures mee erecte: ad orationem eius qui in loco isto orauerit. [16] Elegi enim et sanctificaui locum istum: vt sit nomen meum ibi in sempiternum· et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. [17] Tu quoque si ambulaueris coram me sicut ambulauit dauid pater tuus· et feceris iuxta omnia que precepi tibi· et iusticias meas iudiciaque seruaueris: [18] suscitabo thronum regni tui· sicut pollicitus sum dauid patri tuo dicens. Non auferetur de stirpe tua vir· qui non sit princeps in israhel. [19] Si autem auersi fueritis· et dereliqueritis iusticias meas et precepta mea que proposui vobis: et abeuntes seruieritis dijs alienis· et adoraueritis eos: [20] euellam vos de terra mea quam dedi vobis· et domum hanc quam edificaui nomini meo proiciam a facie mea: et tradam eam in parabolam et in exemplum cunctis populis· [21] et domus ista erit improuerbium vniuersis transeuntibus: et dicent stupentes. Quare fecit dominus sic terre huic et domui huic? [22] Respondebuntque. Quia dereliquerunt dominum deum patrum suorum· qui eduxit eos de terra egipti: et apprehenderunt deos alienos· et adorauerunt eos et coluerunt: idcirco venerunt super eos vniuersa hec mala.

8 Expletis autem viginti annis postquam edificauit salomon domum domini et domum suam: [2] ciuitates quas dederat hiram salomoni edificauit· et habitare ibi fecit filios israhel. [3] Abijt quoque in emath suba· et obtinuit eam [4] et edificauit palmiram in deserto: et alias ciuitates munitissimas edificauit in emath. [5] Extruxitque bethoron superiorem· et bethoron inferiorem· ciuitates muratas: habentes portas et vectes et seras. [6] Balaath etiam et omnes vrbes firmissimas que fuerunt salomonis: cunctasque vrbes quadrigarum· et vrbes equitum. Omnia quecunque voluit fecit rex salomon atque disposuit· edificauit in iherusalem· et in libano· et in vniuersa terra potestatis sue. [7] Omnem populum qui derelictus fuerat de hetheis et amorreis· et ferezeis· et eueis et iebuseis· qui non erant de stirpe israhel· [8] de filijs eorum et de posteris quos non interfecerant filij israhel subiugauit salomon in tributarios vsque in diem hanc. [9] Porro de filijs israhel non posuit vt seruirent operibus regis. Ipsi enim erant viri bellatores et duces primi· et principes quadrigarum et equitum eius. [10] Omnes autem principes exercitus regis salomonis· fuerunt ducenti quinquaginta qui erudiebant populum. [11] Filiam vero pharaonis transtulit de ciuitate dauid: in domum quam edificauerat ei. Dixit eni. Non habitabit vxor mea in domo dauid regis israhel· eo quod sanctificata sit: quia ingressa est iu eam archa domini. [12] Tunc obtulit salomon olocausta domino super altare domini quod extruxerat ante porticum: [13] vt per singulos dies offerretur in eo iuxta preceptum moysi in sabbatis· et in kalendis et in festis diebus ter per annum: id est in solemnitate azimorum et solemnitate ebdomadarum et in solemnitate tabernaculorum. [14] Et constituit iuxta dispositionem dauid patris sui officia sacerdotum in ministerijs suis· et leuitas in ordine suo: vt laudarent et ministrarent coram sacerdotibus iuxta ritum vniuscuiusque diei: et ianitores in diuisionibus suis per portam· et portam. Sic enim preceperat dauid homo dei. [15] Nec pretergressi sunt de mandatis regis tam sacerdotes quam leuite: ex omnibus que preceperat. Et in custodijs thesaurorum [16] omnes impensas preparatas habuit salomon: ex eo die quo fundauit domum domini vsque in diem quo perfecit eam. [17] Tunc abijt salomon in asiongaber· et in hailath· ad horam maris rubri: que est in terra edom. [18] Misit ergo ei hiram per manus seruorum suorum naues et nautas gnaros maris: et abierunt cum seruis salomonis in ophir. Tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri: et attulerunt ad regem salomonem.

9 Regina quoque saba cum audisset famam salomonis· venit vt temptaret eum in enigmatibus in iherusalem: cum magnis opibus et camelis qui portabant aromata· et auri plurimum· gemmasque preciosas. Cumque venisset

ad salomonem: locuta est ei quecumque erant in corde suo. [2] Et exposuit ei salomon omnia que proposuerat: nec quicque fuit quod non perspicuum ei fecerit. [3] Que postquam vidit sapientiam scilicet salomonis· et domum quam edificauerat· [4] necnon et cibaria mense eius et habitacula seruorum et officia ministrorum eius et vestimenta eorum· pincernas quoque et vestes eorum: et victimas quas immolabat in domo domini: non erat pre stupore vltra in ea spiritus. [5] Dixitque ad regem. Verus est sermo quem audieram in terra mea: de virtutibus et sapientia tua. [6] Non credebam narrantibus: donec ipsa venissem et vidissent oculi mei· et probassem vix medietatem sapientie tue michi fuisse narratam. Vicisti famam virtutibus tuis. [7] Beati viri tui et beati serui tui: hij qui assistunt coram te omni tempore· et audiunt sapientiam tuam. [8] Sit dominus deus tuus benedictus qui voluit te ordinare super thronum suum regem domini dei tui. Quia diligit deus israhel· et vult seruare eum in eternum: idcirco posuit te super eum regem· vt facias iudicia atque iusticiam. [9] Dedit autem regi centumuiginti talenta auri· et aromata multa nimis: et gemmas preciosissimas. Non fuerunt aromata talia: vt hec que dedit regina saba regi salomoni. [10] Sed et sui hiram cum seruis salomonis attulerunt aurum de ophir: et ligna thijna· et gemmas preciosissimas. [11] De quibus fecit rex de lignis scilicet thijnis gradus in domo domini: et in domo regia: citharas quoque et psalteria cantoribus. Nunquam visa sunt in terra iuda ligna talia. [12] Rex autem salomon dedit regine saba cuncta que voluit· et que postulauit: et multo plura quam attulerat ad eum. Que reuersa abijt in terram suam cum seruis suis. [13] Erat autem pondus auri quod afferebatur salomoni per singulos annos sexcenta sexagintasex talenta auri: [14] excepta ea summa quam legati diuersarum gentium et negociatores afferre consueuerant· omnesque reges arabie et satrape terrarum: qui comportabant aurum et argentum salomoni. [15] Fecit igitur rex salomon ducentas hastas aureas· de summa sexcentorum aureorum: qui in singulis hastis expendebantur. [16] Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum: quibus tegebantur singula scuta. Posuit que ea rex in armamentario quod erat consitum nemore. [17] Fecit quoque rex solium eburneum grande: et vestiuit illud auro mundissimo. [18] Sexque gradus quibus ascendebatur ad solium· et scabellum aureum· et brachiola duo altrinsecus· et duos leones stantes iuxta brachiola: [19] sed et alios duodecim· leunculos stantes super sex gradus ex vtraque parte. Non fuit tale solium in vniuersis regnis. [20] Omnia quoque vasa conuiuij regis erant aurea: et vasa domus saltus libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nichilo reputabatur. [21] Siquidem naues regis ibant in tharsis cum suis hiram semel in tribus annis: et deferebant inde aurum et argentum et ebur et symias et pauos. [22] Magnificatus est igitur salomon super omnes reges terre: pre diuitijs et gloria. [23] Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem salomonis: vt audirent sapientiam quam dederat deus in corde eius. [24] Et deferebant ei munera: vasa argentea et aurea· et vestes· et arma· et aromata equos et mulos per singulos annos. [25] Habuit quoque salomon quadraginta milia equorum in stabulis: et curruum equitumque duodecim milia. Constituitque eos in vrbibus quadrigarum: et vbi erat rex in iherusalem. [26] Exercuit etiam potestatem super cunctos reges a flumine eufraten vsque ad terram philistinorum: et vsque ad terminos egipti. [27] Tantamque copiam prebuit argenti in iherusalem quasi lapidum: et cedrorum tantam multitudinem velut sicomorum que gignuntur in campestribus. [28] Adducebantur autem ei equi de egipto: cunctisque regionibus. [29] Reliqua autem operum salomonis priorum et nouissimorum scripta sunt in verbis nathan prophete· et in libris ahie sylonitis: in visione quoque addo videntis contra iheroboam filium nabath. [30] Regnauit autem salomon in iherusalem super omnem israhel: quadrasluea patribus ginta annis. [31] Dormuitque cum patribus suis: et sepelierunt eum in ciuitate dauid: regnauitque roboam filius eius pro eo.

10 Profectus est autem roboam in sichem· illuc enim cunctus israhel conuenerat: vt constituerent eum regem. [2] Quod cum audisset iheroboam filius nabath qui erat in egipto· fugerat quippe illuc ante salomonem· statim reuersus est. [3] Vocaueruntque eum et venit cum vniuerso israhel· et locuti sunt ad roboam dicentes. [4] Pater tuus durissimo iugo nos pressit· tu leuiora impera patri tuo qui nobis imposuit grauem seruitutem: et paululum de onere subleua· vt seruiamus tibi. [5] Qui ait. Post tres dies reuertimini ad me. Cunque abisset populus· [6] inijt consilium cum senibus qui steterant coram patre eius salomone dum adhuc viueret dicens. Quid datis consilij vt respondeam populo? [7] Qui dixerunt ei. Si placueris populo huic et lenieris eos verbis clementibus: seruient tibi omni tempore. [8] At ille reliquit consilium senum: et cum iuuenibus tractare cepit qui cum eo nutriti fuerant· et erant in comitatu illius. [9] Dixitque ad eos. Quid vobis videtur· vel respondere quid debeo populo huic qui dixit michi: subleua iugum quod imposuit nobis pater tuus? [10] At illi responderunt vt iuuenes et nutriti cum eo in delicijs: atque dixerunt. Sic loqueris populo qui dixit tibi· pater tuus aggrauauit iugum nostrum tu subleua: et respondebis ei. Minimus digitus meus: grossior est lumbis patris mei. [11] Pater meus imposuit vobis graue iugum: et ego maius pondus apponnam. Pater meus cecidit vos flagellis: ego vero cedam vos scorpionibus. [12] Venit ergo iheroboam et vniuersus populus ad roboam die tercio: sicut preceperat eis. [13] Responditque rex dura· derelicto consilio seniorum: [14] locutusque est iuxta iuuenum voluntatem. Pater meus graue vobis imposuit iugum: quod ego grauius faciam. Pater meus cecidit vos flagellis: ego vero cedam vos scorpionibus. [15] Et non acquieuit populi precibus. Erat enim voluntatis dei: vt compleretur sermo eius· quem locutus fuerat per manum ahie silonitis ad iheroboam filium nabath. [16] Populus autem vniuersus rege duriora dicente: sic locutus est ad eum. Non est nobis pars in dauid: neque hereditas in filio ysai. Reuertere in tabernacula tua israhel. Tu autem pasce domum tuam dauid. Et abijt israhel in tabernacula sua. [17] Super filios autem israhel qui habitabant in ciuitatibus iuda: regnauit [18] Misitque rex roboam aduram qui preerat tributis: et lapidauerunt eum filij israhel· et mortuus est. Porro rex roboam currum festinauit ascendere: et fugit in iherusalem. [19] Recessitque israhel a domo dauid: vsque ad diem hanc. Factum est autem cum rum audisset omnis israhel quod reuersus esset iheroboam: miserunt re vocauerunt eum congregato cetu et constituerunt eum regem super omnem israhel: nec secutus est quispiam domum dauid preter tribum iuda solam.

11 Venit autem roboam in iherusalem: et conuocauit vniuersam domum iuda et beniamin centumoctoginta milia electorum atque bellantium: vt dimicarent contra israhel et conuerteret ad se regnum suum. [2] Factus est sermo domini ad semeiam hominem dei dicens. [3] Loquere ad roboam filium salomonis regem iuda: et ad vniuersum israhel· qui est in iuda et beniamin. [4] Hec dicit dominus. Non ascendetis neque pugnabitis contra fratres vestros· reuertatur vnusquisque in domum suam· quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cum audissent sermonem domini reuersi sunt: nec perrexerunt contra iheroboam. [5] Habitauit autem roboam in iherusalem: et edificauit ciuitates muratas in iuda: [6] extruxitque bethleem et etham et thecue· [7] bethsur quoque et socco et odollam· [8] necnon et geth et maresa et ziph: [9] sed et aduram et lachis et azecha: [10] saraa quoque et ahialon et hebron que erant in iuda et beniamin: ciuitates munitissimas. [11] Cunque clausisset eas muris· posuit in eis principes ciborumque horrea· hoc est olei et vini. [12] Sed et in singulis vrbibus fecit armamentaria scutorum et hastarum: firmauitque eas summa diligentia: et imperauit super iudam et beniamin. [13] Sacerdotes autem et leuite qui erant in vniuerso israhel· venerunt ad eum de cunctis sedibus suis: [14] relinquentes suburbana et possessiones suas· et transeuntes ad iudam et iherusalem: eo quod abiecisset eos iheroboam et posteri eius ne sacerdocio domini fungerentur: [15] qui constituit sibi sacerdotes excelsorum et demoniorum vitulorumque quos fecerat. [16] Sed et de cunctis tribubus israhel quicunque dederant cor suum vt quererent dominum deum israhel· venerunt in iherusalem ad immolandum victimas suas coram domino deo patrum suorum: [17] et roborauerunt regnum iuda: confirmauerunt roboam filium salomonis per tres annos. Ambulauerunt enim in vijs dauid et salomonis annis tantum tribus. [18] Duxit autem roboam vxorem maalath filiam iherimuth filij dauid: abiail quoque filiam heliab filij ysai: [19] que peperit ei filios ieus et somoriam et zoom. [20] Post hanc quoque accepit maacham filiam absolon: que peperit ei

abia et abi et ziza et salomith. [21] Amauit autem roboam maacham filiam absolon: super omnes vxores suas et concubinas. Nam vxores decem et octo duxerat: concubinas autem sexaginta: et genuit viginti octo filios et sexaginta filias. [22] Constituit vero in capite abiam filium maacha ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat [23] quia sapientior fuit et potentior super omnes filios eius: et in cunctis finibus iuda et beniamin et in vniuersis ciuitatibus muratis. Prebuitque eis escas plurimas: et multas petiuit vxores.

12 Cunque roboratum fuisset regnum roboam et confortatum: dereliquit legem domini et omnis israhel cum eo. [2] Anno autem quinto regni roboam· ascendit sesac rex egipti in iherusalem quia peccauerant domino: [3] cum mille ducentis curribus et sexagintamilibus equitum. Hec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex egipto: libies scilicet et trogodite et ethiopes: [4] cepitque ciuitates munitissimas in iuda· et venit vsque in iherusalem. [5] Semeias autem propheta ingressus est ad roboam et principes iuda: qui congregati fuerant in iherusalem fugientes sesac: dixitque ad eos. Hec dicit dominus. Vos reliquistis me: et ego reliqui vos in manu sesac. [6] Consternatique principes israhel et rex dixerunt. Iustus est dominus. [7] Cumque vidisset dominus quod humiliati essent: factus est sermo domini ad semeiam dicens. Quia humiliati sunt non disperdam eos: dabo eis pauxillum auxilij: et non stillabit furor meus super iherusalem per manum sesac. [8] Veruntamen seruient ei: vt sciant distantiam seruitutis mee et seruitutis regni terrarum. [9] Recessit itaque sesac rex egipti ab iherusalem sublatis thesauris domus domini et domus regis: omnia secum tulit· et clipeos aureos quos fecerat salomon [10] pro quibus fecit rex eneos· et tradidit illos principibus scutariorum qui custodiebant vestibulum palatij. [11] Cunque introiret rex domum dei· veniebant scutarij et tollebant eos: iterumque referebant eos ad armamentarium suum. [12] Veruntamen quia humiliati sunt auersa est ab eis ira domini: nec deleti sunt penitus. Siquidem et in iuda inuenta sunt opera bona. [13] Confortatus est ergo rex roboam in iherusalem: atque regnauit. Quadraginta autem et vnius anni erat cum regnare cepisset: et decem et septem annis regnauit in iherusalem vrbe quam elegit dominus: vt confirmaret nomen suum ibi· de cunctis tribubus israhel. Nomen autem matris eius naama ammanites. [14] Fecitque malum et non preparauit cor suum vt quereret dominum. [15] Opera vero roboam prima et nouissima scripta sunt in libris semeie prophete et addo videntis: et diligenter exposita. Pungnaueruntque aduersum se roboam et iheroboam cunctis diebus. [16] Et dormiuit roboam cum patribus suis: sepultusque est in ciuitate dauid: et regnauit abia filius eius pro eo.

13 Anno octauodecimo regis iheroboam regnauit abia super iudam. [2] Tribus annis regnauit in iherusalem. Nomenque matris eius michaia: filia vrihel de gabaa: et erat bellum inter abia et iheroboam. [3] Cunque inisset abia certamen· et haberet bellicosissimos viros· et electorum quadraginta milia: iheroboam construxit econtra aciem octoginta milia virorum: qui et ipsi electi erant et ad bella fortissimi. [4] Stetit ergo abia super montem semeron· qui erat in ephraim: et ait. Audi iheroboam et omnis israhel. [5] Num ignoratis quod dominus deus israhel dederit regnum dauid super israhel in sempiternum· ipsi et filijs eius in pactum salis. [6] Et surrexit iheroboam filius nabath seruus salomonis filij dauid· et rebellauit contra dominum suum. [7] Congregatique sunt ad eum viri vanissimi et filij belial: et preualuerunt contra roboam filium salomonis. Porro roboam erat rudis et corde pauido: nec potuit resistere eis. [8] Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno domini quod possidet per filios dauid: Habetisque grandem populi multitudinem: atque vitulos aureos quos fecit vobis iheroboam in deos. [9] Et eiecistis sacerdotes domini filios aaron atque leuitas: et fecistis vobis sacerdotes sicut omnes populi terrarum. Quicunque venerit et initiauerit manum suam in thauro· iu bubus· et in arietibus septem: fit sacerdos eorum qui non sunt dij. [10] Noster autem dominus deus est: quem non relinquimus. Sacerdotesque ministrant domino de filijs aaron· et leuite sunt in ordine suo: [11] olocausta quoque offerunt domino per singulos dies· mane et vespere· et thimiama iuxta legis precepta confectum: et proponuntur panes in mensa mundissima. Estque apud nos candelabrum aureum· et lucerna eius: vt accendantur semper ad vesperam. Nos quippe custodimus precepta domini dei nostri: quem vos reliquistis. [12] Ergo in exercitu nostro dux deus est: et sacerdotes eius qui clangunt tubis et resonant contra vos. Filij israhel. Nolite pugnare contra dominum deum patrum vestrorum: quia non vobis expedit. [13] Hec illo loquente: iheroboam moliebatur insidias. Cumque ex aduerso hostium staret: ignorantem iudam suo ambiebat exercitu. [14] Respiciensque iudas vidit instare bellum ex aduerso et post tergum: et clamauit ad dominum ac sacerdotes tubis canere ceperunt: [15] omnesque viri iuda vociferati sunt. Et ecce illis clamantibus: perterruit deus iheroboam et omnem israhel qui stabat ex aduerso abia et iuda [16] fugeruntque filij israhel iudam: et tradidit eos deus in manu eorum. [17] Percussit ergo eos abia et populus eius plaga magna: et corruerunt vulnerati ex israhel· quinquaginta milia virorum fortium. [18] Humiliatique sunt filij israhel in tempore illo· et vehementissime confortati filij iuda: eo quod sperassent in domino deo patrum suorum. [19] Persecutus est autem abia fugientem iheroboam: et cepit ciuitates eius· bethel et filias eius· et ihesana cum filiabus suis· effron que et filias eius. [20] Nec valuit vltra resistere iheroboam· in diebus abia. Quem percussit dominus et mortuus est. [21] Igitur abia confortato imperio suo· accepit vxores quatuordecim: procreauitque vigintiduos filios· et sedecim filias. [22] Reliqua autem sermonum abia viarumque et operum eius: scripta sunt diligentissime in libro addo prophete.

14 Dormiuit autem abia cum patribus suis: et sepelierunt eum in ciuitate dauid. Regnauitque asa filius eius pro eo. In cuius diebus quieuit terra annis decem. [2] Fecit ergo asa quod bonum et placitum erat in conspectu dei sui· et subuertit altaria peregrini cultus· et excelsa· [3] et confregit statuas lucosque succidit: [4] et precepit iude vt quereret dominum deum patrum suorum· et faceret legem· et vniuersa mandata. [5] Et abstulit de cunctis vrbibus iuda aras et fana: et regnauit in pace. [6] Edificauit quoque vrbes munitas in iuda: quia quietus erat et nulla temporibus eius bella surrexerant· pacem domino largiente. [7] Dixit autem iude. Edificemus ciuitates istas· et vallemus muris· et roboremus turribus et portis et seris· donec a bellis quieta sunt omnia: eo quod quesierimus dominum deum patrum nostrorum et dederit nobis pacem per gyrum. Edificauerunt igitur: et nullum in extruendo impedimentum fuit. [8] Habuit autem asa in exercitu suo portantium scuta et hastas de iuda trecenta milia: de ben iamin vero scutariorum et sagittariorum ducentaoctaginta milia. Omnesque isti viri fortissimi. [9] Egressus est autem contra eos zara ethiops cum exercitu suo decies centena milia· et curribus trecentis: et venit vsque maresa. [10] Porro asa perrexit obuiam ei· et instruxit aciem ad bellum in valle sephata· que est iuxta maresa: [11] et inuocauit dominum deum et ait. Domine non est apud te vlla distantia· vtrum in paucis auxilieris aut in pluribus: adiuua nos domine deus noster. In te enim et in tuo nomine habentes fiduciam: venimus contra hanc multitudinem. Domine deus noster tu es: non preualeat contra te homo. [12] Exterruit itaque dominus ethiopes coram asa et iuda. Fugeruntque ethiopes [13] et persecutus est eos asa et populus qui cum eo erat vsque gerara. Et ruerunt ethiopes vsque ad internetionem: quia domino cedente contriti sunt et exercitu illius preliante. Tulerunt ergo spolia multa: [14] et percusserunt ciuitates omnes per circuitum gerare: grandis quippe cunctos terror inuaserat: et diripuerunt vrbes: et multam predam asportauerunt: [15] sed et caulas ouium destruentes tulerunt pecorum infinitam multitudinem camelorum: reuersique sunt in iherusalem.

15 Azarias autem filius obed facto in se spiritu dei· [2] egressus est in occursum asa: et dixit ei. Audite me asa· et omnis iuda et beniamin. Dominus vobiscum: quia fuistis cum eo. Si quesieritis eum: inuenietis. Si autem dereliqueritis: derelinquet vos. [3] Transibunt autem multi dies in israhel absque deo vero· et absque sacerdote· absque doctore quoque et absque lege. [4] Cumque reuersi fuerint in angustia sua ad dominum deum israhel et quesierint eum: re perient eum: repperient eum. [5] In tempore illo non erit pax

egredienti et ingredienti: sed terrores vndique in cunctis habitatoribus terrarum. [6] Pugnabit enim gens contra gentem· et ciuitas contra ciuitatem: quia dominus conturbabit eos in omni angustia. [7] Vos ergo consortamini· et non dissoluantur manus vestre: erit enim merces operi vestro. [8] Quod cum audisset asa verba scilicet et prophetiam azarie filij obeth prophete confortatus est: et abstulit ydola de omni terra iuda et de beniamin· et ex vrbibus quas ceperat montis ephraim: et dedicauit altare domini quod erat ante porticum domini: [9] congregauitque vniuersum iudam ephraim et beniamin: et aduenas cum eis de ephraim et manasse et de symeon. Plures enim ad eum confugerant ex israhel: videntes quod dominus deus illius esset cum eo. [10] Cunque venissent in iherusalem mense tercio· anno decimoquinto regni asa: [11] immolauerunt domino in die illa de manubijs· et predam quam adduxerant· boues septingentos· et arietes septem milia: [12] et intrauit ex more ad corroborandum fedus: vt quererent dominum deum patrum suorum in toto corde et in tota anima sua. [13] Si quis autem inquit non quesierit dominum deum israhel: moriatur a minimo vsque ad maximum a viro vsque ad mulierem. [14] Iurauerunt domino voce magna in iubilo· et in clangore tube et in sonitu bucinarum· [15] omnes qui erant in iuda cum execratione. In omni enim corde suo iurauerunt et in tota voluntate quesierunt eum: et inuenerunt. Prestitit que eis dominus requiem per circuitum. [16] Sed et maacham matrem asa regis ex augusto deposuit imperio: eo quod fecisset in luco simulacrum priapi quod omne contriuit· et in frusta comminuens combussit in torrente cedron. [17] Excelsa autem derelicta sunt in israhel. Attamen cor asa erat perfectum cunctis diebus eius. [18] Ea que vouerat pater suus et ipse intulit in domum domini: argentum et aurum vasorumque diuersam suppellectilem. [19] Bellum vero non fuit vsque ad tricesimum annum regni asa.

16 Anno autem tricesimosexto regni eius· ascendit baasa rex israhel in iudam et muro circundabat rama: vt nullus tute posset egredi et ingredi de regno asa. [2] Protulit autem asa argentum et aurum de thesauris domus domini et de thesauris regijs: misitque ad benadab regem sirie qui habitabat in damasco dicens. [3] Fedus inter me et te est. Pater quoque meus et pater tuus habuere concordiam: quamobrem misi tibi argentum et aurum: vt rupto federe quod habes cum baasa rege israhel facias eum a me recedere. [4] Quo comperto benadab misit principes exercituum suorum ad vrbes israhel: qui percusserunt ahion et dan et abelmaim et vniuersas vrbes muratas. [5] Quod cum audisset baasa desiuit edificare rama: et intermisit opus suum. [6] Porro asa rex assumpsit vniuersum iudam et tulerunt lapides de rama et ligna que edificationi preparauerat baasa: edificauitque ex eis gabaa et maspha. [7] In tempore illo venit anani propheta ad asam regem iuda: et dixit ei. Quia habuisti fiduciam in rege sirie et non in domino deo tuo: idcirco euasit sirie regis exercitus de manu tua. [8] Nonne ethiopes et libies multo plures erant quadrigis et equitibus et multitudine nimia: quos cum in domino credidisses: tradidit in manu tua? [9] Oculi enim domini contemplantur vniuersam terram: et prebent fortitudinem hijs qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti: et propter hoc etiam presenti tempore aduersum te bella consurgent. [10] Iratusque asa aduersus videntem iussit eum mitti in neruum. Valde quippe super hoc fuerat dominus indignatus et interfecit de populo in tempore illo plurimos. [11] Opera autem asa prima et nouissima scripta sunt in libro regum iuda et israhel. [12] Egrotauit etiam asa anno tricesimo nono regni sui dolore pedum vehementissimo: et nec in infirmitate sua quesiuit dominum: sed magis in medicorum arte confisus est. [13] Dormiuitque cum patribus suis et mortuus est anno quadragesimo primo regni sui: [14] et sepelierunt eum in sepulcro suo quod foderat sibi in ciuitate dauid. Posueruntque eum super lectulum suum plenum aromatibus et vngentis meretricijs que erant pigmentariorum arte confecta: et combusserunt super eum ambitione nimia.

17 Regnauit autem iosaphat filius eius pro eo: et inualuit contra israhel. [2] Constituitque militum numeros in cunctis vrbibus iuda que erant vallate muris: presidiaque disposuit in terra iuda et in ciuitatibus ephraim quas ceperat asa pater eius. [3] Et fuit dominus cum iosaphat: quia ambulauit in vijs dauid patris sui primis· et non sperauit in baalim [4] sed in deo patris sui: et perrexit in preceptis illius et non iuxta peccata israhel. [5] Confirmauitque dominus regnum in manu eius: et dedit omnis iuda munera iosaphat: facteque sunt ei infinite diuitie· et multa gloria. [6] Cunque sumpsisset cor eius audaciam· propter vias domini: etiam excelsa et lucos de iuda abstulit. [7] Tercio autem anno regni sui misit de principibus suis benail et obdiam et zachariam· et nathanael et micheam· vt docerent in ciuitatibus iuda: [8] et cum eis leuitas semeiam et nathaniam et zabadiam· sahel que et semiramoth et ionathan· adoniamque et thobiam et tobadoniam leuitas: et cum eis elisama et ioram sacerdotes. [9] Docebantque populum in iuda· habentes librum legis domini: et circuibant cunctas vrbes iuda: atque erudiebant populum. [10] Itaque factus est pauor domini super omnia regna terrarum· que erant per gyrum iuda: nec audebant bel hellare contra iosaphat. [11] Sed et philistei. iosaphat munera deferebant· et vectigal argenti. Arabes quoque adducebant pecora arietum· septem milia septingentos· et hircos totidem. [12] Creuit ergo iosaphat et magnificatus est vsque in sublime: atque edificauit in iuda domos ad instar turrium vrbesque muratas: [13] et multa opera patrauit in vrbibus iuda. Viri quoque bellatores et robusti erant in iherusalem: [14] quorum iste numerus per domos atque familias singulorum. In iuda princeps exercitus ednas dux: et cum eo robustissimorum viri trecenta milia. [15] Post hunc iohannan princeps: et cum eo ducenta octuaginta milia. [16] Post illum quoque amasias filius zechri consecratus domino: et cum eo ducenta milia virorum fortium. [17] Hunc sequebatur robustus ad prelia eliada: et cum eo tenentium arcum et clipeum ducenta milia. [18] Post istum etiam iozabad: et cum eo centumoctoginta milia expeditorum militum. [19] Hij omnes erant ad manum regis: exceptis alijs quos posuerat in vrbibus muratis· et in vniuerso iuda.

18 Fuit ergo iosaphat dives et inclitus multum: et affinitate coniunctus est achab: [2] descenditque post annos ad eum in samariam. Ad cuius aduentum mactauit achab arietes et boues plurimos ipsi et populo qui venerat cum eo: persuasitque illi vt ascenderet in ramoth galaad. [3] Dixitque achab rex israhel ad iosaphat regem iuda. Veni mecum in ramoth galaad. Cui ille respondit. Vt ego et tu: sicut populus tuus sic et populus meus: tecumque erimus in bello. [4] Dixit iosaphat ad regem israhel. Consule obsecro in presentiarum sermonem domini. [5] Congregauit igitur rex israhel prophetarum quadringintos viros: et dixit ad eos. In ramoth galaad ad bellandum ire debemus an quiescere? At illi ascende inquiunt: et tradet deus in manu regis. [6] Dixitque iosaphat. Numquid non est hic prophetes domini: vt ab illo etiam requiramus? [7] Et ait rex israhel ad iosaphat. Est vir vnus a quo possumus querere domini voluntatem: sed ego odi eum quia non prophetat michi bonum· sed malum omni tempore. Est autem micheas filius iemla. Dixitque iosaphat. Ne loquaris rex hoc modo. [8] Vocauit ergo rex israhel vnum de eunuchis: et dixit ei. Voca cito micheam filium iemla. [9] Porro rex israhel et iosaphat rex iuda· vterque sedebant in solio suo: vestiti cultu regio. Sedebant autem in area iuxta portam samarie: omnesque prophete vaticinabantur coram eis. [10] Sedechias vero filius chanana fecit sibi cornua ferrea: et ait. Hec dicit dominus. Hijs ventilabis siriam: donec conteras eam. [11] Omnesque prophete similiter prophetabant: atque dicebant. Ascende in ramoth galaad et prosperaberis: et tradet eos dominus in manu regis. [12] Nuncius autem qui ierat ad vocandum micheam ait illi. En verba omnium prophetarum vno ore bona regi annunciant. Queso ergo te vt et sermo tuus ab eis non dissentiat: loquarisque prospera. [13] Cui respondit micheas. Viuit dominus: quia quodcunque dixerit michi deus meus hoc loquar. [14] Venit ergo ad regem. Cui rex ait. Michea: ire debemus in ramoth galaad ad bellandum an quiescere? Cui ille respondit. Ascendite: cuncta enim prospera euenient: et tradentur hostes in manus vestras. [15] Dixitque rex. Iterum· atque iterum te adiuro: vt michi non loquaris nisi quod verum est in nomine domini. [16] At ille ait. Vidi vniuersum israhel dispersum in montibus: sicut oues absque pastore. Et dixit dominus. Non habent isti dominos: reuertatur vnusquisque in domum suam in pace. [17] Et ait rex israhel ad iosaphat. Nonne dixi tibi quod non prophetaret iste michi quicquam boni: sed ea que mala sunt? [18] At ille idcirco ait. Audite

verbum domini. Vidi dominum sedentem in solio suo: et omnem exercitum celi assistentem ei a dextris et a sinistris. [19] Et dixit dominus. Quis decipiet achab regem israhel vt ascendat et corruat in ramoth galaad? Cunque diceret vnus hoc modo et alter alio: [20] processit spiritus et stetit coram domino et ait. Ego decipiam eum. Cui dominus. In quo inquit decipies? [21] At ille respondit. Egrediar: et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Dixitque dominus. Decipies et preualebis: egredere et fac ita. [22] Nunc igitur ecce dominus dedit spiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorum: et dominus locutus est de te mala. [23] Accessit autem sedechias filius chanana: et percussit michee maxillam· et ait. Per quam viam transiuit spiritus domini a me vt loqueretur tibi? [24] Dixitque micheas. Tu ipse videbis in die illo: quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo· vt abscondaris. [25] Precepit autem rex israhel dicens. Tollite micheam et ducite eum ad amon principem ciuitatis et ad ioas filium amalech: [26] et dicetis. Hec dicit rex. Mittite hunc in carcerem: et date ei panis modicum· et aque pauxillum: donec reuertar in pace. [27] Dixitque micheas. Si reuersus fueris in pace: non est dominus locutus in me. Et ait. Audite omnes populi. [28] Igitur ascenderunt rex israhel et iosaphat rex iuda in ramoth galaad: [29] dixitque rex israhel ad iosaphat. Mutabo habitum· et sic ad pugnam vadam: tu autem induere vestibus tuis. Mutatoque rex israhel habitu venit ad bellum. [30] Rex autem sirie preceperat ducibus equitatus sui dicens. Ne pugnetis contra minimum· aut contra maximum: nisi contra solum regem israhel. [31] Itaque cum vidissent principes equitatus iosaphat: dixerunt. Rex israhel est iste: et circundederunt eum dimicantes. At ille clamauit ad dominum· et auxiliatus est ei: atque auertit eos ab illo. [32] Cum enim vidissent duces equitatus quod non esset rex israhel: relinque eum. [33] Accidit autem vt vnus e populo sagittam in incertum iaceret: et percuteret regem israhel inter ceruicem et scapulas. At ille aurige suo ait. Conuerte manum tuam· et educ me de acie: quia vulneratus sum. [34] Et finita est pugna in die illo. Porro rex israhel stabat in curru suo contra siros vsque ad vesperam: et mortuus est occidente sole.

19 Reuersus est autem iosaphat rex iuda in domum suam pacifice in iherusalem. [2] Cui occurrit iehu filius anani videns: et ait ad eum. Impio prebes auxilium: et hijs qui oderunt dominum amicicia iungeris: et idcirco iram quidem domini merebaris: [3] sed bona opera inuenta sunt in te: eo quod abstuleris lucos de terra iuda· et preparaueris cor tuum vt requireres dominum deum patrum tuorum. [4] Habitauit ergo iosaphat in iherusalem. Rursumque egressus est ad populum· de bersabee vsque ad montem ephraim: et reuocauit eos ad dominum deum patrum suorum: [5] constituitque iudices terre in cunctis ciuitatibus iuda munitis per singula loca: [6] et precipiens iudicibus videte ait quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium sed domini: et quodcumque iudicaueritis in vos redundabit. [7] Sit timor domini vobiscum: et cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud dominum deum nostrum iniquitas nec personarum acceptio: nec cupido munerum. [8] In iherusalem quoque constituit iosaphat leuitas et sacerdotes et principes familiarum ex israhel vt iudicium et causa domini iudicarent habitatoribus eius: [9] precepitque eis dicens. Sic agetis in timore domini fideliter et corde perfecto. [10] Omnem causam que venerit ad vos fratrum vestrorum qui habitant in vrbibus suis· inter cognationem et cognationem vbicunque questio est de lege· de mandato· de cerimonijs· de iustificationibus· ostendite eis vt non peccent in dominum: et ne veniat ira super vos et super fratres vestros. Sic ergo agentes non peccabitis. [11] Amarias autem sacerdos et pontifex vester: in hijs que ad deum pertinent presidebit. Porro zabadias filius ismahel qui est dux in domo iuda: super ea opera erit que ad regis officium pertinent. Habetisque magistros leuitas coram vobis: confortamini et agite diligenter: et erit dominus vobiscum in bonis.

20 Post hec congregati sunt filij moab et filij ammon et cum eis de ammonitis ad iosaphat: vt pugnarent contra eum. [2] Veneruntque nuncij: et indicauerunt iosaphat dicentes. Venit contra te multitudo magna de hijs locis que trans mare sunt et de siria: et ecce consistunt in asasonthamar· que est engaddi. [3] Iosaphat autem timore perterritus· totum se contulit ad rogandum dominum: et predicauit ieiunium vniuerso iuda. [4] Congregatusque est iudas ad deprecandum dominum: sed et omnes de vrbibus suis venerunt ad obsecrandum eum. [5] Cunque stetisset iosaphat in medio cetu iude et iherusalem in domo domini ante atrium nouum [6] ait. Domine deus patrum nostrorum tu es deus in celo: et dominaris cunctis regnis gentium. In manu tua est fortitudo et potentia: nec quisquam tibi potest resistere. [7] Nonne tu deus noster interfecisti omnes habitatores terre huius coram populo tuo israhel· et dedisti eam semini abraham amici tui in sempiternum? [8] Habitaueruntque in ea: et extruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo dicentes. [9] Si irruerint super nos mala· gladius iudicij· pestilentia et fames: stabimus coram domo hac in conspectu tuo· in qua inuocatum est nomen tuum· et clamabimus ad te in tribulationibus nostris: et exaudies saluosque facies. [10] Nunc igitur ecce filij ammon et moab et mons seir per quos non concessisti israhel vt transirent quando egrediebantur de egipto· sed declinauerunt ab eis et non interfecerunt illos: [11] econtrario agunt· et nituntur eicere nos de possessione quam tradidisti nobis [12] deus noster. Ergo non iudicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo vt possimus huic multitudini resistere· que irruit super nos: sed cum ignoremus quid agere debeamus hoc solum habemus residui· vt oculos nostros dirigamus ad te. [13] Omnis vero iuda stabat coram domino· cum paruulis et vxoribus et liberis suis. [14] Erat autem iaziel filius zacharie filij banaie filij iehiel filij mathanie leuites de filijs asaph: super quem factus est spiritus domini in medio turbe [15] et ait. Attendite omnis iuda· et qui habitatis in iherusalem: et tu rex iosaphat. Hec dicit dominus vobis. Nolite timere: nec paueatis hanc multitudinem. Non est enim vestra pugna: sed dei. [16] Cras descendetis contra eos. Ascensuri enim sunt per cliuum nomine sis: et inuenietis illos in summitate torrentis qui est contra solitudinem iheruhel. [17] Non enim eritis vos qui dimicabitis: sed tantummodo confidenter state: et videbitis auxilium domini super vos. O iuda et iherusalem nolite timere nec paueatis: cras egrediemini contra eos: et dominus erit vobiscum. [18] Iosaphat ergo et iuda et omnes habitatores iherusalem ceciderunt proni in terram coram domino: et adorauerunt eum. [19] Porro leuite de filijs caath et de filijs chore laudabant dominum deum israhel voce magna in excelsum. [20] Cumque mane surrexissent egressi sunt per desertum thecue: profectisque eis stans iosaphat in medio eorum dixit. Audite me viri iuda: et omnes habitatores iherusalem. Credite in domino deo vestro: et securi eritis: credite prophetis eius: et cuncta euenient prospera. [21] Deditque consilium populo: et statuit cantores domini vt laudarent eum in turmis suis· et antecederent exercitum: ac voce consona dicerent. Confitemini domino: quoniam in eternum misericordia eius. [22] Cumque cepissent laudes canere· vertit dominus insidias eorum in semetipsos filiorum scilicet ammon et moab· et montis seir· qui egressi fuerant vt pugnarent contra iudam: et percussi sunt. [23] Namque filij ammon et moab consurrexerunt aduersum habitatores montis seir: vt interficerent et delerent eos. Cunque hoc opere perpetrassent: etiam in semetipsos versi mutuisque concidere vulneribus. [24] Porro iudas cum venisset ad speluncam que respicit solitudinem vidit procul omnem late regionem plenam cadaueribus: nec supesse quemquam qui necem potuisset euadere. [25] Venit ergo iosaphat et omnis populus cum eo ad detrahenda spolia mortuorum: inueneruntque inter cadauera variam suppellectilem· vestes que et vasa preciosissima· et diripuerunt: ita vt omnia portare non possent nec per tres dies spolia auferre· pro prede magnitudine. [26] Die autem quarto congregati sunt in valle benedictionis. Etenim quoniam ibi benedixerunt domino: vocauerunt locum illum vallis benedictionis vsque in presentem diem. [27] Reuersusque est omnis vir iuda et habitatores iherusalem· et iosaphat ante eos in iherusalem cum leticia magna: eo quod dedisset eis dominus gaudium de inimicis suis. [28] Ingressique sunt in iherusalem cum psalterijs et citharis et tubis in domum domini. [29] Irruit autem pauor domini super vniuersa regna terrarum: cum audissent quod pugnasset dominus contra inimicos israhel: [30] quieuitque regnum iosaphat: et prebuit ei pacem dominus per circuitum. [31] Regnauit

igitur iosaphat super iudam: et erat trigintaquinque annorum cum regnare cepisset. Viginti autem et quinque annis regnauit in iherusalem: et nomen matris eius azuba filia selachi: [32] et ambulauit in via patris sui asa nec declinauit ab ea faciens que placita erant coram domino. [33] Veruntamen excelsa non abstulit: et adhuc populus non direxerat cor suum ad dominum deum patrum suorum. [34] Reliqua autem gestorum iosaphat priorum et nouissimorum scripta sunt in verbis iehu filij anani: que digessit in libro regum israhel. [35] Post hec inijt amicicias iosaphat rex iuda cum ochozia rege israhel cuius opera fuerunt impijssima: [36] et particeps fuit vt faceret naues que irent in tharsis: feceruntque classem in asiongaber. [37] Prophetauit autem eliezer filius dodau de maresa ad iosaphat dicens. Quia habuisti fedus cum ochozia· percussit dominus opera tua: contriteque sunt naues: nec potuerunt ire in tharsis.

21 Dormiuit autem iosaphat cum patribus suis: et sepultus est cum eis in ciuitate dauid: regnauitque ioram filius eius pro eo. [2] Qui habuit fratres filios iosaphat: azariam. et iahiel· et zachariam· et azariam et michahel· et saphatiam. Omnes· hij filij iosaphat regis iuda. [3] Deditque eis pater suus multa munera argenti et auri· et pensationes cum ciuitatibus munitissimis in iuda: regnum autem tradidit ioram eo quod esset primogenitus. [4] Surrexit autem ioram super regnum patris sui. Cunque se confirmasset: occidit omnes fratres suos gladio· et quosdam de principibus iuda. [5] Trigintaduorum annorum erat ioram cum regnare cepisset: et octo annis regnauit in iherusalem: [6] ambulauitque in vijs regum israhel sicut egerat domus achab. Filia quippe achab erat vxor eius. Et fecit malum in conspectu domini. [7] Noluit autem dominus disperdere domum dauid propter pactum quod inierat cum eo: et quia promiserat vt daret ei lucernam et filijs eius in omni tempore. [8] In diebus illis rebellauit edom ne esset subditus iude: et constituit sibi regem. [9] Cumque transiret ioram cum principibus suis· et cuncto equitatu qui erat secum: surrexit nocte· et percussit edom qui se circundederat· et omnes duces equitatus eius. [10] Attamen rebellauit edom· ne esset subditione iuda: vsque ad hanc diem. Eo tempore et lobna recessit: ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim dominum deum patrum suorum: [11] insuper et excelsa fabricatus est in vrbibus iuda: et fornicari fecit habitatores iherusalem· et preuaricari iudam. [12] Allate sunt autem ei littere ab helia propheta: in quibus scriptum erat. Hec dicit dominus deus dauid patris tui. Quoniam non ambulasti in vijs iosaphat patris tui· et in vijs asa regis iuda [13] sed incessisti per iter regum israhel· et fornicari fecisti iudam et habitatores iherusalem· imitatus fornicationem domus achab: insuper et fratres tuos domum patris tui meliores te occidisti: [14] ecce dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo· et vxoribus et filijs tuis: vniuersa que substantia tua. [15] Tu autem egrotabis pessimo languore vteri: donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. [16] Suscitauit ergo dominus contra ioram spiritum philistinorum et arabum· qui confines sunt ethiopibus: [17] et ascenderunt in terram iuda et vastauerunt eam. Diripueruntque cunctam substantiam que inuenta est in domo regis: insuper et filios eius et vxores. Nec remansit ei filius nisi ioachaz: qui minimus natu erat. [18] Et super hec omnia percussit eum dominus alui languore insanabili. [19] Cunque diei succederet dies· et temporum spacia voluerentur· duorum annorum expletus est circulus: et sic longa consumptus tabe· ita vt egereret etiam viscera sua: languore pariter et vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima: et non fecit ei populus secundum morem combustionis exequias· sicut fecerat maioribus eius. [20] Triginta duorum annorum fuit cum regnare cepisset: et octo annis regnauit in iherusalem. Ambulauitque non recte: et sepelierunt eum in ciuitate dauid: veruntamen non in sepulcro regum.

22 Constituerunt autem habitatores iherusalem ochoziam filium eius minimum regem pro eo. Omnes enim maiores natu qui ante eum fuerant interfecerant latrones arabum qui irruerant in castra. Regnauitque ochozias filius ioram regis iuda [2] quadragintaduorum annorum erat ochozias cum regnare cepisset: et vno anno regnauit in iherusalem: et nomen matris eius athalia filia amri. [3] Sed et ipse ingressus est per vias domus achab. Mater enim eius impulit eum· vt impie ageret. [4] Fecit igitur malum in conspectu domini sicut domus achab. Ipsi enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui in interitum eius: [5] ambulauitque in consilijs eorum. Et perrexit cum ioram filio achab rege israhel in bellum contra asahel regem sirie in ramoth galaad: vulneraueruntque siri ioram. [6] Qui reuersus vt curaretur in iesrahel. Multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Igitur ochozias filius ioram rex iuda descendit vt inuiseret ioram filium achab in iesrahel egrotantem. [7] Voluntatis quippe fuit dei aduersus ochoziam· vt veniret ad ioram. Et cum venisset et egrederetur cum eo aduersum iehu filium namsi quem vnxit dominus vt deleret domum achab: [8] cum ergo euerteret iehu domum achab inuenit principes iuda et filios fratrum ochozie qui ministrabant ei· et interfecit illos. [9] Ipsum quoque perquirens ochoziam comprehendit lantantem in samaria adductum que ad se occidit: et sepelierunt eum eo quod esset filius iosaphat: qui quesierat dominum in toto corde suo. Nec erat vltra spes aliqua: vt de stirpe quis regnaret ochozie. [10] Siquidem mater eius athalia videns quod mortuus esset filius suus: surrexit· et interfecit omnem stirpem regiam domus ioram. [11] Porro iosabeth filia regis tulit ioas filium ochozie· et furata est eum de medio filiorum regis cum interficerentur: absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum· iosabeth autem que absconderat eum· erat filia regis ioram· vxor ioiade pontificis soror ochozie: et idcirco athalia non interfecit eum. [12] Fuit ergo cum eis in domo dei absconditus sex annis: quibus regnauit athalia super terram.

23 Anno autem septimo confortatus ioiada assumpsit centuriones· azariam videlicet filium ieroboam et ysmahel filium iohannan· azariam quoque filium obed· maasiam filium adaie et elisaphat filium zechri: et inijt cum eis fedus. [2] Qui circumeuntes iudam congregauerunt leuitas de cunctis vrbibus iuda· et principes familiarum israhel: venerunt que in iherusalem. [3] Inijt ergo omnis multitudo pactum in domo dei cum rege. Dixitque ad eos ioiada. Ecce filius regis regnabit sicut locutus est dominus super filios dauid. [4] Iste est sermo quem facietis. [5] Tercia pars vestrum qui veniunt ad sabbatum sacerdotum et leuitarum et ianitorum erit in portis: tercia vero pars ad domum regis: et tercia ad portam que appellatur fundamenti. Omne vero reliquum vulgus sit in atrijs domus domini: [6] nec quispiam alius ingrediatur domum domini· nisi sacerdotes et qui ministrant de leuitis. Ipsi tantummodo ingrediantur quia sanctificati sunt: et omne reliquum vulgus obseruet custodias domini. [7] Leuite autem circundent regem habentes singuli arma sua: et si quis alius ingressus fuerit templum interficiatur: sintque cum rege· et intrante et egrediente. [8] Fecerunt ergo leuite et vniuersus iuda iuxta omnia que preceperat ioiada pontifex. Et assumpserunt singuli viros qui sub se erant: et veniebant per ordinem sabbati cum hijs qui impleuerant sabbatum· et egressi erant. Siquidem ioiada pontifex non dimiserat abire turmas: que sibi per singulas ebdomadas succendere consueuerant. [9] Deditque ioiada sacerdos centurionibus lanceas clipeosque et peltas regis dauid: quas consecrauerat in domo domini. [10] Constituitque omnem populum tenencium pugiones a parte templi dextra· vsque ad partem templi sinistram· coram altari et templo per circuitum regis: [11] et eduxerunt filium regis et imposuerunt ei diadema et testimonium: dederuntque in manu eius tenendam legem et constituerunt eum regem. Vnxitque illum ioiada pontifex· et filij eius: imprecatique sunt ei atque dixerunt. Viuat rex. [12] Quod cum audisset athalia vocem scilicet currentium· atque laudancium regem: ingressa est ad populum in templum domini. [13] Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu et principes turmasque circa eum· omnem que populum terre gaudentem atque claugentem tubis· et diuersi generis organis concinentem· vocemque laudancium: scidit vestimenta sua et ait. Insidie· insidie. [14] Egressus autem ioiada pontifex ad centuriones et principes exercitus dixit eis. Educite illam extra septa templi: et interficiatur foris gladio. Precepitque sacerdos ne occideretur in domo domini. [15] Et imposuerunt ceruicibus eius manus. Cunque intrasset portam equorum domus regis: interfecerunt eam ibi. [16] Pepigit autem ioiada fedus inter se vniuersumque populum et regem: vt esset populus domini. [17] Itaque ingressus est omnis populus domum baal· et destruxerunt eam: et altaria et simulacra illius

confregerunt: mathan quoque sacerdotem baal interfecerunt ante aras. [18] Constituit autem ioiada propositus in domo domini et sub manibus sacerdotum et leuitarum· quos distribuit dauid in domo domini: vt offerrent olocausta domino sicut scriptum est in lege moysi· in gaudio et canticis· iuxta dispositionem dauid. [19] Constituit quoque ianitores in portis domus domini: vt non ingrederetur eam immundus in omni re. [20] Assumpsitque centuriones et fortissimos viros· ac principes populi et omne vulgus terre: et fecerunt descendere regem de domo domini· et introire per medium porte superioris in mum regis: et collocauerunt eum in solio regali. [21] Letatusque est omnis populus terre: et vrbs quieuit. Porro athalia interfecta est gladio.

24 Septem annorum erat ioas cum regnare cepisset: et quadraginta annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius sebia de bersabee. [2] Fecitque quod bonum est coram domino: cunctis diebus ioiade sacerdotis. [3] Accepit autem ei ioiada vxores duas: e quibus genuit filios et filias. [4] Post que placuit ioas vt instauraret domum domini: [5] congregauitque sacerdotes et leuitas: et dixit eis. Egredimini ad ciuitates iuda: et colligite de vniuerso israhel pecuniam ad sartatecta templi dei nostri per singulos annos: festinatoque hoc facite. Porro leuite egere negligentius. [6] Vocauitque rex ioiadam principem: et dixit ei. Quare tibi non fuit cure vt cogeres leuitas inferre de iuda et de iherusalem pecuniam que constituta est a moyse seruo domini: vt inferret eam omnis multitudo israhel in tabernaculum testimonij? [7] Athalia enim impijssima et filij eius· destruxerunt domum dei: et de vniuersis que sanctificata fuerant in templo domini orauerunt phanum baalim. [8] Precepit ergo rex· et fecerunt archam: posueruntque eam iuxta portam domini forinsecus. [9] Et predicatum est in iuda et iherusalem: vt deferrent singuli precium domino quod constituit moyses seruus dei super omnem israhel· in deserto· [10] letatique sunt cuncti principes· et omnis populus: et ingressi contulerunt in archam domini atque miserunt: ita vt impleretur. [11] Cumque tempus esset vt deferrent archam coram rege per manus leuitarum: videbant enim multam pecuniam: ingrediebatur scriba regis et quem primus sacerdos constituerat: effundebantque pecuniam que erat in archa. Porro archam reportabant ad locum suum: sicque faciebant per singulos dies. Et congregata est infinita pecunia: [12] quam dederunt rex et ioiada hijs qui preerant operibus domus domini. At illi conducebant ex ea cesores lapidum et artifices operum singugulorum· vt instaurarent domum domini: quoque ferri et eris: vt quod cadere ceperat fulciretur. [13] Egeruntque hij qui operabantur industrie: et obducebatur parietum cicatrix per manus eorum: ac suscitauerunt domum domini in statum pristinum: et firmiter eam stare fecerunt. [14] Cumque complessent omnia opera· detulerunt coram rege et ioiade reliquam partem pecunie: de qua facta sunt vasa templi in ministerium ad olocausta: fiale quoque et cetera vasa aurea et argentea. Et offerebantur olocausta in domo domini iugiter cunctis diebus ioiade. [15] Senuit autem ioiada plenus dierum et mortuus est cum centumtriginta esset annorum: [16] sepelieruntque eum in ciuitate dauid cum regibus: eo quod fecisset bonum cum israhel et cum domo eius. [17] Postquam autem obijt ioiada: ingressi sunt principes iuda· et adorauerunt regem. Qui delinitus obsequijs eorum acquieuit eis. [18] Et dereliquerunt templum domini dei patrum suorum seruieruntque lucis et sculptilibus: et facta est ira contra iudam et iherusalem propter hoc peccatum. [19] Mittebatque eis prophetas vt reuerterentur ad dominum: quos protestantes illi audire nolebant. [20] Spiritus itaque dei induit zachariam filium ioiade sacerdotem: et stetit in conspectu populi· et dixit eis. Hec dicit deus. Quare transgredimini preceptum domini quod vobis non proderit: et dereliquistis dominum vt derelinque vos? [21] Qui congregati aduersus eum miserunt lapides iuxta regis imperium: in atrio domus domini. [22] Et non est recordatus ioas rex misericordie quam fecerat ioiada pater illius secum: sed interfecit filium eius. Qui cum moreretur· ait. Videat dominus et requirat. [23] Cumque euolutus esset annus ascendit contra eum exercitus sirie: venitque in iudam et iherusalem et interfecit cunctos principes populi: atque vniuersam predam miserunt regi in damascum. [24] Et certe cum permodicus venisset numerus sirorum tradidit dominus manibus eorum infinitam multitudinem: eo quod dereliquissent dominum deum patrum suorum. In ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia: [25] et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis. Surrexerunt autem contra eum serui sui in vltionem sanguinis zacharie filij ioiade sacerdotis· et occiderunt eum in lectulo suo et mortuus est: sepelieruntque illum in ciuitate dauid sed non in sepulcris regum. [26] Insidiati vero sunt ei zabad filius semach amanitidis: et iozabath filius semarith moabitidis. [27] Porro filij eius ac summa pecunie que adunata fuerat sub eo· et instauratio domus dei scripta sunt diligentius in libro regum. Regnauit autem amasias filius eius pro eo.

25 Viginti quinque annorum erat ama cum regnare cepisset: et vigintinouem annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius ioiaden de iherusalem. [2] Fecitque bonum in conspectu domini: veruntamen non in corde perfecto. [3] Cumque roboratum sibi videret imperium iugulauit seruos qui occiderant regem patrem suum: [4] sed filios eorum non interfecit· sicut scriptum est in libro legis moysi: vbi precepit dominus dicens. Non occidentur patres pro filijs· neque filij pro patribus suis: sed vnusquisque in suo peccato morietur. [5] Congregauit igitur amasias iudam· et constituit eos per familias· tribunos et centuriones in vniuerso iuda et beniiamin: et recensuit a viginti annis sursum· inuenitque triginta milia iuuenum qui egrederentur ad pugnam et tenerent hastam et clipeum. [6] Mercede quoque conduxit de israhel centum milia robustorum centum talentis argenti. [7] Venit autem homo dei ad illum et ait. O rex ne egrediatur tecum exercitus israhel. Non est enim dominus cum israhel: et cunctis filijs ephraim. [8] Quod si putas in robore exercitus bella consistere: superari te faciet deus ab hostibus. Dei quippe est et adiuuare: et in fugam conuertere. [9] Dixitque amasias ad hominem dei. Quid ergo fiet de centum talentis que dedi militibus israhel? Et respondit ei homo dei. Habet dominus vnde tibi dare possit multo hijs plura. [10] Separauit itaque amasias exercitum qui venerat ad eum ex ephraim: vt reuerteretur in locum suum. At illi contra iudam vehementer irati: reuersi sunt in regionem suam. [11] Porro amasias confidenter eduxit populum suum· et abijt in vallem salinarum: percussitque filios seir decem milia. [12] Et alia decem milia virorum ceperunt filij iuda: et adduxerunt ad preruptum cuiusdam petre· precipitaueruntque eos de summo in preceps: qui vniuersi crepuerunt. [13] At ille exercitus quem remiserat amasias ne secum iret ad prelium: diffusus in ciuitatibus iuda· a samaria vsque ad bethoron et interfectis tribus milibus diripuit predam magnam. [14] Amasias quoque post cedem ydumeorum et allatos deos filiorum seir statuit illos in deos sibi: et adorabat eos: et illis adolebat incensum. [15] Quam iratus dominus contra amasiam: misit ad illum prophetam qui diceret ei. Cur adorasti deos qui non liberauerunt populum suum de manu tua? [16] Cunque hec ille loqueretur· respondit ei. Num consiliarius regis es? Quiesce ne interficiam te. Descendensque propheta· scio inquit quod cogitauerit dominus occidere te: qui et fecisti hoc malum: et insuper non acquieuisti consilio meo. [17] Igitur amasias rex iuda inito pessimo consilio· misit ad ioas filium ioachaz· filij iehu regem israhel dicens. Veni videamus nos mutuo. [18] At ille remisit nuncios dicens. Carduus qui est in libano· misit ad cedrum libani dicens. Da filiam tuam filio meo vxorem. Et ecce bestie que erant in silua libani: transierunt et conculcauerunt carduum. [19] Dixisti percussi edom: et idcirco erigitur cor tuum in superbiam. Sede in domo tua. Cur malum aduersum te prouocas: vt cadas et tu et iudas tecum? [20] Noluit audire amasias: eo quod domini esset voluntas· vt traderetur in manus hostium propter deos edom. [21] Ascendit igitur ioas rex israhel: et mutuos sibi prebuere conspectus. Amasias autem rex iuda erat in bethsames iude. [22] Corruitque iudas coram israhel: et fugit in tabernacula sua. [23] Porro amasiam regem iuda filium ioas filij ochozie cepit ioas rex israhel in bethsames et adduxit in iherusalem: destruxitque murum eius· a porta ephraim vsque ad portam anguli quadringentis cubitis. [24] Omne quoque aurum et argentum· et vniuersa vasa que repererat in domo dei· et apud obededom· in thesauris etiam domus regie· necnon et filios obsidum: reduxit in samariam. [25] Vixit autem amasias filius ioas rex iuda postquam mortuus est ioas filius ioachas rex israhel quindecim annis. [26] Reliqua autem sermonum amasie priorum et

nouissimorum scripta sunt in libro regum iuda et israhel. [27] Qui postquam recessit domino: tetenderunt ei insidias in iherusalem. Cunque fugisset lachis miserunt et interfecerunt eum ibi: [28] reportantesque super equos sepelierunt eum cum patribus suis in ciuitate dauid.

26 Omnis autem populus iuda· filium eius oziam annorum sedecim constituit regem pro amasia patre suo. [2] Ipse edificauit ahilat: et restituit eam ditioni iude· postquam dormiuit rex cum patribus suis. [3] Sedecim annorum erat ozias cum regnare cepisset: et quinquagintaduobus annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius iecelia de iherusalem. [4] Fecitque quod erat rectum in oculis domini iuxta omnia que fecerat amasias pater eius: [5] et exquisiuit dominum in diebus zacharie intelligentis· et videntis deum. Cunque requireret dominum: direxit eum in omnibus. [6] Denique egressus est et pugnauit contra philistijm: et destruxit murum geth· et murum iamnie· murumque azoti. Edificauit quoque opida in azoto et philistijm: [7] et adiuuit eum deus contra philistijm et contra arabas qui habitabant in gurbaal· et contra ammonitas. [8] Appendebantque ammonite munera ozie: et diuulgatum est nomen eius vsque ad introitum egipti propter crebras victorias. [9] Edificauit quoque ozias turres in iherusalem super portam anguli· et super portam vallis· et reliquas in eodem muri latere: firmauitque eas. [10] Extruxitque turres in solitudine: et effodit cisternas plurimas· eo quod haberet multa pecora: tam in campestribus quam in heremi vastitate. Vineas quoque habuit et vinitores in montibus· et in carmelo. Erat quippe homo agriculture deditus· [11] Fuit autem exercitus bellatorum eius qui procedebant ad prelia sub manu iehiel scribe· maasieque doctoris: et sub manu ananie qui erat de ducibus regis. [12] Omnisque numerus principum per familias virorum fortium duorum milium sexcentorum: [13] et sub eis vniuersus exercitus trecentorum et septem milium quingentorum· qui erant apti ad bella: et pro rege contra aduersarios dimicabant. [14] Preparauit quoque eis ozias id est cuncto exercitui clipeos et hastas· et galeas et loricas· arcusque et fundas ad iaciendos lapides: [15] et fecit in iherusalem diuersi generis machinas quas in turribus collocauit· et in angulis murorum: vt mitterent sagittas et saxa grandia. Egressumque est nomen eius procul: eo quod auxiliaretur ei dominus et corroborasset illum. [16] Sed cum roboratus esset eleuatum est cor eius in interitum suum et neglexit dominum deum suum: ingressusque templum domini adolere voluit incensum super altare thimiamatis. [17] Statimque ingressus post eum azarias sacerdos· et cum eo sacerdotes domini octuaginta viri fortissimi· [18] restiterunt regi: atque dixerunt. Non est tui officij ozia· vt adoleas incensum domino: sed sacerdotum hoc est filiorum aaron qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium. Egredere de sanctuario· ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a domino deo. [19] Iratusque ozias et tenens in manu thuribulum vt adoleret incensum: minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra· in fronte eius coram sacerdotibus in domo domini: super altare thimiamatis. [20] Cunque respexisset eum azarias pontifex· et omnes reliqui sacerdotes· viderunt lepram in fronte eius: et festinato expulerunt eum. Sed et ipse perterritus accelerauit egredi: eo quod sensisset ilico plagam domini. [21] Fuit igitur ozias rex leprosus vsque ad diem mortis sue: et habitauit in domo separata· plenus lepra ob quam eiectus fuerat de domo domini. Porro ioathan filius eius rexit domum regis: et iudicauit populum terre. [22] Reliqua autem sermonum ozie priorum et nouissimorum scripsit ysaias filius amos propheta. [23] Dormiuitque ozias cum patribus suis: et sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum eo quod esset leprosus: regnauitque ioathan filius eius pro eo.

27 Vigintiquinque anorum erat ioathan cum regnare cepisset: et sedecim sedecim annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius iherusa· filia sadoch. [2] Fecitque quod rectum erat coram domino iuxta omnia que fecerat ozias pater suus: excepto quod non est ingressus templum domini: et adhuc populus delinquebat. [3] Ipse edificauit portam domus domini excelsam: et in muro ophel multa construxit. [4] Vrbes quoque edificauit in montibus iuda: et in saltibus castella et turres. [5] Ipse pugnauit contra regem filiorum ammon· et vicit eum. Dederuntque ei filij ammon in tempore illo centum talenta argenti: et decem milia choros tritici: ac totidem choros ordei. Hec ei prebuerunt filij ammon· in anno secundo et tercio. [6] Corroboratusque est ioathan: eo quod direxisset vias suas coram domino deo suo. [7] Reliqua autem sermonum ioathan et omnes pugne eius· et opera scripta sunt in libro regum israhel et iuda. [8] Vigintiquinque annorum erat cum regnare cepisset: et sedecim annis regnauit in iherusalem. [9] Dormiuitque ioathan cum patribus suis: et sepelierunt eum in ciuitate dauid: et regnauit achaz filius eius pro eo.

28 Viginti annorum erat achaz cum regnare cepisset: et sedecim annis regnauit in iherusalem. Non fecit rectum in conspectu domini· sicut dauid pater eius· [2] sed ambulauit in vijs regum israhel: insuper et statuas fudit baalim. [3] Ipse est qui adoleuit incensum in valle hennon: et lustrauit filios suos in igne. iuxta ritum gentium quas interfecit dominus in aduentu filiorum israhel. [4] Sacrificabat quoque et thimiama succendebat in excelsis· et in collibus: et sub omni ligno frondoso. [5] Tradiditque eum dominus deus eius in manu regis sirie: qui percussit eum magnamque predam cepit de eius imperio: et adduxit in damascum. Manibus quoque regis israhel traditus est: et percussus plaga grandi. [6] Occiditque que phacee filius romelie de iuda centumviginti milia in die vno· omnes viros bellatores eo quod reliquissent dominum deum patrum suorum. [7] Eodem tempore occidit zechri vir potens ex ephraim masiam filium regis· et ezricam ducem domus eius: helchanam que secundum a rege. [8] Le Ceperuntque filij israhel de fratribus suis ducenta milia mulierum puerorum et puellarum et infinitam predam: pertuleruntque eam in samariam. [9] Ea tempestate erat ibi propheta domini nomine obed· qui egressus obuiam exercitui venienti in samariam dixit eis. Ecce iratus dominus deus patrum vestrorum contra iudam· tradidit eos manibus vestris: et occidistis eos atrociter· ita vt ad celum pertingeret vestra crudelitas. [10] Insuper filios iuda et iherusalem vultis vobis subicere in seruos et ancillas: quod nequaquam facto opus est. Peccastis enim super hoc domino deo nostro. [11] Sed audite consilium meum: et reducite captiuos quos adduxistis de fratribus vestris: quia magnus furor domini imminet vobis. [12] Steterunt itaque viri de principibus filiorum ephraim· azarias filius iohanan barachias filius mosollamoth· ezechias filius sellum· et amasias filius hadali· contra eos qui veniebant de prelio: [13] et dixerunt eis. Non introducetis huc captiuos: ne peccemus domino. Quare vultis adicere super peccata nostra: et vetera cumulare delicta? Grande quippe peccatum est: et ira furoris domini imminet super israhel. [14] Dimiseruntque viri israhel bellatores predam· et vniuersa que ceperant coram principibus et omni multitudine: [15] steteruntque viri quos supra memorauimus: et apprehendentes captiuos omnesque qui nudi erant· vestierunt de spolijs. Cumque vestissent eos et calciassent· et refecissent cibo ac potu· vnxissentque propter laborem· et adhibuissent eis curam: quicunque ambulare non potuerant· et erant imbecillo corpore· imposuerunt eos iumentis· et adduxerunt iericho ciuitatem palmarum ad fratres eorum: ipsique reuersi sunt in samariam. [16] Tempore illo misit rex achaz ad regem assiriorum· postulans auxilium. [17] Venerunt que ydumei et percusserunt multos ex iuda: et ceperunt predam magnam. [18] Philistim quoque diffusi sunt per vrbes campestres et ad meridiem iuda: ceperuntque bethsames· et ahilon· et gadiroth· soccho que et thamnam· et gamzo cum viculis suis: et habitauerunt in eis. [19] Humiliauerat enim dominus iudam propter achaz regem iuda· eo quod nudasset eum auxilio· et contemptui habuisset dominum: [20] adduxitque contra eum teglathphalasar regem assiriorum: qui et afflixit eum et nullo resistente vastauit. [21] Igitur achaz spoliata domo domini et domo regum ac principum· dedit regi assiriorum munera: et tamen nichil ei profuit. [22] Insuper et in tempore angustie sue auxit contemptum in dominum. Ipse per se rex achaz [23] immolauit dijs damasci victimas percussoribus suis et dixit· dij regum sirie auxiliantur eis· quos ego placabo hostijs· et aderunt michi: cum econtrario ipsi fuerint ruine ei et vniuerso israhel. [24] Direptis itaque achaz omnibus vasis domus dei atque confractis clausit ianuas templi dei: et fecit sibi altaria in vniuersis angulis iherusalem. [25] In omnibus quoque vrbibus iuda· extruxit aras ad cremandum thus: atque ad iracundiam prouocauit dominum deum patrum suorum. [26] Reliqua autem sermonum eius· et omnium operum

suorum priorum et nouissimorum scripta sunt in libro regum iuda et israhel. [27] Dormiuit que achaz cum patribus suis: et sepelierunt eum in ciuitate iherusalem. Neque enim receperant eum in sepulcra regum israhel. Regnauitque ezechias filius eius pro eo.

29 Igitur ezechias regnare cepit cum vigintiquinque esset annorum: et vigintinouem annis regnauit in iherusalem. Nomen matris eius abia filia zacharie. [2] Fecit quod quod erat placitum in conspectu domini: iuxta omnia que fecerat dauid pater eius. [3] Ipso anno et mense primo regni sui aperuit valuas domus domini· et instaurauit eas: [4] adduxitque sacerdotes atque leuitas· et congregauit eos in plateam orientalem [5] dixitque ad eos. Audite me leuite· et sanctificamini: mundate domum domini dei patrum nostrorum: et auferte omnem immundiciam de sanctuario. [6] Peccauerunt patres nostri: et fecerunt malum in conspectu domini dei nostri· derelinquentes eum: auerterunt facies suas a tabernaculo domini dei nostri· et prebuerunt dorsum: [7] clauserunt ostia que erant in porticu et extinxerunt lucernas: incensumque non adoleuerunt: et olocausta non obtulerunt in sanctuario deo israhel. [8] Concitatus est itaque furor domini super iudam et iherusalem: tradiditque eos in commotionem· et in interitum et in sibulum· sicut ipsi cernitis oculis vestris. [9] En corruerunt patres nostri gladijs: filij nostri et filie nostre· et coniuges captiue ducte sunt propter hoc scelus. [10] Nunc ergo placet michi vt ineamus fedus cum domino deo israhel: et auertet a nobis furorem ire sue. [11] Filij mei nolite negligere. Vos elegit dominus· vt stetis coram eo· et ministretis illi: colatisque eum· et cremetis ei incensum. [12] Surrexerunt ergo leuite: maath filius amasie· et iohel filius azarie de filijs caath. Porro de filijs merari: cis filius abdai et azarias filius ialalehel. De filijs autem gersom: ioha filius iemna· et eden filius ioha. [13] At vero de filijs elisaphan: samri et iahihel. De filijs quoque asaph: zacharias et mathanias [14] necnon de filijs henan: iahihel· et semei. Sed et de filijs ydithun: semeias et ozihel. [15] Congregaueruntque fratres suos et sanctificati cati sunt: et ingressi sunt iuxta mandatum regis et imperium domini· vt expiarent domum dei. [16] Sacerdotesque ingressi templum domini vt sanctificarent illud extulerunt omnem immundiciam quam intro repererant in vestibulo domus domini: quam tulerunt leuite et asportauerunt ad torrentem cedron foras. [17] Ceperunt autem prima die mensis primi mundare et in die octaua eiusdem mensis· ingressi sunt porticum domus templi domini: expiaueruntque templum diebus octo: et in die sextadecima mensis eiusdem· quod ceperant impleuerunt. [18] Ingressi quoque sunt ad ezechiam regem: et dixerunt ei. Sanctificauimus omnem domum domini· et altare olocausti· vasaque eius· necnon et mensam propositionis cum omnibus vasis suis· [19] cunctamque templi suppellectilem quam polluerat rex achaz· in regno suo postquam preuaricatus est: et ecce exposita sunt omnia coram altari domini. [20] Consurgensque diluculo ezechias rex· adunauit omnes principes ciuitatis et ascendit in domum domini: [21] obtulerunt que simul thauros septem· et arietes septem· agnos septem· et hircos septem: pro peccato· pro regno· pro sanctuario· pro iuda. Dixitque sacerdotibus filijs aaron: vt offerrent super altare domini. [22] Mactauerunt igitur thauros: et susceperunt sanguinem sacerdotes: et fuderunt illum super altare. Mactauerunt etiam arietes: et illorum sanguinem super altare fuderunt. Immolauerunt agnos: et fuderunt super altare sanguinem. [23] Applicuerunt hircos pro peccato coram rege· et vniuersa multitudine. Imposuerunt manus suas super eos: [24] et immolauerunt illos sacerdotes: et asperserunt sanguinem eorum coram altari pro piaculo vniuersi israhelis. Pro omni quippe israhel preceperat rex vt olocaustum fieret pro peccato. [25] Constituitque leuitas in domo domini· cum cimbalis et psalterijs et citharis· secundum disposicionem dauid et gad videntis regis et nathan prophete. Siquidem domini preceptum fuit· per manum prophetarum eius. [26] Steteruntque leuite tenentes organa dauid et sacerdotes tubas: [27] iussit ezechias vt offerrent olocausta super altare. Cunque offerrentur olocausta ceperunt laudes canere domino· et clangere tubis: atque in diuersis organis que dauid rex israhel repererat concrepare. [28] Omni autem turba adorante· cantores et hij qui tenebant tubas erant in officio suo: donec compleretur olocaustum. [29] Cumque finita esset oblatio incuruatus est rex· et omnes qui erant cum eo: et adorauerunt. [30] Precepitque ezechias et principes leuitis vt laudarent dominum sermonibus dauid et asaph videntis: qui laudauerunt deum magna leticia: et incuruato genu adorauerunt. [31] Ezechias autem etiam hec addidit. Implestis manus vestras domino: accedite et offerte victimas· et laudes in domo domini. Obtulit ergo vniuersa multitudo hostias et laudes et olocausta: mente deuota. [32] Porro numerus olocaustorum que obtulit multitudo hic fuit. Thauros sexaginta· arietes centum· agnos ducentos: [33] sanctificaueruntque domino boues sexcentos: et oues tria milia. [34] Sacerdotes vero pauci erant: nec poterant sufficere vt pelles olocaustorum detraherent. Vnde et leuite fratres eorum adiuuerunt eos: donec impleretur opus et sanctificarentur antistites. Leuite quippe faciliori ritu sanctificantur quam sacerdotes. [35] Fuerunt ergo olocausta plurima adipes pacificorum et libamina olocaustorum: et completus est cultus domus domini: [36] letatusque est ezechias et omnis populus eo quod ministerium domini esset expletum. De repente quippe hoc fieri placuerat.

30 Disitque Misitque ezechias ad omnem israhel et iudam: scripsitque epistolas ad ephraim et manassen: vt venirent ad domum domini in iherusalem· et facerent phase domino deo israhel. [2] Inito ergo consilio regis et principum et vniuersi cetus iherusalem: decreuerunt vt facerent phase mense secundo. [3] Non enim occurrerant facere in tempore suo: quia sacerdotes qui possent sufficere sanctificati non fuerant· et populus nondum congregatus fuerat in iherusalem. [4] Placuitque sermo regi et omni multitudini: [5] et decreuerunt vt mitterent nuncios in vniuersum israhel de bersabee vsque dan: vt venirent et facerent phase domino deo israhel in iherusalem. Multi enim non fecerant sicut lege prescriptum est. [6] Perrexeruntque cursores cum epistolis ex regis imperio· et principum eius in vniuersum israhel et iudam: iuxta id quod rex iusserat predicantes. Filij israhel reuertimini ad dominum domini abraham et ysaac et israhel: et reuertetur ad reliquias que effugerunt manus regis assiriorum. [7] Nolite fieri sicut patres vestri et fratres qui recesserunt a domino deo patrum suorum: tradidit eos in interitum· vt ipsi cernitis. [8] Nolite indurare ceruices vestras sicut patres vestri. Tradite manus domino: et venite ad sanctuarium eius quod sanctificauit in eternum. Seruite domino deo patrum vestrorum: et auertetur a vobis ira furoris eius. [9] Si enim vos reuersi fueritis ad dominum: fratres vestri et filij habebunt misericordiam coram dominis suis· qui illos duxerunt captiuos: et reuertentur in terram hanc. Pius enim et clemens est dominus deus vester: et non auertet faciem suam a nobis si reuersi fueritis ad eum. [10] Igitur cursores pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem· per terram ephraim et manasse vsque ad zabulon: illis irridentibus· et subsannantibus eos. [11] Attamen quidam viri ex aser et manasse et zabulon acquiescentes consilio: venerunt iherusalem. [12] In iuda vero facta est manus domini vt daret eis cor vnum: vt facerent iuxta preceptum regis et principum verbum domini. [13] Congregati que sunt in iherusalem populi multi: vt facerent solemnitatem azimorum in mense secundo. [14] Et surgentes destruxerunt altaria que erant in iherusalem: atque vniuersa in quibus ydolis adolebatur incensum subuertentes· proiecerunt in torrentem cedron. [15] Immolauerunt autem phase quartadecima die mensis secundi. Sacerdotesque atque leuite tandem sanctificati obtulerunt olocausta in domo domini: [16] steteruntque in ordine suo iuxta dispositionem et legem moysi hominis dei. Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus leuitarum: [17] eo quod multa turba sanctificata non esset: et idcirco immolarent leuite phase hijs qui non occurrerant sanctificari domino. [18] Magna etiam pars populi de ephraim et manasse et ysachar et zabulon que sanctificata non fuerat comedit phase· non iuxta quod scriptum est: et orauit pro eis ezechias dicens. Dominus bonus propiciabitur· [19] cunctis qui in toto corde requirunt dominum deum patrum suorum: et non imputabit eis quod minus sanctificati sunt. [20] Quem exaudiuit dominus: et placatus est populo. [21] Feceruntque filij israhel qui inuenti sunt in iherusalem solemnitatem azimorum septem diebus in leticia magna· laudantes dominum per singulos dies: leuiteque et sacerdotes per organa que suo officio congruebant. [22] Et locutus est ezechias ad cor omnium leuitarum: qui habebant intelligentiam

bonam super domino: et comederunt septem diebus solemnitatis: immolantes victimas pacificorum: et laudantes dominum deum patrum suorum. 23 Placuitque vniuerse multitudini vt celebrarent etiam alios dies septem: quod et fecerunt cum ingenti gaudio. 24 Ezechias autem rex iuda prebuerat multitudini mille thauros: et septem milia ouium. Principes vero dederant populo thauros mille: et oues decem milia. Sanctificata ergo est sacerdotum plurima multitudo: 25 et hilaritate perfusa omnis turba iuda tam sacerdotum et leuitarum quam vniuerse frequentie que venerat ex israhel: proselitorum quoque de terra israhel et habitantium in iuda. 26 Factaque est grandis celebritas in iherusalem: qualis a diebus salomonis filij dauid regis israhel in ea vrbe non fuerat. 27 Surrexerunt autem sacerdotes atque leuite benedicentes populo et exaudita est vox eorum: peruennitque oratio in habitaculum sanctum celi.

31 Cunque hec fuissent rite celebrata: egressus est omnis israhel qui inuentus fuerat in vrbibus iuda· et fregerunt simulacra succideruntque lucos: demoliti sunt excelsa· et altaria destruxerunt· non solum de vniuerso iuda et beniamin sed et de ephraim quoque et manasse: donec penitus euerterent. Reuersique sunt omnes filij israhel: in possessiones et ciuitates suas. 2 Ezechias autem constituit turmas sacerdotales et leuiticas per diuisiones suas vnumquenque in officio proprio· tam sacerdotum videlicet quam leuitarum ad olocausta et pacifica: vt ministrarent et confiterentur· canerentque in portis castrorum domini. 3 Pars autem regis erat vt de propria eius substaucia offerretur olocaustum mane semper et vespere: sabbatis quoque et kalendis· et solemnitatibus ceteris: sicut scriptum est in lege moysi. 4 Preceperat autem populo habitantium iherusalem· vt darent partes sacerdotibus et leuitis: vt possent vacare legi domini. 5 Quod cum percrebruisset in auribus multitudinis plurimas obtulere primitias filij israhel· frumenti vini et olei: mellis quoque et omnium que gignit humus decimas obtulerunt. 6 Sed et filij israhel et iuda qui habitabant in vrbibus iuda obtulerunt decimas boum et ouium: decimasque sanctorum que vouerat domino deo suo: atque vniuersa portantes fecerunt aceruos plurimos. 7 Mense tercio ceperunt aceruorum iacere fundamenta: et mense septimo compleuerunt eos. 8 Cunque ingressi fuissent ezechias et principes eius· viderunt aceruos: et benedixerunt domino· ac populo israhel. 9 Interrogauitque ezechias sacerdotes et leuitas: cur ita iacerent acerui. 10 Respondit illi azarias sacerdos primus· de stirpe sadoch dicens. Exquo ceperunt offerri primitie in domo domini· comedimus et saturati sumus: et remanserunt plurima: eo quod benedixerit dominus populo suo. Reliquiarum autem est copia ista quam cernis. 11 Precepit igitur ezechias: vt prepararent horrea in domo domini. Quod cum fecissent 12 intulerunt tam primitias quam decimas: et quecunque vouerant fideliter. Fuit autem prefectus eorum chonenias leuita: et semei frater eius secundus: 13 post quem iehihel· et azarias· et naad· et asahel· et iherimoth: iozabat quoque et elihel· et iesmachias· et maath· et banaias· prepositi sub manibus chonenie et semei fratris eius ex imperio ezechie regis· et azarie pontificis domus domini: ad quos omnia pertinebant. 14 Chore vero filius iemna leuites· et ianitor orientalis porte prepositus erat hijs que sponte offerebantur domino· primitijsque et consecratis in sancta sanctorum: 15 et sub cura eius eden· et beniamin· ihesue et semeias· amarias quoque et sechenias· in ciuitatibus sacerdotum: vt fideliter distribuerent fratribus suis partes· minoribus atque maioribus· 16 exceptis maribus ab annis tribus et supra· cunctis qui ingrediebantur templum domini. Et quicquid per singulos dies conducebant in ministerio· atque obseruationibus iuxta diuisiones suas: 17 sacerdotibus per familias et leuitis· a vicesimo anno et supra per ordines et turmas suas· 18 vniuerseque multitudini tam vxoribus quam liberis eorum vtriusque sexus· fideliter cibi de hijs que sanctificata fuerant prebebantur. 19 Sed et filiorum aaron per agros et suburbana vrbium singularum dispositi erant viri qui partes distribuerent vniuerso sexui masculino: de sacerdotibus et leuitis. 20 Fecitque ezechias vniuersa que diximus· in omni iuda: operatusque est bonum et rectum et verum coram domino deo suo· 21 in vniuersa cultura ministerij domus domini iuxta legem et cerimonias: volens requirere deum suum in toto corde suo. Fecitque et prosperatus est.

32 Post que et huiuscemodi veritatem venit sennacherib rex assiriorum: et ingressus iudam obsedit ciuitates munitas· volens eas capere. 2 Quod cum vidisset ezechias venisse scilicet sennacherib et totum belli impetum verti contra iherusalem: 3 inito cum principibus consilio virisque fortissimis vt obturarent capita fontium qui erant extra vrbem: et hoc omnium decernente sententia 4 congregauit plurimam multitudinem: et obturauerunt cunctos fontes· et riuum qui fluebant in medio terre dicentes. Ne veniant reges assiriorum: et inueniant aquarum abundantiam. 5 Edificauitque agens industrie omnem murum qui fuerat dissipatus: et extruxit turres desuper: et forinsecus alterum murum. Instaurauitque mello in ciuitate dauid: et fecit vniuersi generis armaturam et clipeos. 6 Constituitque principes bellatorum in exercitu: et conuocauit vniuersos in platea porte ciuitatis: ac locutus est ad cor eorum dicens. 7 Viriliter agite et confortamini: nolite timere: nec paueatis regem assiriorum et vniuersam multitudinem que est cum eo. Multo enim plures nobiscum sunt quam cum illo. 8 Cum illo enim est brachium carneum: nobiscum dominus deus noster qui auxiliator est noster: pugnat que pro nobis. Confortatusque est populus huiuscemodi verbis ezechie regis iuda. 9 Que postquam gesta sunt: misit sennacherib rex assiriorum seruos suos iherusalem ipse enim cum vniuerso exercitu obsidebat lachis: ad ezechiam regem iuda· et ad omnem populum qui erat in vrbe dicens. 10 Hec dicit sennacherib rex assiriorum. In quo habentes fiduciam· sedetis obsessi in iherusalem? 11 Num ezechias decepit vos· vt tradat morti in fame· et siti: affirmans quod dominus deus vester liberet vos de manu regis assiriorum? 12 Numquid non iste est ezechias qui destruxit excelsa illius et altaria: et precepit iude et iherusalem dicens· coram altari vno adorabitis· et in ipso comburetis incensum? 13 An ignoratis que ego fecerim· et patres mei cunctis terrarum populis? Nunquid preualuerunt dij gentium omniumque terrarum liberare regionem suam de manu mea? 14 Quis est de vniuersis dijs gentium quas vastauerunt patres mei qui potuerit eruere populum suum de manu mea: vt possit etiam deus vester eruere vos de hac manu? 15 Non vos ergo decipiat ezechias· nec vana persuasione deludat: neque credatis ei. Si enim nullus potuit deus cunctarum gentium atque regionum liberare populum suum de manu mea· et de manu patrum meorum: consequenter nec deus vester poterit eruere vos de hac manu. 16 Sed et alia multa locuti sunt serui eius contra dominum deum: et contra ezechiam seruum eius. 17 Epistolas quoque scripsit plenas blasphemie in dominum deum israhel: et locutus est aduersum eum. Sicut dij gentium ceterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea: sic et deus ezechie eruere non poterit populum suum de manu ista. 18 Insuper et clamore magno lingua iudaica contra populum qui sedebat in muris iherusalem personabat: vt terreret eos· et caperet ciuitatem. 19 Locutusque est contra deum israhel: sicut aduersum deos populorum terre opera manuum hominum. 20 Orauerunt igitur ezechias rex· et ysaias filius amos prophetes aduersum hanc blasphemiam: ac vociferati sunt vsque in celum. 21 Et misit dominus angelum suum: qui percussit omnem virum robustum et bellatorem· et principem exercitus regis assiriorum: reuersusque est cum ignominia in terram suam. Cunque ingressus esset domum dei sui: filij qui egressi fuerant de vtero eius interfecerunt eum gladio· 22 Saluauitque dominus ezechiam et habitatores iherusalem de manu sennacherib regis assiriorum· et de manu omnium: et prestitit ei quietem per circuitum. 23 Multi etiam deferebant hostias et sacrificia domino in iherusalem· et munera ezechie regi iuda. Qui exaltatus est post hec coram cunctis gentibus. 24 In diebus illis egrotauit ezechias vsque ad mortem: et orauit dominum. Exaudiuitque eum et dedit ei signum: 25 sed non iuxta beneficia que acceperat retribuit: quia eleuatum est cor eius. Et facta est contra eum ira: et contra iudam et iherusalem. 26 Humiliatusque est postea eo quod exaltatum fuisset cor eius: tam ipse quam habitatores iherusalem: et idcirco non venit super eos ira domini in diebus ezechie 27 fuit autem ezechias diues et inclitus valde: et thesauros sibi plurimos congregauit argenti et auri· et lapidis preciosi· aromatum et armorum vniuersi

generis· et vasorum magni precij: [28] apothecas quoque frumenti vini· et olei· et presepia omnium iumentorum: caulasque pecoribus· [29] et vrbes sex edificauit. Habebat quippe greges ouium· et armentorum innumerabiles: eo quod dedisset ei dominus substantiam multam nimis. [30] Ipse est ezechias qui obturauit superiorem fontem aquarum gyon: et auertit eas subter ad occidentem vrbis dauid. In omnibus operibus suis fecit prospere que voluit. [31] Attamen in legatione principum babilonis qui missi fuerant ad eum· vt interrogarent de portento quod acciderat super terram· dereliquit eum dominus: vt temptaretur et nota fierent omnia que erant in corde eius. [32] Reliqua autem sermonum ezechie· et misericordiarum eius scripta sunt in visione ysaie· filij amos prophete: et in libro regum iuda et israhel [33] Dormiuitque ezechias cum patribus suis: et sepelierunt eum supra sepulcra filiorum dauid. Et celebrauit eius exequias vniuersus iuda· et omnes habitatores iherusalem: regnauitque manasses filius eius pro eo.

33 Duodecim annorum erat manasses cum regnare cepisset: et quinquagintaquinque annis regnauit in iherusalem. [2] Fecit autem malum coram domino iuxta abominationes gentium quas subuertit dominus coram filijs israhel: [3] et conuersus instaurauit excelsa que demolitus fuerat ezechias pater eius: construxitque aras baalim· et fecit lucos: et adorauit omnem militiam celi et coluit eam. [4] Edificauit quoque altaria in domo domini: de qua dixerat dominus in iherusalem erit nomen meum in eternum. [5] Edificauit autem ea cuncto exercitui celi· in duobus atrijs domus domini: [6] transireque fecit filios suos per ignem in valle benhennon. Obseruabat somnia· sectabatur auguria: maleficis artibus inseruiebat. Habebat secum magos et incantatores: multaque mala operatus est coram domino vt irritaret eum. [7] Sculptile quoque et conflatile signum posuit in domo domini: de qua locutus est dominus ad dauid et ad salomonem filium eius dicens. In domo hac et in iherusalem quam elegi de cunctis tribubus israhel ponam nomen meum in sempiternum: [8] et mouere non faciam pedem israhel de terra quam tradidi patribus eorum: ita dumtaxat si custodierint facere que precepi eis cunctamque legem et cerimonias atque iudicia que mandaui per manum moysi. [9] Igitur manasses seduxit iudam et habitatores iherusalem: vt facerent malum super omnes gentes quas subuerterat dominus a facie filiorum israhel. [10] Locutusque est dominus ad eum et ad populum illius: et attendere noluerunt. [11] Idcirco superinduxit eis principes exercitus regis assiriorum: ceperuntque manassen: et vinctum cathenis atque compedibus duxerunt in babilonem. [12] Qui postquam coangustatus est orauit dominum deum suum: et egit penitentiam valde coram deo patrum suorum. [13] Deprecatusque est eum et obsecrauit intente· et exaudiuit orationem eius: reduxitque eum iherusalem in regnum suum: et et cognouit manasses quod dominus ipse esset deus. [14] Post hec edificauit murum extra ciuitatem dauid ad occidentem in conualle ab introitu porte piscium per circuitum vsque ad ofel: et exaltauit illum vehementer. Constituitque principes exercitus in cunctis ciuitatibus iuda munitis· [15] et abstulit deos alienos· et simulacrum de domo domini: aras quoque quas fecerat in monte domus domini et in iherusalem: et proiecit omnia extra vrbem. [16] Porro instaurauit altare domini: et immolauit super illud victimas et pacifica et laudem· precepitque iude vt seruiret domino deo israhel. [17] Attamen adhuc populus immolabat in excelsis domino deo suo. [18] Reliqua autem gestorum manasse· et obsecratio eius ad deum suum: verba quoque videntium qui loquebantur ad eum in nomine domini dei israhel continentur in sermonibus regum israhel. [19] Oratio quoque eius et exauditio et cuncta peccata atque contemptus: loca etiam in quibus edificauit excelsa et fecit lucos et statuas antequam ageret penitentiam: scripta sunt in nibus ozai. Dormiuit ergo ageret penitentiam: scripta sunt in [20] sermomanasses cum patribus suis: et sepelierunt eum in domo sua: regnauitque pro eo filius eius amon. [21] Vigintiduorum Viginti duorum annorum erat cum regnare cepisset: et duobus annis regnauit in iherusalem. [22] Fecitque malum in conspectu domini sicut fecerat manasses pater eius: et cunctis ydolis que manasses fuerat fabricatus immolauit atque seruiuit [23] et non est reueritus faciem domini sicut reueritus est manasses pater eius: et multo maiora deliquit. [24] Cumque coniurassent aduersus eum serui sui interfecerunt eum in domo sua: [25] porro reliqua populi multitudo cesis hijs qui amon percusserant constituit regem iosiam filium eius pro eo.

34 Octo annorum erat iosias cum regnare cepisset: et triginta et vno anno regnauit in iherusalem. [2] Fecit quod quod erat rectum in conspectu domini: et ambulauit in vijs dauid patris sui: non declinauit neque ad dextram neque ad sinistram. [3] Octauo autem anno regni sui cum adhuc esset puer· cepit querere deum patris sui dauid: et duodecimo anno postquam ceperat· mundauit iudam et iherusalem ab excelsis et lucis simulacrisque et sculptilibus. [4] Destruxeruntque coram eo aras baalim: et simulacra que superposita fuerant demoliti sunt. Lucos etiam et sculptilia succidit atque comminuit: et super tumulos eorum qui eis immolare consueuerant fragmenta dispersit. [5] Ossa preterea sacerdotum combussit in altaribus ydolorum: mundauitque iudam et iherusalem. [6] Sed et in vrbibus manasse et ephraim et symeon vsque neptalim cuncta subuertit. [7] Cunque altaria dissipasset et lucos et sculptilia contriuisset in frusta· cunctaque delubra demolitus esset de vniuersa terra israhel: reuersus est iherusalem. [8] Agitur anno octauodecimo regni sui mundata iam terra et templo domini: misit saphan filium eselie et maasiam principem ciuitatis· et ioha filium ioachaz acommentariis: vt instaurarent domum domini dei sui. [9] Qui venerunt ad helchiam sacerdotem magnum: acceptaque ab eo pecunia que illata fuerat in domum domini· et quam congregauerant leuite et ianitores de manasse et ephraim et vniuersis reliquijs israhel· ab omni quoque iuda et beniamin et et habitatoribus iherusalem: [10] tradiderunt in manibus eorum qui preerant operarijs in domo domini: vt instaurarent templum· et infirma queque sartirent. [11] At illi dederunt eam artificibus et cementarijs: vt emerent lapides de lapidicinis· et ligna ad commissuras edificij· et ad contignationem domorum quas destruxerant reges iuda. [12] Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem prepositi operantium iadab et abdias de filijs merari· zacharias et mosollam de filijs caath· qui vrgebant opus: omnes leuite scientes organis canere. [13] Super eos vero qui ad diuersos vsus onera portabant: erant scribe· et magistri de leuitis ianitores. [14] Cumque efferrent pecuniam que illata fuerat in templum domini· repperit helchias sacerdos librum legis domini per manum moysi: [15] et ait ad saphan scribam. Librum legis inueni in domo domini: et tradidit ei. [16] At ille intulit volumen ad regem: et nunciauit ei dicens. Omnia que dedisti in manu seruorum tuorum: ecce complentur. [17] Argentum quod repertum est in domo domini conflauerunt: datumque est prefectis artificum· et diuersa opera fabricantium· [18] preterea tradidit michi helchias sacerdos hunc librum. Quem cum rege presente recitasset· [19] audissetque ille verba legis· scidit vestimenta sua: [20] et precepit helchie et aichan filio saphan· et abdon filia micha· saphan quoque scribe· et asaie seruo regis dicens. [21] Ite et orate dominum pro me· et pro reliquijs israhel et iuda: super vniuersis sermonibus libri istius qui repertus est. Magnus enim furor domini stillauit super nos: eo quod non custodierint patres nostri verba domini· vt facerent omnia que scripta sunt in isto volumine. [22] Abijt ergo helchias et hij qui simul a rege missi fuerant ad oldan propheten vxorem sellum filij thecuath· filij aras· custodis vestium· que habitabat in iherusalem in secunda: et locuti sunt ei verba que supra narrauimus. [23] At illa respondit eis. Hec dicit dominus deus israhel. Dicite viro qui misit vos ad me· [24] Hec dicit dominus. Ecce ego inducam mala super locum istum et super habitatores eius: cunctaque maledicta que scripta sunt in libro hoc· quem legerunt coram rege iuda: [25] quia dereliquerunt me et sacrificauerunt dijs alienis vt me ad iracundiam prouocarent vt me ad iracundiam prouocarent in cunctis operibus manuum suarum. Idcirco stillabit furor meus super locum istum: et non extinguetur. [26] Ad regem autem iuda qui regem aut qui misit vos pro domino deprecando· sic loquimini. Hec dicit dominus deus israhel. Quoniam mini. Hec dicit dominus deus israhel. Quoniam audisti verba voluminis· [27] atque emollitum est cor tuum· et humiliatus es in contum est cor tuum· et humiliatus es in conspectu domini super hijs que dicta sunt contra locum hunc et habitatores iherusalem: remeam scidisti vestimenta veritusque faciem tua et fleuisti coram me: ego

quoque exaudiui ad te dicit dominus. [28] Iam enim colligam te ad patres tuos: et infereris in sepulcrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui malum quod ego inducturus sum super locum istum et super habitatores eius. Retulerunt itaque regi cuncta que dixerat. [29] At ille conuocatis vniuersis maioribus natu iuda et iherusalem [30] ascendit in domum domini: vnaque omnes viri iuda et habitatores iherusalem· sacerdotes et leuite et cunctus populus a minimo vsque ad maximum. Quibus audientibus in domo domini legit rex omnia verba voluminis: [31] et stans in tribunali suo percussit fedus coram domino vt ambularet post eum· et custodiret precepta et testimonia et iustificationes eius in toto corde suo· et in tota anima sua: faceretque que scripta sunt in volumine illo quod legerat. [32] Adiurauit quoque super hoc omnes qui reperti fuerant in iherusalem et beniamin: et fecerunt habitatores iherusalem iuxta pactum domini dei patrum suorum. [33] Abstulit ergo iosias cunctas abominationes de vniuersis regionibus filiorum israhel: et fecit omnes qui residui erant in israhel seruire domino deo suo. Cunctis diebus eius non recesserunt a domino deo patrum suorum.

35 Fecit autem iosias in iherusalem phase domino: quod immolatum est quartadecima die mensis primi. [2] Et constituit sacerdotes in officijs suis: hortatusque est eos vt ministrarent in domo domini. [3] leuitis quoque ad quorum eruditionem omnis israhel sanctificabatur domino: locutus est. Ponite archam in sanctuario templi: quod edificauit salomon filius dauid rex israhel. Nequaquam enim eam vltra portabitis. Nunc ergo ministrate domino deo vestro et populo eius israhel: [4] et preparate vos per domos et cognationes vestras in diuisionibus singulorum sicut precepit dauid rex israhel· et descripsit salomon filius eius: [5] et ministrate in sanctuario per familias turmasque leuiticas: [6] et sanctificati immolate phase. Fratres etiam vestros vt possint iuxta verba que locutus est dominus in manu moysi facere· preparate. [7] Dedit preterea iosias omni populo qui ibi fuerat inuentus in solemnitate phase agnos et hedos de gregibus et reliqui pecoris triginta milia: boumque tria milia. Hec de regis vniuersa substantia. [8] Duces quoque eius sponte quod vouerant obtulerunt: tam populo quam sacerdotibus et leuitis. Porro helchias et zacharias et iehihel principes domus domini dederunt sacerdotibus ad faciendum phase pecora commixtim duo milia sexcenta: et boues trecentos. [9] Chonenias autem et semeias etiam et nathanahel fratres eius· necnon asabias et iahihel et iozabad principes leuitarum· dederunt ceteris leuitis ad celebrandum phase· quinque milia pecorum: et boues quinserimunt gentos [10] Preparatumque est ministerium et steterunt sacerdotes in officio suo: leuite quoque in turmis iuxta regis imperium: [11] et immolatum est phase. Asperseruntque sacerdotes manus suas sanguine: et leuite detraxerunt pelles olocaustorum· [12] et separauerunt ea· vt darent per domos et familias singulorum· et offerrentur domino sicut scriptum est in libro moysi. De bubus fecerunt quoque similiter. [13] Et assauerunt phase super ignem: iuxta quod in lege scriptum est. Pacificas vero hostias coxerunt in lebetis· et carabis et ollis: et festinato destribuerunt vniuerse plebi: [14] sibi autem et sacerdotibus postea parauerunt. Nam in oblatione olocaustorum· et adipum vsque ad noctem sacerdotes fuerunt occupati: vnde leuite et sibi et sacerdotibus filijs aaron parauerunt nouissimis. [15] Porro cantores filij asaph stabant in ordine suo: iuxta preceptum dauid et asaph et eman et idithun prophetarum regis. Ianitores vero per portas singulas obseruabant: ita vt ne puncto quidem discederent a ministerio. Quamobrem et fratres eorum leuite parauerunt eis cibos. [16] Omnis igitur cultura domini rite completa est in die illa: vt facerent phase· et offerrent olocausta super altare domini iuxta preceptum regis iosie. [17] Feceruntque filij israhel qui reperti fuerant ibi phase in tempore illo et solemnitatem azimorum: septem diebus. [18] Non fuit phase simile huic in israhel a diebus samuelis prophete: sed nec quisquam de cunctis regibus israhel fecit phase sicut iosias sacerdotibus et leuitis et omni iude et israhel qui repertus fuerat: et habitantibus in iherusalem. [19] Octauodecimo anno regni iosie· hoc phase celebratum est. [20] Postquam instaurauerat iosias templum· ascendit nechao rex egipti ad pugnandum· in carchamis iuxta eufraten: et processit in occursum eius iosias. [21] At ille missis ad eum nuncijs ait. Quid michi et tibi rex iuda? Non aduersum te hodie venio· sed contra aliam pugno domum: ad quam me deus festinato ire precepit. Desine aduersum deum facere qui mecum est: ne interficiat te. [22] Noluit iosias reuerti sed preparauit contra eum bellum: nec acquieuit sermonibus nechao ex ore dei: verum perrexit vt Dimicaret in mageddo. campo [23] Ibique vulneratus a sagittarijs dixit pueris suis. Educite me de prelio: quia opido vulneratus sum. [24] Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum qui sequebatur eum more regio: et asportauerunt eum in iherusalem. Mortuusque est· et sepultus in mausoleo patrum suorum: et vniuersus iuda et iherusalem luxerunt eum: [25] ieremias maxime: cuius omnes cantores atque cantatrices vsque in presentem diem lamentationes super iosiam replicant: et quasi lex obtinuit in israhel. Ecce scriptum fertur in lamentationibus. [26] Reliqua autem sermonum iosie· et misericordiarum eius que lege precepta sunt domini: [27] opera que illius prima et nouissima scripta sunt in libro regum iuda et israhel.

36 Tulit ergo populus terre ioachaz filium iosie: et constituit regem pro patre suo in iherusalem. [2] Viginti trium annorum erat ioachaz cum regnare cepisset: et tribus mensibus regnauit in iherusalem. [3] Amouit autem eum rex egipti cum venisset in iherusalem: et condemnauit terram centum talentis argenti et talento auri. [4] Constituitque pro eo regem eliachim fratrem eius super iudam et iherusalem: et vertit nomen eius ioakim. Ipsum vero ioachaz tulit secum: et adduxit in egiptum. [5] Vigintiquinque annorum erat ioakim cum regnare cepisset: et vndecim annis regnauit in iherusalem: fecitque malum coram domino deo suo. [6] Contra hunc ascendit nabuchodonosor rex chaldeorum: et vinctum cathenis duxit in babilonem: [7] ad quam et vasa domini transtulit· et posuit ea in templo suo. [8] Reliqua autem verborum ioakim· et abominationum eius quas operatus est· et que inuenta sunt in eo· continentur in libro regum iuda et israhel. Regnauit autem ioachin filius eius pro eo. [9] Octo annorum erat ioachin cum regnare cepisset: et tribus mensibus ac decem diebus regnauit in iherusalem: fecitque malum in conspectu domini. [10] Cunque anni circulus volueretur: misit nabuchodonosor rex nuncios qui et adduxerunt eum in babilonem: asportatis simul preciosissimis vasis domus domini. Regem vero constituit sedechiam patruum eius super iudam et iherusalem. [11] Viginti et vnius anni erat sedechias cum regnare cepisset: et vndecim annis regnauit in iherusalem. [12] Fecitque malum in oculis domini dei sui: nec erubuit faciem ieremie prophete loquentis ad se ex ore domini. [13] A rege quoque nabuchodonosor recessit qui adiurauerat eum per deum: et indurauit ceruicem suam et cor: vt non reuerteretur ad dominum deum israhel. [14] Sed et vniuersi principes sacerdotum et populus preuaricati sunt inique iuxta vniuersas abominationes gentium: et polluerunt domum domini quam sanctificauerat sibi in iherusalem. [15] Mittebat autem dominus deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum denocte consurgens et quotidie commouens: eo quod parceret populo et habitaculo suo. [16] At illi subsannabant nuncios dei et paruipendebant sermones eius: illudebantque prophetis: donec ascenderet furor domini in populum eius· et esset nulla curatio· [17] Adduxit enim super eos regem chaldeorum: et interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarij. Non est misertus adolescentis et virginis et senis nec decrepiti quidem: sed omnes tradidit in manibus eius: [18] vniuersaque vasa domus domini tam maiora quam minora· et thesauros templi et regis et principum transtulit in babilonem. [19] Incenderunt hostes domum dei: destruxeruntque murum iherusalem. Vniuersas turres combusserunt: et quicquid preciosum fuerat demoliti sunt. [20] Si quis euaserat gladium· ductus in babilonem seruiuit regi et filijs eius: donec imperaret rex persarum· [21] et compleretur sermo domini ex ore ieremie: et celebraret terra sabbata sua. Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum: vsque dum complerentur septuaginta anni. [22] Anno autem primo cyri regis persarum ad explendum sermonem domini quem locutus fuerat per os ieremie· suscitauit dominus spiritum cyri regis persarum: qui iussit predicari in vniuerso regno suo etiam per scripturam dicens. [23] Hec dicit cyrus rex persarum. Omnia regna terre dedit michi dominus deus celi: et ipse precepit michi vt edificarem ei domum

in iherusalem que est in iudea. Quis ex vobis est in omni populo eius? Sit dominus deus suus cum eo et ascendat.

Oratio Manasse

Oratio manasse regis iuda cum captus teneretur in babilone.

1 Domine deus omnipotens patrum nostrorum abraham ysaac et iacob et semini eorum iusto· [2] qui fecisti celum et terram cum omni ornatu eorum: [3] qui signasti mare verbo precepti tui: qui conclusisti abissum et signasti terribili et laudabili nomini tuo· [4] quem omnes pauent· et tremunt a vultu virtutis tue: [5] et insustentabilis ira super peccatores comminationis tue: [6] immensa vero et inuestigabilis misericordia promissionis tue: [7] quoniam tu es dominus altissimus super omnem terram longanimis· et multum misericors: et penitens super maliciam hominum. Tu autem domine secundum rundum bonitatem tuam promisisti penitentiam remissionis peccatorum: et [8] tu deus tiam iustorum· non posuisti penitentiam iustis· abraham ysaac et iacob· hijs qui tibi non peccauerunt: [9] quoniam peccaui super numerum arene maris· multiplicate sunt iniquitates mee: [10] incuruatus sum multo vinculo ferri· et non est respiratio michi: quia excitaui iracundiam tuam et malum coram te feci statuens abominationes et multiplicans offensiones. [11] Et nunc flecto genua cordis mei: precans a te bonitatem domine. [12] Peccaui domine peccaui: et iniquitatem meam agnosco. [13] Peto rogans te domine remitte michi: remitte ne simul perdas me cum iniquitatibus meis: neque in eternum reserues mala michi: [14] quia indignum saluabis me secundum magnam misericordiam tuam: [15] et laudabo te semper omnibus diebus vite mee: quoniam te laudat omnis virtus celorum: et tibi est gloria in secula seculorum amen.

Incipit prefatio beati ieronimi presbiteri in librum esdre.

Utrum difficilius sit facere quod poscitis· an negare: necdum statui. Iam vobis aliquid imperantibus annuere sententie est: et magnitudo oneris positi ita ceruices premit· vt ante sub fasce ruendum sit quam leuandum. Accedunt ad hoc inuidorum studia: qui omne quod scribimus reprehendendum putant. Et interdum contra se conscientia repugnante publice lacerant que occulte legunt: intantum vt clamare compellar et dicere. Domine libera animam meam a labijs iniquis et a lingua dolosa. Tercius annus est quod semper scribitis atque rescribitis vt esdre librum et hester vobis de hebreo transferam: quasi non habeatis greca et latina volumina: aut quicquid illud est quod a vobis vertitur non statim ab omnibus conspuendum sit. Frustra autem vt ait quidam niti neque aliud fatigando nisi odium querere: extreme dementie est. Itaque obsecro vos mi domnion et rogatiane karissimi: vt priuata lectione contenti libros non efferatis in publicum· nec fastidiosis cibos ingeratis: vitetis que eorum supercilium· qui iudicare tantum de alijs et ipsi facere nichil nouerunt. Si qui autem fratrum sunt quibus nostra non displicent hijs tribuatis exemplar: ammonentes vt hebrea nomina quorum grandis in hoc volumine copia est: distincte et per interualla transcribant. Nichil enim proderit emendasse librum nisi emendatio librariorum diligentia conseruetur. Nec quenquam moueat quod vnus a nobis editus liber est: nec apocriphorum tercij et quarti libri somnijs delectetur: quia et apud hebreos esdre neemieque sermones in vnum volumen coartantur et que non habentur apud illos. nec de vigintiquatuor senibus sunt procul abicienda. Si quis autem septuaginta vobis opponere voluerit interpretes: quorum exemplaria varietas ipsa lacerata et euersa demonstrat: nec potest vtique verum asseri quod diuersum est: mittite eum ad euangelia· in quibus multa ponuntur quasi de veteri testamento que apud septuaginta interpretes non habentur: velut illud quoniam nazarenus vocabitur· et ex egipto vocaui filium meum· et videbunt in quem compunxerunt· multaque alia· que laciori opere reseruamus: et querite ab eo vbi scripta sunt. Cumque proferre non potuerit: vos legite de hijs exemplaribus que nuper a nobis edita maledicorum quotidie linguis confodiuntur. Sed vt ad compendium veniam: certe quod illaturus sum equissimum est. Edidi aliquid quod non habetur in greco: aut aliter habetur quam a me versum est· quid interpretem laniant: interrogent hebreos: et ipsis auctoribus translationi mee vel arrogent vel derogent fidem. porro aliud est si clausis quod dicitur oculis michi volunt maledicere: et non imitantur grecorum studium et beniuolentiam: qui post septuaginta translatores iam cristi euangelio choruscante iudeos et hebionitas legis veteris interpretes aquilam videlicet et symachum· et theodotionem· et curiose legunt· et per origenis laborem in exaplois ecclesijs dedicarunt· quantomagis latini grati esse deberent: quod exultantem certerent greciam a se aliquid mutuari? Primum enim magnorum sumptuum est et infinite difficultatis· exemplaria posse habere omnia: deinde etiam quod habuerit· et hebrei sermonis ignari sunt magis errabunt: ignorantes quis e multis verius dixerit. Non etiam sapientissimo cuidam nuper apud grecos accidit: vt interdum scripture sensum relinquens· vniuscuiuslibet interpretis sequeretur errorem. Nos autem quod hebree lingue saltem paruam habemus scientiam· et latinus nobis vt cunque sermo non deest: et de alijs magis possumus iudicare: et ea que ipsi intelligimus in nostra lingua promere. Itaque licet exedra sibilet· victorque synon incendia iactet: nunquam meum iuuante cristo silebit eloquium: etiam precisa lingua balbutiet. Legant qui volunt: qui nolunt abiciant. Euentilent apices· litteras calumnientur. Magis vestra caritate prouocator ad studium: quam illorum detractione et odio deterrebor.

Esdre I

Incipit liber esdre primus.

1 In anno primo cyri regis persarum vt compleretur verbum domini ex ore ieremie suscitauit dominus spiritum cyri regis persarum: et transduxit vocem omni regno suo· etiam per scripturam dicens. [2] Hec dicit cyrus rex persarum. Omnia regna terre dedit michi dominus deus celi: et ipse precepit

michi vt edificarem ei domum in iherusalem· que est in iudea. [3] Quis est in nobis de vniuerso populo eius? Sit dominus illius cum eo. Ascendat in iherusalem que est in iudea: et edificet domum dei israhel: ipse est deus qui est in iherusalem. [4] Et omnes reliqui in cunctis locis vbicumque habitant adiuuent eum viri de loco suo. argento et auro et substantia et pecoribus: excepto quod voluntarie offerunt templo dei quod est in iherusalem. [5] Et surrexerunt principes patrum de iuda et beniamin· et sacerdotes et leuite: omnis cuius suscitauit deus spiritum: vt ascenderet ad edificandum templum domini quod erat in iherusalem. [6] Vniuersique qui erant in circuitu adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis et aureis· in substantia· et iumentis in suppellectili: exceptis hijs que sponte obtulerant. [7] Rex quoque cyrus protulerat vasa templi domini que tulerat nabucho de iherusalem: et posuerat ea in templo dei sui. [8] Protulit autem ea cyrus rex persarum per manum mitridatis filij gazabar. et annumerauit ea sasabasar principi iude: [9] et hic est numerus eorum. Fiale auree triginta: fiale argentee mille: cultri vigintinouem: sciphi aurei triginta: [10] sciphi argentei secundi quadringentidecem: vasa alia mille. [11] Omnia vasa aurea et argentea: quinque milia quadringenta. Vniuersa tulit sasaba cum hijs qui ascendebant de transmigratione babilonis in iherusalem.

2 Hij sunt autem filij prouincie qui ascenderunt de captiuitate quam transtulerat nabuchodonnosor rex babilonis in babilonem: et reuersi sunt in iherusalem et iudeam· vnusquisque in ciuitatem suam: [2] qui venerunt cum zorobabel ihesua neemia saraia rahelaya· mardochay belsan· mesphar· beguai· reum baa Numerus virorum populi israhel. [3] Filij phares: duo milia centumseptuagintaduo. [4] Filij saphatia: trecentiseptuagintaduo. [5] Filij area: septingentiseptuagintaquinque. [6] Filij phetmoab filiorum iosue ioab: duo milia octingentiduodecim. [7] Filij helam: milleducentiquinquagintaquatuor. [8] Filij zethua: nongentiquadragintaquinque. [9] Filij zachai: septingenti sexaginta. [10] Filij bani: sexcentiquadraginta [11] Filij bebai: sexcentiuigintitres. [12] Filij azgad: milleducentiuigintiduo. [13] Filij adonicam: sexcentisexagintasex. [14] Filij beguai: duo milia quinquagintasex. [15] Filij adin: quadringentiquinquagintaguatuor. [16] Filij ather qui erant ex ezechina: chia: nonagintaocto. [17] Filij besai: trecentiuigintitres. [18] Filij iora: centumduodecim. [19] Filij asem: ducentiuigintitres. [20] Filij gebbar nongentiquique. [21] Filij bethleem: centumuigintitres. [22] Viri nechupha: quinquagintasex. [23] Viri anathot: centumuigintiocto. [24] Filij azmaueth: quadragintaduo. [25] Filij cariathiarim cephira et beroth: septingentiquadragintatres. [26] Filij rama et gabaa: sexcentiuigintiunus. [27] Viri machmas: centum vigintiduo. [28] Viri bethel et chai: ducentiuigintitres. [29] Filij nebo: quinquagintaduo. [30] Filij megbis: centumquinquagintasex. [31] Filij helam alterius: milleducentiquinquagintaquatuor. [32] Filij arim: trecentiuiginti. [33] Filij lodadin et ono: septingentiuigintiquinque. [34] Filij ihericho: trecentiquadragintaquinque. [35] Filij senaa: tria milia sexcentitriginta. [36] Sacerdotes. Filij idaia in domo iesue: nongentiseptuagintatres. [37] Filij emmer: millequinquagintaduo. [38] Filij phessur: milleducentiquadragintaseptem. [39] Filij arim: mille decem et septem. [40] Leuite. Filij iesue et cedmihel filiorum odeuie: septuagintaquatuor. [41] Cantores. Filij asaph: centumuigintiocto. [42] Filij ianitorum. Filij sellum filij ather filij telmon· filij accub filij attita filij sobai: vniuersi centumtrigitanouem. tumtrigintanouem. [43] Nachinnei. Filij sia filij asupha filij tebbaoth [44] filij ceros filij siaa filij phadon [45] filij lebana filij zaba filij accub [46] filij agab filij selmai filij anan [47] filij gaddel filij gaer filij raahia [48] filij rasin filij nechoda filij gazem [49] filij azec filij phasea filij besee [50] filij asemaa. a filij munim filij nephusim [51] filij bechue. filij acupha [52] filij azur filij besluth filij maida filij arsa [53] filij bercos filij sisara filij thema [54] filij nasia filij athupha [55] filij seruorum salomonis: filij sothei· filij sopherech filij pharuda [56] filij iala filij dercon filij geddel [57] filij saphata filij athil filij phpcereth qui erant de asebaim: filij anim. [58] Omnes nathinnei et filij seruorum salomonis: trecentinonagintaduo. [59] Et hij qui ascenderunt de thelmala thelarsa cherub et don et mer· et non potuerunt indicare domum patrum suorum et semen suum: vtrum ex israhel essent. [60] Filij dalaia filij tobia filij nechoda sexcentiquinquagintaduo. [61] Et de filijs sacerdotum filij iobia filij accos filij berzellai qui accepit de filiabus berzellai galaaditis vxorem: et vocatus est nomine eorum. [62] Hij quesierunt scripturam genealogie sue et non inuenerunt: et eiecti sunt de sacerdotio. [63] Et dixit athersatha eis· vt non comederent de sancto sanctorum: donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus. [64] Omnis multitudo quasi vnus quadragintaduo milia trecentiseptuaginta: [65] exceptis seruis eorum et ancillis qui erant septem milia trecentitrigintaseptem: et in ipsis cantores atque cantatrices ducenti. [66] Equi eorum sexcentitrigintasex: muli eorum ducentiquadragintaquinque: [67] cameli eorum quadringentitrigintaquinque: asini eorum sex milia septingentiuiginti. [68] Et de principibus patrum cum ingrederentur templum domini quod est in iherusalem: sponte obtulerunt in domum dei ad extruendam eam in loco suo. [69] Secundum vires suas dederunt impensas operis· auri solidos quadraginta milia et mille: argenti mnas quinque milia: et vestes sacerdotales centum. [70] Habitauerunt ergo sacerdotes et leuite et de populo et cantores et ianitores et nathinnei in vrbibus suis: vniuersusque israhel in ciuitatibus suis.

3 Iamque venerat mensis septimus: et erant filij israhel in ciuitatibus suis. Congregatus est ergo populus quasi vir vnus in iherusalem: [2] et surrexit iosue filius iosedech· et fratres eius sacerdotes· et zorobabel filius salachiel· et fratres eius: et edificauerunt altare dei israhel· vt offerrent in eo olocaustomata: sicut scriptum est in lege moysi viri dei. [3] Collocauerunt autem altare dei super bases suas deterrentibus eos per circuitum populis terrarum: et obtulerunt super illud olocaustum domino mane et vespere. [4] Feceruntque solemnitatem tabernaculorum sicut scriptum est: et olocaustum diebus singulis per ordinem secundum preceptum opus diei in die suo: [5] et post hec olocaustum iuge tam in kalendis quam in vniuersis solemnitatibus domini qui erant consecrate: et in omnibus in quibus vltra offerebatur munus domino. [6] A primo die mensis septimi: ceperunt offerre olocaustum domino: porro templum dei nondum fundatum erat. [7] Dederunt autem pecunias latomis et cementarijs: cibum que et potum et oleum sydonijs tyrijsque· vt deferrent ligna cedrina de libano ad mare ioppen: iuxta quod preceperat cyrus rex persarum eis. [8] Anno autem secundo aduentus eorum ad templum dei in iherusalem mense secundo ceperunt zorobabel filius salathiel et iosue filius iiosedech et reliqui de fratribus eorum sacerdotes et leuite· et omnes qui venerant de captiuitate in iherusalem: et constituerunt leuitas a viginti annis et supra· vt vrgerent opus domini. [9] Stetit que iosue et filij eius et fratres eius· cedmihel et filij eius· et filij iuda quasi vir vnus· vt instarent super eos qui faciebant opus in templo dei: filij enadab· et filij eorum· et fratres eorum leuite. [10] Fundato igitur a cementarijs templo domini steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis: et leuite filij asaph in cymbalis: vt laudarent deum per manus dauid regis israhel. [11] Et concinebant in ymnis et confessione domino quoniam bonus: quoniam in eternum misericordia eius super israhel. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando dominum: eo quod fundatum esset templum domini. [12] Plurimi etiam de sacerdotibus et leuitis et principes patrum et seniores qui viderant templum prius cum fundatum esset· et hoc templum in oculis eorum flebant voce magna: multi vociferantes in leticia eleuabant vocem: [13] nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris letantium· et vocem fletus populi. Commixtim enim populus vociferabatur clamore magno: et vox audiebatur procul.

4 Audierunt autem hostes iude et beniamin quia filij captiuitatis edificarent templum domino deo israhel: [2] et accedentes ad zorobabel· et ad principes patrum· dixerunt eis. Edificemus vobiscum: quia ita vt vos querimus deum vestrum. Ecce nos immolauimus victimas a diebus assoraddan regis assur: qui adduxit nos huc. [3] Et dixit eis zorobabel et iosue: et reliqui principes patrum israhel. Non est nobis et vobis vt edificemus domum deo nostro: sed nos ipsi soli edificabimus deo nostro: sicut precepit nobis cyrus rex persarum. [4] Factum est igitur vt populus terre impediret manus populi iude: et turbaret eos in edificando. [5] Conduxerunt autem aduersus eos consiliatores: vt destruerent consilium eorum omnibus diebus cyri regis persarum. [6] In regno autem assueri ipse est artarxerses· in principio regni eius scripserunt

accusationem aduersus habitatores iude et iherusalem. 7 Et in diebus artarxerses scripsit besellam mitridates et thabeel· et reliqui qui erant in consilio eorum ad artarxersen regem persarum. Epistola autem accusationis scripta erat syriace: et legebatur sermone syro. 8 Reum beeltheem et samsai scriba scripserunt epistolam vnam de iherusalem artarxersi regi huiuscemodi. 9 Reum beeltheem et samsai scriba et reliqui consiliatores eorum· dynei et sarthei therphalei· arphasei· herchuei babilonij susannachei dyei· et elamite· 10 et ceteri de gentibus quas transtulit salmanasar magnus et gloriosus: et habitare eas fecit in ciuitatibus samarie· et in reliquis regionibus trans flumen in pace. 11 Hoc est exemplar epistole quam miserunt ad eum. Artarxersi regi: serui tui viri qui sunt trans fluuium salutem dicunt. 12 Notum sit regi: quia iudei qui ascenderunt a te ad nos venerunt in iherusalem ciuitatem rebellem et pessimam: quam edificant extruentes muros eius et parietes componentes. 13 Nunc igitur notum sit regi: quia si ciuitas illa edificata fuerit et muri eius instaurati· tributum et vectigal et annuos reditus non dabunt: et vsque ad reges hec noxa perueniet. 14 Nos ergo memores salis quod in palatio comedimus: quia lesiones regis videre nephas ducimus: idcirco misimus et nunciauimus regi· 15 vt recenseas in libris historiarum patrum tuorum· et inuenies scriptum in commentarijs et scies quoniam vrbs illa vrbs rebellis est et nocens regibus et prouincijs et bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quamobrem et ciuitas illa destructa est. 16 Nunciamus nos regi: quoniam si ciuitas illa edificata fuerit· et muri ipsius instaurati: possessionem trans fluuium non habebis. 17 Verbum misit rex ad beeltheem et samsai scribam· et ad reliquos qui erant in consilio eorum habitatores samarie· et ceteris trans fluuium: salutem dicens et pacem. 18 Accusatio quam misistis ad nos manifeste lecta est coram me: 19 et a me preceptum est· et recensuerunt: inueneruntque quoniam ciuitas illa a diebus antiquis aduersum reges rebellat: et seditiones et prelia concitantur in ea. 20 Nam et reges fortissimi erant in iherusalem: qui et dominati sunt omni regioni que trans fluuium est. Tributum quoque et vectigal· et redditus accipiebant. 21 Nunc ergo audite sententiam: vt prohibeatis viros illos· et vrbs illa non edificetur: donec si forte a me missum fuerit. 22 Videte ne negligenter hoc impleatis: et paulatim crescat malum contra reges. 23 Itaque exemplum edicti artarxersis regis lectum est coram reumbeeltheem et samsai scriba· et consiliarijs eorum: et abierunt festini in iherusalem· ad iudeos: et prohibuerunt eos in brachio et robore. 24 Tunc intermissum est opus domus domini in iherusalem: et non fiebat vsque ad annum secundum regni darij regis persarum.

5 Prophetauerunt autem aggeus propheta et zacharias filius addo: prophetantes ad iudeos qui erant in iuda et iherusalem in nomine dei israhel. 2 Tunc surrexit zorobabel filius salathiel et iosue filius iiosedech et ceperunt edificare templum domini in iherusalem: et cum eis prophete dei adiuuantes eos. 3 In ipso autem tempore venit ad eos thantannai qui erat dux trans flumen et starbuzannai et consiliarij eorum: sicque dixerunt eis. Quis dedit vobis consilium vt domum hanc edificaretis: et muros eius instauraretis? 4 Ad quod respondimus eis: que essent nomina hominum auctorum edificationis illius. 5 Oculus autem dei eorum factus est super senes iudeorum: et non potuerunt inhibere eos. Placuitque vt res ad darium referretur: et tunc satisfacerent aduersus accusationem illam. 6 Exemplar epistole quam misit thantannai dux regionis trans flumen et starbuzannai et consiliatores eius apharsathei qui erant trans flumen: ad darium regem. 7 Sermo quem miserant ei sic scriptus erat. Dario regi pax omnis. 8 Notum sit regi isse nos ad iudeam prouintiam ad domum dei magni que edificatur lapide impolito: et ligna ponuntur in parietibus: opusque illud diligenter extruitur et crescit in manibus eorum. 9 Interrogauimus ergo senes illos: et ita diximus eis. Quis dedit vobis potestatem vt domum hanc edificaretis: et muros hos instauraretis? 10 Sed et nomina eorum quesiuimus ab eis vt nunciaremus tibi: scripsimusque nomina eorum virorum qui sunt principes in eis. 11 Huiuscemodi autem sermonem responderunt nobis dicentes. Nos sumus serui dei celi et terre: et edificamus templum quod erat extructum ante hos annos multos: quodque rex israhel magnus edificauerat et extruxerat. 12 Postquam autem ad iracundiam prouocauerunt patres nostri deum celi tradidit eos in manus nabuchodonosor regis babilonis chaldei: domum quoque hanc destruxit: et populum eius transtulit in babilonem. 13 Anno autem primo cyri regis babilonis cyrus rex proposuit edictum: vt domus dei edificaretur. 14 Nam et vasa templi dei aurea et argentea que nabuchodonosor tulerat de templo quod erat in iherusalem et asportauerat ea in templum babilonis protulit cyrus rex de templo babilonis: et data sunt sasabassar vocabulo quem et principem constituit: 15 dixitque ei. Hec vasa tolle et vade: et pone ea in templo quod est in iherusalem: et domus dei edificetur in loco suo. 16 Tunc itaque sasabasar ille venit et posuit fundamenta templi dei in iherusalem: et ex eo tempore vsque nunc edificatur et necdum completum est. 17 Nunc ergo si videtur regi bonum recenseat in bibliotheca regis que est in babilone vtrum nam a cyro rege iussum fuerit vt edificaretur domus dei in iherusalem: et voluntatem regis super hac re mittat ad nos.

6 Tunc darius rex precepit: et recensuerunt in bibliotheca librorum qui erant repositi in babilone: 2 et inuentum est in ecbatanis quod est castrum in medena prouincia volumen vnum: talisque scriptus erat in eo scriptus erat in eo commentarius. 3 Anno primo cyri regis· cyrus rex decreuit vt domus dei edificaretur que est in iherusalem in loco vbi immolant hostias: et vt ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta et latitudinem cubitorum sexaginta: 4 ordines de lapidibus impolitis tres: et sic ordines de lignis nouis. Sumptus autem de domo regis dabuntur. 5 Sed et vasa templi dei aurea et argentea que nabuchodonosor tulerat de templo iherusalem et attulerat ea in babilonem reddantur et referantur in templum iherusalem in locum suum: que et posita sunt in templo dei. 6 Nunc ergo thantannai dux regionis que est trans flumen et starbuzannai et consiliarij vestri apharsathei qui estis trans flumen procul recedite ab illis: 7 et dimittite fieri templum dei illud a duce iudeorum et a senioribus eorum: et domus dei illa edificetur in loco suo. 8 Sed et a me preceptum est· quid oporteat fieri a presbiteris iudeorum illis vt edificetur domus dei: scilicet vt de archa regis id est de tributis que dantur de regione trans flumen studiose sumptus dentur viris illis: ne impediatur opus. 9 Quod si necesse fuerit et vitulos et agnos et hedos in olocaustum deo celi: frumentum sal vinum et oleum secundum ritum sacerdotum qui sunt in iherusalem detur eis per singulos dies· ne sit in aliquo querimonia: 10 et offerant oblationes deo celi orentque pro vita regis et filiorum eius. 11 A me ergo positum est decretum: vt omnis homo qui hanc mutauerit iussionem tollatur lignum de domo ipsius et erigatur et configatur in eo: domus autem eius publicetur. 12 Deus autem qui habitare fecit nomen suum ibi: dissipet omnia regna· et populum qui extenderit manum suam vt repugnet· et dissipet domum dei illam que est in iherusalem. Ego darius statui decretum: quod studiose impleri volo. 13 Igitur thantannai dux regionis trans flumen et starbuzannai· et consiliarij eius secundum quod preceperat darius rex: sic diligenter executi sunt. 14 Seniores autem iudeorum edificabant: et prosperabantur iuxta prophetiam aggei prophete et zacharie filij addo. Et edificauerunt et construxerunt iubente deo israhel· et iubente cyro et dario· et artarxerse regibus persarum: 15 et compleuerunt domum dei istam· vsque ad diem tercium mensis adar: qui est annus sextus regni darij regis. 16 Fecerunt autem filij israhel sacerdotes et leuite· et reliqui filiorum transmigrationis· dedicationem domus dei in gaudio: 17 et obtulerunt in dedicatione domus dei vitulos centum· arietes ducentos· agnos quadringentos: hircos caprarum pro peccato totius israhel duodecim iuxta numerum tribuum israhel. 18 Et statuerunt sacerdotes in ordinibus suis: et leuitas in vicibus suis super opera dei in iherusalem: sicut scriptum est in libro moysi. 19 Fecerunt autem filij transmigracionis pascha quartadecima die mensis primi. 20 Purificati enim fuerant sacerdotes· et leuite quasi vnus: omnes mundi ad immolandum pascha vniuersis filijs transmigrationis· et fratribus suis sacerdotibus· et sibi. 21 Et comederunt filij israhel qui reuersi fuerant de transmigratione: et omnes qui se seperauerant a coinquinatione gentium terre ad ros: vt quererent dominum deum israhel. 22 Et fecerunt solemnitatem azimorum septem diebus in leticia

quoniam letificauerat eos dominus: et conuerterat cor regis assur ad eos: vt adiuuarent manus eorum in opere domus domini dei israhel.

7 Post hec autem verba· in regno artarxersis regis persarum· esdras filius saraie· filij azarie· filij helchie· [2] filij sellum· filij sadoch· filij achitob· [3] filij amarie· filij azarie· filij maraioth· [4] filij zarie· filij ozi· filij bocci· [5] filij abisue· filij finees· filij eleazar· filij aaron sacerdotis ab inicio: [6] ipse esdras ascendit de babilone: et ipse scriba velox in lege moysi· quam dominus deus dedit israhel. Et dedit ei rex secundum manum domini dei eius bonam super eum· omnem petitionem eius. [7] Et ascenderunt de filijs israhel· et de filijs sacerdotum· et de filijs leuitarum· et de cantoribus· et de ianitoribus· et de nachinneis· in iherusalem anno septimo artarxersis regis: [8] et venerunt in iherusalem mense quinto: ipse est annus septimus regis. [9] Quia in primo die mensis primi· cepit ascendere de babilone: et in primo die mensis quinti venit in iherusalem· iuxta manum dei sui bonam super se. [10] Esdras autem parauit cor suum· vt inuestigaret legem domini: et faceret· et doceret in israhel preceptum et iudicium. [11] Hoc est autem exemplar epistole edicti: quod dedit rex artarxerses esdre sacerdoti· scribe erudito in sermonibus et preceptis domini· et cerimonijs eius in israhel. [12] Artarxerses rex regum: esdre sacerdoti· scribe legis dei celi doctissimo· salutem. [13] A me decretum est: vt cuicunque placuerit in regno meo de populo israhel· et de sacerdotibus eius· et de leuitis ire in iherusalem· tecum vadat. [14] A facie enim regis· et septem consiliatorum eius missus es vt visites iudeam et iherusalem· in lege dei tui que est in manu tua: [15] et vt feras argen choros tum et aurum quod rex et consiliatores eius sponte obtulerunt deo israhel: cuius in iherusalem tabernaculum est. [16] Et omne argentum et aurum· quodcumque inueneris in vniuersa prouincia babilonis· et populus offerre noluerit: et de sacerdotibus qui sponte obtulerint domui dei sui que est in iherusalem [17] libere accipe: et studiose eme de hac pecunia vitulos· arietes· agnos· et sacrificia et libamina eorum· et offer ea super altare templi dei vestri quod est in iherusalem. [18] Sed et si quid tibi et fratribus tuis placuerit de reliquo argento et auro vt faciatis: iuxta voluntatem dei vestri facite. [19] Vasa quoque que dantur tibi in ministerium domus dei tui: trade in conspectu dei in iherusalem. [20] Sed et cetera quibus opus fuerit in domum dei tui: quantumcunque necesse est vt expendas· dabis de thesauro et de fisco regis· [21] et a me. Ego artarxerses rex statui atque decreui· omnibus custodibus arche publice qui sunt trans flumen: vt quodcumque petierit a vobis esdras sacerdos scriba legis dei celi· absque mora detis· [22] vsque ad argenti talenta centum· et vsque ad frumenti bathos choros centum· et vsque ad vini bathos vini olei centum: sal vero absque mensura. [23] Omne quod ad ritum dei celi pertinet· tribuatur diligenter in domo dei celi: ne forte irascatur contra regnum regis· et filiorum eius. [24] Vobis quoque notum facimus de vniuersis sacerdotibus et leuitis· cantoribus· et ianitoribus· nathinneis· et ministris domus dei huius: vt vectigal et tributum· et annonas· non habeatis potestatem imponendi super eos. [25] Tu autem esdra· secundum sapientiam dei tui que est in manu tua constitue iudices et presides· vt iudicent omni populo qui est trans flumen: hijs videlicet qui nouerunt legem dei tui: sed et imperitos docete libere. [26] Et omnis qui non fecerit legem dei tui et legem regis diligenter: iudicium erit de eo siue in mortem siue in exilium· siue in condemnationem substantie eius: vel certe in carcerem. [27] Benedictus dominus deus patrum nostrorum· qui dedit hoc in corde regis· vt glorificaret domum domini que est in iherusalem: [28] et in me inclinauit misericordiam suam coram rege et consiliatoribus eius· et vniuersis principibus regis potentibus Et ego confortatus manu domini dei mei que erat in me: congregaui de israhel principes qui ascenderunt mecum.

8 Hij sunt ergo principes familiarum· genealogia eorum qui ascenderunt mecum· in regno artarxersis regis de babilone. [2] De filijs finees: gerson. De filijs ythamar: daniel. De filijs dauid: attus. [3] De filijs sechenie· et de filijs pharos zacharias: et cum eo numerati sunt viri centumquinquaginta. [4] De filijs phetmoab· helioenai filius zaree: et cum eo ducenti viri. [5] De filijs sechenie filius ezechiel: et cum eo trecenti viri. [6] De filijs addan· nabeth filius ionathan: et cum eo quinquaginta viri. [7] De filijs helam· ysaias filius athalie: et cum eo septuaginta viri. [8] De filijs saphatie· zebedia filius michael: et cum eo octoginta viri. [9] De filijs ioab· obedia filius iheihel: et cum eo ducentidecem et octo viri. [10] De filijs selomich· filius iosphie: et cum eo centumsexaginta viri. [11] De filijs bebai· zacharias filius bebai: et cum eo vigiriocto viri. [12] De filijs ezeab· iohannan filius ezechan: et cum eo centumdecem viri. [13] De filijs adonicam· qui erant nouissimi· et hec nomina eorum· heliphelet· et heithel· et samaias: et cum eis sexaginta viri. [14] De filijs beggui vthai· et zachur: et cum eis septuaginta viri. [15] Congregaui autem eos ad fluuium· qui decurrit ad hauua: et mansimus ibi tribus diebus. Quesiuique in populo· et in sacerdotibus de filijs leui: et non inuenti ibi. [16] Itaque misi helizer et et semeam et helnathan· et arib et alterum helnathan et nathan· et zachariam· et mesolam· principes: et ioarib· et helnathan sapientes: [17] et misi eos ad heddo qui est primus in casphie loco. Et posui in ore eorum verba que loquerentur ad heddo· et ad fratres eius nathinneos in loco casphie· vt adducerent nobis ministros domus dei nostri. [18] Et adduxerunt nobis per manum dei nostri bonam super nos virum doctissimum· de filijs mooli· filij leui· filij israhel: et sarabiam· et filios eius et fratres eius decem et octo· [19] et asabiam· et cum eo ysaiam de filijs merari: fratresque eius et filios eius viginti. [20] Et de nathinneis· quos dederat dauid· et principes ad ministeria leuitarum: nathinneos ducentosuiginti. Omnes hij suis nominibus vocabantur. [21] Et predicaui ibi ieiunium iuxta fluuium hauua: vt affligeremur coram domino deo nostro· et peteremus ab eo viam rectam nobis· et filijs nostris· Esdre K F t N fhn x n D C Ct que Luime SL C Edes T L C I C T E E T n I c D n L C vniuerseque substantie nostre. [22] Erubui enim petere regem auxilium et equites· qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi. Manus dei nostri est super omnes qui querunt eum in bonitate: et imperium eius· et fortitudo eius· et furor super omnes qui derelinquunt eum. [23] Ieiunauimus autem et rogauimus deum nostrum pro hoc: et euenit nobis prospere. [24] Et separaui de principibus sacerdotum duodecim· sarabiam et asabiam: et cum eis de fratribus eorum decem. [25] Appendique eis argentum et aurum· et vasa consecrata domus dei nostri· que optulerat rex· et consiliatores eius· et principes eius: vniuersusque israhel· eorum qui inuenti fuerant. [26] Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta· et vasa argentea centum: auri centum talenta· [27] et crateras aureas viginti que habebant solidos millenos: et vasa eris fulgentis optimi duo· pulcra vt aurum. [28] Et dixi eis. Vos sancti domini· et vasa sancta: et argentum et aurum quod sponte oblatum est domino deo patrum nostrorum. [29] Vigilate et custodite: donec appendatis coram principibus sacerdotum· et leuitarum· et ducibus familiarum israhel in iherusalem· in thesaurum domus domini. [30] Susceperunt autem sacerdotes et leuite pondus argenti· et auri· et vasorum: vt deferrent iherusalem· in domum dei nostri. [31] Promouimus ergo a flumine hauua duodecima die mensis primi: vt pergeremus iherusalem. Et manus dei nostri fuit super nos: et liberauit nos de manu inimici et insidiatoris in via. [32] Et venimus iherusalem: et mansimus ibi diebus tribus. [33] Die autem quarta appensum est argentum et aurum et vasa in domo dei nostri per manum remoth filij vrie sacerdotis: et cum eo eleazar filius finees· cum que eis iozaded filius iosue et noadaia filius benno i leuite: [34] iuxta numerum· et pondus omnium. Descriptumque est omne pondus in tempore illo. [35] Sed et qui venerant de captiuitate filij transmigrationis obtulerunt olocaustomata deo israhel vitulos duodecim pro omni populo israhel: arietes nonagintasex· agnos septuagintaseptem· hircos pro peccato duodecim: omnia in olocaustum domino. [36] Dederunt autem edicta regis satrapis qui erant de conspectu regis· et ducibus trans flumen: et eleuauerunt populum et domum dei. postquam

9 Postquam autem hec completa sunt: acces serunt serunt ad me principes dicentes. Non est separatus populus israhel et sacerdotes et leuite a populis terrarum: et de abominationibus eorum chananci videlicet et ethei· et pheresei et ihebuzei· et ammonitarum et moabitarum et egiptiorum et amorreorum. [2] Tulerunt enim de filiabus eorum sibi et filijs suis: et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum. Manus etiam principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima. [3] Cunque audissem sermonem istum· scidi pallium meum et tunicam: et euelli capillos capitis mei et barbe: et sedi

merens. [4] Conueneruut autem ad me omnes qui timebant verbum dei israhel· pro transgressione eorum qui de captiuitate venerant: et ego sedebam tristis vsque ad sacrificium vespertinum. [5] Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea: et scisso pallio et tunica curuaui genua mea: et expandi manus meas ad dominum deum meum [6] et dixi. Deus meus confundor et erubesco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostre multiplicate sunt super caput nostrum: et delicta nostra creuerunt vsque ad celum [7] a diebus patrum nostrorum. Sed et nos ipsi peccauimus grauiter vsque ad diem hanc: et in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi· et reges nostri et sacerdotes nostri in manum regum terrarum: et in gladium et in captiuitatem et in rapinam et in confusionem vultus: sicut et die hac. [8] Et nunc quasi parum et ad momentum facta est deprecatio nostra apud dominum deum nostrum· vt dimitterentur nobis reliquie et daretur pax illius in loco sancto eius: et illuminaret oculos nostros deus noster· et daret nobis vitam modicam in seruitute nostra· [9] quia serui sumus: et in seruitute nostra non dereliquit nos deus noster: et inclinauit super nos misericordiam coram rege persarum· vt daret nobis vitam et sublimaret domum dei solitudines eius: nostri· et extrueret solitudines daret nobis spem in iuda et iherusalem. [10] Et nunc quid dicemus domine deus noster post hec? Quia dereliquimus mandata tua· [11] que precepisti in manu seruorum tuorum prophetarum dicens. Terra ad quam vos ingredimini vt possideatis eam terra immunda est iuxta immunditiam populorum ceterarumque terrarum: abominationibus eorum qui repleuerunt eam ab ore vsque ad os in coinquinatione sua. [12] Nunc ergo filias vestras ne detis filijs eorum et filias eorum ne accipiatis filijs vestris: et non queratis pacem eorum et prosperitatem eorum vsque in eternum: vt confortemini et comedatis que bona sunt terre· et heredes habeatis filios vestros vsque in seculum. [13] Et post omnia que venerunt super nos in operibus nostris pessimis· et in delicto nostro magno: quia tu deus noster liberasti nos de iniquitate nostra· et dedisti nobis salutem sicut est hodie: [14] vt non conuerteremur et irrita faceremus mandata tua· neque matrimonia iungeremus cum populis abominationum istarum. Nunquid iratus es nobis vsque ad consummationem: ne dimitteres nobis reliquias ad salutem? [15] Domine deus israhel iustus es tu: quoniam derelicti sumus qui saluaremur sicut die hac. Ecce coram te sumus in delicto nostro. Non enim stari potest coram te super hoc.

10 Hic Sic ergo orante esdra et implorante deum et flente· et iacente ante templum dei: collectus est ad eum de israhel cetus grandis nimis virorum et mulierum· et puerorum. Et fleuit populus multo fletu. [2] Et respondit sechenias filius iehiel de filijs helam: et dixit esdre. Nos preuaricati sumus in deum nostrum: et duximus vxores alienigenas de populis terre. Et nunc si est penitentia in israhel super hoc: [3] percutiamus fedus cum domino deo nostro· vt proiciamus vniuersas vxores· et eos qui de hijs nati sunt. Iuxta voluntatem domini et eorum qui timent preceptum domini dei nostri· secundum legem fiat. [4] Surge: tuum est discernere: nosque erimus tecum. Confortare et fac. [5] Surrexit ergo esdras et adiurauit principes sacerdotum et leuitarum et omnem israhel: vt facerent secundum verbum hoc. Et iurauerunt. [6] Et surrexit esdras ante domum dei: et abijt ad cubiculum iohannan filij eliasib: et ingressus est illuc. Panem non comedit: et aquam non bibit. lugebat enim transgressionem eorum qui venerant de captiuitate. [7] Et missa est vox in iuda et in iherusalem omnibus filijs transmigrationis· vt congregarentur in iherusalem: [8] et omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta consilium principum et seniorum· auferetur vniuersa substantia eius: et ipse abicietur de cetu transmigrationis. [9] Conuenerunt igitur omnes viri iuda et beniamin in iherusalem tribus diebus· ipse est mensis nonus· vicesima die mensis: et sedit omnis populus in platea domus dei· trementes pro peccato et pluuijs. [10] Et surrexit esdras sacerdos: et dixit ad eos. Vos transgressi estis et duxistis vxores alienigenas: vt adderetis super delictum israhel. [11] Et nunc date confessionem domino deo patrum vestrorum: et facite placitum eius: et separamini a populis terre· et ab vxoribus alienigenis. [12] Et respondit vniuersa multitudo: dixitque voce magna. Iuxta verbum tuum ad nos sic fiat. [13] Verumtamen quia populus multus est et tempus pluuie· et non sustinemus stare foris· et opus non est diei vnius vel duorum: vehementer quippe peccauimus in sermone isto: [14] constituantur principes in vniuersa multitudine: et omnes in ciuitatibus nostris qui duxerunt vxores alienigenas veniant in temporibus statutis· et cum hijs seniores per ciuitatem in ciuitatem et iudices eius: donec auertatur ira dei nostri a nobis super peccato hoc. [15] Igitur ionathan filius asahel· et iaazia filius thecue· steterunt super hoc: et mesollam· et sebethai leuites adiuuerunt eos. [16] Feceruntque sic filij transmigrationis. Et abierunt esdras sacerdos et viri principes familiarum in domos patrum suorum· et omnes per nomina sua: et sederunt in die primo mensis decimi· vt quererent rem. [17] Et consummati sunt omnes viri qui duxerunt vxores alienigenas: vsque ad diem primam mensis primi. [18] Et inuenti sunt de filijs sacerdotum qui duxerunt vxores alienigenas: de filijs iosue filij iiosedech et fratres eius maasia· et eliezer· et iarib· et godolia. [19] Et dederunt manus suas· vt eicerent vxores suas: et pro delicto suo arietem de ouibus offerrent. [20] Et de filijs emmer: anani et zebedia. [21] Et de filijs serim: masia et helia· et semeia· iehihel· et ozias. [22] Et de filijs phessur: helioenai· maasia· ysmahel· nathanael· [23] iozabeth et helesa. Et de filijs leuitarum: iosabeth· et semei· et celaia· ipse est calithaphathaina· phathaia· iuda· et eliezer. [24] Et de cantoribus eliasub: et de ianitoribus· sellum· et thelem et vri. [25] Et ex israhel· de filijs pharos: remeia· et ezia· et melhia· et miamim· et eliezer· et melchia· et banea. [26] Et de filijs elam: mathania· zacharias· et ihehihel· et abdi· et rimoth et helia. [27] Et de filijs zethua· helioenay· elyasib· nathania· et iherimuth· et zabeth· et aziza. [28] Et de filijs bebai: iohannan· anania· zabbai· athalai. [29] Et de filijs beni: mosolla· et melluch· et adaia· iasub· et saal· et ramoth. [30] Et de filijs phetmoab: edna· et chalaal· banaias· et maasias· mathanias· beselehel· benui· et manasse. [31] Et de filijs erem: eliezer· iesue· melchias· semeias· symeon· [32] beniamin· maloch· samarias. [33] Et de filijs asom· mathanai· matheth· azabeth· elpheleth· iermai· manasses semei. [34] De filijs bani· maaddi· amram· et huel· [35] baneas· et badaias· cheliau· [36] bannia· marimuth· et heliasib· [37] mathanias· mathanai· et iasi· [38] et bani· et benui· semei· [39] et salmias· et nathan· et adaias· [40] mechnedabai· sysai· sarai· [41] ezrel· et selemau· et semeria· [42] sellum· amaria· ioseph. [43] De filijs nebui· ahihel mathathias· zabeth· zabina· ieddu· et iohel· et banay. [44] Omnes hij accepeeant rant rant vxores alienigenas· et fuerunt ex eis mulieres que peperant filios.

Esdre II

Incipit liber neemie qui est esdre secundus.

1 Verba neemie Verba neemie filij helchie. Et factum est in mense casleu· anno vicesimo: et ego eram in susis caeram in susis anani et ego eram in susis ca [2] de fratribus vnus de fratribus meis· ipse et viri iuda. vnus et interrogaui eos de iudeis· qui remanserant et supererant de captiuitate et iherusalem. [3] Et dixerunt michi. Qui reman derelicti et derelicti sunt de captiuitate ibi in prouincia· in afflictione magna sunt et in opprobrio: et murus iherusalem dissipatus est: et porte eius combuste sunt igni. [4] Cumque audissem verba huiusmo huiuscemodi· sedi et fleui· et luxi diebus multis: et ieiunabam et orabam ante faciem dei celi: [5] et dixi. Queso domine deus celi fortis magne atque terribilis· qui custodis pactum et misericordiam cum hijs qui te diligunt· et custodiunt mandata tua: [6] fiant aures tue auscultantes· et

oculi tui aperti· vt audias orationem serui tui· quam ego oro coram te hodie nocte et die· pro filijs israhel seruis tuis: et confiteor pro peccatis filiorum israhel quibus peccauerunt tibi. Et ego et domus patris mei peccauimus: [7] vanitate seducti sumus: et non custodiuimus mandatum· et cerimonias et iudicia que precepisti moysi famulo tuo. [8] Memento verbi: quod mandasti moysi seruo tuo dicens. Cum transgressi fueritis ego disperdam vos in populos: [9] et si reuertamini ad me et custodiatis precepta mea et faciatis ea· etiam si abducti fueritis ad extrema celi inde congregabo vos: et reducam in locum quem elegi vt habitaret nomen meum ibi. [10] Et ipsi serui tui et populus tuus: quos redemisti in fortitudine tua magna· et in manu tua valida. [11] Obsecro domine sit auris tua attendens ad orationem serui tui et ad orationem seruorum tuorum qui volunt timere nomen tuuni: et dirige seruum tuum hodie: et da ei misericordiam ante virum hunc. Ego enim eram pincerna regis.

2 Factum est autem in mense nisan· anno vicesimo artarxersis regis: et vinum erat ante eum. Et leuaui vinum et dedi regi: et eram quasi languidus ante faciem eius. [2] Dixitque michi rex. Quare vultus tuus tristis est· cum te egrotum non videam? Non est hoc frustra: sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde ac nimis: [3] et dixi regi. Rex in eternum viue. Quare non mereat vultus meus: quia ciuitas domus sepulcrorum patris mei deserta est· et porte eius combuste sunt igni? [4] Et ait michi rex. Pro qua re postulas? Et oraui deum celi: [5] et dixi ad regem. Si videtur regi bonum· et si placet seruus tuus ante faciem tuam: vt mittas me in iudeam ad ciuitatem sepulcri patris mei: et edificabo eam. [6] Dixitque michi rex: et regina que sedebat iuxta eum. Vsque ad quod tempus erit iter tuum: et quando reuerteris? Et placuit ante vultum regis: et misit me. Et constitui ei tempus: [7] et dixi regi. Si regi videtur bonum· epistolas det michi ad duces regionis trans flumen· vt traducant me donec veniam in iudeam: [8] et epistolam ad asaph custodem saltus regis· vt det michi lingua: vt tegere possim portas templi turres domos et muros ciuitatis· et domum quam ingressus fuero. Et dedit michi rex: iuxta manum dei mei bonam mecum. [9] Et veni ad duces regionis trans flumen: dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum· et equites. [10] Et audierunt sanaballath oronites· et tobias seruus amanites et contristati sunt afflictione magna: quod venisset homo qui quereret prosperitatem filiorum israhel. [11] Et veni iherusalem: et eram ibi tribus diebus. [12] Et surrexi nocte ego et viri pauci mecum: et non indicaui cuiquam quid dominus dedisset in corde meo vt facerem in iherusalem: et iumentum non erat mecum· nisi animal cui sedebam. [13] Et egressus sum per portam vallis nocte· et ante fontem draconis· et ad portam stercoris: et considerabam murum iherusalem dissipatum: et portas eius consumptas igni. [14] Et transiui ad portam fontis· et ad aqueductum regis: et non erat locus iumento cui sedebam· vt transiret. [15] Et ascendi per torrentem nocte· et considerabam murum: et reuersus veni ad portam vallis et redij. [16] Magistratus autem nesciebant quo abissem: aut quid ego facerem. Sed et iudeis· et sacerdotibus et optimatibus et magistrantibus stratibus et reliquis qui faciebant opus· vsque ad id loci nichil indicaueram. [17] Et dixi eis. Vos nostis afflictionem in qua sumus: quia iherusalem deserta est: et porte eius consumpte sunt igni. Venite et edificemus muros iherusalem: et non simus vltra opprobrium. [18] Et indicaui eis manum dei mei· quod esset bona mecum: et verba regis que locutus est michi: et aio. Surgamus: et edificemus. Et confortate sunt manus eorum in bono. [19] Audierunt autem sanaballath oronites et tobias seruus amanites· et gosem arabs· et subsannauerunt nos: et despexerunt· dixeruntque. Que est hec res quam facitis? Nunquid contra regem vos rebellatis? [20] Et reddidi eis sermonem: dixique ad eos. Deus celi ipse nos iuuat: et nos serui eius sumus. Surgamus: et edificemus. Vobis autem non est pars et iusticia et memoria in iherusalem.

3 Et surrexit eliasib sacerdos magnus. et fratres eius sacerdotes: et edificauerunt portam gregis. Ipsi sanctificauerunt eam· et statuerunt valuas eius: et vsque ad turrim centum cubitorum· sanctificauerunt eam: vsque ad turrim ananehel. [2] Et iuxta eum edificauerunt viri iherichо: et iuxta eos edificauit zacchur filius amri. [3] Portam autem piscium edificauerunt filij asnaa: ipsi texerunt eam· et statuerunt valuas eius· et seras et vectes. Et iuxta eos edificauit marimuth: filius vrie· filij accus. [4] Et iuxta eum edificauit mosollam filius barachie filius mesezebel. Et iuxta eum edificauit sadoch filius baana. [5] Et iuxta eum edificauerunt thecueni. Optimates autem eorum non supposuerunt colla sua: in opere domini dei sui. [6] Et portam veterem edificauerunt ioiada filius phasea· et mosollam filius besodia: ipsi texerunt eam: et statuerunt valuas eius· et seras et vectes. [7] Et iuxta eos edificauerunt melechias gabaonites· et iadon meronathites· viri de gabaon et maspha: pro duce qui erat in regione trans flumen. [8] Et iuxta eum edificauit eziel filius araia· aurifex. Et iuxta eum edificauit ananias filius pigmentarij: et dimiserunt iherusalem vsque ad murum platee latioris. [9] iuxta eum edificauit raphaia filius ahur princeps vici iherusalem. [10] Et iuxta eum edificauit ieiada filius aromath: contra domum suam. Et iuxta eum edificauit atthus filius asebonie. [11] Mediam partem vici edificauit melchias filius erem· et asub filius phetmoab: et turrim furnorum. [12] Et iuxta eos edificauit sellum filius aloes· princeps medie partis vici iherusalem: osee et filij eius. [13] Et portam vallis edificauit annun et habitatores zanoe: ipsi edificauerunt eam: et statuerunt valuas eius et seras et vectes: et mille cubitos in muro vsque ad portam sterquilinij. [14] Et portam sterquilinij edificauit melchias filius rechab: priceps vici bethacharem. Ipse edificauit eam: et statuit valuas eius et seras et vectes. [15] Et portam fontis edificauit sellum filius colozai: princeps pagi maspha. Ipse edificauit eam et texit: et statuit valuas eius et seras et vectes: et muros piscine syloe in ortum regis· et vsque ad gradus qui descendunt de ciuitate dauid. [16] Post eam edificauit neemias filius azboch princeps dimidie partis vici bethsur vsque contra sepulcrum dauid: et vsque ad piscinam que grandi opere constructa est· et vsque ad domum fortium. [17] Post eum edificauerunt leuite: reum filius beni. Post eos edificauit asebias priceps dimidie partis vici ceile: in vico suo. [18] Post eum edificauerunt fratres eorum: bechui filius enadad princeps dimidie partis ceile. [19] Et edificauit iuxta eum azer filius iosue princeps maspha mensuram secundam: contra ascensum firmissimi anguli. [20] Post eum in monte edificauit· baruch filius zachai mensuram secundam: ab angulo vsque ad portam domus eliasib sacerdotis magni. [21] Post eum edificauit merimuth filius vrie filij arthus mensuram secundam a porta domus eliasib: donec extenderetur domus eliasib. [22] Et post eum edificauerunt sacerdotes: viri de campestribus iordanis. [23] Post eos edificauit beniamin et asub: contra domum suam. Et post eos edificauit azarias filius maasie filij ananie: contra domum suam. [24] Post eum edificauit bennui filius ennada· mensuram secundam· a domo azarie vsque ad flexuram· et vsque ad angulum. [25] Post eum edificauit palel filius ozi· contra flexuram et turrim· que eminet de domo regis excelsa id est in atrio carceris. Post eum phadaia filius feros. [26] Machinnei autem habitabant in ofel· vsque contra portam aquarum ad orientem· et turrim que prominebat. [27] Post eos edificauerunt thecueni mensuram secundam e regione: a turre magna et eminenti vsque ad murum templi. [28] Sursum autem ad portam equorum edificauerunt sacerdotes: vnusquisque contra domum suam. [29] Post eos edificauit seddo filius emmer: contra domum suam. Et post eum edificauit semeia filius sechenie: custos porte orientalis. [30] Post eum edificauerunt anania filius selemie· et anon filius selo sextus: mensuram secundam. Post eum edificauit mesollam filius barachie: contra gazophilatium suum. Post eum edificauit melchias filius aurificis· vsque ad domum nathinneorum et scuta vendentium· contra portam iudicialem: et vsque ad cenaculum anguli. [31] Et inter cenaculum anguli in porta gregis edificauerunt artifices et negociatores.

4 Factum est autem cum audisset sanaballath quod edificaremus murum: iratus est valde. Et motus nimis· subsannauit iudeos: [2] et dixit coram fratribus suis et frequentia samaritanorum. Quid iudei faciunt inbecilles: Num dimitter eos gentes? Num sacrificabunt· et complebunt in vna die? Nunquid edificare poterunt lapides de aceruis pulueris: qui combusti sunt? [3] Sed et tobias amanites proximus eius ait. Edificent. Si ascenderit vulpes:

transiliet murum eorum lapideum. [4] Audi deus noster quia facti sumus despectui. Conuerte opprobrium super caput eorum: et da eos in despectionem in terra captiuitatis. [5] Ne operias in iqnitatem eorum: et peccatum eorum coram facie tua non deleatur: quia irriserunt edificantes. [6] Itaque edificauimus murum: et coniunximus totum vsque ad partem dimidiam: et prouocatum est cor populi ad operandum. [7] Factum est autem cum audisset sana sanaballach et tobias et arabes et amanite et azotij quod obducta esset cicatrix muri iherusalem· et quod cepissent interrupta concludi: irati sunt nimis. [8] Et congregati sunt omnes pariter vt venirent et pugnarent contra iherusalem: et molirentur insidias. [9] Et orauimus deum nostrum: et posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos. [10] Dixit autem iudas. Debilitata est fortitudo portantis: et humus minima est: et nos non poterimus edificare murum. [11] Et dixerunt hostes nostri. Nesciant et ignorent donec veniamus in medium eorum· et interficiamus eos: et cessare faciamus opus. [12] Factum est autem venientibus iudeis qui habitabant iuxta eos et dicentibus nobis per decem vices ex omnibus locis quibus venerant ad nos: [13] statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladijs suis et lanceis et arcubus. [14] Et perspexi atque surrexi· et animo ad optimates et magistratus· et ad reliquam partem vulgi. Nolite timere a facie eorum. Domini magni· et terribilis mementote: et pugnate pro fratribus vestris· filijs vestris· et filiabus vestris· et vxoribus vestris· et domibus vestris. [15] Factum est autem cum audissent inimici nostri nunciatum esse nobis: dissipauit deus consilium eorum. Et reuersi sumus omnes ad muros: vnusquisque ad opus suum. [16] Et factum est a die illa: media pars iuuenum eorum faciebat opus· et media parata erat ad bellum: et lancee· et scuta· et arcus· et lorice: et principes post eos in omni domo iuda [17] edificantium muros: et portantium onera et imponentium. Vna manu sua faciebat opus: et altera tenebat gladium. [18] Edificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes. Et edificabant et clangebant bucina iuxta me. [19] Et dixi ad optimates et ad magistratus: et ad reliquam partem vulgi. Opus grande est et latum: et nos separati sumus in muro procul alter ab altero. [20] In loco quocunque audieritis clangorem tube: illuc concurrite ad nos. Deus noster pugnabit pro nobis: [21] et nos ipsi faciamus opus. Et media pars nostrum teneat lanceas· ab ascensu aurore donec egrediantur astra. [22] In tempore quoque illo dixi populo. Vnusquisque cum puero suo maneat in medio iherusalem: et sint vobis vices per noctem et diem ad operandum. [23] Ego autem et fratres mei et pueri mei· et custodes qui erant post me: non deponebamus vestimenta nostra. Vnusquisque tantum nudabatur ad baptismum.

5 Et factus est clamor populi et vxorum eius magnus: aduersus fratres suos iudeos. [2] Et erant qui dicerent. Filij nostri et filie nostre multe sunt nimis. Accipiamus pro precio eorum frumentum: et comedamus et viuamus. [3] Et erant qui dicerent. Agros nostros et vineas et domos nostras opponamus: et accipiamus frumentum in fame. [4] Et alij dicebant. Mutuo sumamus pecunias in tributa regis: demusque agros nostros et vineas. [5] Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum sic carnes nostre sunt: et sicut filij eorum ita et filij nostri. Ecce nos subiugamus filios nostros et filias nostras in seruitutem: et de filiabus nostris sunt famule· nec habemus vnde possint redimi: et agros nostros et vineas nostras alij possident. [6] Et iratus sum nimis: cum audissem clamorem eorum secundum verba hec. [7] Cogitauitque cor meum. et increpui optimates et magistratus: et dixi eis. Vsurasne singuli a fratribus vestris exigitis? Et congregaui aduersum eos contionem magnam: [8] et dixi eis. Nos vt scitis redemimus fratres nostros iudeos qui venditi fuerant gentibus secundum possibilitatem nostram. Et vos igitur vendite fratres nostros: et redimemus eos? Et siluerunt: nec inuenerunt quid responderent. [9] Dixique ad eos. Non est bona res quam facitis. Quare non in timore dei nostri ambulatis: ne exprobretur nobis agentibus inimicis nostris? [10] Et ego et fratres mei et pueri mei comodauimus plurimis pecuniam et frumentum. Non repetamus in commune istud. Es alienum concedamus: quod debetur nobis. [11] Reddite eis hodie agros suos: et vineas suas· et oliueta sua et domos suas. Quin potius et centesimam pecunie frumenti vini et olei quam exigere soletis ab eis: date pro illis. [12] Et dixerunt. Reddemus: et ab eis nichil queremus: sicque faciemus vt loqueris. Et vocaui sacerdotes: et adiuraui eos vt facerent iuxta quod dixeram. [13] Insuper excussi sinum meum· et dixi. Sic excutiat deus omnem virum qui non compleuerit verbum istud· de domo sua et de laboribus suis. Sic excutiatur: et vacuus fiat. Et dixit vniuersa multitudo amen. Et laudauerunt deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum. [14] A die autem illa quam preceperat rex michi vt essem dux in terra iuda ab anno vicesimo vsque ad annum tricesimum secundum artarxersis regis per annos duodecim: ego et fratres mei annonas que ducibus debebantur non comedimus. [15] Duces autem primi qui fuerunt aute me grauauerunt populum: et acceperunt ab eis in pane et vino et pecunia quotidie siclos quadraginta. Sed et ministri eorum depresserant populum. Ego autem non feci ita propter timorem dei. [16] Quin potius in opere muri edificaui: et agrum non emi: et omnes pueri mei congregati ad opus erant. [17] Iudei quoque et magistratus· centumquinquaginta viri· et qui veniebant ad nos de gentibus que in circuitu nostro sunt: in mensa mea erant. [18] Parabatur autem michi per dies singulos bos vnus· arietes sex electi· exceptis volatilibus: et inter dies decem vina diuersa: et alia multa tribuebam. Insuper et annonnas ducatus mei non quesiui. Valde enim erat attenuatus populus. [19] Memento mei deus meus in bonum: secundum omnia que feci populo huic.

6 Factum est autem cum audisset sanaballath et tobias· et iosem arabs· et ceteri inimici nostri quod edificassem ego murum· et non esset in ipso residua interruptio: vsque ad tempus autem illud valuas non posueram in portis: [2] miserunt sanaballath. et gosem arabs· ad me dicentes. Veni et percutiamus fedus pariter in vitulis in campo vno. Ipsi autem cogitabant vt facerent michi malum. [3] Misi ergo ad eos nuncios dicens. Opus grande ego facio et non possum descendere: ne forte negligatur cum venero et descendero ad vos. [4] Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: et respondi eis iuxta sermonem priorem. [5] Et misit ad me sanaballath iuxta verbum prius quinta vice puerum suum: et epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo. [6] In gentibus auditum est. et gosem dixit· quod tu et iudei cogitetis rebellare· et propterea edifices murum: et leuare te velis super eos regem: propter quam causam [7] et prophetas posueris qui predicent de te in iherusalem dicentes. Rex in iudea est. Auditurus est rex verba hec. Idcirco nunc veni: vt ineamus consilium pariter. [8] Et misi ad eos dicens. Non est factum secundum verba hec que tu loqueris. De corde enim tuo tu componis hec. [9] Omnes enim hij terrebant nos: cogitantes quod cessarent manus nostre ab opere et quiesceremus. Quam ob causam magis confortaui manus meas. [10] Et ingressus sum domum samaie filij dalaie· filij methabehel secreto. Qui ait. Tractemus nobiscum in domo dei in medio templi· et claudamus portas edis: quia venturi sunt vt interficiant te: et nocte venturi sunt ad occidendum te. [11] Et dixi. Num quisquam similis mei fugit? Et quis vt ego ingredietur templum et viuet? Non ingrediar. [12] Et intellexi quod deus non misisset eum: sed quasi vaticinans locutus esset ad me: et tobias et sanaballath conduxissent eum. [13] Acceperat enim precium vt territus facerem et peccarem: et haberent malum quod exprobrarent michi. [14] Memento mei domine pro tobia et sanaballath· iuxta opera eorum talia: sed et noadie prophete et ceterorum prophetarum qui terrebant me. [15] Completus est autem murus vicesimoquinto die mensis elul· quinquagintaduobus diebus. [16] Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri vt timerent vniuerse gentes que erant in circuitu nostro: et conciderent intra semetipsos: et scirent quod a domino factum esset opus hoc. [17] Sed et in diebus illis multe optimatum iudeorum epistole mittebantur ad tobiam: et a tobia veniebant ad eos. [18] Multi enim erant in iudea habentes iuramentum eius: quia gener erat sechenie filij iorei: et iohanan filius eius acceperat filiam mesollam filij barachie. [19] Sed et laudabant eum coram me: et verba mea nunciabat ei. Et tobias mittebat epistolas vt terreret me.

7 Postquam autem edificatus est murus· et posui valuas· et recensui ianitores et cantores et leuitas: [2] precepi anenin fratri meo et ananie

principi domus de iherusalem: ipse enim quasi vir verax et timens deum plus ceteris videbatur. [3] Et dixi eis. Non aperiant porte iherusalem vsque ad calorem solis. Cumque adhuc assisterent: clause porte sunt et oppilate. Et posui custodes de habitatoribus iherusalem singulos per vices suas: et vnumquenque contra domum suam. [4] Ciuitas autem erat lata nimis et grandis: et populus paruus in medio eius: et non erant domus edificate. [5] Deus autem dedit in corde meo: et congregaui optimates et magistratus et vulgus vt recenserem eos. Et inueni librum census eorum qui ascenderant primum: et inuentum est scriptum in eo. [6] Isti filij prouincie qui ascenderunt de captiuitate migrantium quos transtulerat nabuchodonosor rex babilonis et reuersi sunt in iherusalem et in iudeam· vnusquisque in ciuitatem suam: [7] qui venerant cum zorobabel: iosue· neemias· azarias· raamias naamin· mardocheus· belsar· mespharat· leggocu· naum· baana. Numerus virorum populi israhel. [8] Filij pharos duo milia centumseptuagintaduo. [9] Filij saphatia: trecentiseptuagintaduo. [10] Filij area: sexcentiquinquagintaduo. [11] Filij phermoab filiorum iosue et ioab: duo milia octingentidecem et octo. [12] Filij helam: mille octingentiquinquagintaquatuor. [13] Filij zethua: nongentiquadragintaquinque. [14] Filij zachai: septingentisexaginta. [15] Filij bennui: sexcentiquadragintaocto. [16] Filij bebai: sexcentiuigintiocto. [17] Filij azgad: duo milia trecenti viginti duo. [18] Filij adonicam: sexcentisexagintaseptem. [19] Filij beguai: duo milia sexagintaseptem. [20] Filij adin: sexcentiquinquagintaquinque. [21] Filij ather filij ezechie: nongentiocto. [22] Filij asem: trecentiuigintiocto. [23] Filij besai: trecentiuigintiquatuor. [24] Filij areph: centumduodecim. [25] Filij gabaon: nonagintaquinque. [26] Filij bethleem et netupha: centumoctogintaocto. [27] Viri anachor: centumuigintiocto. [28] Viri bethamoth: quadragintaduo. [29] Viri cariathiarim cephira et beroth: septingentiquadragintatres. [30] Viri rama et nebo: sexcentiuigintiunus. [31] Viri machmas: centumuigintiduo. [32] Viri bethel et chai: ducentiuigintitres. [33] Viri nebo alterius: quinquagintaduo. [34] Viri helam alterius: milleducentiquinquagintaquatuor. [35] Filij arem: trecentiuiginti. [36] Filij iericho: trecentiquadragintaquinque. [37] Filij lodadin et ono: septigentiuigintiunus. [38] Filij senaa: tria milia nongentitriginta. [39] Sacerdotes. Filij idaia in domo iesua: nongentiseptuagintatres. [40] Filij emmer: millequinquagintaduo. [41] Filij phessur: mille ducentiquadragintaseptem. [42] Filij arem: milledecem et septem. leuite. [43] Filij iosue et cedmihel· filiorum [44] odeuie: septuagintaquatuor. Cantores. [45] Filij sia asaph: centumquadragintaocto. [46] Ianitores. Filij sellum· filij ather· fisul thelmon· filij accub· filij athira· filij sobai· centumtrigintaocto. Machinnei. [47] Filij soa· filij asupha· filij thebaoth· [48] filij ceros· filij siaa· filij fadon· filij lebana· filij agaba· [49] filij selmon· filij anan· filij geddel· filij gaer· [50] filij raahia· filij rasin· filij nechoda· [51] filij iezem· filij aza· filij phazea· [52] filij besai· filij munim· filij nephusim· [53] filij bechue· filij acupha· filij azur· [54] filij belluch· filij maida· filij arsa· [55] filij berchos· filij sizara· filij thema· [56] filij nasia· filij atupha· [57] filij seruorum salomonis· filij sothai· filij sopherech· filij pheruda· [58] filij iahala· filij dercon· filij gedel· [59] filij saphara· filij athil· filij focereth· qui erat ortus ex asbaim filio ammon. [60] Omnes nathinnei· et filij seruorum salomonis: trecentinonagintaduo. [61] Hij sunt autem qui ascenderunt de thelmala thelarsa· cherub adon et emmer: et non potuerunt indicare domum patrum suorum· et semen suum: vtrum ex israhel essent. [62] Filij dalaia· filij tobia· filij nechoda· sexcentiquadragintaduo. [63] Et de sacerdotibus· filij iobia· filij accos· filij berzellai· qui accepit de filiabus berzellai galaaditidis vxorem: et vocatus est nomine eorum. [64] Hij quesierunt scripturam suam in censu et non inuenerunt: et eiecti sunt de sacerdotio. [65] Dixitque athersatha eis vt non manducarent de sanctis sanctorum: donec staret sacerdos doctus et eruditus. [66] Omnis multitudo quasi vnus· quadragintaduo milia sexcentisexaginta: [67] absque seruis et ancillis eorum qui erant septem milia trecentitrigintaseptem: et inter eos cantores et cantatrices ducente. [68] Equi eorum sexcentitrigintaseptem: muli eorum ducentiquadragintaquinque: [69] cameli eorum quadringentitrigintaquinque: asini sex milia septingentiuiginti. Hucusque refertur quid in comentario scriptum fuerit: exin neemia historia texitur. [70] Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum· auri draginas mille: phialas quinquaginta: tunicas sacerdotales quingentastriginta. [71] Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis auri dragmas viginti milia· et argenti mnas duo milia ducentas. [72] Et quod dedit reliquus populus auri dragmas viginti milia· et argenti mnas duo milia· et tunicas sacerdotales· sexagintaseptem. [73] Habitauerunt autem sacerdotes et leuite et ianitores et cantores et reliquum vulgus et nathinei et omnis israhel in ciuitatibus suis.

8 Et Et venerat mensis septimus. Filij autem israhel erant in ciuitatibus suis. Congregatusque omnis populus quasi vir vnus ad plateam que est ante portam aquarum: et dixerunt esdre scribe vt afferret librum legis moysi: quam preceperat dominus israheli. [2] Attulit ergo esdras sacerdos legem coram multitudine virorum et mulierum· cunctisque qui poterant intelligere: in die prima mensis septimi. [3] Et legit in eo aperte in platea que erat ante portam aquarum· de mane vsque ad mediam diem: in conspectu virorum et mulierum et sapientium. Et aures omnis populi erant erecte ad librum. [4] Stetit autem esdras scriba super gradum ligneum quem fecerat ad loquendum· et steterunt iuxta eum· mathathia· et senia· et ania· et vria· et elchia· et maasia ad dexteram eius· et ad sinistram phadaia· misahel· et melchia· et asum· et aseph dana zacharia· et mosollam. [5] Et aperuit esdras librum coram omni populo. Super vniuersum quippe populum eminebat. Et cum aperuisset eum: stetit omnis populus. [6] Et benedixit esdras domino deo· voce magna. Et respondit omnis suas. Et incuruati sunt: et adorauerunt omnis populus· amen· amen: eleuans manus suas. Et incuruati sunt: et adorauerunt deum proni in terram. [7] Porro iesue· et baani· et serabia· yamin accub· septhai· odia· maasia· celita· azarias· iozabed· anani· phalaia leuite· silentium faciebant in populo: ad audiendam legem. Populus autem stabat in gradu suo. [8] Et legerunt in libro legis dei distincte· et aperte ad intelligendum: et intellexerunt cum legeretur. [9] Dixit autem neemias· ipse est athersatha· et esdras sacerdos et scriba· et leuite interpretantes vniuerso populo. Dies sanctificatus est domino deo nostro. Nolite lugere et nolite flere. Flebat enim omnis populus: cum audiret verba legis. [10] Et dixit eis. Ite comedite pinguia et bibite mulsum: et mittite partes eis qui non preparauerunt sibi quia sanctus dies domini est: et nolite contristari. Gaudium etenim domini est fortitudo nostra. [11] Leuite autem silentium faciebant in omni populo dicentes. Tacete: quia dies sanctus est: et nolite dolere. [12] Abijt itaque omnis populus vt comederet· et biberet et mitteret partes: et faceret leticiam magnam: quia intellexerant verba que docuerat eos. [13] Et in die secundo congregati sunt principes familiarum vniuersi populi sacerdotes et leuite ad esdram scribam: vt interpretaretur eis verba legis. [14] Et inuenerunt scriptum in lege· precepisse dominum in manu moysi· vt habitent filij israhel in tabernaculis in die solemni mensis septimi: [15] et vt predicent et diuulgent vocem in vniuersis vrbibus suis· et in iherusalem dicentes. Egredimini in montem· et afferte frondes oliue· et frondes ligni pulcerrimi· frondes mirti· et ramos palmarum: et frondes ligni nemorosi· vt fiant tabernacula sicut scriptum est. [16] Et egressus est populus et attulerunt. Feceruntque sibi tabernacula vnusquisque in domate suo et in atrijs suis: et in atrijs domus dei· et in platea porte aquarum: et in platea porte ephraim. [17] Fecit ergo vniuersa ecclesia eorum que redierant de captiuitate tabernacula: et habitauerunt in tabernaculis. Non enim fecerant a diebus iosue filij nun· taliter filij israhel: vsque ad diem illum· Et fuit leticia magna nimis. [18] Legit autem in libro legis dei· per dies singulos· a die primo vsque ad diem nouissimum: et feceruut solemnitatem septem diebus: et in die octauo collectam iuxta ritum.

9 In In die autem vicesimoquarto mensis huius conuenerunt filij israhel in ieiunio· et in saccis: et humus super eos. [2] Et separatum est semen filiorum israhel ab omni filio alienigena: et steterunt et confitebantur peccata sua et iniquitates patrum suorum. [3] Et consurrexerunt ad standum: et legerunt in volumine legis domini dei sui quater in die: et quater confitebantur· et adorabant dominum deum suum. [4] Surrexerunt autem super gradum leuitarum iosue et bani· et cedmihel· remni· sabnia· abani· sarebias bani·

chanani: et clamauerunt magna voce ad dominum deum suum. [5] Et dixerunt leuite· iosue· et chedmiel· bonni· asebia· serebia· arebia· odaia· sebna· faraia. Surgite: benedicite domino deo nostro· ab eterno vsque in eternum. Et benedicant nomini glorie tue excelso: in omni benedictione et laude. [6] Tu ipse domine solus: tu fecisti celum et celum celorum et omnem exercitum eorum· terram et vniuersa que in ea sunt: maria et omnia que in eis sunt. Et tu viuificas omnia hec: et exercitus celi te adorat. [7] Tu ipse domine deus qui elegisti abram et eduxisti eum de igne chaldeorum: et posuisti nomen eius abraham· [8] et inuenisti cor eius fidele coram te: et percussisti cum eo fedus vt dares ei terram chananei· ethei· et amorrei· et pherezei· et iebusei· et gergesei· vt dares semini eius. Et implesti verba tua quoniam iustus es. [9] Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in egipto· clamoremque eorum audisti super mare rubrum: [10] et dedisti signa et portenta in pharaone· et in vniuersis seruis eius: et in omni populo terre illius. Cognouisti enim quia superbe ege egerant rant contra eos: et fecisti tibi nomen· sicut et in hac die. [11] Et mare diuisisti ante eos: et transierunt per medium maris in sicca. Persecutores autem eorum proiecisti in profundum quasi lapidem in aquas validas: [12] et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem· et in columna ignis per noctem: vt appareret eis via per quam ingrediebantur. [13] Ad montem quoque synai descendisti: et locutus es cum eis de celo: et dedisti eis iudicia recta et legem veritatis· cerimonias· et precepta bona. [14] Et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis: et mandata et cerimonias et legem precepisti eis in manu moysi serui tui. [15] Panem quoque de celo dedisti eis in fame eorum: et aquam de petra eduxisti eis sicientibus. Et dixisti eis vt ingrederentur et possiderent terram: super quam leuasti manum tuam vt traderes eis. [16] Ipsi vero et patres nostri superbe egerunt· et indurauerunt ceruices suas: et non audierunt mandata tua: [17] et noluerunt audire: et non sunt recordati mirabilium tuorum que feceras eis. Et indurauerunt ceruices suas: et dederunt caput vt conuerterentur ad seruitutem suam quasi per contentionem. Tu autem deus propitius clemens et misericors longanimis et multe miserationis: non dereliquisti eos. [18] Et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem et dixissent· iste est deus tuus qui eduxit te de egipto· feceruntque blasphemias magnas: [19] tu autem in misericordijs tuis multis non dimisisti eos in deserto. Columna nubis non recessit ab eis per diem· vt duceret eos in viam: et columna ignis per noctem: vt ostenderet eis iter per quod ingrederentur. [20] Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos: et manna tuum non prohibuisti ab ore eorum: et aquam dedisti eis in siti. [21] Quadraginta annis pauisti eos in deserto: nichilque eis defuit. Vestimenta eorum non inueterauerunt: et pedes eorum non sunt attriti. [22] Et dedisti eis regna et populos: et partitus es eis sortes. Et possederunt terram seon· et terram regis esebon: et terram og regis basan. [23] Et multiplicasti filios eorum sicut stellas celi: et adduxisti eos ad terram de qua dixeras patribus eorum vt ingrederentur et possiderent. [24] Et venerunt filij: et possederunt terram. Et humiliasti coram eis habitatores terre chananeos: et dedisti eos in manu eorum· et reges eorum· et populos terre: vt facerent eis sicut placebat illis. [25] Ceperunt itaque vrbes munitas· et humum pinguem: et possederunt domos plenas cunctis bonis· cisternas ab alijs fabricatas: vineas et oliueta· et ligna pomifera multa. Et comederunt et saturati sunt· et impinguati sunt et abundauerunt delicijs in bonitate tua magna. [26] Prouocauerunt autem te ad iracundiam· et recesserunt a te: et proiecerunt legem tuam post terga sua. Et prophetas tuos occiderunt qui contestabantur eos vt reuerterentur ad te: feceruntque blasphemias grandes. [27] Et dedisti eos in manum hostium suorum: et afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis sue clamauerunt ad te: et tu de celo audisti· et secundum miserationes tuas multas. Dedisti eis saluatores: qui saluarent eos de manu hostium suorum. [28] Cumque requieuissent reuersi sunt vt facerent malum in conspectu tuo: et dereliquisti eos in manu inimicorum suorum: et possederunt eos. Conuersique sunt et clamauerunt ad te. Tu autem de celo exaudisti et liberasti eos· in misericordijs tuis multis temporibus: [29] et contestatus es eos vt reuerterentur ad legem tuam. Ipsi vero superbe egerunt: et non audierunt mandata tua· et in iudicijs tuis peccauerunt: que faciet homo· et viuet in eis. Et dederunt humerum recedentem: et ceruicem suam indurauerunt: nec audierunt. [30] Et protraxisti super eos annos multos: et contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum: et non audierunt: et tradidisti eos· in manum populorum terrarum. [31] In misericordijs autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem: nec dereliquisti eos: quoniam deus miserationum et clemens es tu. [32] Nunc itaque deus noster: magne· fortis et terribilis· custodiens pactum et misericordiam: ne auertas a facie tua omnem laborem qui inuenit nos· reges nostros· principes nostros· et sacerdotes nostros· et prophetas nostros· et patres nostros· et omnem populum tuum: a diebus regis assur vsque in diem hanc. [33] Et tu iustus es in omnibus que venerunt super nos· quia veritatem fecisti: nos autem impie egimus. [34] Reges nostri· principes nostri· sacerdotes nostri· et patres nostri· non fecerunt legem tuam: et non attenderunt mandata tua et testimonia tua que testificatus es in eis. [35] Et ipsi in regnis suis bonis· et in bonitate tua multa quam dederas eis. et in terra latissima et pingui quam tradideras in conspectu eorum· non seruierunt tibi: nec reuersi sunt a studijs suis pessimis. [36] Ecce nos ipsi hodie serui sumus: et terra quam dedisti patribus nostris vt comederent panem eius et que bona sunt eius: et nos ipsi serui sumus in ea. [37] Et fruges eius multiplicantur regibus posuisti super nos propter peccata nostra: et corporibus nostris dominantur et iumentis nostris secundum voluntatem suam: et in tribulatione magna sumus. [38] Super omnibus ergo hijs nos ipsi percutimus fedus et scribimus: et signant principes nostri: leuite nostri et sacerdotes nostri.

10 Signatores autem fuerunt· neemias athersatha· filius achelai: et sedechias· [2] saraias· azarias· iheremias· [3] phessur· amarias· melchias· [4] accus sebenia· melluc [5] maarem merimuth· obdias· [6] daniel· genton· baruch· [7] mosollam· abian· miamin· [8] mazia· belga· semeia· hij sacerdotes. [9] Porro leuite· iosue filius azarie· bennui de filijs enadad· cedmihel· [10] et fratres eorum: sechenia· odeuia· celita· phalaia· anan· [11] micha· roob· asebia· [12] zacchur· serebia· sabania· [13] odia· bani· baninu. [14] Capita populi· feros· phetmoab· elam· zethu· bani· [15] bonni· azgad· bebai· [16] adonaya· beggoai· adin· [17] ather· ezechezechanathot· ia· azur· [18] odeuia· asum· besai· [19] areph. nebai· [20] mechphia· mosollam· azir· [21] mesizabel· sadoch· ieddua· [22] felthia· anan· ania· [23] osee· anania· asub· [24] aloes· phaleam· sobech· [25] reum· asebna· madsia· [26] echaia· hanan anan [27] melluch arem· baana: [28] et reliqui de populo. Sacerdotes· leuite· ianitores· et cantores· nathinei· et omnes qui se separauerunt de populis terrarum ad legem dei· vxores eorum· filij eorum· et filie eorum· [29] omnes qui poterant sapere spondentes pro fratribus suis: optimates eorum· et qui veniebant ad pollicendum· et iurandum· vt ambularent in lege domini quam dederat in manu moysi serui sui: vt facerent et custodirent vniuersa mandata domini dei nostri· et iudicia eius· et cerimonias eius: [30] et vt non daremus filias nostras populo terre: et filias eorum non acciperemus filijs nostris. [31] Populi quoque terre qui important venalia· et omnia ad vsum per diem sabbati vt vendant: non accipiemus ab eis in sabbato· et in die sanctificato. Et dimittemus annum septimum: et exactionem vniuerse manus. [32] Et statuemus super nos precepta· vt demus terciam partem siculi per annum ad opus domus dei nostri: [33] ad panes propositionis· et ad sacrificium sempiternum· et in olocaustum sempiternum in sabbatis in kalendis· in solemnitatibus· et in sanctificatis· et pro peccato· vt exoretur pro israhel: et in omnem vsum domus dei nostri. [34] Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter sacerdotes et leuitas et populum· vt inferrentur in domum dei nostri per domos patrum nostrorum per tempora a temporibus anni vsque ad annum: vt arderent super altare domini dei nostri· sicut scriptum est in lege moysi. [35] Et vt afferremus primogenita terre nostre· et primitiua vniuersi fructus omnis ligni· ab anno in annum· in domo domini: [36] et primitiua filiorum nostrorum et pecorum nostrorum sicut scriptum est in lege: et primitiua boum nostrorum et ouium nostrarum· vt offerrentur in domo dei nostri sacerdotibus qui ministrant in domo dei nostri. [37] Et primitias ciborum nostrorum· et libaminum nostrorum· et poma omnis ligni· vindemie quoque et olei afferemus sacerdotibus ad gazophilatium dei nostri: et decimam partem terre nostre leuitis. Ipsi leuite decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum nostrorum. [38] Erat autem

sacerdos filius aaron cum leuitis in decimis leuitarum: et leuite offerent decimam partem decime sue in domo dei nostri ad gazophilatium in domo thesauri. [39] Ad gazophilatium enim deportabunt filij israhel· et filij leui primitias frumenti et vini et olei: et ibi erunt vasa domini sanctificata· et sacerdotes et cantores et ianitores et ministri: et non dimittemus domum dei nostri.

11 Habitauerunt autem principes populi in iherusalem. Reliqua vero plebs misit sortem· vt tolleret vnam partem de decem qui habitaturi essent in iherusalem ciuitate sancta: nouem vero partes in ciuitatibus. [2] Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant vt habitarent in iherusalem. [3] Hij sunt itaque principes prouincie qui habitauerunt in iherusalem et in ciuitatibus iuda. Habitauit autem vnusquisque in possessione sua in vrbibus suis israhel: sacerdotes· leuite· nathinnei· et filij seruorum salomonis. [4] Et in iherusalem habitauerunt de filijs iuda: et de filijs beniamin. De filijs iuda: athaias filius aziam· filij zacharie· filij amarie· filij sapharie· filij malalehel. De filijs phares: [5] ismaasia· filius baruch· filius coloza· filius azia· filius adaya· filius ioarib· filius zacharie· filius silonites. [6] Omnes filij phares qui habitauerunt in iherusalem: quadringentisexagintanouem viri fortes. [7] Hij sunt autem filij beniamin. Sellum filius mosollam· filius ioed· filius phadaia· filius colaia· filius masia· filius etheel· filius ysaia. [8] Et post eum gebbai sellai: nongentiuigintiocto. [9] Et iobel filius zechri prepositus eorum: et iudas filius sennua super ciuitatem secundus. [10] Et de sacerdotibus idaia filius iioarib· iachin· [11] saraia filius helchie· filius mosollam· filius sadoch. filius meraioth· ahitob principes domus dei: [12] et fratres eorum facientes opera templi. octingentiuigintiduo. Et adaia· filius ieroam· filius phelcia filius amsi· filius zacharie· filius phessur· filius melchie· [13] et fratres eius principes primum: ducentiquadragintaduo. Et amasai· filius azrihel· filius azi· filius mosollamoth· filius emmer· [14] et fratres eorum potentes nimis· centumuigintiocto: et prepositus eorum· zabdihel filius potentum. [15] Et de leuitis: sebenina filius asob· filius azaricam· filius asabia· filius boni· [16] et sabathai· et iozabeth· super omnia opera que erant forinsecus in domo dei a principibus leuitarum. [17] Et mathania filius micha· filius zebedei filius asaph princeps ad laudandum· et ad confitendum in oratione: et becbecias secundus de fratribus eius: et abda filius samuha· filius galal· filius ydithun. [18] Omnes leuite in ciuitate sancta: ducentioctoginta quatuor. [19] Et ianitores: accub telmon· et fratres eorum qui custodiebant hostia· centumseptuagintaduo. [20] Et reliqui ex israhel sacerdotes· et leuite in vniuersis ciuitatibus iuda· vnusquisque in possessione sua: [21] et nathinnei qui habitabant in ofel· et syaha· et gaspha. De nathinneis· [22] et episcopis leuitarum in iherusalem: azzi filius banni. filius asabie· filius mathanie· filius miche. De filijs asaph: cantores in ministerio domus dei. [23] Preceptum quippe regis super eos erat: et ordo in cantoribus per dies singulos: [24] et fachaia filius mesezebel· de filijs zara· filij iuda in manu regis iuxta omne verbum populi: [25] et in domibus per omnes regiones eorum. De filijs iuda habitauerunt in cariatharbe· et in filiabus eius· et in dibon· et in filiabus eius· et in capseel· et in viculis eius: [26] et in iesue· et in molada· et in bechfalech· [27] et in asersual· et in bersabee et in filiabus eius: [28] et in sicelech et in mochona· et in filiabus eius: [29] et in remmon· et in sara· et in ierimuth· [30] zonoa· odollam· et in villis earum: lachis· et in regionibus eius· azecha et in filiabus eius. Et manserunt in bersabee vsque ad vallem ennon. [31] Filij autem beniamin· ageba· mechmas· et hai· et bethel· et filiabus eius: [32] anathot· nob· Anana· [33] asor· rama· gethai· madid· [34] seboim· neballath· [35] et ono ville artificum: [36] et de leuitis· portiones iude et beniamin.

12 Hij sunt autem sacerdotes et leuite· qui ascenderunt cum zorobabel filio salanthiel· lathiel· et iosue: saraia· iheremias· esdras· [2] amaria· melluch· accus· [3] sechenias· reum· merimuth· [4] addo· genthon· abya· [5] miamin· madia· belga· [6] semeia· et ioarib· et ydaia· sellum· amoch· elceia· [7] adaia. Isti principes sacerdotum et fratres eorum in diebus iosue. [8] Porro leuite· iesua· bennui· cedmihel· sarabia· iuda· mathanas· thanias· super ymnos ipsi et fratres eorum: [9] et berbecia· atque ethanni· et fratres eorum vnusquisque in officio suo. [10] Iosue autem genuit ioachim· et iioachim genuit eliasib· et eliasib genuit ioiada: [11] et ioiada genuit ionathan· et ionathan genuit ieddua. [12] In diebus autem ioachim erant sacerdotes· principes familiarum saraie· maarine· arie· iheremie· ananie· [13] esdre· mosollam· amarie· iohannan· [14] milico· ionathan· sebenie· ioseph· [15] aran· edna· maraioth· elci· [16] adaie· zacharie· genthon· mosollam· [17] abie· zecheri· miamin· et moadie· felti· [18] belge· sammua· semeie· ioathan· [19] ioarib· mathanai· iodaie· azzi· [20] sellaie celaia· mochober· elchie· [21] asebie· ydaie· nathanahel. [22] Leuite in diebus eliasib· et ioiada· et ionathan· et ieddoa· scripti principes familiarum et sacerdotes in regno gno darij perse. [23] Filij leui familiarum principes scripti in libro verborum dierum: et vsque ad dies ionathan· filij eliasib. [24] Et principes leuitarum· asebia· serebia· et iesue filius cedmihel· et fratres eorum per vices suas: vt laudarent· et confiterentur iuxta preceptum dauid viri dei: et obsuarent eque per ordinem. [25] Mathania· et becbecia· et obedia· mosollam· thelmon· accub· custodes portarum· et vestibulorum ante portas. [26] Hij in diebus ioachim filij iosue· filij iosedech: et in diebus neemie ducis· et esdre sacerdotis scribeque. [27] In dedicatione autem muri iherusalem· requisierunt leuitas de omnibus locis suis vt adducerent eos in iherusalem· et facerent dedicationem et leticiam· in actione gratiarum· et cantico· et in cymbalis· psalterijs et cytharis. [28] Congregati sunt autem filij cantorum· et de campestribus circa iherusalem· et de villis netuphati· [29] et de domo galgal· et de regionibus geba· et azmaueth: quoniam villas edificauerunt sibi cantores in circuitu iherusalem. [30] Et mundati sunt sacerdotes et leuite: et mundauerunt populum· et portas et murum. [31] Ascendere autem feci principes iuda super murum: et statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super murum ad portam sterquilinij. [32] Et iuit post eos osaias· et media pars principum iuda: [33] et azarias· esdra· et mosollam· iuda· et beniamin· et semeia· et iheremia. [34] Et de filijs sacerdotum in tubis: zacharias filius ionathan· filius semeie· filius mathanie· filius michaie· filius zechur· filius asaph: [35] et fratres eius semeia· et azarel· malalai· galalai· maai· nathanahel· et iuda· et anani· in vasis cantici dauid viri dei: et esdras scriba ante eos in porta fontis. [36] Et contra eos ascenderunt in gradibus ciuitatis dauid· in ascensu muri super domum dauid: et vsque ad portam aquarum ad orientem. [37] Et chorus secundus gratias referentium ibat ex aduerso· et ego post eum: et media pars populi super murum· et super turrim furnorum· et vsque ad murum latissimum· [38] et super portam ephraim· et super portam antiquam· et super portam piscium et turrim anannehel· et turrim emat· et vsque ad portam gregis: et steterunt in porta custodie. [39] Steteruntque duo chori laudantium in domo dei: et ego et dimidia pars magistratuum mecum. [40] Et sacerdotes. eliachim· maasia miamin· michea· elioenai· zacharia· et anania in tubis: [41] et maasia· et semeia· et eleazar· et azi· et iohannan· et melchia· et elam· et ezer. Et clare cecinerunt cantores: et iezraia prepositus. [42] Et immolauerunt in die illa victimas magnas: et letati sunt. Deus enim letificauerat eos leticia magna. Sed et vxores eorum et liberi gauisi sunt: et audita est leticia iherusalem procul. [43] Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophilacia thesauri ad libamina· et ad primitias· et ad decimas· vt introferrent per eos principes ciuitatis in decore gratiarum actiones sacerdotes et leuitas: quia letificatus est iuda in sacerdotibus· et leuitis astantibus. [44] Et custodierunt obseruationem dei sui· et obseruationem expiationis: et cantores et ianitores· iuxta preceptum dauid et salomonis filij eius: [45] quia in diebus dauid et asaph ab exordio erant principes constituti cantorum in carmine laudantium et confitentium deo. [46] Et omnis israhel in diebus zorobabel et in diebus neemie dabant partes cantoribus et ianitoribus per dies singulos: et sanctificabant leuitas: et leuite sanctificabant filios aaron.

13 In die autem illo lectum est in volumine moysi: audiente populo. Et inuentum est scriptum in eo quod non debeant introire ammonites et moabites in ecclesiam dei vsque in eternum [2] eo quod non occurrerint filijs israhel cum pane et aqua: et conduxerunt aduersum eos balaam ad maledicendum eis: et conuertit deus noster maledictionem in benedictionem. [3] Factum est autem cum audissent legem: separauerunt omnem alienigenam ab israhel. [4] Et super hoc erat eliasib sacerdos qui fuerat prepositus in

gazophilacio domus dei nostri: et proximus tobie. [5] Fecit ergo sibi gazophilacium grande: et ibi erant ante eum reponentes munera et thus· et vasa· et decimam frumenti· vini et olei: partes leuitarum et cantorum et ianitorum et primitias sacerdotales. [6] In omnibus autem hijs non fui in iherusalem: quia in anno tricesimosecundo artarxersis regis babilonis veni ad regem. Et in fine dierum rogaui regem· [7] et veni in iherusalem. Et intellexi malum quod fecerat heliasib tobie: vt faceret ei thesaurum in vestibus domus dei: [8] et malum michi visum est valde. Et proieci vasa domus tobie foras de gazophilatio: [9] precepique et emundauerunt gazophilatium. Et retuli ibi vasa domus dei· sacrificium et thus. [10] Et cognoui quod partes leuitarum non fuisset date: et fugisset vnusquisque in regionem suam de leuitis et cantoribus et de hijs qui ministrabant: [11] et egi causam aduersum magistratus· et dixi. Quare dereliquimus domum dei? Et congregaui eos: et feci stare in statonibus suis. [12] Et omnis iuda apportabat decimam frumenti· vini· et olei· in horrea. [13] Et constituimus super horrea selemiam sacerdotem· et sadoch scribam· et fadaiam de leuitis: et iuxta eos anan filium zacchur filium mathanie· quoniam fideles comprobati sunt: et ipsis credite sunt partes fratrum suorum. [14] Memento mei deus meus pro hoc: et ne deleas miserationes meas quas feci in domo dei mei et in cerimonijs eius. [15] In diebus illis vidi in iuda calcantes torcularia in sabbato: portantes aceruos et onerantes super asinos vinum et vuas· et ficus et omne onus: et inferentes in iherusalem in die sabbati. Et contestatus sum vt in die qua vendere liceret· venderent. [16] Et tirij habitauerunt in ea: inferentes pisces· et omnia venalia. Et vendebant in sabbatis filijs iuda et iherusalem. [17] Et obiurgaui· optimates iuda: et dixi eis. Que est hec res mala quam vos facitis: et prophanatis diem sabbati? [18] Numquid non hec fecerunt patres nostri: et adduxit deus noster super nos omne malum hoc· et super ciuitatem hanc: Et vos additis iracundiam super israhel: violando sabbatum. [19] Factum est autem cum quieuissent porte iherusalem die sabbati: dixi· et clauserunt ianuas: et precepi vt non aperirent eas vsque post sabbatum. Et de pueris meis constitui super portas: vt nullus inferret onus die sabbati. [20] Et manserunt negociatores et vendentes vniuersa venalia foris iherusalem semel et bis: [21] et contestatus sum eos: et dixi eis. Quare manetis ex aduerso muri? Si secundo hoc feceritis: manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in sabbato. [22] Dixique leuitis vt mundarentur et venirent ad custodiendas portas: et sanctificandam diem sabbati. Et pro hoc ergo memento mei deus· et parce michi secundum multitudinem mise miserationum tuarum. [23] Sed et in diebus illis vidi iudeos ducentes vxores azotidas. ammonitidas et moabitidas. [24] Et filij eorum ex media parte loquebantur azotice: et nesciebant loqui iudaice: et loquebantur iuxta linguam populi. et populi. [25] Et obiurgaui eos: et maledixi. Et cecidi ex eis viros et decaluaui eos: et adiuraui in deo vt non darent filias suas filijs eorum: et non acciperent de filiabus eorum filijs suis· et sibimetipsis dicens. [26] Numquid non in huiuscemodi peccauit salomon rex israhel? Et certe in gentibus multis· non erat rex similis ei: et dilectus deo suo erat: et posuit eum deus regem super omnem israhel. Et ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigene. [27] Nunquid et nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc· vt preuaricemus in deo nostro: et ducamus vxores peregrinas? [28] De filijs autem ioiada filij eliasib sacerdotis magni· gener erat sanaballath oronitis: quem fugaui a me. [29] Recordare domine deus meus aduersum eos qui polluunt sacerdotium: iusque sacerdotale et leuiticum. [30] Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis: et constitui ordines sacerdotum et leuitarum vnumquenque in ministerio suo: [31] et in ob latione lignorum in temporibus constitutis et in primitijs. Memento mei deus meus in bonum. Amen.

Esdre III

Incipit liber esdre tercius.

1 Et fecit iosias pascha in iherosolimis domino: et immolauit phase quarta decima luna primi mensis: [2] statuens sacerdotes per vices dierum stolis amictos in templo domini. [3] Et dixit leuitis sacris seruis israhel: vt sanctificarent se domino in positione sancte arche domini in domo quam edificauit salomon filius dauid rex. [4] Non erit vobis tollere super humeros eam. Et nunc defuidesuite domino vestro et curam agite gentis illius israhel ex parte secundum pagos et tribus vestras [5] secundum scripturam dauid regis israhel· et secundum magnificentiam salomonis filij eius: omnes in templo et secundum particulam principatus paternam vestram eorum qui stant in conspectu fratrum filiorum israhel. [6] Immolate pascha: et sacrificia parate fratribus vestris: et facite secundum preceptum domini quod datum est moysi. [7] Et donauit iosias in plebem que inuenta est ouium· agnorum et hedorum· et caprarum· triginta milia: vitulos tria milia. [8] Hec de regalibus data sunt secundum promissionem populo· et sacerdotibus in pascha: oues numero duo milia: ac vituli centum. [9] Et iechonias et semeias. et nathanael fratres· et asabias· et oziel· et coraba in phase· oues quinque milia: vitulos quingentos. [10] Et hec cum fierent eleganter: steterunt sacerdotes et leuite habentes azima per tribus. [11] Et secundum partes principatus patrum in conspectu populi offerebant domino: secundum ea que in libro moysi scripta sunt. [12] Et assauerunt phase igni prout oportebat: et hostias coxerunt in emolis et in ollis cum beniuolentia. [13] Et attulerunt omnibus qui erant ex plebe: et post hec parauerunt sibi et sacerdotibus. [14] Sacerdotes enim offerebant adipes vsque dum finita esset hora: et leuite parauerunt sibi et fratribus suis filijs aaron. [15] Et sacrificatores filias offerebant· secundum ordinem· secundum preceptum dauid. et asaph: et zacharias· et ieddinus qui erat a rege· [16] et hostiarij per singulas ianuas: ita vt non preuaricaret vnusquisque suam. Fratres enim eorum parauerunt illis. [17] Et consummata sunt que pertinebant ad sacrificium domini. [18] In illa die egerunt phase: et offerebant hostias super domini sacrificium secundum preceptum regis iosie. [19] Et egerunt filij israhel qui inuenti sunt in tempore illo phase: et diem festi azimorum per dies septem. [20] Et non est celebratum· phase tale in israhel a temporibus samuel prophete: [21] et omnes reges israhel non celebrauerunt tale pascha quale egit iosias· et sacerdotes· et leuite· et iudei· et omnis israhel· qui inuenti sunt in commoratione iherosolimis. [22] Octauodecimo anno regnante iosia celebratum est phase. [23] Et directa sunt opera iosie in conspectu domini sui in corde pleno metuentis· [24] et que circa illum quidem conscripta sunt in pristinis temporibus de eis qui peccauerunt quique irreligiosi fuerunt in dominum pre omni gente: et qui non quesierunt verba domini super israhel. [25] Et post omnem actum hunc iosie· ascendit pharao rex egipti veniens in carchamis abicere super eufraten: et exijt obuiam illius iosias. [26] Et misit rex egipti ad iosiam dicens. Quid michi et tibi est rex iude? [27] Non sum missus a domino. Super eufraten enim bellum meum est. Festinans descende. [28] Et non est reuersus iosias super currum: sed expugnare eum conabatur· non attendens verbum prophete ex ore domini: [29] sed constituit ad eum bellum in campo mageddo. Et descenderunt principes ad regem iosiam. [30] Et dixit rex pueris suis. Amouete me a prelio. Infirmatus sum cnim cuni valde. Et statim amouerunt eum pueri ipsius de acie. [31] Et ascendit super currum secundarium suum: et perueniens iherosolimam vita fuuctus est: et sepultus est in paterno sepulcro. [32] Et in tota iudea lugebant iosiam: et qui presidebant cum vxoribus lamentabant eum vsque in hunc diem. Et datum est hoc fieri semper in omne genus israhel. [33] Hec autem prescripta sunt in libro historiarum regum iude: et singula gesta· actus iosie et eius gloria·

et intellectus eius in lege domini: quia eque gesta sunt ab eo et que non scripta sunt in libro regum israhel et iude. [34] Et assumentes qui erant ex gente iechoniam filium iosie constituerunt regem pro iosia patre suo· cum esset annorum trigintatrium: [35] et regnauit super israhel mensibus tribus. Et amouit eum rex egipti ne regnaret in iherosolimis: [36] et mulctauit gentem argenti talenta centum: et auri talentum vnum. [37] Et constituit rex egipti regem ioakim fratrem ipsius regem iude et iherusalem: [38] et alligauit magistratus ioachin zaracelem fratrem suum: et apprehendens reduxit egiptum. [39] Annorum erat ioakim vigintiquinque cum regnare cepisset in terra iuda et in iherusalem: et fecit malum in conspectu domini. [40] Post hunc autem ascendit nabuchodonosor rex babilonis: et alligans eum in aureo vinculo perduxit in babiloniam: [41] et sacra vasa domini accepit nabuchodonosor· et tulit· et consecrauit in templo suo in babilonia. [42] Nam de immundicia illius· et irreligiositate scriptum est in libro temporum regum. [43] Et regnauit ioachin filius eius pro eo. Cum autem constitutus est erat annorum octo. [44] Regnauit autem menses tres et dies decem in iherusalem: et fecit malum in conspectu domini. [45] Et post annum mittens nabuchodonosor transmigrauit eum babiloniam simul cum sacris vasis domini: [46] et constituit sedechiam regem iuda et iherusalem· cum esset annorum vigintiunius. Regnauit autem annis vndecim. [47] Et fecit malum in conspectu domini: et non est veritus a verbis que dicta sunt ab iheremia propheta ex ore domini. [48] Et adiuratus a rege nabuchodonosor periurans discessit: et indurata ceruice sua· et corde suo· transgressus est legitima domini dei israhel. [49] Et duces populi domini multa inique gesserunt et impie egerunt super omnes immundicias gentium: et polluerunt templum domini quod sanctum erat in iherosolimis. [50] Et misit deus patrum suorum per angelum suum reuocare eos: propter quod parceret illis et tabernaculo suo. [51] Ipsi vero subsannabant in angelis suis: et qua die locutus est dominus erant illudentes prophetis eius. [52] Qui vsque ad iracundiam concitatus est· super gentem suam propter irreligiositatem suam: et precepit ascendere reges chaldeorum. [53] Hij occiderunt iuuenes eorum in gladio· in circuitu sancti templi eorum: et non pepercerunt iuueni et seni· et virgini et adolescenti: [54] sed omnes traditi sunt in manus ipsorum et omnia sacra vasa domini· et regales apothecas resumentes tulerunt in babiloniam: [55] et incenderunt domum domini et demolierunt muros iherusalem: et turres eius incenderunt in igne. [56] Et consummauerunt omnia honorifica eius: et ad nichilum redigerunt: et reliquos a gladio in babilonem· [57] et erant serui illius vsque dum regnarent perse· in repletione verbi domini in ore iheremie: [58] quousque benigne ageret terra retra sabbata sua. Omni tempore desertionis sue sabbatizauit in applicatione annorum septuaginta.

2 Regnante cyro rege persarum in consummatione verbi domini in ore iheremie· [2] suscitauit dominus spiritum cyri regis persarum: et predicauit in toto regno suo simul per scripturam [3] dicens. Hec dicit cyrus rex persarum. Me constituit regem orbi terrarum dominus israhel dominus excelsus: [4] et significauit michi edificare domum sibi in iherusalem que est in iudea. [5] Si quis est ex genere vestro: dominus ipsius ascendat cum eo in iherusalem. [6] Quotquot ergo circa loca habitant adiuuent eos qui sunt in loco ipso in auro et argento [7] in dationibus cum equis· et iumentis: cumque alijs que secundum vota apponuntur in edem domini que est in iherusalem. [8] Et stantes principes tribuum pagorum et iudee ex tribu beniamin et sacerdotes et leuite· quos excitauit dominus ascendere et edificare domum domini que est in iherusalem: et qui erant in circuitu eorum [9] adiuuerunt in omni auro et argento eius et iumentis et votis quam pluribus: multi quorum sensus excitatus est. [10] Et cyrus rex protulit vasa sacra domini que transtulit nabuchodonosor rex babilonis ex iherusalem· et consecrauit ea ydolo suo. [11] Et proferens ea cyrus rex persarum tradidit mitridato qui erat super thesauros ipsius. [12] Per hunc autem tradita sunt salmanasaro presidi iudee. [13] Horum autem hic numerus. Libatoria argentea· duo milia quadringenta: athiste argentee triginta: phiale auree triginta: item argentee duo milia quadringente: et alia vasa mille. [14] Omnia autem vasa aurea· et argentea quinque milia octingentasexaginta. [15] Et enumerata sunt salmanasaro simul cum hijs qui ex captiuitate babilonie venerant in iherosolimam. [16] In artarxersis autem regis persarum temporibus scripserunt ei de hijs qui inhabitabant in iudea et iherusalem· balsamus et nutridatus et sabellius et rathimus balthemus samelius scriba: et reliqui inhabitantes in samaria· et ceteris locis subiectam epistolam regi artarxersi. [17] Domine pueri tui rathimus ab accedentibus· et sabellius scriba: et reliqui curie tue iudices in celesiriam et phenicem. [18] Et nunc notum sit domino regi: quoniam iudei qui ascenderunt a vobis ad nos venientes in iherusalem ciuitatem refugam et pessimam: edificant furnos eius: et statuunt muros· et templum suscitant. [19] Quod si ciuitas ista et muri consummati fuerint non tantum tributa non sustinebunt pendere: sed etiam regibus resistent. [20] Et quia id agitur circa templum: recte haberi arbitrati sumus non despicere hoc ipsum· [21] sed notum facere domino regi: vt si videbitur rex· queratur in libris patrum tuorum: [22] et inuenies in ammonitonibus scripta de hijs: scies quoniam ciuitas ista fuit refuga· et reges et ciuitates concutiens: [23] et iudei refuge et prelia committentes in ea ab eterno: ob quam causam ciuitas ista deserta est. [24] Nunc ergo notum facimus domine rex: quoniam si ciuitas hec edificata fuerit et huius muri erecti fuerit: descensus tibi non erit in celensiriam· et phenicem. [25] Tunc scripsit rex rathimo qui scribebat accedentia· et belchimo et sabellio scribe: et ceteris constitutis· et inhabitantibus iu siria· et phenice· ea que subiecta sunt. [26] Legi epistolam quam misistis michi. Precepi ergo inquiri: et inuentum est· quoniam ciuitas illa est ab euo regibus resistens [27] et homines refuge· et prelia in ea efficientes: et reges fortissimi erant in iherusalem dominantes et tributa exigentes· a celensiria et phenice. [28] Nunc ergo precepi prohibere homines illos edificare ciuitatem: et prohibere ne quid vltra hec fiant· [29] sed nec procedant in plurimum: ex qua sunt malicie ita vt regibus molestia importetur. [30] vnc recitatis hijs que a rege artarxerse scripta fuerant rathimus et sabellius scriba et qui cum hijs constituti erant iungentes festinanter venerunt in iherusalem· cum equitatu et turba· et agmine: [31] ceperuntque edificantes prohiberre. Et vacabant ab edificatione templi in iherusalem: vsque secundo anno regni darij regis persarum.

3 Rex darius fecit cenam magnam omnibus vernaculis suis: et omnibus magistratibus medie et persidis [2] et omnibus purpuratis· et pretoribus et consulibus· et prefectis sub illo ab india vsque ethiopiam: centumuigintiseptem prouincijs. [3] Et cum mandncassent· et bibissent et saciati reuerterentur· tunc darius rex ascendit in cubiculo suo: et dormiuit et expergefactus est. [4] Tunc illi tres iuuenes corporis custodes qui custodiebant corpus regis: dixerunt alter al [5] Dicamus vnusquisque nostrum sermonem qui precellatur: et cuiuscumque apparuerit sermo sapientior alterius: dabit illi darius rex dona magna· [6] purpura cooperiri· et in auro bibere et super aurum dormire· et currum aureum freno· et cydarim bissinam· et torquem circa collum: [7] et secundo loco sedebit a dario propter sapientiam suam: et cognatus darij vocabitur. [8] Tunc scribentes singuli suum verbum signauerunt: et posuerunt subtus ceruical darij regis: [9] et dixerunt. Cumque surrexerit rex dabimus illi scripta nostra: et quodcumque iudicauerit rex e tribus· et magistratus persidis· quoniam verbum eius sapientius est: ipsi dabitur victoria sicut scriptum est. [10] Vnus scripsit. Forte est vinum. [11] Alius scripsit. Fortior est rex. [12] Tercius scripsit. Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas. [13] Et cum surrexisset rex acceperunt scripta sua: et dederunt illi· et legit. [14] Et mittens vocauit omnes magistratus persarum· et medos· et purpuratos· et pretores· et prefectos: [15] et sederunt in concilio: et lecta sunt scripta coram ipsis. [16] Et dixit. Vocate adolescentes· et ipsi indicabunt verba sua. Et vocati sunt: et introierunt. [17] Et dixit illis. Indicate nobis de hijs que scripta sunt. Et cepit prior qui dixerat de fortitudine vini. [18] Et dixit. Viri quam preualet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud. Seducit mentem. [19] Itemque regis et orphani facit mentem vanam. Item serui ac liberi pauperis ac diuitis [20] et omnem mentem conuertit iu securitatem· et iocunditatem: et non meminit omnem tristiciam et debitum: [21] et omnia precordia facit honesta: et non meminit regem nec magistratum: et omnia per talenta loqui facit. [22] Et non meminerunt cum biberint amiciciam nec fraternitatem· sed post non multum sumunt gladios· [23] et cum a vino merserint et surrexerint non

meminerunt que gesserunt. [24] O viri num precellit vinum? Quis sic cogitat facere? Et tacuit hoc dicto.

4 Et inchoauit sequens dicere: qui dixit de fortitudine regis. [2] O viri: num precellunt homines· qui terram et mare obtinent· et omnia que in eis sunt? [3] Rex autem super omnia precellit· et dominatur eorum: et omne quodcumque dixerit illis faciunt. [4] Et si miserit illos ad bellatores: vadunt et demoliunt montes et muros· et turres. [5] Iugulantur et iugulant: et regis verbum non pretereunt. Nam si vicerint· afferunt regi omnia quecumque predati fuerint. [6] Similiter et alij omnes et quotquot non militant nec pugnant sed colunt terram: rursum cum fuerint metentes afferunt tributa regi. [7] Et ipse vnus solus si dixerit occidite occidunt· dixerit· remittite remittunt: [8] dixerit percutite· percutiunt· dixerit exterminate exterminant· dixerit edificate edificant· [9] dixit excidite excidunt· dixit plantate plantantur: [10] et omnis plebs et virtutes eum obaudiunt: et super hoc ipse recumbit· et bibit et dormit. [11] Hij autem custodiunt in circuitu eum: et non possunt ire singuli et facere opera sua: sed in dicto obaudientes sunt ei. [12] Viri: quomodo non precellet rex qui sic diffamatur? Et tacuit· [13] Tercius qui dixerat de mulieribus et veritate· hic est zorobabel: cepit loqui. [14] Viri· non magnus rex· et multi homines: nec vinum precellit. Quis est ergo qui dominatur eorum? [15] Nonne mulieres genuerunt regem et omnem populum qui dominatur mari et terre: [16] et ex illis nati sunt· et ipse educauerunt eos qui plantauerunt vineas ex quibus vinum fit? [17] Et ipse faciunt stolas omnium hominum: et ipse faciunt gloriam hominibs: minibus: et non possunt homines separari a mulieribus. [18] Si congregauerint aurum et argentum· et omnem rem speciosam et viderint mulierem vnam bono habitu· et bona specie: [19] omnia hec relinquentes in eam intendunt· et aperto ore conspiciunt: et eam alliciunt magis quam aurum et argentum· et omnem rem preciosam. [20] Homo suum patrem relinquit qui enutrijt illum et suam regionem: et ad mulierem se coniungit. [21] Et cum muliere remittit animam: et neque patrem meminit· neque matrem neque regionem. [22] Et hinc oportet vos scire: quoniam mulieres dominantur vestri. Nonne doletis? [23] Et accipit homo gladium suum et vadit in viam facere furta et homicidia et mare nauigare et flumina: [24] et leonem videt et in tenebris ingreditur: et cum furtum fecerit et fraudes et rapinas· amabili sue affert. [25] Et iterum diligit homo vxorem suam magis quam patrem aut matrem. [26] Et multi dementes facti sunt propter vxores suas: et serui facti sunt propter illas: [27] et multi perierunt et iugulati sunt· et peccauerunt propter mulieres. [28] Et nunc credite michi quia magnus est rex· in potestate sua: quoniam omnes regiones verentur tangere eum. [29] Videbam tamen apemen filiam bezacis mirifici concubinam regis· sedentem iuxta regem ad dexteram: [30] et auferentem diadema de capite eius· et imponentem sibi: et palmis cedebat regem de sinistra manu. [31] Et super hec aperto ore intuebatur eam: et si arriserit ei ridet: nam si indignata ei fuerit blanditur· donec reconcilietur in gratiam. [32] O viri: cur non sunt fortiores mulieres? Magna est terra: et excelsum est celum. Quis ista agit? [33] Et tunc rex et purpurati intuebantur in alterutrum. Et inchoauit loqui de veritate. [34] O viri: nonne fortes sunt mulieres? Magna est terra: et excelsum est celum: et velox cursus solis conuertit in gyro celum in locum suum in vna die. [35] Nonne magnificus est qui hec facit? Et veritas magna: et fortior pre omnibus. [36] Omnis terra veritatem inuocat: celum etiam ipsam benedicit: et omnia opera mouentur et tremunt eam· et non est cum ea quicquam iniquum. [37] Vinum iniquum: iniquus rex. Iniqui omnes filij hominum: et iniqua illorum omnia opera: et non est in ipsis veritas. Et in sua iniquitate peribunt: [38] et veritas manet et inualescit in eternum: et viuit· et optinet in secula seculorum. [39] Nec est apud eam accipere personas. neque differentias: sed que iusta sunt facit omnibus· iniustis ac malignis· et omnes benignantur in operibus eius. [40] Et non est in iudicio eius iniquum: sed fortitudo· et regnum· et potestas· et maiestas omnium euorum. Benedictus deus veritatis. [41] Et desijt loquendo. Et omnes populi clamauerunt: et dixerunt. Magna est veritas et preualet. [42] Tunc rex ait illi. Pete si quid vis amplius quam que scripta sunt: et dabo tibi secundum quod inuentus es sapientior: et proximus michi sedebis: et cognatus meus vocaberis. [43] Tunc ait regi. Memor esto voti tui quod vouisti edificare iherusalem in die qua regnum accepisti: [44] et omnia vasa que accepta sunt ex iherusalem remittere: que separauit cyrus quando mactauit babiloniam· et voluit remittere ea ibi. [45] Et tu vouisti edificare templum: quod incenderunt ydumei quando exterminata est iudea a chaldeis. [46] Et nunc hoc est quod postulo domine et quod peto: hoc est maiestas a te quod postulo: vt facias votum quod vouisti regi reli ex ore tuo. [47] Tunc surgens darius rex osculatus est illum: et scripsit epistolam ad omnes dispensatores· et prefectos· et purpuratos· vt deducerent eum: et eos qui cum illo erant· omnes ascendentes edificare iherusalem. [48] Et omnibus perfectis que erant in syria et phenice et libano scripsit epistolas: vt traherent ligna cedrina a libano in iherusalem: vt edificarent cum eis ciuitatem. [49] Et scripsit omnibus iudeis qui ascendebant a regno in iudeam pro libertate: omnem poterem et magistratum et prefectum non superuenire ad ianuas ipsorum: [50] et omnem regionem quam optinuerant esse immunem eis: et ydumei relinquent castella que optinent iudeorum: [51] et in structuram templi dare per singulos annos talenta viginti vsque dum peredificaretur: [52] et super sacrificium olocaustomata vstilare quotidie sicut habent preceptum: alia talenta decem offerre per singulos ragintaunus. annos: [53] et omnibus qui procedunt a babilonia dare condere ciuitatem: vt esset libras tam ipsis quam filijs eorum: et omnibus sacerdotibus qui precedunt. [54] Scripsit autem et quantitatem· et sacram stolam iussit dari in qua deseruirent: [55] et leuitis scripsit dare precepta vsque in diem qua consummabitur domus et iherusalem extruetur: [56] et omnibus custodientibus ciuitatem scripsit dare eis sortes et stipendia. [57] Et dimisit omnia vasa que separauerat cyrus a babilonia: et omnia quecunque dixit cyrus et ipse precepit fieri: et mitti iherusalem. [58] Et cum processisset ille adole Filij scens· eleuans faciem in iherusalem: benedixit regem celi [59] et dixit. Abs te est victoria: et abs te est sapientia· et claritas. Et ego seruus tuus sum. [60] Benedictus es· qui dedisti michi i sapientiam: et tibi confitebor domine deus patrum nostrorum. [61] Et accepit epistolas: et profectus est in babiloniam. Et ve aderectis: nit et nunciauit fratribus suis omnibus qui fuerunt in babilonia: [62] et benedixerunt deum patrum suorum· quoniam dedit illis remissionem et refrigerium· [63] vt ascenderent et edificarent iherusalem et templum vbi nominatum est nomen eius in ipso: et exultauerunt cum musicis et leticia diebus septem.

5 Post hec autem electi sunt vt ascenderent principes pagorum per domos per tribus suas: et vxores illorum· et filij· et filie eorum· et serui et ancille ipsorum· et pecora illorum. [2] Et darius rex misit vna cum eis equites mille donec deducerent eos in iherusalem cum pace et cum musicis· et cum tympanis et tibijs: [3] et omnes fratres erant ludentes: et fecit eos ascendere simul cum eis. [4] Et hec sunt nomina virorum qui ascenderunt per pagos suos in tribus et in partem principatus ipsorum. [5] Sacerdotes: filij phinees· filij aaron· ihesus filius iosedech: ioachim filius zorobabel filij salathiel de domo dauid· ex progenie phares tribu Filijciaso autem iuda: [6] qui locutus est sub dario rege persarum sermones mirificos in secundo anno regni ipsius mense nisan primo. [7] Sunt autem hij qui ascenderunt ex iudea de captiuitate transmigrationis: quos transmigrauit nabuchodonosor rex babilonie in babilonem: et reuersus est in iherusalem. [8] Et requisiuit partem iudee vnusquisque ciuitatem suam qui venerunt cum zorobabel· et ihesu: neemias· areores· elimeo· emmanio· mardocheo· beelsuro· mechpsatochpe· olioro emonia· vnus de principibus eorum: [9] et numerus a gentilibus eorum ex prepositis eorum. Filij phares: duo milia centumseptuagintaduo. [10] Filij ares: tria milia quinquagintaseptem. [11] Filij semo: centumquadragintaduo. In filijs ihesu· et ioabes· milletrecentiduo. [12] Filij demu: duo milia quadringentiseptuaginta. Filij chpraba: ducenti quinque. Filij banica: centumsexagintaocto. [13] Filij bebech: quadringentitres. Filij archad: quadringentiuigintiseptem. [14] Filij chan: trigintaseptem. Filij zoroar: duo milia sexagitaseptem. Filij admu: quadrigentisexagintaunus. [15] Filij aderedis: centumocto. Filij ciaso et zelas: centumseptem. Filij azoroc: quadringentitrigintanouem. [16] Filij iedarbone: centumtrigintaduo. Filij ananie: centumtriginta. Filij asoni. [17] Filij marsar: quadringentiuigintiduo. Filij zabarus: nonagintaquinque. Filij sepolemon:

centumuigintitres. [18] Filij nepopas: quinquagintaquinque. Filij hechanatus: centumquin quagintaocto. Filij cebethamus: centum triginta duo. [19] Filij crearpatros: qui enosexagintaseptem. radies et modie: quadringentiuigintitres. Qui ex gramas· et gabea: centumuigintiunus. [20] Qui ex besselon· et ceagge: sexaginta quinque. Qui ex bastaro: centumuigintiduo. [21] Qui ex bechenobes: quinquagintaquinque. Filij liptis: centumquinquagintaquinque. Filij labonni: trecentiquinquaginta septem. [22] Filij sichem: trecentiseptuaginta. Filij suadon et cliomus· trecentiseptuagintaocto. [23] Filij ericus: duo milia centumquadragintaquinque. Filij anaas: trecentiseptuaginta. Sacerdotes. [24] Filij ieddus· filij euther· filij eliasib: trecentiseptuagintaduo. Filij emerus: ducentiquinquaginta duo. [25] Filij fasurij: trecentiquinquagintaseptem. Filij caree: ducentiuigintiseptem. [26] Leuite. Filij ihesu in caduhel· et bamis· et serebias· et edias: septuaginta quatuor. Omnis numerus· a duodecimo anno: triginta milia quadringentisexagintaduo. [27] Filij et filie· et vxores· omnis computato· quadraginta milia ducentiquadragintaduo. [28] Filij sacerdotum qui psallebant in templo· filij asaph: centumuigintiocto. [29] Ostiarij vero· filij esmenni· filij azer· filij amon· filij accuba· topa· filij tobi: omnes centumtrigintanouem. [30] Sacerdotes seruientes in templo. Filij sel· filij gaspha· filij tabloch· filij carie· filij su· filij hellu· filij labana· filij armacha· filij accub. filij vtha· filij cetha· filij aggab· filij obai· filij anani· filij canna· filij geddu· [31] filij an· filij radin· filij desanon· filij nechoba· filij caseba· filij gaze· filij ozni· filij sinone· filij actre· filij hastem· filij asiana· filij manei· filij nasisim· filij accusu· filij agista· filij azui· filij fauon· filij fasalon· [32] filij meedda· filij fusa· filij caree· filij barcus· filij saree· filij coesi· filij nasith· filij agisti· filij pedon: [33] salomon filij eius: filij asophoth· filij phazida· filij celi· filij dedon· filij gaddahel· filij sephegi· [34] filij aggia· filij sachareth· filij sabathen· filij caroneth· filij malsith· filij ame· filij sasus· filij addus· filij suba· filij eura· filij rahons. filij phasphat· filij malmon. [35] Omnes sacro seruientes· et pueri salomonis: quadringentioctogintaduo. [36] Hij sunt filij qui ascenderunt a chermel et thersa· principes eorum· carmellam· et careth· [37] et non poterant edicere ciuitates suas· et progenies: quemadmodum sint ex israhel: filij dalari· filij tubal· filij nechodaici· [38] ex sacerdotibus qui fungebantur sacerdotio et non sunt inuenti: filij obya· filij achisos· filij addin: qui accepit vxorem ex filiabus phargeleu [39] et vocati sunt nomine eius. Et horum quesita est generis scripta impedatura et non est inuenta: et prohibiti sunt sacerdotio fungi. [40] Et dixit illis neemias· et astharas ne participentur sancta: donec surgat pontifex doctus in ostensionem et veritatem. [41] Omnis autem israhel erat duodecim milia: exceptis seruis et ancillis quadraginta milia trecentiquadraginta. [42] Serui horum et ancille· septem milia trecentitrigintaseptem: cantores et cantatrices· ducenti sexagintaquinque. [43] Cameli· quadringentitrigintaquinque: equi septem milia trigintasex: muli ducenti milia quadragintaquinque: subiugalia quinque milia vigintiquinque. [44] Et de prepositis ipsis per pagos. dum venirent in templum domini quod erat in iherusalem: iunouare et suscitare templum in loco suo secundum suam virtutem· [45] et dari in templum· thesaurum operum sacrum· auri minas· duodeci milia· et stolas sacerdotales centum. [46] Et habitauerunt sacerdotes et leuite· et qui exierant de plebe in iherusalem et in regione: et sacri cantores· et ostiarij· et omnis israhel· in regionibus suis. [47] Instante autem septimo mense· cumque essent filij israhel vnusquisque in suis rebus: conuenerunt vnanimes in atrium quod erat ante ianuam orientalem. [48] Et stantes ihesus filius iosedech· et fratres eius sacerdotes· et zorobabel filius salathiel· et huius fratres· parauerunt altare: [49] vt offerent super illud olocaustomata secundum que in libro moysi hominis dei scripta sunt. [50] Et conuenerunt sibi ex alijs nationibus terre: et erexerunt sacrarium in loco suo omnes gentes terre: et offerebant hostias et olocaustomata domino matutina. [51] Et egerunt scenophegia· et diem solemnem sicut preceptum est in lege: et sacrificia quotidie sicut oportebat: [52] et post hec oblationes institutas· et hostias sabbatorum· et neomeniarum· et dierum solemnium omnium sanctificatorum. [53] Et quotquot vouebant domino a neomenia septem mensis ceperunt hostias offerre deo: et templum domini nondum erat edificatum. [54] Et dederunt pecuniam lapidarijs· et fabris: et potum et pabula cum gaudio. [55] Et dederunt carra sydonijs et tyrijs· vt transueherent illis de libano trabes cedrinas et facerent rates in ioppe portum: secundum decretum quod scriptum erat eis a cyro rege persarum. [56] Et in secundo anno venientes in templum dei in iherusalem· mense secundo inchoauit zorobabel filius salathiel· et ihesus filius iosedech· et fratres ipsorum· et sacerdotes· et leuite· et omnes qui aduenerant de captiuitate in iherusalem: [57] et fundauerunt templum dei· nouilunio secundi mensis secundi anni cum venissent in iudeam et iherusalem. [58] Et statuerunt leuitas a viginti annis super opera domini. Et stetit ihesus et filius eius· et fratres· omnes leuite: conspirantes· et executores legis· facientes opera in domo domini. [59] Et steterunt sacerdotes habentes stolas cum tubis: et leuite filij asaph habentes cymbala· [60] collaudantes dominum et benedicentes secundum dauid regem israhel. [61] Et cantabant canticum domino: quoniam dulcedo eius et honor in secula super omnem israhel. [62] Et omnis populus tuba cecinerunt: et proclamauerunt voce magna: collaudantes dominum in suscitatione domus domini. [63] Et venerunt ex sacerdotibus et leuitis· et presidentibus secundum pagos· senioribus qui viderant pristinam domum: [64] et ad huius edificationem cum clamore et planctu magno· et multi cum tubis et gaudio magno: [65] intantum vt populus non audiret tubas propter planctum populi. Turba enim erat tubis canens magnifice: ita vt longe audiretur. [66] Et audierunt inimici tribus iude et beniamin: et venerunt scire que esset vox tubarum. [67] Et cognouerunt: quoniam qui erant ex captiuitate edificant templum domino deo israhel. [68] Et accedentes ad zorobabel· et ihesum· et prepositos pagorum dixerunt eis. Edificabimus vna vobiscum. [69] Similiter enim audiuimus dominum nostrum: et ipsi pariter incedimus a diebus albasareth regis assiriorum: qui transmigrauit nos huc. [70] Et dixit illis zorobabel· et ihesus· et principes pagorum israhel. [71] Non est nobis et vobis edificare domum dei nostri. Nos enim soli edificabimus domino israhel: secundum ea que precepit nobis cyrus rex persarum. [72] Gentes autem terre incubantes hijs qui sunt in iudea· et leuantes opus edificationis· et insidias et populos adducentes· prohibebant eos edificare: [73] et aggressuras exercentes impedierunt ne consummaretur edificium omni tempore vite cyri regis: et protraxerunt structuram per biennium vsque ad darij regnum.

6 In secundo autem anno regni darij· prophetauit aggeus et zacharias filius addin prophete apud iudeam et iherusalem: in nomine dei israhel super eos. [2] Tunc stans zorobabel filius salachiel· ihesus filius iosedech: inchoauerunt edificare domum domini que est in iherusalem: [3] cum adessent eis prophete domini et adiuuarent eos. In ipso tempore venit ad illos sysennes subregulus syrie et phenices· et satraboranes et sodales eius: [4] et dixerunt eis. Quo precipiente vobis domum hanc edificare: et tectum istud et alia omnia perficitis? Et qui sunt structores qui hec edificant? [5] Et habuerunt gratiam· visitatione facta super eos qui erant ex captiuitate a domino seniores iudeorum: [6] et non sunt impediti edificare donec significaretur dario de omnibus istis: et responsum acciperetur. [7] Exemplum epistole: quam miserunt dario. Sysennes subregulus syrieet phenices· et satraboranes· et sodales eius: in syria et phenice presides: regi dario salutem. [8] Omnia nota sint domino regi: quod cum aduenissemus in regionem iudee· et introissemus in iherusalem· inuenimus edificantes domum dei magnam [9] et templum ex lapidibus politis et magnis· et preciosis materijs in parietibus: [10] et opera illa instanter fieri· et suffragare et prosperare in manibus eorum· et in omni gloria quam diligentissime perfici. [11] Tunc interrogauimus seniores· dicentes. Quo permittente vobis edificatis domum istam: et opera hec fundatis? [12] Ideo autem interrogauimus: vt notum faceremus tibi homines et prepositos: et nominum scripturam prepositorum postulauimus illos. [13] At illi responderunt nobis dicentes. Nos sumus serui domini qui fecit celum et terram: [14] et edificabatur hec domus ante annos istos multos a rege israhel magno et fortissimo: et consummata est. [15] Et quoniam patres nostri exacerbantes erant et peccauerunt in deum israhel· tradidit eos in manus nabuchodonosor regis chaldeorum: [16] et domum istam demolientes incenderunt: et populum captiuum duxerunt in babilonem. [17] In primo anno regnante cyro rege babilonie· scripsit cyrus rex domum hanc edificare: [18] et illa sacra vasa aurea et

argentea que extulerat nabuchodonosor de domo que est in iherusalem· et consecrauerat ea in suo templo: rursus protulit ea cyrus rex de templo quod erat in babilonia· et tradita sunt zorobabel et salmanasaro subregulo. [19] Et preceptum est eis vt offerrent hec vasa· et reponerent in templo quod erat in iherusalem: et ipsum templum dei edificare in loco suo. [20] Tunc salmanasarus subiecit fundamenta domus domini que est in iherusalem· et exinde vsque nunc edificatur: et non accepit consummationem. [21] Nunc ergo si iudicatur a te o rex· perquiratur in regalibus bibliothecis cyri regis que sunt in babilonia: [22] et si inuentum fuerit consilio cyri regis ceptam esse structuram domus domini que est in iherusalem· et iudicatur a domino rege nostro: scribat de hijs nobis. [23] Tunc rex darius precepit inquiri in bibliothecis· et inuentus est in egbathanis opido quod est in media regione locus vnus in quo scripta erant ista. [24] Anno primo regnante cyro rex cyrus precepit domum domini que est in iherusalem edificare· vbi incendebant igni assiduo: [25] cuius altitudo sit cubitorum decem et latitudo cubitorum sexaginta quadratum lapidibus politis tribus· et meniano ligneo eiusdem regionis· et meniano vno nouo: et impendia dari de domo cyri regis: [26] et sacra vasa domus domini tam aurea quam argentea que extulit nabuchodonosor· in domum domini que est in iherusalem vbi erant posita: vt ponantur illic. [27] Et precepit curam agere sysennem subregulm syrie et phenices· et zatrabuzanam et sodales eius· et qui ordinati erant in syria et phenice presides· vt abstinerent se ab eodem loco. [28] Et ego quoque precepi in totum edificare: et prospexi vt adiuuent eos qui sunt ex captiuitate iudeorum donec consummetur templum edis domini: [29] et a vexatione tributorum syrieceles· et phenice· diligenter quantitatem dari hijs hominibus ad sacrificium domini· zorobabel prefecto ad thauros et arietes et agnos: [30] similiter autem et frumentum et sal et vinum et oleum instanter per singulos annos· prout sacerdotes qui sunt in iherusalem dictauerunt consumi quotidie sine vlla dilatione: [31] vt offerantur libationes summo deo: pro rege et pueris eius· et orent pro ipsorum vita. [32] Et denuntietur: vt quicumque transgressi fuerint aliquid ex hijs que scripta sunt· aut spreuerint. accipiatur lignum de suis proprijs· et suspendantur: et bona ipsorum regi ascribantur. [33] Propterea et dominus cuius nomen inuocatum est ibi· exterminet omnem regem et gentem· qui manum suam extenderit prohibere aut male tractare domum domini illam que est in iherusalem. [34] Ego darius rex decreui· quam diligentissime secundum hec fieri.

7 Tunc sysennes subregulus celensyrie et phenices· et satrabuzanes et sodales· obsecuti hijs regi erant decreta· [2] insistebant sacrosanctis operibus diligentissime cooperantes cum senioribus iudeorum principibus syrie: [3] et prosperata sunt sacrosancta opera: prophetantibus aggeo et zacharia prophetis. [4] Et consummauerunt omnia per preceptum domini dei israhel: et ex consilio cyri et darij· et artarxersis regis persarum. [5] Et consummata est domus nostra vsque ad terciam et vicesimam diem mensis adar: sexto anno darij regis. [6] Et fecerunt filij israhel· et sacerdotes· et leuite· et ceteri qui erant ex captiuitate qui appositi sunt: secundum ea que scripta sunt in libro moysi. [7] Et optulerunt in dedicationem templi domini thauros· centum· arietes ducentos· agnos trecentos: [8] et hedos pro peccatis vniuersi israhel duodecim: secundum numerum tribuum israhel. [9] Et steterunt sacerdotes et leuite amicti stolis per tribus super opera domini dei israhel· secundum librum moysi: et ostiarij per singulas ianuas. [10] Et egerunt filij israhel cum hijs qui erant ex captiuitate illud phase quartadecima luna mensis primi: quando sanctificati sunt sacerdotes et leuite. [11] Omnes filij captiuitatis non sunt simul sanctificati: quia leuite omnes simul sanctificati sunt. [12] Et immolauerunt phase vniuersi filij captiuitatis: et fratribus suis sacerdotibus et sibimetipsis. [13] Et manducauerunt filij israhel qui erant ex captiuitate omnes qui remanserant ab omnibus execrationibus gentium terre· querentes dominum: [14] et celebrauerunt diem festum azimorum septem diebus epulantes in conspectu domini· [15] quoniam conuertit consilium regis assiriorum in eos: confortare manus eorum ad opera domini dei israhel.

8 Et post hunc· regnante artarxerse persarum rege· accessit esdras filius azarie· filij helchie· filij solome· [2] filij sadoch· filij achitob· filij ameri· filij azahei· filij bocci· filij abysue· filij phinees· filij eleazari· filij aaron primi sacerdotis: [3] hic esdras ascendit de babilonia· cum esset scriba et ingeniosus in lege moysi que data est a domino israhel: docere et facere. [4] Et dedit ei rex gloriam· quod inuenisset gratiam in omni dignitate et desiderio: in conspectu eius. [5] Et ascenderunt simul cum ipso ex filijs israhel· et sacerdotibus et leuitis· et sacris cantoribus templi: et ostiarijs· et seruis templi in iherusalem. [6] Anno septimo regnante artarxerse in quinto mense: hic annus septimus est regni: exeuntes de babilonia nouilunio quinti mensis [7] venerunt iherosolimam iuxta preceptum illius: secundum prosperitatem itineris a domino ipsorum datam eis. [8] In hijs enim esdras magnam disciplinam obtinebat ne pretermitteret quicquam eorum que essent ex lege domini et preceptis: et docendo vniuersum israhel omnem iusticiam et iudicium. [9] Accedentes autem qui scribebant scripta artarxersis regis· tradiderunt scriptum quod obuenerat ab artarxerse rege· ad esdram sacerdotem et lectorem legis domini: cuius exemplum subiectum est. [10] Rex artarexerses· esdre sacerdoti et lectori legis domini salutem. [11] Humanior ego iudicans in beneficijs· precepi eis qui desiderant ex gente iudeorum sua sponte· et ex sacerdotibus et leuitis qui sunt in regno meo: comitari tecum in iherusalem. [12] Si qui ergo cupiunt ire tecum conueniant et proficiscantur sicut placuit michi· et septem amicis meis consiliarijs: [13] vt visitent ea que aguntur secundum iudeam et iherusalem obseruantes sicut habes in lege domini: [14] et ferant munera domino israhel· que voui ego et amici iherusalem: et omne aurum et argentum quod inuentum fuerit in regione babilonie· domino in iherusalem cum illo [15] quod est donatum pro ipsa gente in templum domini eorum quod est in iherusalem: vt colligatur hoc aurum et argentum ad thauros et arietes· et agnos et hedos· et que hijs sunt congruentia: [16] vt offerant hostias domino super altare domini ipsorum quod est in iherusalem. [17] Et omnia quecumque volueris cum fratribus tuis facere auro et argento· perfice pro voluntate tua secundum preceptum domini dei tui: [18] et sacrosancta vasa que data sunt tibi ad opera domus domini dei tui que est in iherusalem· [19] et cetera quecumque tibi subuenerit ad opera templi dei tui dabis de regali gazophilatio: [20] cum volueris cum fratribus tuis facere auro et argento perfice secundum voluntatem domini. [21] Et ego quidem rex artarxerses precepi custodibus thesaurorum syrie et phenicis: vt quecumque scripserit esdras sacerdos· et lector legis domini diligenter detur ei vsque ad argenti talenta centum similiter et auri: [22] et vsque ad frumenti modios centum· et vini amphoras centum: et alia quecumque abundant sine taxatione. [23] Omnia secundum legem dei fiant deo altissimo: ne forte exsurgat ira in regno regis· et filij et filiorum eius. [24] Vobis autem dicitur· vt omnibus sacerdotibus et leuitis et sacris cantoribus et seruis templi et scribis templi huius [25] nullum tributum neque vlla alia indictio irrogetur: nec habeat quisquam potestatem obicere eis quicquam. [26] Tu autem esdras secundum sapientiam dei constitue iudices et arbitros in tota syria et phenice· et omnes qui legem dei tui non nouerunt doce: [27] vt quotquot transgressi fuerint legem diligenter plectantur: siue morte· siue cruciatu· siue etiam pecunie mulctatione· vel abductione. [28] Et dixit esdras scriba. Benedictus dominus patrum nostrorum· qui dedit hanc voluntatem· in cor regis clarificare domum suam que est in iherusalem: [29] et me honorificauit in conspectu regis· et consiliariorum· et amicorum eius· et purpuratorum eius: [30] et ego constans animo factus sum secundum opitulationem domini dei mei. Et congregaui ex israhel viros: vt simul ascenderent mecum. [31] Et hij sunt prepositi secundum suas patrias et principatus portionales eorum qui mecum ascenderunt de babilonia: in regno artarxersis. [32] Ex filijs phares: gersomus. Ex filijs siemarith: amenus. Filiorum dauid: accus filius scecilie. [33] Ex filijs phares· et zacharias: et cum eo reuersi sunt viri centumquinquaginta. [34] Ex filijs ductoris moabilionis zaraei: et cum ipso viri ducentiquinquaginta. [35] Ex filijs zacues iechonias zechoeli: et cum ipso viri ducentiquinquaginta. [36] Ex filijs sala maasias gotholie: et cum ipso viri septuaginta. [37] Ex filijs saphacie· zarias micheli: et cum ipso viri octoginta. [38] Ex filijs iob abdias ieheli: et cum ipso viri

ducentiduodecim. 39 Ex filijs banie salimoth filius iosaphie: et cum ipso viri centumsexaginta. 40 Ex filijs beer· zacha bebei: et cum ipso viri ducentiocto. 41 filijs ezead iohannes acechan: et cum ipso viri centumdecem. 42 Ex filijs adonicham ipsis postremis: et hec sunt nomina eorum eliaphalam filius gebel et semeias· et cum ipso viri septuaginta. 43 Et congregaui eos ad fluuium qui dicitur thia· et mechati: illic fuimus triduo· et recognoui eos. 44 Et ex filijs sacerdotum et leuitarum non inueni illic. 45 Et misi ad eleazarum et eccelom· et masman· et maloban· et enaathan· et samea· et ioribum nathan· enuagan· zachariam· et mosollamum: ipsos ductores et peritos. 46 Et dixi eis· vt venirent ad luddeum cui erat apud locum gazophilacij. 47 Et mandaui eis· vt dicerent luddeo· et fratribus eius et illis qui erant in gazophilacio: vt mitterent nobis eos qui sacerdotio fungerentur in domo domini dei nostri. 48 Et adduxerunt nobis secundum manum validam domini dei nostri viros peritos· ex filijs mooli· filij leui· filij israhel· sebebian· et filios et fratres qui erant decem et octo· 49 asbiam et amin· ex filijs filiorum chananei: et filij eorum· viri viginti. 50 Et ex hijs qui in templo seruiebant quos dedit dauid· et ipsi principes ad operationem leuitis templo seruientium: ducentiuiginti. Omnia nomina significata sunt in scripturis. 51 Et voui illic ieiunium iuuenibus in conspectu domini: vt quererem ab eo bonum iter nobis et qui nobiscum erant et filijs et pecoribus propter insidias. 52 Erubui enim petere a rege pedites et equites in comitatu tutele gratia: contra aduersarios nostros. 53 Diximus enim regi: quoniam virtus domini erit cum eis· qui inquirunt eum in omni affectu. 54 Et iterum deprecati sumus dominum deum nostrum secundum hec: quem et propitium habuimus: et compotes facti sumus deo nostro. 55 Et separaui ex plebis prepositis· et sacerdotibus templi viros duodecim: et sedebian· et asannan· et cum eis ex fratribus eorum viros decem. 56 Et appendi eis aurum et argentum· et vasa sacerdotalia domus dei nostri: que donauerat rex· et consiliarij eius· et principes· et omnis israhel. 57 Et cum appendissem· tradidi argenti talenta centumquinquaginta· et vasa argentea talentorum centum· et auri talenta centum: 58 et vasorum aureorum septies viginti: et vasa erea de bono eramento splendentia duodecim· auri speciem reddentia. 59 Et dixi eis. Et vos sancti estis domino et vasa sunt sancta: et aurum et argentum votum est domino deo patrum nostrorum. 60 Vigilate et custodite donec tradatis ex plebis prepositis· et sacerdotibus et leuitis et principibus ciuitatum israhel in iherusalem: in pastoforio domus dei nostri. 61 Et hij qui susceperunt sacerdotes et leuite aurum et argentum· et vasa intulerunt in iherusalem in templum domini. 62 Et promouimus a fluuio thia die duodecima mensis primi: vsquequo introiuimus in iherusalem. 63 Et cum factus fuisset tercius dies: quarta autem die ponderatum aurum et argentum traditum est in domo domini dei nostri· marimoth filio iori sacerdoti: 64 et cum ipso erat eleazar filius phinees· et erant cum ipsis iosadus filius ihesu· et medias· et banni filius· leuite: ad numerum et ad pondus vniuersa. 65 Et scriptum est pondus ipsorum eadem hora. 66 Qui autem venerunt ex captiuitate obtulerunt sacrificium domino israhel thauros duodecim· pro omni israhel· arietes octogintasex· 67 agnos septuagintaduos· hircos pro peccato duodecim· et pro salute vaccas duodecim: omnia in sacrificium domini. 68 Et relegerunt precepta regis regalibus dispensatoribus: et subregulis coelensirie· et phenicis: et honorificauerunt gentem et templum domini. 69 Et consummatis hijs accesserunt ad me prepositi dicentes. Non segregauerunt genus israhel et principes et sacerdotes· et leuite· 70 et alienigene gentes et nationes terre immundicias suas: a chananeis et etheis· et pherezeis· et iebuseis· et moabitis· et egiptijs· et ydumeis. 71 Coniuncti enim sunt filiabus eorum et ipsi et filij eorum: et mixtum est semen sanctum alienigenis gentibus terre: et participes erant prepositi et magistratus iniquitatis eius ab inicio ipsius regni. 72 Et mox vt audiui ista conscidi vestimenta et sacram tunicam: et lacerans capillos capitis· et barbam· sedi dolens et mestus. 73 Et conuenerunt quotquot tunc mouebantur in verbo domini dei israhel ad me lugentem super iniquitatem istam: et sedebam tristis· vsque ad vespertinum sacrificium. 74 Et surgens a ieiunio conscissa habens vestimenta· et sacram tunicam: ingeniculans· et extendens manus ad dominum 75 dicebam. Domine confusus sum: et reueritus sum ante faciem tuam. 76 Peccata enim nostra multiplicata sunt super capita nostra: et iniquitates nostre exaltate sunt vsque ad celum: 77 quoniam a temporibus patrum nostrorum sumus in magno peccato· vsque ad diem hunc. 78 Et propter peccata nostra et patrum nostrorum sumus traditi cum fratribus nostris· et cum sacerdotibus nostris. regibus terre in gladium et captiuitatem et depredationem cum confusione: vsque in hodiernum diem. 79 Et nunc quantum est quod contigit nobis misericordia abs te domine deus: et derelinque nobis radicem· et nomen in locum sanctificationis tue· 80 detegere luminare nostrum in domo domini dei nostri: dare nobis cibum in omni tempore seruitutis nostre. 81 Et cum seruiremus non fuimus derelicti a domino deo nostro: sed constituit nos in gratia· ponens nobis reges persarum dare cibum· 82 et clarificare templum domini dei nostri et edificare deserta syon: dare nobis stabilitatem in iudea et iherusalem. 83 Et nunc quid dicimus domine habentes hec? Transgressus enim sumus precepta tua: que dedisti in manus puerorum tuorum prophetarum 84 dicens. Quoniam terra in quam introistis possidere hereditatem eius· terra polluta est coinquinationibus alienigenarum terre: et immundicie illorum repleuerunt eam tota immundicia sua. 85 Et nunc filias vestras non coniungetis filijs eorum· et filias eorum non accipietis filijs vestris: 86 et non inquiretis pacem habere cum illis omni tempore: vt inualescentes manducetis optima terre· et hereditatem distribuatis filijs vestris vsque in euum. 87 Et que contingunt nobis omnia fiunt propter opera nostra maligna: et magna peccata nostra. 88 Et dedisti nobis talem radicem: et rursum reuersi sumus transgredi legitima tua: vti commisceremur· immundicie alienigenarum gentium terre huius. 89 Nonne irasceris nobis perdere nos· quoadusque non relinquatur radix· et nomen nostrum? 90 Domine deus israhel verax es. Derelicta est enim radix vsque in hodiernum diem. 91 Ecce nunc sumus in conspectu tuo in iniquitatibus nostris. Non est enim adhuc stare ante te in hijs. 92 Et cum adorando confiteretur esdras flens humi prostratus ante templum: congregati sunt ante eum ex iherusalem turba magna valde viri et mulieres· et iuuenes et iuuencule. Fletus enim erat magnus in ipsa multitudine. 93 Et cum clamasset iechonias ieheli ex filijs israhel: dixit esdre. Nos in dominum peccauimus: quod collocauimus nobis in matrimonium mulieres alienigenas ex gentibus terre. 94 Et nunc es super omnem israhel. In hijs ergo sit iusiurandum a domino expellere omnes vxores nostras que ex alienigenis sunt cum filijs earum. 95 Sicut tibi decretum est a maioribus secundum legem domini exsurgens explica: 96 ad te enim spectat negocium: et nos tecum sumus. Viriliter fac. 97 Et exsurgens esdras adiurauit principes sacerdotum· et leuitas et omnem israhel facere secundum hec: Et iuraverunt.

9 esdras ab ante atrium templi abijt in pastoforium ionathe filij nasabi: 2 et hospitatus illic non gustauit panem· nec aquam bibit· super iniquitatem multitudinis. 3 Et facta est predicatio in omni iudea· et in iherusalem omnibus qui erant ex captiuitate in iherusalem congregati: 4 vt quicumque non occurrerit biduo vel triduo diei secundum iudicium assidentium seniorum· tollerentur facultates sue: et ipse alienus iudicaretur a multitudine captiuitatis. 5 Et congregati sunt omnes qui erant ex tribu iuda et beniamin in tribus diebus in iherusalem. Hic mensis est nonus: dies mensis vicesimus. 6 Et sedit omnis multitudo in area templi trementes propter hyemem presentem. 7 Et exsurgens esdras dixit illis. Vos inique fecistis collocando vobis in matrimonium vxores alienigenas: vt adderetis ad peccata israhel. 8 Et nunc date confessionem et magnificentiam domino deo patrum nostrorum: 9 et perficite voluntatem ipsius: et discedite a gentibus terre et ab vxoribus alienigenis. 10 Et clamauit omnis multitudo: et dixerunt voce magna. Sicut dixisti faciemus. 11 Sed quoniam multitudo magna est· et tempus hybernum: et non possumus insubsidiati stare· et hoc opus non est nobis vnius diei· neque bidui· multum enim in hijs peccauimus: 12 stent prepositi multitudinis· et omnes qui nobiscum inhabitant· et quotquot habent vxores apud se alienigenas: 13 et assistant accepto tempore ex omni loco presbiteri et iudices: vsquequo soluant iram domini negocij huius. 14 Ionathas autem filius ezeli· et ozias thecham susceperunt secundum hec: et bosoramus· et leuis et sabatheus· simul cooperati sunt cum illis. 15 Et steterunt secundum hec· nomina omnia vniuersi

qui erant ex captiuitate. [16] Et elegit sibi viros esdras sacerdos principes magnos de patribus eorum secundum nomina: et consederunt nouilunio mensis decimi examinare negocium istud. [17] Et determinatum est de viris qui habebant vxores alienigenas vsque ad neomenia primi mensis: [18] et inuenti sunt ex sacerdotibus permixti qui habebant alienigenas vxores. [19] Ex filijs ihesu filij iosedech et fratribus eius· maseas· et eliezerus· et loribus· et ioadeus: [20] et inierunt manus vt expellerent vxores suas: et ad litandum in exorationem arietem pro ignorantia sua. [21] Et ex filijs semmeri: maseas· et esses et ieelech· azarias. [22] Et ex filijs fosere: lisomasias· hismaenis· et nathanae· iussio reddus et talsas. [23] Et ex leuitis: iorabdus· et semeis· et colnis· et calitas· et facteas· et coluas· et elionas. [24] Et ex sacris cantoribus: eliasib· zaccarus. [25] Et ex ostiarijs: sallu elia eliasib· sallumus· et tolbanes. [26] Et ex israhel: ex filijs foroosi et remias et geddias· et melchias· et michelus· eleazarus· et ieremebias et bannas. [27] Et ex filijs iolamam: chamas et zacharias iezrelus· et ioddius et eremoth et helias. [28] Et ex filijs zathoim: eliadas et liasumus· zochias et larimoth et zabdis et tebedias. [29] Et ex filijs zebes: iohannes et amanias et zabdias et emens. [30] Et ex filijs bani: olamus et malluchus et ieddeus et iasub et asabus et ierimoth. [31] Et ex filijs addin: naathus et moosias et caleus et raanas maaseas mathathias et beseel et bonnus et manasses. [32] Et ex filijs nuae: noneas et afeas et melchias et sameas et symon beniamin et malchus et marras. [33] Et ex filijs asom: carianeus mathathias et bannus et eliphalach et manasses et semei. [34] Et ex filijs bani: iheremias et moodias et abramus et iohel et baneas et pelias et ionas et marimoth et eliasib et mathaneus et eliasis et orisas et dielus et semedius et sambris iosephus. [35] Et ex filijs nobei: idelus et mathathias et sabadus et zecheda sedmi et iessei baneas. [36] Omnes isti coniunxerunt sibi vxores alienigenas: et dimiserunt eas cum filijs. [37] Et inhabitauerunt sacerdotes et leuite et qui erant ex israhel in iherusalem et in tota vna regione: nouilunio mensis septimi. Et erant filij israhel in commorationibus suis. [38] Et congregata est omnis multitudo simul in aream que est ab oriente porte sacre. [39] Et dixerunt esdre pontifici· et lectori· vt afferret legem moysi que tradita est a domino deo israhel. [40] Et attulit esdras pontifex legem omni multitudini eorum a viro vsque ad mulierem et omnibus sacerdotibus: audire legem nouilunio mensis septimi. [41] Et legebat in aria que est ante sacram portam templi: a prima luce vsque ad vesperam· coram viris et mulieribus. Et dederunt omnes sensum ad legem. [42] Et stetit esdras sacerdos et lector legis super ligneum tribunal quod fabricatum erat. [43] Et steterunt ad eum mathathias et samus ananias· azarias vrias· ezechias et balsamus ad dexteram: [44] et ad sinistram faldeus misael· malachias· abusthas· sabus· nabadias· et zacharias. [45] Et assumpsit esdras librum coram omni multitudine: presidebat enim in gloria in conspectu omnium. [46] Et cum absoluisset legem omnes recti steterunt: et benedixit esdras dominum deum altissimum: deum sabaoth omnipotentem. [47] Et respondit omnis populus amen. Et eleuatis sursum manibus: procidentes in terram adorauerunt dominum· [48] ihesus et banaeus et sarabias binas et iadimus et accubus et sabbatheus et calithes et azarias et ioradus et ananias et filias leuite· [49] qui docebant legem domini: et in multitudine legebant legem domini: et preferebant singuli eos qui intelligebant lectionem. [50] Et dixit ad tharates esdre pontifici et lectori: et leuitis qui docebant multitudinem [51] dicens. Dies hic sanctus est domino. Et omnes flebant cum audissent legem. [52] Digressi ergo manducate pinguissima queque: et bibite dulcissima queque: et mittite munera hijs qui non habent. [53] Sanctus enim est hic dies domini: et nolite mesti esse. Dominus enim clarificabit vos. [54] Et leuite denunciabant in publico omnibus dicentes. Dies hic sanctus est. Nolite mesti esse. [55] Et abierunt omnes manducare et bibere et epulari: et dare munera hijs qui non habebant vt epulentur. Magnifice enim sunt exaltati verbis quibus edocti sunt. [56] Et congregati sunt vniuersi in iherusalem celebrare leticiam: secundum testamentum domini dei israhel.

Esdre V

Incipit liber esdre quartus.

1 Liber esdre prophete secundus filij sarei filij azarei filij elchiE filij sadanie filij sadoch filij achitob [2] filij achie filij finees filij heli filij amerie filij asiei filij marimoch filij arna filij ozie filij borith filij abissei filij finees filij eleazar [3] filij aaron ex tribu leui: qui fuit captiuus in regione medorum in regno artarxersis regis persarum. [4] Et factum est verbum domini ad me dicens. [5] Vade et nuncia populo meo facinora ipsorum et filijs eorum iniquitates quas in me admiserunt: vt nuncient filijs filiorum [6] quia peccata parentum ipsorum in illis creuerunt. Obliti enim mei sacrificauerunt dijs alienis. [7] Nonne ego eduxi eos de terra egipti: de domo seruitutis? Ipsi autem irritauerunt me: et consilia mea spreuerunt. [8] Tu autem excute comam capitis tui: et proice omnia mala super illos: quoniam non obedierunt legi mee. Populus autem est indisciplinatus. [9] Vsquequo eos sustinebo quibus tanta beneficia contuli? [10] Reges multos propter eos subuerti: pharaonem cum pueris suis et omnem exercitum eius percussi. [11] Omnes gentes a facie eorum perdidi: et in oriente prouinciarum duarum populos tyri et sydonis dissipaui: et omnes aduersarios eorum interfeci. [12] Tu vero loquere ad eos dicens. Hec dicit dominus. [13] Nempe ergo vos per mare transineaui: et plateas vobis inicio munitas exhibui. Ducem vobis dedi moysen et aaron sacerdotem: [14] lucem vobis per calumnam ignis prestiti: et magna mirabilia feci in vobis. Vos autem mei obliti estis dicit dominus. [15] Hec dicit dominus omnipotens. Coturnix vobis in signo fuit: castra vobis ad tutelam dedi et illic murmurastis: [16] et non triumphastis in nomine meo de perditione inimicorum vestrorum: sed adhuc nunc vsque murmurastis. [17] Vbi sunt beneficia que prestiti vobis? Nonne in deserto cum esuriretis proclamastis ad me [18] dicentes: vt quid nos in desertum istud adduxisti interficere nos? Melius nobis fuerat seruire egiptijs: quam mori in deserto hoc. [19] Ego dolui gemitus vestros: et dedi vobis manna in escam. Panem angelorum manducastis. [20] Nonne cum sitiretis petram excidi: et fluxerunt aque in saturitate? Propter estus folijs arborum vos texi. [21] Diuisi vobis terras pingues: chananeos et pherezeos et philistinos a facie vestra proieci· Quid faciam vobis adhuc dicit dominus? [22] Hec dicit dominus omnipotens. In deserto cum essetis in flumine amorreo sitientes et blasphemantes nomen meum: [23] non ignem vobis pro blasphemijs dedi: sed mittens lignum in aquam dulce feci flumen. [24] Quid tibi faciam iacob? Noluisti obedire iuda. Transferam me ad alias gentes: et dabo eis nomen meum: vt custodiant legitima mea. [25] Quoniam me dereliquistis: et ego vos derelinquam. Petentibus vobis a me misericordiam non miserebor: [26] quando inuocabitis me ego non exaudiam vos. Maculastis enim manus vestras sanguine: et pedes vestri impigri sunt ad committenda homicidia. [27] Non quasi me dereliquistis: sed vosipsos dicit dominus. [28] Hec dicit dominus omnipotens· Nonne ego vos rogaui vt pater filios et vt mater filias et vt nutrix paruulos suos: [29] vt essetis michi in populum et ego vobis in deum· et vos michi in filios· et ego vobis in patrem? [30] Ita vos collegi: vt gallina pullos suos sub alas suas. Modo autem quid faciam vobis? Proiciam vos a facie mea. [31] Oblationem cum michi attuleritis auertam faciem meam a vobis. Dies enim festos vestros et menia et circuncisiones repudiaui. [32] Ego misi pueros meos prophetas ad vos: quos acceptos interfecistis: et laniastis corpora eorum: quorum sanguinem exquiram dicit dominus. [33] Hec dicit dominus omnipotens. Domus vestra deserta est. Proiciam vos sicut ventus stipulam: [34] et filij procreationem non facient: quoniam mandatum meum neglexerunt· et quod malum est coram me fecerunt. [35] Tradam domus vestras populo

venienti qui me non audientes credunt: quibus signa non ostendi facient que precepi. [36] Prophetas non viderunt: et memorabuntur iniquitatum eorum. [37] Testor populi venientis gratiam: cuius paruuli exultant cum leticia me non videntes oculis carnalibus: sed spiritu credentes que dixi. [38] Et nunc frater aspice que gloria: et vide populum venientem ab oriente: [39] quibus dabo ducatum abraham isac et iacob et osee et amos et michee et iohel et abdie et ione [40] et naum et abacuc sophonie aggei zacharie et malachim qui et angelus domini

2 Hec dicit dominus. Ego vocatus est. eduxi populum istum de seruitute: quibus mandata dedi per pueros meos prophetas quos audire noluerunt: sed irrita fecerunt mea consilia. [2] Mater que eos generauit dicit illis. Ite filij: quia ego vidua sum et derelicta. [3] Educam vos cum leticia: et amisi vos cum luctu et tristicia. Quoniam peccastis coram domino deo vestro: et quod malum est coram me fecistis. [4] Modo autem quid faciam vobis? Ego vidua sum et derelicta. Ite filij: et petite a domino misericordiam. [5] Ego autem te pater testem inuoco super matrem filiorum qui noluerunt testamentum meum seruare: [6] vt des eis confusionem et matrem eorum in direptionem: ne generatio eorum fiat. [7] Dispergantur in gentes nomina eorum: deleantur a terra· quoniam spreuerunt sacramentum meum. [8] Ve tibi assur: qui abscondis iniquos penes te. Gens mala memorare quid fecerim zodome et gomorre: [9] quorum terra iacet in piceis glebis et aggeribus cinerum. Sic dabo eos qui me non audierunt: dicit dominus omnipotens. [10] Hec dicit dominus ad esdram. Nuncia populo meo: quoniam dabo eis regnum iherusalem quod daturus eram israhel. [11] Et sumam michi gloriam illorum: et dabo eis tabernacula eterna que preparaueram illis. [12] Lignum vite erit illis in odore vngenti: et non laborabunt neque fatigabuntur. [13] Ite: et accipietis. Rogate vobis dies paucos· vt immorentur. Iam paratum est vobis regnum. Vigilate. [14] Testare celum et terram. Contriui enim malum et creaui bonum: quia viuo ego dicit dominus. [15] Mater amplectere filios tuos: educa illos cum leticia. Sicut columba confirma pedes eorum· quoniam te elegi dicit dominus. [16] Et resuscitabo mortuos de locis suis: et de monumentis educam illos: quoniam cognoui nomen meum in israhel [17] Noli timere mater filiorum: quoniam te elegi dicit dominus. [18] Mittam tibi adiutorium pueros meos ysaiam et iheremiam: ad quorum consilium sanctificaui et paraui tibi arbores duodecim· granatas varijs fructibus· [19] et totidem fontes fluentes lac et mel: et montes immensos septem habentes rosam et lilium· in quibus gaudio implebo filios tuos. [20] Viduam iustifica: pupillo iudica· egenti da· orphanum tuere· nudum vesti: [21] confractum et debilem cura· clandum irridere noli: tutare mancum: et cecum ad visionem claritatis mee admitte. [22] Senem et iuuenem intra muros tuos serua: [23] mortuos vbi inueneris signans commenda sepulcro: et dabo tibi primam cessionem in resurrectione mea. [24] Pausa et quiesce populus meus: quia veniet requies tua. [25] Nutrix bona nutri filios tuos: confirma pedes eorum. [26] Seruos quos tibi dedi: nemo ex eis interiet. Ego enim eos requiram de numero tuo. [27] Noli fatigare. Cum enim venerit dies pressure et angustie alij plorabunt et tristes erunt: tu autem hilaris et copiosa eris. [28] Zelabunt gentes: et nil aduersus te poterunt dicit dominus. [29] Manus mee tegent te: ne filij tui gehennam videant. [30] Iocundare mater cum filijs tuis: quia ego te eripiam dicit dominus. [31] Filios tuos dormientes memorare: quoniam ego eos educam de lateribus terre et misericordiam cum illis faciam: quoniam misericors sum dicit dominus omnipotens. [32] Amplectere natos tuos vsque dum venio et prestem illis misericordiam: quoniam exuberant fontes mei: et gratia mea non deficiet. [33] Ego esdras preceptum accepi a domino in monte oreb: vt irem ad israhel. Ad quos cum venirem reprobauerunt me: et respuerunt mandatum domini. [34] Ideoque vobis dico gentes: que auditis et intelligitis. Expectate pastorem vestrum: requiem eternitatis dabit vobis quoniam in proximo est ille qui in fine seculi adueniet. [35] Parati estote ad premia regni: quia lux perpetua lucebit vobis· per eternitatem temporis. [36] Fugite vmbram seculi huius. Accipite iocunditatem glorie vestre. Ego testor palam saluatorem meum: [37] commendatum donum accipite et iocundamini: gratias agentes ei qui vos ad celestia regna vocauit. [38] Surgite et state: et videte numerum signatorum in conuiuio domini. [39] Qui se de vmbra seculi transtulerunt: splendidas tunicas a domino acceperunt. [40] Recipe syon numerum tuum: et conclude candidatos tuos qui legem domini compleuerunt. [41] Filiorum tuorum quos optabas plenus est numerus. Roga imperium domini: vt sanctificetur populus tuus qui vocatus est ab inicio. [42] Ego esdras vidi in monte syon turbam magnam quam numerare non potui: et omnes canticis collaudabant dominum. [43] Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus eminentior omnibus illis: et singulis capitibus eorum imponebat coronas: et magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar. [44] Tunc interrogaui angelum: et dixi. Qui sunt hij domine? [45] Qui respondens dixit michi. Hij sunt qui mortalem tunicam deposuerunt: et immortalem sumpserunt: et confessi sunt nomen dei. Modo coronantur et accipiunt palmas. [46] Et dixi angelo. Ille iuuenis quis est qui eis coronas imponit: et palmas in manus tradit? [47] Et respondens dixit michi. Ipse est filius dei: quem in seculo confessi sunt. Ego autem magnificare eos cepi: qui fortiter pro nomine domini steterunt. [48] Tunc dixit michi angelus. Vade: annuncia populo meo qualia et quanta mirabilia domini dei vidisti.

3 Anno tricesimo ruine ciuitatis eram in babilone: et conturbatus sum super cubiculo meo recumbens. Et cogitationes mee ascendebant super cor meum: [2] quoniam vidi desertionem syon: et abundantiam eorum qui habitabant in babilone. [3] Et ventilatus est spiritus meus valde. Et cepi loqui ad altissimum verba timorata. [4] Et dixi. O dominator domine tu dixisti ab inicio quando plantasti terram et hoc solus: et imperasti populo [5] et dedisti adam corpus mortuum· sed et ipsum figmentum manuum tuarum erat· et insufflasti in eum spiritum vite· et factus est viuens coram te: [6] et induxisti eum in paradiso quem plantauerat dextera tua· antequam terra aduentaret. [7] Et huic mandasti diligere viam tuam et preteriuit eam: et statim instituisti in eum mortem et in nationibus eius: et nate sunt gentes et tribus et populi et cognationes quarum non est numerus. [8] Et ambulauit vnaqueque gens in voluntate sua: et mira agebant coram te: et spernebant precepta tua. [9] Iterum autem in tempore induxisti diluuium super inhabitantes seculum: et perdidisti eos. [10] Et factum est in vnoquoque eorum sicut ade mori: sic hijs diluuium. [11] Dereliquisti autem vnum ex hijs noe cum domo sua: et ex eo iusti omnes. [12] Et factum est cum cepissent multiplicari qui habitabant super terram: et multiplicauerunt filios et populos et gentes multas: et ceperunt iterato impietatem facere plus quam priores. [13] Et factum est cum iniquitatem facerent coram te: elegisti tibi virum ex hijs cui nomen erat abraham. [14] Et dilexisti eum: et demonstrasti ei soli voluntatem tuam. [15] Et disposuisti ei testamentum eternum: et dixisti ei vt non vnquam derelinqueres semen eius. Et dedisti ei ysaac: et ysaac dedisti iacob· et esau. [16] Et segregasti tibi iacob: esau autem separasti. Et factus est iacob in multitudine magna. [17] Et factum est cum educeres semen eius ex egipto: adduxisti super montem syna. [18] Et inclinasti celos et statuisti terram· et commouisti orbem· et tremere fecisti abissos· et conturbasti seculum: [19] et transijt gloria tua portas quatuor ignis et terremotus· et spiritus· et gelu· vt dares semini iacob legem: et generationi israhel diligentiam. [20] Et non abstulisti ab eis cor malignum: vt faceret lex tua in eis fructum. [21] Cor enim malignum baiulans primus adam transgressus et victus est: sed et omnes qui de eo nati sunt. [22] Et facta est permanens infirmitas et lex cum corde populi cum malignitate radicis: et discessit quod bonum est: et mansit malignum. [23] Et transierunt tempora et finiti sunt anni: et suscitasti tibi seruum nomine dauid: [24] et dixisti ei edificare ciuitatem nominis tui· et offerre ibi in eadem thus et oblationes. [25] Et factum est hoc annis multis: et deliquerunt qui habitabant ciuitatem [26] in omnibus facientes sicut fecit adam et omnes generationes eius. Vtebantur enim et ipsi corde maligno. [27] Et tradidisti ciuitatem tuam in manibus inimicorum tuorum. [28] Nunquid meliora faciunt qui habitant babilonem? Et propter hoc dominabitur syon. [29] Factum est cum venissem huc et vidissem impietates quarum non est numerus et delinquentes multos: vidit anima mea hoc tricesimo anno et excessit cor meum: [30] quoniam vidi quomodo sustines eos peccantes et pepercisti impie agentibus: et perdidisti populum tuum et conseruasti inimicos tuos: et non significasti. [31] Nichil memini quomodo debeat

derelinqui via hec. Nunquid meliora facit babilon quam syon· [32] aut alia gens cognouit te preter israhel? Aut que tribus crediderunt testamentis tuis sicut iacob? [33] Quarum merces non comparuit: neque labor fructificauit. Pertransiens enim pertransiui in gentibus: et vidi abundantes eas: et non memorantes mandatorum tuorum. [34] Nunc ergo pondera in statera nostras iniquitates et eorum qui habitabant in seculo: et non inuenietur nomen tuum nisi in israhel. [35] Aut quando non peccauerunt in conspectu tuo qui habitant terram: aut que gens sic obseruauit mandata tua? [36] Hos quidem per nomina inuenies seruasse mandata tua: gentes autem non inuenties.

4 Et respondit ad me angelus qui missus est ad me cui nomen huriel: [2] et dixit michi. Excedens excessit cor tuum in seculo hoc: et comprehendere cogitas viam altissimi. [3] Et dixi. Ita domine meus. Et respondit michi et dixit. Tres vias missus sum ostendere tibi: et tres similitudines proponere coram te· [4] de quibus michi si renunciaueris hijs: et ego tibi demonstrabo viam quam desideras videre: et docebo te vnde sit cor malignum. [5] Et dixi. Loquere domine meus. Et dixit ad me. Vade pondera michi vnam ex ignis pondus: aut mensura michi flatum venti: aut reuoca michi diem que preterijt. [6] Et respondi et dixi. Quis natorum poterit facere vt me interroges de hijs? [7] Et dixit ad me. Si essem interrogans te· dicens· quante habitationes sunt in corde maris· aut quante vene sunt in principio abissi· aut quante vene sunt super firmamentum· aut qui sunt exitus paradisi: [8] diceres michi forassis· in abissum non descendi: neque in infernum adhuc· quam neque in celum nunquam ascendi. [9] Nunc autem non interrogaui te nisi de igne et prum: ventro· et die per quem transisti: et a quibus separari non potes: et non respondisti michi de eis. [10] Et dixit michi. Tu que tua sunt· tecum coadolescentia non potes cognoscere. [11] Et quomodo poterit vas tu iusisicare vm capere altissimi viam: et iam exterius corrupto seculo intelligere corruptionem euidentem in facie mea? [12] Et dixi illi. aut Melius erat nos non esse quam adhuc viuentes viuere in impietatibus et pati: et non intelligere legi de qua re. [13] Et respondit ad me et dixit. Proficiscens profedus sum ad siluam lignorum campi: et cogitauerunt cogitationem: [14] et dixerunt. Venite et eamus et faciamus ad mare bellum· vt recedat coram nobis: et faciamus nobis alias siluas. [15] Et similiter fluctus te maris: et ipsi cogitauerunt cogitationem et dixerunt. Venite ascendentes debellemus siluas campi: vt et ibi consummemus nobis metipsis aliam regionem. [16] Et factus est cogitatus silue in vanum. Venit enim ignis: et consumpsit eam. [17] Similiter et condeimare? gitatus fluctuum maris. Sterit enim arena: et prohibuit eos. [18] Si enim esses iudex temporum: quem inciperes iustificare aut quem condemnare? [19] Et respondi et dixi. Vtique Et vanam cogitationem respondi cogitauerunt. Terra enim data est silue: et mari locus· portare fluctus suos. [20] Et respondit ad me: et dixit. Bene tu iudicasti. Et quare et non iudicasti tibimetipsi? [21] Quemadmo dum enim terra silue data est· et mare fluctibus suis: sic qui super terram inhabitant que sunt super terram intelligere solummodo possunt: et qui super celos que super altitudinem celorum. [22] Et respondi et dixi. Deprecor te domine: vt michi detur sensus intelligendi. [23] Non enim volui introgare de suprioribus tuis· sed de hijs que pertranseunt per nos quotidie: propter quid israhel datus in opprobrium gentibus quem dilexisti populum: datus est tribubus impijs· et lex patrum nostrorum in interitum deducta est· et dispositiones scripte nusquam sunt: [24] et pertransiuimus de seculo vt locuste: et vita nostra stupor et pauor: et nec digni sumus misericordiam consequi. [25] Sed quid faciet nomini suo quod inuocatum est super nos? Et de hijs interrogaui: [26] et respondit ad me et dixit. Si fueris plurimum scrutatus· frequenter miet raberis. Quoniam festinans festinat se prohibuit culum pertransire· [27] et non capit portare que in futuris temporibus. iustis repromissa sunt: quoniam plenum iniusticia est seculum hoc malum [28] eos. terrogas Dicam. Seminatum est enim malum: et necdum venit destructio ipsius. [29] Si ergo non inuersum fuerit quod seminatum est et discesserit locus vbi seminatum est malum: non veniet vbi seminatum est bonum. [30] Quoniam gramini seminis mali seminatum est in corde adam ab inicio: et Estima quantum impietatis generauit vsque nunc: et generat vsque cum veniat area. autem apud te gramini mali [31] seminis quantum fructum impietatis generauit: [32] quando seminate fuerint spice quarum non est numerus· quam magnam aream incipient facere. [33] Et respondi et dixi. Quo· et quando hec? Quare modici et mali anni nostri? [34] Et respondit ad me: et dixit michi. Non festines tu super altissimum. Tu enim festinas inaniter esse super ipsum. Nam excessus tuus multus. [35] Nonne de hijs interrogauerunt anime iustorum in promptuarijs suis dicentes: vsquequo spero sic· et quando veniet fructus aree mercedis nostre? [36] Et respondit ad ea ieremiel archangelus et dixit. Quando impletus fuerit numerus seminum nobis: quoniam in statera ponderauit seculum [37] et mensura mensurauit tempora· et numero numerauit tempora: et non commouit nec excitauit vsque dum impleatur predicta mensura. [38] Et respondi et dixi. O dominator domine: sed et nos omnes pleni sumus impietate. [39] Et ne forte propter nos non impleantur iustorum aree: propter peccata inhabitantium super terram. [40] Et respondit ad me· et dixit. Vade et interroga pregnantem: si quando impleuerit nouem menses suos adhuc poterit matrix eius retinere partum in semetipsa. [41] Et dixi. Non potest domine. Et dixit ad me. In inferno· promptuaria animarum· matrici assimulata sunt. [42] Quemadmodum enim illa festinat que parit effugere necessitatem partus: sic et hec festinat reddere ea que commendata sunt. [43] Ab inicio tibi demonstrabitur de hijs que concupiscis videre. [44] Et respondi et dixi. Si inueni gratiam ante oculos tuos· et si possibile est et si ydoneus sum: [45] demonstra michi si plus quam preteritum sit habet venire: aut plura pertransierunt supra quam futurum est. [46] Quid pertransiuit scio: quid autem futurum sit ignoro [47] Et dixit ad me. Sta super dexteram partem: et demonstrabo tibi interpretationem similitudinis. [48] Et steti et vidi: et ecce fornax ardens transiit coram me. Et factum est cum transiret flamma: vidi et ecce superauit fumus. [49] Post hec transijt coram me nubes plena aque: et immisit pluuiam impetu multam. Et cum transisset impetus pluuie: superauerunt in ea gutte. [50] Et dixit ad me. Cogita tibi. Sicut crescit pluuia amplius quam gutte et ignis quam fumus: sic super abundauit que transiuit mensura. Superauerunt autem gutte et fumus. [51] Et oraui et dixi. Putas viuo vsque in diebus illis? Vel quis erit in diebus illis? [52] Respondit ad me et dixit. De signis de quibus me interrogas ex parte possum tibi dicere: de vita autem tua non sum missus dicere tibi: sed nescio.

5 De signis autem: ecce dies venient· in quibus apprehendentur qui inhabitant terram incensu multo: et abscondetur veritatis via et sterilis erit a fide regio: [2] et multiplicabitur in iusticia super hanc quam ipse tu vides et super quam audisti olim: [3] et erit imposito vestigio quam nunc vides regnare regionem· et videbunt eam desertam. [4] Si autem tibi dederit altissimus viuere videbis post terciam tubam: et relucescet subito sol noctu· et luna ter in die: [5] et de ligno sanguis stillabit· et lapis dabit vocem suam: et populi commouebuntur· [6] et regnabit quem non sperant qui inhabitant super terram: et volatilia commigratiotionem facient: [7] et mare sodomiticum pisces reiciet: et dabit vocem noctu quam non nouerant multi. Omnes autem audient vocem eius. [8] Et chaos fiet per loca multa· et ignis frequenter remittetur· et bestie agrestes transmigrabunt: et mulieres menstruate perient monstra· [9] et in dulcibus aquis salse inuenientur: et amici omnes in semetipsos expugnabunt: et abscondetur tunc sensus et intellectus separabitur in promptuarium suum· [10] et queretur a multis et non inuenietur: et multiplicabitur iniusticia et incontinentia super terram. [11] Et interrogabit regio proximam suam et dicet. Nunquid per te pertransijt iusticia iustum faciens? Et hoc negabit. [12] Et erit in illo tempore: et sperabunt homines et non impetrabunt: laborabunt· et non dirigentur vie eorum. [13] Hec signa dicere tibi permissum est michi. Et si oraueris iterum et ploraueris sicut et nunc· et ieiunaueris septem diebus: audies iterato horum maiora. [14] Et euigilaui· et corpus meum horruit valde: et anima mea laborauit vt deficeret. [15] Et tenuit me qui venit angelus qui loquebatur in me: et confortauit me et staruit me super pedes. [16] Et factum est in nocte secunda: et venit ad me salathiel dux populi: et dixit michi. Vbi eras? Et quare vultus tuus tristis? [17] Aut nescis quoniam tibi creditus est israhel in regione transmigrationis eorum? [18] Exsurge ergo et gusta panem: et non derelinquas nos sicut pastor gregem suum in manibus luporum malignorum. [19] Et dixi ei.

Vade a me: et non appropies ad me. Et audiuit vt dixi: et recessit a me. [20] Et ego ieiunaui diebus septem vlulans et plorans: sicut michi mandauit vriel angelus. [21] Et factum est post dies septem: et iterum cogitationes cordis mei moleste erant michi valde. [22] Et resumpsit anima mea spiritum intellectus: et iterum cepi loqui coram altissimo sermones. [23] Et dixi. Dominator domine ex omni silua terre et ex omnibus arboribus eius elegisti vineam vnicam: [24] et ex omni terra orbis elegisti tibi foueam vnam: et ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium vnum: [25] et ex omnibus abissis maris replesti tibi riuum vnum: et ex omnibus edificatis ciuitatibus sanctificasti tibimetipsi syon: [26] et ex omnibus creatis volatilibus nominasti tibi columbam vnam: et ex omnibus plasmatis pecoribus prouidisti tibi ouem vnam: [27] et ex omnibus multiplicatis populis acquisiuisti tibi populum vnum· et ab omnibus probatam legem donasti huic quem desiderasti populo. [28] Et nunc domine vt quid tradidisti vnum pluribus? Et preparasti super vnam radicem alias: et disperdisti vnicum tuum in multis. [29] Et conculcauerunt eum qui contradicebant sponsionibus tuis: quique tuis testamentis non credebant. [30] Et si odiens odisti populum tuum: tuis manibus debet castigari. [31] Et factum est cum locutus essem sermones: et missus est angelus ad me qui ante venerat ad me preterita nocte: [32] et dixit michi. Audi me et instruam te: et intende michi et adiciam coram te. [33] Et dixi. Loquere domine meus. Et dixit ad me. Valde tu in excessu mentis factus es pro israhel. An plus dilexisti eum: quam qui eum fecit? [34] Et dixi ad eum. Non domine: sed dolens locutus sum. Torquent enim me renes mei per omnem horam querentem apprehendere semitam altissimi: et inuestigare partem iudicij eius. [35] Et dixit ad me. Non potes. Et dixi. Quare domine? Ad quid nascebar: aut quare non fiebat matrix matris mee michi sepulcrum· vt non viderem laborem iacob· et defatigationem generis israhel? [36] Et dixit ad me. Numera michi que necdum venerant· et collige michi dispersas guttas. Et reuirida michi aridos flores: [37] et aperi michi clausa promptuaria: et produc michi inclusos in eis flatus. Demonstra michi vocis ymaginem: et tunc ostendam tibi laborem quem rogas videre. [38] Et dixi. Dominator domine: quis enim est qui potest hec scire· nisi qui cum hominibus habitationem non habet? [39] Ego autem insipiens: et quomodo potero dicere de hijs quibus me interrogasti? [40] Et dixit ad me. Quomodo non potes facere vnum de hijs que dicta sunt: sic non poteris inuenire iudicium meum: aut in fine caritatem quem populo promisi. [41] Et dixi. Sed ecce domine: tu prope es hijs qui in finem sunt. Et quid facient qui ante me fuerunt: aut nos aut hij qui post nos? [42] Et dixit ad me. Corone assimulabo iudicium meum. Sicut non nouissimorum tarditas: sic nec priorum velocitas. [43] Et respondi et dixi. Nec poteras facere eos qui facti sunt· et qui sunt· et futuri sunt in vnum: vt celerius iudicium tuum ostendas? [44] Et respondit ad me: et dixit. Non potest festinare creatura super creatorem: nec sustinere seculum eos qui in eo creandi sunt in vnum. [45] Et dixi. Quomodo dixisti seruo tuo quoniam viuificans viuificasti a te creatam creaturam in vnum et sustinebat creatura: poterit et nunc portare presentes in vnum. [46] Et dixit ad me. Interroga matricem mulieris: et dices ad eam. Et si paris: quare per tempus? Roga ergo eam: vt det decem in vnum. [47] Et dixi. Non vtique poterit: sed secundum tempus. [48] Et dixit ad me. Et ego dedi matricem terre hijs qui seminati sunt super eam per tempus. [49] Quemadmodum enim infans non parit ea que senum sunt: sic ego disposui a me creatum seculum. [50] Et interrogaui et dixi· cum iam dederis michi viam: loquar coram te. Nam mater nostra de qua dixisti michi· adhuc iuuenis est: iam senectuti appropinquat. [51] Et respondit ad me· et dixit. Interroga eam que parit: et dicet tibi. [52] Dices enim ei. Quare quos peperisti nunc non sunt similes hijs qui ante te· si minores statura? [53] Et dicet tibi et ipsa. Alij sunt qui in iuuentute virtutis nati sunt: et alij qui sub tempore senectutis deficiente matrice sunt nati. [54] Considera ergo et tu quoniam minori statura estis pre hijs qui ante vos: [55] et qui post vos minori quam vos· quasi iam senescentes creature et fortitudinem iuuentutis pretereuntes Et dixi. Rogo domine si inueni gratiam ante oculos tuos: demonstra seruo tuo per quem visites creaturam tuam.

6 Et dixit ad me. Inicio terreni orbis et antequam starent exitus seculiet antequam spirarent conuentiones ventorum· [2] et antequam sonarent voces tonitruum et antequam splenderent nitores choruscationum: et antequam confirmarentur fundamenta paradisi· [3] antequam viderentur decori flores· et antequam confirmarentur mote virtutes· antequam colligerentur innumerabiles militie angelorum: [4] et antequam extollerentur altitudines aeris· et antequam nominarentur mensure firmamentorum: et antequam estuarent camini in syon [5] et antequam inuestigarentur presentes anni: et antequam abalienarentur eorum qui nunc peccant adinuentiones et consignati essent qui fidem thesaurizauerunt [6] tunc cogitaui et facta sunt per me solum et non per alium: et finis per me et non per alium. [7] Et respondi et dixi. Que erit separatio temporum: Aut quando prioris finis: et sequentis inicium? [8] Et dixit ad me. Ab abraam vsque ad ysaac quando nati sunt ab eo iacob et esau: manus iacob tenebat ab inicio calcaneum esau. [9] Finis enim huius seculi esau: et principium sequentis iacob. [10] Hominis manus inter calcaneum et manum. Aliud noli querere esdra. [11] Et respondi et dixi. O dominator domine· si inueni gratiam ante oculos tuos: [12] oro vt demonstres seruo tuo finem signorum tuorum: quorum partem michi demonstrasti nocte precedente. [13] Et respondit: et dixit ad me. Surge super pedes tuos: et audi vocem plenissimam sonitus. [14] Et erit sicut commotio: nec commouebitur locus in quo stes super eum. [15] Ideo cum loquitur tu non expaueas: quoniam de fine verbum· et fundamentum terre intelligitur: [16] quoniam de ipsis sermo tremiscit et commouebitur. Scit enim quoniam finem eorum oportet commutari. [17] Et factum est cum audissem surrexi super pedes meos: et audiui· et ecce vox loquens: et sonus eius sicut sonus aquarum multarum. [18] Et dixit. Ecce dies veniunt: et erit quando appropinquare incipiant vt visitent habitantes in terra: [19] et quando inquirere incipiam ab eis qui iniuste nocuerunt iniusticia sua· et quando suppleta fuerit humilitas syon [20] et cum supersignabitur seculum quod incipiet pertransire: hec signa faciam. Libri aperientur ante faciem firmamenti· et omnes videbunt simul: [21] et anniculi infantes loquentur vocibus suis: et pregnantes immaturos parient infantes trium et quatuor mensium· et viuent et suscitabuntur. [22] Et subito apparebunt seminata loca non seminata: et plena promptuaria subito inuenientur vacua: [23] et tuba canet cum sono· quam cum omnes audierint subito expauescent. [24] Et erit: in illo tempore debellabunt amici amicos· vt inimici: et expauescet terra cum hijs. Et vene fontium stabunt: et non decurrent in horis tribus. [25] Et erit: omnis qui derelictus fuerit ex omnibus istis quibus predixi tibi: ipse saluabitur: et videbit salutare meum et finem seculi vestri. [26] Et videbunt qui recepti sunt homines qui mortem non gustauerunt a natiuitate sua: et mutabitur cor inhabitantium: et conuertetur in sensum alium. [27] Delebitur enim malum: et extinguetur dolus. [28] Florebit autem fides: et vincetur corruptela: et ostendetur veritas que sine fructu fuit diebus tantis. [29] Et factum est cum loqueretur michi et ecce paulatim intuebar super eum ante quem stabam: [30] et dixit ad me hec. Veni tibi ostendere tempus venture noctis. [31] Si ergo iterum rogaueris· et iterum ieiunaueris septem diebus: iterum tibi renunciabo horum maiora per diem quam audiui. [32] Audita est enim vox tua apud altissimum. Vidit enim fortis directionem tuam: et prouidit pudiciciam quam a iuuentute tua habuisti: [33] et propter hoc misit me demonstrare tibi hec omnia· et dicere tibi. Confide et noli timere: [34] et noli festinare tu prioribus temporibus cogitare vana: vt non properes a nouissimis temporibus. [35] Et factum est post hec et fleui iterum: et similiter ieiunaui septem diebus: vt suppleam tres ebdomadas que dicte sunt michi. [36] Et factum est in octaua nocte et cor meum turbabatur iterato in me: et cepi loqui coram altissimo. [37] Inflammabatur enim spiritus meus valde: et anima mea auxiabatur: [38] et dixi. O domine loquens locutus es ab inicio creature in primo die dicens. Erat celum et terra: et tuum verbum opus perfectum. [39] Et erat tunc spiritus: et tenebre circumferebantur et silentium: sonus vocis hominis nondum erat abs te. [40] Tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum: quo appareret opus tuum. [41] Et die secundo creasti spiritum firmamenti: et imperasti ei vt vtdiuideret et diuisionem faceret inter aquas: vt pars quedam sursum recederet pars vero deorsum maneret· [42] Et tercia die imperasti aquis congregari· in septima parte terre: sex vero partes siccasti et consuasti: vt ex hijs sint coram te ministrantia seminata a deo et culta.

43 Verbum enim tuum processit: et opus statim fiebat. 44 Processit enim subito fructus multitudinis immensus: et concupiscentie gustus multiformes: et flores colore immutabili et odores odoramenti inuestigabilis. Et die tercio hec facta sunt. 45 Quarta autem die imperasti fieri solis splendorem: lune lumen· stellarum dispositionem: 46 et imperasti eis vt deseruirent futuro plasmato homini. 47 Quinto autem die dixisti septime parti vbi erat aqua congregata vt procrearet animalia et volatilia et pisces: et ita fiebat. 48 Aqua muta· et sine anima que dei nutu iubebantur animalia faciebat: vt ex hoc mirabilia tua nationes enarrent. 49 Et tunc conseruasti duas animas: nomen vni vocasti enoch· et nomen secunde vocasti leuiathan: 50 et separasti ea ab alterutro. Non enim poterat septima pars vbi erat aqua congregata capere ea. 51 Et dedisti enoch vnam partem que siccata est tercio die vt habitet in ea: vbi sunt montes mille. 52 Leuiathan autem dedisti septimam partem humidam: et seruasti eam vt fiat in deuoratione quibus vis et quando vis. 53 Sexto autem die imperasti terre vt crearet coram te iumenta et bestias et reptilia: 54 et super hijs adam· quem constituisti ducem super omnibus factis que fecisti: et ex eo educimur nos omnes quenque elegisti populum. 55 Hec autem omnia dixi coram te domine quia propter nos creasti seculum. 56 Residuas autem gentes ab adam natas dixisti eas nil esse: et quoniam saliue assimulate sunt: et quasi stillicidium de vase simulasti abundantiam eorum. 57 Et nunc domine ecce iste gentes que in nichilum deputate sunt ceperunt dominari nostri et deuorare: 58 nos autem populus tuus quem vocasti primogenitum· vnigenitum emulatorem tuum traditi sumus in manibus eorum. 59 Et si propter nos creatum est seculum: quare non hereditatem possidemus cum seculo? Vsquequo hec?

7 Et factum est cum finissem loqui verba hec: missus est ad me angelus qui missus fuerat ad me primis noctibus: 2 et dixit ad me. Surge esdra: et audi sermones quos veni loqui ad te. 3 Et dixi. Loquere deus meus. Et dixit ad me. Mare positum est in spacioso loco vt esset altum et immensum: 4 erit autem ei introitus in angusto loco positus: vt esset similis fluminibus. 5 Quis enim volens voluerit ingredi mare et videre eum vel dominari eius: si non transierit angustum in latitudinem venire quomodo poterit? 6 Item aliud. Ciuitas est edificata· et posita in loco campestri: est autem plena omnium bonorum. 7 Introitus eius angustus et in precipiti positus: vt esset a dextris quidem ignis· a sinistris aqua alta: 8 semita autem est vna sola inter eos posita· hoc est inter ignem et aquam: vt non capiat semita nisi solummodo vestigium hominis. 9 Si autem dabitur ciuitas homini in hereditatem: si nunquam antepositum periculum pertransierit· quomodo accipiat hereditatem suam? 10 Et dixi. Sic domine. Et dixit ad me. Sic est et israhel pars. 11 Propter eos enim feci seculum: et quando transgressus est adam constitutiones meas: iudicatum est quod factum est. 12 Et facti sunt introitus huius seculi angusti et dolentes et laboriosi: pauci autem et mali et periculorum pleni· et labore magno opere fulti: 13 nam maioris seculi introitus spaciosi· et securi: et facientes immortalitatis fructum. 14 Si ergo non ingredientes ingressi fuerunt· qui viuunt angusta et vana hec: non poterunt recipere que sunt reposita. 15 Nunc ergo tu quare conturbaris cum sis corruptibilis: et quid moueris tu cum sis mortalis? 16 Et quare non accepisti in corde tuo quod futurum: sed quod in presenti? 17 Respondi et dixi. Dominator domine: ecce disposuisti lege tua: quoniam iusti hereditabunt hec. Impij autem peribunt: 18 iusti autem ferent angusta sperantes spaciosa. Qui enim impie gesserunt: et angusta passi sunt: et spaciosa non videbunt. 19 Et dixit ad me. Non est iudex super deum: neque intelligens super altissimum. 20 Pereant enim multi presentes: quia negligitur que anteposita est dei lex. 21 Mundans enim mundauit deus venientibus· quando venerunt: quid facientes viuerent et quid obseruantes non punirentur. 22 Hij autem non sunt persuasi et contradixerunt ei: et constituerunt sibi cogitamen vanitatis· 23 et proposuerunt sibi circumuentiones delictorum: et superdixerunt altissimo non esse· et vias eius non cognouerunt: 24 et legem eius spreuerunt et sponsiones eius abnegauerunt: et in legitimis eius fidem non habuerunt· et opera eius non perfecerunt. 25 Propter hoc esdra vacua vacuis: et plena plenis. 26 Ecce tempus veniet: et erit quando venient signa que predixi tibi. Et apparebit sponsa: et apparescens ostendetur que nunc subducitur terra: 27 et omnis qui liberatus est de predictis malis ipse videbit mirabilia mea. 28 Reuelabitur enim filius meus ihesus cum hijs qui cum eo sunt: et iocundabuntur qui relicti sunt in annis quadringentis. 29 Et erit post annos tempus et morietur filius meus cristus: et omnes qui spiramentum habent homines: 30 et conuertetur seculum in antiquum silentium diebus septem sicut in prioribus iudicijs· ita vt nemo delinquatur 31 et erit post dies septem: et excitabitur quod non dum vigilat seculum: et morietur corruptum. 32 Et terra reddet que in ea dormiunt: et puluis qui in eo silentio habitant: et promptuaria· reddent que eis commendate sunt anime. 33 Et reuelabitur altissimus super sedem iudicij: et pertransibunt miserie: et longanimitas congregabitur. 34 Iudicium autem solum remanebit: veritas stabit: et fides conualescet. 35 Et opus subsequetur· et merces ostendetur: et iusticie vigilabunt: et iniusticie non dominabuntur 36 Et dixi. Primus abraham propter sodomitas orauit et moyses pro patribus qui in deserto peccauerunt: 37 et qui post eum pro israhel in diebus achaz et samuelis et 38 dauid pro confractione: et salomon pro eis qui venerunt in 39 sanctionem: et helias pro hijs qui pluuiam acceperunt et pro mortuo vt viuent: 40 et ezechias pro populo in diebus sennacherib: et multi pro multis. 41 Si ergo modo quando corruptibile increuit· et iniusticia multiplicata est· et orauerunt iusti pro impijs· quare et nunc sic non erit? 42 Et respondit ad me et dixit. Presens seculum non est finis: gloria in eo frequens manet: propter hoc orauerunt pro inualidis. 43 Dies enim iudicij erit finis temporis huius: et inicium temporis future immortalitatis: in quo pertransiuit corruptela 44 soluta est in temporantia abscisa est incredulitas: creuit autem iusticia orta est veritas. 45 Tunc enim nemo poterit saluare eum qui perijt: neque demergere qui vincit. Et respondi 46 et dixi. Hic sermo meus primus et nouissimus: quoniam melius erat non dare terram adam: vel cum iam dedisset coercere eum· vt non peccaret. 47 Quid enim prodest omnibus in presenti viuere in tristicia: et mortuos sperare punitionem. 48 O tu quid fecisti adam. Si enim tu peccasti non est factus solius tuus casus: sed et noster qui ex te aduenimus. 49 Quid enim prodest nobis si promissum est nobis immortale tempus: nos autem mortalia opera egimus? 50 Et quoniam predicta est nobis perennis spes: nos vero pessime vani facti sumus. 51 Et quoniam reposita sunt nobis habitacula sanitatis et securitatis: nos vero male conuersati sumus. 52 Et quoniam reposita gloria altissimi protegere eos qui tarde conuersati sunt: nos autem pessimis vijs ambulauimus. 53 Et quoniam ostendetur paradisus cuius fructus incorruptus perseuerat in quo est securitas et medela: 54 nos vero non ingrediemur. In ingratis enim locis conuersati sumus. 55 Et quoniam super stellas fulgebunt facies eorum qui abstinentiam habuerunt: nostre autem facies super tenebras nigre. 56 Non enim cogitauimus viuentes quando iniquitatem faciebamus: quod incipiemus post mortem pati. 57 Et respondit et dixit. Hoc est cogitamentum certaminis quod certabit qui super terram natus est homo· 58 vt si victus fuerit patiatur quod dixisti. Si autem vicerit recipiet quod dico: 59 quoniam hec est via· quam moyses dixit cum viueret ad populum dicens. Elige tibi vitam vt viuas. 60 Non crediderunt autem ei: sed nec post eum prophetis. Sed nec michi qui locutus sum ad eos: 61 quoniam non esset tristicia in perditionem eorum sicut futurum est gaudium super eos quibus persuasa est salus. 62 Et respondi et dixi. Scio domine quoniam vocatus est altissimus misericors in eo misereatur hijs qui nondum in seculo aduenerunt: 63 et quod miseretur illis qui conuersionem faciunt in lege eius: 64 et longanimis est quoniam longanimitatem prestat hijs qui peccauerunt quasi suis operibus: 65 et munificus est quoniam quidem donare vult pro exigentijs: 66 et multe misericordie: quoniam multiplicat magis misericordias hijs qui presentes sunt et qui preterierunt: et qui futuri sunt. 67 Si enim non multiplicauerit misericordias suas non viuificabitur seculum cum hijs qui inhereditabant in eo. 68 Et donat: quoniam si non donauerit de bonitate sua· vt alleuentur hij qui iniquitatem fecerunt de suis iniquitatibus: non poterit decies millesima pars viuificari hominum. 69 Et iudex si non ignorauerit hijs qui curati sunt verbo eius· et deleuit multitudinem contemptionum: non fortassis derelinquerentur innumerabili multitudine nisi pauci valde.

8 Et respondit ad me: et dixit. Hoc seculum fecit altissimus propter multos: futurum autem propter paucos. [2] Dicam autem coram te similitudinem esdra. Quomodo autem interrogabis terram et dicet tibi· quoniam dabit terram multam magis vnde fiat fictile· paruum autem puluerem vnde aurum fit: sic et actus presentis seculi. [3] Multi quidem creati sunt: pauci autem saluabuntur. [4] Et respondi et dixi. Absorbe ergo anima sensum et deuorat quod sapit. [5] Conuenisti enim obaudire: et prophetas volens? Nec enim tibi est datum spacium: nisi solummodo viuere. [6] O domine· si non permittes seruo tuo vt oremus coram te· et des nobis semen cordi et sensui culturam vnde fructus fiat: vnde viuere possit omnis corruptus qui portabit locum hominis? [7] Solus enim es: et vna plasmatio nos sumus manuum tuarum sicut locutus es. [8] Et quomodo nunc in matrice plasmatum est corpus et prestas membra· conseruatur in igni et aqua tua creatio: et nouem mensibus patitur tua plasmatio tuam creaturam que in ea creata est: [9] ipsum autem quod seruat et quod seruatur vtraque seruabuntur: seruataque quandoque iterum reddit matrix que in ea creuerunt. [10] Imperasti enim ex ipsis membris hoc est mamillis prebere lac fructui mamillarum: [11] vt nutriatur id quod plasmatum est vsque in tempus aliquod: et postea disponas eum tue misericordie. [12] Enutriuisti eum tua iusticia· et eruditi eum in lege tua: et corripuisti eum tuo intellectu· [13] et mortificabis eum vt tua creatura: et viuificabis eum vt tuum opus. [14] Si ergo perdideris eum qui tantis laboribus plasmatus est: tuo iussu facile est ordinari vt et id quod fiebat seruaretur. [15] Et nunc domine dicam: de omni homine tu magis scis: de populo autem tuo ob quem doleo [16] et de hereditate tua propter quam lugeo· et propter israhel propter quem tristis sum· et de iacob propter quem doleo: [17] ideo incipiam orare coram te pro me et pro eis: quoniam video lapsus nostros qui inhabitamus terram. [18] Sed audiui celeritatem iudicis qui futurus est. [19] Ideo audi vocem meam: et intellige sermonem meum: et loquar coram te. [20] Inicium verborum esdre: priusquam assumeretur. Et dixi. Domine qui inhabitas seculum· cuius oculi eleuati in superna et aere· [21] et cuius thronus inestimabilis et gloria incomprehensibilis: cui astat exercitus angelorum cum tremore· [22] quorum seruato in vento et igni conuertitur: cuius verbum verum et dicta perseuerantia: [23] cuius iussio fortis et dispositio terribilis: cuius aspectus arefacit abissos· et indignatio tabescere facit montes: et veritas testificatur. [24] Exaudi orationem serui tui: et auribus percipe precationem figmenti tui. [25] Dum enim viuo loquar: et dum sapio respondebo. [26] Ne respicias populi tui delicta: sed qui tibi in veritate seruiunt. [27] Nec intendas impia gentium studia: sed qui tua testimonia cum doloribus custodierunt. [28] Nec cogites qui in conspectu tuo false conuersati sunt: sed memorare qui ex voluntate tua timorem cognouerunt. [29] Neque volueris perdere qui pecudum mores habuerunt: sed respicias eos qui legem tuam splendide docuerunt. [30] Nec indigneris eis qui bestijs peiores iudicati sunt: sed diligas eos qui semper in tua iusticia confidunt et gloria. [31] Quoniam nos et patres nostri talibus morbis languemus: tu autem propter nos peccatores misericors vocaberis. [32] Si enim desideraueris vt nostri miserearis· tunc misericors vocaberis: nobis autem non habentibus opera iusticie. [33] Iusti enim quibus sunt opera multa reposita: ex proprijs operibus recipient mercedem. [34] Quid est enim homo vt ei indigneris ante genus corruptibile: vt ita amarus sis de ipso: [35] In veritate enim nemo de genitis est qui non impie gessit: et de confitentibus qui non deliquit. [36] In hoc enim annunciabitur iusticia tua et bonitas tua domine: cum misertus fueris eis qui non habent substantiam bonorum operum. [37] Et respondit ad me: et dixit. Recte locutus es aliqua: et iuxta sermones tuos sic et fiet. [38] Quoniam non vere cogitabo super plasina eorum· qui peccauerunt ante mortem ante iudicium ante perditionem: [39] sed iocundabor cundabor rundabor super iustorum figmentum: et memorabor peregrinationis quoque et saluationis et mercedis receptionis. [40] Quomodo ergo locutus sum: sic et est. [41] Sicut enim agricola serit super terram semina multa et plantationes multitudinis plantatur: sed non in tempore omnia que seminata sunt saluantur· sed nec omnia que plantata sunt radicabunt: sic et qui in seculo seminati sunt non omnes saluabuntur. [42] Et respondi· et dixi. Si inueni gratiam loquar. [43] Quomodo semen agricole si non von ascenderit aut non acceperit pluuiam tuam in tempore aut si corruptum fuerit multitudine pluuie: [44] sic perit et similiter homo qui manibus tuis plasmatus est: et tu ei ymago nominatus: quoniam similatus es ei propter quem omnia plasmasti: et similasti semini agricole. [45] Non irascaris super nos sed parce populo tuo: et miserere hereditati tue. Tu autem creature tue misereris. [46] Et respondit ad me: et dixit. Que sunt presentia presentibus: et que futura· futuris. [47] Multum enim tibi restat vt possis diligere meam creaturam super me: tibi autem frequenter et ipsi proximaui: iniustis autem nunque. [48] Sed et in hoc mirabilis es coram altissimo: [49] quoniam humiliasti te sicut decet te: et non iudicasti te vt inter iustos plurimum glorificeris. [50] Propter quod miserie multe et miserabiles efficientur eis qui habitant seculum in nouissimis: quia in multa superbia ambulauerunt [51] Tu autem pro te intellige: et de similibus tuis inquire gloriam. [52] Vobis enim apertus est paradisus· plantata est arbor vite: preparatum est futurum tempus· preparata est abundantia: edificata est ciuitas· probata est requies: perfecta est bonitas: et perfecta sapientia. [53] Radix mali signata est a vobis: infirmitas et tinea a vobis absconsa est: et in infernum fugit corruptio in obliuione. [54] Transierunt dolores: et ostensus est in fine thesaurus immortalitatis. [55] Noli ergo adicere inquirendo de multitudine eorum qui pereunt. [56] Nam ipsi accipientes libertatem spreuerunt altissimum: et legem eius contempserunt: et vias eius dereliquerunt. [57] Adhuc autem iustos eius conculcauerunt: [58] et dixerunt in corde suo non esse deum: et quidem scientes quoniam moriuntur. [59] Sic enim vos suscipient que predicta sunt: sic eos sitis et cruciatus que preparata sunt. Non enim voluit hominem disperdi. [60] Sed et ipsi qui creati sunt coinquinauerunt nomen eius qui fecit eos: et ingrati fuerunt ei qui preparauit eis vitam. [61] Quapropter iudicium meum modo appropinquat. [62] Que non omnibus demonstraui nisi tibi: et tibi similibus paucis. Et respondi et dixi. [63] Ecce nunc domine demonstrasti michi multitudinem signorum que incipies facere in nouissimis: sed non demonstrasti michi quo tempore.

9 Et respondit ad me: et dixit. Metiens metire tempus in semetipso: et erit cum videris quando transierit pars quedam signorum que predicta sunt: [2] tunc intelliges quoniam ipsum est tempus in quo incipiet altissimus visitare seculum quod ab eo factum est. [3] Et quando videbitur in seculo motio locorum et populorum turbatio: [4] tunc intelliges quoniam de hijs erat altissimus locutus: a diebus qui fuerunt ante te ab inicio. [5] Sicut enim omne quod factum est in seculo inicium habet pariter et consummationem· et consummatio est manifesta: [6] sic et altissimi tempora· inicia habent manifesta in prodigijs et virtutibus et consummationes in actu et in signis. [7] Et erit omnis qui saluus factus fuerit et qui poterit effugere per opera sua et per fidem in qua credidistis [8] relinquetur de predictis periculis: et videbit salutare meum in terra mea· et in finibus meis: quoniam sanctificaui me a seculo. [9] Et tunc mirabuntur qui nunc abusi sunt vias meas: et in tormentis commorabuntur hij· qui eas proiecerunt in contemptu. [10] Qui enim non cognouerunt me viuentes beneficia consecuti [11] et qui fastidierunt legem meam cum adhuc erant habentes libertatem: [12] et cum adhuc esset eis apertus penitentie locus non intellexerunt sed spreuerunt: hos oportet post mortem in cruciamento cognoscere. [13] Tu ergo noli adhuc curiosus esse quomodo impij cruciabuntur: sed inquire quomodo iusti saluabuntur: et quorum seculum et propter quos seculum et quando. [14] Et respondi et dixi. [15] Olim locutus sum et nunc dico et postea dicam: quoniam plures sunt qui pereunt· quam qui saluabuntur: [16] sicut multiplicatur fluctus super guttam. Et respondit ad me: et dixit. [17] Qualis ager talia et semina: et quales flores tales et tincture: et qualis operator talis et creatio: et qualis agricola talis cultura· quoniam tempus erat seculi. [18] Et nunc cum essem parans eis hijs qui nunc sunt antequam fieret seculum in quo habitarent: et nemo contradixit michi· [19] tunc enim quisque et nunc creator in mundo hic parato et mense indeficienti et lege inuestigabili: corrupti sunt mores eorum. [20] Et consideraui seculum: et ecce erat periculum propter cogitationes que in eo aduenerunt. [21] Et vidi et peperci ei valde: et seruaui michi acinum de botro: et plantationem de tribu multa. [22] Pereat ergo

multitudo que sine causa nata est: et seruetur acinus meus et plantato mea: quia cum multo labore perfeci. 23 Tu autem si adhuc intromittas septem dies alios sed non ieiunabis in eis: 24 ibis in campum florum vbi domus non est edificata: et manducabis solummodo de floribus campi· et carnem non gustabis et vinum non bibes· sed solummodo flores. 25 Deprecare altissimum sine intermissione: et veniam et loquar tecum. 26 Et profectus sum sicut dixit michi in campum qui vocatur ardath: et sedi ibi in floribus. Et de herbis agri manducaui: et facta est esca earum michi in saturitatem. 27 Et factum est post dies septem et ego discumbebam supra fenum: et cor meum iterum turbabatur sicut et ante. 28 Et apertum est os meum: et inchoaui dicere coram altissimo: et dixi. 29 O domine te nobis ostendens ostensus es patribus nostris in deserto quando erant exeuntes de egipto: quod non calcatur et quando erant infructuoso: et dicens dixisti. 30 Tu israhel audi me: et semen iacob intende sermonibus meis. 31 Ecce enim ego semino in vobis legem meam: et faciet in vobis fructum: et glorificabimini in eo per seculum. 32 Nam patres nostri accipientes legem non seruauerunt: et legitima mea non custodierunt: et factus est fructus legis non parens· nec enim poterat quoniam tuus erat: 33 nam qui acceperunt perierunt: non custodientes quod in eis seminatum fuerat. 34 Et ecce consuetudo est: vt cum acceperit terra semen· vel nauem mare· vel vas aliquod escam vel potum: cum fuerit exterminatum id in quo seminatum est vel in quod missum est: 35 simul id quod seminatum vel missum est vel que suscepta sunt exterminantur: et suscepta iam non manent apud nos. Sed nobis sic non factum est. 36 Nos quidem qui legem accepimus peccantes periuimus et cor nostrum quod suscepit eam: 37 nam lex non perijt: sed permansit in suo labore. 38 Et cum loquerer hec in corde meo respexi oculis meis: et vidi mulierem in dextera parte. Et ecce hec lugebat et plorabat cum voce magna: et animo dolebat valde: et vestimenta eius discissa· et cinis super caput eius. 39 Et dimisi cogitatus in quibus eram cogitans: et conuersus sum ad eam: et dixi ei. 40 Vt quid fles: et quid doles animo? Et dixit ad me. 41 Dimitte me dominus meus vt defleam me: et adiciam dolorem quoniam valde amara sum animo: et humiliata sum valde. 42 Et dixi ei. Quid passa es? Dic michi. Et dixit ad me. 43 Sterilis fui ego famula tua: et non peperi habens maritum annis triginta. 44 Ego enim per singulas horas et per singulos dies et annos triginta hos deprecor altissimum nocte ac die. 45 Et factum est post triginta annos exaudiuit me deus ancillam tuam: et vidit humilitatem meam et attendit tribulationi mee: et dedit michi filium. Et iocundata sum super eum valde ego et vir meus et omnes ciues mei: et honorificabamus valde fortem. 46 Et nutriui eum cum labore multo: 47 et factum est cum creuisset et venisset accipere vxorem:

10 Et factum est cum ci diem epuli. introisset filius meus in thalamo suo: cecidit et mortuus est: 2 et euertimus omnes lumina. Et surrexerunt omnes ciues mei ad consolandum me: et quieui vsque in alium diem· vsque nocte. 3 Et factum est cum omnes quieuissent vt me consolarentur vt quiescerem: et surrexi nocte et fugi et veni sicut vides in hoc campo: 4 et cogito iam non reuerti in ciuitatem· sed hic consistere: et neque manducare neque bibere: sed sine intermissione lugere et ieiunare vsque dum moriar. 5 Et dereliqui sermones in quibus eram: et respondi cum iracundia ad eam: et dixi. 6 Stulta super omnes mulieres: non vides luctum nostrum et que nobis contingunt? 7 Quoniam syon mater nostra omni tristicia contristatur et humilitate humiliata est et lugent validissime: 8 et nunc quoniam omnes lugemus et tristes sumus· quoniam omnes contristati sumus: tu autem contristaris in vno filio. 9 Interroga enim terram et dicet tibi: quoniam hec est que debeat lugere casum tantorum super eam germinantium. 10 Et ex ipsa ab inicio omnes nati et alij venient. Et ecce pene omnes in perditionem ambulant: et exterminium fit multitudo eorum. 11 Et quis ergo debet lugere magis· nisi hec que tam magnam multitudinem perdidit: quam tu que pro vno doles? Si autem dicis michi 12 quoniam non est planctus meus similis terre: quoniam fructus ventris mei perdidi· quem cum meroribus peperi et cum doloribus genui: 13 terra autem secundum viam terre· abijtque in ea multitudo presens· quomodo euenit: et ego tibi dico. 14 Sicut tu cum labore peperisti: sic et terra dat fructum suum· homini ab inicio ei qui fecit eam. 15 Nunc ergo retine apud temetipsam dolorem tuum: et fortiter fer qui tibi contigerunt casus. 16 Si enim iustificaueris terminum dei et consilium suum· recipies in tempore: et in talibus collaudaberis. 17 Ingredere ergo in ciuitatem ad virum tuum. Et dixit ad me. 18 Non faciam: neque ingrediar ciuitatem: sed hic moriar. 19 Et apposui adhuc loqui ad eam· et dixi. 20 Noli facere hunc sermonem: sed consenti persuadenti. Quot enim casus syon? Consolare propter dolorem iherusalem. 21 Vides enim quoniam sanctificatio nostra deserta effecta est· et altare nostrum demolitum est· et templum nostrum destructum est: 22 et psalterium nostrum humiliatum est· et ymnus conticuit: et exultatio nostra dissoluta est· et lumen candelabri nostri extinctum est: et archa testamenti nostri direpta est· et sancta nostra contaminata sunt: et nomen quod inuocatum est super nos pene profanatum est· et liberi nostri contumeliam passi sunt· et sacerdotes nostri succensi sunt et leuite nostri in captiuitatem abierunt: et virgines nostre coinquinate sunt· et mulieres nostre vim passe sunt et iusti vestri rapti sunt· et paruuli nostri perditi sunt· et iuuenes nostri seruierunt: et fortes nostri inualidi facti sunt. 23 Et quod omnium maius signaculum syon: quoniam resignata est de gloria sua. Nam et tradita est in manibus eorum qui nos oderunt. 24 Tu ergo excute tuam tristiciam multam: et depone abs te multitudinem dolorum vt tibi repropicietur fortis: et requiem faciet tibi altissimus· requietionem laborum. 25 Et factum est cum loquebar ad eam facies eius fulgebat subito: et species choruscus fiebat visus eius: vt essem pauens valde ad eam et cogitarem quid esset hoc. 26 Et ecce subito emisit sonitum vocis magnum timore plenum: vt commoueretur terra a mulieris sono. Et vidi: 27 et ecce amplius mulier non comparebat michi: sed ciuitas edificabatur et locus demonstrabatur de fundamentis magnis: et timui et clamaui voce magna: et dixi. 28 Vbi est huriel angelus qui a principio venit ad me? Quoniam ipse me fecit venire in multitudine in excessu mentis huius. Et factus est finis meus in corruptionem: et oratio mea improperium: 29 et cum essem loquens ego hec: ecce venit ad me et vidit me. 30 Et ecce eram positus vt mortuus: et intellectus meus alienatus erat. Et tenuit dexteram meam et confortauit me: et statuit me super pedes meos. Et dixit michi. 31 Quid tibi est et quare conturbatus est intellectus tuus et sensus cordis tui: et quare conturbaris? Et dixi. 32 Quoniam dereliquisti me. Et ego quidem feci secundum sermones tuos: et exiui in campum: et ecce vidi et video quod non possum enarrare. Et dixit ad me. 33 Sta vt vir: et commonebo te. Et dixi. 34 Loquere domine meus tu in me. Noli me derelinquere vt non frustra moriar: 35 quoniam vidi que non sciebam: et audio que non scio. 36 Aut nunquid sensus meus fallitur: et anima mea supremat? 37 Nunc ergo deprecor te: vt demonstres seruo tuo de excessu hoc. Et respondit ad me: et dixit. 38 Audi me· et doceam te: et dicam tibi de quibus times: quoniam altissimus reuelauit tibi misteria multa. 39 Vidit rectam viam tuam: quoniam sine intermissione contristabaris pro populo tuo: et valde lugebas propter syon. 40 Hic ergo intellectus visionis que tibi apparuit ante paululum. 41 Quam vidisti lugentem inchoasti consolari eam: 42 nunc autem iam speciem mulieris non vides· sed apparuit tibi ciuitas edificari: 43 et quoniam enarrabat tibi de casu filij sui. Hec absolutio est. 44 Hec mulier quam vidisti· hec est syon: et quoniam dixit tibi quam et nunc conspicies· vt ciuitatem edificatam. 45 Et quoniam dixit tibi quia sterilis Sterilis fuit annis triginta: propter quod erant anni scilicet triginta quando non erat in ea adhuc oblatio ablata. 46 Et factum est post annos triginta edificauit salomon ciuitatem et obtulit oblationes: tunc fuit quando peperit sterilis filium. 47 Et quod tibi dixit quoniam nutriuit eum cum labore: hoc erat habitatio in iherusalem. 48 Et quoniam dixit tibi quod filius meus veniens in suo thalamo mortuus esset· et contigisset ei casus: hoc erat que facta est ruina iherusalem. 49 Et ecce vidisti similitudinem eius: et quoniam filium lugeret inchoasti consolari eam: et de hijs que contigerunt hec erant tibi aperienda. 50 Et nunc videt altissimus quoniam ex animo contristatus es: et quoniam ex toto corde pateris pro ea: ostendit tibi claritatem glorie eius: et pulcritudinem decoris eius. 51 Propterea enim dixi tibi: vt maneres in campo vbi domus non est edificata. 52 Sciebam enim ego quoniam altissimus incipiebat tibi ostendere hec: 53 propterea dixi tibi vt venires in agrum vbi non est fundamentum edificij. 54 Hec enim poterat opus edificij hominis sustineri

in loco: vbi incipiebatur altissimi ciuitas ostendi. [55] Tu ergo noli timere neque expauescat cor tuum: sed ingredere et vide splendorem et magnitudinem edificij· quantum capax est tibi visu oculorum videre: [56] et post hec audies quantum capit auditus aurium tuarum audire. [57] Tu enim beatus es pre multis: et vocatus es apud altissimum· sicut et pauci. [58] Nocte autem que in crastinum futura est manebis hic: [59] et ostendet tibi altissimus eas visiones supremorum que faciet altissimus hijs qui habitant super terram a nouissimis diebus. [60] Et dormiui illam noctem et aliam: sicut dixerat michi

11 vidi somnium: et ecce ascendebat de mari aquila cui erant duodecim ale pennarum: et capita tria. [2] Et vidi: et ecce expandebat alas suas in omnem terram: et omnes venti celi insufflabant in eam et colligebantur. [3] Et vidi: et de pennis eius nascebantur contrarie penne: et ipse fiebant in pennaculis minutis et modicis. [4] Nam capita eius erant quiescentia: et dimidium caput erat maius aliorum capitum: sed ipsa quiescebat cum eis. [5] Et vidi: et ecce aquila volauit in pennis suis: et regnauit super terram et super eos qui habitant in ea. [6] Et vidi quoniam subiecta erant ei omnia sub celo: et nemo illi contradicebat: neque vnus de creatura que est super terram. [7] Et vidi: et ecce surrexit aquila super vngues suos: et misit vocem pennis suis dicens. [8] Nolite omnes simul vigilare: dormite vnusquisque in loco suo: et per tempus vigilate. [9] Capita autem in nouissimo seruentur. [10] Et vidi: et ecce vox non exibat de capitibus eius: sed de medietate corporis eius. [11] Et numeraui contrarias pennas eius: et ecce ipse erant octo. [12] Et vidi: et ecce a dextera parte surrexit vna penna: et regnauit super omnem terram. [13] Et factum est cum regnaret· venit ei finis: et non apparuit locus eius: et sequens exsurrexit et regnabat. Ipsa multum tenuit tempus. [14] Et factum est cum regnaret: et veniebat finis eius vt non appareret sicut prior: [15] et ecce vox emissa est illi dicens. [16] Audi tu que tanto tempore tenuisti terram. Hec annuncio tibi antequam incipias non apparere. [17] Nemo post te tenebit tempus tuum: sed nec dimidium eius. [18] Et leuauit tercia: et tenuit principatum sicut et priores: et non apparuit et ipsa. [19] Et sic contingebat omnibus alijs singulatim principatum gerere: et iterum nusquam comparere. [20] Et vidi: et ecce in tempore· sequentes penne erigebantur a dextera parte vt tenerent et ipse principatum: et ex hijs erant que tenebant: sed tamen statim non comparescebant: [21] nam et alique ex eis erigebantur. sed non tenebant principatum. [22] Et vidi post hec: et ecce non comparuerunt duodecim penne et duo pennacula: [23] et nichil supererat in corpore aquile nisi duo capita quiescentia et sex pennacula. [24] Et vidi: et ecce sex pennaculis diuise sunt due: et manserunt sub capite quod est ad dexteram partem. Nam quatuor manserunt in loco suo. [25] Et vidi: et ecce hec subalares cogitabant se erigere: et tenere principatus. [26] Et vidi: et vna erecta est: sed statim non comparuit. [27] Et secunde velocius quam priores non comparuerunt. [28] Et vidi: et ecce due que superauerunt apud semetipsas cogitabant et ipse regnare: [29] et in eo cum cogitarent· ecce vnum quiescentium capitum quod erat medium euigilabat. Hoc enim erat duorum capitum maius. [30] Et vidi quoniam completa sunt duo capita secum: [31] et ecce conuersum est caput cum hijs qui cum eo erant: et comedit duas subalares que cogitabant regnare. [32] Hoc autem ca omnem terram: et dominabatur in ea hijs qui habitant terram cum labore multo: et potentatum tenuit orbis terrarum super omnes alas que fuerunt. [33] Et vidi post hec: et ecce medium caput subito non comparuit: et hoc sicut ale. [34] Superauerunt autem duo capita: que et ipsa similiter regnauerunt super terram: et super eos qui habitant in ea. [35] Et vidi: et ecce deuorauit caput a dextera parte illud quod a leua. [36] Et audiui vocem dicentem michi. Conspice contra te: et considera quod vides. [37] Et vidi: et ecce sicut leo concitatus de silua rugiens: et vidi quoniam emittebat vocem hominis ad aquilam. Et dixit dicens. [38] Audi tu· et loquar ad te: et dicit altissimus tibi. [39] Nonne tu es qui superasti de quatuor animalibus que feceram regnare in seculo meo: et vt per eos veniret finis temporum eorum? [40] Et quartus veniens deuicit omnia animalia que transierunt. et potentatu tenuit seculum cum tremore multo· et omnem orbem cum labore pessimo: et inhabitauit tot temporibus orbem terrarum cum dolo. [41] Et iudicasti terram non cum veritate. [42] Tribulasti enim mansuetos et lesisti quiescentes: et dilexisti mendaces et destruxisti habitationes eorum qui fructificabant: et humiliasti muros eorum qui te non nocuerunt. [43] Et ascendit contumelia tua ad altissimum: et superbia tua ad fortem. [44] Et respexit altissimus superba tempora: et ecce finita sunt: et scelera eius completa sunt. [45] Propterea non appareas tu aquila et ale tue horribiles et pennacula tua pessima· et capita tua maligna· et vngues tui pessimi· et omne corpus tuum vanum: [46] vti refrigeretur omnis terra· et reuertatur liberata de tua vi: et speret iudicium et misericordiam eius qui fecit eam.

12 Et factum est dum loqueretur leo verba hec ad aquilam: et vidi [2] et ecce quod superauerat caput et non comparuerunt quatuor ale ille que ad eum transierunt et erecte sunt vt regnarent: et erat regnum rum exile· et tumultu plenum. [3] Et vidi: et ecce ipsa non apparebant: et omne corpus aquile incendebatur: et expauescebat terra valde. Et ego a tumultu et excessu mentis et a magno timore vigilaui: et dixi spiritui meo. [4] Ecce tu prestitisti michi hoc: in eo quod scrutaris vias altissimi. [5] Ecce adhuc fatigatus sum animo· et spiritu meo inualidus sum valde: et nec modica est in me virtus a multo timore quam expaui nocte hac. [6] Nunc ergo orabo altissimum: vt me confortet vsque in finem. [7] Et dixi. Dominator domine si inueni gratiam ante oculos tuos· et si iustificatus sum apud te pre multis· et si certe ascendit deprecatio mea ante faciem tuam: [8] conforta me et ostende seruo tuo michi interpretationem et distinctionem visus horribilis huius: vt plenissime consoleris animam meam. [9] Dignum enim me habuisti: ostendere michi temporum nouissima Et dixit ad me. [10] Hec est interpretatio visionis huius. [11] Aquilam quam vidisti ascendentem de mari: hoc est regnum quod visum est in visione danieli fratri tuo. [12] Sed non est illi interpretatum: quoniam ego nunc tibi interpretor. [13] Ecce dies veniunt: et exsurget regnum super terram: et erit timor acrior omnium regnorum que fuerunt ante eum. [14] Regnabunt autem in ea reges duodecim: vnus post vnum. [15] Nam secundus incipiet regnare: et ipse tenebit amplius tempus pre duodecim. [16] Hec est interpretatio duodecim alarum quas vidisti. [17] Et quam audisti vocem que locuta est non de capitibus eius exeuntem sed de medio corpore eius: [18] hec est interpretatio. Quoniam post tempus regni illius nascentur contentiones non modice: et periclitabitur vt cadat et non cadet tunc: sed iterum constituetur in suum inicium. [19] Et quoniam vidisti subalares octo coherentes alis eius: [20] hec est interpretatio. Exsurgent in ipso octo reges quorum erunt tempora leuia et anni citati: et duo quidem ex ipsis perient. [21] Appropinquante autem tempore medio· quatuor seruabuntur in tempore: cum incipiet appropinquare tempus eius vt finiatur. Due vero in finem seruabuntur. [22] Et quoniam vidisti tria capita quiescentia: [23] hec est interpretatio. In nouissimis eius suscitabit altissimus tria regna: et reuocabit in ea multa et dominabuntur terram [24] et qui habitant in ea: cum labore multo super omnes qui fuerunt ante hos. Propter hoc ipsi vocati sunt capita aquile. [25] Isti enim erunt qui recapitulabunt impietates eius et qui perficient nouissima eius. [26] Et quoniam vidisti DI D I D mim caput maius non apparens: hec est interpretatio eius. Quoniam vnus ex eis super lectum suum morietur· et tamen cum tormentis. [27] Nam duo qui perseuerauerint: gladius eos comedet. [28] Vnius etiam gladius comedet qui cum eo: sed tamen hic gladio in nouissimis cadet. [29] Et quoniam vidisti duas subalares traicientes super caput quod est in dextera parte: [30] hec est interpretatio. Hij sunt quos conseruauit altissimus in finem suum: hoc est regnum exile et turbationis plenum. [31] Sicut vidisti et leonem quem vidisti de silua euigilantem et rugientem et loquentem ad aquilam et arguentem eam· et iniusticias ipsius per omnes sermones eius sicut audisti: [32] hic est ventus quem seruauit altissimus in finem ad eos et impietates ipsorum: et arguet illos et incutiet coram ipsis scerptiones eorum. [33] Statuet enim eos in iudicium viuos: et erit cum arguerit eos: tunc corripiet eos. [34] Nam residuum populum meum liberabit cum miseria· qui saluati sunt super fines meos: et iocundabit eos quoadusque veniet finis dies iudicij de quo locutus sum tibi ab inicio. [35] Hoc somnium quod vidisti: et hec interpretationes. [36] Tu ergo solus dignus fuisti scire altissimi secretum hoc. [37] Scribe ergo omnia ista in libro que vidisti· et pone ea in loco abscondito: [38] et docebis ea sapientes de populo tuo: quorum corda scis

posse capere et seruare secreta hec. [39] Tu autem adhuc sustine hic alios dies septem: vt tibi ostendatur quicquid visum fuerit altissimo ostendere tibi. [40] Et profectus est a me. Et factum est cum audisset omnis populus quoniam pertransierunt septem dies et ego non fuissem reuersus in ciuitatem: et congregauit se omnis a minimo vsque ad maximum et venit ad me: et dixerunt michi dicentes. [41] Quid peccauimus tibi: et quid iniuste egimus in te quoniam derelinquens nos· sedisti in loco hoc? [42] Tu enim nobis superes solus ex omnibus populis sicut botrus de vinea: et sicut lucerna in loco obscuro: et sicut portus et nauis saluata a tempestate. [43] Aut non sufficiunt nobis mala· que contingunt: [44] Si ergo tu nos dereliqueris: quanto nobis erat melius si essemus succensi et nos cum incendio syon? [45] Nec enim nos meliores sumus eorum qui ibi mortui sunt. Et plorauerunt voce magna. Et respondi ad eos et dixi. [46] Confide israhel: et noli tristari tu domus iacob. [47] Est enim memoria vestri coram altissimo: et fortis non est oblitus nostri in temptatione. [48] Ego enim non dereliqui vos neque excessi a vobis: sed veni in hunc locum vt deprecarer pro desolatione syon: vt quererem misericordiam pro humilitate sanctificationis vestre. [49] Et nunc ite vnusquisque vestrum in domum suam: et ego veniam ad vos post dies istos. [50] Et profectus est populus sicut dixi ei in ciuitate. [51] Ego autem sedi in campo septem diebus sicut michi mandauit: et manducabam de floribus solummodo agri: de herbis facta est esca michi in diebus illis.

13 Et factum est post dies septem: et somniaui somnum nocte. [2] Et ecce de mari ventus exsurgebat: vt conturbaret omnes fluctus eius. [3] Et vidi: et ecce conualescebat ille homo cum milibus celi: et vbi vultum suum vertebat vt consideraret tremebat omnia que sub eo videbantur: [4] et vbicumque exibat vox de ore eius ardescebant omnes qui audiebant voces eius sicut quiescit terra quando senserit ignem. [5] Et vidi post hec: et ecce congregabatur multitudo hominum quorum non erat numerus de quatuor ventis celi· vt debellarent hominem qui ascenderat de mari. [6] Et vidi: et ecce sibimetipsi sculpserat montem magnum: et volauit super eum. [7] Ego autem quesiui videre regionem vel locum vnde sculptus esset mons: et non potui. [8] Et post hec vidi: et ecce omnes qui congregati sunt ad eum vt expugnarent eum timebant valde: tamen audebant pugnare. [9] Et ecce vt vidit impetum multitudinis venientis· non leuauit manum suam neque frameam tenebat· neque aliquod vas bellicosum: nisi solummodo vt vidi· [10] quoniam emisit de ore suo sicut flatum ignis· et de labijs eius spiritus flamme· et de lingua eius emittebat scintillas et tempestates: et commixta sunt omnia simul hic flatus ignis et spiritus flamme· et multitudo tempestatis: [11] et concidit super multitudinem in impetu que parata erat pugnare et succendit omnes: vt subito nichil videretur de innumerabili multitudine· nisi solummodo puluis et fumi odor. Et vidi: et extimui. [12] Et post hec vidi ipsum hominem descendentem de monte et vocantem ad se multitudinem aliam pacificam: [13] et accedebant ad eum vultus hominum multorum quorumdam gaudentium· quorundam tristantium: aliqui vero alligati: aliqui adducentes ex eis qui offerebantur. Et egrotaui a multitudine pauoris: et expergefactus sum: et dixi. [14] Tu ab inicio demonstrasti seruo tuo mirabilia hec: et dignum me habuisti vt susciperes deprecationem meam: [15] et nunc demonstra michi adhuc interpretationem somnij huius. [16] Sicut enim existimo in sensu meo: ve qui derelicti fuerunt in diebus illis. Et multo plus ve hijs: qui non sunt derelicti. [17] Qui enim non sunt derelicti tristes erant. [18] Intelligo nunc que sunt reposita in nouissimis diebus: et occurrent eis: sed et hijs qui derelicti sunt. [19] Propter hoc venerunt enim in pericula magna· et necessitates multas: sicut ostendunt somnia hec. [20] Attamen facilius est periclitantem venire in hunc quam pertransire sicut nubem a seculo: et nunc videre que contingunt in nouissimo. Et respondit ad me: et dixit. [21] Et visionis interpretationem dicam tibi: et de quibus locutus es adaperiam tibi. [22] Quoniam de hijs dixisti qui derelicti sunt: hec est interpretatio. [23] Qui aufert periculum illo tempore: hic se custodiuit. Qui in periculo inciderunt: hij sunt qui habent opera et fidem ad fortissimum. [24] Scito ergo: quoniam magis beatificati sunt qui derelicti: super eos qui mortui sunt. [25] Hec interpretationes visionis. Quia vidisti virum ascendentem de corde maris· [26] ipse est quem conseruat altissimus multis temporibusque per semetipsum liberabit creaturam suam: et ipse disponet qui derelicti sunt. [27] Et quoniam vidisti de ore eius exire vt spiritum et ignem et tempestatem: [28] et quoniam non tenebat frameam neque vas bellicosum: corrupit enim impetus eius multitudinem que venerat expugnare eum: hec est interpretatio. [29] Ecce dies veniunt quando incipiet altissimus liberare eos que super terram sunt: [30] et veniet in excessu mentis super eos qui inhabitant terram. [31] Et alij alios cogitabunt debellare: ciuitas ciuitatem et locus locum· et gens aduersus gentem: et regnum aduersus regnum. [32] Et erit cum fient hec: et contingent signa que ante ostendi tibi: et tunc reuelabitur filius meus: quem vidisti vt virum ascendentem. [33] Et erit quando audierint omnes gentes vocem eius: et derelinquet vnusquisque in regione sua bellum suum quod habent ad alterutrum: [34] et colligetur in vnum multitudo innumerabilis sicut volentes venire et expugnare eum. [35] Ipse autem stabit super cacumen montis syon. [36] Syon autem veniet: et ostendetur omnibus parata et edificata sicut vidisti montem sculpi sine manibus. [37] Ipse autem filius meus arguet que adinuenerunt gentes impietates eorum has: que tempestati appropinquauerunt propter mala cogitamenta eorum et cruciamenta quibus incipient cruciari [38] que assimulate sunt flamme: et perdet eos sine labore· per legem que igni assimulata est. [39] Et quoniam vidisti eum colligentem ad se aliam multitudinem pacificam: [40] hec sunt decem tribus que captiue facte sunt de terra sua in diebus iosie regis quem captiuum duxit salmanasar rex assiriorum· et transtulit eos trans flumen: et translati sunt in terram aliam. [41] Ipsi autem sibi dederunt consilium hoc vt derelinquerent multitudinem gentium: et proficiscerentur in vlteriorem regionem vbi numquam inhabitauit genus humanum: [42] vel ibi obseruare legitima sua que non fuerant seruantes in regione sua. [43] Per introitus autem angustos fluminis eufraten introierunt. [44] Fecit enim eis tunc altissimus signa: et statuit venas fluminis vsquequo transirent. [45] Per eam enim regionem erat via multa itineris anni vnius et dimidij: nam regio illa vocatur arsareth. [46] Tunc inhabitauerunt ibi vsque in nouissimo tempore: et nunc iterum cum ceperint venire· [47] iterum altissimus statuet vena fluminis vt possint transire: propter hec vidisti multitudinem cum pace. [48] Sed et qui derelicti sunt de populo tuo: hij sunt qui inueniuntur intra terminum meum. [49] Factum erit ergo quando incipiet perdere multitudinem earum que collecte sunt gentes: proteget eos qui superauerunt populum: [50] et tunc ostendet eis multa plurima portenta. [51] Et dixi ego. Dominator domine hoc michi ostende: propter quod vidi virum ascendentem de corde maris. Et dixit michi. [52] Sicut non potes hec vel scrutari vel scire que sunt in profundo maris: sic non poterit quisque super terram videre filium meum· vel eos que cum eo sunt: nisi in tempore diei. [53] Hec est interpretatio somnij quod vidisti: et propter quod illuminatus es hic solus. [54] Dereliquisti enim tuam: et circa meam vacasti legem et quesisti. [55] Vitam enim tuam disposuisti in sapientia: et sensum tuum vocasti matrem. [56] Et propter hoc ostendi tibi merces apud altissimum. Erit enim: post alios tres dies ad te alia loquar: et exponam tibi grauia et mirabilia. [57] Et profectus sum et transij in campum: multum glorificans et laudans altissimum de mirabilibus que per tempus faciebat: [58] et quoniam gubernant ipsum et que sunt in temporibus illata. Et sedi ibi tribus diebus.

14 Et factum est tercio die: et ego sedebam quercu. [2] Et ecce vox exiuit contra me de rubo et dixit. Esdra esdra. Et dixi. Ecce ego domine. Et surrexi super pedes meos. Et dixit ad me. [3] Reuelans reuelatus sum super rubum· et locutus sum moysi quando populus meus seruiebat in egipto: [4] et misi eum et eduxi populum meum de egipto· et adduxi eum super montem syna: et detinebam eum apud me diebus multis: [5] et enarraui ei mirabilia multa· et ostendi ei temporum secreta et finem: et precepi ei dicens. [6] Hec in palam facies verba: et hec abscondes. [7] Et nunc tibi dico [8] signa que demonstraui: et somnia que vidisti et interpretationes quas tu vidisti in corde tuo· repone ea. [9] Tu enim recipieris ab omnibus conuerteris residuus cum consilio meo et cum similibus tuis: vsquequo finiantur tempora. [10] Quoniam seculum perdidit iuuentutem suam: et tempora appropinquant senescere.

11 Duodecim enim partibus diuisum est seculum: et transierunt eius decima et dimidium decime partis 12 super sunt autem eius post medium decime partis. 13 Nunc ergo dispone domum tuam· et corripe populum tuum et consolare humiles eorum: et renuncia iam corruptele 14 et dimitte abs te mortales cogitationes: et proice abs te pondera humana et exue te iam infirmam naturam: et repone in vnam partem molestissima tibi cogitamenta: et festina transmigrare a temporibus hijs. 15 Que enim vidisti nunc contigisse mala: iterum horum deteriora facient. 16 Quantum enim inualidum fiet seculum a senectute: tantum multiplicabuntur super inhabitantes mala. 17 Prolongauit enim se magis veritas: et appropinquauit mendacium. Iam enim festinat venire quam vidisti visionem. 18 Et respondi: et dixi coram te domine. 19 Ecce enim ego abibo sicut precepisti michi: et corripiam presentem populum. Qui autem iterum nati fuerit: quis commouebit? 20 Positum est ergo seculum in tenebris: et qui inhabitant in eo sine lumine. 21 Quoniam lex tua incensa est: propter quod nemo scit que a te facta sunt vel que incipient opera. 22 Si enim inueni in te gratiam: immitte in me spiritum sanctum: et scribam omne quod factum est in seculo ab inicio que erant in lege tua scripta· vt possint homines inuenire semitam: et qui voluerint viuere in nouissimis viuant. 23 Et respondit ad me: et dixit. Vadens congrega populum· et dices ad eos: vt non querant te diebus quadraginta. 24 Tu autem prepara tibi buxos multos: et accipe tecum saream dabriam· selemiam· echanum· et asiel· quinque hos: qui parati sunt ad scribendum velociter. 25 Et venies huc et ego accendam in corde tuo lucernam intellectus: que non extinguetur quoadusque finiantur que incipies scribere. 26 Et tunc perfectis quedam palam facies: quedam sapientibus absconse trades. In crastinum enim hac hora incipies scribere. 27 Et profectus sum sicut michi precepit: et congregaui omnem populum: et dixi. 28 Audi israhel verba hec. 29 Peregrinati sunt patres nostri ab inicio in egipto· et liberati sunt inde: 30 et acceperunt legem vite quam non custodierunt· quam et vos post eos transgressi estis: 31 et data est vobis terra in sortem et terra syon: et patres vestri et vos iniquitatem fecistis· et non seruastis vias quas precepit vobis altissimus: 32 et iustus iudex cum sit· abstulit a vobis in tempore quod donauerat. 33 Et nunc vos hic estis: et fratres vestri introrsum vestrum sunt. 34 Si ergo imperaueritis sensui vestro et erudieritis cor vestrum· viui conseruati eritis: et post mortem misericordiam consequemini. 35 Iudicium enim post mortem veniet· quando iterum reuiuiscemus: et tunc iustorum nomina parebunt: et impiorum facta ostendentur. 36 Ad me igitur nemo accedat nunc: neque requirat me vsque dies quadraginta. 37 Et accepi quinque viros sicut mandauit michi: et profecti sumus in campum: et mansimus ibi. 38 Et factus sum in crastinum· et ecce vox vocauit me dicens. Esdra aperi os tuum: et bibe quo te potauero. 39 Et aperui os meum: et ecce calix plenus porrigebatur michi. Hoc erat plenum sicut aqua: color autem eius vt ignis similis. 40 Et accepi et bibi: et in eo cum bibissem cor meum cruciabatur intellectu: et in pectus meum increscebat sapientia. Nam spiritus meus conseruabatur memoria. 41 Et apertum est os meum: et non est clausum amplius. 42 Altissimus dedit intellectum quinque viris: et scripserunt que dicebantur excessiones noctis: quas non sciebant. 43 Nocte autem manducabant panem: ego autem per diem loquebar: et per noctem non tacebam. 44 Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducentiquatuor. 45 Et factum est cum compleuissent quadraginta dies: locutus est altissimus dicens. Priora que scripsisti in palam pone· et legant digni et indigni: 46 nouissimos autem septuaginta conseruabis: vt tradas eos sapientibus de populo tuo. 47 In hijs enim est vena intellectus et sapientie fons: et scientie flumen. Et feci sic.

15 Ecce loquere in aures plebis mee sermones prophetie quas immisero in os tuum dicit dominus: 2 et fac vt in carta scribantur· quoniam fideles et veri sunt. 3 Ne timeas a cogitationibus aduersum te: nec turbant te incredulitates dicentium: 4 quoniam omnis incredulus in incredulitate sua morietur. 5 Ecce ego induco dicit dominus super orbem terrarum mala· gladium et famem et mortem et interitum: 6 propter quod suppolluit iniquitas omnem terram: et adimpleta sunt opera nociua illorum. 7 Propterea dicit dominus. 8 Iam non silebo de impietatibus eorum que irreligiose agunt: nec sustinebo in hijs que inique exercent. Ecce languis innoxius et iustus clamat ad me: et anime iustorum clamant perseueranter. 9 Vindicans vindicabo illos dicit dominus: et accipiam omnem sanguinem innoxium ex illis ad me. 10 Ecce populus meus quasi grex ad occisionem ducit: iam non patiar illum habitare in terra egipti: 11 sed educam eum in manu potenti et brachio excelso. Et percutiam plaga sicut prius: et corrumpam omnem terram eius. 12 Lugebit egiptus et fundamenta eius: plaga verberata et castigatione quas inducet ei deus. 13 Lugebunt cultores operantes terram: quoniam deficient semina eorum ab vredine et grandine et a sidere terribili. 14 Ve seculo et qui habitant in eo: 15 quia appropinquauit gladius et contritio eorum: et exsurget gens sup gentem ad pugnam et rumphea in manibus eorum. 16 Erit enim in constabilitio hominibus: et alij alijs inualescentes non curabunt regem suum et principes: vie gestorum suorum in potentia sua. 17 Concupiscet enim homo in ciuitatem ire: et non poterit. 18 Propter superbiam enim eorum ciuitates turbabuntur: domus exterentur: homines metuent. 19 Non miserebitur homo proximum suum ad irritum faciendum domos eorum in gladium: ad diripiendas substantias eorum propter famem panis· et tribulationem multam. 20 Ecce ego conuoco dicit deus omnes reges terre ad me verendum qui sunt ab oriente et ab austro· ab euro et a libano ad conuertendos in se: et reddere que dederunt illis· 21 sicut faciunt vsque hodie electis meis: sic faciam et reddam in sinu eorum Hec dicit dominus deus. 22 Non parcet dextera mea super peccatores: nec cessabit rumphea super effundentes sanguinem innocuum super terram. 23 Exijt ignis ab ira eius· et deuorauit fundamenta terre: et peccatores quasi stramen incensum. 24 Ve eis qui peccant: et non obseruant mandata mea dicit dominus. 25 Non parcam illis. Discedite filij a potestate: nolite contaminare sanctificationem meam: 26 quoniam nouit dominus omnes qui delinquunt in illum. Propterea tradidit eos in mortem et in occisionem. 27 Iam enim venerunt super orbem terrarum mala: et manebitis in illis. Non enim liberabit vos deus: propter quod peccastis in eum. 28 Ecce visio: et horribilis et facies illius ab oriente. 29 Et exient nationes draconum arabum in curribus multis: et sicut flatus· eorum numerus fertur super terram: vt iam timeant et trepident omnes qui illos audient 30 carmonij insanientes in ira: et exient vt apri de silua· et aduenient in virtute magna: et constabunt in pugnam cum illis: et vastabunt portionem terre assiriorum. 31 Et post hec superualescent dracones· natiuitatis sue memores: et conuertent se conspirantes in virtute magna ad persequendos eos. 32 Isti turbabuntur et silebunt in virtute illorum: et conuertent pedes suos in fugam: 33 et a territorio assiriorum subsessor obsidebit eos: et consumet vnum ex illis: et erit timor et tremor in exercitu illorum· et contentio in reges ipsorum. 34 Ecce nubes ab oriente et a septentrione vsque meridianum: et facies earum horrida valde plena ire et procelle. 35 Et collident se inuicem: et collident sydus copiosum super terram et sydus illorum. Et erit sanguis a gladio vsque ad ventrem: 36 et fimus hominis vsque ad substramen cameli. Et erit timor et tremor multus super terram: 37 et horrebunt qui videbunt iram illam: et tremor apprehendet illos. Et post hec mouebuntur nimbi copiosi 38 a meridiano et septentrione: et portio alia ab occidente. 39 Et super inualescent venti ab oriente et recludent eam: et nubem quam suscitauit in ira: et sydus ad faciendam exterritationem ad orientalem ventum et occidentem· violabitur· 40 Et exaltabuntur nubes magne et valide plene ire et sydus· vt exterreant omnem terram et inhabitantes eam: et infundent super omnem locum altum· et eminentem sydus terribile 41 ignem et grandinem et rumpheas volantes· et aquas multas: vt etiam impleantur omnes campi et omnes riui plenitudine aquarum multarum. 42 Et demolientur ciuitates et muros et montes et colles et ligna siluarum: et fenum pratorum et frumenta eorum. 43 Et transibunt constantes vsque babilonem et exterrent eam: 44 conuenient ad ipsam et circuibunt eam: et effundent sydus et omnem iram super eam. Et subibit puluis et fumus vsque in celum: et omnes in circuitu lugebunt eam: 45 et qui sub ea remanserint seruient hijs qui exterruerunt. 46 Et tu asia concors in spem babilonis· et gloria persone eius: 47 ve tibi misera· propter quod assimilasti ei et ornasti filias tuas in fornicatione ad placendum et gloriandum in amatoribus tuis qui tecum cupierunt semper

fornicari. [48] Odibilem imitata es in omnibus operibus eius et in adinuentionibus eius: propterea dicit deus. [49] Immittam tibi mala: viduitatem paupertatem et famem et gladium et pestem ad deuastandas domus tuas a violatione et morte et gloria virtutis tue. [50] Sicut flos siccabitur cum exsurget ardor qui emissus est super te: [51] infirmaberis vt paupercula plagata et castigata a mulieribus vt non possint te suscipere potentes et amatores. [52] Numquid ego sic zelabo te dicit dominus· [53] nisi occidisses electos meos in omni tempore exaltans percussionem manuum: et dicens super mortem eorum cum inebriata esses· [54] ex et orna speciem vultus tui? [55] Merces fornicationis tue in sinu tuo: propter hoc redditionem accipies. [56] Sicut facis electis meis dicit dominus· sic faciet tibi deus: et tradat te in malum. [57] Et nati tui fame interient: et tu rumphea cades et ciuitates tue conterentur: et omnes tui in campo gladio cadent. [58] Et qui sunt in montibus fame peribunt: et manducabunt carnes suas et sanguinem bibent a fame panis et siti aque. [59] Infelix per maria venies: et rursum accipies mala. [60] Et intransitu allident ciuitatem ociosam: et exterrent aliquam portionem terre tue· et partem glorie tue exterminabunt: rursum reuertentes conuersam. [61] Et demolita eris illis pro stipula: et ipsi erunt tibi ignis: [62] et deuorabunt te et ciuitates tuas· terram tuam· et montes tuos: omnes siluas tuas et lignum fructiferum igni comburent. [63] Filios tuos captiuos ducent: et censum tuum in predam habebunt: et gloriam faciei tue exterminabunt.

16 Le tibi babilon et asya: ve tibi egipte et siria. [2] Precingite vos saccis et cilicijs· et plangite filios vestros et dolete: quoniam appropinquauit contritio vestra. [3] Immissus est vobis gladius: et quis est qui auertat illum: [4] Immissus est in vobis ignis: et quis est qui extinguat illum: [5] Immissa sunt vobis mala? Et quis est qui repellat ea: [6] Nunquid repellit aliquis leonem esurientem in silua: aut extinguet ignem in stipula· mox quando ceperit ardere: [7] Nunquid repellet aliquis sagittam a sagittario forti missam: [8] Dominus fortis immittit mala: et et quis est qui repellat ea: [9] Exijt ignis ex iracundia eius: Et quis est qui extinguat eum? [10] Choruscabit: et quis non timebit: Tonabit: et quis non pauebit: [11] Dominus comminabitur: et quis non funditus conteretur a facie ipsius: [12] Terra tremuit et fundamenta eius: mare fluctuat de profundo· et fluctus eius disturbabuntur. et pisces eius a facie domini et a gloria virtutis eius: [13] quoniam fortis dextera eius que arcum tendit: sagitta eius acute que ab ipso mittuntur: non deficient cum ceperint mitti in fines terre. [14] Ecce mittuntur mala et non reuertentur: donec veniant super terram. [15] Ignis succenditur: et non extinguetur donec consumat fundamenta terre. [16] Quemadmodum non redit sagitta missa a valido sagittario: sicut non reuertentur mala que missa fuerint in terram. [17] Ve michi ve michi. Quis me liberabit in illis diebus: [18] Inicium dolorum et multi gemitus: inicium famis et multi interitus: inicium bellorum et formidabunt potestates: inicium malorum: et trepidabunt omnes. [19] In hijs quid faciam cum venerint mala? [20] Ecce fames et plaga et tribulatio et angustia missa sunt flagella in emendatione: [21] et in hijs omnibus se non conuertent ab iniquitatibus suis: neque flagellorum memores erunt semper. [22] Ecce erit annone vilitas super terram: sic vt putent sibi esse directam pacem: et tunc germinabunt mala super terram gladius fames et magna confusio. [23] A fame enim plurimi qui inhabitant terram interient: et gladius perdet ceteros qui superauerint a fame: [24] et mortui sicut stercora proicientur et non erit qui consoletur eos. Derelinquetur enim terra deserta: et ciuitates eius deicientur. [25] Non derelinquetur qui colat terram: et qui seminet eam. [26] Ligna dabunt fructus: et quis vindemiabit illa: [27] Vua matura fiet: et quis calcabit illam: Erit enim locis magna desertio. [28] Cupiet enim homo hominem videre: vel vocem eius audire. [29] Relinquentur enim de ciuitate decem et duo de agro qui absconderint se in densis nemoribus et scissuris petrarum: [30] quemadmodum derelinquuntur in oliueto et singlis arboribus tres aut quatuor oliue: [31] aut sicut in vinea vindemiata racemi relinquuntur ab hijs qui diligenter vineam scrutantur: [32] sic relinquentur in diebus illis tres aut quatuor scrutantibus domos eorum in rumphea. [33] Et relinquetur terra deserta: et agri eius inueterabunt: et vie eius et omnes semite eius germinabunt spinas eo quod non transient homines per eam. [34] Lugebunt virgines non habentes sponsos: lugebunt mulieres non habentes viros: lugebunt filie earum non habentes adiutorium [35] sponsi earum. In bello consumentur: et viri earum in fame exterentur. [36] Audite vero ista: et cognoscite ea serui domini. [37] Ecce verbum domini: excipite illud ne dijs credatis de quibus dicit dominus. [38] Ecce appropinquant mala et non tardant. [39] Quemadmodum pregnans cum parit in nono mense filium suum: appropinquante hora partus eius· ante horas duas vel tres dolores circueunt ventrem eius: et prodeunte infante de ventre non tardabunt vno puncto: [40] sic non morabimur mala ad prodeundum super terram: et seculum gemet· et dolores circumtenebunt illud. [41] Audite verbum plebs mea. Parate vos in pugnam: et in malis· sic estote quasi aduene terre. [42] Qui vendit quasi qui fugiat· et qui emit quasi qui perditurus. [43] qui mercatur quasi qui fructum non capiat: et qui edificat quasi non habiturus. [44] Qui seminat quasi qui non metet: sic et qui vineam putat quasi non vindemiaturus. [45] Qui nubunt sic quasi filios non facturi: et qui non nubunt sic quasi vidui: [46] propter quod qui laborant sine causa laborant. [47] Fructus enim illorum alienigene metent: et substantiam illorum rapient et domos euertent: et filios eorum captiuabunt· quia in captiuitate et fame generant natos suos. [48] Et qui negociantur in rapina quantum diu exornant ciuitates et domos suas et possessiones et personas suas: [49] tanto magis adzelabor eos super peccata sua dicit dominus. [50] Quomodo zelatur fornicaria mulierem zelatur ydoneam et bonam valde: [51] sic zelabitur iusticia iniquitatem cum exornat se et accusat eam in facie cum venerit qui defendat exquirentem omne peccatum super terram. [52] Propterea nolite similari ei nec operibus eius: [53] quoniam adhuc pusillum et tolletur iniquitas a terra: et iusticia regnabit in vos. [54] Non dicat peccator se non peccasse: quoniam carbones ignis comburet super caput eius qui dicit non peccaui coram deo et gloria ipsius. [55] Ecce dominus cognoscet omnia opera hominum: et adinuentiones illorum et cogitationes illorum: et corda illorum. [56] Dixit enim fiat terra et facta est: fiat celum et factum est. [57] Et in verbo illius stelle fundate sunt: et nouit numerum stellarum. [58] Qui scrutatur abissum et thesauros illarum: qui mensus est mare· et conceptum eius. [59] Qui conclusit mare in medio aquarum: et suspendit terram super aquas verbo suo. [60] Qui extendit celum quasi cameram: super aquas fundauit eum. [61] Qui posuit in deserto fontes aquarum: et super verticem montium lacus ad emittendum flumina ab eminenti petra: vt potaret terram. [62] Qui finxit hominem et posuit cor suum in medio corporis: et misit ei spiritum vitam et intellectum [63] et spiramen dei omnipotentis qui fecit omnia: et scrutinat omnia absconsa in absconsis terre. [64] Hic nouit adinuentionem vestram: et que cogitatis in cordibus vestris peccantes et volentes occultare peccata sua. [65] Propter quod dominus scrutinando scrutinauit omnia opera vestra: et traducet vos omnes· [66] et vos confusi eritis cum processerint peccata vestracoram stra coram stra coram hominibus: et iniquitates erunt que accusatores stabunt in die illo. [67] Quid facietis: aut quomodo abscondetis peccata vestra coram deo et angelis eius: [68] Ecce iudex deus: timete eum. Desinite a peccatis vestris: et obliuiscamini iniquitates vestras iam agere eas in sempiterno: et deus educet vos et liberabit de omni tribulatione. [69] Ecce enim incenditur ardor super vos turbe copiose: et rapient quosdam ex vobis et cibabunt ydolis occisos: [70] et qui consenserint eis erunt illis in derisum et in improperium et in conculcationem. [71] Erit enim locis locus: et in vicinas ciuitates resurrectio multa super timentes dominum. [72] Erunt quasi insani nemini parcentes· ad diripiendum et deuastandum adhuc timentes dominum: [73] quia deuastabunt et deripient substantias: et de domibus suis eos eicient. [74] Tunc parebit probatio electorum meorum: vt aurum quod probatur ab igne. [75] Audite dilecti mei dicit dominus. Ecce assunt dies tribulationis: et de hijs liberabo vos. [76] Ne timeatis nec hesitetis: quoniam deus dux vester est. [77] Et qui seruat mandata et precepta mea dicit dominus deus: ne preponderent vos peccata vestra: ne supereleuent se iniquitates vestre. [78] Ve qui constringuntur a peccatis suis et obteguntur ab iniquitatibus suis: quemadmodum ager constringitur a silua et spinis tegitur semita eius per quam non transit homo: et reduditur· et mittitur ad excluditur· deuorationem ignis.

Incipit prologus in librum tobie.

Chromatio et heliodoro episcopis: ieronimus presbiter in domino salutem. Mirari non desino exactionis vestre instantiam. Exigitis enim vt librum chaldeo sermone conscriptum ad latinum stilum traham: librum vtique tobie: quem hebrei de cathalago diuinarum scripturarum secantes· hijs que agyographa memorant manciparunt. Feci satis desiderio vestro: non tamen meo studio. Arguunt enim nos hebreorum studia: et imputant nobis contra suum canonem latinis auribus ista transferre. Sed melius esse iudicans phariseorum displicere iudicio· et episcoporum iussionibus deseruire: institi vt potui. Et quia vicina est chaldeorum lingua sermoni hebraico: vtriusque lingue peritissimum loquacem reperiens· vnius diei laborem arripui: et quicquid ille michi hebraicis verbis expressit· hoc ego accito notario· sermonibus latinis exposui. Orationibus vestris mercedem huius operis compensabo: cum gratum vobis didicero me quod iubere estis dignati complesse.

Tobias

Incipit liber tobie.

1 Tobias ex tribu et ciuitate neptalim· que est in superioribus galilee supra naason· post viam que ducit nistro ad occidentem· in sinistro habens ciuitatem sephet: [2] cum captus esset in diebus salmanasar regis assiriorum· in captiuitate tamen positus viam veritatis non deseruit: [3] ita vt omnia que habere poterat quotidie concaptiuis fratribus qui erant ex eius genere impertiret. [4] Cunque esset iunior omnibus in tribu neptalim: nichil tamen puerile gessit in opere. [5] Denique cum irent omnes ad vitulos aureos quos iheroboam fecerat rex israhel hic solus fugiebat consortia omnium: [6] et pergebat ad iherusalem ad templum domini· et ibi adorabat dominum deum israhel: omnia primatiua sua et decimas suas fideliter offerens· [7] ita vt in tercio anno proselitis et aduenis ministraret omnem decimationem. [8] Hec et hijs similia secundum legem dei puerulus obseruabat. [9] Cum vero factus fuisset vir accepit vxorem annam de tribu sua: et genuit ex ea filium nomen suum imponens ei: [10] quem ab infantia timere deum docuit et abstinere ab omni peccato. [11] Igitur dum per captiuitatem deuenisset cum vxore sua et filio in ciuitatem niniuen cum omni tribu sua· et [12] cum omnes ederent ex cibis gentilium: iste custodiuit animam suam: et nunquam contaminatus in escis eorum. [13] Et quoniam memor fuit domini in toto corde suo· dedit illi deus gratiam in conspectu salmanasar regis: [14] et dedit illi potestatem quocumque vellet ire: habens libertatem quecumque facere voluisset. [15] Pergebat ergo per omnes qui erant in captiuitate: et monita salutis dabat eis. [16] Cum autem venisset in rages ciuitatem iudeorum· et ex hijs quibus honoratus fuerat a rege habuisset decem talenta argenti: [17] et cum in multa turba generis sui gabelum egentem videret qui erat ex tribu eius: sub cirographo dedit illi memoratum pondus argenti. [18] Post multum vero temporis mortuo salmanasar rege· cum regnaret sennacherib filius eius pro eo· et filios israhel exosos haberet in conspectu suo: [19] tobias pergebat per omnem cognationem suam· et consolabatur eos: diuidebatque vnicuique prout poterat de facultatibus suis. [20] Esurientes alebat: nudisque vestimenta prebebat: et mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat. [21] Denique cum reuersus esset rex sennacherib fugiens a iudea plagam· quam circa eum fecerat deus propter blasphemiam suam: et iratus multos occideret ex filijs israhel: tobias sepeliebat corpora eorum. [22] At vbi nunciatum est regi· iussit eum occidi: et tulit omnem substanciam eius. [23] Tobias vero cum filio suo et cum vxore fugiens nudus latuit: quia multi diligebant eum. [24] Post dies vero quadragintaquinque occiderunt regem filij ipsius. [25] Et reuersus est tobias ad domum suam: omnisque facultas eius· restituta est ei.

2 Post hec vero cum esset dies festus domini et factum esset prandium bonum in domo tobie: [2] dixit filio suo· vade et adduc aliquos de tribu nostra timentes deum: vt epulentur nobiscum. [3] Cumque abisset: reuersus nunciauit ei vnum ex filijs israhel iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo· relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus: [4] tollensque illud· portauit ad domum suam occulte: vt dum sol occubuisset caute sepeliret eum. [5] Cumque occultasset corpus· manducauit panem cum luctu et tremore: [6] memorans illum sermonem quem dixit dominus per amos prophetam. Dies festi vestri conuertentur in lamentationem et luctum. [7] Cum vero sol occubuisset: abijt et sepeliuit eum. [8] Arguebant autem eum omnes proximi eius· dicentes. Iam huius rei causa interfici iussus es· et vix effugisti mortis imperium: et iterum sepelis mortuos? [9] Sed tobias plus timens deum quam regem· rapiebat corpora occisorum et occultabat in domo sua: et medijs noctibus sepeliebat ea. [10] Contigit autem vt quadam die fatigatus a sepultura veniens domum iactasset se iuxta parietem et obdormisset: [11] et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius: fieretque cecus. [12] Hanc autem temptationem ideo permisit dominus euenire illi: vt posteris daretur exemplum pacientie eius: sicut et sancti iob. [13] Nam cum ab infantia sua semper deum timuerit· et mandata eius custodierit· non est contristatus contra dominum quod plaga cecitatis euenerit ei: [14] sed immobilis in dei timore permansit: agens gratias deo omnibus diebus vite sue. [15] Nam sicut beato iob insultabant reges: ita isti parentes et co gnati eius irridebant vitam eius dicentes. [16] Vbi est spes tua pro qua elimosinas et sepulturas faciebas? [17] Tobias vero in crepabat eos dicens. Nolite ita loqui: [18] quoniam filij sanctorum sumus· et vitam illam expectamus: quam deus daturus est hijs qui fidem suam nunquam mutant ab eo. [19] Anna vero vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie: et de labore manuum suarum victum quem consequi potuisset deferebat. [20] Vnde factum est: vt hedum caprarum accipiens· detulisset domi. [21] Cuius cum vocem balantis vir eius audisset· dixit. Videte ne forte furtiuus sit. Reddite eum dominis suis: quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere. [22] Ad hec vxor eius irata respondit. Manifeste vana facta est spes tua: et elemosine tue paruerunt. [23] Atque hijs et alijs huiusmodi verbis exprobrabat ei.

3 Tunc tobias ingemuit· et cepit o rare cum lacrimis [2] dicens. Iustus es domine: et omnia iudicia tua vera sunt: et omnes vie tue misericordia et veritas· et iudicium. [3] Et nunc domine memor esto mei: et ne vindictam sumas de peccatis meis: neque reminiscaris delicta mea vel parentum meorum. [4] Quoniam non obediuimus preceptis tuis ideo traditi sumus in dereptionem· et captiuitatem et mortem· et in fabulam: et in improperium omnibus nationibus in quibus dispersisti nos. [5] Et nunc domine magna iudicia tua: quia non egimus secundum precepta tua: et non ambulauimus sinceriter coram te. [6] Et nunc domine secundum voluntatem tuam fac mecum: et precipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim michi mori magis quam viuere. [7] Eadem itaque die contigit vt sara filia raguelis in rages ciuitate medorum· et ipsa audiret improperium ab vna ex ancillis patris sui: [8] quoniam tradita fuerat septem viris: et demonium nomine asmodeus occiderat eos· mox vt ingressi

fuissent ad eam. [9] Ergo cum pro culpa sua increparet puellam: respondit ei dicens. Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram: interfectrix virorum tuorum. [10] Nunquid et occidere me vis sicut etiam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus sue: et tribus diebus et tribus noctibus non manducauit neque bibit: [11] sed in oratione persistens cum lacrimis deprecabatur deum· vt ab isto improperio liberaret eam. [12] Factum est autem die tercia dum compleret orationem: benedicens dominum [13] dixit. Benedictum est nomen tuum deus patrum nostorum: qui cum iratus fueris misericordiam facies: et in tempore tribulationis peccata dimittis hijs qui inuocant te. [14] Ad te domine faciem meam conuerto: ad te oculos meos dirigo. [15] Peto domine vt de vinculo improperij huius absoluas me: aut certe de super terram eripias me. [16] Tu scis domine quia nunquam concupiui virum: et mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. [17] Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum hijs qui in leuitate ambulant participem me prebui. [18] Virum autem cum timore tuo non cum libidine mea consensi suscipere. [19] Et aut ego indigna fui illis: aut illi forsitan michi non fuerunt digni: qui forsitan viro alij conseruasti me. [20] Non est enim in hominis potestate consilium tuum. [21] Hoc autem pro certo habet omnis qui colit te: quia vita eius si in iu probatione fuerit coronabitur: si autem in tribulatione fuerit liberabitur: et si in correptione fuerit ad misericordiam tuam peruenire licebit. [22] Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis: et post lacrimationem et fletum exultationem infundis. [23] Sit nomen tuum deus israhel benedictum in secula. [24] In illo tempore exaudite sunt preces amborum in conspectu glorie summi dei: [25] et missus est angelus domini sanctus raphael vt curaret eos ambos quorum vno tempore sunt orationes in conspectu domini recitate.

4 Igitur cum tobias putaret orationem suam exaudiri vt mori potuisset: vocauit ad se tobiam filium suum: [2] dixitque ei. Audi fili mi verba oris mei: et ea in corde quasi fundamentum construe. [3] Cum acceperit deus animam meam· corpus meum sepeli: et honorem habebis matri tue· omnibus diebus vite eius. [4] Memor enim esse debes: que et quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. [5] Cum autem et ipsa compleuerit tempus vite sue: sepelias eam circa me. [6] Omnibus autem diebus vite tue in mente habeto deum: et caue ne aliquando peccato consentias: et pretermittas precepta dei nostri. [7] Ex substantia tua fac elimosinam: et noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet: vt nec a te auertatur facies domini. [8] Quomodo potueris: ita esto misericors. [9] Si multum tibi fuerit abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri stude. [10] Premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: [11] quoniam elimosina ab omni peccato et a morte liberat: et non patietur animam ire in tenebras. [12] Fiducia magna erit coram summo deo elemosina: omnibus facientibus eam. [13] Attende tibi fili mi ab omni fornicatione: et preter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. [14] Superbiam nunquam in tuo sensu. aut in tuo verbo dominari permittas. In ipsa enim inicium sumpsit omnis perditio. [15] Quicumque tibi aliquid operatus fuerit· statim ei mercedem restitue: et merces mercennarij tui apud te omnino non remaneat. [16] Quod ab alio oderis fieri tibi: vide ne tu aliquando alteri facias. [17] Panem tuum cum esurientibus et egentibus comede: et de vestimentis tuis nudos tege. [18] Panem tuum et vinum tuum super sepulturam iusti constitue: et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus. [19] Consilium semper a sapiente perquire. [20] Omni tempore benedic deum: et pete ab eo vt vias tuas dirigat: et omnia consilia tua in ipso permaneant. [21] Indico etiam tibi fili mi dedisse me decem talenta argenti dum infantulus esses gabelo in rages ciuitate medorum: et cirographum eius apud me habeo. [22] Et ideo perquire quomodo ad eum peruenias: et recipias ab eo supra memoratum pondus argenti: et restituas ei cirographum suum. [23] Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus: sed multa bona habebimus si timuerimus deum· et recesserimus ab omni peccato: et fecerimus bene.

5 vnc respondit tobias patri suo et dixit. Omnia quecunque precepisti michi· faciam pater. [2] Quomodo autem pecuniam hanc inquiram· ignoro. Ille me nescit: et ego eum ignoro. Quod signum dabo ei? Sed neque viam per quam pergatur illuc· aliquando cognoui. [3] Tunc pater suus respondit illi· et dixit. Cirographum quidem illius apud me habeo· quod dum illi ostenderis statim restituet. [4] Sed perge nunc et inquire tibi aliquem fidelem virum: qui eat tecum salua mercede sua· dum adhuc viuo: vt recipias eam. [5] Tunc egressus tobias· inuenit iuuenem stantem splendidum precinctum: et quasi paratum ad ambulandum. [6] Et ignorans quod angelus dei esset: salutauit eum· et dixit. Vnde te habemus bone iuuenis? [7] At ille respondit. Ex filijs israhel. Et tobias dixit ei. Nosti viam que ducit in regionem medorum? [8] Cui respondit. Noui: et omnia itinera eius frequenter ambulaui: et mansi apud gabelum fratrem nostrum qui moratur in rages ciuitate medorum que posita est in monte egbathanis. [9] Cui tobias ait. Sustine me obsecro: donec hec ipsa nunciem patri meo. [10] Tunc ingressus tobias· indicauit vniuersa hec patri suo. Super que ammiratus pater: rogauit vt introiret ad eum. [11] Ingressus itaque salutauit eum et dixit. Gaudium tibi sit semper. [12] Et tobias ait. Quale gaudium michi erit: qui in tenebris sedeo· et lumen celi non video? [13] Cui ait iuuenis. Forti animo esto: in proximo est vt a deo cureris. [14] Dixit itaque illi tobias. Numquid poteris perducere filium meum ad gabelum in rages ciuitatem medorum? Et cum redieris· restituam tibi mercedem tuam. [15] Et dixit ei angelus. Ego ducam: et reducam eum ad te. [16] Cui tobias respondit. Rogo te: indica michi. De qua domo: aut de qua tribu es tu? [17] Cui raphael angelus dixit. Genus queris mercennarij: an ipsum mercennarium qui cum filio tuo eat? [18] Sed ne forte solicitum te reddam: ego sum azarias· ananie magni filius. [19] Et tobias respondit. Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris: quod voluerim cognoscere genus tuum. [20] Dixit autem illi angelus. Ego sanum ducam: et sanum tibi reducam filium tuum. [21] Respondens autem tobias ait. Bene ambuletis: et sit dominus in itinere vestro: et angelus eius comitetur vobiscum. [22] Tunc paratis omnibus que erant in via portanda: fecit tobias vale patri suo· et matri sue: et ambulauerunt ambo simul. [23] Cunque profecti essent: cepit mater eius flere et dicere. Baculum senectutis nostre tulisti: et transmisisti a nobis. [24] Nunquam fuisset ipsa pecunia: pro qua misisti eum. [25] Sufficiebat nobis paupertas nostra: vt diuitias computaremus hoc· quod videbamus filium nostrum. [26] Dixitque ei tobias. Noli flere. Saluus perueniet filius noster: et saluus reuertetur ad nos: et oculi tui videbunt illum. [27] Credo enim quod angelus dei bonus comitetur ei: et bene disponet omnia que circa eum geruntur: ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. [28] Ad hanc vocem cessauit mater eius flere· et tacuit.

6 Profectus Profectus est autem tobias: et canis secutus est eum: et mansit prima mansione iuxta fluuium tigrim. [2] Et exiuit vt lauaret pedes suos: et ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. [3] Quem expauescens tobias: clamauit voce magna dicens. Domine: inuadit me. [4] Et dixit ei angelus. Apprehende branciam eius: et trahe eum ad te. Quod cum fecisset attraxit eum in siccum: et palpitare cepit ante pedes eius. [5] Tunc dixit ei angelus. Exentera hunc piscem: et cor eius· et fel· et iecur repone tibi. Sunt enim hec necessaria ad medicamenta vtiliter. [6] Quod cum fecisset assauit carnes eius· et secum sustulerunt in via: cetera salierunt que sufficerent eis: quousque peruenirent in rages ciuitatem medorum. [7] Tunc interrogauit tobias angelum: et dixit ei. Obsecro te azaria frater: vt dicas michi quod remedium habebunt ista que de pisce seruare iussisti. [8] Et respondens angelus dixit ei. Cordis eius particulam si super carbones ponas· fumus eius extricat omne genus demoniorum siue a viro siue a muliere: ita vt vltra non accedat ad eos. [10] Et dixit ei tobias. Vbi vis vt maneamus? [11] Respondensque angelus ait. Est hic raguel nomine vir propinquus de tribu tua: et hic habet filiam nomine saram: sed neque masculum neque feminam vllam habet aliam preter eam. [12] Tibi debetur omnis substantia eius: et oportet eam te accipere coniugem. [13] Pete ergo eam a patre eius: et dabit tibi eam vxorem. [14] Tunc respondit tobias· et dixit. Audio quia tradita est septem viris· et mortui sunt: sed et hoc audiui· quia demonium occidit illos. [15] Timeo ergo ne forte et michi hec eueniant: et

cum sim vnicus parentibus meis: deponam senectutem illorum cum tristicia ad inferos. [16] Tunc angelus raphael dixit ei. Audi me: et ostendam tibi· qui sunt quibus preualere potest demonium. [17] Hij namque qui coniugium ita suscipiunt· vt deum a se et a sua mente excludant· et sue libidini ita vacent sicut equus et mulus quibus non est intellectus: habet potestatem demonium super eos. [18] Tu autem cum acceperis eam· ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea: et nichil aliud nisi orationibus vacabis cum ea. [19] Ipsa autem nocte· incenso iecore piscis fugabitur demonium. [20] Secunda vero nocte. in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris. [21] Tercia vero nocte benedictionem consequeris: vt filij ex vobis procreentur incolumes. [22] Transacta autem tercia nocte accipies virginem cum timore domini· amore filiorum magis quam libidinis ductus: vt in semine abrahe benedictionem in filijs consequaris.

7 Ingressi Ingressi sunt autem ad raguelem: et suscepit eos raguel cum gaudio. [2] Intuensque tobiam raguel: dixit anne vxori sue. Quam similis est iuuenis iste consobrino meo. [3] Et cum hec dixisset· ait. Vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt. Ex tribu neptalim sumus: ex captiuitate niniue. [4] Dixitque illis raguel. Nostis tobiam fratrem meum? Qui dixerunt. Nouimus. [5] Cunque multa bona loqueretur de eo: dixit angelus ad raguelem. Tobias de quo interrogas· pater istius est. [6] Et misit se raguel· et cum lacrimis osculatus est eum: et plorans supra collum eius [7] dixit. Benedictio sit tibi fili mi: quia boni et optimi viri filius es. [8] Et anna vxor eius et sara ipsorum filia lacrimate sunt. [9] Postquam autem locuti sunt: precepit raguel occidi arietem· et parari conuiuium. Cunque hortaretur eos discumbere ad prandium: [10] tobias dixit. Hic ego hodie non manducabo neque bibaminisi bam: nisi prius petitionem meam confirmes: et promittas michi dare saram filiam tuam. [11] Quo audito verbo raguel expauit· sciens quid euenerit illis septem viris· qui ingressi sunt ad eam: et timere cepit· ne forte et huic similiter contingeret. Et cum nutaret et non daret vllum petenti responsum: [12] dixit ei angelus. Noli timere dare eam isti: quoniam huic timenti deum debetur coniunx filia tua. Propterea alius non potuit habere illam. [13] Tunc dixit raguel. Non dubito quod deus preces et lacrimas meas in conspectu suo admiserit. [14] Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me· vt et ista coniungeretur cognationi sue· secundum legem moysi. Et nunc noli dubium gerere: quod tibi eam tradam. [15] Et apprehendens dextram filie sue: dextre tobie tradidit cens. diabraham et deus ysaac et cens. Deus iacob vobiscum sit· et ipse coniungat vos: impleatque benedictionem suam in vobis. [16] Et accepta carta· fecerunt conscriptionem coniugij. [17] Et post hec epulati sunt: benedicentes deum. [18] Vocauitque raguel ad se annam vxorem suam: et precepit ei vt prepararet alterum cubiculum. [19] Et introduxit illuc saram filiam suam: et lacrimata est. [20] Dixitque ei. Forti animo esto filia mea. Dominus celi det tibi gaudium pro tedio quod perpessa es. ostque

8 Postquam vero cenauerunt: introduxerunt iuuenem ad eam. [2] Recordatus xerunt itaque tobias sermonum angeli protulit de cassidili suo partem iecoris: posuitque eam super carbones viuos. [3] Tunc raphael angelus apprehendit demonium: et religauit eum in deserto superioris egipti. [4] Tunc hortatus est virginem tobias: dixitque ei. Sara exsurge et deprecemur deum hodie et cras et secundum cras: quia hijs tribus noctibus deo iungimur: tercia autem transacta nocte· in nostro erimus coniugio. [5] Filij quippe sanctorum sumus: et non possumus ita coniungi sicut et gentes que ignorant deum. [6] Surgentes autem pariter instanter orabant ambo simul: vt sanitas daretur eis. [7] Dixitque tobias. Domine deus patrum nostrorum benedicant te celi terre mareque et fontes et flumina: et omnes creature tue que in eis sunt. [8] Tu fecisti adam de limo terre: dedistique ei adiutorium euam. [9] Et nunc domine tu scis quia non luxurie causa accipio sororem meam coniugem: sed sola posteritatis dilectione in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum. [10] Dixit itaque sara. Miserere nobis domine· miserere nobis: et consenescamus ambo pariter sani. [11] Et factum est circa pullorum cantum· accersiri iussit raguel seruos suos: et abierunt cum eo pariter vt foderent sepulcrum. [12] Dicebat enim: ne sibi modo euenerit ei· quo et ceteris alijs septem viris qui sunt ingressi ad eam. [13] Cunque parasset fossam: reuersus raguel ad vxorem suam· dixit ei. [14] Mitte vnam ex ancillis tuis· et videat si mortuus est: vt sepeliam eum antequam illucescat. [15] At illa misit vnam ex ancillis suis. Que ingressa cubiculum reperit eos saluos et incolumes: secum pariter dormientes. [16] Et reuersa nunciauit bonum nuncium. Et benedixerunt dominum· raguel videlicet et anna vxor eius: [17] et dixerunt. Benedicimus te domine deus israhel quia non contigit nobis quemadmodum putabamus. [18] Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam: et exclusisti a nobis inimicum persequentem nos. [19] Misertus es autem duobus vnicis. Fac eos domine in plenius benedicere te: re: et sacrificium laudis tue et sue sanitatis offerre: vt cognoscat vniuersitas gentium· quia tu es deus solus in vniuersa terra. [20] Statimque precepit seruis suis raguel vt replerent terra fossam quam fecerant: priusquam illucesceret. [21] Vxori autem sue dixit vt instrueret conuiuium: et prepararet omnia que in cibos erant iter agentibus necessaria. [22] Duas quoque pingues vaccas· et quatuor arietes occidi fecit: et parari epulas omnibus vicinis suis· cunctisque amicis. [23] Et adiurauit raguel tobiam: vt duas ebdomodas moraretur apud eum. [24] De omnibus autem que possidebat raguel dimidiam partem dedit tobie: et fecit hanc scripturam: vt pars dimidia que superet· post obitum eorum tobie dominio deueniret.

9 Tunc vocauit tobias angelum ad se· quem quidem hominem existimabat: dixitque ei. Azaria frater: peto vt auscultes verba mea. [2] Si me ipsum tradam tibi seruum: non ero condignus prouidencie tue. [3] Tamen obsecro te vt assumas tibi animalia siue seruicia: et vadas ad gabelum in rages ciuitatem medorum· reddasque ei cirographum suum: et recipias ab eo pecuniam· et roges eum venire ad nuptias meas. [4] Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies: et si tardauero vna die plus contristatur anima eius. [5] Et certe vides quomodo adiurauit me raguel: cuius adiuramentum spernere non possum. [6] Tunc raphael assumens quatuor ex seruis raguelis et duos camelos· in rages ciuitatem medorum perrexit: et inueniens gabelum dedit ei cirographum suum: et recepit omnem pecuniam. [7] Indicauitque ei de tobia filio tobie omnia que gesta sunt: fecitque eum secum venire ad nuptias. [8] Cumque ingressus esset domum raguelis· inuenit tobiam discumbentem: et exiliens osculati sunt se inuicem. Et fleuit gabelus: benedixitque deum [9] et dixit. Benedicat te deus israhel: quia filius es optimi viri et iusti· et timentis deum· et elimosinas facientis. [10] Et dicatur benedictio super vxorem tuam· et super parentes vestros: [11] et videatis filios vestros et filios filiorum vestrorum vsque in terciam et quartam generationem: et sit semen vestrum benedictum a deo israhel· qui regnat in secula seculorum. [12] Cunque omnes dixissent amen: accesserunt ad conuiuium. Sed et cum timore domini nuptiarum conuiuium exercebant.

10 Cum vero moras faceret tobias causa nuptiarum: solicitus erat pater eius tobias dicens. Putas quare moratur filius meus: aut quare detentus est ibi? [2] Putas ne gabelus mortuus est· et nemo reddit illi pecuniam? [3] Cepit autem contristari nimis ipse et anna vxor eius cum eo: et ceperunt ambo simul flere: eo quod die statuto minime reuerteretur filius eorum ad eos. [4] Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrimis: atque dicebat. Heu me fili mi vt quid te misimus peregrinari· lumen oculorum nostrorum· baculum senectutis nostre: solatium vite nostre· spem posteritatis nostre: [5] Omnia simul in te vno habentes: te non debuimus dimittere a nobis. [6] Cui dicebat tobias. Tace et noli turbari: sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille cum quo misimus eum. [7] Illa autem nullo modo consolari poterat sed cottidie exiliens circumspiciebat· et circuibat vias omnes per quas spes remeandi videbatur: vt procul videret eum si fieri posset venientem. [8] At vero raguel dicebat ad generum suum. Mane hic: et ego mittam nuncium salutis de te ad tobiam patrem tuum. [9] Cui tobias ait. Ego noui quia pater meus et mater mea modo dies computant: et cruciatur spiritus eorum in ipsis. [10] Cunque verbis multis rogaret raguel tobiam· et ille eum nulla ratione vellet audire: tradidit ei saram et dimidiam partem omnis substancie sue· in pueris· in puellis· in pecudibus· in camelis· et in vaccis et pecunia multa: et saluum atque gaudentem dimisit eum a se

11 dicens. Angelus domini sanctus sit in itinere vestro: perducatque vos in columes· et inueniatis omnia recte circa parentes vestros: et videant oculi mei filios vestros priusquam moriar. 12 Et apprehendentes parentes filiam suam· osculati sunt eam· et dimiserunt ire: 13 monentes eam honorare soceros· diligere maritum· regere familiam· gubernare domum: et se ipsam irreprehensibilem exhibere.

11 Cunque reuerterentur: peruenerunt ad charran que est in medio itinere contra niniuen vndecimo die. 2 Dixitque angelus. Tobia frater: scis quemadmodum reliquisti patrem tuum. 3 Si placet itaque tibi precedamus: et lento gradu insequantur iter nostrum familie simul cum coniuge tua· et cum animalibus. 4 Cumque hoc placuisset vt irent: dixit raphael ad tobiam. Tolle tecum ex felle piscis· erit enim necessarium. Tulit itaque tobias ex felle illo: et abierunt. 5 Anna autem sedebat secus viam cottidie in supercilio montis: vnde respicere poterat de longinquo. 6 Et dum ex eodem loco specularetur aduentum eius: vidit a longe et ilico cognouit venientem filium suum· currensque nunciauit viro suo dicens. Ecce venit filius tuus. 7 Dixitque raphael ad tobiam. At vbi introieris domum tuam· statim adora dominum deum tuum: et gratias agens ei· accede ad patrem tuum: et osculare eum. 8 Statimque lini super oculos eius ex felle isto piscis· quod portas tecum. Scias enim quoniam aperientur mox oculi eius: et videbit pater tuus lumen celi: et in aspectu tuo gaudebit. 9 Tunc precucurrit canis qui simul fuerat in via: et quasi nuncius adueniens blandimento sue caude gaudebat. 10 Et exurgens cecus pater· cepit offendens pedibus currere: et data manu puero· occurrit in obuiam filio suo. 11 Et suscipiens osculatus est eum cum vxore sua: et ceperunt flere pre gaudio. 12 Cunque adorassent deum· et gratias egissent: consederunt. 13 Tunc sumens tobias de felle piscis· liniuit oculos patri suo. 14 Et sustinuit quasi dimidiam fere horam· et cepit albugo ex oculis eius quasi membranum oui egredi. 15 Quod apprehendens tobias traxit ab oculis eius: statimque visum recepit. 16 Et glorificabant deum ipse videlicet et vxor eius: et omnes qui sciebant eum. 17 Dicebatque tobias. Benedico te domine deus israhel quia tu castigasti me: et tu saluasti me. Et ecce ego video tobiam filium meum. 18 Ingressa est etiam post septem dies sara vxor filij eius· et omnis familia et pecora sana: et cameli· et pecunia multa vxoris: sed et illa pecunia quam receperat a gabelo. 19 Et narrauit parentibus suis omnia beneficia dei: que fecisset circa eum per hominem qui eum duxerat. 20 Veneruntque achior et nabath consobrini tobie· gaudentes ad tobin: et congratulantes ei de omnibus bonis que circa illum ostenderat deus. 21 Et per septem dies epulantes omnes cum gaudio magno gauisi sunt.

12 Tunc vocauit ad se tobias filium suum: dixitque ei. Quid possumus dare viro isti sancto qui venit tecum? 2 Respondens tobias· dixit patri suo. Pater quam mercedem dabimus ei: aut quid dignum poterit esse beneficijs eius? 3 Me duxit et reduxit sanum: pecuniam a gabelo ipse recepit: vxorem ipse me habere fecit· et demonium ab ea ipse compescuit: gaudium parentibus eius fecit: me ipsum a deuoratione piscis eripuit: te que videre fecit lumen celi: et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hec poterimus dignum dare? 4 Sed peto te pater mi: vt roges eum· si forte dignabitur medietatem de omnibus que allata sunt sibi assumere. 5 Et vocantes eum pater scilicet et filius· tulerunt eum in partem: et rogare ceperunt vt dignaretur dimidiam partem omnium que attulerant acceptam habere. 6 Tunc dixit eis occulte. Benedicite deum celi: et coram omnibus viuentibus confitemini ei: quia fecit vobiscum misericordiam suam. 7 Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem dei reuelare et confiteri honorificum est. 8 Bona est oratio cum ieiunio et elemosina· magis quam thesauros auri recondere: 9 quoniam elemosina a morte liberat· et ipsa est que purgat peccata: et facit inuenire vitam eternam. 10 Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem: hostes sunt anime sue. 11 Manifesto ergo vobis veritatem: et non abscondam a vobis occultum sermonem. 12 Quando orabas cum lacrimis et sepeliebas mortuos· et derelinquebas prandium tuum et mortuos abscondebas per diem in domo tua et nocte sepeliebas eos: ego obtuli orationem tuam domino. 13 Et quia acceptus eras deo: necesse fuit vt temptatio probaret te. 14 Et nunc misit me dominus vt curarem te: et saram vxorem filij tui a demonio liberarem. 15 Ego enim sum raphael angelus: vnus ex septem qui astamus ante dominum. 16 Cunque hec audissent turbati sunt: et trementes ceciderunt super terram in faciem suam. 17 Dixitque eis angelus. Pax vobis. Nolite timere. 18 Etenim cum essem vobiscum per voluntatem dei· ipsum benedicite et cantate illi: 19 videbar quidem vobiscum manducare· et bibere: sed ego cibo inuisibili et potu qui ab hominibus videri non potest vtor. 20 Tempus est ergo vt reuertar ad eum qui me misit: vos autem benedicite deum: et narrate omnia mirabilia eius. 21 Et cum hec dixisset· ab aspectu eorum ablatus est: et vltra eum videre non potuerunt. 22 Tunc prostrati per horas tres in faciem: benedixerunt deum. Et exsurgentes· narrauerunt omnia mirabilia eius.

13 Aperiens autem tobias senior os suum: benedixit dominum et dixit. Magnus es domine ineternum· et in omnia secula regnum tuum: 2 quoniam tu flagellas et saluas· deducis ad inferos et reducis: et non est qui effugiat manum tuam. 3 Confitemini domino filij israhel· et in conspectu gentium laudate eum: 4 quoniam ideo dispersit vos inter gentes que ignorant eum· vt vos enarretis mirabilia eius: et faciatis scire eos quia non est alius deus omnipotens preter eum. 5 Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras: et ipse saluabit nos propter misericordiam suam. 6 Aspicite ergo que fecit vobiscum: et cum timore et tremore· confitemini illi: regem que seculorum exaltate in operibus vestris. 7 Ego autem in terra captiuitatis mee confitebor illi: quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem. 8 Conuertimini itaque peccatores· et facite iusticiam coram domino: credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam. 9 Ego autem et anima mea in eo letabimur. 10 Benedicite domino omnes electi eius: et agite dies leticie: et confitemini illi. 11 Iherusalem ciuitas dei: castigauit te dominus in operibus manuum tuarum. 12 Confitere domino in bonis tuis et benedic deum seculorum: vt reedificet in te tabernaculum suum· et reuocet ad te omnes captiuos: et gaudeas in omnia secula seculorum. 13 Luce splendida fulgebis: et omnes fines terre adorabunt te. 14 Nationes ex longinquo ad te venient: et munera deferentes adorabunt in te dominum: et terram tuam in sanctificationem habebunt. 15 Nomen enim magnum inuocabunt in te. 16 Maledicti erunt qui contempserint te. et condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te: benedictique erunt qui edificauerint te. 17 Tu autem letaberis in filijs tuis: quoniam omnes benedicentur· et congregabuntur ad dominum. 18 Beati omnes qui diligunt te: et qui gaudent super pace tua. 19 Anima mea benedic dominum: quoniam liberauit iherusalem ciuitatem suam. 20 Beatus ero: si fuerint reliquie seminis mei ad videndam claritatem iherusalem. 21 Porte iherusalem ex saphiro et smaragdo edificabuntur: et ex lapide precioso omnis circuitus murorum eius. 22 Ex lapide candido et mundo omnes platee eius sternentur: et per vicos eius alleluia cantabitur. 23 Benedictus dominus qui exaltauit eam: vt sit regnum eius in secula seculorum super eam amen.

14 Et consummati sunt sermones tobie. Et postquam illuminatus est tobias vixit annis quadragintaduobus: et vidit filios nepotum suorum. 2 Completis itaque annis centumduobus· sepultus est honorifice in niniue. 3 Quinquaginta namque et sex annorum lumen oculorum amisit: sexagenarius vero recepit. 4 Reliquum vero vite sue in gaudio fuit: et cum bono profectu timoris dei perrexit in pace. 5 In hora autem mortis sue vocauit ad se tobiam filium suum· et septem iuuenes filios suos nepotes: dixitque eis. 6 Prope erit interitus niniue. Non enim excidit verbum domini: et fratres nostri qui dispersi sunt a terra israhel· reuertentur ad eam. 7 Omnis autem terra eius deserta replebitur: et domus dei que in ea incensa est iterum reedificabitur: ibique reuertentur omnes timentes deum. 8 Et relinquent gentes ydola sua: et venient in iherusalem· et inhabitabunt in ea: 9 et gaudebunt in ea omnes reges terre· adorantes regem israhel. 10 Audite ergo filij mei· patrem vestrum. Seruite domino in veritate: et inquirite vt faciatis que placita sunt illi. 11 Et filijs vestris mandate· vt faciant iusticias et elemosinas: vt sint memores dei: et benedicant

eum in omni tempore in veritate et in tota virtute sua. [12] Nunc ergo filij audite me: et nolite manere hic. Sed quacunque die sepelieritis matrem vestram· circa me in vno sepulcro: ex eo dirigite gressus vestros vt exeatis hinc. [13] Video enim: quia iniquitas eius finem dabit ei. [14] Factum est autem post obitum matris sue· tobias abscessit ex niniue cum vxore sua et filijs· et filiorum filijs: et reuersus est ad soceros suos. [15] Inuenitque eos incolumes in senectute bona: et curam eorum gessit. Et ipse clausit oculos eorum: et omnem hereditatem domus raguelis ipse percepit: viditque quintam generationem filios filiorum suorum. [16] Et completis annis nonaginta et nouem in timore domini: cum gaudio sepelierunt eum. [17] Omnis autem cognatio eius et omnis generatio eius in bona vita et in sancta conuersatione permansit: ita vt accepti essent tam deo quam hominibus: et cunctis habitantibus terram.

Incipit prologus in librum iudith.

Apud hebreos liber iudith inter agyographa legitur: cuius auctoritas ad roboranda illa que in contentionem veniunt minus ydonea iudicatur. Chaldeo tamen sermone conscriptus· inter historias computatur. Sed quia hunc librum sinodus nicena· in numero sanctarum scripturarum legitur computasse· acquieui postulationi vestre· immo exactioni: et sepositis occupationibus quibus vehementer artabar· huic vnam lucubraciunculam dedi: magis sensum e sensu quam ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem viciosissimam amputaui: sola ea que intelligentia integra in verbis chaldeis inuenire potui· latinis expressi. Accipite iudith viduam castitatis exemplum: et triumphali laude perpetuis eam preconijs declarate. Hanc enim non solum feminis sed et viris imitabilem dedit: qui Castitatis eius remunerator virtutem talem tribuit· vt inuictum omnibus hominibus vinceret: insuperabilem superaret.

Iudith

1 Arphaxat itaque rex medorum subiugauerat multas gentes imperio suo: et ipse edificauit ciuitatem potentissimam quam appellauit egbatanis. [2] Ex lapidibus quadratis et sectis fecit muros eius: in altitudine cubitorum septuaginta· et in latitudine cubitorum triginta: turres vero eius posuit in altitudine cubitorum centum. [3] Per quadrum vero earum· latus vtrumque vicenorum pedum spacio tendebatur: posuitque portas eius in altitudine turrium. [4] Et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui: et in gloria quadrigarum suarum. [5] Anno igitur duodecimo regni sui· nabuchodonosor rex assiriorum qui regnabat in niniue ciuitate magna pugnauit contra arphaxat: et obtinuit eum [6] in campo magno qui appellatur ragau· circa eufraten et tigrin· et yadason in campo erioch regis elicorum. [7] Tunc exaltatum est regnum nabuchodonosor: et cor eius eleuatum est. Et misit ad omnes qui habitabant in cilicia· et damasco· et libano· [8] et ad gentes que sunt in carmelo et cedar· et inhabitantes galileam· in campo magno esdrelon: [9] et ad omnes qui erant in samaria· et trans flumen iordanen· vsque iherusalem· et omnem terram yesse· quousque peruenietur ad moutes ethiopie. [10] Ad hos omnes misit nuncios nabuchodonosor· rex assiriorum: [11] qui omnes vno animo contra dixerunt· et remiserunt eos vacuos: ac sine honore abiecerunt. [12] Tunc indignatus nabuchodonosor rex ad omnem terram illam· iurauit per regnum et tronum suum: quod defenderet se de omnibus hijs.

2 Anno terciodecimo nabuchodonosor regis· vicesima et secunda die mensis primi· factum est verbum in domo nabuchodonosor regis assiriorum: vt defenderet se. [2] Vocauitque omnes maiores omnesque duces bellatores suos: et habuit cum eis misterium consilij sui. [3] Dixitque cogitationem suam in eo esse: vt omnem terram suo subiugaret imperio. [4] Quod dictum cum placuisset omnibus: vocauit nabuchodonosor rex holofernem principem militie sue: [5] et dixit ei. Egredere aduersum omne regnum occidentis: et contra eos precipue qui contempserunt imperium meum. [6] Non parcet oculus tuus vlli regno: omnemque vrbem munitam subiugabis michi. [7] Tunc holofernes vocauit duces et magistratus virtutis assiriorum: et dinumerauit viros in expeditione sicut precepit ei rex· centumuiginti milia peditum pugnatorum· et equites sagittarios duodecim milia. [8] Omnem que expeditionem suam fecit preire in multitudine innumerabilium camelorum· cum hijs que exercitibus sufficeret copiose: boum quoque armenta· gregesque ouium. quorum non erat numerus. [9] Frumentum ex omni siria in transitu suo parari constituit. [10] Aurum vero et argentum de domo regis assumpsit multum nimis. [11] Et profectus est ipse et omnis exercitus cum quadrigis et equitibus et sagittarijs: qui cooperuerunt faciem terre sicut locuste. [12] Cunque pertransisset fines assiriorum venit ad magnos montes ange qui sunt a sinistro cilicie: ascenditque omnia castella eorum: et obtinuit omnem munitionem. [13] Effregit autem ciuitatem opinatissimam melothi: predauitque omnes filios tharsis· et filios ysmahel qui erant contra faciem deserti· et ad austrum terre celeon. [14] Et transiuit eufraten· et venit in mesopotamiam fregit omnes ciuitates excelsas que erant ibi a torrente mambre vsquequo perueniatur ad mare: [15] et occupauit terminos eius a cilicia vsque ad fines iaphet· qui sunt ad austrum. [16] Adduxitque omnes filios madian· et predauit omnem locupletationem eorum: omnesque resistentes sibi occidit in ore gladij. [17] Et post hec descendit in campos damasci in diebus messis et succendit omnia sata: omnesque arbores et vineas fecit incidi: [18] et cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.

3 Tunc miserunt legatos suos vniuersarum vrbium ac prouinciarum reges ac principes sirie· scilicet et mesopotamie· et sirie sobal· et libie· atque cilici e: qui venientes ad holofernem dixerunt. [2] Desinat indignatio tua circa nos. Melius est enim vt viuentes seruiamus nabuchodonosor regi magno· et subditi simus tibi: quam morientes cum interitu nostro ipsi seruitutis nostre damna patiamur. [3] Omnis ciuitas nostra omnisque possessio· omnes colles et montes· et campi· et armenta boum· gregesque ouium. et caprarum equorumque camelorum et vniuerse facultates nostre atque familie in conspectu tuo sunt. [4] Sint omnia sub lege tua. [5] Nos etiam et filij nostri· serui tui sumus. [6] Veni nobis pacificus dominus: et vtere seruitio nostro sicut placuerit tibi. [7] Tunc descendit de montibus cum equitibus· in virtute magna: et obtinuit omnem ciuitatem· et omnem inhabitantem terram. [8] De vniuersis autem vrbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes et electos ad bellum. [9] Tantusque metus prouincijs illis incubuit: vt vniuersarum vrbium habitatores principes et honorati simul cum populis exirent in obuiam venienti· [10] excipientes eum cum coronis et lampadibus: ducentes choros in timpanis et tibijs. [11] Nec ista tamen facientes· ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt. [12] Nam et ciuitates eorum destruxit: et lucos eorum excidit. [13] Preceperat enim illi nabuchodonosor rex· vt omnes deos terre exterminaret: videlicet vt ipse solus diceretur deus ab hijs nationibus que potuissent holofernis potentia subiugari. [14] Pertransiens autem siriam sobal et omnem appamiam· omnemque mesopotamiam· venit ad ydumeos in terra gabaa: [15] accepitque ciuitates eorum· et sedit ibi per triginta dies: in quibus diebus adunari precepit vniuersum exercitum virtutis sue.

4 Tunc audientes hec filij israhel qui habitabant terram iudee: timuerunt valde a facie eius. [2] Tremor etiam et horror inuasit sensus eorum: ne hoc faceret iherusalem et templo domini: quod fecerat ceteris ciuitatibus et templis earum. [3] Et miserunt in omnem samariam per circuitum vsque iericho: et preoccupauerunt omnes vertices montium. [4] Et muris circundederunt vicos suos: et congregauerunt frumenta in preparationem pugne. [5] Sacerdos etiam eliachim scripsit ad vniuersos qui erant contra esdrelon· que est contra faciem campi magni iuxta dotaim: et vniuersis per quos vie transitus esse poterat: [6] vt obtinerent ascensus montium per quos via esse poterat ad iherusalem: et illic custodirent vbi angustum iter esse poterat inter montes. [7] Et fecerunt filij israhel: secundum quod constituerat eis sacerdos domini eliachim. [8] Et clamauit omnis populus ad dominum instantia magna: et humiliauerunt animas suas in ieiunijs· ipsi et mulieres eorum. [9] Et induerunt se sacerdotes cilicijs: et infantes prostrauerunt contra faciem templi domini: et altare domini operuerunt cilicio. [10] Et clamauerunt ad dominum deum israhel vnanimiter: ne darentur in predam infantes eorum· et vxores eorum in diuisionem· et ciuitates eorum in exterminium· et sancta eorum in pollutionem: et fierent in obprobrium gentibus. [11] Tunc eliachim sacerdos domini magnus circuiuit omnem israhel: allocutusque est eos [12] dicens. Scitote quoniam exaudiuit dominus preces vestras: si manentes permanseritis in ieiunijs et orationibus in conspectu domini. [13] Memores estote moysi serui domini: qui amalech confidentem in virtute sua et in potentia sua et in exercitu suo· et in clipeis suis et in curribus suis et in equitibus suis non ferro pugnando: sed precibus sanctis orando deiecit. [14] Sic erunt vniuersi hostes israhel: si perseueraueritis iu hoc opere quod cepistis. [15] Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes dominum· permanebant inconspectu domini: [16] ita vt etiam hij qui offerebant domino olocausta· precincti cilicijs offerrent sacrificia domino: et erat cinis super capita eorum. [17] Et ex toto corde suo omnes orabant deum: vt visitaret populum suum israhel.

5 Nunciatumque est holoferni principi militie assiriorum quod filij israhel prepararent se ad resistendum· ac montium itinera conclusissent· [2] et furore nimio exarsit in iracundia magna. Vocauitque omnes principes moab et duces ammon: [3] et dixit eis. Dicite michi quis sit populus iste qui montana obsidet: aut que et quales et quante sint ciuitates eorum que etiam sit virtus eorum aut que sit multitudo eorum vel quis rex militie illorum. [4] Quare pre omnibus qui habitant in oriente isti contempserunt me· et non exierunt in obuiam nobis: vt susciperent nos cum pace? [5] Tunc achior dux omnium filiorum amon respondens ait. Si digneris audire domine· dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto qui in montanis habitat: et non egredietur verbum falsum ex ore meo. [6] Populus iste ex progenie caldeorum est. [7] Hic primum in mesopotamia habitauit: quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum qui erant in terra caldeorum. [8] Deserentes itaque cerimonias patrum suorum que in multitudine deorum erant [9] vnum deum celi coluerunt: qui et precepit eis vt exirent inde: et habitarent in carram. Cunque operuisset omnem terram fames· descenderunt in egiptum: illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt: vt dinumerari eorum non posset exercitus. [10] Cumque grauaret eos rex egipti atque in edificationibus vrbium suarum in luto et latere subiugasset eos: clamauerunt ad dominum suum et percussit totam terram egipti· plagis varijs. [11] Cumque eiecissent eos egiptia se· et cessasset plaga ab eis et iterum eos velent capere et ad suum seruicium reuocare· [12] fugientibus hijs deus celi mare aperuit: ita vt huic inde aque quasi murus solidarentur: et isti pede sicco fundum maris perambulando transirent. [13] In quo loco dum innumerabilis exercitus egiptiorum eos persequeretur· ita aquis cooptus est: vt non remaneret vel vnus· qui factum posteris nunciaret. [14] Egressis etiam mare rubrum deserta syna montis occurrerunt: in quibus nunquam homo habitare potuit: vel filius hominis requieuit. [15] Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum: et per annos quadraginta annonam de celo consecuti sunt. [16] Vbicunque ingressi sunt: sine arcu et sagitta· et absque scuto et gladio· deus eorum pugnauit pro eis et vicit. [17] Et non fuit qui in sultaret populo isti: nisi quando recessit a cultu domini dei sui. [18] Quocienscumque autem preter ipsum deum suum alterum coluerunt: dati sunt in predam et in gladium et in obprobrium. [19] Quocienscumque autem penituerunt se recessisse a cultura dei sui: dedit eis deus celi virtutem resistendi. [20] Denique cananeum regem et iebuseum· et phereseum et eueum et etheum et amorreum et omnes potentes in esebon prostrauerunt: et terras eorum et ciuitates eorum ipsi possederunt: [21] et vsque dum non peccarent in conspectu dei sui erant cum illis bona. Deus enim illorum odit iniquitatem. [22] Nam et ante hos annos cum recessissent a via quam dederat illis deus vt ambularent in ea· exterminati sunt prelijs a multis nationibus: et plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam. [23] Nuper autem reuersi ad dominum deum suum ex dispersione qua dispersi fuerant adunati sunt: et ascenderunt montana hec omnia: et iterum possident iherusalem· vbi sunt sancta sanctorum. [24] Nunc ergo mi domine perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu dei eorum: ascendamus ad illos quoniam tradens tradet illos deus eorum tibi: et subiugati erunt sub iugo potentie tue. [25] Si vero non est offensio populi huius coram deo suo non poterimus resistere illis: quoniam deus eorum defendet illos: et erimus in obprobrium vniuerse terre. [26] Et factum est cum cessasset loqui achior verpahec:irati ba hec: irati ba hec: irati sunt omnes magnates holofernis· et cogitabant interficere eum dicentes ad alterutrum. [27] Quis est iste qui filios israhel posse dicat resistere regi nabuchodonosor· et exercitibus eius: homines inermes et sine virtute· et sine peritia artis pugne? [28] Vt ergo agnoscat achior quoniam fallit nos· ascendemus in montana: et cum capti fuerint potentes eorum tunc cum eisdem gladio transuerberabitur: [29] vt sciant omnes gentes quoniam nabuchodonosor deus terre est. et preter ipsum alius non est.

6 Factum est autem cum cessassent loqui: indignatus holofernes vehementer dixit ad achior. [2] Quomodo prophetasti nobis dicens quod gens israhel defendatur a deo suo: vt ostendam tibi quoniam non est deus nisi nabuchodonosor: [3] cum percusserimus eos omnes sicut hominem vnum· tunc et ipse cum illis assiriorum gladio interibis: et omnis israhel tecum perditione disperiet: [4] et probabis quoniam nabuchodonosor dominus sit vniuerse terre. Tuncque gladius militie mee transiet per latera tua: et confixus cades inter vulneratos israhel: et non respirabis vltra donec extermineris cum illis. [5] Porro autem si prophetiam tuam veram existimas non concidat vultus tuus: et pallor qui faciem tuam obtinet abscedat a te: si verba mea hec putas impleri non posse. [6] Vt autem noueris quia simul cum illis hec experieris: ecce ex hac hora illorum populo sociaberis: vt dum dignas mei gladij penas exceperint· ipse simul vltioni subiaceas. [7] Tunc holofernes precepit seruis suis: vt comprehenderent achior et ducerent eum in bethuliam: et traderent eum in manus filiorum israhel. [8] Et accipientes eum serui holofernis· profecti sunt per campestria: sed cum appropinquassent ad montana· exierunt contra eos fundibularij. [9] Illi autem diuertentes a latere montis· ligauerunt achior ad arborem manibus et pedibus: et sic vinctum de restibus dimiserunt eum: et reuersi sunt ad dominum suum. [10] Porro filij israhel descendentes de bethulia· venerunt ad eum. Quem soluentes duxerunt ad bethuliam: atque in medium populi illum statuentes percunctati sunt· quid rerum esset quod illum vinctum assirij reliquissent. [11] In diebus illis erant illic principes· ozias filius micha de tribu symeon: et charmi qui et gothoniel. [12] In medio itaque seniorum et in conspectu omnium achior dixit omnia que locutus fuerat ab holoferne interrogatus: et qualiter populus holofernis voluisset propter hoc verbum inficere eum: [13] et quemadmodum ipse holofernes iratus iusserit eum israhelitis hac de causa tradi: vt dum vinceret filios israhel· tunc et ipsum achior diuersis iubeat supplicijs interire: propter hoc quod dixisset· deus celi defensor eorum est. [14] Cunque achior vniuersa hec exposuisset: omnis populus cecidit in faciem adorantes dominum: et communi lamentatione et fletu vnanimes preces suas domino effuderunt [15] dicentes. Domine deus celi et terre intuere superbiam eorum et respice ad nostram humilitatem· et faciem sanctorum tuorum attende: et ostende quoniam non derelinquis presumentes de te: et presumentes de se et de sua virtute gloriantes humilias. [16] Finito itaque

fletu: et per totum diem oratione populorum completa: consolati sunt achior [17] dicentes. Deus patrum nostrorum cuius tu virtutem predicasti· ipse tibi hanc dabit vicissitudinem: vt eorum magis tu interitum videas. [18] Cum vero dominus deus noster dederit hanc libertatem seruis suis: sit et tecum deus in medio nostri· vt sicut placuerit tibi ita cum tuis omnibus conuerseris nobiscum. [19] Tunc ozias finito concilio suscepit eum in domum suam: et fecit cenam magnam. [20] Et vocatis omnibus prespiteris· simul expleto ieiunio refecerunt. [21] Postea vero conuocatus est omnis populus: et per totam noctem intra ecclesiam orauerunt: petentes auxilium a deo israhel.

7 Holofernes autem altera die precepit exercitibus suis: vt ascenderent contra bethuliam. [2] Erant autem pedites bellatorum centumuiginti milia et equites vigintiduo milia: preter preparationes virorum illorum quos occupauerat captiuitas: et adducti fuerant de prouincijs et vrbibus vniuerse iuuentutis. [3] Omnes parauerunt se pariter ad pugnam· contra filios israhel: et venerunt per crepidinem montis vsque ad apicem qui respicit super dothaim a loco qui dicitur belma. vsque ad chelmon qui est contra esdrelon. [4] Filij autem israhel vt viderunt multitudinem illorum prostrauerunt se super terram mittentes cinerem super capita sua: vnanimes orantes vt deus israhel misericordiam suam ostenderet super populum suum. [5] Et assumentes arma sua bellica· sederunt per loca que angusti itineris tramitem dirigunt inter montuosa: et erant custodientes ea tota die et nocte. [6] Porro holofernes dum circuit per gyrum· repperit quod fons qui influebat aqueductum illorum a parte australi extra ciuitatem dirigeret: et incidi precepit aqueductum illorum. [7] Erant tamen non longe fontes a muris ex quibus furtim videbantur haurire aquam: ad refocillandum potius quam ad potandum. [8] Sed filij ammon et moab· accesserunt ad holofernem dicentes. Filij israhel non in lancea nec in sagitta confidunt: sed montes defendunt illos: et muniunt illos colles in precipitio constituti. [9] Vt ergo sine congressione pugne possis superare eos pone custodes fontium vt non hauriant ex eis: et sine gladio interficies eos: vel certe fatigati tradent ciuitatem suam quam putant in montibus positam superari non posse. [10] Et placuerunt verba hec coram holoferne et coram satellitibus eius: et constituit per gyrum centenarios per singulos fontes. [11] Cumque ista custodia per dies viginti fuisset expleta· defecerunt cisterne et collectiones aquarum omnibus inhabitantibus bethuliam: ita vt non esset intra ciuitatem vnde saciarentur vel vna die: quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie. [12] Tunc ad oziam congregati omnes viri femineque iuuenes et paruuli· omnes simul vna voce [13] dixerunt. Iudicet deus inter nos et te: quoniam fecisti in nos mala· nolens loqui pacifice cum assirijs: et propter hoc vendidit nos deus in manibus eorum. [14] Et ideo non est qui adiuuet: cum prosternamur ante oculos eorum in siti et perditione magna. [15] Et nunc congregate vniuersos qui in ciuitate sunt: vt sponte tradamus nos omnes populo holofernis. [16] Melius est enim vt captiui benedicamus dominum viuentes: quam moriamur et simus obprobrium omni carni: cum videamus vxores nostras et infantes nostros mori ante oculos nostros. [17] Contestamur hodie celum et terram et deum patrum nostrorum qui vlciscitur nos secundum peccata nostra. vt iam tradatis ciuitatem in manum militie holofernis: vt sit finis noster breuis in ore gladij: qui longior efficitur in ariditate sitis. [18] Et cum hec dixissent: factus est fletus et vlulatus magnus in ecclesia omnibus: et per multas horas vna voce clamauerunt ad deum dicentes. [19] Peccauimus cum patribus nostris: iniuste egimus: iniquitatem fecimus. [20] Tu quia pius es miserere nostri· et in tuo flagello vindica iniquitates nostras: et noli tradere confitentes te populo qui ignorat te: [21] vt non dicant inter gentes vbi est deus eorum. [22] Et cum fatigati hijs clamoribus· et hijs fletibus lassati siluissent: [23] exsurgens ozias infusus lacrimis dixit. Equo animo estote fratres: et hos quinque dies expectemus a domino misericordiam. [24] Forsitan enim indignationem suam abscidet: et dat gloriam nomini suo. [25] Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium: faciemus hec verba que locuti estis.

8 Et factum est cum audisset hec verba iudith vidua· que erat filia merari· filij ydo filij ioseph filij ozie filij elai filij iamnor· filij gedeon filij rafoim filij achitob filij melchie filij enam filij nathanie filij salathiel filij symeon filij ruben: [2] et vir eius fuit manasses: qui mortuus est in diebus messis ordeacee: [3] enim super alligantes manipulos in campo et venit estus super caput eius: et mortuus est in bethulia ciuitate sua et sepultus est illic cum patribus suis. [4] Erat autem iudith relicta eius vidua iam annis tribus et mensibus sex. [5] Et in superioribus domus sue fecit sibi secretum cubiculum in quo cum puellis suis clausa morabatur: [6] et habens super lumbos suos cilicium· ieiunabat omnibus diebus vite sue: preter sabbata et neomenias· et festa domus israhel. [7] Erat autem eleganti aspectu nimis: cui vir suus reliquerat diuitias multas et familiam copiosam: ac possessiones armentis boum et gregibus ouium plenas. [8] Et erat hec in omnibus famosissima· quoniam timebat dominum valde: nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. [9] Hec itaque cum audisset quoniam ozias promisisset quod transacto quinto die traderet ciuitatem: misit ad presbiteros chabri et charmi. [10] Et venerunt ad illam: et dixit illis. Quod est hoc verbum in quo consensit ozias· vt tradat ciuitatem assyrijs: si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? [11] Et qui estis vos qui temptatis dominum? [12] Non est iste sermo qui misericordiam prouocet: sed potius qui iram excitet· et furorem accendat. [13] Posuistis vos tempus miserationis domini: et in arbitrium vestrum diem constituistis ei. [14] Sed quia patiens dominus est· in hoc ipso peniteamus: et in dulgentiam eius lacrimis postulemus. [15] Non enim quasi homo deus sic comminabitur: neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. [16] Et ideo humiliemus illi animas nostras: et in spiritu constituti humiliato· seruientes illi· [17] dicamus flentes domino· vt secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum cito misericordiam suam: vt sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum ita etiam de nostra humilitate gloriemur: [18] quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum qui dereliquerunt deum suum· et adorauerunt deos alienos: [19] pro quo scelere dati sunt in gladium· et in rapinam· et in confusionem inimicis suis. Nos autem alterum deum nescimus preter ipsum. [20] Expectemus humiles consolationem eius· et exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum: et humiliabit omnes gentes quecunque in surgunt contra nos: et faciet illas sine honore dominus deus noster. [21] Et nunc fratres quoniam vos qui estis presbiteri in populo dei· et ex vobis pendet anima illorum: ad eloquium vestrum corda eorum erigite: vt memores sint quia temptati sunt patres nostri· vt probarentur si vere colerent deum suum. [22] Memores esse debent quomodo pater noster abraham temptatus est: et per multas tribulationes probatus· dei amicus effectus est. [23] Sic ysaac· sic iacob· sic moyses: et omnes qui placuerunt deo· per multas tribulationes transierunt fideles. [24] Illi autem qui temptationes non susceperunt cum timore domini· et in patientiam suam et improperium murmurationis sue contra dominum protulerunt: [25] exterminati sunt ab exterminatore: et a serpentibus perierunt. [26] Et nos ergo non vlciscamur nos pro hijs que patimur: [27] sed reputantes peccatis nostris hec ipsa supplicia minora esse: flagella domini quasi serui qui corripimur ad emendationem et non ad perditionem nostram euenisse credamus. [28] Et dixerunt illi ozias et presbiteri. Omnia que locuta es vera sunt: et non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. [29] Nunc ergo ora pro nobis: quoniam mulier sancta es· et timens deum. [30] Et dixit illis iudith. Sicut quod potui loqui dei esse cognoscitis: [31] ita quod facere disposui probate si ex deo est· et orate vt firmum faciat deus consilium meum. [32] Stabitis vos ad portam nocte ista: et ego exeam cum abra mea: et orate vt sicut dixistis in diebus quinque respiciat dominus populum suum israhel. [33] Vos autem nolo scrutemini actum meum: et vsque dum renunciem vobis· nil aliud fiat nisi oratio pro me ad dominum deum nostrum. [34] Et dixit ad eam ozias princeps iude. Vade pace: et dominus sit tecum in vltionem inimicorum nostrorum. Et reuertentes abierunt.

9 Quibus abscedentibus· iudith ingressa est oratorium suum: et induens se cilicio posuit cinerem super caput suum: et prosternens se domino clamabat ad dominum dicens. [2] Domine deus patris mei symeon· qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum qui violatores extiterunt in coinquinatione sua. et denudauerunt femur virginis in confusionem: [3] et dedisti mulieres illorum in predam· et filias illorum in captiuitatem· et omnem

predam in diuisionem seruis tuis qui zelauerunt zelum tuum: subueni queso te domine deus meus michi vidue. [4] Tu enim fecisti priora: et illa post illa cogitasti: et hoc factum est· quod ipse voluisti. [5] Omnes enim vie tue parate sunt: et tua iudicia in tua prouidentia posuisti. [6] Respice castra assiriorum nunc· sicut tunc castra egiptiorum videre dignatus es: quando post seruos tuos armati currebant· confidentes in quadrigis et in equitatu suo et in multitudine bellatorum. [7] Sed aspexisti super castra eorum: et tenebre fatigauerunt eos. [8] Tenuit pedes eorum abissus: et aque operuerunt eos. [9] Sic fiant et isti domine· qui confidunt in multitudine sua· et in curribus suis· et in contis· et in sagittis suis· et in lanceis gloriantur: [10] et nesciunt quia tu ipse es deus noster qui conteris bella ab inicio· et dominus nomen est tibi. [11] Erige brachium tuum sicut ab inicio: et allide virtutem eorum in virtute tua. Cadat virtus eorum in iracundia tua· qui promittunt se violare sancta tua: et polluere tabernaculum nominis tui: et deicere gladio suo cornu altaris tui. [12] Fac domine: vt gladio proprio eius superbia amputetur. [13] Capiatur laqueo oculorum suorum in me: et percuties eum ex labijs caritatis mee. [14] Da michi in animo constantiam vt contemnam illum: et virtutem: e vt euertam illum. [15] Erit enim hoc memoriale nominis tui: cum manus femine deiecerit eum. [16] Non enim in multitudine est virtus tua domine: neque in equorum viribus voluntas tua. Nec superbi ab inicio placuerunt tibi: sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. [17] Deus celorum· creator aquarum· et dominus totius creature· exaudi me miseram deprecantem: et de tua misericordia presumentem. [18] Memento domine testamenti tui· et da verbum in ore meo· et in corde meo consilium corrobora: vt domus tua in sanctificatione tua permaneat: [19] et omnes gentes agnoscant quia tu es deus et non est alius preter te.

10 Factum est autem cum cessasset clamare ad dominum: surrexit de loco in quo iacuerat prostrata ad dominum. [2] Vocauitque abram suam: et descendens in domum suam· abstulit a se cilicium: et exuit se vestimentis viduitatis sue. [3] Et lauit corpus suum· et vnxit se mirro optimo: et discriminauit crinem capitis sui· et imposuit mitram super caput suum: et induit se vestimentis iocunditatis sue. Et induit sandalia pedibus suis: assumpsitque dextraliola· et lilia· et inaures et anulos: et omnibus ornamentis suis ornauit se. [4] Cui etiam dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine· sed ex virtute pendebat. Et ideo dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit: vt incomparabili decore omnium oculis appareret. [5] Imposuit itaque abre sue ascopam vini· et vas olei et polentam et lapates· et panes et caseum: et profecta est. [6] Cunque venisset ad portas ciuitatis: inuenerunt expectantem oziam· et presbiteros ciuitatis. [7] Qui cum vidissent eam: stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem eius. [8] Nichil tamen interrogantes eam: dimiserunt transire dicentes. Deus patrum nostrorum det tibi gratiam: et omne consilium tui cordis sua virtute corroboret: et glorietur super te iherusalem· et sit nomen tuum in numero sanctorum et iustorum. [9] Et dixerunt hij qui illic erant· omnes vna voce fiat fiat. [10] Iudith vero orans dominum: transiuit per portas· ipsa et abra eius. [11] Factum est autem cum descenderet montem circa ortum diei: occurrerunt ei exploratores assiriorum: et tenuerunt eam dicentes. Vnde venis: aut quo vadis? [12] Que respondit. Filia sum hebreorum. Ideo ego fugi a facie eorum: quoniam futurum agnoui quod dentur vobis in depredationem· pro eo quod contemnentes vos noluerunt vltro tradere seipsos: vt inuenirent misericordiam in conspectu vestro. [13] Hac de causa cogitaui mecum dicens. Vadam ad faciem principis holofernis vt indicem illi secreta illorum: et ostendam illi quo aditu possit obtinere eos: ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius. [14] Et cum audissent viri illi verba eius· considerabant faciem eius: et erat in oculis eorum stupor: quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. [15] Et dixerunt ad eam. Conseruasti animam tuam: eo quod tale reperisti consilium vt descenderes ad dominum nostrum. [16] Hoc autem scias: quoniam cum steteris in conspectu eius bene tibi faciet: et eris gratissima in corde eius Duxeruntque illam ad tabernaculum holofernis: nunciantes eam. [17] Cunque intrasset ante faciem eius: statim captus est in suis oculis holofernes. [18] Dixeruntque ad eum satellites eius. Quis contemnat populum hebreorum qui tam decoras mulieres habent: vt non pro hijs merito pugnare contra eos debeamus? [19] Videns itaque iudith holofernem sedentem in conopeo quod erat ex purpura et auro· et smaragdo et lapidibus preciosis intextum: [20] et cum in faciem eius intendisset· adorauit eum prosternens se super terram: et eleuauerunt eam serui holofernis iubente domino suo.

11 Tunc holofernes dixit ei. Equo animo esto et noli pauere in corde tuo: quoniam ego numquam nocui virum qui voluit seruire nabuchodonosor regi. [2] Populus autem tuus si non contempsisset me: non alleuassem lanceam meam super eum. [3] Nunc autem dic michi qua ex causa recessisti ab illis: et placuit tibi vt venires ad nos. [4] Et dixit illi iudith. Sume verba ancille tue: quoniam si secutus fueris verba ancille tue: perfectam rem faciet dominus tecum. [5] Viuit enim nabuchodonosor rex terre· et viuit virtus eius que est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solum homines seruient illi per te: sed et bestie agri obtemperant illi. [6] Nunciatur enim animi tui industria· vniuersis gentibus: et indicatum est omni seculo quoniam tu solus bonus et potens es in omni regno eius: et disciplina tua omnibus prouincijs predicatur. [7] Nec hoc latet quod locutus est achior: nec illud ignoratur quod ei iusseris euenire. [8] Constat enim deum nostrum sic peccatis offensum: vt mandauerit per prophetas suos ad populum: quod tradat eum pro peccatis suis. [9] Et quoniam sciunt se offendisse deum suum filij israhel: tremor tuus super ipsos est. [10] Insuper etiam fames inuasit eos: et ab ariditate aque· iam inter mortuos computantur. [11] Denique hoc ordinant· vt interficiant pecora sua et bibant sanguinem eorum: [12] et sancta domini sui que precepit deus non contingi· in frumento vino et oleo. Hec cogitauerunt impendere: et volunt consumere· que nec manibus deberent contingere. Ergo quoniam hec faciunt: certum est quod in perditionem dabuntur. [13] Quod ego ancilla tua cognoscens fugi ab illis: et misit me dominus hec ipsa nunciare tibi. [14] Ego enim ancilla tua deum colo etiam nunc apud te: et exiet ancilla tua· et orabo deum: [15] et dicet michi· quando eis reddat peccatum suum· et veniens nunciabo tibi: ita vt ego adducam te per mediam iherusalem. Et habebis omnem populum israhel sicud oues quibus non est pastor. et non latrabit vel vnus contra te: [16] quoniam hec michi dicta sunt per pronidentiam dei. [17] Et quoniam iratus est illis deus: hec ipsa missa sum nunciare tibi. [18] Placuerunt autem omnia verba hec coram holoferne et coram pueris eius· et mirabantur ad sapientiam eius: et dicebant alter ad alterum. [19] Non est talis mulier super terram in aspectu· in pulchritudine et in sensu verborum. [20] Et dixit ad illam holofernes. Benefecit deus qui misit te ante populum· vt des illum tu in manibus nostris. [21] Et quoniam bona est promissio tua: si fecerit michi hoc· deus tuus erit et meus deus· et tu in domo nabuchodonosor magna eris: et nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.

12 Tunc iussit eam introire vbi repositi erant thesauri eius· et iussit illic manere eam et constituit quid daretur illi de conuiuio suo. [2] Cui respondit iudith et dixit. Nunc non potero manducare ex hijs que michi precipis tribui· ne veniat super me offensio. Ex hijs autem que michi detuli manducabo. [3] Cui holofernes ait. Si defeceriut tibi ista que tecum detulistirquid listi: quid faciemus tibi? [4] Et dixit iudith. Viuit anima tua domine meus· quoniam non expendet omnia hec· ancilla tua: donec faciat deus in manu mea hec que cogitaui. Et induxerunt illam serui eius in tabernaculum· quo preceperat: [5] et pecijt dum introiret vt daretur ei copia nocte· et ante lucem egredi foras ad orationem· et deprecandi dominum. [6] Et precepit cubicularijs suis vt sicut placeret illi exiret et introiret ad adorandum deum suum per triduum. [7] Et exibat noctibus in vallem bethulie: et baptisabat se in fonte aque. [8] Et vt ascendebat· orabat dominum deum israhel vt dirigeret viam eius ad liberationem populi sui. [9] Et introiens munda manebat in tabernaculo· vsque dum acciperet escam suam in vesperum. [10] Et factum est· quarta die. Holofernes fecit cenam seruis suis: et dixit ad vagao eunuchum. Vade et suade hebream illam vt sponte consenciat habitare mecum. [11] Fedum est enim apud assirios si femina irrideat virum agendo vt in munis ab eo transeat. [12] Tunc introiuit vagao ad iudith et dixit. Non vereatur bona puella

introire ad dominum meum vt honorificetur ante faciem eius: et manducet cum eo et bibat vinum in iocunditate. [13] Cui iudith respondit. Que ego sum vt contradicam domino meo? [14] Omne quod erit ante oculos eius bonum et optimum faciam. Quicquid autem illi placuerit hoc michi erit optimum omnibus diebus vite mee. [15] Et surrexit et ornauit se vestimento suo: et ingressa stetit ante faciem eius. [16] Cor autem holofernis concussum est: erat enim ardens in concupiscentia eius. [17] Et dixit ad eam holofernes. Bibe nunc et accumbe in iocunditate: quoniam inuenisti gratiam coram me. [18] Et dixit iudith. Bibam domine: quoniam magnificata est anima mea hodie pre omnibus diebus meis. [19] Et accepit et manducauit et bibit coram ipso ea que parauerat illi ancilla eius. [20] Et iocundus factus est holofernes ad eam: bibitque vinum multum nimis quantum numquam biberat in vita sua.

13 Vt autem sero factum est festinauerunt serui illius ad hospitia sua: et conclusit vagao ostia cubiculi et abijt. [2] Erant autem omnes fatigati a vino. [3] Erat que iudith sola iu cubiculo. [4] Porro holofernes iacebat in lecto nimia ebrietate sopitus. [5] Dixitque iudith puelle sue· vt staret foris ante cubiculum et obseruaret· [6] Stetitque iudith ante lectum· orans cum lacrimis et labiorum motu in silentio [7] dicens. Confirma me domine deus israhel· et respice in hac hora ad opera manuum mearum: vt sicut promisisti iherusalem ciuitatem tuam erigas: et hoc quod credens per te posse fieri cogitaui perficiam. [8] Et cum hec dixisset: accessit ad columnam que erat ad caput lectuli eius: et pugionem eius qui in ea ligatus pendebat exsoluit. [9] Cunque euaginasset illum· apprehendit comam capitis eius et ait. Confirma me domine deus in hac hora. [10] Et percussit bis in ceruicem eius· et abscidit caput eius: et abstulit canopeum eius a columnis· et euoluit corpus eius truncum. [11] Et post pusillum exiuit et tradidit caput holofernis ancille sue: et iussit vt mitteret illud in peram suam. [12] Et exierunt due secundum consuetudinem suam quasi ad orationem· et transierunt castra: et girantes vallem venerunt ad portam ciuitatis. [13] Et dixit iudith a longe custodibus murorum. Aperite portas quoniam nobiscum est deus: qui fecit virtutem in israhel. [14] Et factum est cum audissent viri vocem eius· vocauerunt presbiteros ciuitatis. [15] Et occurrerunt ad eam omnes· a minimo vsque ad maximum: quoniam sperauerunt eam iam non esse venturam. [16] Et accendentes luminaria congirauerunt circa eam vniuersi. Illa autem ascendens in eminentiorem locum: iussit fieri silentium. Cunque omnes tacuissent: [17] dixit iudith. Laudate dominum deum nostrum qui non deseruit sperantes in se: [18] et in me ancilla sua· adimpleuit misericordiam suam· quam promisit domui israhel: et interfecit in manu mea hostem populi sui in hac nocte. [19] Et proferens de pera caput holofernis· ostendit illis dicens. Ecce caput holofernis principis militie assiriorum. Et ecce canopeum illius in quo recumbebat in ebrietate sua: vbi et per manum femine percussit illum dominus deus noster. Viuit percussit illum dominus deus noster. [20] Viuit autem ipse dominus quoniam custodiuit me angelus eius et hinc euntem et ibi commorantem et inde huc reuertentem: et non permisit me dominus ancillam suam coinquinari: sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis· gaudentem in victoria sua in euasione mea· in liberatione vestra. [21] Confiteamur illi omnes quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius. [22] Vniuersi autem adorantes dominum dixerunt ad eam. Benedixit te dominus in virtute sua: qui per te ad nichilum redegit inimicos nostros. [23] Porro ozias princeps populi israhel dixit ad eam. Benedicta es tu filia a domino deo excelso· pre omnibus mulieribus super terram. [24] Benedictus dominus qui creauit celum et terram· qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum: [25] quia hodie nomen tuum ita magnificauit· vt non recedat laus tua de hore hominum· qui memores fuerint virtutis domini ineternum: pro quibus non pepercisti anime tue propter angustias et tribulationem generis tui: sed subuenisti ruine ante conspectum dei nostri. [26] Et dixit omnis populus fiat fiat. [27] Porro achior vocatus venit. Et dixit ei. Deus israhel cui tu testimonium dedisti quod vlciscatur se de inimicis suis: ipse caput omnium incredulorum incidit in hac nocte in manu mea. [28] Et vt probes quia ita est: ecce caput holofernis qui in contemptu superbie sue deum israhel contempsit· et tibi interitum minabatur dicens: cum captus fuerit populus israhel gladio perforari precipiam latera tua. [29] Videns autem achior caput holofernis angustiatus pre pauore cecidit in faciem suam super terram: et estuauit anima eius. [30] Postea vero quam resumpto spiritu recreatus est: procidit ad pedes eius· et adorauit eam et dixit. [31] Benedicta tu a deo tuo in omni tabernaculo iacob: quoniam in omni gente que audierit nomen tuum· magnificabitur super te deus israhel.

14 Dixit autem iudith ad omnem populum. Audite me fratres. Suspendite caput hoc super muros nostros: [2] et erit cum exierit sol· accipiat vnusquisque arma sua et exite cum impetu: non vt descendatis deorsum sed quasi impetum facientes. [3] Tunc exploratores necesse erit vt fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam. [4] Cunque duces eorum concurrerint ad tabernaculum holofernis· et inuenerint eum truncum in suo sanguine volutatum: decidet super eos timor. [5] Cumque cognoueritis fugere eos ite post illos securi: quoniam dominus conteret eos sub pedibus vestris. [6] Tunc achior videns virtutem quam fecit deus israhel relicto gentilitatis ritu credidit deo· et circuncidit carnem prepucij sui· et appositus est ad populum israhel: et omnis successio generis eius· vsque in hodiernum diem. [7] Mox autem vt ortus est dies· suspenderunt super muros caput holofernis: accepitque vnusquisque vir arma sua: et egressi sunt cum grandi strepitu et vlulatu. [8] Quod videntes exploratores· ad tabernaculum cucurrerunt. [9] Porro hij qui in tabernaculo erant venientes et ante ingressum cubiculi perstrepentes· excitandi gratia inquietudinem arte moliebantur: vt non ab excitantibus sed a sonantibus holofernes euigilaret. [10] Nullus enim audebat cubiculum virtutis assiriorum pulsando aut intrando aperire. [11] Sed cum venissent eius duces ac tribuni et vniuersi maiores exercitus assiriorum: dixerunt cubicularijs. [12] Intrate et excitate illum: quoniam egressi mures de cauernis suis ausi sunt prouocare nos ad prelium. [13] Tunc ingressus vagao cubiculum eius stetit ante cortinam· et plausum fecit manibus suis: suspicabatur enim illum cum iudith dormire. [14] Sed cum nullum motum iacentis sensu aurium caperet· accessit proximans ad cortinam: et eleuans eam vidit cadauer absque capite holofernis in suo sanguine tabefactum iacere super terram· exclamauit voce magna cum fletu· et scidit vestimenta sua. [15] Et ingressus tabernaculum iudith non inuenit eam. Et exiliuit foras ad populum· [16] et dixit. Vna mulier hebrea fecit confusionem in domo regis nabuchodonosor. Ecce enim holofernes iacet in terra· et caput eius non est in illo. [17] Quod dum audissent principes virtutis assiriorum· sciderunt omnes vestimenta sua: et intollerabilis timor et tremor cecidit super eos: et turbati sunt animi eorum valde. [18] Et factus est clamor in comparabilis in medio castrorum eorum.

15 Cunque exercitus decollatum holofernem audisset· fugit mens et consilium ab eis: et solo tremore et metu agitati fuge presidium sumunt: [2] ita vt nullus loqueretur cum proximo suo· sed inclinato capite relictis omnibus euadere festinabant hebreos· quos armatos super se venire audierant: fugientes per vias camporum et semitas collium. [3] Videntes itaque filij israhel fugientes secuti sunt illos· descenderuntque clangentes tubis et vlulantes post ipsos. [4] Et quoniam assirij non adunati in fugam ibant precipites: filij autem israhel vno agmine persequentes· debilitabant omnes quos inuenire potuissent. [5] Misitque ozias nuncios per omnes ciuitates et regiones israhel. [6] Omnis itaque regio· omnisque vrbs electam iuuentutem armatam misit post eos: et persecuti sunt eos in ore gladij quousque peruenirent ad extremitatem finium suorum. [7] Reliqui autem qui erant in bethulia· ingressi sunt castra assiriorum: et predam quam fugientes assirij reliquerant abstulerunt· et onustati sunt valde. [8] Hij vero qui victores reuersi sunt ad bethuliam· omnia queque erant illorum abstulerunt secum: ita vt non esset numerus in pecoribus in iumentis et vniuersis mobilibus eorum: vt a minimo vsque ad magnum omnes diuites fierent de predationibus eorum. [9] Ioachim autem summus pontifex de iherusalem venit in bethuliam cum vniuersis presbiteris suis. vt videret iudith. [10] Que cum exisset ad illum· benedixerunt illam omnes vna voce dicentes. Tu gloria iherusalem· tu leticia israhel· tu honorificentia populi nostri: [11] quia fecisti viriliter et confortatum

est cor tuum eo quod castitatem amaueris· et post virum tuum alterum nescieris: ideo et manus domini confortauit te· et ideo eris benedicta ineternum. [12] Et dixit omnis populus fiat fiat. [13] Per dies autem triginta vix collecta sunt spolia assiriorum a populo israhel. [14] Porro autem vniuersa que holofernis peculiaria fuisse probata sunt· dederunt iudith in auro et argento et vestibus et gemmis et omni suppellectili: et tradita sunt omnia illi a populo. [15] Et omnes populi gaudebant cum mulieribus et virginibus et iuuenibus· in organis et cytharis.

16 Tunc cantauit canticum hoc domino iudith dicens. [2] Incipite domino in tympanis· cantate domino in cymbalis: modulamini illi psalmum nouum exultate et inuocate nomen eius. [3] Dominus conterens bella· dominus nomen est illi: [4] qui posuit castra sua in medio populi sui· vt eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum. [5] Venit assur ex montibus ab aquilone in multitudine fortitudinis sue: cuius multitudo obturauit torrentes et equi eorum cooperuerunt valles. [6] Dixit se incensurum fines meos· et iuuenes meos occisurum gladio: infantes meos dare in predam· et virgines in captiuitatem. [7] Dominus autem omnipotens nocuit eum· et tradidit eum in manus femine: et confudit eum. [8] Non enim cecidit potens eorum a iuuenibus· nec filij tytan percusserunt eum nec excelsi gigantes imposuerunt se illi: sed iudith filia merari in specie faciei sue dissoluit eum. [9] Exuit enim se vestimenta viduitatis: et induit se vestimenta leticie in exultatione filiorum israhel. [10] Vnxit faciem suam vngento· colligauit cincinnos suos mitra ad decipiendum illum. [11] Sandalia eius rapuerunt oculos eius: pulcritudo eius captiuam fecit animam eius: amputauit pugione ceruicem eius. [12] Horruerunt perse constantiam eius· et medi audaciam eius. [13] Tunc vlulauerunt castra assiriorum quando apparuerunt humiles mei· arescentes in siti. [14] Filij puellarum compunxerunt eos· et sicut pueros fugientes occiderunt eos: perierunt in prelio a facie domini dei mei· [15] ymnum cantemus domino: ymnum nouum cantemus deo nostro. [16] Adonai domine magnus es tu et preclarus in virtute· et quem superare nemo potest. [17] Tibi seruiat omnis creatura tua· quia dixisti et facta sunt· misisti spiritum tuum et creata sunt: et non est qui resistat voci tue. [18] Montes a fundamentis mouebuntur cum aquis: petre sicut cera liquescent ante faciem tuam. [19] Qui autem timent te magni erunt apud te per omnia. [20] Ve genti in surgenti super genus meum. Dominus enim omnipotens vindicauit in eis: in die iudicij visitabit illos. [21] Dabit enim ignem et vermes in carnes eorum: vt vrantur et sentiant vsque in sempiternum. [22] Et factum est post hec· omnis populus post victoriam venit in iherusalem adorare dominum: et mox vt purificati sunt obtulerunt omnes olocausta. et vota et repromissiones suas. [23] Porro iudith vniuersa vasa bellica holofernis que dedit illi populus· et canopeum quod ipsa sustulerat posuit in anathema obliuionis. [24] Erat autem populus iocundus secundum faciem sanctorum: et per tres menses gaudium huius victorie celebratum est cum iudith. [25] Post dies autem illos vnusquisque redijt in sua· et iudith magnificata est in bethulia: et preclarior erat vniuerse terre israhel. [26] Erat etiam virtuti castitatis adiuncta: ita vt non cognosceret virum omnibus diebus vite sue· ex quo defunctus est manasses vir eius. [27] Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria. [28] Mansit autem in domo viri sui annos centumquinque et dimisit abram suam liberam· et defuncta est ac sepulta cum viro suo in bethulia· [29] luxitque illam omnis populus diebus septem. [30] In omni autem spatio vite eius non fuit qui perturbaret israhel· et post mortem eius annis multis. [31] Dies autem victorie huius festiuitatis· ab hebreis in numero sanctorum dierum accipitur: et colitur a iudeis ex illo tempore vsque in presentem diem. ibrum hester variis translatoribus constat esse viriatum: quem ego de archiuis

Incipit prologus in librum hester.

Librum hester varijs translatoribus constat esse vitiatum: quem ego de archiuis hebreorum releuans verbum e verbo expressius transtuli. Quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit· addens ea que ex tempore dici poterant· et audiri: sicud solitum est scolaribus disciplinis sumpto excogitare· quibus verbis vti potuit qui iniuriam passus est· vel ille qui iniuriam fecit. Vos autem o paula et eustochium quoniam et bibliothecas hebreorum studuistis intrare· et interpretum certamina comprobastis· tenentes hester hebraicum librum per singula verba nostram translationem aspicite: vt possitis agnoscere me nichil etiam augmentasse addendo: sed fideli testimonio simpliciter sicud in hebreo habetur· historiam hebraicam latine lingue tradidisse. Nec affectamus laudes hominum nec vituperationes expauescimus: deo enim placere curantes minas hominum penitus non timemus: quoniam deus dissipat ossa eorum qui hominibus placere desiderant: et secundum apostolum qui eiusmodi sunt serui cristi esse non possunt. Rursum in libro hester alphabetum ex minio vsque ad theta litteram fecimus diuersis in locis: volentes scilicet septuaginta interpretum ordinem per hec insinuare studioso lectori. Nos enim iuxta morem hebraicum ordinem prosequi etiam in septuaginta editione maluimus.

Hester

Incipit liber hester.

1 In diebus assueri qui regnauit ab india vsque ethiopiam super centumuigintiseptem prouincias: [2] quando sedit in solio regni sui· susa ciuitas regni eius exordiSum fuit. [3] Tercio igitur anno imperij sui fecerat grande conuiuium cunctis principibus· et pueris suis fortissimis persarum et medorum inclitis et prefectis prouinciarum coram se: [4] vt ostenderet diuicias glorie regni sui ac magnitudinem· atque iactantiam potentie sue multo tempore: centum videlicet et octoginta diebus. [5] Cumque implerentur dies conuiuij· inuitauit omnem populum qui inuentus est in susis a maximo vsque ad minimum: et iussit septem diebus conuiuium preparari in vestibulo orti et nemoris· quod regio cultu et manu consitum erat. [6] Et pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris et carbasini ac iacinctini· sustentata funibus bissinis atque purpureis: qui eburneis circulis inserti erant et columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei et argentei· super pauimentum smaragdino et pario stratum lapide dispositi erant· quod mira varietate pictura decorabat. [7] Bibebant autem qui inuitati erant· aureis poculis: et alijs atque alijs vasis cibi inferebantur. Vinum quoque vt magnificentia regia dignum erat habundans et precipuum ponebatur: [8] nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum: sed sic rex statuerat preponens mensis singulos de principibus suis: vt sumeret vnusquisque quod vellet. [9] Vasthi quoque regina fecit conuiuium feminarum in palatio vbi rex assuerus manere consueuerat. [10] Itaque die septimo cum rex esset hilarior et post nimiam potionem incaluisset mero· precepit mauman et bazatha et arbona et bagatha et abgatha et zarath et carchas septem eunuchis qui in conspectu eius ministrabant· [11] vt introducerent vasthi reginam coram rege· posito super caput eius diademate: vt ostenderet cunctis populis et principibus eius pulcritudinem. Erat enim pulcra valde. [12] Que renuit et ad

regis imperium quod per eunuchos mandauerat venire contempsit. Vnde iratus rex et nimio furore succensus· [13] interrogauit sapientes qui ex more regio semper ei adherebant et illorum faciebat cuncta consilio· scientium leges ac iura maiorum: [14] erant autem primi et proximi charsena et zethar et admatha et tharsis et mares et marsana et mamucha septem duces persarum atque medorum· qui videbant faciem regis et primi post eum residere soliti erant: [15] cui sentencie vasthi regina subiaceret que assueri regis imperium quod per eunuchos mandauerat· facere noluisset. [16] Responditque mamucha audiente rege atque principibus. Non solum regem lesit regina vasthi· sed omnes populos et principes qui sunt in cunctis prouincijs regis assueri. [17] Egredietur enim sermo regine ad omnes mulieres vt contemnant viros suos et dicant. Rex assuerus iussit vt regina vasthi intraret ad eum· et illa noluit: [18] atque hoc exemplo omnes principum coniuges persarum atque medorum paruipendent imperia maritorum. Vnde regis iusta est indignatio. [19] Si tibi placet egrediatur edictum a facie tua· et scribatur iuxta legem persarum atque medorum quam preteriri illicitum est: vt nequaquam vltra vasthi ingrediatur ad regem· sed regnum illius altera que melior est illa accipiat. [20] Et hoc in omne quod latissimum est prouinciarum tuarum diuulgetur imperium: et cuncte vxores tam maiorum quam minorum deferant maritis suis honorem. [21] Placuit consilium eius regi et principibus: fecitque iuxta consilium mamucha [22] et misit epistolas ad vniuersas prouincias regni sui: vt queque gens audire et legere poterat diuersis linguis et litteris· esse viros principes ac maiores in domibus suis: et hoc per cunctos populos diuulgari.

2 Hijs ita gestis postquam regis assueri indignatio deferbuerat· recordata est vasthi que fecisset vel que passa esset· [2] dixeruntque pueri regis ac ministri eius. Querantur regi puelle virgines ac speciose· [3] et mittantur qui considerant per vniuersas prouincias puellas speciosas et virgines: et adducant eas ciuitatem susan· et tradant in domum feminarum sub manu egei eunuchi qui est prepositus et custos mulierum regiarum: et accipiant mundum muliebrem et cetera ad vsus necessaria. [4] Et quecumque inter omnes oculis regis placuerit· ipsa regnet pro vasthi. Placuit sermo regi: et ita vt suggesserant iussit fieri. [5] Erat vir iudeus in susis ciuitate vocabulo mardocheus filius iair filij semei· filij cis· de stirpe iemini· [6] qui translatus fuerat de iherusalem· eo tempore quo iechoniam regem iuda nabuchodonosor rex babilonis transtulerat: [7] qui fuit nutricius filie fratris sui edisse que altero nomine vocabatur hester· et vtrumque parentem amiserat· pulcra nimis et decora facie. Mortuisque patre eius ac matre· mardocheus sibi eam adoptauit in filiam. [8] Cunque percrebruisset regis imperium· et iuxta mandatum illius multe pulcre virgines adducerentur susan· et egeo traderentur eunucho: hester quoque inter ceteras puellas ei tradita est vt seruaretur in numero feminarum. [9] Que placuit ei et inuenit gratiam in conspectu illius. Et precepit eunucho vt acceleraret mundum muliebrem et traderet ei partes suas· et septem puellas speciosissimas de domo regis: et tam ipsam quam pedissequas eius ornaret atque excoleret. [10] Que noluit indicare ei populum et patriam suam Mardocheus enim preceperat ei vt de hac re omnino reticeret: [11] qui deambulabat cottidie ante vestibulum domus in qua electe virgines seruabantur: curam agens salutis hester· et scire volens quid ei accideret. [12] Cum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum vt intrarent ad regem· expletis omnibus que ad cultum muliebrem pertinebant mensis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat vt sex oleo vngerentur mirtino· et alijs sex quibusdam pigmentis et aromatibus vterentur. [13] Ingredientesque ad regem· quicquid postulassent ad ornatum pertinens accipiebant et vt eis placuerat: composite de triclinio feminarum ad regis cubiculum transiebat. [14] Et que intrauerat vespere egrediebatur mane: atque inde in secundas edes deducetantur que sub manu sasagazi eunuchi erant· qui concubinis regis presidebat: nec habebat potestatem ad regem vltra redeundi nisi voluisset rex· et eam venire iussisset ex nomine. [15] Euoluto autem tempore per ordinem: instabat dies quo hester filia abiahil fratris mardochei· quam sibi adoptauerat in filiam· deberet intra re ad regem. Que non quesiuit muliebrem cultum: sed quecumque voluit egeus eunuchus custos virginum· hec ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde et incredibili pulcritudine: omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur. [16] Ducta est itaque ad cubiculum regis assueri mense decimo qui vocatur thebeth· septimo anno regni eius: [17] et adamauit eam rex plusquam omnes mulieres: habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres: et posuit diadema regni in capite eius: fecitque eam regnare in loco vasthi. [18] Et iussit conuiuium preparari permagnificum cunctis principibus et seruis suis· pro coniunctione et nuptijs hester. Et dedit requiem vniuersis prouincijs: ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem. [19] Cunque et secundo quererentur virgines· et congregarentur· mardocheus manebat ad ianuam regis: [20] necdumque prodiderat hester patriam et populum suum· iuxta mandatum eius. Quicquid enim ille precipiebat obseruabat hester: et ita cuncta faciebat vt eo tempore solita erat quo eam paruulam nutriebat. [21] Eo igitur tempore quo mardocheus ad regis ianuam morabatur· irati sunt bagathan et thares duo eunuchi regis· qui ianitores erant et in primo palatij limine residebant: voluerunt que insurgere in regem et occidere eum. [22] Quod mardocheum non latuit. Statimque nunciauit regine hester: et illa regi ex nomine mardochei qui ad se rem detulerat. [23] Quesitum est et inuentum: et appensus est vterque eorum in patibulo. Et iussit rex vt in libro memoriali scriberetur: vt pro vita sua aliquid repensaret ei. Mandatumque est historijs et annalibus traditum coram rege.

3 Post hec rex assuerus exaltauit aman filium amadathi qui erat de stirpe agag: et posuit solium eius super omnes principes quos habebat. [2] Cunctique serui regis qui in foribus palatij versabantur flectebant genua· et adorabant aman. Sic enim preceperat eis imperator. Solus mardocheus non flectebat genu· neque adorabat eum. [3] Cui dixerunt pueri regis qui ad fores palatij residebant. Cur preter ceteros non obseruas mandatum regis? [4] Cunque hoc crebrius dicerent· et ille nollet audire: nunciauerunt aman scire cupientes vtrum perseueraret in sententia: dixerat enim eis se esse iudeum. [5] Quod cum audisset aman· et experimento probasset quod mardocheus non sibi flecteret genu nec se adoraret· iratus est valde: [6] et pro nichilo duxit in vnum mardocheum mittere manus suas: audierat enim quod esset gentis iudee: magisque voluit omnem iudeorum qui erant in regno assueri perdere nationem. [7] Mense primo cuius vocabulum est nisan· anno duodecimo regni assueri· missa est sors in vrnam que hebraice dicitur phur coram aman· quo die et quo mense gens iudeorum deberet interfici: et exiuit mensis duodecimus qui vocatur adar. [8] Dixitque aman regi assuero. Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus et a se mutuo separatus· nouis vtens legibus et cerimonijs· insuper et regis scita contemnens: et optime nosti quod non expediat regno tuo vt insolescat per licentiam. [9] Si tibi placet decerne vt pereat: et decem milia talentorum appendam archarijs gaze tue. [10] Tulit ergo rex anulum quo vtebatur de manu sua· et dedit eum aman filio amadati de progenie agag hosti iudeorum: [11] dixitque ad eum. Ar quod tu polliceris tuum sit: de populo age quod tibi placet. [12] Vocatique sunt scribe regis mense primo nisan terciadecima die eiusdem mensis: et scritum ptum prum est vt iusserat aman ad omnes satrapas regis· et iudices prouinciarum diuersarumque gentium· vt queque gens legere poterat et audire· pro varietate linguarum ex nomine regis assueri: et littere signate ipsius anulo [13] misse sunt per cursores regis ad vniuersas prouincias. vt occiderent atque delerent omnes iudeos a puero vsque ad senem paruulos et mulieres· vno die hoc est terciodecimo mensis duodecimi qui vocatur adar: et bona eorum diriperent. [14] Summa autem epistolarum hec fuit: vt omnes prouincie scirent et pararent se ad predictam diem. [15] Festinabant cursores qui missi erant regis imperium explere. Statimque in susis pependit edictum regis: et aman celebrante conuiuium· et cunctis iudeis qui erant in vrbe flentibus. cum

4 Que cum audisset mardocheus scidit vestimenta sua: et indutus est ro· spargens cinerem capiti: et in platea vestimenta sua: et indutus est sac medie ciuitatis voce magna clamabat tat ostendens amaritudinem animi sui: [2] et hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiens. Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. [3] In omnibus quoque prouincijs oppidis ac locis ad

que crudele regis dogma peruenerat· planctus ingens erat apud iudeos· ieiunium· vlulatus· et fletus· sacco et cinere multis pro stratu vtentibus. [4] Ingressi autem sunt puelle hester et eunuchi: nunciaueruntque ei. Quod audiens consternata est: et vestem misit vt ablato sacco induerent eam. Quam accipere noluit. [5] Accitoque atach eunucho quem rex ministrum ei dederat: precepit vt iret ad mardocheum et disceret ab eo cur hoc faceret. [6] Egressusque atach iuit ad mardocheum: et inuenit eum stantem in platea ciuitatis ante ostium palatij. [7] Qui indicauit ei omnia que acciderant· quomodo aman promisisset vt in thesauros regis pro iudeorum nece inferret argentum: [8] exemplarque edicti quod pendebat in susis dedit ei vt regine ostenderet: et moneret eam vt intraret ad regem· et deprecaretur eum pro populo suo. [9] Regressus atach nunciauit hester omnia que mardocheus dixerat. [10] Que respondit ei: et iussit vt diceret mardocheo. [11] Omnes serui regis et cuncte que sub ditione eius sunt norunt prouincie· quod siue vir siue mulier non vocatus interius atrium regis intrauerit· absque vlla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit· pro signo clementie· atque ita possit viuere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero: triginta iam diebus non sum vocata ad eum? [12] Quod cum audisset mardocheus [13] rursum mandauit hester dicens. Ne putes quod animam tuam tantum liberes: quia in domo regis es pre cunctis iudeis. [14] Si enim nunc sic silueris per aliam occasionem liberabuntur iudei: et tu et domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris: vt in tali tempore parareris: [15] Rursumque hester hec mardocheo verba mandauit. [16] Vade et congrega omnes iudeos quos in susis repereris: et orate pro me. Non comedetis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus· et ego cum ancillulis meis similiter ieiunabo: et tunc ingrediar ad regem contra legem faciens non vocata· tradensque me morti et periculo. [17] Iuit itaque mardocheus et fecit omnia que hester preceperat.

5 Die autem tercio induta est hester regalibus vestimentis: et stetit in atrio domus regie quod erat interius contra basilicam regis. Et ille sedebat super solium suum in consistorio palatij contra ostium domus. [2] Cunque vidisset hester reginam stantem placuit oculis eius: et extendit contra eam virgam auream quam tenebat manu. Que accedens osculata est summitatem virge eius: [3] dixitque ad eam rex. Quid vis hester regina? Que est petitio tua? Etiam si dimidiam partem regni petieris dabitur tibi. [4] At illa respondit. Si regi placet obsecro vt venias ad me hodie et aman tecum ad conuiuium quod paraui. [5] Statim que rex· vocate inquit cito aman vt hester obediat voluntati. Venerunt itaque rex et aman ad conuiuium quod eis regina parauerat. [6] Dixitque ei rex postquam vinum biberat habundanter. Quid petis vt detur tibi et pro qua re postulas? Etiam si dimidiam partem regni mei petieris impetrabis. [7] Cui respondit hester. Petitio mea et preces sunt iste [8] Si inueni in conspectu regis gratiam· et si regi placet vt det michi quod postulo et meam impleat petitionem: veniat rex et aman ad conuiuium quod paraui eis: et cras aperiam regi voluntatem meam. [9] Egressus est itaque illo die amam letus et alacer. Cumque vidisset mardocheum sedentem ante fores palatij· et non solum non assurrexisse sibi sed nec motum quidem de loco sessionis sue· indignatus est valde: [10] et dissimulata ira reuersus in domum suam conuocauit ad se amicos suos et zares vxorem suam: [11] et exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum filiorumque turbam: et quanta eum gloria super omnes principes et seruos suos rex eleuasset. [12] Et post hec ait. Regina quoque hester nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege preter me: apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. [13] Et cum hec omnia habeam nichil me habere puto quam diu videro mardocheum iudeum sedentem ante fores regias. [14] Responderuntque ei zares vxor eius· et ceteri amici. Iube parari excelsam trabem habentem altitudinis quinquaginta cubitos: et dic mane regi vt appendatur super eam mardocheus: et sic ibis cum rege letus ad conuiuium. Placuit ei consilium: et iussit excelsam pparari crucem.

6 Noctem illam duxit rex in somnem: iussitque sibi afferri historias et annales priorum temporum. Que cum illo presente legerentur: [2] ventum est ad illum locum vbi scriptum erat quomodo nunciasset mardocheus insidias bagatham et thares eunuchorum· regem assuerum iugulare cupientium. [3] Quod cum audisset rex ait. Quid pro hac fide honoris ac premij mardocheus consecutus est? Dixerunt ei serui illius ac ministri. Nichil omnino mercedis accepit. [4] Statimque rex· quis est inquit in atrio? Aman quippe interius atrium domus regie intrauerat· vt suggereret regi et iuberet eum affigi patibulo quod ei fuerat preparatum. Responderunt pueri. Aman stat in atrio. Dixitque rex. Ingrediatur. Cumque esset ingressus ait illi. Quid debet fieri viro quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo aman et reputans quod nullum alium rex nisi se vellet honorare· respondit homo quem rex honorare cupit debet indui vestibus regijs et imponi super equum qui de sella regis est· et accipere regium diadema sup caput suum: et primus de regijs principibus ac tirannis teneat equum eius: et per plateam ciuitatis incedens clamet et dicat. Sic honorabitur quemcun quencunaman. mardocheum [5] in atrio. [6] viro Cogitans reputans honorare [7] honorare [8] regijs super caput suum: [9] et que rex voluerit honorare. [10] Dixitque ei rex· festina et sumpta stola et equo fac vt locutus es mardocheo iudeo qui sedet ante fores palatij. Caue ne quicquam de hijs que locutus es pretermittas. [11] Tulit itaque aman stolam et equum: indutum mardocheum in platea ciuitatis· et impositum equo precedebat atque clamabat. Hoc honore condignus est quencunque rex voluerit honorare. [12] Reuersusque est mardocheus ad ianuam palatij: et aman festinauit ire in domum suam lugens· et operto capite: [13] narrauitque zares vxori sue et amicis omnia que euenissent sibi. Cui responderunt sapientes quos habebat in consilio et vxor eius. Si de semine iudeorum est mardocheus ante quem cadere cepisti· non ei poteris resistere: sed cades in conspectu eius. [14] Adhuc illis loquentibus venerunt eunuchi regis: et cito eum ad conuiuium quod regina parauerat pergere compulerunt.

7 Intrauit itaque rex et aman vt biberent cum regina. [2] Dixitque ei rex etiam secunda die postquam vino incaluerat. Que est petitio tua hester vt detur tibi: et quid vis fieri? Etiam si dimidiam partem regni mei peeris impetrabis. [3] Ad quem illa respondit. Si inueni gratiam in oculis tuis o rex et si tibi placet: dona michi animam meam pro qua rogo· et populum meum pro quo obsecro. [4] Traditi enim sumus hec audeat populus meus vt facere? et pereamus. Dixitque vtinam in seruos et famulas venderemur esset tolerabi malum et gemens cuius crudelitas redundat in hester. [5] Ho rex assuerus ait. Quis est iste et cuius potentie· vt hec facere? [6] Dixitque hester. stis et inimicus noster pessimus iste est aman. Quod ille audiens ilico obstuobstupuit vultum regis et regine ferre non sustinens. [7] Rex autem surrexit iratus: et de loco conuiuij intrauit in ortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit vt rogaret hester reginam pro anima sua: intellexit enim a rege paratum sibi malum. [8] Qui cum reuersus esset de orto nemoribus consito· et intrasset conuiuij locum: repperit aman super lectum corruisse in quo iacebat hester· et ait. Etiam reginam vult opprimere me presente in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat: et statim operuerunt faciem eius. [9] Dixitque arbona vnus de eunuchis qui stabant in ministerio regis. En lignum quod parauerat mardocheo qui locutus est pro rege. stat in domo aman· habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex. Appendite eum in eo. [10] Suspensus est itaque aman in patibulo quod parauerat mardocheo: et regis ira requieuit.

8 Die illo dedit rex assuerus hester regine domum aman aduersarij iudeorum: et mardocheus ingressus est anei he te faciem regis. Confessa est enim ei hester· quod esset patruus suus. [2] Tulitque rex anulum quem ab aman recipi iusserat· et tradidit mardocheo. Hester autem constituit mardocheum super domum suam. [3] Nec hijs contenta procidit ad pedes regis: fleuitque et locuta ad eum orauit vt maliciam aman agagite et machinationes eius pessimas quas excogitauerat contra iudeos· iuberet irritas fieri. [4] At ille ex more sceptrum aureum pretendit manu quo signum clementie monstrabatur. Illaque consurgens stetit ante eum· [5] et ait. Si placet regi et si inueni gratiam in oculis eius et deprecatio mea non ei videtur esse contraria: obsecro vt nouis epistolis veteres aman littere insidiatoris et hostis iudeorum· quibus eos in

cunctis regis prouincijs perire preceperat corrigantur. [6] Quomodo enim potero sustinere necem et interfectionem populi mei? [7] Responditque rex assuerus hester regine et mardocheo iudeo. Domum aman concessi hester et ipsum iussi affigi cruci: quia ausus est manum mittere in iudeos. [8] Scribite ergo iudeis sicut vobis placet ex regis nomine: signantes litteras anulo meo. Hec enim consuetudo erat· vt epistolis que ex regis nomine mittebantur et illius anulo signate erant nemo auderet contradicere. [9] Accitisque scribis et librarijs regis· erat autem tempus tercij mensis qui appellatur siban: vicesima et tercia illius die scripte sunt epistole vt mardocheus voluerat ad iudeos et ad principes· procuratoresque et iudices· qui centumuigintiseptem prouincijs ab india vsque ethiopiam presidebant: prouincie atque prouincie· populo et populo· iuxta linguas et litteras suas: et iudeis prout legere poterant et audire. [10] Ipse que epistole que ex regis nomine mittebantur· anulo illius obsignate sunt et misse per veredarios: qui per omnes prouiucias discurrentes· veteres litteras nouis nuncijs preuenirent. [11] Quibus imperauit rex· vt conuenirent iudeos per singulas ciuitates· et in vnum preciperent congregari· vt starent pro animabus suis: et omnes inimicos suos cum coniugibus ac liberis· et vniuersis domibus interficerent atque delerent. Et [12] constituta est per omnes prouincias vna vltionis dies· id est terciadecima die mensis duodecimi adar. [13] Summaque epistole fuit vt in omnibus terris ac populis qui regis assueri subiacebant imperio: notum fieret paratos esse iudeos ad rapiendam vindictam de hostibus suis. [14] Egressique sunt veredarij celeres nuncios perferentes: et edictum regis pependit in susis. [15] Mardocheus autem de palatio et de conspectu regis egrediens fulgebat vestibus regijs iacindinis videlicet et aerinis: coronam auream portans capite· et amictus serico pallio atque purpureo. Omnisque ciuitas exultauit atque letata est. [16] Iudeis autem noua lux oriri visa est: gaudium· honor· et tripudium. [17] Apud omnes populos vrbes atque prouincias quocunque regis precepta veniebant· mira exultatio epule atque conuiuia et festus dies: intantum vt alterius plures gentis et secte eorum religioni et cerimonijs iungerentur. Grandis enim cunctos indaici nominis terror inuaserat.

9 Igitur duodecimi mensis quem adar vocari ante iam diximus· terciadecima die quando cunctis iudeis interfectio parabatur et hostes eorum inhiabant sanguini versa vice iudei superiores esse reperunt· et se de aduersarijs vindicare. [2] Congregatique sunt per singulas ciuitates· et oppida et loca· vt extenderent manum contra inimicos et persecutores suos. Nullusque ausus est resistere eo quod manum contra inimicos et persecutores suos. omnes populos magnitudinis eorum formido penetraret. [3] Nam et prouinciarum iudices duces et procuratores· omnisque dignitas que singulis locis et operibus preerat· extollebant iudeos timore mardochei: [4] quem principem esse palatij et plurimum posse cognouerant. Fama que nominis eius crescebat quotidie: et per cunctorum ora volitabat. [5] Itaque percusserunt iudei inimicos suos plaga magna et occiderunt eos· reddentes eis quod sibi parauerant facere: [6] intantum vt etiam in susis quingentos viros interficerent· extra decem filios aman a hostis iudeorum. Quorum ista sunt nomina: [7] pharsandathan et delphon et esphata [8] et phorata et adalia et aridatha [9] et ephermescha arisai et aridai et vaisatha. [10] Quos cum occidissent predas de substantijs eorum tangere noluerunt. [11] Statimque numerus eorum qui occisi erant in susis ad regem relatus est. [12] Qui dixit regine. In vrbe susis interfecerunt iudei quingentos viros· et alios decem filios aman: quantam putas eos exercere cedem in vniuersis prouincijs? Quid vltra postulas: et quid vis vt fieri iubeam? [13] Cui illa respondit. Si regi placet detur potestas iudeis· vt sicut fecerunt hodie in susis sic et cras faciant: et decem filij aman in patibulis suspendantur. [14] Precepit rex nt ita fieret. Statimque in susis pependit edictum: et decem filij aman suspensi sunt. [15] Congregatis iudeis quartadecima die mensis adar interfecti sunt in susis trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est: [16] sed et per omnes prouincias· que ditioni regis subiacebant pro animabus suis steterunt iudei· interfectis hostibus ac persecutoribus suis: intantum vt septuagintaquinque milia occisorum implerentur· et nullus de sustantijs eorum quicquam contingeret. [17] Dies autem terciusdecimus mensis adar vnus apud omnes interfectionis fuit: et quartadecima die cedere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem: vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis gaudio atque conuiuijs. [18] At hij qui in vrbe susis cedem exercuerant terciodecimo et quartodecimo die eiusdem mensis in cede versati sunt: decimoquinto autem die percutere desierunt. Et idcirco eundem diem constituerunt solemnem epularum atque leticie. [19] Hij vero iudei qui in oppidis non muratis ac villis morabantur· quartumdecimum diem mensis adar conuiuiorum et gaudij decreuerunt: ita vt exultent in eo et mittant sibi mutuo partes epularum et ciborum. [20] Scripsit itaque mardocheus omnia hec· et litteris comprehensa misit ad iudeos qui in omnibus regis prouincijs morabantur: tam in vicino positis quam procul: [21] vt quartamdecimam et quintamdecimam diem mensis adar pro festis susciperent· et reuertente semper anno solemni honore celebrarent: [22] quia in ipsis diebus se vlti sunt iudei de inimicis suis· et luctus atque tristicia in hilaritatem gaudiumque conuersi sunt: essentque dies isti epistolarum atque leticie· et mitterent sibi inuicem ciborum partes: et pauperibus munuscula largirentur. [23] Susceperuntque iudei in solemnem ritum cuncta que eo tempore facere ceperant: et que mardocheus litteris facienda mandauerat. [24] Aman enim filius amadati stirpis agag hostis et aduersarius iudeorum cogitauit contra eos malum· vt occideret illos atque deleret: et misit phur quod nostra lingua vertitur in sortem: [25] et postea ingressa est hester ad regem obsecrans vt conatus eius litteris regis irriti fierent: et malum quod contra iudeos cogitauerat reuerteretur in caput eius. Denique et ipsum et filios eius affixerunt cruci: [26] atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim id est sortium: eo quod phur id est sors in vrnam missa fuerit. Et cuncta que gesta sunt epistole id est libri huius volumine continentur: [27] queque sustinuerint et que deinceps in mutata sint· susceperunt iudei se et semen suum· et super cunctos qui religioni eorum voluerint copulari: vt nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere quos scriptura testatur: et cetera expetunt tempora annis sibi iugiter succedentibus. [28] Isti sunt dies quos nulla vnquam deleuit obliuio· et per singulas generationes cuncte in toto orbe prouincie celebrabunt: nec est vlla ciuitas in qua dies phurim id est sortium non obseruentur a iudeis· et ab eorum progenie que hijs cerimonijs obligata est. [29] Scripseruntque hester regina filia abiahil et mardocheus iudeus etiam secundam epistolam· vt omni studio dies ista solemnis sanxiretur in posterum. [30] Et miserunt ad omnes iudeos qui in centumuigintiseptem prouincijs regis assueri versabantur· vt haberent pacem et susciperent veritatem· [31] obseruantes dies sortium: et suo tempore cum gaudio celebrarent· sicut constituerat mardocheus et hester. Et illi obseruanda susceperunt a se et a semine suo ieiunia· atque clamores et sortium dies: [32] et omnia que libri huius qui vocatur hester historia continentur.

10 vero assuerus omnem terram et cunctas maris insulas fecit tributarias: [2] cuius fortitudo et imperium et dignitas atque sublimitas qua exaltauit mardocheum scripta sunt in libris medorum atque persarum: [3] et quomodo mardocheus iudaici generis secundus a rege assuero fuerit et magnus apud iudeos· et acceptabilis plebi fratrum suorum· querens bona populo suo· et loquens ea que ad pacem seminis sui pertinerent. Que habentur in hebreo plena fide expressi: hec autem que secuntur scripta repperi in editione vulgata que grecorum lingua et litteris continentur: et interim post finem libri hoc capitulum ferebatur· quod iuxta consuetudinem nostram obelo id est veru prenotauimus. [4] Dixitque mardocheus. A deo facta sunt ista. [5] Recordatus sum somnij quod videram hec eadem significantis: nec eorum quicquam irritum fuit. [6] Paruus fons qui creuit in fluuium et in lucem solemque conuersus est· et in aquas plurimas redundauit· hester est: quam rex accepit vxorem et voluit esse reginam. [7] Duo autem dracones ego sum et aman. [8] Gentes que conuenerant· hij sunt qui conati sunt delere nomen iudeorum. [9] Gens autem mea israhel est que clamauit ad dominum: et saluum fecit dominus populum suum· liberauitque nos ab omnibus malis· et fecit signa magna atque portenta inter gentes: [10] et duas sortes esse precepit· vnam populi dei et alteram cunctarum gentium. [11] Venitque vtraque sors in statutum ex illo

iam tempore coram deo vniuersis gentibus: [12] et recordatus est dominus populi sui· ac misertus hereditatis sue. [13] Et obseruabuntur dies isti in mense adar quartadecima et quintadecima die eiusdem mensis· cum omni studio et gaudio in vnum cetum populi congregati in cunctas deinceps generationes populi israhel.

11 quarto regnantibus ptolomeo et cleopatra· attulerunt dositheus qui se sacerdotem et leuitici generis ferebat· et ptolomeus filius eius hanc epistolam phurim: quam dixerunt interpretatum esse lisimachum ptolomei filium in iherusalem. Hoc quoque principium erat in editione vulgata: quod nec in hebreo nec apud vllum fertur interpretum. [2] Anno secundo regnante artarxerxe maximo· prima die mensis nisan: vidit somnium· mardocheus filius iaheri filij semei· filij cis de tribu beniamin· [3] homo iudeus qui habitabat in vrbe susis: vir magnus· et inter primos aule regie. [4] Erat autem de eo numero captiuorum quos transtulerat nabuchodonosor rex babilonis de iherusalem cum ieconia rege iuda: [5] et hoc eius somnium fuit. Apparuerunt voces et tumultus· tonitrua et terre motus et conturbatio super terram: [6] et ecce duo dracones magni paratique contra se in prelium: [7] ad quorum clamorem cuncte concitate sunt nationes. vt pugnarent contra gentem iustorum. [8] Fuitque dies illa tenebrarum et discriminis· tribulationis et angustie· et ingens formido super terram. [9] Conturbataque est gens iustorum timentium mala sua et preparata ad mortem. [10] Clamaueruntque ad deum: et illis vociferantibus fons paruus creuit in fluuium maximum· et in aquas plurimas redundauit. [11] Lux et sol ortus est et humiles exaltati sunt· et deuorauerunt inclitos. [12] Quod cum vidisset mardocheus et surrexisset de stratu· cogitabat quid deus facere vellet: et fixum habebat in animo scire cupiens quid significaret somnium.

12 orabatur autem eo tempore in aula regis· cum bagatha et thara eunuchis regis qui ianitores erant palatij. [2] Cumque intellexisset cogitationes eorum et curas diligentius peruidisset: didicit quod conarentur in regem artarxerxen manus mittere: et nunciauit super eo regi. [3] Qui de vtroque habita questione· confessos iussit duci ad mortem. [4] Rex autem quod gestum erat scripsit in commentarijs. Sed et mardocheus rei memoriam litteris tradidit. [5] Precepitque ei rex vt in aula palatij moraretur· datis ei pro delatione muneribus. [6] Anno vero filius amadathi bugeus erat gloriosissimus coram rege: et voluit nocere mardocheo et populo eius pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti. Huc vsque proemium. Que secuntur in eo loco posita erant vbi scriptum est in volumine et diripuerunt bona vel substantias eorum. Que in sola vulgata editione reperimus. Epistole autem hoc exemplar fuit.

13 Rex maximus artarxerxes ab india vsque ethiopiam centumuigintiseptem prouinciarum principibus et ducibus· qui eius imperio subiecti sunt salutem. [2] Cum plurimis gentibus imperarem· et vniuersum orbem mee ditioni subiugassem: volui nequaquam abuti potentie magnitudine· sed clementia et lenitate gubernare subiectos: vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes· optata cunctis mortalibus pace fruerentur. [3] Querente autem me a consiliarijs meis quomodo posset hoc impleri: vnus qui sapientia et fide ceteros precellebat· et erat post regem secundus aman nomine· [4] indicauit michi in toto orbe terrarum populum populum esse dispersum qui nouis vteretur legibus: et contra omnium gencium consuetudinem faciens· regum iussa contemneret: et vniuersarum concordiam nationum sua dissensione violaret. [5] Quod cum didicissemus· videntes vnam gentem rebellem aduersus omne hominum genus peruersis vti legibus· nostrisque iussionibus contraire· et turbare subiectarum nobis prouinciarum pacem atque concordiam: [6] iussimus vt quoscumque aman qui omnibus prouincijs prepositus est et secundus a rege· et quem patris loco colimus monstrauerit· cum coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis nullusque eorum misereatur· quartadecima die duodecimi mensis adar anni presentis: [7] vt nepharij homines vno die ad inferos descendentes· reddant imperio nostro pacem quem turbauerant. Hucusque exemplar epistole. Que secuntur post eum locum scripta repperi vbi legitur· pergensque mardocheus fecit omnia que ei mandauerat hester: nec tamen habentur in hebraico et apud nullum penitus feruntur interpretum. [8] Mardocheus autem deprecatus est dominum· memor omnium operum eius [9] et dixit. Domine domine rex omnipotens· in ditione enim tua cuncta sunt posita: et non est qui possit tue resistere voluntati· si decreueris saluare israhel. [10] Tu fecisti celum et terram et quicquid celi ambitu continetur [11] dominus omnium es· nec est qui resistat maiestati tue. [12] Cuncta nosti et scis quia non pro superbia et contumelia et aliqua glorie cupiditate fecerim hoc· vt non adorarem aman superbissimum: [13] libenter enim pro salute israhel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem: [14] sed timui ne honorem dei mei transferrem ad hominem· et ne quemquam adorarem excepto deo meo. [15] Et nunc domine rex deus abraham miserere populi tui: qui volunt nos inimici nostri perdere et hereditatem tuam delere. [16] Ne despicias partem tuam quam redemisti de egipto. [17] Exaudi deprecationem meam et propicius esto sorti et funiculo tuo: et conuerte luctum nostrum in gaudium· vt viuentes laudemus nomen tuum domine: et ne claudas ora te canentium. [18] Omnis quoque israhel pari mente et obsecratione clamauit ad dominum: eo quod eis certa mors impenderet.

14 Hester quoque regina confugit ad dominum pauens periculum quod imminebat. [2] Cunque deposuisset vestes regias· fletibus et luctu apta indumenta suscepit: et pro vngentis varijs cinere et stercore impleuit caput· et corpus suum humiliauit ieiunijs: omniaque loca in quibus ante letari consueuerat crinium laceratione compleuit. [3] Et deprecabatur dominum deum israhel dicens· domine mi qui rex noster es solus adiuua me solitariam: et cuius preter te nullus auxiliator est alius. [4] Periculum meum in manibus meis est. [5] Audiui a patre meo quod tu domine tulisses israhel de cunctis gentibus· et patres nostros ex omnibus retro maioribus suis· vt possideres hereditatem sempiternam: fecistique eis sicut locutus es. [6] Peccauimus in conspectu tuo: et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum. [7] Coluimus enim deos eorum. Iustus es domine. [8] Et nunc non eis sufficit quod durissima nos opprimunt seruitute: sed robur manuum suarum ydolorum potentie deputantes [9] volunt tua mutare promissa· et delere hereditatem tuam: et claudere ora laudantium te· atque extinguere gloriam templi et altaris tui: [10] vt aperiant ora gentium et laudent ydolorum fortitudinem· et predicent carnalem regem in sempiternum. [11] Ne tradas domine sceptrum tuum hijs qui non sunt· ne rideant ad ruinam nostram: sed couuerte consilium eorum super eos· et eum qui in nos cepit seuire disperde. [12] Memento domine et ostende te nobis in tempore tribulationis nostre: et da michi fiduciam domine rex deorum et vniuerse potestatis: [13] tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis· et transfer cor illius in odium hostis nostri: vt et ipse pereat ac et ceteri qui ei consentiunt. [14] Nos autem libera in manu tua: et adiuua me nullum alium auxilium habentem nisi te domine· qui habes omnium scientiam· [15] et nosti quia oderim gloriam iniquorum: et detester cubile incircumcisorum et omnis alienigene. [16] Tu scis necessitatem meam quod abominer signum superbie· et glorie mee quod est super caput meum in diebus ostentationis mee: et detester illud quasi pannum menstruate· et non portem in diebus silentij mei: [17] et quod non comederim in mensa aman· nec michi placuerit conuiuium regis· et non biberim vinum libaminum: [18] et nunquam locuta sit ancilla tua ex quo huc translata sum vsque in presentem diem· nisi in te domine deus abraham. [19] Deus fortis super omnes exaudi vocem earum qui nullam aliam spem habent et libera nos de manu iniquorum: et erue me a timore meo.

15 Hec que addita repperi in editione vulgata. Et mandauit ei haut dubium quin hester mardocheus· vt ingrederetur ad regem: vt rogaret pro populo suo et pro patria sua. [2] Memorare inquit dies humilitatis tue· quomodo nutrita sis in manu mea: quia aman secundus a rege locutus est contra nos in mortem: [3] et tu inuoca dominum et loquere regi pro nobis· et libera nos de morte. [4] Hec non et ista que subdita sunt. Die autem tercio deposuit vestimenta ornatus sui: et circumdata est gloria sua. [5] Cumque regio fulgeret habitu et inuocasset omnium rectorem et saluatorem deum: assumpsit duas famulas· [6] et super vnam quidem innirebatur quasi pre delicijs·

et nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens: [7] altera autem famularum sequebatur dominam defluentia in humum indumenta sustentans. [8] Ipsa autem roseo colore vultum perfusa· et gratis ac nitentibus oculis tristem celabat animum· et nimio timore contractum. [9] Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia stetit contra regem· vbi ille residebat super solium regni sui· indutus vestibus regijs auroque fulgens et preciosis lapidibus: eratque terribilis aspectu. [10] Cunque eleuasset faciem et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset: regina corruit et in pallorem colore mutato· lassum super ancillulam reclinauit caput. [11] Conuertitque deus spiritum regis in mansuetudinem: et festinus ac metuens exiliuit de solio et sustentans eam vlnis suis donec rediret ad se· hijs verbis blandiebatur. [12] Quid habes hester? Ego sum frater tuus noli metuere. [13] Non morieris. Non enim pro te sed pro omnibus hec lex constituta est. [14] Accede igitur et tange sceptrum. [15] Cumque illa reticeret· tulit auream virgam et posuit super collum eius: et osculatus est eam et ait. Cur michi non loqueris? [16] Que respondit. Vidi te domine quasi angelum dei: et conturbatum est cor meum pre timore glorie tue. [17] Valde enim mirabilis es domine: et facies tua plena est gratiarum. [18] Cumque loqueretur rursus corruit et pene exanimata est. [19] Rex autem turbabatur et omnes ministri eius consolabantur eum. Exemplar epistole regis artarexeris quam pro iudeis ad totas regni sui prouincias misit: quod et ipsum in hebraico volumine non habet.

16 Rex magnus artarxerxis ab india vsque ethiopiam centumuigintiseptem prouinciarum ducibus ac principibus. qui nostri iussioni obediunt: salutem diqui nostri iussioni obediunt: salutem dicit. [2] Multi bonitate principum et honocit. Multi bonitate principum et honore qui in eos collatus est abusi sunt in superbiam: et non solum subiectos regibus superbiam: [3] et non solum subiectos regibus nituntur opprimere· sed datam sibi gloriam non ferentes in ipsos qui dederunt moliuntur insidias. [4] Nec contenti sunt gratias non agere beneficijs· et humanitatis in se iura violare: sed dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam. [5] Et intantum vesanie proruperunt vt eos qui credita sibi officia diligenter obseruant· et ita cuncta agunt vt omnium laude digni sint· mendatiorum cuniculis conentur subuertere: [6] dum aures principum simplices ex sua natura alios estimantes callida fraude deciuiunt. [7] Que res et ex veteribus probatur historijs· et ex hijs que geruntur quotidie: quomodo malis quorundam suggestionibus regum studia deprauentur. [8] Vnde prouidendum est paci omnium prouinciarum. [9] Nec putare debetis si diuersa iubeamus ex animi nostri venire leuitare: sed pro qualitate et necessitate temporum· vt rei publice poscit vtilitas ferre sententiam. [10] Et vt manifestius quod dicimus intelligatis· aman filius amadathi et animo et gente macedo alienusque a persarum sanguine· et pietatem nostram sua crudelitate commaculans· peregrinus a nobis susceptus est: [11] et tantam in se expertus humanitatem vt pater noster vocaretur et adoraretur ab omnibus post regem secundus: [12] qui intantum arrogantie tumorem sublatus est vt regno priuare nos niteretur et spiritu. [13] Nam mardocheum cuius fide et beneficijs viuimus et consortem regni nostri hester· cum omni gente sua nouis quibusdam atque inauditis machinis expetiuit in mortem: [14] hoc cogitans vt illis interfectis insidiaretur nostre solitudini· et regnum persarum transferret in macedonas. [15] Nos autem a pessimo mortalium iudeos neci destinatos· in nulla penitus culpa reperimus: sed econtrario iustis vtentes legibus [16] et filios altissimi et maximi semperque viuentis dei· cuius beneficio et patribus nostris· et nobis regnum est traditum et vsque hodie custoditur. [17] Vnde eas litteras quas sub nomine nostro ille direxerat sciatis esse irritas. [18] Pro quo scelere ante portas huius vrbis id est susis· et ipse qui machinatus est et omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis sed deo reddente ei quod meruit. [19] Hoc autem edictum quod nunc mittimus in cunctis vrbibus proponatur· vt liceat iudeis vti legibus suis: [20] quibus debetis esse amminiculo vt eos qui se ad necem eorum parauerant possint interficere· terciadecima die mensis duodecimi qui vocatur adar. [21] Hanc enim diem deus omnipotens meroris et luctus eis vertit in gaudium. [22] Vnde et vos inter ceteros festos dies· Hanc habitote diem· et celebrate eam cum omni leticia: vt et in posterum cognoscantur [23] omnes qui fideliter persis obediunt dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum perire pro scelere. [24] Omnis autem prouincia et ciuitas que noluerit solemnitatis huius esse particeps gladio et igne pereat: et sic deleatur vt non solum hominibus sed etiam inuia bestijs sit in sempiternum· pro exemplo contemptus et inobedientie.

Incipit prologus primus in librum iob.

Cogor per singulos scripture diuine libros aduersariorum respondere maledictis· qui interpretationem meam reprehensionem septuaginta interpretum criminantur: quasi non et apud grecos aquila simmachus et theodocion· vel verbum e verbo vel sensum e sensu vel ex vtroque commixtum et medie temperatum· genus translationis expresserint: et omnia veteris instrumenti volumina origenes obelis asteriscisque distinxerit· quos vel additos vel theodotione sumptos translationi antique inseruit: probans defuisse quod additum est. Discant igitur obtrectatores mei recipire in toto quod in partibus susceperunt: aut interpretationem meam cum asteriscis suis radere. Neque enim fieri potest vt quos plura intermisisse susceperint· non eosdem etiam in quibusdam errasse fateantur· precipue in iob: cui si ea que sub asteriscis addita sunt subtraxeris pars maxima detruncabitur: et hoc dumtaxat apud grecos. Ceterum apud latinos ante eam translationem quam sub asteriscis et obelis nuper edidimus· septingenti aut octingenti versus desunt: vt decurtatus et laceratus corrosus liber feditatem sui publice legentibus prebeat. Hec autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem: sed ex ipso hebraico arabicoque sermone et interdum siro· nunc verba nunc sensus· nunc simul vtrumque resonabit. Obliquus enim apud hebreos totus liber fertur et lubricus: et quod greci rethores vocant scematis menos· dumque aliud loquitur aliud agit. Vt si velis anguillam vel murenulam strictis tenere manibus· quanto fortius presseris tanto citius elabitur. Memini me ob intelligentiam huius voluminis liddeum quemdam preceptorem· qui apud hebreos primus haberi putabatur· non paruis redemisse nummis: cuius doctrina an aliquid profecerim nescio. Hoc vnum scio non potuisse me interpretari· nisi quod ante intellexeram. A principio itaque voluminis vsque ad verba iob· apud hebreos prosa oratio est. Porro a verbis iob in quibus ait· pereat dies in qua natus sum· et nox in qua dictum est conceptus est homo· vsque ad illum locum vbi ante finem voluminis scriptum est· idcirco ipse me reprehendo et ago penitentiam in fauilla et cinere· exametri versus sunt· dactilo spondeoque currentes: et propter lingue ydioma crebro recipientes et alios pedes· non earumdem sillabarum sed eorumdem temporum. Interdum quoque richmus ipse dulcis et tumulus fertur numeris lege resolutis quod metrici magis quam simplex lector intelligunt. A supradicto autem versu vsque ad finem libri paruum comma quod remanet prosa oratione contexitur. Quod si cui videtur incredulum metra scilicet esse apud hebreos· et in morem nostri flacci grecique pindari et alchei et safpho vel psalterium vel lamentationes ieremie· vel omnia ferme scripturarum cantica comprehendi: legat philonem iosephum origenem· cesariensem eusebium: et eorum testimonio me verum dicere comprobabit. Audiant quapropter canes mei idcirco me in hoc volumine laborasse· non vt interpretationem antiquam reprehenderem: sed vt ea que in illa aut obscura sunt aut omissa· aut certe scriptorum vicio deprauata· manifestiora nostra interpretatione fierent: qui et hebreum sermonem ex parte didicimus· et in latino pene ab ipsis cunabulis inter gramaticos et rethores et philosophos detriti sumus. Quod si apud grecos post septuaginta editionem· iam cristi euangelio choruscante iudeus aquila et simmachus ac theodocion iudaizantes heretici sunt recepti· qui multa misteria saluatoris subdola interpretatione celarunt: et tamen in exaplois habentur apud ecclesias· et explanantur ab ecclesiasticis viris: quanto magis ego cristianus et de

parentibus cristianis natus· et vexillum crucis in mea fronte portans· cuius studium fuit omissa repetere· deprauata corrigere· et sacramenta ecclesie puro et fideli aperire sermone: vel a fastidiosis vel a malignis lectoribus non debeo reprobari. Habeant qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis· auro argentoque descriptos: vel vncialibus vt vulgo aiunt litteris onera magis exarata quam codices: dummodo michi meisque permittant pauperes habere redulas· et non tam pulcros codices quam emendatos. Vtraque autem editio et septuaginta iuxta grecos et mea iuxta hebreos· in latinum meo labore translata est. Eligat vnusquisque quod vult: et studiosum me magis quam maliuolum probet.

Prologus secundus.

Si aut fiscellam iunco texerem aut palmarum folia complicarem aut in sudore vultus mei comederem panem· et ventris opus sollicita mente pertractarem: nullus morderet nemo reprehenderet. Nunc autem quia iuxta sententiam saluatoris volo operari cibum qui non perit et antiquam diuinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare: error michi geminus infigitur· corrector viciorum falsarius vocor· et errores non auferre sed serere. Tanta est enim vetustatis consuetudo vt etiam confessa plerisque vicia placeant: dum magis pulcros volunt habere codices quam emendatos. Quapropter o fratres dilectissimi vnicum nobilitatis et humilitatis exemplar et pro flabello calatis sportellisque munusculis monachorum· spiritualia hec et mansura dona suscipite: ac beatum iob qui adhuc apud latinos iacebat in stercore et vermibus scatebat errorum· integrum et immaculatumque gaudete. Quomodo enim post probationem atque victoriam duplicia sunt ei vniuersa reddita: ita ego in linguam nostram vt audacter loquar· feci eum habere que amiserat igitur et vos et vnumquemque lectorem solita prefatione commoneo et in principijs librorum eadem semper annectens rogo: vbicumque semper precedentes virgulas videritis· sciatis ea que subiecta sunt in hebraicis voluminibus non haberi. Porro vbi stelle ymago prefulserit· ex hebreo in sermone nostro addita sunt. Necnon et illa que haberi videbantur· et ita corrupta erant vt sensum legentibus tollerent· orantibus vobis magno labore correxi: magis vtile quid ex odio meo ecclesijs cristi venturum ratus· quam ex aliorum negocio

Job

Incipit liber iob.

1 Vir erat in terra hus Et nomine iob. Et erat vir ille simplex et redus ac timens deum: et recedens a malo. [2] Natique sunt ei septem filij· et tres filie. [3] Et fuit possessio eius septem milia ouium· et tria milia camelorum: quingenta que quoque iuga boum et quingenDIT te asine: ac familia multa nimis. Erat que vir ille magnus inter omnes orientales. [4] Et ibant filij eius et faciebant conuiuium per domos· vnusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas· vt comederent et biberent cum eis. [5] Cunque in orbem transissent dies conuiuij mittebat ad eos iob et sanctificauit illos: consurgensque diluculo offerebat olocausta per singulos. Dicebat enim. Ne forte peccauerint filij mei: et benedixerint deo in cordibus suis. Sic faciebat iob cunctis diebus. [6] Quadam autem die cum venissent filij dei vt assisterent coram domino: affuit inter eos etiam sathan. [7] Cui dixit dominus. Vnde venis? Qui respondens ait. Circuiui terram et perambulaui eam. [8] Dixitque dominus ad eum. Nunquid considerasti seruum meum iob quod non sit ei similis in terra: homo simplex et rectus et timens deum ac recedens a malo? [9] Cui respondens sathan ait. Numquid frustra timet iob deum? [10] Nonne tu vallasti eum ac domum eius: vniuersamque substantiam per circuitum? Operi O peribus manuum eius benedixisti: et possessio eius creuit in terra. [11] Sed extende paululum manum tuam et tange cuncta que possidet: nisi in faciem benedixerit tibi. [12] Dixit ergo dominus ad sathan. Ecce vniuersa que habet in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est sathan a facie domini. [13] Cum autem quadam die filij et filie eius comederent et biberent vinum in domo fratris sui primogeniti: [14] nuncius venit ad iob qui diceret. Boues arabant et asine pascebantur iuxta eos: [15] et irruerunt sabei tuleruntque omnia· et pueros percusserunt gladio: et euasi ego solus vt nunciarem tibi. [16] Cunque adhuc ille loqueretur· venit alter et dixit. Ignis dei cecidit e celo: et tactas oues pueros que consumpsit: et effugi ego solus vt nunciarem tibi. [17] Sed et adhuc illo loquente: venit alius et dixit. Chaldei fecerunt tres turmas et inuaserunt camelos et tulerunt eos: nec non et pueros percusserunt gladio: et ego fugi solus vt nunciarem tibi. [18] Adhuc loquebatur ille: et ecce alius intrauit et dixit. Filijs tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti· [19] repente ventus vehemens irruit a regione deserti et concussit quatuor angulos domus: que corruens oppressit liberos tuos· et mortui sunt: et effugi ego solus vt nunciarem tibi. [20] Tunc surrexit iob· et scidit tunicam suam: et tonso capite corruens in terram· adorauit [21] et dixit. Nudus egressus sum de vtero matris mee: et nudus reuertar illuc. Dominus dedit dominus abstulit: sicut domino placuit ita factum est: sit nomen domini benedictum. [22] In omnibus hijs non peccauit iob labijs suis: neque stultum quid contra deum locutus est.

2 Factum est autem cum quadam die venissent filij dei et starent coram domino: venisset quoque sathan inter eos et staret in conspectu eius: [2] vt diceret dominus ad sathan. Vnde venis? Qui respondens ait. Circuiui terram: et perambulaui eam. [3] Et dixit dominus ad sathan. Nunquid considerasti seruum meum iob quod non sit ei similis in terra· vir simplex et rectus et timens deum ac recedens a malo: et adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouisti me aduersus eum: vt affligerem eum frustra. [4] Cui respondens sathan ait. Pellem pro pelle: et cuncta que habet homo dabit pro anima sua. [5] Alioquin mitte manum tuam et tange os eius· et carnem: et tunt videbis quod in faciem benedicat tibi. [6] Dixit ergo dominus ad sathan. Ecce in manu tua est: veruntamen animam illius serua. [7] Egressus igitur sathan a facie domini percussit iob vlcere pessimo: a planta pedis vsque ad verticem eius. [8] Qui testa saniem radebat: sedens in sterquilinio. [9] Dixit autem illi vxor sua. Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic deo et morere. [10] Qui ait ad illam. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu domini: mala quare non sustineamus? In omnibus hijs non peccauit iob labijs suis. [11] Igitur audientes tres amici iob omne malum quod accidisset ei venerunt singuli de loco suo: eliphaz themanites et baldad suites et sophar naamathites. Condixerant etiam: vt pariter venientes visitarent eum enim: et consolarentur. [12] Cumque eleuassent procul oculos suos: non cognouerunt eum. Et exclamantes plorauerunt: scissisque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in celum. [13] Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus: et nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem.

3 Post hec aperuit iob os suum: et maledixit diei suo: [2] et locutus est. [3] Pereat dies in qua natus sum: et nox in qua dictum est conceptus est homo. [4] Dies

illa vertetur in tenebras. Non requirat eum deus desuper et non illustret lumine. [5] Obscurent eum tenebre et vmbra mortis. Occupet eum caligo et inuoluatur amaritudine. [6] Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Non computetur in diebus anni nec numeretur in mensibus. [7] Sit nox illa solitaria: nec laude digna. [8] Maledicant ei qui maledicunt diei: qui parati sunt suscitare leuiathan. [9] Obtenebrentur stelle caligine eius. Expectet lucem et non videat: nec ortum surgentis aurore. [10] Quia non conclusit ostia ventris qui portauit me: nec abstulit mala ab oculis meis. [11] Quare non in vulua mortuus sum· egressus ex vtero non statim perij: [12] Quare exceptus genibus: cur lactatus vberibus? [13] Nunc enim dormiens silerem· et somno meo requiescerem [14] cum regibus et consulibus terre· qui edificant sibi solitudines: [15] aut cum principibus qui possident aurum: et replent domos suas argento. [16] Aut sicut abortiuum absconditum non subsisterem: vel qui concepti non viderunt lucem. [17] Ibi impij cessauerunt a tumultu: et ibi requieuerunt fessi robore: [18] et quondam vincti pariter sine molestia. Non exaudierunt vocem exactoris. [19] Paruus et magnus ibi sunt: et seruus et liber a domino suo. [20] Quare misero data est lux· et vita hijs qui in amaritudine anime sunt? [21] Qui expectant mortem et non venit: quasi effodientes thesaurum: [22] gaudent que vehementer cum inuenerint sepulcrum. [23] Viro cuius abscondita est via: et circundedit eum deus tenebris. [24] Antequam comedam suspiro· et quasi inundantes aque sic rugitus meus: [25] quia timor quem timebam euenit nic michi: et quod verebar accidit. [26] Nonne dissimulaui? Nonne siluis? Nonne quieui? Et venit super me indignatio.

4 Respondens autem eliphas themanites dixit. [2] Si ceperimus loqui tibi: forsitan moleste accipies. Sed conceptum sermonem quis tenere poterit. [3] Ecce docuisti multos: et manus lassas roborasti. [4] Vacillantes confirmauerunt sermones tui: et genua trementia confortasti. [5] Nunc autem venit super te plaga et defecisti: tetigit te et conturbatus es. [6] Timor tuus· fortitudo tua· et patientia tua: et perfectio viarum tuarum. [7] Recordare obsecro te· quis vnquam innocens perijt: aut quando recti deleti sunt? [8] Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos [9] flante deo perisse: et spiritu ire eius esse consumptos. [10] Rugitus leonis et vox leene· et dentes catulorum leonum contriti sunt. [11] Tigris perijt eo quod non haberet predam: et catuli leonis dissipati sunt. [12] Porro ad me dictum est verbum absconditum: et quasi furtiue suscepit auris mea venas susurrij eius. [13] In horrore visionis nocturne quando solet sopor occupare homines· [14] pauor tenuit me et tremor: et omnia ossa mea perterrita sunt. [15] Et cum spiritus me presente transiret: inhorruerunt pili carnis mee. [16] Stetit quidam cuius non agnoscebam vultum: ymago coram oculis meis: et vocem quasi aure lenis audiui. [17] Numquid homo dei comparatione iustificabitur: aut factore suo purior erit vir? [18] Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles: et in angelis suis repperit prauitatem. [19] Quanto magis hij qui habitant domos luteas qui terrenum habent fundamentum consumentur velut a tinea: [20] de mane vsque ad vesperam succidentur: et quia nullus intelligit in eternum peribunt. [21] Qui autem reliqui fuerint auferentur ex eis: morientur et non in sapientia.

5 ora ergo si est qui tibi respondeat: et ad aliquem sanctorum conuertere. [2] Virum stultum interficit iracundia: et paruulum occidit inuidia [3] Ego vidi stultum firma radice: et maledixi pulcritudini eius statim. [4] Longe fient filij eius a salute: et conterentur in porta: et non erit qui eruat. [5] Cuius messem famelicus comeder: et ipsum rapiet armatus: et bibent sitientes diuitias eius. [6] Nichil in terra sine causa fit: et de humo non orietur dolor. [7] Homo ad laborem nascitur: et auis ad volatum. [8] Quamobrem ego deprecabor dominum: et ad deum ponam eloquium meum. [9] Qui facit magna et inscrutabilia: et mirabilia absque numero. [10] Qui dat pluuiam super faciem terre: et irrigat aquas vniuersas. [11] Qui ponat humiles in sublime: et merentes erigit sospitate. [12] Quid dissipat cogitaciones malignorum: ne possint implere manus eorum quod ceperant. [13] Qui apprehendit sapientes in astutia eorum: et consilium prauorum dissipat. [14] Per diem incurrent tenebras: et quasi in nocte sic palpabunt in meridie. [15] Porro saluum faciet egenum a gladio oris eorum: et de manu violenti pauperem. [16] Et erit egeno spes: iniquitas autem contrahet os suum. [17] Beatus homo qui corripitur a domino. Increpationem ergo domini ne reprobes: [18] quia ipse vulnerat et medetur: percutit et manus eius sanabunt. [19] In sex tribulationibus liberabit te: et in septima non tanget te malum. [20] In fame eruet te de morte: et in bello de manu gladij. [21] A flagello lingue absconderis: et non timebis calamitatem cum venerit. [22] In vastitate et fame ridebis: et bestias terre non formidabis. [23] Sed cum lapidibus regionum pactum tuum: et bestie terre pacifice erunt tibi. [24] Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum: et visitans speciem tuam non peccabis. [25] Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum: et progenies tua quasi herba terre. [26] Ingredieris in abundantia sepulcrum: sicut infertur aceruus in tempore suo. [27] Ecce hoc vt inuestigauimus ita est: quod auditum mente pertracta.

6 Respondens autem iob dixit. [2] Vtinam appenderentur peccata peccam mea quibus iram merui: et calamitas quam patior in statera: [3] quasi arena maris hec grauior apparet. Vnde et verba mea dolore sunt plena: [4] quia sagitte domini in me sunt· quarum indignatio ebibit spiritum meum: et terrores domini militant contra me. [5] Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam: aut mugiet bos cum ante presepe plenum steterit? [6] Aut poterit comedi insulsum: quod non est sale conditum? Aut potest aliquis gustare: quod gustatum affert mortem? affert mortem? Anime enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur. [7] Que prius nolebat tangere anima mea: nunc pre angustia cibi mei sunt. [8] Quis det vt veniat petitio mea· et quod expecto tribuat michi deus: [9] et qui cepit ipse me conterat? Soluat manum suam et succidat me: [10] et hec michi sit consolatio vt affligens me dolore non parcat: nec contradicam sermonibus sancti. [11] Que est enim fortitudo mea vt sustineam: aut quis finis meus vt patienter agam? [12] Nec forn titudo lapidum fortitudo mea: nec caro mea enea est. [13] Ecce non est auxilium michi in me: et necessarij quoque mei recesserunt a me. [14] Qui tollit ab amico suo misericordiam: timorem domini derelinquit. [15] Fratres mei preterierunt me: sicut torrens qui raptim transit in conuallibus. [16] Qui timent pruinam: irruet super eos nix. [17] Tempore quo fuerint dissipati peribunt: et vt incaluerint soluentur de loco suo. [18] Inuolute sunt semite gressuum eorum: ambulabunt inuacuum et peribunt. [19] Considerate semitas theman itinera saba: et expectate paulisper. [20] Confusi sunt: quia speraui. Venerunt quoque vsque ad me: et pudore cooperti sunt. [21] Nunc venistis: et modo videntes plagam meam timetis? [22] Numquid dixi afferte michi. et de substantia vestra donate michi: [23] vel liberate me de manu hostis et de manu robustorum eruite? [24] Docete me et ego tacebo: et si quid forte ignoraui instruite me. [25] Quare detraxistis sermonibus veritatis: cum e vobis nullus sit qui possit arguere? [26] Ad increpandum tantum eloquia concinnatis: et in ventum verba profertis. [27] Super pupillum irruitis: et subuertere nitimini amicum vestrum. [28] Verumtamen quod cepistis explete. Prebete aurem: et videte an mentiar. [29] Respondete obsecro absque contentione: et loquentes id quod iustum est iudicate. [30] Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem: nec infaucibus meis stulticia personabit.

7 Militia est vita hominis super terram: et sicut dies mercenarij dies eius. [2] Sicut ceruus desiderat vmbram et sicut mercenarius prestolatur finem operis sui: [3] sic et ego habui menses vacuos: et noctes laboriosas enumeraui michi. [4] Si dormiero dico quando consurgam: et rursum expectabo vesperam et replebor doloribus vsque ad tenebras. [5] Induta est caro mea putredine et sordibus puluerис: cutis mea aruit et contracta est. [6] Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur: et consumpti sunt absque vlla spe. [7] Memento quia ventus est vita mea: et non reuertetur oculus meus vt videat bona: [8] nec aspiciet me visus hominis. Oculi tui in me: et non subsistam. [9] Sicut consumitur nubes et pertransit· sic qui descenderit ad inferos non ascendet: [10] nec reuertetur vltra in domum suam: neque cognoscet eum amplius locus eius. [11] Quapropter et ego non parcam ori meo: loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine anime mee. [12] Numquid mare ego sum aut cetus: quia circumdedisti me carcere? [13] Si dixero consolabitur me lectulus meus et releuabor loquens mecum in stratu

meo: [14] terrebis me per somnia: et per visiones horrore concuties. [15] Quamobrem elegit suspendium anima mea: et mortem ossa mea. [16] Desperaui. Nequaquam vltra iam viuam. Parce michi: nichil enim sunt dies mei. [17] Quid est homo quia magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum? [18] Visitas eum diluculo: et subito probas illum. [19] Vsquequo non parcis michi: nec dimittis me vt gluciam saliuam meam? [20] Peccaui. Quid faciam tibi· o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi: et factus sum michimetipsi grauis? [21] Cur non tollis peccatum meum: et quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc inpuluere dormiam· et si mane me quesieris non subsistam.

8 Respondens Respondens autem baldach suites diIDxit. [2] Vsquequo loqueris talia: et spiritus multiplex sermonis oris tui? [3] Numquid deus supplantat iudicium: aut omnipotens subuertit quod iustum est? [4] Etiam si filij tui peccauerunt ei et dimisit eos in manu iniquitatis sue: [5] tu tamen si diluculo consurrexeris ad deum et omnipotentem fueris deprecatus· [6] si mundus et rectus incesseris statim euigilabit ad te: et pacatum reddet habitaculum iusticie tue: [7] intantum vt si priora tua fuerint parua: et nouissima tua multiplicentur nimis. [8] Interroga enim generationem pristinam et diligenter inuestiga patrum memoriam: [9] hesterni quippe sumus et ignoramus· quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram: [10] et ipsi docebunt te. Loquentur tibi: et de corde suo proferent eloquia. [11] Numquid virere potest scirpus absque humore: aut crescere carectum sine aqua? [12] Cum adhuc sit in flore nec carpatur manu ante omnes herbas arescit: [13] sic vie omnium qui obliuiscuntur deum: et spes ypocrite peribit. [14] Non ei placebit vecordia sua et sicut tela aranearum fiducia eius. [15] Innitetur super domum suam et non stabit: fulciet eam et non consurget. [16] Humectus videtur antequam veniat sol: et in ortu suo germen eius egredietur. [17] Super aceruum petrarum radices eius densabuntur: et inter lapides commorabitur. [18] Si absorbuerit eum de loco suo: negabit eum et dicet. Non noui te. [19] Hec est enim leticia vie eius: vt rursum de terra alij germinentur. [20] Deus non proiciet simplicem: nec porriget manum malignis: [21] donec impleatur risu os tuum· et labia tua iubilo. [22] Qui oderunt te induentur confusione: et tabernaculum impiorum non subsistet.

9 Et respondens iob ait. [2] Vere scio quod ita sit: et quod non iustificetur homo compositus deo. [3] Si voluerit contendere cum eo: non poterit respondere ei vnum pro mille. [4] Sapiens corde est: et fortis robore. Quis restitit ei: et parem habuit? [5] Qui transtulit montes: et nescierunt hij quos subuertit in furore suo. [6] Qui commouet terram de loco suo: et columne eius concutiuntur. [7] Qui precipit soli et non oritur: et stellas claudit quasi sub signaculo. [8] Qui extendit celos solus: et graditur super fluctus maris. [9] Qui facit arcturum et oriona et hyadas: et interiora austri. [10] Qui facit magna et incomprehensibilia: et mirabilia quorum non est numerus. [11] Si venerit ad me non videbo eum: si abierit non intelligam. [12] Si repente interroget: respondebit ei? Vel quis dicere potest cur facis? [13] Deus cuius ire nemo resistere potest: et sub quo curuantur qui portant orbem. [14] Quantus ergo sum ego vt respondeam ei: et loquar verbis meis cum eo? [15] Qui etiam si habuero quippiam iustum non respondebo· sed iudicem meum iudicem deprecabor: [16] et cum inuocantem me exaudierit: non credo quod talis audierit vocem meam. [17] In turbine enim conteret me: et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. [18] Non concedit requiescere spiritum meum: et implet me amaritudinibus. [19] Si fortitudo queritur: robustissimus est. Si equitas iudicij: nemo audiet pro me testimonium dicere. [20] Si iustificare me voluero: os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero: prauum me comprobabit. [21] Etiam si simplex fuero· hoc ipsum ignorabit anima mea: et tedebit me vite mee. [22] Vnum est quod locutus sum: et innocentem et impium ipse consumit. [23] Si flagellat occidat semel: et non de penis innocentum rideat. [24] Terra data est in manus impij vultum iudicum eius operit. Quod si non ille est· quis ergo est? [25] Dies mei velociores fuerunt cursore· fugerunt et non viderunt bonum. [26] Pertransierunt quasi naues poma portantes: sicut aquila volans ad escam. [27] Cum dixero nequaquam ita loquar commuto faciem meam: et dolore torqueor. [28] Verebar omnia opera meam: sciens quod non parceres delinquenti. [29] Si autem et sic impius sum quare frustra laboraui? [30] Si lotus fuero quasi aquis niuis· et fulserint velut mundissime manus mee: [31] tamen sordibus intingues me: et abominabuntur me vestimenta mea. [32] Neque enim viro qui similis mei est respondebo: nec qui mecum in iudicio ex equo possit audiri. [33] Non est qui vtrumque valeat arguere: et ponere manum suam in ambobus. [34] Auferat a me virgam suam: et pauor eius non me terreat. [35] Loquar et non timebo eum. Neque enim possum metuens respondere.

10 Tedet animam meam vite mee: dimittam aduersum me eloquium meum. Loquar in amaritudine anime mee: [2] dicam deo· noli me condemnare. Indica michi: cur me ita iudices? [3] Numquid bonum tibi videtur si calumnieris me et opprimas me· opus manuum tuarum: et consilium impiorum adiuues? [4] Numquid oculi carnei tibi sunt aut sicut videt homo et tu videbis? [5] Numquid sicut dies hominis dies tui· et anni tui sicut humana sunt tempora: [6] vt queras iniquitatem meam et peccatum meum scruteris? [7] Et scias quia nichil impium fecerim· cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. [8] Manus tue fecerunt me et plasmauerunt me totum in circuitu: et sic repente precipitas me. [9] Memento queso quod sicut lutum feceris me: et in puluerem reduces me. [10] Nonne sicut lac mulsisti me· et sicut caseum me coagulasti? [11] Pelle et carnibus vestisti me: ossibus et neruis compegisti me. [12] Vitam et misericordiam tribuisti michi: et visitatio tua custodiuit spiritum meum. [13] Licet hec celes in corde tuo: tamen scio quia vniuersorum memineris. [14] Si peccaui et ad horam pepercisti michi: cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? [15] Et si impius fuero ve michi est: et si iustus non leuabo caput saturatus afflictione et miseria. [16] Et propter superbiam quasi leena capies me: reuersusque mirabiliter me crucias. [17] Instauras testes tuos contra me· et multiplicas iram tuam aduersum me: et pene militant in me. [18] Quare de vulua eduxisti me? Qui vtinam consumptus essem ne oculus me videret. [19] Fuissem quasi qui non essem: de vtero translatus ad tumulum. [20] Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte ergo me vt plangam paululum dolorem meum [21] antequam vadam et non reuertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine: [22] terram miserie et tenebrarum: vbi vmbra mortis et nullus ordo· sed sempiternus horror inhabitans.

11 Respondens autem sophar naamathites dixit. [2] Numquid qui multa loquitur non audiet: aut vir verbosus iustificabitur? [3] Tibi soli tacebunt homines: et cum ceteros irriseris a nullo confutaberis? [4] Dixisti enim. Purus est sermo meus: et mundus sum in conspectu tuo. [5] Atque vtinam deus loqueretur tecum et aperiet labia sua tibi: [6] vt ostenderet tibi secreta sapientie et quod multiplex esset lex eius: et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo quam meretur iniquitas tua. [7] Forsitan vestigia dei comprehendes: et vsque ad perfectum omnipotentem reperies? [8] Excelsior celo est. Et quod facies? Profundior inferno: et vnde cognosces? [9] Longior terra mensura eius: et latior mari. [10] Si subuerterit omnia vel in vnum coartauerit quis contradicet ei: vel quis dicere ei potest cur ita facis? [11] Ipse enim nouit hominum vanitatem: et videns iniquitatem nonne considerat? [12] Vir vanus in superbiam erigitur: et tanquam pullum onagri se liberum natum putat. [13] Tu autem firmasti cor tuum et expandisti ad eum manus tuas. [14] Si iniquitatem que est in manu tua abstuleris a te et non manserit in tabernaculo tuo iniusticia: [15] tunc leuare poteris faciem tuam absque macula: et eris stabilis et non timebis. [16] Miserie quoque obliuisceris: et quasi aquarum que preterierunt non recordaberis: [17] et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam. Et cum te consumptum putaueris orieris vt lucifer: [18] et habebis fiduciam proposita tibi spe: et defossus securus dormies. [19] Requiesces et non erit qui te exterreat: et deprecabuntur faciem tuam plurimi. [20] Oculi autem impiorum deficient: et effugium peribit ab eis: et spes illorum abominatio anime.

12 Respondens autem iob dixit. [2] Ergo vos estis soli homines: et vobiscum orietur sapientia? [3] Et michi est cor sicut et vobis: nec inferior vestri sum. Quis enim hec que nostis ignorat? [4] Qui deridetur ab amico suo sicut

ego: inuocabit deum et exaudiet eum. Deridetur enim iusti simplicitas: [5] lampas contempta apud cogitationes diuitum: parata ad tempus statutum. [6] Abundant tabernacula predonum: et audacter prouocant deum: cum ipse dederit omnia in manus eorum. [7] Nimirum interroga iumenta et docebunt te: et volatilia celi et indicabunt tibi. [8] Loquere terre et respondebit tibi: et narrabunt pisces maris. [9] Quis ignorat quod omnia hec manus domini fecit? [10] In cuius manu anima omnis viuentis: et spiritus vniuerse carnis hominis. [11] Nonne auris verba diiudicat: et fauces comedentis saporem? [12] In antiquis est sapientia: et in multo tempore prudentia. [13] Apud ipsum est sapientia et fortitudo: et ipse habet consilium et intelligentiam. [14] Si destruxerit nemo est qui edificet: si incluserit hominem nullus est qui aperiat. [15] Si continuerit aquas omnia si emiserit eas subuertent terram. siccabuntur: [16] Apud ipsum est fortitudo et sapientia. Ipse nouit et decipientem: et eum qui decipitur. [17] Adducit consiliarios in stultum finem: et iudices in stuporem. [18] Baltheum regum dissoluit: et precingit fune renes eorum. [19] Ducit sacerdotes inglorios: et optimates supplantat. [20] Commutans labium veracium: et doctrinam senum auferens. [21] Effundit despectionem super principes: et eos qui oppressi fuerant releuans. [22] Qui reuelat profunda de tenebris: et producit in lucem vmbram mortis. [23] Qui multiplicat gentes et perdit eas: et subuersas in integrum restituit. [24] Qui immutat cor principum populi terre: et decipit eos vt frustra incedant per inuium. [25] Palpabunt quasi in tenebris et non in luce: et errare eos faciet quasi ebrios.

13 Ecce omnia hec vidit oculus meus et audiuit auris mea: et intellexi singula. [2] Secundum scientiam vestram et ego noui: nec inferior vestri sum. [3] Sed tamen ad omnipotentem loquar: et disputare cum deo cupio: [4] prius vos ostendens fabricatores mendacij et cultores peruersorum dogmatum. [5] Atque vtinam taceretis: vt putaremini sapientes esse. [6] Audite ergo correptiones meas: et iudicium labiorum meorum attendite. [7] Numquid deus indiget vestro mendacio: vt pro illo loquamini dolos? [8] Numquid faciem eius accipitis et pro deo iudicare nitimini? [9] Aut placebit ei quem celare nichil potestraut test: aut decipietur vt homo vestris fraudulencijs? [10] Ipse vos arguet: quoniam in abscondito faciem eius accipitis. [11] Statim vt se commouerit turbabit vos: et terror eius irruet super vos. [12] Memoria vestra comparabitur cineri: et redigentur in lutum ceruices vestre. [13] Tacete paulisper: vt loquar quodcumque michi mens suggesserit. [14] Quare lacero carnes meas dentibus is: et animam meam porto in manibus meis? [15] Etiam si occiderit me: in ipso sperabo. Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam: [16] et ipse erit saluator meus. Non enim veniet in conspectu eius omnis ypocrita. [17] Audite sermonem meum: et enigmata percipite auribus vestris. [18] Si fuero iudicatus: scio quod iustus inueniar. [19] Quis est qui iudicetur mecum? Veniat. Quare tacens consumor? [20] Duo tantum ne facias michi: et tunc a facie tua non abscondar. [21] Manum tuam longe fac a me: et formido tua non me terreat. [22] Voca me et respondebo tibi: aut recte certe loquar: et tu responde michi. [23] Quantas habeo iniquitates et peccata: scelera mea et delicta ostende michi. [24] Cur faciem tuam abscondis: et arbitraris me inimicum tuum: [25] Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam: et stipulam siccam persequeris. [26] Scribis enim contra me amaritudines: et consumere me vis peccatis adolescentie mee. [27] Posuisti in neruo pedem meum: et obseruasti omnes sanitas meas: et vestigia pedum meorum considerasti. [28] Qui quasi putredo consumendus sum: et quasi vestimentum quod comeditur a tinea.

14 Homo natus de muliere breui viuens tempore: repletur multis miserijs. [2] Qui quasi flos egreditur et conteritur: et fugit velut vmbra: et nunquam in eodem statu permanet. [3] Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos: et adducere eum tecum in iudicium? [4] Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es. [5] Breues dies hominis sunt: numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminos eius qui preteriri non poterunt. [6] Recede paululum ab eo vt quiescat: donec optata veniat sicut mercenarij dies eius. [7] Lignum habet spem. Si precisum lant. Si senuerit fuerit· rursum virescit: et rami eius [8] pullu in terra radix eius et in puluere emortuus fuerit truncus illius: [9] ad odorem aque germinabit: et faciet comam quasi cum primum plantatum est. [10] Homo vero cum mortuus fuerit et nudatus atque consumptus: vbi queso est? [11] Quomodo si recedant aque de mari et fluuius vacuefactus arescat: [12] sic homo cum dormierit· non resurget. Donec atteratur celum non euigilabit: nec consurget de somno suo. [13] Quis michi hoc tribuat vt in inferno protegas me et abscondas me donec pertranseat furor tuus: et constituas michi tempus in quo recorderis mei? [14] Putasne mortuus homo rursum viuet? Cunctis diebus quibus nunc milito: expecto donec veniat immutatio mea. [15] Vocabis me: et ego respondebo tibi. Operi manuum tuarum porriges dextram. [16] Tu quidem gressus meos dinumerasti: sed parce peccatis meis. [17] Signasti quasi in sacculo delicta mea: sed curasti iniquitatem meam. [18] Mons cadens defluit: et saxum transfertur de loco suo. [19] Lapides excauant aque: et alluuione paulatim terra consumitur: et homines ergo similiter perdes. [20] Roborasti eum paululum: et in perpetuum transiret. Immutabis faciem eius: et emittes eum. [21] Siue nobiles fuerit filij eius siue ignobiles: non intelliget. [22] Attamen caro eius dum viuet dolebit: et anima illius super semetipso lugebit.

15 Respondens autem eliphaz themanites dixit. [2] Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens: et implebit ardore stomachum suum? [3] Arguis verbis eum qui non est equalis tui et loqueris quod tibi non expedit. [4] Quantum in te est euacuasti timorem: et tulisti preces coram deo. [5] Docuit enim iniquitas tua os tuum: et imitaris linguam blasphemannum. [6] Condemnabit te os tuum et non ego: et labia tua respondebunt tibi. [7] Nunquid primus homo tu natus es et ante colles formatus? [8] Nunquid consilium dei audisti: et inferior te erit eius sapientia? [9] Quid nosti quod ignoremus: quid intelligis quod nesciamus? [10] Et senes et antiqui sunt in nobis: multo vetustiores quam patres tui. [11] Nunquid grande est vt consoletur te deus? Sed verba tua praua hoc prohibent. [12] Quid te eleuat cor tuum: et quasi magna cogitans attonitos habes oculos? [13] Quid tumet contra deum spiritus tuus: vt proferas de ore tuo huiuscemodi sermones? [14] Quid est homo vt in maculatus sit· et vt iustus appareat natus de muliere? [15] Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis· et celi non sunt mundi in conspectu eius: [16] quanto magis abominabilis et inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem. [17] Ostendam tibi audi me: quod vidi narrabo tibi. [18] Sapientes confitentur: et non abscondunt patres suos. [19] Quibus solis data est terra: et non transiuit alienus per eos. [20] Cunctis diebus suis impius superbit: et numerus annorum incertus est tyrannidis eius. [21] Sonitus terroris semper in auribus illius: et cum pax sit ille semper insidias suspicatur. [22] Non credit quod reuerti possit de tenebris ad lucem circumspectans vndique gladium: [23] cum se mouerit ad querendum panem. Nouit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies. [24] Terrebit eum tribulatio: et angustia vallabit eum sicut regem qui preparatur ad prelium. [25] Tetendit aduersus deum manum suam: et contra omnipotentem roboratus est. [26] Cucurrit aduersus eum erecto collo: et pingui ceruice armatus est. [27] Operuit faciem eius crassitudo: et de lateribus eius aruina dependit. [28] Habitauit in ciuitatibus desolatis: et in domibus desertis que in tumulos sunt redacte. [29] Non ditabitur nec perseuerabit substantia eius: nec mittet in terram radicem suam. [30] Non recedet de tenebris. Ramos eius arefaciet flamma: et auferetur spiritu oris eius. [31] Non credet frustra errore deceptus: quod aliquo precio redimendus sit. [32] Antequam dies eius impleantur peribit: et manus eius arescent. [33] Ledetur quasi vinea in primo flore· botrus eius: et quasi oliua proiciens florem suum. [34] Congregatio enim ypocrite sterilis: et ignis deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. [35] Concepit dolorem et peperit iniquitatem: et vterus eius preparat dolos.

16 Respondens autem iob dixit. [2] Audiui frequenter talia. Consolatores onerosi omnes vos estis. [3] Numquid habebunt finem verba ventosa: Aut aliquid tibi molestum est si loquaris? [4] Poteram et ego similia vestri loqui. Atque vtinam esset anima vestra pro anima mea. [5] Consolarer et ego vos sermonibus et mouerem caput meum super vos. [6] Roborarem vos ore meo: et

mouerem labia mea quasi parcens vobis. 7 Sed quid agam? Si locutus fuero· non quiescit dolor meus: et si tacuero non recedet a me. 8 Nunc autem oppressit me dolor meus: et in nichilum redacti sunt omnes artus mei. 9 Ruge mee testimonium dicunt contra me: et suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam contradicens michi. 10 Collegit furorem suum in me: et comminans michi infremuit contra me dentibus suis. Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. 11 Apperuerunt super me ora sua: et exprobrantes percusserunt maxillam meam: satiati sunt penis meis. 12 Conclusit me deus apud iniquum: et manibus impiorum me tradidit. 13 Ego ille quondam opulentus repente contritus sum: tenuit ceruicem meam. Confregit me: et posuit sibi quasi in signum. 14 Circumdedit me lanceis suis: conuulnerauit lumbos meos. Non pepercit: et effudit in terra viscera mea. 15 Conscidit me vulnere super vulnus: irruit in me quasi gygas. 16 Saccum consui super cutem meam: et operui cinere carnem meam. 17 Facies mea intumuit fletu: et palpebre mee caligauerunt. 18 Hec passus sum absque iniquitate manus mee: cum haberem mundas ad deum preces. 19 Terra ne operias sanguinem meum: neque inueniat in te locum latendi clamor meus. 20 Ecce enim in celo testis meus: et conscius meus in excelsis. 21 Verbosi amici mei: ad deum stillat oculus meus. 22 Atque vtinam sic iudicaretur vir cum deo: quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo. 23 Ecce enim breues anni transeunt: et semitam per quam non reuertar ambulo.

17 Spiritus meus attenuabitur: dies mei breuiabuntur: et solum michi superest sepulcrum. 2 Non peccaui: et in amaritudinibus moratur oculus meus. 3 Libera me et pone me iuxta te: et cuiusuis mauus pugnat contra me. 4 Cor eorum longe fecisti a disciplina: propterea non exaltabuntur. 5 Predam pollicetur socijs: et oculi filiorum eius deficient. 6 Posuit me quasi in prouerbium vulgi· et exemplum sum coram eis. 7 Caligauit ad indignationem oculus meus: et membra mea quasi in nichilum redacta sunt. 8 Stupebant iusti super hoc: et innocens contra ypocritam suscitabitur. 9 Et tenebit iustus viam suam: et mundis manibus addet fortitudinem. 10 Igitur omnes vos conuertimini et venite: et non inueniam in vobis vllum sapientem. 11 Dies mei transierunt: cogitationes mee dissipate sunt torquentes cor meum. 12 Noctem verterunt in diem: et rursum post tenebras spero lucem. 13 Si sustinuero infernus domus mea est: et in tenebris straui lectulum meum. 14 Putredini dixi pater meus es: mater mea et soror mea vermibus. 15 Vbi est ergo nunc prestolatio mea: et patientiam meam quis considerat? 16 In profundissimum infernum descendent omnia mea. Putasne saltem ibi erit requies michi?

18 Respondens autem baldad suites dixit. 2 Vsque ad quem finem verba iactabis? Intellige prius: et sic loquamur. 3 Quare reputati sumus vt iumenta: et sorduimus coram 4 te? Qui perdis animam tuam in furore tuo. Numquid propter te derelinquetur terra: et transferentur rupes de loco suo? 5 Nonne lux impij extinguetur: nec splendebit flamma ignis eius? 6 Lux obtenebrescet in tabernaculo illius: et lucerna que super eum est extinguetur. 7 Artabuntur gressus virtutis eius: et precipitabit eum consilium suum. 8 Immisit enim in rete pedes suos: et in maculis eius ambulat. 9 Tenebitur planta illius laqueo: et exardescet contra eum sitis. 10 Abscondita est in terra pedica eius: et decipula illius super semitam. 11 Vndique terrebunt eum formidines: et inuoluent pedes eius. 12 Attenuetur fame robur eius: et inedia inuadat costas illius. 13 Deuoret pulcritudinem cutis eius: et consumat brachia illius primogenita mors. 14 Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius: et calcet super eum quasi rex interitus. 15 Habitent in tabernaculo illius socij eius qui non est: aspergatur in tabernaculo eius sulphur. 16 Deorsum radices eius siccentur: sursum autem atteratur messis eius. 17 Memoria illius pereat de terra: et non celebretur nomen eius in plateis. 18 Expellet eum de luce in tenebras: et de orbe transferet eum. 19 Non erit semen eius neque progenies in populo suo: nec vlle reliquie in regionibus eius. 20 In die eius stupebunt nouissimi: et primos inuadet horror. 21 Hec sunt ergo tabernacula iniqui: et iste locus eius qui ignorat deum.

19 Respondens autem iob dixit. 2 Vsque affligitis animam meam: et atteritis me sermonibus? 3 En decies confunditis me: et non erubescitis opprimentes me. 4 Nempe et si ignoram: mecum erit ignorantia mea. 5 At vos contra me erigimini: et arguitis me opprobrijs meis. 6 Saltem nunc intelligite quia deus non equo iudicio afflixerit me: et flagellis suis me cinxerit. 7 Ecce clamabo vim patiens et nemo audiet: vociferabor: et non est qui iudicet. 8 Semitam meam circumsepsit et transire non possum: et in calle meo tenebras posuit. 9 Spoliauit me gloria mea: et abstulit coronam de capite meo. 10 Destruxit me vndique et pereo: et quasi euulse arbori abstulit spem meam. 11 Iratus est contra me furor eius: et sic me habuit quasi hostem suum. 12 Simul venerunt latrones eius: et fecerunt sibi viam per me: et obsederunt in gyro tabernaculum meum. 13 Fratres meos longe fecit a me: et noti mei quasi alieni recesserunt a me. 14 Dereliquerunt me propinqui mei: et qui me nouerant obliti sunt mei. 15 Inquilini domus mee et ancille mee sicut alienum habuerunt me: et quasi perigrinus fui in oculis eorum. 16 Seruum meum vocaui et non respondit: ore proprio deprecabar illum. 17 Halitum meum exhorruit vxor mea: et orabam filios vteri mei. 18 Stulti quoque despiciebant me: et cum ab eis recessissem detrahebant michi. 19 Abominati sunt me quondam consiliarij mei: et quem maxime diligebam auersatus est me. 20 Pelli mee consumptis carnibus adhesit os meum: et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. 21 Miseremini mei miseremini mei saltem vos amici mei: quia manus domini tetigit me. 22 Quare persequimini me sicut deus: et carnibus meis saturamini? 23 Quis michi tribuat vt scribautur sermones mei? Quis michi det vt exarentur in libro 24 stilo ferreo et plumbi lamiua: vel certe sculpantur in silice? 25 Scio enim quod redemptor meus viuat et in nouissimo de terra surrecturus sim. 26 Et rursum circumdabor pelle mea: et in carne mea videbo deum. 27 Quem visurus sum ego ipse: et oculi mei conspecturi sunt: et non alius. Reposita est hec spes mea in sinu meo. 28 Quare ergo nunc dicitis persequamur eum: et radicem verbi inueniamus contra eum? 29 Fugite ergo a facie gladij: quoniam vltor iniquitatum gladius est: et scitote esse iudicium.

20 Respondens autem sophar naamachites dixit. 2 Idcirco cogitationes mee varie succedunt sibi: et mens in diuersa rapitur· 3 doctrinam qua me arguis audiam: et spiritus intelligentie mee respondebit michi. 4 Hoc scio a principio ex quo est positus homo super terram: 5 q laus impiorum breuis sit: et gaudium ypocrite ad instar puncti. 6 Si ascenderit vsque ad celum superbia eius· et caput eius nubes tetigerit: 7 quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant dicent. Vbi est: 8 Velut somnium auolans non inuenietur: transiet sicut visio nocturna. 9 Oculus qui eum viderat non videbit: neque vltra intuebitur eum locus suus. 10 Filij eius atterentur egestate: et manus illius reddent ei dolorem suum. 11 Ossa eius implebuntur vicijs adolescentie eius: et cum eo in puluere dormient. 12 Cum enim dulce fuerit in ore eius malum· abscondit illud sub lingua sua. 13 Parcet illi et non derelinquet illud: et celabit in gutture suo. 14 Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. 15 Diuitias quas deuorauit euomet: et de ventre illius extrahet eas deus. 16 Caput aspidum suget: et occidet eum lingua vipere. 17 Non videat riuulos fluminis torrentis· mellis et butiri. 18 Luet que fecit omnia: nec tamen consumetur. Iuxta multitudinem adinuentionum suarum sic et sustinebit: 19 quoniam confringens nudauit pauperis domum: rapuit et non edificauit eam· 20 nec est saciatus venter eius. Et cum habuerit que concupierat: possidere non poterit. 21 Non remansit de cibo eius: et propterea nichil permanebit de bonis eius. 22 Cum satiatus fuerit artabitur: estuabit· et omnis dolor irruet super eum. 23 Vtinam impleatur venter eius vt emittat in eum iram furoris sui: et pluat super illum bellum suum. 24 Fugiet arma ferrea et irruet in arcum ereum: 25 eductus et egrediens de vagina sua: et fulgurans in amaritudine sua. Vadent et venient super eum horribiles: 26 omnes tenebre abscondite sunt in occultis eius. Deuorabit eum ignis qui non succenditur: affligetur relictus in tabernaculo suo. 27 Reuelabunt celi iniquitatem eius: et terra consurget aduersus eum. 28 Apertum erit germen domus illius: detrahetur in die furoris dei. 29 Hec est pars hominis impij a deo: et hereditas verborum eius a domino.

21 Respondens autem iob dixit. 2 Audite queso sermones meos: et agetis agetis penitentiam. 3 Sustinete me vt et ego loquar: et post mea si videbitur verba ridete. 4 Nunquid contra hominem disputatio mea est· vt merito non debeam contristari? 5 Attendite me et obstupescite: et superponite digitum ori vestro. 6 Et ego quando recordatus fuero pertimesco: et concutit carnem meam tremor. 7 Quare ergo impij viuunt subleuati sunt confortatique diuitijs? 8 Semen eorum permanet coram eis: propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum. 9 Domus eorum secure sunt et pacate: et non est virga dei super illos. 10 Bos eorum concepit et non abortiuit: vacca peperit et non est priuata fetu suo. 11 Egrediuntur quasi greges paruuli eorum: et infantes eorum exultant lusibus. 12 Tenent tympanum et cytharam: et gaudent ad sonitum organi. 13 Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad infernum descendunt. 14 Qui dixerunt deo recede a nobis: et scientiam viarum tuarum nolumus. 15 Quis est omnipotens vt seruiamus ei? Et quid nobis prodest si orauerimus illum? 16 Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua: consilium impiorum longe sit a me. 17 Quotiens lucerna impiorum extinguetur: et superueniet eis inundatio: et dolores diuidet furoris sui. 18 Erunt sicut palee ante faciem venti: et sicut fauilla quam turbo dispergit. 19 Deus seruabit filijs illius dolorem patris: et cum reddiderit tunc sciet. 20 Videbunt oculi eius interfectionem suam: et de furore omnipotentis bibet. 21 Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? Et si numerus mensium eius dimidietur? 22 Numquid deum docebit quispiam scientiam qui excelsos iudicat? 23 Iste moritur robustus et sanus diues et felix: 24 viscera eius plena sunt adipe: et medullis ossa illius irrigantur. 25 Alius vero moritur in amaritudine anime sue absque vllis opibus: 26 et tamen simul in puluere dormient: et vermes operient eos. 27 Certe noui cogitationes vestras: et sententias contra me iniquas. 28 Dicitis enim. Vbi est domus principis: et vbi tabernacula impiorum? 29 Interrogate quemlibet de viatoribus: et hec eadem illum intelligere cognoscetis. 30 Quia in diem perditionis seruatur malus: et ad diem furoris ducetur. 31 Quis arguet coram eo vias eius: et que fecit quis reddet illi? 32 Ipse ad sepulcra ducetur: et in congerie mortuorum vigilabit. 33 Dulcis fuit glareis cocyti: et post se omnem hominem trahet: et ante se innumerabiles. 34 Quomodo igitur consolamini me frustra: cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

22 Respondens autem eliphas themanites dixit. 2 Nunquid deo potest comparari homo· etiam cum perfecte fuerit scientie? 3 Quid prodest deo si iustus fueris: aut quid ei confers si immaculata fuerit vita tua? 4 Numquid timens arguet te? et veniet tecum in iudicium: 5 et non propter maliciam tuam plurimam et infinitas iniquitates tuas? 6 Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa: et nudos spoliasti vestibus. 7 Aquam lasso non dedisti: et esurienti subtraxisti panem. 8 In fortitudine brachij tui possidebas terram: et potentissimus obtinebas eam. 9 Viduas dimisisti vacuas· et lacertos pupillorum comminuisti. 10 Propterea circumdatus es laqueis: et conturbat te formido subita. 11 Et putabas te tenebras non visurum: et impetu aquarum inundantium non oppressum iri. 12 An cogitas quod deus excelsior celo sit· et super stellarum verticem sublimetur? 13 Et dicis. Quid enim nouit deus? Et quasi per caliginem iudicat. 14 Nubes latibulum eius: nec nostra considerat: et circa cardines celi perambulat. 15 Nunquid semitam seculorum custodire cupis quam calcauerunt viri iniqui 16 qui sublati sunt ante tempus suum: et fluuius subuertit fundamentum eorum? 17 Qui dicebant deo recede a nobis: et quasi nichil possit facere omnipotens· estimabant eum: 18 cum ille implesset domos eorum bonis. Quorum sententia procul sit a me. 19 Videbunt iusti et letabuntur: et innocens subsannabit eos. 20 Nonne succisa est erectio eorum: et reliquias eorum deuorauit ignis? 21 Acquiesce igitur ei et habeto pacem: et per hec habebis fructus optimos. 22 Suscipe ex ore illius legem: et pone sermones eius in corde tuo. 23 Si reuersus fueris ad omnipotentem edificaberis: et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. 24 Dabit pro terra silicem: et pro silice torrentes aureos. 25 Eritque omnipotens contra hostes tuos: et argentum coaceruabitur tibi. 26 Tunc super omnipotentem delicijs affluues: et eleuabis ad deum faciem tuam. 27 Rogabis eum et exaudiet te: et vota tua reddes. 28 Decernes rem et veniet tibi: et in vijs tuis splendebit lumen. 29 Qui enim humiliatus fuerit erit in gloria: et qui inclinauerit oculos ipse saluabitur. 30 Saluabitur innocens: saluabitur autem mundicia manuum suarum.

23 Respondens autem iob ait. 2 Nunc in amaritudine est sermo meus: et manus plage mee aggrauata est super gemitum meum. 3 Quis michi tribuat vt cognoscam et inueniam illum: et veniam vsque ad solium eius? 4 Ponam coram eo iudicium· et os meum replebo increpacionibus: 5 vt sciam verba que michi respondeat: et intelligam quid loquatur michi. 6 Nolo multa fortitudine contendat mecum: nec magnitudinis sue mole me premat. 7 Proponat equitatem contra me: et perueniet ad victoriam iudicium meum. 8 Si ad orientem iero non apparet: si ad occidentem non intelligam eum. 9 Si ad sinistram quid agam? Non apprehendam eum. Si me vertam ad dexteram: non videbo illum. 10 Ipse vero scit viam meam: et probabit me quasi aurum quod per ignem transit. 11 Vestigia eius secutus est pes meus: viam eius custodiui: et non declinaui ex ea. 12 A mandatis labiorum eius non recessi: et in sinu meo abscondi verba oris eius. 13 Ipse enim solus est: et nemo auertere potest cogitationem eius: et anima eius quodcumque voluit hoc fecit. 14 Cumque expleuerit in me voluntatem suam: et alia multa similia presto sunt ei. 15 Et idcirco a facie eius turbatus sum: et considerans eum timore sollicitor. 16 Deus molliuit cor meum: et omnipotens conturbauit me. 17 Non enim perij propter imminentes tenebras: nec faciem meam operuit caligo.

24 Ab Ab omnipotente non sunt abscondita tempora: qui autem nouerunt eum ignorant dies illius. 2 Alij terminos transtulerunt: diripuerunt greges: et pauerunt eos. 3 Asinum pupillorum abegerunt: et abstulerunt pro pignore bouem vidue. 4 Subuerterunt pauperum viam: et oppresserunt pariter mansuetos terre. 5 Alij quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum: vigilantesque ad predam preperant panem liberis. 6 Agrum non suum demetunt: et vineam eius quem vi oppresserunt vindemiant. 7 Nudos dimittunt homines indumenta tollentes: quibus non est operimentum in frigore· 8 quos ymbres montium rigant: et non habentes velamen amplexantur lapides. 9 Vim fecerunt depredantes pupillos: et vulgum pauperem spoliauerunt. 10 Nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus tulerunt spicas. 11 Inter aceruos eorum meridiati sunt: qui calcatis torcularibus sitiunt. 12 De ciuitatibus fecerunt viros gemere: et anima vulneratorum clamabit· et deus in vltum abire non patitur. 13 Ipsi fuerunt rebelles luminis. Nescierunt vias eius: nec reuersi sunt per semi emitas illius. 14 Mane primo consurgit homicida: interficit egetum et pauperem: per noctem vero erit quasi fur. 15 Oculus adulteri obseruat caliginem dicens non me videbit oculus: et operiet vultum suum. 16 Perfodit in tenebris domos sicut in die condixerant sibi: et ignorauerunt lucem. 17 Si subito apparuerit aurora arbitrantur vmbram mortis: et sic in tenebris quasi in luce ambulant. 18 Leuis est super faciem aque. Maledicta sit pars eius in terram: nec ambulet per viam vinearum. 19 Ad nimium calorem transiet ab aquis niuium: et vsque ad inferos peccatum illius. 20 Obliuiscatur eius misericordia. Dulcedo illius vermes. Non sit in recordatione: sed conteratur sicut lignum infructuosum. 21 Pauit enim sterilem et que non parit: et vidue bene non fecit. 22 Detraxit fortes in fortitudine sua: et cum steterit non credet vite sue. 23 Dedit ei deus locum penitentie: et ille abutitur eo in superbia. Oculi autem eius sunt in vijs illius. 24 Eleuati sunt ad modicum et non subsistent: et humiliabuntur sicut omnia et auferentur: et sicut summitates spicarum conterentur. 25 Quod si non ita quis me potest arguere esse mentitum: et ponere ante deum verba mea?

25 Respondens autem baldad suites dixit. 2 Potestas et terror apud eum est: qui facit concordiam in sublimibus suis. 3 Nunquid est numerus militum eius: et super quem non surget lumen illius? 4 Numquid iustificari potest homo comparatus deo: aut apparere mundus natus de muliere? 5 Ecce luna etiam non splendet et stelle non sunt munde in conspectu eius: 6 quanto magis homo putredo et filius hominis neruus?

26 Respondens autem iob dixit. 2 Cuius adiutor es? Numquid imbecillis? et sustentas brachium eius qui non est fortis? 3 Cui dedisti consilium? Forsitan illi qui non habet sapientiam: prudentiam tuam ostendisti plurimam. 4 Quem docere voluisti? Nonne eum qui fecit spiramentum? 5 Ecce gigantes gemunt sub aquis: et qui habitant cum eis. 6 Nudus est infernus coram illo: et nullum est operimentum perditioni. 7 Qui extendit aquilonem super vacuum: et appendit terram super nichili. 8 Qui ligat aquas in nubibus suis: vt non erumpant pariter deorsum. 9 Qui tenet vultum solij sui: et expandit super illud nebulam suam. 10 Terminum circundedit aquis: vsque dum finiantur lux et tenebre. 11 Columne celi contremiscunt: et pauent ad nutum eius. 12 In fortitudine illius repente maria congregata sunt: et prudentia eius percussit superbum. 13 Spiritus eius ornauit celos: et obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus. 14 Ecce hec ex parte dicta sunt viarum eius. Et cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

27 Addidit que iob assumens parabolam suam et dixit. 2 Viuit deus qui abstulit iudicium meum et omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam: 3 quia donec superest alitus in me et spiritus dei in naribus meis 4 non loquentur labia mea iniquitatem: nec lingua mea meditabitur mendatium. 5 Absit a me vt iustos esse vos iudicem. Donec deficiam non recedam ab innocentia mea. 6 Iustificationem meam quam cepi tenere· non deseram. Neque enim reprehendit me cor meum: in omni vita mea. 7 Sicut impius inimicus meus: et aduersarius meus quasi iniquus. 8 Que est enim spes ypocrite si auare rapiat: et non liberet deus animam eius? 9 Numquid deus audiet clamorem eius cum venerit super eum angustia? 10 Aut poterit in omnipotente delectari: et inuocare deum omni tempore? 11 Docebo vos per manum dei que omnipotens habeat: nec abscondam. 12 Ecce omnes vos nostis: et quid sine causa vana loquimini? 13 Hec est pars hominis impij apud deum: et hereditas violentorum quam ab omnipotente suscipient. 14 Si multiplicati fuerint filij eius in gladio erunt: et nepotes eius non saturabuntur pane. 15 Qui reliqui fuerint ex eo sepelientur in interitu: et vidue illius non plorabunt. 16 Si comportauerit quasi terra argentum et sicut lutum preparauerit vestimenta: 17 preparabit quidem sed iustus vescietur illis: et argentum innocens diuidet. 18 Edificauit sicut tinea domum suam: et sicut custos fecit vmbraculum. 19 Diues cum dormierit nichil secum auferet· aperiet oculos suos et nichil inueniet. 20 Apprehendet eum quasi aqua inopia: nocte opprimet eum tempestas. 21 Tollet eum ventus vrens et auferet: et velut turbo rapiet eum de loco suo. 22 Et mittet super eum: et non parcet: de manu eius fugiens fugiet. 23 Stringet super eum manus suas: et sibilabit super illum intuens locum eius.

28 Habet argentum venarum suarum pricipia: et auro locus est in quo conflatur. 2 Ferrum de terra tollitur: et lapis solutus calore in es vertitur. 3 Tempus posuit tenebris: et vniuersorum finem ipse considerat. Lapidem quoque caliginis et vmbram mortis 4 diuidet torrens a populo peregrinante: eos quos oblitus est pes egentis hominis et inuios. 5 Terra de qua oriebatur panis: in loco suo igni subuersa est 6 locus saphiri lapides eius: et glebe illius aurum. 7 Semitam ignorauit auis: nec intuitus est oculos vulturis. 8 Non calcauerunt eam filij institorum: nec pertransiuit per eam leena. 9 Ad salicem extendit manum suam: subuertit a radicibus montes. 10 In petris riuos excidit et omne preciosum vidit oculus eius. 11 Profunda quoque fluuiorum scrutatus est: et abscondita produxit in lucem. 12 Sapientia vero vbi inuenitur: et quis est locus intelligentie? 13 Nescit homo precium eius: nec inuenitur in terra suauiter viuentium. 14 Abissus dicit non est in me: et mare loquitur non est mecum. 15 Non dabitur aurum obrizum pro ea: nec appendetur argentum in comutatione eius. 16 Non conferetur tinctis indie coloribus: nec lapidi sardonico preciosissimo vel saphiro. 17 Non adequabitur adequabitur ei aurum vel vitrum: nec commutabuntur rabuntur vasa pro ea auri 18 excelsa et eminentia: non commemorabuntur comperatione eius. Trahitur autem sapientia de occultis. 19 Non adequabitur ei topasion de ethiopia: nec tincture mundissime componetur. 20 Vnde ergo sapientia venit: et quis est locus intelligentie? 21 Abscondita est ab oculis omnium viuentium: volucres quoque celi latet. 22 Perditio et mors dixerunt: auribus nostris audiuimus famam eius. 23 Deus intelligit viam eius: et ipse nouit locum illius. 24 Ipse enim fines mundi intuetur: et omnia que sub celo sunt respicit. 25 Qui fecit ventis pondus: et aquas appendit mensura. 26 Quando ponebat pluuijs legem et viam procellis sonantibus: 27 tunc vidit illam et enarrauit: et preparauit et inuestigauit· 28 et dixit homini. Ecce timor domini ipsa est sapientia: et recedere a malo intelligentia.

29 Addidit quoque iob assumens parabolam suam et dixit. 2 Quis michi tribuat vt sim iuxta menses pristinos: secundum dies quibus deus custodiebat me? 3 Quando splendebat lucerna eius super caput meum: et ad lumen eius ambulabam in tenebris. 4 Sicut fui in diebus adolescentie mee: quando deus secreto erat in tabernaculo meo. 5 Quando erat omnipotens mecum: et in circuitu meo pueri mei. 6 Quando lauabam pedes meos butiro: et petra fundebat michi riuos olei. 7 Quando procedebam ad portam ciuitatis: et in platea parabant cathedram michi. 8 Videbant me iuuenes et abscondebantur: et senes stabant assurgentes. 9 Principes cessabant loqui: et digitum superponebant ori suo. 10 Vocem suam cohibebant duces: et lingua eorum gutturi suo adherebat. 11 Auris audiens beatificabat me: et oculus videns testimonium reddebat michi: 12 eo quod liberassem pauperem vociferantem: et pupillum cui non esset adiutor. 13 Benedictio perituri super me veniebat: et cor vidue consolatus sum. 14 Iusticia indutus sum: et vestiui me sicut vestimento et diademate iuditio meo. 15 Oculus fui ceco: et pes claudo. 16 Pater eram pauperum: et causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam. 17 Conterebam molas iniqui: et de dentibus illius auferebam predam. 18 Dicebamque in nidulo meo moriar: et sicut palma multiplicabo dies. 19 Radix mea aperta est secus aquas: et ros morabitur in messione mea. 20 Gloria mea semper innouabitur: et arcus meus in manu mea instaurabitur. 21 Qui me audiebant expectabant sententiam: et intenti tacebant ad consilium meum. 22 Verbis meis addere nichil audebant: et super illos stillabat eloquium meum. 23 Expectabant me sicut pluuiam: et os suum aperiebant quasi ad ymbrem serotinum. 24 Si quando ridebam ad eos non credebant: et lux vultus mei non cadebat in terram. 25 Si voluissem ire ad eos sedebam primus. Cunque sederem quasi rex circumstante exercitu: eram tamen merentium consolator.

30 Nunc autem derident me iuniores tempore: quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. 2 Quorum virtus manuum michi erat pro nichilo: et vita ipsa putabantur indigni. 3 Egestate et fame steriles: qui rodebant in solitudine squalentes calamitate et miseria. 4 Et mandebant herbas et arborum cortices: et radix iuniperorum erat cibus eorum. 5 Qui de conuallibus ista rapientes: cum singula reperissent· ad ea cum clamore currebant. 6 In desertis habitabant torrentium: et in cauernis terre· vel super glaream. 7 Qui inter huiuscemodi letabantur: et esse sub sentibus delicias computabant. 8 Filij stultorum et ignobilium: et in terra penitus non parentes. 9 Nunc in eorum canticum versus sum: et factus sum eis in prouerbium. 10 Abominantur me et longe fugiunt a me: et faciem meam conspuere non verentur. 11 Pharetram enim suam aperuit et afflixit me: et frenum posuit in os meum. 12 Ad dextram orientis calamitatis mee ilico surrexerunt. Pedes meos subuerterunt: obpresserunt quasi fluctibus semitis suis. 13 Dissipauerunt itinera mea: insidiati sunt michi et preualuerunt: et non fuit qui ferret auxilium. 14 Quasi rupto muro et aperta ianua irruerunt super me: et ad meas miserias deuoluti sunt. 15 Redactus sum in nichilum. Abstulisti quasi ventus desiderium meum: et velut nubes pertransit salus mea. 16 Nunc autem in memetipso marcescit anima mea: et possident me dies afflictionis. 17 Nocte os meum perforatur doloribus: et qui comedunt me non dormiunt. 18 In multitudine eorum consumitur vestimentum meum: et quasi capitio tunice cinxerunt me. 19 Comparatus sum luto: et sum fauille et cineri. 20 Clamo ad te et non exaudis me: sto et non respicis me. 21 Mutatus es michi in crudelem: et in duritia manus tue aduersaris michi. 22 Eleuasti me: et quasi super ventum ponens elisisti me valide. 23 Scio quia morti tradas me: vbi constituta est

domus omni viuenti. [24] Veruntamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam: et si corruerit ipse saluabis. [25] Flebam quondam super eo qui afflictus erat: et compatiebatur anima mea pauperi. [26] Expectabam bona et venerunt michi mala: prestolabar lucem et eruperunt tenebre. [27] Interiora mea efferbuerunt absque vlla requie: preuenerunt me dies afflictionis. [28] Merens incedebam: sine furore consurgens· in turba clamaui. [29] Frater fui draconum: et socius strucionum. [30] Cutis mea denigrata est super me: et ossa mea aruerunt pre caumate. [31] Versa est in luctum cythara mea: et organum meum in vocem flentium.

31 Pepigi fedus cum oculis meis: vt ne cogitarem quidem de virgine. [2] Quam enim partem haberet in me deus desuper: hereditatem omnipotens de excelsis? [3] Nunquid non perditio est iniquo: et alienatio operantibus in iusticiam? [4] Nonne ipse considerat vias meas: et cunctos gressus meos dinumerat? [5] Si ambulaui in vanitate et festinauit in dolo pes meus: [6] appendat me in statera iusta: et sciat deus simplicitatem meam. [7] Si declinauit gressus meus de via· et si secutus est oculus meus cor meum· et si in manibus meis adhesit macula: [8] seram et alius comedat: et progenies mea eradicetur. [9] Si deceptum est cor meum super muliere: et si ad hostium amici mei insidiatus sum: [10] scortum alterius sit vxor mea· et super illam incuruentur alij. [11] Hoc enim nephas est et iniquitas maxima: [12] ignis vsque ad perditionem deuorans: et omnia eradicans genimina. [13] Si contempsi subire iudicium cum seruo meo et ancilla mea: cum disceptarent aduersum me. [14] Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum deus: et cum quesierit quid respondebo illi? [15] Numquid non in vtero fecit me qui et illum operatus est· et formauit me in vulua vnus? [16] Si negaui quod volebant pauperibus: et oculos vidue expectare feci. [17] Si comedi buccellam meam solus: et non comedit pupillus ex ea. [18] Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio: et de vtero matris mee egressa est mecum. [19] Si despexi pretereuntem eo quod non habuerit indumentum: et absque operimento pauperem. [20] Si non benedixerunt michi latera eius: et de velleribus ouium mearum calefactus est. [21] Si leuaui super pupillum manum meam etiam cum viderem me in porta superiorem: [22] humerus meus a iunctura sua cadat: et brachium meum cum suis ossibus confringatur. [23] Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui deum: et pondus eius ferre non potui. [24] Si putaui aurum robur meum: et obrizo dixi fiducia mea. [25] Si letatus sum super multis diuitijs meis: et quia plurima repperit manus mea. [26] Si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare· [27] et letatum est in abscondito cor meum: et osculatus sum manum meam ore meo· [28] que est iniquitas maxima· et negatio contra deum altissimum. [29] Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat: et exultaui quod inuenisset eum malum. [30] Non enim dedi ad peccandum guttur meum: vt expeterem maledicens animam eius. [31] Si non dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus eius vt saturemur. [32] Foris non mansit peregrinus: ostium meum viatori patuit. [33] Si abscondi quasi homo peccatum meum: et celaui in sinu meo iniquitatem meam. [34] Si expaui ad multitudinem nimiam: et despectio propinquorum terruit me: et non magis tacui nec egressus sum ostium. [35] Quis michi tribuat adiutorem vt desiderium meum audiat omnipotens· et librum scribat ipse qui iudicat: [36] vt in humero meo portem illum et circumdem illum quasi coronam michi? [37] Per singulos gradus meos pronunciabo illum: et quasi principi offerem eum. [38] Si aduersum me terra mea clamat: et cum ipsa sulci eius deflent. [39] Si fructus eius comedi absque pecunia: et animam agricularum eius afflixi: [40] pro frumento oriatur michi tribulus: et pro ordeo spina.

32 Omiserunt autem tres viri isti respondere iob: eo quod iustus sibi videretur. [2] Et iratus indignatusque est heliu filius barachel buzites de cognatione ram. Iratus est autem aduersum iob: eo quod iustum se esse diceret coram deo. [3] Porro aduersum amicos eius indignatus est eo quod non inuenissent responsionem rationabilem: sed tantummodo condemnassent iob. [4] Igitur heliu expectauit iob loquentem: eo quod seniores essent qui loquebantur. [5] Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent: iratus est vehementer. [6] Respondensque heliu filius barachel buzites dixit. Iunior sum tempore: vos autem antiquiores. Idcirco dimisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam. [7] Sperabam enim quod etas prolixior loqueretur: et annorum multitudo doceret sapientiam. [8] Sed vt video spiritus est in hominibus: et inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. [9] Non sunt longeui sapientes: nec senes intelligunt iudicium. [10] Ideo dicam audite me: ostendam vobis etiam ego meam scientiam. [11] Expectaui enim sermones vestros: audiui prudentiam vestram. Donec disceptaremini sermonibus vestris: [12] et donec putabam vos aliquid dicere considerabam. Sed vt video non est qui possit arguere iob: et respondere ex vobis sermonibus eius. [13] Ne forte dicatis inuenimus sapientiam: deus proiciet eum non homo. [14] Nichil locutus est michi: et ego non secundum sermones vestros respondebo illi. [15] Extimuerunt· nec responderunt vltra: abstuleruntque a se eloquium. [16] Quoniam igitur expectaui et non sunt locuti· steterunt nec responderunt vltra: [17] respondebo et ego partem meam: et ostendam scientiam meam. [18] Plenus sum enim sermonibus: et coartat me spiritus vteri mei. [19] En venter meus quasi mustum absque spiraculo: quod lagunculas nouas dirumpit. [20] Loquar et respirabo paululum: aperiam labia mea et respondebam. [21] Non accipiam personam viri: et deum homini non equabo. [22] Nescio enim quamdiu subsistam: et si post modicum tollat me factor meus.

33 Audi igitur iob eloquia mea: et omnes sermones meos ausculta. [2] Ecce aperui os meum: loquatur lingua mea in faucibus meis. [3] Simplici corde meo sermones mei: et sententiam labia mea puram loquentur. [4] Spiritus dei fecit me: et spiraculum omnipotentis viuificauit me. [5] Si potes responde michi: et aduersus faciem meam consiste. [6] Ecce et me sicut et te fecit deus: et de eodem luto ego quoque formatus sum. [7] Verumtamen miraculum meum non te terreat: et eloquentia mea non sit tibi grauis. [8] Dixisti ergo in auribus meis: et vocem verborum tuorum audiui. [9] Mundus sum ego et absque delicto: immaculatus· et non est iniquitas in me. [10] Quia querelas in me repperit: ideo arbitratus est me inimicum sibi. [11] Posuit in neruo pedes meos: custodiuit omnes semitas meas. [12] Hoc est ergo in quo non es iustificatus. Respondebo tibi: quia maior sit deus homine. [13] Aduersum eum contendis: quod non ad omnia verba responderit tibi. [14] Semel loquitur deus: et secundo idipsum non repetit. [15] Per somnium in visione nocturna: quando irruit sopor super homines: et dormiunt in lectulo. [16] Tunc aperit aures virorum et erudiens eos instruit disciplina: [17] vt auertat hominem ab hijs que fecit· et liberet eum de superbia: [18] eruens animam eius a corruptione· et vitam illius vt non transeat in gladium. [19] Increpat quoque per dolorem in lectulo: et omnia ossa eius marcescere facit. [20] Abominabilis ei fit in vita sua panis: et anime illius cibus ante desiderabilis. [21] Tabescet caro eius: et ossa que tecta fuerant nudabuntur. [22] Appropinquabit corruptioni anima eius: et vita illius mortiferis. [23] Si fuerit pro eo angelus loquens vnum de similibus vt annunciet hominis equitatem: [24] miserebitur eius et dicet. Libera eum: vt non descendat in corruptionem. Inueni in quo ei propiciet. [25] Consumpta est caro eius a supplicijs: reuertatur ad dies adolescentie sue. [26] Deprecabitur deum et placabilis ei erit: et videbit faciem eius in iubilo: et reddet homini iusticiam suam. [27] Respiciet homines et dicet. Peccaui et vere deliqui: et vt eram dignus non recepi. [28] Liberauit animam suam ne pergeret in interitum: sed viuens lucem videret. [29] Ecce hec omnia operatur deus tribus vicibus per singulos: [30] vt reuocet animas eorum a corruptione: et illuminet luce viuentium. [31] Attende iob et audi me: et tace dum ego loquor. [32] Si autem habes quod loquaris responde michi. Loquere. Volo enim te apparere iustum. [33] Quod si non habes audi me: tace et docebo te sapientiam.

34 Pronuncians itaque heliu etiam hec locutus est. [2] Audite sapientes verba mea: et eruditi auscultate me. [3] Auris enim verba probat: et guttur escas gustu diudicat. [4] Iudicium eligamus nobis: et inter nos videamus quid sit melius. [5] Quia dixit iob iustus sum: et deus subuertit iudicium meum. [6] In iudicando enim me mendacium est: violenta sagitta mea absque vllo peccato. [7] Quis est vir vt est iob qui bibit subsannationem quasi aquam: [8] qui graditur cum operantibus iniquitatem et ambulat cum viris impijs? [9] Dixit

enim non placebit vir deo: etiam si cucurrerit cum eo. [10] Ideo viri cordati audite me. Absit a deo impietas: et ab omnipotente iniquitas. [11] Opus enim hominis reddet ei: et iuxta vias singulorum restituet eis. [12] Vere enim deus non condemnabit frustra: nec omnipotens subuertet iudicium. [13] Quem constituit alium super terram: aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? [14] Si direxerit ad eum cor suum: spiritum illius et flatum ad se trahet. [15] Deficiet omnis caro simul: et homo in cinerem reuertetur. [16] Si habes ergo intellectum audi quod dicitur: et ausculta vocem eloquij mei. [17] Nunquid qui non amat iudicium sanari potest? Et quomodo tu eum qui iustus est intantum condemnas? [18] Qui dicit regi apostata: qui vocat duces impios. [19] Qui non accipit personas principum: nec cognouit tyrannum cum disceptaret contra pauperem. Opus enim manuum eius sunt vniuersi. [20] Subito morientur: et in media nocte turbabuntur populi: et pertransibunt et auferent violentum absque manu. [21] Oculi enim eius super vias hominum: et omnes gressus eorum considerat. [22] Non sunt tenebre et non est vmbra mortis: vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. [23] Neque enim vltra in hominis potestate est: vt veniat ad deum in iudicium. [24] Conteret multos innumerabiles: et stare faciet alios pro eis. [25] Nouit enim opera eorum: et idcirco inducet noctem et conterentur. [26] Quasi impios· percussit eos in loco videntium. [27] Qui quasi de industria recesserunt ab eo· et omnis vias eius intelligere noluerunt: [28] vt peruenire facerent ad deum clamorem egeni: et audiret vocem pauperum. [29] Ipso enim concedente pacem: quis est qui condemnet? Exquo absconderit vultum: quis est qui contempletur eum? Et super gentes: et super omnes homines. [30] Qui regnare facit hominem ypocritam propter peccata populi. [31] Quia ergo ego locutus sum ad deum: teque non prohibebo. [32] Si erraui tu doce me. Si iniquitatem locutus sum: vltra non addam. [33] numquid a te deus expetit eam: quia displicuit tibi? Tu enim cepisti loqui et non ego. Quod si quid nosti melius loquere. [34] Viri intelligentes loquantur michi: et vir sapiens audiet me. [35] Iob autem stulte locutus est: et verba illius non sonant disciplinam. [36] Pater mi probetur iob vsque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis: [37] qui addit super peccata sua blasphemiam. Inter nos interim constringatur: et tunc ad iudicium prouocet sermonibus suis deum.

35 Igitur heliu hec rursum locutus est. [2] Numquid equa videtur tibi tua cogitatio: vt diceres iustior deo sum? [3] Dixisti enim. Non tibi placet quod rectum est. Vel quid tibi proderit: si ego peccauero? [4] Itaque ego respondebo sermonibus tuis: et amicis tuis tecum. [5] Suspice celum et intuere: et contemplare ethera quod altior te sit. [6] Si peccaueris: quid ei nocebis? Et si multiplicate fuerit iniquitates tue: quid facies contra eum? [7] Porro si iuste egeris· quid donabis ei: aut quid de manu tua accipiet? [8] Homini qui similis tui est nocebit impietas tua: et filium hominis adiuuabit iusticia tua. [9] Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: et eiulabunt propter vim brachij tyrannorum. [10] Et non dixit vbi est deus qui fecit me: qui dedit carmina in nocte. [11] Qui docet nos super iumenta terre: et super volucres celi erudit nos. [12] Ibi clamabunt et non exaudiet propter superbiam malorum. [13] Non ergo frustra audiet deus: et omnipotens causas singulorum intuebitur. [14] Etiam cum dixeris non considerat: iudicare coram illo· et expecta eum. [15] Nunc enim non infert furorem suum: nec vlciscitur scelus valde. [16] Ergo iob frustra aperit os suum: et absque scientia verba multiplicat.

36 Addens quoque heliu hec locutus est. [2] Sustine me paululum: et indicabo tibi. Adhuc enim habeo quod pro deo loquar. [3] Repetam scientiam meam a principio: et operatorem meum probabo iustum. [4] Vere enim absque mendatio sermones mei: et perfecta scientia probabitur tibi. [5] Deus potentes non abicit cum et ipse sit potens: [6] sed non saluat impios: et iudicium pauperibus tribuit. [7] Non auferet a iusto oculos suos: et reges in solio collocat in perpetuum: et illic eriguntur. [8] Et si fuerint in cathenis et vinciantur funibus paupertatis: [9] indicabit eis opera eorum et scelera eorum: quia violenti fuerunt. [10] Reuelabitque aurem eorum vt corripiat: et loquetur vt reuertantur ab iniquitate. [11] Si audierit et obseruauerint complebunt dies suos in bono: et annos suos in gloria. [12] Si autem non audierint transibunt per gladium: et consumentur in stulticia. [13] Simulatores et callidi prouocant iram dei: neque clamabunt cum vincti fuerint. [14] Morietur in tempestate anima eorum: et vita eorum inter effeminatos. [15] Eripiet de angustia sua pauperem: et reuelabit in tribulatione aurem eius. [16] Igitur saluabit te de ore angusto latissime: et non habente fundamentum subter se. Requies autem mense tue erit plena pinguedine. [17] Causa tua quasi impij iudicata est: causam iudiciumque recipies. [18] Non te ergo superet ira vt aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te. [19] Depone magnitudinem tuam absque tribulatione: et omnes robustos fortitudine. [20] Ne protrahas noctem: vt ascendant populi pro eis. [21] Caue ne declines ad iniquitatem. Hanc enim cepisti sequi post miseriam. [22] Ecce deus excelsus in fortitudine sua: et nullus ei similis in legislatoribus. [23] Quis poterit scrutari vias eius: aut quis potest ei dicere operatus es iniquitatem? [24] Memento quod ignores opus eius: de quo cecinerunt viri. [25] Omnes homines vident eum: vnusquisque intuetur procul. [26] Ecce deus magnus vincens scientiam nostram. Numerus annorum eius inestimabilis. [27] Qui aufert stellas pluuie et effundit ymbres ad instar gurgitum. [28] Qui de nubibus fluunt: que pretexunt cuncta desuper. [29] Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum [30] et fulgurare lumine suo desuper: cardines quoque maris operiet. [31] Per hec enim iudicat populos: et dat escam multis mortalibus. [32] In manibus abscondit lucem et precipit ei vt rursus adueniat. [33] Annunciat de ea amico suo quod possessio eius sit: et ad eam possit ascendere.

37 Super hoc expauit cor meum: et emotum est de loco suo. [2] Audiet auditionem in terrore vocis eius: et sonum de ore illius procedentem. [3] Subter omnes celos ipse considerat: et lumen illius super terminos terre. [4] Post eum rugiet sonitus: tonabit voce magnitudinis sue: et non inuestigabitur cum audita fuerit vox eius. [5] Tonabit deus in voce sua mirabiliter: qui facit magna et inscrutabilia. [6] Qui precipit niui vt descendat in terram: et hiemis pluuijs et imbri fortitudinis sue. [7] Qui in manu omnium hominum signat vt nouerint singuli opera sua. [8] Ingredietur bestia latibulum suum: et in antro suo morabitur. [9] Ab interioribus egredietur tempestas: et ab arcturo frigus. [10] flante deo concrescit gelu: et rursum latissime funduntur aque. [11] Frumentum desirat nubes: et nubes spargunt lumen suum. [12] Que lustrant cuncta per circuitum quocumque eas voluntas gubernantis duxerit ad omne quod preceperit illis super faciem orbis terrarum: [13] siue in vna tribu siue in terra sua· siue in quocumque loco misericordie sue eas iusserit inueniri. [14] Ausculta hec iob: sta et considera mirabilia dei. [15] Numquid scis quando precepit deus pluuijs: vt ostenderent lucem nubium eius? [16] Nunquid nosti semitas nubium magnas: et perfectas scientias? [17] Nonne vestimenta tua calida sunt cum perflata fuerit terra austro? [18] Tu forsitan cum eo fabricatus es celos: qui solidissimi quasi ere fusi sunt. [19] Ostende nobis quid dicamus illi. Nos quippe inuoluimur tenebris. [20] Quis narrabit ei que loquor? Etiam si locutus fuerit homo deuorabitur: [21] at nunc non vident lucem. Subito aer cogetur in nubes: et ventus transiens fugabit eas. [22] Ab aquilone aurum venit: et a deo formidolosa laudatio. [23] Digne eum inueniri non possumus. Magnus fortitudine et iudicio et iusticia: et enarrari non potest. [24] Ideo timebunt eum viri: et non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

38 Respondens autem dominus iob de turbine dixit. [2] Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis? [3] Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te: et responde michi. [4] Vbi eras quando ponebam fundamenta terre: Indica michi si habes intelligentiam. [5] Quis posuit mensuras eius si nosti: vel quis tetendit super eam lineam? [6] Super quo bases illius solidate sunt? Aut quis dimisit lapidem angularem eius [7] cum me laudarent simul astra matutina: et iubilarent omnes filij dei? [8] Quis conclusit ostijs mare quando erumpebat quasi de vulua procedens: [9] cum ponerem nubem vestimentum eius· et caligine illud quasi pannis infantie obuoluerem? [10] Circumdedi illud terminis meis: et posui vectem et ostia: [11] et dixi. Vsque huc venies et non procedes amplius: et hic confringes tumentes fluctus tuos. [12] Numquid post ortum tuum precepisti diluculo et ostendisti aurore locum suum: [13] et tenuisti concutiens extrema terre· excussisti impios ex ea?

14 Restituetur vt lutum signaculum: et stabit sicut vestimentum. 15 Auferetur ab impijs lux sua: et brachium excessum confringetur. 16 Nunquid ingressus es profundum maris: et in nouissimis abissi deambulasti? 17 Aunquid aperte sunt tibi porte mortis: et ostia tenebrosa vidisti? 18 Nunquid considerasti latitudinem terre? Indica michi si nosti omnia 19 in qua via lux habitet et tenebrarum quis locus sit: 20 vt ducas vnumquodque ad terminos suos· et intelligas semitas domus eius. 21 Sciebas tunc quod nasciturus esses: et numerum dierum tuorum noueras? 22 Nunquid ingressus es thesauros niuis aut thesauros grandinis aspexisti: 23 que preparaui in tempus hostis· in diem pugne et belli? 24 Per quam viam spergitur lux· diuiditur estus super terram? 25 Quis dedit vehementissimo ymbri cursum et viam sonantis tonitrui: 26 vt plueret super terram absque homine in deserto vbi nullus mortalium commoratur: 27 vt impleret inuiam et desolatam· et produceret herbas virentes? 28 Quis est pluuie pater: vel quis genuit genuit stillas roris? 29 de cuius vtero egressa est glacies: et gelu de celo quis genuit? 30 In similitudinem lapidis aque durantur: et superficies abissi constringitur. 31 Nunquid coniungere valebis micantes stellas pliades: aut girum arcturi poteris dissipare? 32 Nunquid producis luciferum in tempore suo: et vesperum super filios terre consurgere facis? 33 Nunquid nosti ordinem celi: et pones rationem eius in terra? 34 Nunquid eleuabis in nebulam vocem tuam: et impetus aquarum operiet te? 35 Nunquid mittes fulgura et ibunt: et reuertentia dicent tibi assumus? 36 Quis posuit in visceribus hominis sapientiam: vel quis dedit gallo intelligentiam? 37 Quis enarrabit celorum rationem: et concentum celi quis dormire faciet? 38 Quando fundabatur puluis in terram: et glebe compingebantur? 39 Nunquid capies leene predam· et animam catulorum eius implebis: 40 quando cubant in antris et in specubus insidiantur? 41 Quis preparat coruo escam suam: quando pulli eius clamant ad deum vagantes eo quod non habeant cibos?

39 Nunquid tempus partus ibicum in petris: vel parturientes ceruas obseruasti? 2 Dinumerasti menses conceptus earum: et scisti tempus partus earum? 3 Incuruantur ad fetum et pariunt: et rugitus emittunt. 4 Separantur filij rarum et pergunt ad pastum: egrediuntur et non reuertentur ad eas. 5 Quis dimisit onagrum liberum: et vincula eius quis soluit? 6 Cui dedi in solitudine domum: et tabernacula eius in terra salsuginis. 7 Contemnit multitudinem ciuitatis: clamorem exactoris non audit. 8 Circumspicit montes pascue sue: et virentia queque perquirit. 9 Nunquid volet rinoceros seruire tibi: aut morabitur ad presepe tuum? 10 Nunquid alligabis rinocerotam ad arandum loro tuo: aut confringet glebas vallium post te? 11 Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius? Et derelinques ei labores tuos? 12 Nunquid credes illi quoniam sementem reddet tibi: et aream tuam congreget? 13 Penna strucionis similis est pennis herodij et accipitris. 14 Quando derelinquit oua sua in terra: tu forsitan in puluere calefacies ea: 15 Obliuiscitur quod pes conculcet ea: aut bestia agri conterat. 16 Duratur ad filios suos quasi non sint sui: frustra laborauit nullo timore cogente. 17 Priuauit enim eam deus sapientia: nec dedit illi intelligentiam. 18 Cum tempus fuerit in altum alas erigit: deridet equum et ascensorem eius. 19 Numquid prebebis equo fortitudinem: aut circumdabis collo eius hinnitum: 20 Nunquid suscitabis eum quasi locustas? Gloria narium eius terror: 21 terram vngula fodit. Exultat audacter: in occursum pergit armatis. 22 Contemnit pauorem: nec cedit gladio. 23 Super ipsum sonabit pharetra: vibrabit hasta et clipeus. 24 Feruens et fremens sorbet terram: nec reputat tube sonare clangorem. 25 Vbi audierit bucinam dicit vah: procul odoratur bellum exhortationem ducum· et vlulatum exercitus. 26 Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter: expandens alas suas ad austrum? 27 Nunquid ad preceptum tuum eleuabitur aquila: et in arduis ponet nidum suum: 28 In petris manet· et in preruptis silicibus commoratur: atque inaccessis rupibus. 29 Inde contemplatur escam: et de longe oculi eius prospiciunt. 30 Pulli eius lambuut sanguinem: et vbicumque cadauer fuerit statim adest. 31 Et adiecit dominus: et locutus est ad iob. 32 Nunquid qui contendit cum deo: tam facile conquiescit? Vtique qui arguit deum: debet et respondere ei. 33 Respondens autem iob domino dixit. 34 Qui leuiter locutus sum· respondere quid possum? Manum meam ponam super os meum. 35 Vnum locutus sum quod vtinam non dixissem: et alterum: quibus vltra non addam.

40 Respondens autem dominus iob de turbine dixit. 2 Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te: et indica michi. 3 Numquid irritum facies iudicium meum: et condemnabis me vt iustificeris? 4 Et si habes brachium sicut deus et voce simili tonas: 5 circumda tibi decorem et in sublime erigere: et esto gloriosus et speciosus induere vestibus. 6 Disperge superbos in furore tuo et confunde eos: et respiciens omnem arrogantem humilia. 7 Respice cunctos superbos et confunde eos: et con tere impios in loco suo. 8 Absconde eos in puluere simul: et facies eorum demerge in foueam: 9 et ego confitebor quod saluare te possit dextera tua. 10 Ecce behemoth quem feci tecum: fenum quasi bos comedet. 11 Fortitudo eius in lumbis eius: et virtus illius in vmbilico ventris eius. 12 Stringit caudam suam quasi cedrum: nerui testiculorum eius perplexi sunt. 13 Ossa eius velut fistule eris: cartilago illius quasi lamine ferree. 14 Ipse est principium viarum dei. Qui fecit eum applicabit gladium eius: 15 huic montes herbas ferunt. Omnes bestie agri ludent ibi: 16 sub vmbra dormit in secreto calami· in locis humentibus. 17 Protegunt vmbre vmbram eius: circundabunt eum salices torrentis. 18 Ecce absorbebit fluuium et non mirabitur: et habet fiduciam quod influat iordanis in os eius. 19 Iu In oculis eius quasi hamo capiet eum: et in sudibus perforabit nares eius. 20 An extrahere poteris leuiathan hamo: et fune ligabis linguam eius? 21 Numquid pones circulum in naribus eius: aut armilla perforabis maxillam eius? 22 Nunquid multiplicabit ad te preces: vt loquetur tibi mollia? 23 Nunquid feriet tecum pactum: et accipies eum seruum sempiternum? 24 Nunquid illudes ei quasi aui: aut ligabis eum ancillis tuis? 25 Concident eum amici: diuident illum negociatores. 26 Nunquid implebis sagenas pelle eius: et gurgustium piscium capite illius? 27 Pones super eum manum tuam? Memento belli: nec vltra addas loqui. 28 Ecce spes eius frustrabitur eum: et videntibus cunctis precipitabitur.

41 Non quasi crudelis suscitabo eum. Quis enim resistere potest vultui meo: et 2 quis ante dedit michi vt reddam ei? Omnia que sub celo sunt mea sunt. 3 Non parcam ei verbis potentibus: et ad deprecandum compositis. 4 Quis reuelabit faciem indumenti eius? Et in medium oris eius quis intrabit? 5 Portas vultus eius quis aperiet? Per girum dentium eius formido: 6 corpus illius quasi scuta fusilia· compactum squamis se prementibus. 7 Vna vni coniungitur: et ne spiraculum quidem incedit per eas. 8 Vna alteri adherebit: et tenentes se nequaquam seperabuntur. 9 Sternutatio eius splendor ignis· et oculi eius vt palpebre diluculi. 10 De ore eius lampades procedunt· sicut tede ignis accense 11 de naribus eius procedit fumus: sicut olle succense atque feruentis. 12 Halitus eius prunas ardere facit: et flamma de ore eius egreditur. 13 In collo eius morabitur fortitudo: et faciem eius precedit egestas. 14 Membra carnium eius coherentia sibi. Mittet contra eum fulmina· et ad locum alium non ferentur. 15 Cor eius indurabitur tamquam lapis: et stringetur quasi malliatoris incus. 16 Cum sublatus fuerit timebunt angeli: et territi purgabuntur. 17 Cum apprehenderit eum gladius subsistere non poterit: neque hasta neque torax. 18 Reputabit enim quasi paleas ferrum: et quasi lignum putridum es. 19 Non fugabit eum vir sagittarius: in stipulam versi sunt ei lapides funde. 20 Quasi stipulam estimabit mallium: et deridebit vibrantem hastam. 21 Sub ipso erunt radij solis: et sternet sibi aurum quasi lutum. 22 Feruescere faciet quasi ollam profundum maris: ponet quasi cum vngenta bulliunt. 23 Post eum lucebit semita: estimabit abissum quasi senescentem. 24 Non est super terram potestas que comparetur ei: qui factus est vt nullum timerent. 25 Omne sublime videt: ipse est rex super vniuersos filios superbie.

42 Respondens autem iob domino dixit. 2 Scio quia omnia potes: et nulla te latet cogitatio. 3 Quis est iste qui celat consilium absque scientia? Ideo insipienter locutus sum: et que vltra modum excederent scientiam meam. 4 Audi et ego loquar: interrogabo te et responde michi. 5 Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. 6 Idcirco ipse me reprehendo: et ago penitentiam in fauilla et cinere. 7 Postquam autem locutus

est deus verba hec ad iob: dixit ad eliphaz themaniten. Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos: quoniam non estis locuti coram me rectum sicut seruus meus iob. [8] Sumite ergo vobis septem thauros et septem arietes: et ite ad seruum meum iob: et offerte olocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam: vt non vobis imputetur stultitia. Neque enim locuti estis ad me recta: sicut seruus meus iob. [9] Abierunt ergo eliphaz themanites et baldach suites et sophar naamatites et fecerunt sicut locutus fuerat dominus ad eos: et suscepit deus faciem iob. [10] Dominus quoque conuersus est ad penitentiam iob: cum oraret pro amicis suis. Et addidit dominus omnia quecumque fuerant iob duplicia. [11] Venerunt autem ad eum omnes fratres sui et vniuerse sorores sue et cuncti qui nouerant eum prius: et comederunt cum eo panem in domo eius. Et nouerunt super eum caput: et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat dominus super eum: et dederunt ei vnusquisque ouem vnam et inaurem auream vnam. [12] Dominus autem benedixit nouissimis iob magis quam principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim milia ouium et sex milia camelorum: et mille iuga boum· et mille asine: [13] et fuerunt ei septem filij et tres filie. [14] Et vocauit nomen vnius diem: et nomen secunde cassiam: et nomen tercie cornustibij. [15] Non sunt autem inuente mulieres speciose sicut filie iob: in vniuersa terra. Deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum. [16] Vixit autem iob post hec centum quadraginta annis: et vidit filios suos et filios filiorum suorum vsque ad quartam generacionem: et mortuus est senex et plenus dietum.

Incipit prologus beati ieronimi presbiteri in psalterium.

Psalterium rome dudum positus emendaram: et iuxta septuaginta interpretes· licet cursim· magna tamen ex parte correxeram. Quod quia rursum videtis o paula et eustochium scriptorum vitio deprauatum· plusque antiquum errorem quam nouam emendationem valere: me cogitis vt veluti quodam nouali· scissum iam aruum exerceam· et obliquis sulcis renascentes spinas eradicem: equum esse dicentes· vt quod crebro pullulat crebrius succidatur. Vnde consueta prefatione commoneo· tam vos quibus forte labor iste desudat· quam eos qui exemplaria istiusmodi habere voluerint: vt que diligenter emendaui: cum cura et diligentia transscribantur. Notet sibi vnusquisque vel iacentem lineam· vel radiantia signa· id est oboelos· vel asteriscos: et vbicumque viderit virgulam precedentem· ab ea vsque ad duo puncta que impressimus· sciat in septuaginta translatoribus plus haberi: vbi autem perspexerit stelle similitudinem. de hebreis voluminibus additum nouerit eque vsque ad duo puncta· iuxta theodotionis dumtaxat editionem: qui simplicitate sermonis a septuaginta interpretibus non discordat. Hec ergo et vobis et studioso cuique fecisse me sciens· non ambigo multos fore· qui vel inuidia vel supercilio malent contemnere et videre preclara quam discere: et de turbulento magis riuo quam de purissimo fonte potare.

Psalterium

Incipit liber ymnorum vel soliloqueorum.

1 Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum: et in via peccatorum non stetit: et in cathedra pestilentie non sedit. [2] Sed in lege domini voluntas eius: et in lege eius meditabitur die ac nocte. [3] Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet: et omnia quecumque faciet prosperabuntur. [4] Non sic impij non sic: sed tanquam puluis quem proicit ventus a facie terre. [5] Ideo non resurgunt impij in iudicio: neque peccatores in consilio iustorum. [6] Quoniam nouit dominus viam iustorum: et iter peribit.

2 impiorum ditati sunt inania? [2] Astiterunt terre et principes conuenerunt in vnum: aduersus dominum et aduersus cristum eius. irumpamus [3] Dirumpamus vincula eorum: et proiciamus a nobis iugum ipsorum. [4] Qui habitat in celis irridebit eos: et dominus subsannabit eos. [5] vnc loquetur ad eos in ira sua: et in furore suo conturbabit eos. [6] Ego autem constitutus sum rex ab eo super syon montem sanctum eius: predicans preceptum eius. [7] Dominus dixit ad me filius meus es tu: ego hodie genui te. [8] Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam: et possessionem tuam terminos terre. [9] Reges eos in virga ferrea: et tanquam vas figuli confringes eos. [10] Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. [11] Seruite domino in timore: et exultate ei cum tremore. [12] Apprehendite disciplinam: ne quando irascatur dominus et pereatis de via iusta. [13] Cum exarserit in breui ira eius: beati omnes qui confidunt in eo.

3 Psalmus dauid cum fugeret a facie absolon filij sui. [2] Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. [3] Multi dicunt anime mee: non est salus ipsi in deo eius. [4] Tu autem domine susceptor meus es: gloria mea et exalcans caput meum. [5] Voce mea ad dominum clamaui: et exaudiuit me de monte sancto suo. [6] Ego dormiui et soporatus sum: et exsurrexi quia dominus suscepit me. on [7] Non timebo milia populi circumdantis me: exurge domine saluum me fac deus meus. [8] Quoniam tu percussisti omnes aduersantes michi sine causa: dentes peccatorum contriuisti. [9] Domini est salus: et super populum tuum benedictio tua.

4 In finem in carminibus· psalmus dauid. vm [2] Cum inuocarem exaudiuit me deus iusticie mee: in tribulatione dilatasti michi. Miserere mei: et exaudi orationem meam. [3] Filij hominum vsque quo graui corde: vt quid diligitis vanitatem et queritis mendacium? [4] Et scitote quoniam mirificauit dominus sanctum suum: dominus exaudiet me cum clamauero ad eum. rascemini [5] Irascemini et nolite peccare: qui dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris compungimini. [6] Sacrificate sacrificium iusticie et sperate in domino: multi dicunt quis ostendit nobis bona. est [7] ignatum est super nos lumen vultus tui domine: dedisti leticiam in corde meo. [8] A fructu frumenti vini et olei sui: multiplicati sunt. [9] In pace in idipsum: dormiam et requiescam. [10] Quoniam tu domine: singulariter in spe constituisti me.

5 In finem pro ea que hereditatem consequitur psalmus dauid. [2] Verba mea auribus percipe domine: intellige clamorem meum. [3] Intende voci orationis mee: rex meus et deus meus. [4] Quoniam ad te orabo domine: mane exaudies vocem meam. [5] Mane astabo tibi et videbo: quoniam non deus volens iniquitatem tu es. [6] Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. [7] Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendatium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur dominus: [8] ego autem in multitudine misericordie tue. Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. [9] Domine deduc me in iusticia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu meo viam meam. [10] Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est. [11] Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: iudica illos deus. Decidant a cogitationibus suis: secundum multitudinem

impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te domine. [12] Et letentur omnes qui sperant in te: in eternum exultabunt et habitabis in eis. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum: [13] quoniam tu benedices iusto. Domine: vt scuto bone vnluntatis nis tue coronasti nos.

6 In finem in carminibus pro octaua psalmus dauid. [2] Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. [3] Miserere mei domine quoniam infirmus sum: sana me domine quoniam conturbata sunt ossa mea. [4] Et anima mea turbata est valde: et tu domine vsque quo? [5] Conuertere domine et eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. [6] Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? [7] Laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo. [8] Turbatus est a furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos. [9] Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit dominus vocem fletus mei. [10] Exaudiuit dominus deprecationem meam: dominus orationem meam suscepit. [11] Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur et erubescant valde velociter.

7 In finem psalmus dauid quem cantauit domino pro verbis chusi filij gemini. [2] Domine deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me. [3] Ne quando rapiat vt leo animam meam: dum non est qui redimat neque qui saluum faciat. [4] Domine deus meus si feci istud: si est iniquitas in manibus meis. [5] Si reddidi retribuentibus michi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis. [6] Persequatur inimicus animam meam et comprehendat: et conculcet in terra vitam: et gloriam meam in puluerem Dedurat. [7] Exsurge domine in ira tua: et exaltare in finibus inimicorum meorum. Exsurge domine deus meus in precepto quod mandasti: [8] et synagoga populorum circumdabit te. Et propter hanc in altum regredere: [9] dominus iudicat populos. Iudica me domine secundum iusticiam meam: et secundum innocentiam meam super me. [10] Consumetur nequicia peccatorum: et diriges iustum scrutans corda et renes deus. [11] Iustum adiutorium meum a domino: qui saluos facit rectos corde. [12] Deus iudex iustus fortis et patiens: numquid irascitur per singulos dies. [13] Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit: arcum suum tetendit et parauit illum. [14] Et in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit. [15] cce parturit iniusticiam: concepit dolorem et peperit iniquitatem. [16] Lacum aperuit et effodit eum: et incidit in foueam quam fecit. [17] Conuertetur dolor eius in caput eius: et in verticem ipsius iniquitas eius descendet. [18] Confitebor domino secundum iusticiam eius: et psallam nomini domini altissimi.

8 In finem psalmus dauid pro torcularibus. [2] Domine dominus noster: quam ammirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Quoniam eleuata est magnificentia tua: super celos. [3] Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: vt destruas inimicum et vltorem. [4] Quoniam videbo celos tuos opera digitorum tuorum: lunam et stellas que tu fundasti. [5] Quid est homo quod memor es eius: aut filius hominis quoniam visatas eum. [6] Minuisti eum paulominus ab angelis: gloria et honore coronasti eum: [7] et constituisti eum super opera manuum tuarum. [8] Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues et boues vniuersas: insuper et pecora campi. [9] Volucres celi et pisces maris: qui perambulant semitas maris [10] Domine dominus noster: quam ammirabile est nomen tuum in vniuersa terra.

9 In finem pro occultis filij psalmus dauid. onfitebor [2] Confitebor tibi domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. [3] Letabor et exultabo in te: psallam nomini tuo altissime. [4] In conuertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur et peribunt a facie tua. [5] Quoniam fecisti iudicium meum et causam meam: sedisti super thronum qui iudicas iusticiam. [6] Increpasti gentes et perijt impius: nomen eorum delesti in eternum· et in seculum seculi. [7] Inimici defecerunt framee in finem: et ciuitates destruxisti. Perijt memoria eorum cum sonitu: [8] et dominus in eternum permanet. Parauit in iudicio thronum suum: [9] et ipse iudicabit orbem terre in equitate: iudicabit populos in iusticia. [10] Et factus est dominus refugium pauperi: adiutor in oportunitatibus in tribulatione. [11] Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti querentes te domine. [12] Psallite domino qui habitat in syon: annunciate inter gentes studia eius. [13] Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum. [14] Miserere mei domine: vide humilitatem meam de inimicis meis. [15] Qui exaltas me de portis mortis: vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filie syon. [16] Exultabo in salutari tuo: infixe sunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo isto quem absconderunt: comprehensus est pes eorum. [17] Cognoscetur dominus iudicia faciens: in operibus mauuum suarum comprehensus est peccator. [18] Conuertantur peccatores in infernum: omnes gentes que obliuiscuntur deum. [19] Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. [20] Exsurge domine non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo. [21] Constitue domine legislatorem super eos: vt sciant gentes quoniam homines sunt. [22] Vt quid domine recessisti longe: despicis in oportunitatibus in tribulatione. [23] Dum superbit impius incenditur pauper: comprehenduntur in consilijs quibus cogitant. [24] Quoniam laudatur peccator in desiderijs anime sue: et iniquus benedicitur. [25] Exacerbauit dominum peccator: secundum multitudinem ire sue non queret. [26] Non est deus in conspectu eius: inquinate sunt vie illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua a facie eius: omni inimicorum suorum dominabitur. [27] Dixit enim in corde suo: non mouebor a generatione in generationem sine malo. [28] Cuius maledictione os plenum est et amaritudine et dolo: sub lingua eius labor et dolor. [29] Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis: vt interficiat innocentem. [30] Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum. [31] In laqueo suo humiliabit eum: inclinabit se et cadet cum dominatus fuerit pauperum. [32] Dixit enim in corde suo oblitus est deus: auertit faciem suam ne videat in finem. [33] Exsurge domine deus et exultetur manus tua: ve obliuiscaris pauperum. [34] Propter quid irritauit impius deum: dixit enim in corde suo non requiret. [35] Vides quoniam tu laborem et dolorem consideras: vt tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. [36] Contere brachium peccatoris et maligni: queretur peccatum illius et non inuenietur. [37] Dominus regnabit in eternum et in seculum seculi: peribitis gentes de terra illius. [38] Desiderium pauperum exaudiuit dominus: preparationem cordis eorum audiuit auris tua. [39] Iudicare pupillo et humili: vt non apponat vltra magnificare se homo super terram.

10 In finem psalmus dauid. [2] In domino confido quomodo dicitis anime mee: transmigra in montem sicut passer. [3] Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt sagittas suas in pharetra: vt sagittent in obscuro rectos corde. [4] Quoniam que perfecisti destruxerunt: iustus autem quid fecit. [5] Dominus in templo sancto suo: dominus in celo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt: palpebre eius interrogant filios hominum. [6] Dominus interrogat iustum et impium: qui autem diligit iniquitatem odit animam suam. [7] Pluet super peccatores laqueos: ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum. [8] Quoniam iustus dominus et iusticias dilexit: equitatem vidit vultus eius.

11 In finem psalmus dauid pro octaua. [2] Saluum me fac domine quoniam defecit sanctus: quoniam dimiuute sunt veritates a filijs hominum. [3] Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde et corde locuti sunt. [4] Disperdat dominus vniuersa labia dolosa: et linguam magniloquam. [5] Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus: labia nostra a nobis sunt: quis noster dominus est? [6] Propter miseriam inopum et gemitum pauperum: nunc exsurgam dicit dominus. Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo. [7] Eloquia domini eloquia casta: argentum igne examinatum: probatum terre purgatum septuplum. [8] Tu domine seruabis nos et custodies nos: a generatione hac in eternum. [9] In circuitu impij ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

12 In finem psalmus dauid. Vsque quo domine obliuisceris me in finem: vsque quo auertis faciem tuam a me? [2] Quamdiu ponam consilia in

anima mea: dolorem in corde meo per diem? [3] Vsque quo exaltabitur inimicus meus super me? [4] respice et exaudi me domine deus meus. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in mortem: [5] ne quando dicat inimicus meus preualui aduersus eum. vi Qui tribulant me exultabunt si motus fuero: [6] ego autem in misericordia tua speraui. Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo domino qui bona tribuit michi: et psallam nomini domini altissimi.

13 In finem psalmus dauid. Dixit Dixit insipiens in corde: non est deus. Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in studijs suis: non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum. [2] Dominus de celo prospexit super filios hominum: vt videat si est intelligens aut requirens deum. [3] Omnes decliuauerunt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum. Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in vijs eorum: et viam pacis non cognouerunt: non est timor dei ante oculos eorum. [4] Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam sicut escam panis? [5] Dominum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore vbi non erat timor. [6] Quoniam dominus in generatione iusta est: consilium inopis confudistis: quoniam dominus spes eius est. [7] Quis dabit ex syon salutare israhel: cum auerterit dominus captiuitatem plebis sue exultabit iacob et letabitur israhel.

14 In finem psalmus dauid. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requiescet in monte sancto tuo: [2] Qui ingreditur sine macula: et operatur iusticiam. [3] Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua. Nec fecit proximo suo malum: et obprobrium non accepit aduersus proximos suos. [4] Ad nichilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem dominum glorificat. Qui iurat proximo suo et non decipit: [5] qui pecuniam suam non dedit ad vsuram: et munera super innocentem non accepit. Qui facit hec: non mouebitur in eternum.

15 Tituli inscriptio ipsi dauid. Conserua me domine quoniam speraui in te: [2] dixi domino deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges. [3] Sanctis qui sunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis. [4] Multiplicate sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt. Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea. [5] Dominus pars hereditatis mee et calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam michi. [6] Funes ceciderunt michi in preclaris: etenim hereditas mea preclara est michi. [7] Benedicam dominum qui tribuit michi intellectum: insuper et vsque ad noctem increpuerunt me renes mei. [8] Prouidebam dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est michi ne commouear. [9] Propter hoc letatum est cor meum et exultauit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe. [10] Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. otas michi fecisti vias vite: adimplebis me leticia cum vultu tuo: delectaciones ctationes in dextera tua vsque in finem.

16 Oratio dauid. Exaudi domine am meam: intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam: non in labijs dolosis. [2] De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant equitatem. [3] Probasti cor meum et visitasti nocte: igne me examinasti et non est inuenta in me iniquitas. [4] Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. [5] Perfice gressus meos in semitis tuis: vt non moueantur vestigia mea. [6] Ego clamaui quoniam exaudisti me deus: inclina aurem tuam michi et exaudi verba mea. [7] Mirifica misericordias tuas: qui saluos facis sperantes in te. [8] A resistentibus dextere tue custodi me: vt pupillam oculi. Sub vmbra alarum tuarum protege me: [9] a facie impiorum qui me afflixerunt. Inimici mei animam meam circumdederunt: [10] adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam. [11] Proicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram. [12] Susceperunt me sicut leo paratus ad predam: et sicut catulus leonis habitans in abditis. [13] Exsurge domine preueni eum et supplanta eum: eripe animam meam ab impio: frameam tuam [14] ab inimicis manus tue Domine a paucis de terra diuide eos in vita eorum: et de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati sunt filijs: et dimiserunt reliquias suas paruulis suis. [15] Ego autem IN iusticia apparebo conspectui tuo: saciabar cum apparuerit gloria tua.

17 In finem puero domini dauid qui locutus est domino verba cantici huius in die qua eripuit eum dominus de manu omnium inimicorum eius et de manu saul et dixit. [2] Diligam te domine fortitudo mea: [3] dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus. Deus meus adiutor meus: et sperabo in eum. Protector meus et cornu salutis mee: et susceptor meus. [4] Laudans inuocabo dominum: et ab inimicis meis salus ero. [5] Circundederunt me dolores mortis: et torrentes iniquitatis conturbauerunt me. [6] Dolores inferi circumdederunt me: preoccupauerunt me laquei mortis. [7] In tribulatione mea inuocaui dominum: et ad deus deum meum clamaui. Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius. [8] Commota est et contre deum muit terra: fundamenta montium conturbara sunt et commota sunt: quoniam iratus est eis. [9] Ascendit fumus in ira eius: et ignis a facie eius exarsit: car bones succensi sunt ab eo. [10] Inclinauit celos et descendit: et caligo sub pedibus eius. [11] Et ascendit super cherubin et volauit: volauit super pennas ventorum. [12] Et posuit tenebras latibulum suum· in cireius: cuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aeris. [13] Prefulgore in Cum conspectu eius nubes transierunt: grando et carbones ignis. Et introiuit de sancto do et carbones ignis. [14] Et introiuit de celo dominus: et altissimus dedit vocem suam: grando et carbones ignis. [15] Et misit sagittas suas et dissipauit eos: fulgura multiplicauit et conturbauit eos. [16] Et apparuerunt fontes aquarum: et reuelata sunt fundamenta orbis terrarum. Ab increpatione tua domine: ab inspiratione spiritus ire tue. [17] Misit de summo et accepit me: et assumpsit me de aquis multis. [18] Eripuit me de inimicis meis fortissimis et ab hijs qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me. [19] Preuenerunt me in die afflictionis mee: et factus est dominus protector meus. [20] Et eduxit me in latitudinem: saluum me fecit quoniam voluit me. [21] Et retribuet michi dominus secundum iusticiam meam: et secundum puritatem manuum mearum retribuet michi. [22] Quia custodiui vias domini: nec impie gessi a deo meo. [23] voniam omnia iudicia eius in conspectu meo: et iusticias eius non repuli a me. [24] Et ero immaculatus cum eo: et obseruato me ab iniquitate mea. [25] Et retribuet michi dominus secundum iusticiam meam: et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius. [26] Cum sancto sanctus eris: et cum viro innocente innocens [27] eris. Et cum electo electus eris: et cum puereris: peruerso peruerteris. [28] Quoniam tu populum humilem saluum facies: et oculos superborum huminliabis. [29] Quoniam tu illuminas lucernam meam domine: deus meus illumina tenebras meas. [30] Quoniam in te eripiar a temptatione: et in deo meo transgrediar murum. [31] Deus meus impolluta via eius: eloquia domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se. [32] Quoniam quis deus preter dominum: aut quis deus preter deum nostrum. [33] Deus qui precinxit me virtute: et posuit immaculatam viam meam. [34] Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum: et super excelsa statuens me. [35] Qui docet manus meas ad prelium: et posuisti vt arcum ereum brachia mea. [36] Et dedisti michi protectionem salutis tue: et dextera tua suscepit me. Et disciplina tua correxit me in finem: et disciplina tua ipsa me docebit. [37] Di latasti gressus meos subtus me: et non sunt infirmata vestigia mea. [38] Persequar inimicos meos et comprehendam illos: et non conuertar donec deficiant. [39] Confringam illos nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos. [40] Et precinxisti me virtute ad bellum: et supplantasti insurgentes in me subtus me. [41] Et inimicos meos dedisti michi deorsum: et odientes me disperdidisti. [42] Clamauerunt nec erat qui saluos faceret ad dominum: nec exaudiuit eos. [43] Et comminuam eos in puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos. [44] Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium. [45] Populus quem non cognoui seruiuit michi: in auditu auris obediuit michi. [46] Filij alieni mentiti sunt michi: filij alieni inueterati sunt: et claudicauerunt a semitis suis.

47 Viuit dominus et benedictus deus meus: et exalcetur deus salutis mee. 48 Deus qui das vindictas michi et subdis populos sub me: liberator meus de inimicis meis iracundis. 49 Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me. 50 Propterea confitebor tibi in nationibus domine: et nomini tuo psalmum dicam. 51 Magnificans salutes regis eius: et faciens misericordiam sto suo dauid: et semini eius vsque in seculum

18 In finem psalmus dauid. 2 eli enarrant gloriam dei: et opera manuum manuum eius annunciat firmamentum. 3 Dies diei eructat verbum: et nox nocti indicat scientiam. 4 Non sunt loquele neque sermones: quorum non audiantur voces eorum. 5 In omnem terram exiuit sonus eorum: et in fines orbis terre verba eorum. 6 In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit vt gygas ad currendam viam: 7 a summo celo egressio eius. Et occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat a calore eius. 8 Lex domini immaculata conuertens animas: testimonium domini fidele sapientiam prestans paruulis. 9 Iusticie domini recte letificantes corda: preceptum domini lucidum illuminans oculos. 10 Timor domini sanctus permanens in seculum seculi: iudicia domini vera iustificata in semetipsa. 11 Desiderabilia super aurum et lapidem preciosum multum: et dulciora super mel et fauum. 12 Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio misera. 13 Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me: 14 et ab alienis parce seruo tuo. Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero: et emundabor a delicto maximo 15 Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: et medicatio cordis mei in conspectu tuo semper. Domine adiutor meus: et redemptor meus.

19 In finem psalmus dauid. 2 Exaudiat te dominus in die tribulacionis: protegat te nomen dei iacob. 3 Mittat tibi auxilium de sancto: et de syon tueatur te. 4 Memor sit omnis sacrificij tui: et olocaustum tuum pingue fiat. 5 Tribuat tibi secundum cor tuum: et omne consilium tuum confirmet. 6 Letabimur in salutari tuo: et in nomine dei nostri magnificabimur. 7 Impleat dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam saluum fecit dominus cristum suum. Exaudiet illum de celo lancto suo: in potentatibus salus dextere eius. 8 Hij in curribus et hij in equis: nos autem in nomine dei nostri inuocabimus. 9 Ipsi obligati sunt et ceciderunt: nos autem surreximus et erecti sumus. 10 Domine saluum fac regem: et exaudi nos in die qua inte.

20 In finem psalmus dauid. finem 2 Domine in virtute tua letabitur rex: et super salutare tuum exultabit vehementer. 3 Desiderium cordis eius tribuisti ei: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. 4 Quoniam preuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. 5 Vitam petijt a te et tribuisti ei: longitudinem dierum in seculum et in seculum seculi. 6 Magna gloria eius in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum. 7 Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi: letificabis eum in gaudio cum vultu tuo. 8 Quoniam rex sperat in domino: et in misericordia altissimi non commouebitur. 9 Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. 10 Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: dominus in ira sua conturbabit eos: et deuorabit eos ignis. 11 Fructum eorum de terra perdes: et semen eorum a filijs hominum. 12 Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt consilia que non potuerunt stabilire. 13 Quoniam pones eos dorsum: in reliquijs tuis preparabis vultum eorum. 14 Exaltare domine in virtute tua: cantabimus et psallemus virtutes tuas.

21 In finem psalmus dauid pro susceptione matutina. 2 Deus deus meus respice in me: quare me dereliquisti: longe a salute mea verba delictorum meorum. 3 Deus meus clamabo per diem et non exaudies: et nocte et non ad insipientiam michi. 4 Tu autem in sancto habitas: laus israhel. 5 In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt et liberasti eos. 6 Ad te clamauerunt et salui facti sunt: in te sperauerunt et non sunt confusi. 7 Ego autem sum vermis et non homo: obprobrium hominum et abiectio plebis. 8 Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labijs et mouerunt caput. 9 Sperauit in domino eripiat eum: saluum faciat eum quoniam vult eum. 10 Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris mee: 11 in te proiectus sum ex vtero. De ventre matris mee deus meus es tu: 12 ne discesseris a me. Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuuet. 13 Circundederunt me vituli multi: thauri pingues obsederunt me. 14 Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens et rugiens. 15 Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tamquam cera liquescens: in medio ventris mei. 16 Aruit tamquam testa virtus mea: et lingua mea adhesit faucibus meis: et in puluerem mortis deduxisti me. 17 Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos: 18 dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi vero considerauerunt et inspexerunt me: 19 diuiserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem. 20 Tu autem domine ne elongaueris auxilium tuum: ad defensionem meam conspice. 21 Erue a framea deus animam meam: et de manu canis vnicam meam. 22 Salua me ex ore leonis: et a cornibus vnicornium humilitatem meam. 23 Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesie laudabo te. 24 Qui timetis dominum laudate eum: vniuersum semen iacob glorificate eum. 25 Timeat eum omne semen israhel: quoniam non spreuit neque despexit deprecationem pauperis. Nec auertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum exaudiuit me. 26 Aput te laus mea in ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum. 27 Edent pauperes et saturabuntur: et laudabunt dominum qui requirunt eum: viuent corda eorum in seculum seculi. 28 Reminiscentur et conuertentur ad dominum: vniuersi fines terre. Et adorabunt in conspectu eius: vniuerse familie gentium. 29 Quoniam domini est regnum: et ipse dominabitur gentium. 30 Manducauerunt et adorauerunt omnes pingues terre: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram. 31 Et anima mea illi viuet: et semen meum seruiet ipsi. 32 Annunciabitur domino generatio ventura: et annunciabunt celi iusticiam eius populo qui nascetur quem fecit dominus.

22 Psalmus dauid. Dominus regit me et nichil michi deerit: 2 in loco pascue ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me: 3 animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iusticie: propter nomen suum. 4 Nam et si ambulauero in medio vmbre mortis non timebo mala: quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus: ipsa me consolata sunt. 5 Parasti in conspectu meo mensam. aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam preclarus est. 6 Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vite mee. Et vt inhabitem in domo domini: in longitudinem dierum.

23 Psalmus dauid in prima sabbati. Domini est terra et plenitudo eius: orbis terrarum et vniuersi qui habitant in eo. 2 Quia ipse super maria fuudauit eum: et super flumina preparauit eum. 3 Quis ascendit in montem domini: aut quis stabit in loco sancto eius. 4 Innocens manibus et mundo corde: qui non accepit in vano animam suam: nec iurauit in dolo proximo suo. 5 Hic accipiet benedictionem a domino: et misericordiam a deo salutari suo. 6 Hec est generatio querentium eum: querentium faciem dei iacob. 7 Attollite portas principes vestras: et eleuamini porte eternales: et introibit rex glorie. 8 Quis est iste rex glorie? dominus fortis et potens: dominus potens in prelio. 9 Attollite portas principes vestras: et eleuamini porte eternales: et introibit rex glorie. 10 Quis est iste rex glorie? dominus virtutum ipse est rex glorie.

24 In finem psalmus dauid. In finem dau Ad te domine leuaui animam meam: 2 deus meus in te confido non erubescam. 3 Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi qui sustinent te non confundentur. 4 Confundantur omnes iniqua agentes: super vacue. Vias tuas domine demonstra michi: et semitas tuas edoce me. 5 Dirige me in veritate tua et doce me: quia tu es deus saluator meus: et te sustinui tota die. 6 Reminiscere miserationum tuarum domine: et misericordiarum tuarum que a seculo sunt. 7 Delicta iuuentutis mee et ignorantias meas: ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam domine. 8 Dulcis et rectus dominus: propter hoc legem dabit deliuquentibus in via.

9 Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas. 10 Vniuerse vie domini misericordia et veritas: requirentibus testamentum eius et testimonia eius. 11 Propter nomen tuum domine propiciaberis peccato meo: multum est enim. 12 Quis est homo qui timet dominum: legem statuit ei in via quam elegit. 13 Anima eius in bonis demorabitur: et semen eius hereditabit terram. 14 Firmamentum est dominus timentibus eum: et testamentum ipsius vt manifestetur illis. 15 Oculi mei semper ad dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. 16 Respice in me et miserere mei: quia vnicus et pauper sum ego. 17 Tribulaciones cordis mei multiplicati sunt: de necessitatibus meis erue me. 18 Vide humilitatem meam et laborem meum: et dimitte vniuersa delicta mea. 19 Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt: et odio iniquo odorunt me. 20 Custodi animam meam et erue me: non erubescam quoniam speraui in te. 21 Innocentes et recti adheserunt michi: quia sustinui te. 22 Libera deus israhel: ex omnibus tribulacionibus suis.

25 Psalmus dauid. Iudica me domine quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in domino sperans non infirmabor. 2 Proba me domine et tempta me: vre renes meos et cor meum. 3 Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: et complacui in veritate tua. 4 Non sedi cum concilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus non introibo. 5 Odiui ecclesiam malignantium: et cum impijs non sedebo. 6 Leuabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum domine. 7 Vt audiam vocem laudis: et enarrem vniuersa mirabilia tua. 8 Domine dilexi decorem domus tue: et locum habitationis glorie tue. e 9 Ne perdas cum impijs deus animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam. 10 In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus. 11 Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me et miserere mei. es 12 Pes enim meus stetit in directo: in ecclesijs benedicam te domine.

26 In finem psalmus dauid priusquam liniretur. Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo? Dominus protector vite mee: a quo trepidabo? vm 2 Dum appropiant super me nocentes: vt edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt et ceciderunt. 3 Si consistant aduersum me castra: non timebit cor meum. Si exsurgat aduersum me prelium: in hoc ego sperabo. 4 Vnam petij a domino hanc requiram: vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vite mee. Vt videam voluntatem domini: et visitem templum eius. 5 Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum: protexit me in abscondito tabernaculi sui. 6 In petra exaltauit me: et nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. Circuiui et immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo et psalmum dicam domino. 7 Exaudi domine vocem meam qua clamaui ad te: miserere mei et exaudi me. 8 Tibi dixit cor meum exquisiuit te facies mea: faciem tuam domine requiram. 9 Ne auertas faciem tuam a me: ne declines in ira a seruo tuo. Adiutor meus esto ne derelinquas me: neque despicias me deus salutaris meus. 10 Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: dominus autem assumpsit me. 11 Legem pone michi domine in via tua: et dirige me in semita recta propter inimicos meos. 12 Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui: et mentita est iniquitas sibi. 13 Credo videre bona domini: in terra viuentium. 14 Exspecta dominum viriliter age: et confortetur cor tuum et sustine dominum.

27 Psalmus ipsi dauid. Ad te domine clamabo deus meus ne sileas a me: ne quando taceas a me: et assimilabor descendentibus in lacum. 2 Exaudi domine vocem orationis mee dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. 3 Ne simul tradas me cum peccatoribus: et cum oet operantibus iniquitatem ne perdas me. Qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum. 4 Da illis secundum opera eorum: et secundum nequiciam ad inuentionum ipsorum. Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis. 5 Quoniam non intellexerunt opera domini et in opera manuum eius: destrues illos et non edificabis eos. 6 Benedictus dominus: quoniam exaudiuit vocem deprecationis mee. 7 Dominus adiutor meus et protector meus: et in ipso sperauit cor meum et adiutus sum. Et refloruit caro mea: et ex voluntate mea confitebor ei. 8 Dominus fortitudo plebis sue: et protector saluationum cristi sui est. 9 Saluum fac populum tuum domine et benedic hereditati tue: et rege eos et extolle illos vsque in eternum.

28 Psalmus dauid in consummatione tabernaculi. Afferte domino filij dei: afferte domino filios arietum. Afferte domino glorilios arietum. 2 Afferte domino gloriam et honorem: afferte domino gloriam nomini eius: adorate dominum in atrio sancto eius. 3 Vox domini super aquas: deus maiestatis intonuit: dominus super aquas multas. 4 Vox domini in virtute: vox domini in magnificentia. 5 Vox domini confringentis cedros: et confringet dominus redros libani. 6 Et comminuet eos tanquam vitulum libani: et dilectus quemadmodum filios vnicornium. 7 Vox domini intercedentis flammam ignis: 8 vox domini concutientis desertum: et commouebit dominus desertum cades. 9 Vox domini preparantis ceruos et reuelabit condensa: et in templo eius omnes dicent gloriam. 10 Dominus diluuium inhabitare facit: et sedebit dominus rex in eternum. 11 Dominus virtutem populo suo dabit: dominus benedicet populo suo in pace.

29 Psalmus cantici in dedicatione domus dauid. 2 Exaltabo te domine quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. 3 Domine deus meus clamaui ad te: et sanasti me. 4 Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me a descendentibus in lacum. 5 Psallite domino sancti eius: et confitemini memorie sanctitatis eius. 6 Quoniam ira in indignatione eius: et vita in voluntate eius. Ad vesperum demorabitur fletus: et ad matutinum leticia. 7 Ego autem dixi in abundantia mea: non mouebor in eternum. 8 Domine: in voluntate tua prestitisti decori meo virtutem. A vertisti faciem tuam a me: et factus sum conturbatus. 9 Ad te domine clamabo: et ad deum meum deprecabor 10 Que vtilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionem. Nunquid confitebitur tibi puluis: aut annunciabit veritatem tuam. 11 Audiuit dominus et misertus est mei: dominus factus est adiutor meus. 12 Conuertisti planctum meum in gaudium michi: concidisti saccum meum· et circumdedisti me leticia. 13 Vt cantet tibi gloria mea et non compungar: domine deus meus in eternum confitebor tibi

30 In finem psalmus dauid pro excasi. tibi. 2 te domine non confundar in eternum: in iusticia tua libera me. 3 Inclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me. Esto michi in deum protectorem et in domum refugij: vt saluum me facias. 4 Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me et enutries me. 5 Educes me de laqueo quem absconderunt michi: quoniam tu es protector meus. 6 In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me domine deus veritatis. 7 Odisti obseruantes vanitates: superuacue. Ego autem in domino speraui: 8 exultabo et letabor in misericordia tua. Quoniam respexisti humilitatem meam: saluasti de necessita animam meam. 9 Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spacioso pedes meos. 10 Miserere mei domine quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus: anima mea et venter meus. 11 Quoniam defecit in dolore vita mea: et anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea: et ossa mea conturbata sunt. 12 Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde: et timor notis meis. Qui videbant me foras fugerunt a me: 13 obliuioni datus sum tamquam mortuus a corde. Factus sum tamquam vas perditum: 14 quoniam audiui vituperatonem multorum commorantium in circuitu. In eo dum conuenirent simul aduersum me: accipere animam meam consiliati sunt. 15 Ego autem in te speraui domine: dixi deus meus es tu: 16 in manibus tuis sortes mee. Eripe me de manu inimicorum meorum: et a persequentibus me. 17 Illustra faciem tuam super seruum tuum: saluum me fac in misericordia tua: 18 domine non confundar quoniam inuocaui te. Erubescant impij et deducantur iu infernum: 19 muta fiant labia dolosa. Que loquuntur aduersus iustum iniquitatem: in superbia et in abusione. 20 Quam magna multitudo dulcedinis tui domine: quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis qui sperant in te: in conspectu filiorum hominum. 21 Abscondes eos in abscondito faciei tue: a conturbatione

hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo: a contradictione linguarum. [22] Benedictus dominus: quoniam mirificauit misericordiam suam michi in ciuitate munita. [23] Ego autem dixi in excessu mentis mee: proiectus sum a facie oculorum tuorum. Ideo exaudisti vocem orationis mee: dum clamarem ad te. [24] Diligite dominum omnes sancti eius: quoniam veritatem requiret dominus: et retribuet abundanter facientibus superbiam. [25] Viriliter agite et confortetur cor vestrum: omnes qui speratis in domino.

31 Intellectus dauid. Beati quorum remisse sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata. [2] Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus. [3] Quoniam tacui inueteraeuerunt ossa mea: dum clamarem tota die. [4] Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in erumna mea dum configitur spina. [5] Delictum meum cognitum tibi feci: et iniusticiam meam non abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam domino: et tu remisisti impietatem peccati mei. [6] Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore oportuno. Veruntamem in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt. [7] Tu es refugium meum a a tribulatione que circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me. [8] Intellectum tibi dabo et instruam te: in via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos. [9] Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus. In chamo et freno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te. [10] Multa flagella peccatoris: sperantem autem in domino misericordia circundabit. [11] Letamini in domino et exultate iusti: et gloriamini omnes recti corde.

32 In finem psalmus dauid. In iusti in domino: rectos decet laudatio. [2] Confitemini domino in cythara: in psalterio decem cordarum psallite illi [3] Cantate ei canticum nouum: bene psallite ei in vociferatione. [4] Quia rectum est verbum domini: et omnia opera eius in fide. [5] Diligit misericordiam et iudicium: misericordia domini plena est terra. [6] Verbo domini celi firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum. [7] Congregans sicut in vtre aquas maris: ponens in thesauris abissos. [8] Timeat dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. [9] Quoniam ipse dixit et facta sunt: ipse mandauit et creata sunt. [10] Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum: et reprobat consilia principum. [11] Consilium autem domini in eternum manet: cogitationes cordis eius in genenerationem et generationem. [12] Beata gens cuius est dominus deus eius: populus quem elegit in hereditatem sibi. [13] De celo respexit dominus: vidit omnes filios hominum. e [14] De preparato habitaculo suo: respexit super omnes qui habitant terram. [15] Qui finxit singillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum. [16] Non saluatur rex per multam virtutem: et gygas non sauabitur in multitudine virtutis sue. [17] Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis sue non saluabitur. [18] Ecce oculi domini super metuentes eum: et in eis qui sperant super misericordia eius. [19] Et eruat a morte animas eorum: et alat eos in fame. [20] Anima nostra sustinet dominum: quoniam adiutor et protector noster est. [21] Quia in eo letabitur cornu nostrum: et in nomine sancto eius sperauimus. [22] Fiat misericordia tua domine super nos: quemadmodum sperauimus in te.

33 Psalmus dauid cum mutauit vultum suum coram abimelech et dimisit eum et abijt. [2] Benedicam dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. [3] In domino letabitur anima mea: audiant mansueti et letentur. [4] Magnificate dominum mecum: et exaltemus nomen eius in idipsum. [5] Exquisiui dominum et exaudiuit me: et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. [6] Accedite ad eum et illuminamini: et facies vestre non confundentur. [7] Iste pauper clamauit et dominus exaudiuit eum: et de omnibus tribulationibus eius saluauit eum. [8] Immittet angelus domini in circuitu timencium eum: et eripiet eos. [9] Gustate et videte quoniam suauis est dominus: beatus vir qui sperat in eo. [10] Timete dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum. [11] Diuites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem dominum non minuentur omni bono. [12] Venite filij audite me: timorem domini docebo vos. [13] Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos? [14] Prohibe linguam tuam a malo: et labia tua ne loquantur dolum. [15] Diuerte a malo et fac bonum: inquire pacem et persequere eam. [16] Oculi domini super iustos: et aures eius in preces eorum. [17] Vultus autem domini super facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum. [18] Clamauerunt iusti et dominus exaudiuit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. [19] Iuxta est dominus hijs qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu saluabit. [20] Multe tribulationes iustorum: et de hijs omnibus liberabit eos dominus. [21] Custodit dominus omnia ossa eorum: vnum ex hijs non conteretur. [22] Mors peccatorum pessima: et qui oderunt iustum delinquent. [23] Redimet dominus animas seruorum suorum: et non delinquent omnes qui sperant in eo.

34 In finem psalmus ipsi dauid. Iudica domine nocentes me: expugna impugnantes me. [2] Apprehende arma et scutum: et exsurge in adiutorium michi. [3] Effunde frameam et conclude aduersus eos qui persecuntur me: dic anime mee salus tua ego sum. [4] Confundantur et reuereantur: querentes animam meam. Auertantur retrorsum et confundantur: cogitantes michi mala. [5] Fiant tanquam puluis ante faciem venti: et angelus domini coartans eos. [6] Fiat via illorum tenebre et lubricum: et angelus domini persequens eos. [7] Quoniam gratis absconderunt michi interitum laquei sui: superuacue exprobrauerunt animam meam. [8] Veniat illi laqueus quem ignorat: et captio quam abscondit apprehendat eum: et in laqueum cadat in ipsum. [9] Anima autem mea exultabit in domino: et delectabitur super salutari suo. [10] Omnia ossa mea dicent: domine quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum et pauperem a diripientibus eum. [11] Surgentes testes iniqui: que ignorabant interrogabant me. [12] Retribuebant michi mala pro bonis: sterilitatem anime mee. [13] Ego autem cum michi molesti essent: induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meam: et oratio mea in sinu meo conuertetur. [14] Quasi proximum quasi fratrem nostrum sic complacetam: quasi lugens et contristatus sic humiliabar. [15] Et aduersum me letati sunt et conuenerunt: congregata sunt super me flagella et ignoraui. [16] Dissipati sunt nec compuncti: temptauerunt me subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis. [17] Domine quando respicies: restitue animam meam a malignitate eorum: a leonibus vnicam meam [18] confitebor tibi in ecclesia magna: in populo graui laudabo te. [19] Non supergaudeant michi qui aduersantur michi inique: qui oderunt me gratis et annuunt oculis. [20] Quoniam michi quidem pacifice loquebantur: et in iracundia terre loquentes dolos cogitabant. [21] Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt euge euge viderunt oculi nostri. [22] Vidisti domine ne sileas: domine ne discedas a me. [23] Exsurge et intende iudicio meo deus meus: et dominus meus in causam meam. [24] Iudica me secundum iusticiam tuam domine deus meus: et non supergaudeant michi. [25] Non dicant in cordibus suis euge euge anime nostre: nec dicant deuorabimus eum. [26] Erubescant et reuereantur simul: qui gratulantur malis meis. Induantur confusione et reuerentia: qui maligna loquuntur super me. [27] Exultent et letentur qui volunt iusticiam meam: et dicant senper magnificetur dominus qui volunt pacem serui eius. [28] Et lingua mea meditabitur iusticiam tuam: tota die laudem vam.

35 In finem seruo domini dauid. [2] Dixit iniustus vt delinquat in semetipso: non est timor dei ante oculos eius. [3] Quoniam dolose egit in conspectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium. [4] Verba oris eius iniquitas et dolus: noluit intelligere vt bene ageret. [5] Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni vie non bone: maliciam autem non odiuit. [6] Domine in celo misericordia tua: et veritas tua vsque ad nubes. [7] Iusticia tua sicut montes dei: iudicia tua abissus multa. Homines et iumenta saluabis domine: [8] quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam deus. Filij autem hominum: in tegmine alarum tuarum sperabunt. [9] Inebriabuntur ab vbertate domus tue: et torrente voluptatis tue potabis eos. [10] Quoniam apud te est fons vite: et in lumine tuo videbimus lumen. [11] Pretende misericordiam sicientibus te: et iusticiam tuam hijs qui recto sunt corde. [12] Non veniat michi pes

superbie: et manus peccatoris non moueat me. [13] Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt nec potuerunt stare.

36 Psalmus ipsi dauid. Noli emulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. [2] Quoniam tamquam fenum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident. [3] Spera in domino et fac bonitatem: et inhabita terram et pasceris in diuitijs eius. [4] Delectare in domino: et dabit tibi peticiones cordis tui. [5] Reuela domino viam tuam et spera in eo: et ipse faciet. [6] Et educet quasi lumen iusticiam tuam: et iudicium tuum tanquam meridiem: [7] subditus esto domino et ora eum. Noli emulari in eo qui prosperatur in via sua: in homine faciente iniusticias. [8] Desine ab ira et derelinque furorem: noli emulari vt maligneris. [9] Quoniam qui malignantur exterminabuntur: sustinentes autem dominum ipsi hereditabunt terram. [10] Et adhuc pusillum et non erit peccator: et queres locum eius et non inuenies. [11] Mansueti autem hereditabunt terram: et delectabuntur in multitudine pacis. [12] Obseruabit peccator iustum: et stridebit super eum dentibus suis. [13] Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quod veniet dies eius. [14] Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum suum. Vt decipiant pauperem et inopem: vt trucident rectos corde. [15] Gladius eorum in tret in corda ipsorum: et arcus eorum confringatur. [16] Melius est modicum iusto: super diuitias peccatorum multas. [17] Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iustos dominus. [18] Nouit dominus dies immaculatorum: et hereditas eorum in eternum erit. [19] Non confundentur in tempore malo: et in diebus famis saturabuntur: [20] quia peccatores peribunt. Inimici vero domini mox vt honorificati fuerint et exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient. [21] Mutuabitur peccator et non soluet: iustus autem miseretur et tribuet. [22] Quia benedicentes ei hereditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt. [23] Apud dominum gressus hominis dirigetur: et viam eius volet. [24] Cum ceciderit non collidetur: quia dominus supponit manum suam. [25] Iunior fui etenim senui: et non vidi iustum derelictum: nec semen eius querens panem. [26] Tota die miseretur et commodat: et semen illius in benedictione erit. [27] Declina a malo et fac bonum: et inhabita in seculum seculi. [28] Quia dominus amat iudicium: et non derelinquet sanctos suos: in eternum conseruabuntur. Iniusti punientur: et semen impiorum peribit. [29] Iusti autem hereditabunt terram: et inhabitabunt in seculum seculi super eam. [30] Os iusti meditabitur sapientiam: et lingua eius loquetur iudicium. [31] Lex dei eius in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus eius. [32] Considerat peccator iustum: et querit mortificare eum. [33] Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum cum iudicabitur illi. [34] Exspecta dominum et custodi viam eius: et exaltabit te vt hereditate capias terram: cum perierint peccatores videbis. [35] Vidi impium superexaltatum: et eleuatum sicut cedros libani. [36] Et transiui et ec tran siui et ecce re non erat: quesiui eum et non est inuentus locus eius. [37] Custodi innocentiam et vide equitatem: quoniam sunt reliquie homini pacifico. [38] Iniusti autem disperibunt: simul reliquie impiorum interibunt. [39] Salus autem iustorum a domino: et protector eorum in tempore tribulaturonnis. [40] Et adiuuabit eos dominus et liberabit eos: et eruet eos a peccatoribus: et saluabit eos quia sperauerunt in eo.

37 Psalmus dauid in rememoratione sabbati. [2] Domine ne in furore tuo arguas arguas me: neque in ira tua corripias me. [3] Quoniam sagitte tue infixe sunt michi: et confirmasti super me manum tuam. [4] Non est sanitas in carne mea a facie ire tue: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. [5] Quoniam iniquitates mee supergresse sunt caput meum: et sicut onus graue grauate sunt super me. [6] Putruerunt et corrupte sunt cicatrices mee: a facie insipientie mee. [7] Miser factus sum et curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar. [8] Quoniam lumbi mei impleti sunt illusi et non est sanitas in carne mea. [9] Afflictus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei. [10] Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus. [11] Cor meum conturbatum est: dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum. [12] Amici mei et proximi mei: aduersum me appropinquauerunt et steterunt. Et qui iuxta me erant delonge steterunt: et vim faciebant qui querebant animam meam. [13] Et qui inquirebant mala michi locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur. [14] Ego autem tanquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum. [15] Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones. [16] Quoniam in te domine speraui: tu exaudies domine deus meus. [17] Quia dixi ne quando supergaudeant michi inimici mei: et dum commouentur pedes mei· super me magna locuti sunt. [18] Quoniam ego in flagella paratus: et dolor meus in conspectu meo semper. [19] Quoniam iniquitatem meam annunciabo: et cogitabo pro peccato meo. [20] Inimici autem mei viuunt et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique. [21] Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant michi: quoniam sequebar bonitatem. [22] Ne derelinquas me domine deus meus: ne discesseris a me. [23] Intende in adiutorium meum: domine deus salutis mee.

38 In finem pro ydithun canticum dauid. [2] Dixi custodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: cum consisteret peccator aduersum me. [3] Obmutui et humiliatus sum et silui a bonis: et dolor meus renouatus est. [4] Concaluit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescet ignis. [5] Locutus sum in lingua mea: notum fac michi domine finem meum Et numerum dierum meorum qui est: vt sciam quid desit michi. [6] Ecce mensurabiles posuisti dies meos: et substantia mea tanquam nichilum ante te. Verumtamen vniuersa vanitas: omnis homo viuens. [7] verumtamen in ymagine pertransit homo: sed et frustra conturbatur. Thesaurizat: et ignorat cui congregabit ea. [8] Et nunc que est exspectatio mea nonne dominus? et substantia mea apud te est. [9] Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me. [10] Obmutui et non aperui os meum: quoniam tu fecisti [11] amoue a me plagas tuas. [12] A fortitudine manus tue ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem. et tabescere fecisti sicut araneam animam eius: verumtamen vane conturbatur omnis homo. [13] Exaudi orationem meam domine et deprecationem meam: auribus percipe lacrimas meas. Ne sileas quoniam aduena ego sum apud te: et peregrinus sicut omnes patres mei. [14] Remitte me vt refrigerer prinsquam abeam: et amplius non ero.

39 In finem psalmus dauid. In finem dauid [2] Exspectans exspectaui dominum: et intendit michi [3] Et exaudiuit preces meas: et eduxit me de lacu miserie et de luto fecis. Et statuit supra petram pedes meos: et direxit gressus meos. [4] Et immisit in os meum canticum nouum: carmen deo nostro. videbunt multi et timebunt: et sperabunt in domino. [5] Beatus vir cuius est nomen domini spes eius: et non respexit in vanitates et insanias falsas. [6] Multa fecisti tu domine deus meus mirabilia tua: et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Annunciaui et locutus sum: multiplicati sunt super numerum. [7] Sacrificium et oblationem noluisti: aures autem perfecisti michi Holocaustum et pro peccato non postulasti: [8] tunc dixi ecce venio. In capite libri scriptum est de me [9] vt facerem voluntatem tuam: deus meus volui et legem tuam in medio cordis mei. [10] Annunciaui iusticiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo domine tu scisti. [11] Iusticiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam et salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam: a consilio multo. [12] Tu autem domine ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia et veritas tua semper susceperunt me. [13] Quoniam circundederunt me mala quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates mee: et non potui vt viderem. multiplicate sunt super capillos capitis mei: et cor meum dereliquit me. [14] complaceat tibi domine vt eruas me: domine ad adiuuandum me respice. [15] Confundantur et reuereantur simul: qui querunt animam meam vt auferant eam. Auertantur retrorsum et reuereantur: qui volunt michi mala. [16] Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt michi euge euge. [17] Exultent et letentur super te omnes querentes te: et dicant semper magnificetur dominus qui diligunt salutare tuum. [18] Ego autem mendicus sum et pauper: dominus

sollicitus est mei. Adiutor meus et protector meus tu es: deus meus ne tardaueris.

40 In finem psalmus dauid. [2] Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum dominus. [3] Dominus conseruet eum et viuificet eum: et beatum faciat eum in terra: et non tradat eum in animam inimicorum eius. [4] Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. [5] Ego dixi domine miserere mei: sana animam meam quia peccaui tibi. [6] Inimici mei dixerunt mala michi: quando morietur et peribit nomen eius? [7] Et si ingrediebatur vt videret vana loquebatur cor eius: congregauit iniquitatem sibi Egrediebatur foras: et loquebatur [8] in idipsum. Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala michi. [9] Verbum iniquum constituerunt aduersum me: nunquid qui dormit non adiciet vt resurgat? [10] Etenim homo pacis mee in quo speraui: qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem. [11] Tu autem domine miserere mei: et resuscita me et retribuam eis. [12] In hoc cognoui quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me. [13] Me autem propter innocentiam suscepisti: et confirmasti me in conspectu tuo in eternum. [14] Benedictus dominus deus israhel a seculo in seculum: fiat fiat.

41 Intellectus filijs chore. In finem intellectus filijs chore psalmus dauid. [2] Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te deus. [3] Sitiuit anima mea ad deum fortem viuum: quando veniam et apparebo ante faciem dei? [4] Fuerunt michi lacrime mee panes die ac nocte: dum dicitur michi quotidie vbi est deus tuus. [5] Hec recordatus sum et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi ammirabilis vsque ad domum dei. In voce exultationis et confessionis: sonus epulantis. [6] Quare tristis es anima mea: et quare conturbas me? Spera in deo quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei [7] et deus meus. Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra iordanis et hermonijm a monte modico. [8] Abissus abissum in vocat: in voce catharactarum tuarum. Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt. [9] In die mandauit dominus misericordiam suam: et nocte canticum eius. Apud me oratio deo vite mee: [10] dicam deo susceptor meus es. Quare oblitus es mei: et quare contristatus incedo dum affligit me inimicus [11] Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt michi qui tribulant me inimici mei. Dum dicunt michi per singulos dies vbi est deus tuus: [12] quare tristis es anima mea et quare conturbas me? Spera in deo quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et deus

42 In finem psalmus dauid. Iudica me deus et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me. [2] Quia tu es deus fortitudo mea: quare me repulisti et quare tristis incedo dum affligit me cus? [3] Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum et in tabernacula tua. [4] Et introibo ad altare dei: ad deum qui letificat iuuentutem meam. Confitebor tibi in cythara deus deus meus: [5] quare tristis es anima mea et quare conturbas me? Spera in deo quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et deus meus.

43 In finem pro filijs chore intellectus· psalmus dauid. [2] eus auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis. operatus Opus operatus quod es in diebus eorum: et in antiquis. [3] Manus tua gentes disperdidit et plantasti eos: afflixisti populos et expulisti eos. [4] Nec enim in gladio suo possederunt terram: et brachium eorum non saluauit eos. Sed dextra tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis. [5] Tu es ipse rex meus et deus meus: qui mandas salutes iacob. [6] Inte inimicos nostros ventilabimus cornu: et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. [7] Non enim in arcu meo sperabo: et gladius meus non saluabit me. [8] Saluasti enim nos de affligentibus nos: et odientes nos confudisti. [9] laudabimur tota die: et in nomine tuo confitebimur In seculum. [10] Tunc autem repulisti et confudisti nos: et non egredieris in virtutibus nostris. [11] Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: et qui oderunt nos diripiebant sibi. [12] Dedisti nos tanquam oues escarum: et in gentibus dispersisti nos. [13] Vendidisti populum tuum sine precio: et non fuit multitudo in commutationibus eorum. [14] Posuisti nos opprobrium vicinis nostri: subsannatiotu nostro. [15] Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis. [16] Tota die verecundia mea contra me est: et confusio faciei mee cooperuit me. [17] A voce exprobrantis et obloquentis: a facie inimici et persequentis. [18] Hec omnia venerunt super nos nec obliti sumus te: et inique non egimus in testamento tuo. [19] Et non recessit retro cor nostrum: et declinasti semitas nostras a via tua. [20] Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis: et cooperuit nos vmbra mortis. [21] Si obliti sumus nomen dei Nonne nostri: et si expandimus manus nostras ad deum alienum. [22] Nonne deus requiret ista? ipse etiam nouit abscondita cordis. Quoniam propter te mortificamur tota die: estimati sumus sicut oues occisionis. [23] Exsurge quare obdormis domine: exsurge et ne repellas in finem. [24] Quare faciem tuam auertis obliuisceris inopie nostre: et tribulationis nostre. [25] Quoniam humiliata est in puluere anima nostra: conglutinaadiuua [26] nos: et redime nos propter

44 In finem pro hijs qui commutabuntur filijs chore ad intellectum canticum pro dilecto. noin domibus [2] Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribe: velociter scribentis. [3] Speciosus forma pre filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te deus in eternum. [4] Accingere gladio tuo: super femur tuum potentissime. [5] Specie tua et pulcritudine tua: intende prospere procede et regna. Propter veritatem et mansuetudinem et iusticiam: et deducet te mirabiliter dextra tua. [6] Sagitte tue acute: populi sub te cadent in corda inimicorum regis. [7] Sedes tua deus in seculum secli: virga directionis virga regni tui. [8] Dilexisti iusticiam et odisti iniquitatem: propterea vnxit te deus deus tuus oleo leticie pre consortibus tuis. [9] Mirra et gutta et casia a vestimentis tuis: a domibus eburneis ex quibus delectauerunt te [10] filie regum in honore tuo. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circundata varietate. [11] Audi filia et vide et inclina aurem tuam: et obliuiscere populum tuum et domum patris tui. [12] Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est dominus deus tuus et adorabunt eum. [13] Et filie tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. [14] Omnis gloria eius filie altissimus regis abintus: in fimbrijs aureis [15] circumamicta varietatibus. Adducentur e bati sunt afferentur tibi. [16] Afferentur in leticia et exultatione: adducentur in templum [17] aphendit tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. [18] Memor ero nominis tui domine: in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in eternum: et in seculum seculi.

45 In finem filijs chore pro archanis psalmus dauid. gium [2] et virtus: adiutor in tribulationibus que inuenerunt nos nimis. [3] Propterea non timebimus dum turbabitur terra: et transferentur montes in cor maris. [4] Sonauerunt et turbate sunt aque eorum: conturbati sunt montes in fortitudine [5] Fluminis impetus letificat ciuitadei: sanctificauit tabernaculum [6] tem eius non commouebitur: ad iuuabit eam deus mane diluculo. [7] Conturbate sunt gentes et inclinata sunt regna: dedit vocem suam mota est terra. [8] Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster deus iacob. [9] Venite et videte opera domini que posuit prodigia super terram: [10] auferens bella vsque ad finem terre. Arcum conteret et confringet arma: et scuta comburet igni. [11] Vacate et videte quoniam ego sum deus: exaltabor in gentibus et exaltaterra. bor in [12] Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster deus iacob.

46 Infinem pro filijs chore· psalmus dauid. [2] Omnes gentes plaudite manibus: iubilate deo in voce exultationis. [3] Quoniam dominus excelsus terribilis: rex magnus super omnem terram. [4] Subiecit populos nobis: et gentes sub pedibus nostris. [5] Elegit nobis hereditatem suam: speciem iacob quam dilexit. [6] Ascendit deus in iubilo: et dominus in voce tube. [7] Psallite deo nostro psallite: psallite regi nostro psallite. [8] Quoniam rex omnis terre deus: psallite sapienter. [9] Regnabit deus super gentes: deus sedet super sedem sanctam suam. [10] Principes populorum congregati sunt cum deo abraham: quoniam dij fortes terre vehementer eleuati sunt.

47 Psalmus cantici filijs chore secunda sabbati. [2] Magnus dominus et laudabilis nimis: in ciuitate dei nostri in monte sancto eius. [3] Fundatur exultatione vniuerse terre: mons syon latera aquilonis ciuitas regis magni. [4] Deus in domibus eius cognoscetur: cum suscipiet eam. [5] Quoniam ecce reges terre congregati sunt: conuenerunt in vnum. [6] Ipsi videntes sic ammirati sunt: conturbati sunt commoti sunt: [7] tremor apprehendit eos. Ibi dolores vt parturientis: [8] in spiritu vehementi conteres naues tharsis. [9] Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate domini virtutum in ciuitate dei nostri: deus fundauit eam in eternum. [10] Suscepimus deus misericordiam tuam: in medio templi tui. [11] Secundum nomen tuum deus sic et laus tua in fines terre. terre: iusticia plena est dextera tua. [12] Letetur mons syon et exultent filie iude: propter iudicia tua domine. [13] Circundate syon et complectimini eam: narrate in turribus eius. [14] Ponite corda vestra in virtute eius: et distribuite domos eius vt enarretis in progenie altera. [15] Quoniam hic est deus deus noster in eternum in et in seculum seculi: ipse reget nos

48 In finem filijs chore· psalmus dauid. In secuuoniam [2] Audite hec omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitadibus orbem. [3] Quique terrigene et filij minum: simul in vnum diues et pauper· [4] Os meum loquetur sapientiam et meditatio cordis mei prudentiam. [5] Inclinabo in parabolam aurem meam: apriam in psalterio propositionem meam. [6] Cur time in die mala: iniquitas calcanei mei cirnundabit me. [7] Qui confidunt in virtute sua: et in multitudine diuiciarum suarum glori et in antur. [8] Frater non redimit redimet homo? non dabit deo placationem suam. [9] t precium redemptionis anime sue: et laborabit in eternum [10] et viuet adhuc in finem. [11] Non videbit interitum cum viderit sapientes morientes: simul insipiens et stultus peribunt. Et relinquent alienis diuicias suas: [12] et sepulcra eorum domus eorum in eternum. abernacula eorum in progenie et progenie: vocauerunt nomina sua in terris suis. [13] Et homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus: et similis factus est illis. [14] Hec via illorum scandalum ipsis: et postea in ore suo complacepunt. [15] Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos. Et dominabuntur eorum iusti in matutino: et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum. [16] Veruutamen deus redimet animam meam de manu inferi cum acceperit me. [17] Ne timueris cum diues factus fuerit homo: et cum multiplicata fuerit gloria domus eius. [18] Quomam cum interierit non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius. [19] Quia anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei. [20] Introibit vsque in progenies patrum suorum: vsque in eternum non videbit lumen. [21] Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus: et similis factus est illis.

49 Psalmus asaph. Deus deorum dominus locutus est: et vocauit terram. A solis ortu vsque ad occasum: [2] ex syon species decoris eius. [3] Deus manifeste veniet: deus noster et non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet: et in circuitu eius tempestas valida. [4] Aduocauit celum desursum: et terram discernere populum suum. [5] Congregati illi sanctos eius: qui ordinant testamentum eius super sacrificia. [6] Et annunciabunt celi iusticiam eius: quoniam deus iudex est. [7] Audi populus meus et loquar: israhel et testificabor tibi: deus deus tuus ego sum. [8] Non in sacrificijs tuis arguam te: olocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. [9] on accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos. [10] Quoniam mee sunt omnes fere siluarum: iumenta in montibus et boues. [11] Cognoui omnia volatilia celi: et pulcritudo agri mecum est. [12] Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terre et plenitudo eius. [13] Nun manducabo carnes thaurorum: aut sanguinem hircorum potabo? [14] mmola deo sacrificium laudis: et redde altissimo vota tua. [15] Et inuoca me in die tribulationis: eruam te et honorificabis me. [16] Peccatori autem dixit deus quare tu enarras iusticias meas: et assumis testamentum meum per os tuum? [17] Tu vero odisti disciplinam: et proiecisti sermones meos retrorsum. [18] Si videbas furem currebas cum eo: et cum adulteris porcionem tuam ponebas. [19] Os tuum abundauit malicia: et lingua tua concinnabat dolos. [20] Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris: et aduersum filium matris tue ponebas scandalum: [21] hec fecisti et tacui. Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te et statuam contra faciem tuam. [22] Intelligite hec qui obliuiscemini deum: nequando rapiat et non sit qui eripiat. [23] Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter quo ostendam illi salutare dei.

50 Psalmus dauid [2] cum venit ad eum nathan propheta quando intrauit ad bethsabee. [3] Miserere mei deus: secuudum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam. [4] Amplius laua me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me. [5] Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper. [6] Tibi soli peccaui et malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris. [7] Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea. [8] Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientie tue manifestasti michi. [9] Asperges me ysopo et mundabor: lauabis me et super niuem dealbabor. [10] Auditui meo dabis gaudium et leticiam: et exultabunt ossa humiliata. [11] Auerte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele. [12] Cor mundum crea in me deus: spiritum rectum innoua in visceribus meis. [13] Ne proicias me a facie tua et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. [14] Redde michi leticiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me. [15] Docebo iniquos vias tuas: et impij ad te conuertentur. [16] Libera me de sanguinibus deus deus salutis mee: et exultabit lingua mea iusticiam tuam. [17] Domine labia mea aperies: et os meum annunciabit laudem tuam. [18] Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique: olocaustis non delectaberis. [19] Sacrificium deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum deus non despicies. [20] Benigne fac domine in bona voluntate tua syon: vt edificentur muri iherusalem. [21] Tunc acceptabis sacrificium iusticie oblationes et olocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

51 In finem intellectus dauid [2] cum venit ad eum doech ydumeus et nunciasset sauli venit dauid in domum abimelech. [3] vid gloriaris in malicia: qui potens es in iniquitate? [4] Tota die iniusticiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum. [5] Dilexisti maliciam super benignitatem: iniquitatem magis quam loqui equitatem. [6] ilexisti omnia verba precipitationis: lingua dolosa. [7] Propterea deus destruet te in finem: euellet te et emigrabit te de tabernaculo tuo: et radicem tuam de terra viuentium. [8] Videbunt iusti et timebunt: et super eum ridebunt et dicent: [9] ecce homo qui non posuit deum adintorem suum. Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: et preualuit in vanitate sua. [10] Ego autem sicut oliua fructifera in domo dei: speraui in misericordia dei in eternum et in seculum seculi. [11] Confitebor tibi in seculum quia fecisti: et exspectabo nomen tuum quoniam bonum in conspectu sanctorum tuorum.

52 In finem intellectus dauid pro amalech. Dixit insipiens in corde suo: non est deus. [2] Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum. [3] Deus de celo prospexit super filios hominum: vt videat si est intelligens aut requirens deum. [4] Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum. [5] Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam vt cibum panis? [6] Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore vbi non fuit timor. Quoniam deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt quoniam deus spreuit eos. [7] Quis dabit ex syon salutare israhel: cum conuerterit deus captiuitatem plebis sue exultabit iacob et letabitur israhel:

53 In finem in carminibus intellectus dauid [2] cum venissent cyphei et nunciassent sauli nonne dauid absconditus est apud nos. et letabitur israhel. [3] Deus in nomine tuo saluum me fac: et in virtute tua iudica me. [4] Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei. [5] Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me: et fortes quesierunt animam meam: et non proposuerunt deum ante conspectum suum. [6] Ecce enim deus adiuuat me: et dominus susceptor est anime mee. [7] Auerte mala inimicis meis: et in veritate tua disperde illos. [8] Voluntarie sacrificabo tibi: et confitebor nomini tuo

domine quoniam bonum est. [9] Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: et super inimicos meos despexit oculus meus.

54 In finem in carminibus intellectus dauid. [2] xaudi deus orationem meam: et ne despexeris deprecationem meam: [3] intende michi et exaudi me. Contristatus sum in exercitatione mea: et conturbatus sum [4] a voce inimici et a tribulatione peccatoris. Quomiam declinauerunt in me iniquitates: et in ira molesti erant michi. [5] Cor meum conturbatum est in me: et formido mortis cecidit super me. [6] Timor et tremor venerunt super me: et contexerunt me tenebre. [7] Et dixi quis dabit pennas sicut columbe: et volabo et requiescam. [8] Ecce elongaui fugiens: et mansi in solitudine. [9] Expectaui eum qui saluum me fecit: a pusillaminitate spiritus et tempestate· [10] Precipita domine diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem et contradictionem ciuitate. [11] Die ac nocte circundabit eam super muros eius iniquitas: et labor in medio eius [12] et iniusticia. Et non defecit de plateis eius: vsura et dolus. [13] Quoniam si inimicus meus maledixisset michi: sustinuissem vtique. Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo. [14] Tu vero homo vnanimis: dux meus et notus meus. [15] Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo dei ambulauimus cum consensu. [16] Veniat mors super illos: et descendant in infernum viuentes. Quoniam nequicie in habitaculis eorum: in medio eorum. [17] Ego autem ad deum clamaui: et dominus saluauit me. [18] Vespere et mane et meridie narrabo et annunciabo: et exaudiet vocem meam. [19] Redimet in pace animam meam ab hijs qui appropinquant michi: quoniam inter multos erant mecum. [20] Exaudiet dominus et humiliabit illos: qui est ante secula. Non enim est illis commutatio et non timuerunt deum: [21] extendit manum suam in retribuendo. Contaminauerunt testamentum eius: [22] diuisi sunt ab ira vultus eius: et appropinquauit cor illius. Molliti sunt sermones eius super oleum: et ipsi sunt iacula. [23] Iacta super dominum curam tuam et ipse te enutriet: et non dabit in eternum fluctuationem iusto. [24] Tu vero deus: deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te domine.

55 In finem pro populo qui a sanctis longe factus est in tituli inscriptione ipsi dauid cum tenerent eum allophili in geth. [2] Miserere mei deus quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me. [3] Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me. [4] Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo. [5] In deo laudabo sermones meos: in deo speraui non timebo quid faciat michi caro. [6] Tota die verba mea execrabantur: aduersum me omnes cogitationes eorum in malum. [7] Inhabitabunt et abscondent: ipsi calcaneum meum obseruabunt. Sicut sustinuerunt animam meam [8] pro nichilo saluos facies illos: in ira populos confringes. [9] Deus vitam meam annunciaui tibi: posuisti lacrimas meas in conspectu tuo. Sicut et in promissione tua: [10] tunc conuertentur inimici mei retrorsum. In quacunque die inuocauero te: ecce cognoui quoniam deus meus es. [11] In deo laudabo verbum: in domino laudabo sermonem: in deo speraui non timebo quid faciat michi homo. [12] In me sunt deus vota tua: que reddam laudationes tibi. [13] Quoniam eripuisti animam meam de morte: et pedes meos de lapsu: vt placeam coram deo in lumine viuentium.

56 In finem ne disperdas dauid in tituli inscriptione cum fugeret a facie saul regis israhel in spelunca. [2] iserere mei deus miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Et in vmbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas. [3] Clamabo ad deum altissimum: deum qui benefecit michi. [4] Misit de celo et liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me. Misit deus misericordiam suam et veritatem suam: [5] et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus. Filij hominum dentes eorum arma et sagitte: et lingua eorum gladius acutus. [6] Exaltare super celos deus: et in omni terra gloria tua. [7] Laqueum parauerunt pedibus meis: et incuruauerunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foueam: et inciderunt in eam. [8] aratum cor meum deus paratum cor meum: cantabo et psalmum dicam. [9] Exsurge gloria mea exsurge psalterium et cythara: exsurgam diluculo. [10] Confitebor tibi in populis domine: et psalmum dicam tibi in gentibus. [11] Quoniam magnificata est vsque ad celos misericordia tua: et vsque ad nubes veritas tua. [12] Exaltare super celos deus: et super omnem terram gloria tua.

57 In finem ne disperdas dauid in tituli inscriptione. [2] Si vere vtique iusticiam loquimini: iudicate filij hominum. [3] Etenim in corde iniquitates operamini in terra: iniusticias manus vestre concinnant. [4] Alienati sunt peccatores a vulua: errauerunt ab vtero: locuti sunt falsa. [5] Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surde et obturantis aures suas. [6] Que non exaudiet vocem incantantium: et venefici incantantis sapienter. [7] Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet dominus. [8] Ad nichilum deueniet tanque aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur [9] Sicut cera que fluit auferentur: supercecidit ignis et non viderunt solem. [10] Priusquam intelligerent spine vestre ramnum: sicut viuentes sicut in ira absorbet eos. [11] Letabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris. ratoris. [12] Et dicet homo si vtique est dicet Et fructus iusto: vtique est deus iudicans eos in terra.

58 In finem ne disperdas dauid in tituli inscriptione quando misit saul et custodiuit domum eius vt interficerent eum. [2] Eripe me de inimicis meis deus meus: et ab insurgentibus in me libera me. [3] Eripe me de oprantibus iniquitatem: et de viris sanguinum salua me. [4] Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes. [5] Neque iniquitas mea neque peccatum meum domine: sine iniquitate cucurri et direxi. [6] Exsurge in occursum meum et vide: et tu domine deus virtutum deus israhel. Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus gentibus qui operantur iniquitatem. [7] Conuertentur ad vesperam et famem patientur vt canes: et circuibunt ciuitatem. [8] Ecce loquentur in ore suo: et gladius in labijs eorum: quoniam quis audiuit? [9] Et tu domine deridebis eos: ad nichilum deduces omnes gentes. [10] Fortitudinem meam ad te re custodiam: quia deus susceptor meus: [11] Deus meus misericordia eius preueniet me. [12] Deus ostendisti michi super inimicos meos: ne occidas eos nequando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua: et depone eos protector meus domine. [13] Delictum oris eorum: sermonem labiorum ipsorum: et comprehendantur in superbia sua Et de execratione et mendacio annunciabuntur [14] in consumatione: in ira consumationis et non erunt. Et scient quia deus dominabitur iacob: et finium terre [15] Conuertentur ad vesperam et famem patientur vt canes: et circuibunt ciuitatem. [16] Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati et murmurabunt [17] Ego autem cantabo fortitudinem tuam: et exaltabo mane misericordiam tuam. Quia factus es susceptor meus: et refugium meum in die tribulationis mee. [18] Adiutor meus tibi psallam: quia deus susceptor meus es: deus meus misericordia mea

59 In finem pro hijs qui commutabuntur in tituli inscriptione ipsi dauid in doctrinam· [2] cum succendit mesopotamiam syrie et sobal· et conuertit ioab et percussit edom in valle salinarum duodecim milia. [3] Deus repulisti nos et destruxisti nos: iratus es et misertus es [4] turbasti eam: sana contritiones eius quia commota est. [5] Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis. [6] Dedisti metuentibus te significationem: vt fugiant a facie arcus. Et liberentur dilecti tui: [7] saluum fac dextera tua et exaudi me. [8] Deus locutus est in sancto suo: letabor et partibor sichimam: et conuallem tabernaculorum metibor. [9] Meus est galaad et meus est manasses: et ephraim fortitudo capitis mei. Iuda rex meus: [10] moab olla spei mee. In ydumeam extendam calciamentum meum: michi alienigene subditi sunt. [11] Quis deducet me in ciuitatem munitam: quis deducet me vsque in ydumeam? [12] Nonne tu deus qui repulisti nos? et non egredieris deus in virtutibus nostris. [13] Da nobis auxilium de tribulatione: et vana salus hominis. [14] In deo faciemus virtutem: et ipse ad nichilum deducet tribulantes nos.

60 In finem in ymnis psalmus dauid. [2] Exaudi deus deprecationem meam: intende orationi mee [3] A finibus terre ad te clamaui dum anxiaretur cor meum: in petra exaltasti me. [4] Deduxisti me quia factus es spes mea: turris fortitudinis a facie inimici. [5] Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula: protegar in velamento alarum tuarum. [6] Quoniam tu deus meus

exaudisti orationem meam: dedisti hereditatem timentibus nomen tuum. [7] Dies super dies regis adicies: annos eius vsque in diem generationis et generationis. [8] Permanet in eternum in conspectu dei: misericordiam et veritatem eius quis requiret? [9] Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi: vt reddam vota mea de die in diem.

61 In finem pro ydithun: psalmus dauid. [2] Nonne deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. [3] Nam et ipse deus meus et salutaris meus: susceptor meus non mouebor amplius. [4] Quousque irruitis in hominem: interficitis vniuersi vos: tanquam parieti inclinato et macerie depulse? [5] Veruntamen precium meum cogitauerunt repellere: cucurri in siti: ore suo benedicebant et corde suo maledicebant. [6] Veruntamen deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso pacientia mea. [7] Quia ipse deus meus et saluator meus: adiutor meus non emigrabo. [8] In deo salutare meum et gloria mea: deus auxilij mei et spes mea in deo est. [9] Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra: deus adiutor noster in eternum. [10] Veruntamen vani filij hominum: mendaces filij hominum in stateris: vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. [11] Nolite sperare in iniquitate et rapinas nolite concupiscere: Diuitie si affluant nolite cor apponere. [12] Semel locutus est deus duo hec audiui: quia potestas dei est [13] et tibi domine misericordia: quia tu reddis vnicuique iuxta opera sua.

62 Psalmus dauid cum esset in deserto ydumee. [2] Deus deus meus: ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea. [3] In terra deserta et inuia et inaquosa sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam et gloriam tuam. [4] Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te. [5] Sic benedicam te in vita mea: et in nomine tuo leuabo manus meas. [6] Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: et labijs exultationis laudabit os meum. [7] Si memor fui tui super stratum meum: in matutinis meditabor in te: [8] quia fuisti ad iutor meus. Et in velamento alarum tuarum exultabo: [9] adhesit anima mea post te: me suscepit dextera tua. [10] Ipsi vero inuanum quesierunt animam meam: introibunt in inferiora terre: [11] tradentur in manus gladij· partes vulpium erunt. [12] Rex vero letabitur in deo: laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

63 In finem psalmus dauid. [2] Exaudi deus orationem meam cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam. [3] Protexisti me a conuentu malignantium: a multititudine operantium iniquitatem. [4] Quia exacuerunt vt gladium linguas suas: intenderunt arcum rem amaram: [5] vt sagittent in occultis immaculatum. [6] vbito sagittabunt eum et non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam. Narrauerunt vt absconderent laqueos: Dixerunt quis videbit eos? [7] crutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinia. Accedet homo et cor altum: [8] et exaltabitur deus. Sagitte paruulorum facte sunt plage eorum: [9] et infirmate sunt contra eos lingue eorum. Conturbati sunt omnes qui videbant eos: [10] et timuit omnis homo. Annunciauerunt opera dei: et facta eius intellexerunt. [11] Letabitur iustus in domino et sperabit in eo: et laudabuntur omnes recti corde.

64 In finem psalmus dauid canticum aggei ieremie et ezechiel de verbo peregrinationis et de populo transmigrationis cum inciperent proficisci. [2] Te decet ymnus deus in syon: et tibi reddetur votum in iherusalem. [3] Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet. [4] Verba iniquorum preualuerunt super nos: et impietatibus nostris tu propitiaberis [5] Beatus quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis. Replebimur in bonis domus tue: sanctum est templum tuum [6] mirabile in equitate. Exaudi nos deus salutaris noster: spes omnium finium terre et in mari longe. [7] Preparans montes in virtute tua accinctus potentia: [8] qui conturbas profundum maris sonum fluctuum eius. Turbabuntur gentes [9] et timebunt qui habitant terminos a signis tuis: exitus matutini et vesperi delectabis. [10] Visitasti terram et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. Flumen dei repletum est aquis: parasti cibum illorum quoniam ita est preparatio eius. [11] Riuos eius inebria: multiplica genimina eius: in stillicidijs eius letabitur germinans [12] enedices corone anni benignitatis tue: et campi tui replebuntur vbertate. [13] Pinguescent speciosa deserti: et exultatione colles accingentur. [14] Induti sunt arietes ouium: et valles habundabunt frumento: clamabunt etenim ymnum dicent.

65 In finem canticum psalmi resurrectionis. Iubilate deo omnis terra: [2] psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius. [3] Dicite deo quam terribilia sunt opera tua domine: in multitudine virtutis tue mentientur tibi inimici tui. [4] Omnis terra adoret te et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo. [5] Venite et videte opera dei: terribilis in consilijs super filijs hominum. [6] Qui conuertit mare in aridam: in flumine pertransibunt pede: ibi letabimur in ipso. [7] Qui dominatur in virA tute sua in eternum: oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant non exaltentur in semetipsis. [8] Benedicite gentes deum nostrum: et auditam facite vocem laudis eius. [9] Qui posuit animam meam ad vitam: et nou dedit iu commotionem pedes meos. [10] Quoniam probasti nos deus: igne nos examinasti sicut examinatur argentum. [11] Induxisti nos in laqueum: posuisti tribulationes in dorso nostro: [12] imposuisti homines super capita nostra. Transiuimus per ignem et aquam: et eduxisti nos in refrigerium. [13] Introibo in domum tuam in olocaustis: reddam tibi vota mea [14] que distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum: in tribulatione mea. [15] Olocausta medullata offeram tibi cum incensu arietum: offeram tibi boues cum hircis. [16] Venite audite et narrabo omnes qui timetis deum: quanta fecit anime mee. [17] Ad ipsum ore meo clamaui: et exultaui sub lingua mea. [18] Iniquitatem si aspexi in corde meo: non exaudiet dominus. [19] Propterea exaudiuit deus: et attendit voci deprecationis mee. [20] Benedictus deus: qui non amouit orationem meam et misericordiam suam a me.

66 In finem in ymnis psalmus cantici dauid. [2] Deus misereatur nostri et benediat nobis: illuminet vultum suum super nos: et misereatur nostri. [3] t cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum. [4] Confiteantur tibi populi deus: confiteantur tibi populi omnes. [5] Letentur et exultent gentes: quoniam iudicas populos in equitate: et gentes in terra dirigis. [6] Confiteantur tibi populi deus: confiteantur tibi populi omnes: [7] terra dedit fructum suum. Benedicat nos deus deus noster [8] benedicat nos deus: et metuant eum omnes fines terre.

67 In finem psalmus cantici dauid. finem cantici [2] Exsurgat deus et dissipentur inimici mici eius: et fugiant qui oderunt eum a facie eius. [3] Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera a facie ignis sic pereant peccatores a facie dei. [4] Et iusti epulentur et exultent in conspectu dei: et delectentur in leticia. [5] Cantate deo psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum: dominus nomen illi. Exultate in conspectu eius: turbabuntur a facie eius [6] patris orphanorum et iudicis viduarum. Deus in loco sancto suo: [7] deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos qui exasperant qui habitant in sepulcris. [8] Deus cum egredereris in conspectu populi tui: cum pertransires in deserto. [9] Terra mota est: etenim celi distillauerunt a facie dei synai a facie dei israhel. [10] Pluuiam voluntariam segregabis deus hereditati tue: et infirmata est: tu vero perfecisti eam. [11] Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi deus. [12] Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. [13] Rex virtutum dilecti dilecti: et speciei domus diuidere spolia. [14] Si dormiatis inter medios cleros penne columbe deargentate: et posteriora dorsi eius in pallore auri. [15] Dum discernit celestis reges super eam niue dealbabuntur in selmon: [16] mons dei mons pinguis. Mons coagulatus mons pinguis: [17] vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est deo habitare in eo: etenim dominus habitabit in finem. [18] Currus dei decem milibus multiplex: milia letantium: dominus in eis in synai in sancto [19] Ascendisti in altum cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus. Etenim non credentes: inhabitare dominum deum. [20] Benedictus dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis deus salutarium nostrorum. [21] Deus noster deus saluos faciendi: et domini domini exitus mortis. [22] Veruntamen deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis [23] Dixit dominus ex basan conuertam: conuertam in profundum

maris. [24] Vt intinguatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. [25] Viderunt ingressos tuos deus: ingressus dei mei regis mei qui est in sancto. [26] Preuenerunt principes coniuncti psallentibus: in medio iuuencularum timpanistriarum. [27] In ecclesijs benedicite deo: domino de fontibus israhel. [28] Ibi beniamin adolescentulus: in mentis excessu. Principes iuda duces eorum: principes zabulon et principes neptalim. [29] Manda deus virtuti tue: confirma hoc deus quod operatus es in nobis. [30] A templo tuo in iherusalem: tibi offerent reges munera. [31] Increpa feras arundinis: congregatio thaurorum in vaccis populorum: vt excludant eos qui probati sunt argento. Dissipa gentes que bella volunt: [32] venient legati ex egipto: ethiopia preueniet manus eius deo. [33] Regna terre cantate deo: psallite domino. Psallite deo: [34] qui ascendit super celum celi ad orientem. Ecce dabit voci sue vocem virtutis: [35] date gloriam deo super israhel magnificentia eius et virtus eius in nubibus. [36] Mirabilis deus in sanctis suis: deus israhel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi sue: nedictus deus.

68 In finem pro hijs qui commutabuntur psalmus ipsi dauid. finem [2] Saluum me fac deus: quomam intrauerunt vsque ad animam meam. [3] Infixus sum in limo pro fundi: et non est substantia. Veni in altitudinem maris: et tempestas dimersit me. [4] Laboraui clamans rauce facte sunt fauces mee: defecerunt oculi mei dum spero in deum meum. [5] Multiplicati sunt super capillos capitis mei: qui oderunt me gratis. Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: que non rapui tunc exsoluebam [6] Deus tu scis insipientiam meam: et delicta mea a te non sunt abscondita. [7] Non erubescant in me qui exspectant te domine: domine virtutum Non confundantur super me: qui querunt te deus israhel. [8] Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. [9] Extraneus factus sum fratribus meis: et peregrinus filijs matris mee. [10] Quoniam zelus domus tue comedit me: et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. [11] Et operui in ieiumo animam meam: et factum est in opprobrium michi. [12] Et posui vestimentum meum cilicium: et factus sum illis in parabolam. [13] Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta: et iu me psallebant qui bibebant vinum. [14] Ego vero orationem meam ad te domine: tempus beneplaciti deus. In multitudine misericordie tue: exaudi me in veritate salutis tue. [15] Eripe me de luto vt non infigar: libera me ab hijs qui oderunt me et de profundis aquarum. [16] Non me dimergat tempestas aque: neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum. [17] Exaudi me domine quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice me. [18] Et ne auertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor velociter exaudi me. [19] Intende anime mee et libera eam: propter inimicos meos eripe me. [20] Tu scis improperium meum et confusionem meam: et reuerentiam meam. [21] In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me et improperium exspectauit cor meum et miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur et non fuit: et qui consolarentur et non inueni. [22] Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potauerunt me aceto. [23] Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum: et in retributiones et in scandalum. [24] Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum semper incurua. [25] Effunde super eos iram tuam: et furor ire tue comprehendat eos. [26] Fiat habitatio eorum deserta: et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. [27] Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt: et super dolorem vulnerum eorum addiderunt. [28] Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: et non intrent in iusticiam tuam. [29] Deleantur de libro viuentium: et cum iustis non scribantur. [30] Ego sum pauper et dolens: salus tua deus suscepit me. [31] Laudabo nomen dei cum cantico: et magnificabo eum in laude. [32] Et placebit deo super vitulum nouellum: cornua producentem et vngulas. [33] Videant pauperes et letentur: querite deum et viuet anima vestra. [34] Quoniam exaudiuit pauperes dominus: et vinctos suos non despexit. [35] Laudent illum celi et terra: mare et omnia reptilia in eis. [36] Quoniam deus saluam faciet syon: et edificabuntur ciuitates iude. Et inhabitabunt ibi: et hereditate acquirent eam. [37] Et semen seruorum eius possidebit eam: et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

69 In finem psalmus dauid in rememoratione quod saluum fecit eum dominus. [2] Deus in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me festina. [3] Confundantur et reuereantur: qui querunt animam meam. [4] Auertantur retrorsum et erubescant: qui volunt michi mala Auertantur statim et erubescentes: qui dicunt michi euge euge. [5] Exultent et letentur in te o qui querunt te: et dicant semper magnificetur dominus qui diligunt salutare tuum. [6] Ego vero egenus et pauper sum: deus adiuua me. Adiutor meus et liberator meus es tu: domine ne moreris.

70 Psalmus dauid filiorum ionadab et priorum captiuorum. In te domine speraui non confundar in eternum: [2] in iusticia tua libera me et eripe me. Inclina ad me aurem tuam: et salua me. [3] Esto michi in deum protectorem et in locum munitum: vt saluum me facias. Quoniam firmamentum meum: et refugium meum es tu. [4] Deus meus eripe me de manu peccatoris: et de manu contra legem agentis et iniqui. [5] Quoniam tu es patientia mea domine: domine spes mea a iuuentute mea. [6] In te confirmatus sum ex vtero: de ventre matris mee tu es protector meus. In te cantatio mea semper: [7] tanquam prodigium factus sum multis et tu adiutor fortis· [8] Repleatur os meum laude vt cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam. [9] Ne proicias me in tempore senectutis: cum deficiet virtus mea ne derelinquas me. [10] Quia dixerunt inimici mei michi: et qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in vnum. [11] Dicentes deus dereliquit eum: persequimini et comprehendite eum: quia non est qui eripiat [12] Deus ne elongeris a me: deus meus in auxilium meum respice. [13] Confundantur et deficiant detrahentes anime mee: operiantur confusione et pudore qui querunt mala michi. [14] Ego autem semper sperabo: et adiciam super omnem laudem tuam. [15] Os meum annunciabit iusticiam tuam: tota die salutare tuum. Quoniam non cognoui litteraturam [16] introibo in potentiam domini: domine memorabor iusticie tue solius. [17] Deus docuisti me a iuuentute mea et vsque nunc: pronunciabo mirabilia tua. [18] Et vsque in senectam et senium: deus ne derelinquas me. Donec an brachium tuum: generati omni que ventura est. Potentiam tuam [19] et iusticiam tuam deus vsque in altissima que fecisti magnalia: Deus quis similis sit tibi? [20] Quantas ostendisti michi tribulationes multas et malas: et conuersus viuificasti me: et de abissis terre iterum reduxisti me. [21] Multiplicasti magnificentiam tuam: et conuersus consolatus es me. [22] Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam deus: psallam tibi in cythara sanctus israhel. [23] Exultabunt labia mea cum cantauero tibi et anima mea quam redemisti. [24] Sed et lingua mea tota die meditabitur iusticiam tuam: cum confusi et reueriti fuerit qui querunt mala michi

71 In salomonem. [2] Deus iudicium tuum regi da: et iustitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in iusticia: et pauperes tuos in iudicio. [3] Suscipiant montes pacem populo: et colles iusticiam. [4] Iudicabit pauperes populi et saluos faciet filios pauperum: et humiliabit calumniatorem. [5] permanebit cum sole et ante lunam: in generationem et generationem. [6] der det sicut pluuia in vellus: et sicut stillicidia stillantia super terram. [7] Orietur in diebus eius iusticia et abundantia pacis: donec auferatur luna. [8] Et dominabitur a mari vsque ad mare: et a flumine vsque ad terminos orbis terrarum. [9] Coram illo procident ethiopes: et inimici eius terram lingent. [10] Reges tharsis et insule munera offerent: reges arabum et saba dona adducent. [11] Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes seruient ei. [12] Quia liberabit pauperem a potente: et pauperem cui non erat adiutor. [13] Parcet pauperi et inopi: et animas pauperum saluas faciet. [14] Ex vsuris et iniquitate redimet animas eorum: et honorabile nomen eorum coram illo. [15] Et viuet et dabitur ei de auro arabie: et adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei. [16] Erit firmamenrum in terra in summis montium: superextolletur super libanum fluctus eius: et florebant de ciuitate sicut fenum terre. [17] Sit nomen eius benedictum in secula: ante solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus terre: omnes gentes magnificabunt eum [18] Benedictus dominus deus israhel: qui facit mirabilia solus. [19] Et benedictum nomen

maiestatis eius in eternum: at. et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat fiat. [20] Defecerunt ymni dauid filij iesse.

72 Psalmus asaph. Quam bonus isra Quam hel deus: hijs qui recto sunt corde. [2] Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei. [3] Quia zelaui super iniquos: pacem peccatorum videns. [4] Quia non est respectus morti eorum: et firmamentum in plaga eorum. [5] In labore hominum non sunt: et cum hominibus non flagellabuntur. [6] Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate et impietate sua. [7] Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affedum cordis. [8] Cogitauerunt et locuti sunt nequiciam: iniquitatem in excelso locuti sunt. [9] Posuerunt in celum os suum: et lingua eorum transiuit in terra. [10] Ideo conuertetur populus meus hic: et dies pleni inuenientur in eis. [11] Et dixerunt quomodo scit deus: si est sciencia in excelso? [12] Ecce et ipsi peccatores et abundantes in seculo: obtinuerunt diuitias. [13] Et dixi ergo sine causa iustificaui cor meum: et laui inter innocentes manus meas. [14] Et fui flagellatus tota die: et castigatio mea in matutinis. [15] Si dicebam narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobaui. [16] Existimabam vt cognoscerem: hoc labor est ante me [17] Donec intrem in sanctuarium dei: et intelligam in nouissimis eorum. [18] Veruntamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum alleuarentur. [19] Quomodo facti sunt in desolationem: subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam. [20] Velut somnium surgentium: domine in ciuitate tua ymaginem ipsorum ad nichilum rediges. [21] Quia inflammatum est cor meum: et renes mei commutati sunt: [22] et ad nichilum redactus sum et nesciui. [23] Vt iumentum factus sum apud te: et ego semper tecum. [24] Tenuisti manum dexteram meam: et in voluntate tua deduxisti me· et cum gloria suscepisti me. [25] Quid enim michi est in celo: et a te quid volui super terram? [26] Defecit caro mea et cor meum: deus cordis mei et pars mea deus ineternum. [27] Quia ecce qui elongant se a te peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. [28] Michi autem adherere deo bonum est: ponere in domino deo spem meam. Vt annunciam omnes predicationes tuas: in portis filie syon.

73 In finem intellectus asaph. Vt quid deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oues pascue tue? [2] Memor esto congregationis tue: quam possedisti ab inicio. Redemisti virgam hereditatis tue: mons syon in quo habitasti in eo. [3] Leua manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto? [4] Et gloriati sunt qui oderunt te: in medio solemnitatis tue Posuerunt signa sua signa [5] et non cognouerunt: sicut in exitu super summum. Quasi in silua lignorum securibus [6] exciderunt ianuas eius in idipsum: in securi et ascia deiecerunt eam. [7] Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra: polluerunt tabernaculum nominis tui. [8] Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos dei a terra. [9] Signa nostra non vidimus: iam non est propheta: et nos non cognoscet amplius. [10] Vsquequo deus improperabit inimicus: irritat aduersarius nomen tuum in finem. [11] Vt quid auertis manum tuam et dexteram tuam: de medio sinu tuo in finem. [12] Deus autem rex noster ante secula: operatus est salutem in medio terre. [13] Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis. [14] Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis ethiopum. [15] Tu dirupisti fontes et torrentes: tu siccasti fluuios ethan. [16] Tuus est dies et tua est nox: tu fabricatus es auroram et solem. [17] Tu fecisti omnes terminos terre: estatem et ver tu plasmasti ea. [18] Memor esto huius: inimicus improperauit domino: et populus insipiens incitauit nomen tuum. [19] Ne tradas bestijs animam confitentem tibi: et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. [20] Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt qui obscurati sunt terre domibus iniquitatum. [21] Ne auertatur humilis factus confusus: pauper et inops laudabunt nomen tuum [22] Exsurge deus iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum eorum qui ab insipiente sunt tota die. [23] Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

74 In finem ne corrumpas psalmus cantici asaph. [2] Confitebimur tibi deus confitebimur: et inuocabimus nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua: [3] cum accepero tempus ego iusticias iudicabo. [4] Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius. [5] Dixi iniquis nolite inique agere: et delinquentibus nolite exaltare cornu. [6] Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui aduersum deum iniquitatem. [7] Quia neque ab oriente neque ab occidente neque a desertis montibus: [8] quoniam deus iudex est. Hunc humiliat et hunc exaltat: [9] quia calix in manu domini vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fex eius non est exinanita: bibent ex eo omnes peccatores terre. [10] Ego autem annunciabo in seculum: cantabo deo iacob. [11] Et omnia cornua peccatorum confringam: et exaltabuntur cornua iusti.

75 In finem in carminibus canticum assiriorum· psalmus asaph. [2] Notus in iudea deus: in israhel magnum nomen eius. [3] Et factus est in pace locus eius: et habitatio eius in syon. [4] Ibi confregit potentias arcuum: scutum gladium et bellum. [5] Illuminans tu mirabiliter a montibus eternis: [6] turbati sunt omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum: et nichil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis. [7] Ab increpatione tua deus iacob: dormitauerunt qui ascenderunt equos. [8] Tu terribilis es et quis resistet tibi: ex tunc ira tua [9] De celo auditum fecisti iudicium: terra tremuit et quieuit. [10] Cum resurgeret in iudicium deus: vt saluos faceret omnes mansuetos terre. [11] Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: et reliquie cogitationis diem festum agent tibi. [12] Vouete et reddite domino deo vestro: omnes qui in circuitu eius affertis munera. Terribili [13] et ei qui aufert spiritum principum: terribili apud omnes reges terre.

76 In finem pro ydithun. [2] Voce mea ad dominum clamaui: voce mea ad deum et intendit michi. [3] In die tribulationis mee deum requisiui manibus meis node contra eum: et non sum deceptus. Renuit consolari anima mea: [4] memor fui dei et delectatus sum: et exercitatus sum et defecit spiritus meus. [5] Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum et non sum locutus. [6] Cogitaui dies antiquos: et annos eternos in mente habui. [7] Et meditatus sum nocte cum corde meo: et exercitabar et scopebam spiritum meum. [8] Nunquid in eternum proiciet deus: aut non apponet vt complacitior sit adhuc? [9] Aut in finem misericordiam suam abscidet: a generatione in generationem? [10] Aut obliuiscetur misereri deus: aut continebit in ira sua misericordias suas? [11] Et dixi nunc cepi: hec mutatio dextere excelsi. [12] Memor fui operum domini: quia memor ero ab inicio mirabilium tuorum. [13] Et meditabor in omnibus operibus tuis: et in adinuentionibus tuis exercebor. [14] Deus in sancto via tua: quis deus magnus sicut deus noster? [15] tu rs deus qui facis mirabilia. Notam fecisti in populis virtutem tuam: [16] redemisti in brachio tuo populum tuum: filios iacob et ioseph. [17] Viderunt te aque deus viderunt te aque et timuerunt: et turbate sunt abissi. [18] Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes. Etenim sagitte tue transeunt: [19] vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt choruscationes tue orbi terre: commota est et contremuit terra. [20] In mari via tua et semite tue in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur. [21] Deduxisti sicut oues populum tuum: in manu moysi et aaron.

77 Intellectus asaph. Attendite populo meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. [2] Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab inicio. [3] Quanta audiuimus et cognouimus ea: et patres nostri narrauerunt nobis. [4] Non sunt occultata a filijs eorum: in generatione altera. Narrantes laudes domini et virtutes eius: et mirabilia eius que fecit. [5] Et suscitauit testimonium in iacob: et legem posuit in israhel. Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis: [6] vt cognoscat generatio altera. Filij qui nascentur et exsurgent: et narrabunt filijs suis. [7] Vt ponant in deo spem suam: et non obliuiscantur operum dei: et mandata eius exquirant. [8] Ne fiant sicut patres eorum: generatio praua et exasperans. generatio que non direxit cor suum: et non est creditus cum deo spiritus eius. [9] Filij effrem intendentes et mittentes arcum: conuersi sunt in die belli. [10] non custodierunt testamentum dei: et in lege eius noluerunt ambulare. [11] Et obliti sunt benefactorum eius: et mirabilium eius que ostendit eis. [12] Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra egipti: in campo thaneos. [13] Interrupit mare et

perduxit eos: et statuit aquas quasi in vtre. [14] Et deduxit eos in nube diei: et tota nocte in illuminatione ignis. [15] Interrupit petram in heremo: et adaquauit eos velut in abisso multa. [16] Et eduxit aquam de petra: et deduxit tanquam flumina aquas. [17] Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitauerunt excelsum in inaquoso. [18] Et ptauerunt deum in cordibus suis: vt peterent escas animabus suis. [19] Et male locuti sunt de deo: dixerunt nunquid poterit deus parare mensam in deserto? [20] Quoniam percussit petram et fluxerunt aque: et torrentes inundauerunt. Nunquid et panem poterit dare: aut parare mensam populo suo? [21] Ideo audiuit dominus et distulit: et ignis accensus est in iacob: et ira ascendit in israhel. [22] Quia non crediderunt in deo: nec sperauerunt in salutari eius. [23] Et mandauit nubibus desuper: et ianuas celi aperuit. [24] et pluit illis manna ad manducandum: et panem celi dedit eis. [25] Panem angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantiam. [26] transtulit austrum de celo: et induxit in virtute sua affricum. [27] Et pluit super eos sicut puluerem carnes: et sicut arenam maris volatilia pennata. [28] Et ceciderunt in medio castrorum eorum: circa tabernacula eorum. [29] Et manducauerunt et saturati sunt nimis: et desiderium eorum attulit eis: [30] non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc esce eorum erant in ore ipsorum: [31] et ira dei ascendit super eos. occidit pingues eorum: et electos israhel impediuit. [32] In omnibus hijs peccauerunt adhuc: et non crediderunt in mirabilibus eius. [33] Et defecerunt in vanitate dies eorum: et anni eorum cum festinatione. [34] cum occideret eos querebant eum: et reuertebantur et diluculo veniebant ad eum. [35] et rememorati sunt quia deus adiutor est eorum: et deus excelsus redemptor eorum est. [36] Et dilexerunt eum in ore suo: et lingua sua mentiti sunt ei. [37] cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius. [38] Ipse autem est misericors et propitius fiet peccatis eorum: et non disperdet eos. Et abundauit vt auerteret iram suam: et non accendit omnem iram suam. [39] Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadens et non rediens. [40] Quotiens exacerbauerunt eum in deserto: in iram concitauerunt eum in inaquoso. [41] Et conuersi sunt et temptauerunt deum: et sanctum israhel exacerbauerunt. [42] non sunt recordati manus eius: die qua redemit eos de manu tribulantis. [43] Sicut posuit in egipto signa sua: et prodigia sua in campo thaneos. [44] Et conuertit in sanguinem flumina eorum: et ymbres eorum ne biberent. [45] misit in eos cynomiam et comedit eos: et ranam et disperdidit eos. [46] et dedit erugini fructus eorum: et labores eorum locuste. [47] Et occidit in grandine vineas eorum: et moros eorum in pruina. [48] Et tradidit grandini iumenta eorum: et possessionem eorum igni. [49] Misit in eos iram indignationis sue: indignationem et iram et tribulationem: immissiones per angelos malos. [50] Viam fecit semite ire sue: non pepercit a morte animarum eorum: et iumenta eorum in morte conclusit. [51] Et percussit omne primogenitum in terra egipti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis cham. [52] Et abstulit sicut oues nonu A VM n lum suum: et perduxit eos tanque gregem in deserto. [53] Et deduxit eos in spe et non timuerunt: et inimicos operuit mare. Et induxit eorum operuit mare. [54] Et induxit eos in montem sanctificationis sue: montem quem acquisiuit dextera eius. Et eiecit a facie eorum gentes: et sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. [55] Et habitare fecit in tabernaculis eorum: tribus israhel. [56] et temptauerunt et exacerbauerunt deum excelsum: et testimonia eius non custodierunt. [57] Et auerterunt se et non seruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum conuersi sunt in arcum prauum. [58] In iram concitauerunt eum in collibus suis: et in sculptilibus suis ad emulationem eum prouocauerunt. [59] Audiuit deus et spreuit: et ad nichilum redegit valde israhel. [60] Et repulit tabernaculum sylo: tabernaculum suum vbi habitauit in hominibus. [61] Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum: et pulcritudinem eorum in manus inimici. [62] Et conclusit in gladio populum suum: et hereditatem suam spreuit. [63] Iuuenes eorum comedit ignis: et virgines eorum non sunt lamentate. [64] Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt et vidue eorum non plorabantur. [65] Et excitatus est tanque dormiens dominus: tanquam potens crapulatus a vino. [66] Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis. [67] Et repulit tabernaculum ioseph: et tribum effrem non elegit. [68] Sed elegit tribum iuda: montem syon quem Dilexit. [69] Et edificauit sicut vnicornium sanctificium suum: in terra quam fundauit in secula. [70] Et elegit dauid seruum suum: et sustulit eum de gregibus ouium: de post fetantes accepit eum. [71] Pascere Pascere iacob seruum suum: et israhel hereditatem suam. [72] et pauit eos in perduxit tanque grec innocentia cordis sui: et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

78 Psalmus asaph. Deus venerunt posuerunt polluerunt templum sanctum tuum: iherusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticiniposuerunt iherusalem in pomorum [2] a seruorum tuorum escas volatilibus celi: carnes sanctorum tuorum bestijs terre. [3] Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam circuitu iherusalem: et non erat qui sepeliret. [4] Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio et illusio hijs qui in circuitu nostro sunt. [5] Vsquequo domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus? [6] Effunde iram tuam in gentes que te non nouerunt: et in regna que nomen tuum non inuocauerunt. [7] Quia comederunt iacob: et locum eius desolauerunt. [8] De memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos mise aquam ricordie tue: quia pauperes facti sumus nimis. [9] Adiuua nos deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui domine libera nos. Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum: [10] ne forte dicant in gentibus vbi est deus eorum. Et innotescant in nationibus coram oculis nostris: vltio sanguinis seruorum suorum qui effusus est. [11] Introeat in conspectu tuo: gemitus compeditorum. Secundum magnitudinem brachij tui: posside filios mortificatorum. [12] Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum in quod exprobrauerunt tibi domine. [13] Nos autem populus tuus et oues pascue tue: confitebimur tibi in seculum. In generatione et generatione: annunciabimus laudem tuam.

79 In finem pro hijs qui commutabuntur psalmus assiriorum testimonium asaph. [2] Qui regis israhel intende: qui deducis velut ouem ioseph. Qui sedes super cherubin manifestare: [3] coram ephraim beniamin et manasse. Excita potentiam tuam et veni: vt saluos facias potentiuein nos. [4] Deus conuerte nos: et ostende faciem tuam et salui erimus. [5] Domine deus virtutum: quousque irasceris super orationem serui tui? [6] Cibabis nos pane lacrimarum: et potum dabis nobis in lacrimis in mensura. [7] Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: et inimici nostri subsannauerunt nos. [8] Deus virtutum conuertere nos: et ostende faciem tuam et salui erimus. [9] Vineam de egipro transtulisti: eiecisti gentes et plantasti eam: [10] Dux itineris fuisti in conspectu eius: et plantasti radices eius et impleuit terram. [11] Operuit montes vmbra eius: et arbusta eius redros dei. [12] Extendit palmites suas vsque ad mare: et vsque ad flumen propagines eius. [13] Vt quid destruxisti maceriam eius: et vindemiant eam oceriam eius: et Ixterminauit vindemiant eam omnes qui pretergrediuntur viam. [14] eam aper de silua: et singularis ferus depastus est eam. [15] Deus virtutum conuertere: respice de celo et celoet vide visita vineam istam. [16] Et perfice eam quam plantauit dextra tua: et super filium quem confirmasti tibi. [17] Incensa igni et suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt. [18] Fiat manus tua super virum dextre tue: et super filium hominis quem confirmasti tibi. [19] Et non discedimus a te: viuificabis nos et nomen inuocabimus [20] Domine deus virtutum conuerte nos: et ostende faciem tuam et salui erimus.

80 In finem pro torcularibus psalmus ipsi asaph quinta sabbati. [2] Exultate deo adiutori nostro: iubilate deo iacob. [3] Sumite psalmum et date tympanum: psalterium iocundum cum cythara. [4] Bucinate in neomenia tuba: in insigni die solemnitatis vestre. [5] Quia preceptum in israhel est: et iudicium deo iacob. [6] Testimonium in ioseph posuit illud: cum exiret de terra egipti linguam quam non nouerat audiuit. [7] Diuertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino seruierunt. [8] In tribulatione inuocasti me et liberaui te: exaudiui te in abscondito tempestatis: probaui te apud aquam contradictionis. [9] Audi populus meus et contestabor te: israhel si audieris me [10] non erit in te deus recens: neque adorabis deum alienum. [11] Ego enim sum dominus deus tuus qui eduxi te de terra egipti: dilata os tuum et implebo illud. [12] Et non audiuit populus meus vocem meam: et israhel non intendit michi. [13] Et dimisi

eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis. [14] Si populus meus audisset me: israhel si in vijs meis ambulasset. [15] Pro nichilo forsitan inimicos eorum humiliassem: et super tribulantes eos misissem manum meam. [16] Inimici domini mentiti sunt ei: et erit tempus eorum in secula. [17] Et cibauit illos ex adipe frumenti: et de petra melle saturauit eos.

81 Psalmus asaph. Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diudicat. [2] Vsquequo iudicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis. [3] Iudicate egeno et pupillo: humilem et pauperem iustificate. [4] Eripite pauperem: et egenum de manu peccatoris liberate. [5] Nescierunt neque intellexerunt in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terre. [6] Ego dixi dij estis: et filij excelsi omnes. [7] Vos autem sicut homines moriemini: et sicut vnus de principibus cadetis. [8] Surge deus iudica terram: quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.

82 Canticum psalmi asaph. [2] Deus quis similis erit tibi? ne taceas neque compescaris deus. [3] Quoniam ecce inimici tui sonauerunt: et qui oderunt te extulerunt caput. [4] Super populum tuum malignauerunt consilium: cogitauerunt aduersus sanctos tuos. [5] Dixerunt venite et disperdamus eos de gente: et non memoretur nomen israhel vltra. [6] Quoniam cogitauerunt vnanimiter: simul aduersum te testamentum deposuerunt [7] tabernacula ydumeorum et ismahelite. Moab et aggareni [8] gebal et amon et amalech: alienigene cum habitantibus tyrum. [9] Etenim assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis loth. [10] Fac illis sicut madian et sysare: sicut iabin in torrente cyson. [11] Disperierunt in endor: facti sunt vt stercus terre. [12] Pone principes eorum sicut oreb et zeb: et zebee et salmana. Omnes principes eorum: [13] qui dixerunt hereditate possideamus sanctuarium dei. [14] Deus meus pone illos vt rotam: et sicut stipulam ante faciem venti. [15] Sicut ignis qui comburit siluam: et sicut flamma comburens montes. [16] Ita persequeris illos in tempestate tua: et in ira tua turbabis eos. [17] I Imple facies eorum ignominia: et querent nomen tuum domine. [18] Erubescant et conturbentur in seculum seculi: et confundantur et percant. [19] Et cognoscant quia nomen tibi dominus: tu solus altissimus super omnem terram.

83 In finem pro torcularibus filijs chore psalmus. Q [2] Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum: [3] concupiscit et deficit anima mea in atrio domini. Cor meum et caro mea: exultauerunt in deum viuum. [4] Etenim passer inuenit sibi domum: et turtur nidum sibi vbi ponat pullos suos. Altaria tua domine virtutum: rex meus et deus meus. [5] Beati qui habitant in domo tua domine: in secula seculorum laudabunt te. [6] Beatus vir cuius est auxilium abste: ascensiones in corde suo disposuit [7] in valle lacrimarum: in loco quem posuit. [8] Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem: videbitur deus deorum in syon. [9] Domine deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe deus iacob. [10] Protector noster aspice deus: et respice in faciem cristi tui. [11] Quia melior est dies vna in atrijs tuis: super milia. Elegi abiectus esse in domo dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. [12] Quia misericordiam et veritatem diligit deus: gratiam et gloriam dabit dominus. [13] Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: domine virtutum beatus homo qui sperat in te.

84 In finem filijs chore. finem [2] Benedixisti domine terram tuam: auertisti captiuitatem iacob. [3] Remisisti iniquitatem plebis tue: operuisti omnia peccata eorum. [4] Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tue. [5] Conuerte nos deus salutaris noster: et auerte iram tuam a nobis. [6] Nunquid in eternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem [7] Deus tu conuersus viuificabis nos: et plebs tua letabitur in te. [8] Ostende nobis domine misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis. [9] Audiam quid loquatur in me dominus deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. Et super sanctos suos: et iu eos qui conuertantur ad cor. [10] Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra. [11] Misericordia et veritas obuiauerunt sibi: iusticia et pax osculate sunt. [12] Veritas de terra orta est: et iusticia de celo prospexit. [13] Etenim dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum. [14] Iusticia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

85 Oratio dauid. Incliua Inclina domine aurem tuam et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego. [2] Custodi auimam meam quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum deus meus sperantem in te. [3] Miserere mei domine quoniam ad te clamaui tota die: [4] letifica animam serui tui quoniam ad te domine animam meam leuaui. [5] Quoniam tu domine suauis et mitis: et multe misericordie omnibus inuocantibus te. [6] Auribus percipe domine orationem meam: et intende voci deprecationis mee. [7] In die tribulationis mee clamaui ad te: quia exaudisti me. [8] Non est similis tui in dijs domine: et non est secundum opera tua. [9] Omnes gentes quascunque fecisti venient et adorabunt coram te domine: et glorificabunt nomen tuum. [10] Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia: tu es deus solus. [11] Educ me domine in via tua: et ingrediar in veritate tua: letetur cor meum vt timeat nomen tuum. [12] Confitebor tibi domine deus meus in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in eternum. [13] Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori. [14] Deus iniqui insurrexerunt super me: et synagoga potentium quesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo. [15] Et tu domine deus miserator et misericors: patiens et multe misericordie et verax. [16] Respice in me et miserere mei: da imperium tuum puero tuo: et saluum fac filium ancille tue. [17] Fac mecum signum in bonum vt videat qui oderunt me et confundantur: quoniam tu domine adiuuisti me et consolatus es me.

86 Psalmus cantici filijs chore. Fundamenta eius in montibus sanctis: [2] Diligit dominus portas syon super omnia tabernacula iacob. [3] Gloriosa dicta sunt de te: ciuitas dei. [4] Memor ero raab et babilonis: scientium me. Ecce alienigene et tyrus et populus echiopum: hij fuerunt illic. [5] Nunquid syou dicet homo: et homo natus est in ea: et ipse fundauit eam altissimus [6] Dominus narrabit in scripturis populorum et principum: horum qui fuerunt in ea. [7] Sicut letantium omnium: habitatio in te.

87 Canticum psalmi filijs chore in finem pro melech ad respondendum intellectus heman ezraite. [2] Domine deus salutis mee: in die clamaui et nocte coram te. [3] info tret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam. [4] Quia repleta est malis anima mea: et vita mea inferno appropinquauit. [5] Estimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio [6] inter mortuos liber. Sicut vulnerati Dormientes in sepulcris quorum non es memor amplius: et ipsi de manu tua repulsi sunt. [7] Posuerunt me in lacu inA P feriori: in tenebrosis et in vmbra mortis. [8] Super me confirmatus est furor tuus: et omnes fluctus tuos induxisti super me. [9] Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum et non egrediebar: [10] oculi mei languerunt pre inopia. Clamaui ad te domine: tota die expandi ad te manus meas. [11] Nunquid mortuus facies mirabilia: aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi. [12] Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam: et veritatem tuam in perditionem. [13] Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: et iusticia tua in terra obliuionis. [14] Et ego ad te domine clamaui: et mane oratio mea preueniet te. [15] Vt quid domine repellis orationem meam: auernis faciem tuam a me. [16] Pauper sum ego et in laboribus a iuuentute mea: exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus. [17] In me transierunt ire tue: et terrores tui conturbauerunt me. [18] Circundederunt me sicut aqua tota die: circundederunt me simul. [19] Elongasti a me amicum et proximum: et notos meos a miseria.

88 Intellectus echin ezraite. [2] Misericordias domini: in eternum cantabo. n generatione et generationem: annuciabo veritatem tuam in ore meo. [3] quoniam dixisti in eternum: misericordia edificabitur in celis: preparabitur veritas tua in eis. [4] disposui testamentum electis meis: iuraui dauid suo meo [5] vsque in eternum preparabo semen tuum. Et edificabo in generatione et generationem: sedem tuam. [6] Confitebuntur celi mirabilia tua domine: etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum. [7] Quoniam quis in nubibus equabitur domino: similis erit deo in filijs [8] Deus qui glorificatur in consilio sanctorum:

magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt. [9] Domine deus virtutum quis similis tibi: potens es domine: et veritas in circuitu tuo. [10] Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas. [11] Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tue dispersisti inimicos tuos. [12] Tui sunt celi et tua est terra: orbem terre et plenitudinem eius tu fundasti: [13] aquilonem et mare tu creasti. Thabor et hermon in nomine tuo exultabunt: [14] tuum brachium cum potentia. Firmetur manus tua et exaltetur dextera tua: [15] iusticia et iudicium preparatio sedis tue. Misericordia et veritas precedent faciem tuam [16] beatus populus qui scit iubilationem. Domine in lumine vultus tui ambulabunt: [17] et in nomine tuo exultabunt tota die: et in iusticia tua exaltabuntur. [18] Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. [19] Quia domini est assumptio nostra: et sancti israhel regis nostri. [20] Tunc locutus es in visione sanctis tuis: et dixisti posui adiutorium in potente: et exaltaui electum de plebe mea. [21] Inueni dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum. [22] Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confirmabit eum. [23] Nichil proficiet inimicus in eo: et filius iniquitatis non apponet nocere ei. [24] Et concidam a facie ipsius inimicos eius: et odientes eos in fugam conuertam. [25] Et veritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu eius. [26] Et ponam in mari manum eius: et in fluminibus dexteram eius. [27] Ipse inuocabit me pater meus es tu: deus meus et susceptor salutis mee. [28] Et ego primogenitum ponam illum: excelsum pre regibus terre. [29] In eternum seruabo illi misericordiam meam: et testamentum meum fidele ipsi. [30] Et ponam in seculum seculi semen eius: et thronum eius sicut dies celi. [31] Si autem dereliquerint filij eius legem meam: et in iudicijs meis non ambulauerint. [32] Si iusticias meas prophanauerint: et mandata mea non custodierint. [33] Visitabo in virga iniquitates eorum: et in verberibus peccata eorum. [34] Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea. [35] Neque prophanabo testamentum meum: et que procedunt de labijs meis non faciam irrita. [36] Semel iuraui in sancto meo si dauid mentiar: [37] semen eius in eternum manebit. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo: [38] et sicut luna perfecta in eternum: et testis in celo fidelis. [39] Tu vero repulisti et despexisti: distulisti cristum tuum. [40] Euertisti testamentum serui tui: prophanasti in terra sanctuarium eius. [41] Destruxisti omnes sepes eius: posuisti firmamentum eius formidinem. [42] Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis. [43] Exaltasti dexteram deprimentium eum: letificasti omnes inimicos eius. [44] Auertisti adiutorium gladij eius et non es auxiliatus ei in bello. [45] Destruxisti eum ab emundatione: et sedem eius in terra collisisti. [46] Qi Minorasti dies temporis eius: perfudisti eum confusione. [47] Vsquequo domine auertis in finem: exardescit sicut ignis ira tua? [48] Memorare que mea substantia nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum? [49] Quis est homo qui viuet et non videbit mortem: eruet animam suam de mauu inferi? [50] Vbi sunt misericordie tue antique domine: sicut iurasti dauid in veritate tua? [51] Memor esto domine opprobrij seruorum tuorum: quod continui in sinu meo multarum gentium. [52] Quod exprobrauerunt inimici tui domine: commutationem cristi tui. [53] Benedictus dominus in eternum: fiat fiat.

89 Oratio moysi hominis dei. moysi hominis Domine refugium factus es nobis: a generatione in generationem. [2] Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis: a seculo et in seculum tu es deus. [3] Ne auertas hominem in humilitatem: et dixisti conuertimini filij hominum. [4] Quoniam mille anni ante oculos tuos: tanquam dies hesterna que preterijt. custodia in nocte: [5] que pro nichilo habentur eorum anni erunt. [6] Mane sicut herba transeat: mane floreat et transeat: vespere decidat induret et arescat. [7] Quia defecimus in ira tua: et in furore tuo turbati sumus. [8] Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: seculum nostrum in illuminatione vultus tui. [9] Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua defecimus. nni nostri sicut aranea meditabuntur: [10] dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni: et amplius eorum labor et dolor. Quoniam superuenit mansuetudo: et corripiemur. [11] Quis nouit potestatem ire tue: et pre timore tuo iram tuam [12] dinumerare? exteram Dexteram tuam sic notam fac: et eruditos corde in sapientia. [13] Conuertere domine vsquequo: et deprecabilis esto super seruos tuos. [14] Repleti sumus mane misericordia tua: et exultauimus et delectati sumus in omnibus diebus nostris. [15] Letati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidiet mala. [16] Respice in seruos tuos nus in suos opera tua: et dirige filios eorum. [17] et sit dirige filios eorum. Et sit splendor domini dei nostri super nos: opera manuum nostrarum dirige super nos: et opus manuum nostrarum dirige.

90 Laus cantici ipsi dauid. Qui habitat in cantici adiutorio altissimi: in protectione dei celi commorabitur. [2] Dicet domino susceptor meus es tu et refugium meum deus meus: sperabo in eum. [3] quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium: et a verbo aspero. [4] Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis eius sperabis. [5] Scuto circundabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno. [6] A sagitta volante in die: a negotio perambulante in tenebris: ab incursu et demomo meridiano. [7] cadent a latere tuo mille: et decem milia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. [8] Veruntamem oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis. [9] Quoniam tu es domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum. [10] Non accedet ad te malum: et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. [11] Quoniam angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis. [12] In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. [13] Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem. [14] Quoniam in me sperauit liberabo eum: protegam eum quoniam cognouit nomen meum. [15] clamauit ad me et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum et glorificabo eum. [16] Longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum.

91 Psalmus cantici in die sabbati. cantici [2] onum est confiteri domino: et psallere nomini tuo altissime. d [3] Ad annunciandum mane misericordiam tuam: et veritatem tuam per noctem. [4] In decacordo psalterio: cum cantico in cythara. [5] Quia delectasti me domine in factura tua: et in operibus manuum tuarum exultabo. [6] Quam magnificata sunt opera tua domine: nimis profunde facte sunt cogitatones tue. [7] Vir insipiens non cognoscet: et stultus non intelliget hec. [8] Cum exorti fuerint peccatores sicut fenum: et apparuerunt omnes qui operantur iniquitatem. Vt intereant in seculum seculi: [9] tu autem altissimus in eternum domine. [10] Quoniam ecce inimici tui domine quoniam ecce inimici tui peribnut: et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem. [11] Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum: et senectus mea in misericordia vberi. [12] Et despexit oculus meus inimicos meos: et insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea. [13] Iustus vt palma florebit: sicut cedrus libani multiplicabitur [14] Plantati in domo domini: in atrijs domus dei nostri florebunt. [15] Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi: et benepatientes erunt [16] et annuncient. Quoniam rectus dominus deus noster: et nou est iniquitas in eo.

92 Laus cantici dauid in die ante sabbatum quando fundata est terra. vir Dominus regnauit decorem indutus est: indutus est dominus fortitudinem et precinxit se. Etenim firmauit orbem terre: qui non commouebitur. [2] Parata sedes tua ex tunc: a seculo tu es. [3] Eleuauerunt flumina domine: eleuauerunt flumina vocem suam. Eleuauerunt flumina fluctus suos: [4] a vocibus aquarum multarum. irabiles elationes maris: mirabilis in altis dominus. [5] Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo domine in longitudinem dierum.

93 Psalmus dauid quarta sabbati. dauid quarta Deus vltionum dominus: vltionum libere egit. [2] Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem superbis. [3] Vsquequo peccatores domine: vsquequo peccatores gloriabuntur? [4] Effabuntur et loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur iniusticiam? [5] Populum tuum domine humiliauerunt: et hereditatem tuam vexauerunt. [6] Viduam et aduenam interfecerunt: et pupillos occiderunt. [7] Et dixerunt non videbit dominus: nec intelliget deus iacob. [8] Intelligite insipientes in populo: et stulti aliquando sapite. [9] Qui plantauit aurem non audiet: aut qui finxit oculum non considerat? [10] Qui corripit gentes non arguet: qui docet

hominem scientiam? [11] Dominus scit cogitationes hominum: quoniam vane sunt. [12] Beatus homo quem tu erudieris domine: et de lege tua docueris eum. [13] Vt mitiges ei a diebus malis: donec fodiatur peccatori fouea. [14] Quia non repellet dominus plebem suam: et hereditatem suam non derelinquet. [15] Quoadusque iusticia conuertatur in iudicium? et qui iuxta illam? omnes qui recto sunt corde. [16] Quis consurget michi aduersus malignantes: aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem N [17] Nisi quia dominus adiuuit me: paulominus habitasset in inferno anima mea. [18] Si dicebam motus est pes meus: misericordia tua domine adiuuabat me. [19] Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tue letificauerunt animam meam. [20] Nunquid adheret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in precepto. [21] aptabunt in animam insti: et sanguinem Captabunt in animam iusti: et sangui innocentem condemnabunt. [22] Et factus est michi dominus in refugium: et deus meus in adiutorium spei mei. [23] Et reddet illis iniquitatem ipsorum: et in malicia eorum disperdet eos: disperdet illos dominus deus noster.

94 Laus cantici ipsi dauid. Venite exultemus domino: iubilemus deo salutari nostro. [2] Preocupemus faciem eius in confessione: et in psalmis iubilemus ei. [3] Quoniam deus magnus dominus: et rex magnus super omnes deos. [4] Quia in manu eius sunt omnes fines terre: et altitudines montium ipsius sunt. [5] Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud: et siccam manus eius formauerunt. [6] Venite adoremus et procidamus et ploremus ante dominum qui fecit nos: [7] quia ipse est deus noster. Et nos populus pascue eius: et oues manus eius. [8] Hodie si vocem eius audieritis: nolite obdurare corda vestra. [9] Sicut in irritatione: secundum diem temptationis in deserto. Vbi temptauerunt me patres vestri: probauerunt me et viderunt opera mea. [10] Quadraginta annis offensus fui generationi illi: et dixi semper errant corde. t [11] Et isti non cognouerunt· vias meas: vt iuraui in ira mea si intrabuut in requiem meam.

95 Psalmus dauid quando domus edificabatur post captiuitatem. canticum nouum: cantate tate domino omnis terra. [2] Cantate domino et benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salutare eius. [3] Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius. [4] Quoniam magnus dominus et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos. [5] Quoniam omnes dij gentium demonia: dominus autem celos fecit. [6] Confessio et pulcritudo in conspectu eius: sanctimonia et magnificentia in sanctificatone eius. [7] Afferte domino patrie gentium: afferte domino gloriam et honorem: [8] afferte domino gloriam nomini eius. Tollite hostias et introite in atria eius: [9] adorate dominum in atrio sancto eius. Commoueatur a facie eius vniuersa terra: [10] dicite in gentibus quia dominus regnauit. Etenim correxit orbem terre qui non commouebitur: iudicabit populos in equitate. [11] Letentur celi et exultet terra: commoueatur mare et plenitudo eius: [12] gaudebunt campi et omnia que in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna siluarum [13] a facie domini quia venit: iudicare quoniam terram. Iudicabit orbem terre in equitate: et populos in veritate sua.

96 Psalmus dauid quando terra eius restituta est ei. Dominus regnauit exultet terra: letentur insule multe. [2] Nubes et caligo in circuitu eius: iusticia et iudicium correctio sedis eius. [3] Ignis ante ipsum precedet: et inflammabit in circuitu inimicos eius. [4] Illuxerunt fulgura eius orbi terre: vidit et commota est terra. [5] Montes sicut cera fluxerunt a facie domini: a facie domini omnis terra. [6] Annunciauerunt celi iusticiam eius: et viderunt omnes populi gloriam eius. [7] Confundantur omnes qui adorant sculptilia: et qui gloriantur in simulacris suis. Adorate eum omnes angeli eius: [8] audiuit et letata est syon. Exultauerunt filie iude: propter iudicia tua domine. [9] Quoniam tu dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos. [10] Qui diligitis dominum odite malum: custodit dominus animas sanctorum suorum: de manu peccatoris liberauit eos. [11] Lux orta est iusto: et rectis corde leticia. [12] Letamini iusti in domino: et confitemini memorie sanctificationis eius.

97 Psalmus dauid. Cantate domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera eius: et brachium sanctum eius: [2] Notum fecit dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iusticiam suam. [3] Recordatus est misericordie sue: et veritatis sue domui israhel. Viderunt omnes termini terre salutare dei nostri: [4] iubilate domino omnis terra cantate et exultate et psallite. [5] Psallite domino in cythara in cythara et voce psalmi: [6] in tubis ductilibus et voce tube cornee. Iubilate in conspectu regis domini: [7] moueatur mare et plenitudo eius: orbis terrarum et qui habitant in eo. [8] Flumina plaudent manu simul: montes exulcabunt [9] a conspectu domini: quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iusticia: a: et populos in equitate.

98 Psalmus dauid. Dominus regnauit irascantur populi: qui sedet super cherubiu moueatur terra. [2] Dominus in syou magnus: et excelsus super omnes populos. [3] Confiteantur nomini tuo magno quoniam terribile et sanctum est: [4] et honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones: iudicium et iusticiam in iacob tu fecisti. [5] Exaltate dominum deum nostrum: et adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est. [6] Moyses et aaron in sacerdotibus eius: et samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Inuocabant dominum et ipse exaudiebat eos: [7] in columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia eius: et preceptum quod dedit illis. [8] Domine tu exaudiebas eos: deus tu deus noster. propitius fuisti eis: et vlciscens in omnes adinuentiones eorum. [9] Exaltate dominum deum nostrum: et adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus dominus deus noster.

99 Psalmus in confessione. [2] Iubilate domino omnis terra: seruite domino in leticia. Introite in conspectu eius: in exultatione. [3] Scitote quoniam dominus ipse est deus: ipse fecit nos et non ipsi nos. Populus eius et oues pascue eius [4] introite portas eius in confessione: atria eius in ymnis confitemini illi. Laudate nomen eius [5] quoniam suauis est dominus: in eternum misericordia eius: et vsque in generationem et generationem veritas eius.

100 Psalmus ipsi dauid. Misericordiam et iudicium cantabo tibi domine: psallam [2] et intelligam in via immaculata quando venies ad me. perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus mee. [3] Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes preuaricationes odiui. Non adhesit michi [4] cor prauum: declinantem a me malignum non cognoscebam. [5] detrahentem secreto proximo suo: hunc persequebar. Superbo oculo et insatiabili corde: cum hoc non edebam. [6] Oculi mei ad fideles terre: vt sedeat mecum: ambulans in via immaculata hic michi ministrabat. [7] Non habitabit in medio domus mee qui facit superbiam: qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum. [8] In matutino interficiebam omnes peccatores terre: vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.

101 Oratio pauperis cum anxiaretur. et coram domino effundit precem suam. [2] omine tatem. orationem meam: et clamor meus ad te veniat. [3] Non auertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam. in quacumque die inuocauero te: velociter exaudi me. [4] Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt. [5] Percussus sum vt fenum et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum. [6] A voce gemitus mei: adhesit os meum carni mee. [7] similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nicticorax in domicilio. [8] Vigilaui: et factus sum sicut passer solitarius in tecto. [9] Tota die exprobrabant michi inimici mei: et qui laudabant me aduersum me iurabant. [10] quia cinerem tanquam panem manducabam: et poculum meum cum fletu miscebam. [11] A facie ire indignationis tue: quia eleuans allisisti me. [12] Dies mei sicut vmbra declinauerunt: et ego sicut fenum arui. [13] tu autem domine in eternum permanes: et memoriale tuum in generatione et generationem. [14] Tu exurgens misereberis syon quia tempus miserendi eius quia venit tempus. [15] Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius: et terre eius miserebuntur. [16] Et timebunt gentes nomen tuum domine: et omnes reges terre gloriam tuam. [17] Quia edificauit dominus syon et videbitur in gloria sua. [18] Respexit in oratione

humilium: et non spreuit precem eorum. 19 scribantur hec in generatione altera: et populus qui creabitur laudabit dominum. 20 Quia prospexit de excelso sancto suo: dominus de celo in terram aspexit. 21 Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum. 22 Vt annuncient in syon nomen domini: et laudem eius in iherusalem. 23 Inconueniendo populos in vnum: et reges vt seruiant domino. 24 Respondit ei in via virtutis sue: paucitatem dierum meorum nuncia michi. 25 Ne reuoces me in dimidio dierum meorum in generationem generati et onem anni tui. 26 Initio tu domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt celi. 27 Ipsi peribunt tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut optorium mutabis eos et mutabuntur: 28 tu autem idem ipse es: et anni tui non deficient. 29 Filij seruorum tuorum habitabunt et semen eorum in seculum dirigetur.

102 Psalmus ipsi dauid. Benedic anima mea domino: et omnia que intra me sunt nomini sancto eius. 2 Benedic anima mea domino: et noli obliuisci omnes retributiones eius 3 Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. 4 Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miseracionibus. 5 Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquile iuuentus tua. 6 Faciens misericordias dominus: et iudicium omnibus iniuriam patientibus. 7 Notas fecit vias suas moysi: filijs israhel voluntates suas. 8 Miserator et misericors dominus: longanimis et multum misericors. 9 Non in perpetuum irascetur: neque in eternum comminabitur. 10 Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. 11 Quoniam secundum altitudinem celi a terra: corroborauit misericordiam suam super timentes se. 12 Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras. 13 Quomodo miseretur pater filiorum misertus est dominus timentibus se: 14 quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam puluis sumus: 15 homo sicut fenum dies eius: tanquam flos agri sic efflorebit. 16 Quoniam spiritus pertransibit in illo et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum. 17 Misericordia autem domini ab eterno et vsque in eternum: super timentes eum. Et iusticia illius in filios filiorum: 18 hijs qui seruant testamentum eius. Et memores sunt mandatorum ipsius: ad faciendum ea. 19 Domi A nus in celo parauit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur. 20 Benedicite domino omnes angeli eius potentes virtute: facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius. 21 Benedicite domino omnes virtutes eius: ministri eius qui facitis voluntatem eius. 22 Benedicite domino omnia opera eius: in omni loco dominationes eius: benedic anima mea domino.

103 Psalmus ipsi dauid. B benedic anima mea domino: domine deus meus magnificatus es vehementer. Confessionem et decorem induisti 2 amictus lumine sicut vestimento. Extendens celum sicut pellem: 3 qui regis aquis superiora eius. Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum. 4 Qui facis angelos tuos spiritus: et ministros tuos ignem vrentem. 5 Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi. 6 Abissus sicut vestimentum amictus eius: super montes stabunt aque. 7 Ab tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt. 8 Ascendunt montes et descendunt campi: in locum quem fundasti eis. 9 Terminum posuisti quem non transgredientur: neque conuertentur operire terram. 10 Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertransibunt aque. 11 Potabunt omnes bestie agri: expectabunt onagri in siti sua. 12 Super ea volucres celi habitabunt: de medio petrarum dabunt voces. 13 Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra. 14 Producens fenum iumentis: et herbam seruituti hominum. Vt educas panem de terra: 15 et vinum letificet cor hominis. Vt exhilaret faciem in oleo: et panis cor hominis confirmet. 16 Saturabuntur ligna campi et cedri libani quas plantauit: 17 illic passeres nidificabunt. Herodij domus dux est eorum: 18 montes excelsi ceruis: petra refugium herinacijs. 19 Fecit lunam in tempore: sol cognouit occasum suum. 20 Posuisti tenebras et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestie silue. 21 Catuli leonum rugientes vt rapiant: et querant a deo escam sibi. 22 Ortus est sol et congregati sunt: et in cubilibus suis collocabuntur. 23 Exibit homo ad opus suum: et ad operationem suam vsque ad vesperum. 24 Quam magnificata sunt opera tua domine: omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua. 25 Hoc mare magnum et spaciosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis: 26 illic naues pertransibunt. Draco iste quem formasti ad illudendum ei: 27 omnia a te exspectant vt des illis escam in tempore. 28 Dante te illis colligent: aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. 29 Auertente autem te faciem turbabuntur: auferes spiritum eorum et deficient: et in puluerem suum reuertentur. 30 Emittes spiritum tuum et creabuntur: et renouabis faciem terre. 31 Sit gloria domini in seculum: letabitur dominus in operibus suis. 32 Qui respicit terram et facit eam tremere: qui tangit montes et fumigant. 33 Cantabo domino in vita mea: psallam deo meo quamdiu sum. 34 Iocundum sit ei eloquium meum: ego vero delectabor in domino. 35 Deficient peccatores a terra et iniqui ita vt non sint: benedic anima mea domino.

104 Confitemini domino et inuocate nomen eius: annunciate inter gentes opera eius. 2 Cantate ei et psallite ei: narrate omnia mirabilia eius: 3 laudamini in nomine sancto eius. Letetur cor querentium dominum: 4 querite dominum et confirmamini: querite faciem eius semper. 5 Mementote mirabilium eius que fecit: prodigia eius et iudicia oris eius. 6 Semen abraham serui eius: filij iacob electi eius. 7 Ipse dominus deus noster: in vniuersa terra iudicia eius. 8 Memor fuit in seculum testamenti sui: verbi quod mandauit in mille generationes. 9 Quod disposuit ad abraham: et iuramenti sui ad ysaac. 10 Et statuit illud iacob in preceptum: et israhel in testamentum eternum. 11 Dicens tibi dabo terram chanaan: funiculum hereditatis vestre 12 Cum essent numero breui: paucissimi et incole eius. 13 Et pertransierunt de gente in gentem: et de regno ad populum alterum. 14 Non reliquit hominem nocere eis: et corripuit pro eis reges. 15 Nolite tangere cristos meos: et in prophetis meis nolite malignari. 16 Et vocauit famem super terram: et omne firmamentum panis contriuit. 17 Misit ante eos virum: in seruum venundatus est ioseph. 18 humiliauerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertransijt animam eius 19 donec venret verbum eius. Eloquium domini inflammauit eum: 20 misit rex et soluit eum: princeps populorum et dimisit eum. 21 Constituit eum dominum domus sue: et principem omnis possessionis sue. 22 Et erudiret principes eius sicut semetipsum: et senes eius prudentiam doceret 23 Et intrauit israhel in egiptum: et iacob accola fuit in terra cham. 24 Et auxit populum suum vehementer: et firmauit eum super inimicos eius. 25 Conuertit cor eorum vt erudirent populum eius: et dolum facerent in seruos eius. 26 misit moysen seruum suum: aaron quem elegit ipsum. 27 Posuit in eis verba signorum suorum et prodigiorum: in terra cham. 28 misit tenebras et obscurauit: et non exacerbauit sermones suos. 29 Conuertit aquas eorum in sanguinem: et occidit pisces eorum. 30 Et edidit terra eorum ranas: in penetrabilibus regum ipsorum. 31 dixit et venit cynomia et sciniphes: in omnibus finibus eorum. 32 Posuit pluuias eorum grandine: ignem comburentem in terra ipsorum. 33 Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum: et contriuit lignum finium eorum. 34 Dixit et venit locusta et bruchus: cuius non erat numerus. 35 Et comedit omne fenum in terra eorum: et comedit omnem fructum terre eorum. 36 Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum. 37 Et eduxit eos cum argento et auro: et non erat in tribubus eorum infirmus. 38 Letata est egiptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum super eos. 39 Expandit nubem in protectionem eorum: et ignem vt luceret eis per noctem. 40 Petierunt et venit coturnix: et pane celi saturauit eos. 41 Dirupit petram et fluxerunt aque: abierunt in sicco flumina. 42 Quoniam memor fuit verbi sancti sui: quod habuit ad abraham puerum suum. 43 Et eduxit populum suum in exultatione et electos suos in leticia. 44 Et dedit illis regiones gentium: et labores populorum possederunt. 45 Vt custodiant iustificationes eius: et legem eius requirant.

105 Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius. [2] Quis loquetur potentias domini: auditas faciet omnes laudes eius? [3] Beati qui custodiunt iudicium: et faciunt iusticiam in omni tempore. [4] emento nostri domine in benepla eum: cito populi tui: visita nos in salutari tuo. [5] Ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad letandum in leticia gentis tue: vt lauderis cum rex hereditate tua. [6] Pecca cum patribus nostris: iniuste egimus iniquitatem fecimus. [7] Patres nostri in egipto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordie tue Et irritauerunt ascendentes in mari mari rubro [8] et saluauit eum: os propter nomen suum: vt notam faceret potentiam suam. [9] et increpuit mare ru princeps brum et exsiccatum est: et deduxit eos in abissis sicut in deserto. [10] Et saluauit eos de manu odientium: et redemit eos De manu inimici. [11] Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit. [12] Et crediderunt verbis eius: et laudauerunt laudem eius. [13] Cito fecerunt obliti sunt operum eius: non sustinuerunt consilium eius. [14] Et concupierunt concupi in scentiam in deserto: et temptauerunt deum in inaquoso. [15] Et dedit eis peticionem ipsorum: et misit saturitatem in animas eorum. [16] Et irritauerunt moysen in castris: aaron sanctum domini. [17] Operta est terra et deglutiuit dathan: et operuit super congregregationem abiron. [18] Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores. [19] Et fecerunt vitulum in oreb: et adorauerunt sculptile. [20] Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum. [21] Obliti sunt deum qui saluauit eos: qui fecit magnalia egipto [22] mirabilia in terra cham: terribiliam in mari rubro. [23] Et dixit vt disperderet eos: si non moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. Et auerteret iram eius ne disperderet eos: [24] et pro nichilo habuerunt terram desiderabilem. Non crediderunt verbo eius: [25] et murmurauerunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem domini. [26] Et leuauit manum suam super eos: vt prosterneret eos in deserto. [27] Et vt deiceret semen eorum in nationibus: et dispergeret eos in regionibus. [28] Et iniciati sunt beelphegor: et comederunt sacrificia mortuorum. [29] Et irritauerunt eum in adinuentionibus suis: et multiplicata est in eis ruina. [30] Et stetit phinees et placauit: et cessauit quassatio. [31] Et reputatum est ei in iusticiam: in generationem et generationem vsque in sempiternum. [32] Et irritauerunt eum ad aquam contradictionis: et vexatus est moyses propter eos: [33] quia exacerbauerunt spiritum eius. Et distinxit in labijs suis: [34] non disperdiderunt gentes quas dixit dominus deus illis. [35] Et commixti sunt inter gentes: et didicerunt opera eorum [36] et seruierunt sculptilibus eorum: et factum est illis in scandalum. [37] Et immolauerunt filios suos et filias suas: demonijs. [38] Et effuderunt sanguinem innocentem sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum: quas sacrificauerunt sculptilibus chanaan. Et interfecta est terra in sanguinibus: [39] et contaminata est in operibus eorum: et fornicati sunt in adinuentionibus suis. [40] Et iratus est furore dominus in populum suum: et abominatus est hereditatem suam. [41] Et tradidit eos in manus gentium: et dominati sunt eorum qui oderunt eos. [42] Et tribulauerunt eos inimici eorum: et humiliati sunt sub manibus eorum: [43] sepe liberauit eos. Ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo: et humiliati sunt in iniquitatibus suis. [44] Et vidit tribularentur: cum et audiuit orationem eorum. [45] Et memor fuit testamenti sui: et penituit eum secundum multitudinem misericordie sue. [46] Et dedit eos in misericordias: in conspectu omnium qui ceperant eos. [47] Saluos fac nos domine deus noster: et congrega nos de nationibus. Vt confiteamur nomini sancto tuo: et glorientur in laude tua. [48] Benedictus dominus deus israhel a seculo et vsque in seculum: et dicet omnis populus fiat fiat.

106 Alleluia. Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius. [2] Dicant qui redempti sunt a domino: quos redemit de manu inimici: de regionibus congregauit eos. [3] A solis ortu et occasu: ab aquilone et mari. [4] Errauerunt in solitudine in inaquoso: viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. [5] Esurientes et sitientes: anima eorum in ipsis defecit. [6] Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eripuit eos. [7] Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis. [8] Confiteantur domino misericordie eius: et mirabilia eius filijs hominum. [9] Quia saciauit animam inanem: et animam esurientem satiauit bonis. [10] Sedentes in tenebris et vmbra mortis: vinctos in mendicitate et ferro. [11] Quia exacerbauerunt eloquia dei: et consilium altissimi irritauerunt. [12] humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt nec fuit qui adiuuaret [13] Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberauit eos. [14] Et eduxit eos de tenebris et vmbra mortis: et vincula eorum dirupit. [15] Confiteantur domino misericordie eius: et mirabilia eius filijs hominum. [16] Quia contriuit portas ereas: et vectes ferreos confregit. [17] Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniusticias enim suas humiliati sunt. [18] Omnem escam abominata est anima eorum: et appropinquauerunt vsque ad portas mortis. [19] Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum liberauit eos. [20] Misit verbum suum et sanauit eos: et eripuit eos de interitionibus eorum. [21] Confiteantur domino misericordie eius: et mirabilia eius filijs hominum. [22] Vt sacrificent sacrificium laudis: et annuncient opera eius in exultatione. [23] Qui descendunt mare in nauibus: facientes operationem in aquis multis. [24] Ipsi viderunt opera domini: et mirabilia eius in profundo [25] Dixit et stetit spiritus procelle: et exaltati sunt fluctus eius. [26] Ascendunt vsque ad celos et descendunt vsque ad abissos: anima eorum in malis rabescebat. [27] Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius: et omnis sapientia eorum deuorata est. [28] Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eduxit eos. [29] Et statuit procellam eius in auram: et siluerunt fluctus eius. [30] Et letati sunt quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum. [31] Confiteantur domino misericordie eius: et mirabilia eius filijs hominum. [32] Et exaltent eum in ecclesia plebis: et in kathedra seniorum laudent eum. [33] Posuit flumina in desertum: et exitus aquarum in sitim. [34] Terram fructiferam in salsuginem: a malicia inhabitantium in ea. [35] Posuit desertum in stagna aquarum: et terram sine aqua in exitus aquarum. [36] Et collocauit illic esurientes: et constituerunt ciuitatem habitationis. [37] seminauerunt agros et plantauerunt vineas: et fecerunt fructum natiuitatis. [38] benedixit eis et multiplicati sunt nimis: et iumenta eorum non minorauit. [39] pauci facti sunt: et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore. [40] Effusa est contentio super principes: et errare fecit eos in inuio et non in via. [41] Et adiuuit pauperem de inopia: et posuit sicut oues familias. [42] Videbunt recti et letabuntur: et omnis iniquitas oppilabit os suum. [43] Quis sapiens et custodiet hec: et intelliget misericordias domini?

107 Canticum psalmi ipsi dauid. Alleluia. psalmi ipsi dau [2] cor meum deus paratum cor cantabo et psallam in [3] gloria mea. Exsurge psalterium cythara: gam diluculo. [4] Confitebor tibi in populis domine: et psallam tibi in nationibus. [5] Quia magna super celos misericordia tua: et vsque ad nubes veritas tua. [6] Exaltare super celos deus: et super omnem terram gloria tua: [7] vt liberentur dilecti tui. Saluum fac dextera tua et exaudi me: [8] deus locutus est in sancto suo. Exultabo et diuidam sichi mam: et conuallem tabernaculorum dimetiar. [9] Meus est galaad et meus est manasses: et ephraim susceptio capitis mei. Iuda rex meus: [10] moab lebes spei mee. In ydumea extendam calciamentum meum: michi alienigene amici facti sunt. [11] Quis deducet me in ciuitatem munitam: quis deducet me vsque in ydumeam? [12] Nonne tu deus qui repulisti nos: et non exibis deus in virtutibus nostris? [13] Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis. [14] In deo faciemus virtutem: et ipse ad nichilum deducet inimicos nostros.

108 In finem psalmus dauid. [2] Deus laudem meam ne tacudauid eris: quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est. [3] Locuti sunt aduersum me lingua dolosa: et sermonibus odij circundederunt me et expugnauerunt me gratis. [4] Pro eo vt me diligerent detrahebant michi: ego autem orabam. [5] Et posuerunt aduersum me mala pro bonis: et odium pro dilectione mea. [6] Constitue super eum peccatorem: et dyabolus stet a dextris eius. [7] iudicatur exeat condemnatus: et oratio eius fiat in peccatum. [8] Fiant dies eius pauci: et episcopatum eius accipiat alter. [9] Fiant filij eius orphani: et vxor eius vidua. [10] Nutantes transferentur filij eius et mendicent: eiciantur de

habitationibus suis. [11] Scrutetur fenerator omnem substantiam eius: et diripiant alieni labores eius. [12] Non sit illi adiutor: nec sit qui misereatur pupillis eius. [13] Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius. [14] In memoriam redeat iniquitas eius in conspectu domini: et peccatum matris eius non deleatur. [15] Fiant contra dominum semper· et dispereat de terra memoria eorum: [16] pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. [17] Et persecutus est hominem inopem et mendicum: et compunctum corde mortificare. [18] Et dilexit maledictionem et veniet ei: et noluit benedictionem et elongabitur ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum: et intrauit sicut aqua in interiora eius: et sicut oleum in ossibus eius. [19] Fiat ei sicut vestimentum quo operitur: et sicut zona qua semper precingitur. [20] Hoc opus eorum qui detrahunt michi apud dominum: et qui loquuntur mala aduersus animam meam. [21] Et tu domine domine fac mecum propter nomen tuum: quia suauis est misericordia tua. [22] Libera me quia egenus et pauper ego sum: et cor meum conturbatum est intra me. [23] Sicut vmbra cum declinat ablatus sum: et excussus sum sicut locuste. [24] Genua mea infirmata sunt a ieiunio: et caro mea immutata est propter oleum. [25] Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me et mouerunt capita sua [26] Adiuua me domine deus meus: saluum me fac propter misericordiam tuam. [27] Et sciant quia manus tua hec: et tu domine fecisti eam. [28] Maledicent illi et tu benedices: qui insurgunt in me confundantur: seruus autem tuus letabitur. [29] Induantur qui detrahunt michi pudore: et operiantur sicut dyploide confusione sua. [30] Confitebor domine nimis in ore meo: et in medio multorum laudabo eum. [31] Quia astitit a dextris pauperis: vt saluam faceret a persequentibs animam meam.

109 Psalmus dauid. Dixit dominus domino meo: sede dextris meis. Donec ponam inimicos tuos: scauellum pedum tuorum. [2] Virgam virtutis tue emittet dominus ex syon: dominare in medio inimicorum tuorum. [3] Tecum principium in die virtutis tue in splendoribus sanctorum: ex vtero ante luciferum genui te. [4] Iurauit dominus et non penitebit eum: tu es sacerdos in eternum secundum ordinem melchisedech. [5] Dominus a dextris tuis: confregit in die ire sue reges. [6] Iudicabit dominus in nationibus implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum. [7] De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

110 Confitebor tibi domine in toto corde meo: in consilio iustorum et congregatione. [2] Magna opera domini: exquisita in omnes voluntates eius. [3] Confessio et magnificentia opus eius: et iusticia eius manet in seculum seculi. [4] Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator dominus: [5] escam dedit timentibus se. Memor erit in seculum testamenti sui: [6] virtutem operum suorum annunciabit populo suo. [7] Vt det illis hereditatem gentium: opera manuum eius veritas et iudicium. [8] Fidelia omnia mandata eius: confirmata in seculum seculi: facta in veritate et equitate. [9] Redemptionem misit populo suo: mandauit in eternum testamentum suum. Sanctum et terribile nomen eius: [10] inicium sapientie timor domini· Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculi. Alleluia. seculi.

111 Alleluia. In reuersione aggei et zacharie. Alleluia. reuersione Beatus Beatus vir qui timet dominum: in mandatis eius volet nimis. [2] Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. [3] Gloria et diuitie in domo eius: et iusticia eius manet in seculum scculi. [4] Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors et miserator et iustus. [5] Iocundus homo qui miseretur et commodat: disponit sermones suos in iudicio: [6] quia in eternum non commouebitur. [7] In memoria eterna erit iustus: ab auditione mala non timebit. Paratum cor eius sperare in domino: [8] confirmatum est cor eius: non commouebitur donec despiciat inimicos suos. [9] Dispersit dedit pauperibus: iusticia eius manet in seculum seculi: cornu eius exaltabitur in gloria. [10] Peccator videbit et irascetur: dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.

112 Alleluia. Laudate pueri dominum: laudate nomen domini. [2] Sit nomen domini benedictum: ex hoc nunc et vsque in seculum. [3] A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen domini. [4] Excelsus super omnes gentes dominus: et super celos gloria eius. [5] Quis sicut dominus deus noster: qui in altis habitat [6] et humilia respicit in celo et in terra? [7] vscitans a terra inopem: et de stercore erigens pauperem. [8] collocet eum cum principibus: principibus populi sui. [9] Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum letantem.

113 Alleluia. In exitu israhel de egipto: domus iacob de populo barbaro. [2] Facta est iudea sanctificatio eius: israhel potestas eius. [3] Mare vidit et fugit: iordanis conuersus est retrorsum. [4] Montes exultauerunt vt arietes: et colles sicut agni ouium. [5] Quid est tibi mare quod fugisti: et tu iordanis quia conin mare quod fugisti: et tu iordanis quia versus es retrorsum. [6] Montes exultastis sicut arietes: et colles sicut agni ouium. [7] facie domini mota est terra: a facie dei iacob. [8] Qui conuertit petram in stagna aquarum: et rupem in fontes aquarum. [9] Non nobis domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam. [10] Super misericordia tua et veritate tua: ne quando dicant gentes vbi est deus eorum. [11] Deus autem noster in celo: omnia quecumque voluit fecit. [12] Simulacra gentium argentum et aurum: opera manuum hominum. [13] Os habent et non loquentur: oculos habent et non videbunt. [14] Aures habent et non audient: nares habent et non odorabunt. [15] Manus habent et non palpabunt: pedes habent et non ambulabunt: von clamabunt in gutture suo. [16] Similes illis fiant qui faciunt ea: et omnes qui confidunt in eis. [17] Domus israhel sperauit in domino: adiutor eorum et protector eorum est. [18] Domus aaron sperauit in domino: adiutor eorum et protector eorum est. [19] Qui timent dominum sperauerunt in domino: adiutor eorum et protector eorum est. [20] Dominus memor fuit nostri: et benedixit nobis. Benedixit domui israhel: benedixit domui aaron. [21] Benedixit omnibus qui timent dominum: pusillis cum maioribus. [22] Adiciat dominus super vos: super vos et super filios vestros. [23] Benedicti vos a domino: qui fecit celum et terram. [24] Celum celi domino: terram autem dedit filijs hominum. [25] Non mortui laudabunt te domine: neque omnes qui descendunt in infernum. [26] Sed nos qui viuimus benedicimus domino: ex hoc nunc et vsque in seculum.

114 Alleluia. Dilexi: quoniam exaudiet dominus vocem orationis mee. [2] Quia inclinauit aurem suam michi: et in diebus meis inuocabo. [3] runt me dolores mortis: et pricula inferni inuenerunt me. Tribulationem et dolorem inueni: [4] et nomen domini inuocaui. O domine libera animam meam: [5] misericors dominus et iustus: et deus noster miseretur. [6] Custodiens paruulos dominus: humiliatus sum et liberauit me. [7] Conuertere anima mea in requiem tuam: quia dominus benefecit tibi. [8] Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos a lacrimis: pedes meos a lapsu [9] Placebo domino: in regione viuorum.

115 Alleluia. Credidi propter quod locutus sum: ego humiliatus sum nimis. [2] Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax. [3] Quid retribuam domino: pro omnibus que retribuit michi. [4] Calicem salutaris accipiam: et nomen domini inuocabo. [5] Vota mea domino reddam coram omni populo eius: [6] preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius. [7] O domine quia ego seruus tuus: ego seruus tuus et filius ancille tue. Dirupisti vincula mea: [8] tibi sacrificabo hostiam laudis: et nomen domini inuocabo. [9] Vota mea domino reddam in conspectu omnis populi eius: [10] in atrijs domus domini in medio tui iherusalem.

116 Alleluia. Laudate dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. [2] Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: et veritas domini manet in eternum.

117 Alleluia. Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius [2] Dicat nunc israhel quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius [3] Dicat nunc domus aaron: quoniam in seculum misericordia eius. [4] Dicant nunc qui timent dominum: quoniam in seculum misericordia eius. [5] De tribulatione inuocaui dominum: et exaudiuit me in latitudine dominus. [6] Dominus michi adiutor: non timebo quid faciat michi homo. [7] Dominus michi adiutor: et ego despiciam inimicos meos.

8 Bonum est confidere in domino: quam confidere in homine. 9 Bonum est sperare in domino: quam sperare in principibus. 10 Omnes gentes circuierunt me: et in nomine domini quia vltus sum in eos. 11 Circundantes circundederunt me: et in nomine domini quia vltus sum in eos. 12 Circundederunt me sicut apes: et exarserunt sicut ignis in spinis: et in nomine domini quia vltus sum in eos. 13 Impulsus rursus sum vt caderem: et dominus suscepit me. 14 Fortitudo mea et laus mea dominus: et factus est michi in salutem. 15 Vox exultationis et salutis: in tabernaculis iustorum 16 Dextera domini fecit virtutem: dextera domini exaltauit me: dextera domini fecit virtutem. 17 Non moriar sed viuam: et narrabo opera domini. 18 Castigans castigauit me dominus: et morti non tradidit me· 19 Aperite michi portas iusticie: ingressus in eas confitebor domino: 20 hec porta domini iusti intrabunt in eam. 21 Confitebor tibi quoniam exaudisti me: et factus es michi in salutem. 22 Lapidem quem reprobauerunt edificantes: hic factus est in caput anguli. 23 A domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris. 24 Hec est dies quam fecit dominus: vltemus et letemur in ea. 25 O domine saluum me fac: o domine bene prosperare: 26 benedictus qui venit in nomine domini. Benediximus vobis de domo domini: 27 deus dominus et illuxit nobis. Constituite diem solemnem in condensis: vsque ad cornu altaris. 28 Deus meus es tu et confitebor tibi: deus meus es tu et exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudisti me: et factus es michi in salutem. 29 Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in seculum miscordia eius.

118 Alleluia. Aleph. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege domini. 2 Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum. 3 Non enim qui operantur iniquitatem: in vijs eis ambulauerunt. 4 Tu mandasti: mandata tua custodiri nimis. 5 Vti Gtinam dirigantur vie mee: ad custodiendas nam iustificationes tuas. 6 Tunc non confundar: cum perspexero in omnibus mandatis tuis. 7 Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iusticie tue. 8 Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaque. 9 In quo corrigit adolescentior viam suam: in custodiendo sermones tuos. 10 In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me a mandatis tuis. 11 In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi. 12 Benedictus es domine: doce me iustificationes tuas. 13 In labijs meis: pronunciaui omnia iudicia oris tui. 14 In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus diuitijs. 15 In mandatis tuis exercebor: et considerabo vias tuas. 16 In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos. 17 etribue seruo tuo: viuifica me et custodiam sermones tuos. 18 vela oculos meos: et considerabo mirabilia de lege tua. 19 Incola ego sum in terra: non abscondas a me mandata tua. 20 Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas: in omni tempore. 21 Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis. 22 Aufer a me opprobrium et contemptum: quia testimonia tua exquisiui. 23 Etenim sederunt principes et aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis. 24 Nam et testimonia tua meditatio mea est: et consilium meum iustificationes tue. 25 dhesit pauimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum. 26 Vias meas enunciaui et exaudisti me: doce me iustificationes tuas. 27 Viam iustificationum tuarum instrue me: et exercebor in mirabilibus tuis 28 Dormitauit anima mea pre tedio: confirma me in verbis tuis. 29 Viam iniquitatis amoue a me: et de lege tua miserere mei. 30 Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus. 31 Adhesi testimonijs tuis domine: noli me confundere. 32 Viam mandatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum. 33 iegem pone michi domine viam iustificationum tuarum: et exquiram eam semper. 34 Da michi intellectum et scrutabor legem tuam: et custodiam illam in toto corde meo. 35 Deduc me in semita mandatorum tuorum: quia ipsam volui. 36 Inclina cor meum in testimonia tua: et non in auariciam. 37 verte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me. 38 Statue seruo tuo eloquium tuum: in timore tuo. 39 mputa opprobrium meum quod suspicatus sum: quia iudicia tua iocunda. 40 Ecce concupiui mandata tua: in equitate tua viuifica me. 41 Et veniat super me misericordia tua domine: salutare tuum secundum eloquium tuum. 42 Et respondebo reprobrantibus michi verbum: quia speraui in sermonibus tuis. 43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque: quia in iudicijs tuis supersperaui. 44 Et custodiam legem tuam semper: in seculum et in seculum seculi. 45 Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui. 46 Et loquebar in testimonijs tuis in conspectu regum: et non confundebar. 47 Et meditabar: in mandatis tuis que dilexi. 48 Et leuaui manus meas ad mandata tua que dilexi: et exercebor in iustificationibus 49 emor esto verbi tui tuis. seruo tuo: iu quo michi spem dedisti. 50 Hec me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me. 51 Superbi inique agebant vsquequaque: a lege autem tua non declinaui. 52 emor fui iudiciorum tuorum a seculo domine: et consolatus sum. 53 Defectio tenuit me: pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. 54 Cantabiles michi erant iustificationes tue: in loco peregrinationis mee. 55 Memor fui nocte nominis tui domine: et custodiui legem tuam. 56 Hec facta est michi: quia iustificationes tuas 57 exortio mea domine: quisiui. dixi custodire legem tuam. 58 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: tuum. miserere mei secundum eloquium tuum. 59 ogita vi vias meas: et auerti pedes meos in conuerti testimonia tua. 60 Paratus sum et non sum turbatus: vt custodiam mandata tua. vnes 61 Funes peccatorum circumplexi sunt me: et legem tuam non sum oblitus 62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi: super iudicia iustificationes tue. 63 Particeps ego sum omnium timentium te: et custodientium mandata tua. 64 Misericordia tua domine plena est terra: iustificationes tuas doce me. 65 Bonitatem fecisti cum seruo tuo domine: secundum verbum tuum. 66 Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me: quia in mandatis tuis credidi. 67 Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui. 68 Bonus es tu: et in bonitate tua doce me iustificationes tuas. 69 vltiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. 70 oagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum. 71 Bonum michi quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas. 72 Bonum michi lex oris tui: super milia auri et argenti. 73 anus Manus tue fecerunt me et plasmaLuerunt me: da michi intellectum vt discam mandata tua. 74 Qui timent te videbunt me et letabuntur: quia in verba tua supersperaui 75 Cognoui domine quia equitas iudicia tua: et in veritate tua humiliasti me. 76 Niat misericordia tua vt consoletur me: secundum eloquium tuum seruo suo tuo. 77 Veniant michi miserationes tue et Confundantur quitatem fecerunt in nia serui tue et viuam: vani: quia lex tua meditatio mea est. 78 superbi quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis. 79 onuertantur michi timentes te: et qui nouerunt testimonia tua. 80 Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis: vt non confundar. 81 Defecit in salutari tuum anima mea: et in verbum tuum supersperaui. 82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes quando consolaberis me. 83 Quia factus sum sicut vter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus. 84 Quot sunt Quot sunt serui dies tui: quando facies de persequenti bus me iudicium. 85 Narrauerunt michi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua. 86 mnia mandata tua veritas: iniqui persecuti sunt me adiuua me. 87 Paulominus consumauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua. 88 Secundum misericordiam tuam viuifica me: et custodiam testimonia oris tui. 89 In eternum domine: verbum tuum permanet in celo. 90 n generatione et generationem veritas tua: fundasti terram et permanet. 91 Ordinatione tua perseuerat dies: quoniam omnia seruiunt tibi. 92 Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forte perissem in humilitate mea. 93 In eternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis viuificasti me. 94 Tuus sum ego saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui. 95 Me expectauerunt peccatores vt perderent me: testimonia tua intellexi. 96 mnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. 97 vomodo dilexi legem tuam domine: toCLta die meditatio mea est. 98 vper inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in eternum michi est. 99 vper omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. 100 Super senes intellexi: quia mandata tua quesiui. 101 Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua. 102 iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti michi. 103 Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo. 104 A

mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis. [105] vcerna pedibus meis verbum tuum: et lumen semitis meis. [106] vraui: et statui custodire iudicia iusticie tue. [107] vmiliatus sum vsquequaque: domine viuifica me secundum verbum tuum: [108] voluntaria oris mei beneplacita fac domine: et iudicia tua doce me. [109] Anima mea in manibus meis semper: et legem tuam non sum oblitus. [110] Posuerunt peccatores laqueum michi: et de mandatis tuis non erraui. [111] Hereditate acquisiui testimonia tua in eternum: quia exultatio cordis mei sunt. [112] Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in eternum: propter retributiniquos [113] odio habui: tonem. et legem tuam dilexi. [114] Adiutor et susceptor meus es tu: et in verbum tuum supersperaui. [115] eclinate a me maligni: et scrutabor mandata dei mei. [116] Suscipe me secundum eloquium tuum et viuam: et non confundas me ab exspectatione mea. [117] Adiuua me et saluus ero: et meditabor in iustificationibus tuis semper. [118] Spreuisti omnes discedentes a iudicijs tuis: quia iniusta cogitatio eorum. [119] Preuaricantes reputaui omnes peccatores terre: ideo dilexi testimonia tua. [120] Confige timore tuo carnes meas: a iudicijs enim tuis timui. [121] eci iudicium et iusticiam: non tradas me calumniantibus me. [122] Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi. [123] Oculi mei defecerunt in salutare tuum: et in eloquium iusticie tue. [124] ac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam: et iustificationes tuas doce me. [125] Seruus tuus sum ego: da michi intellectum vt sciam testimonia tua. [126] Tempus faciendi domine: dissipauerunt legem tuam. [127] Ideo dilexi mandata tua: super aurum et thopazion. [128] Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui. [129] Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea. [130] eclaratio sermonum tuorum illuminat: et intellectum dat paruulis. [131] Os meum aperui et attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam. [132] Aspice in me et miserere mei: secundum iudicium diligentium nomen tuum. [133] Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: et non dominetur mei omnis iniusticia. [134] Redime me a calumnijs hominum: vt custodiam mandata tua. [135] Faciem tuam illumina super seruum tuum: et doce me iustificationes tuas. [136] Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam. [137] vstus es domine: et rectum iudicium tuum. an [138] Mandasti iusticiam testimonia tua: et veritatem tuam nimis. [139] Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei. [140] Ignitum eloquium tuum vehementer: et seruus tuus dilexit illud. [141] Adolescentulus sum ego et contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus. [142] Iusticia tua iustitia in eternum: et lex tua veritas. [143] Tribulatio et angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est. [144] Equitas testimonia tua in eternum: intellectum da michi et viuam. [145] Clamaui in toto corde exaudi me domine: iustificationes tuas requiram. [146] Clamaui ad te et saluum me fac: vt custodiam mandata tua. [147] Preueni in maturitate et clamaui: in verba tua supersperaui. [148] Preuenerunt oculi mei ad te diluculo: vt meditarer eloquia tua. [149] Vocem meam audi secundum misericordiam tuam domine: et secundum iudicium tuum viuifica me. [150] Appropinquerunt persequentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti sunt. [151] Prope es tu domine: et omnes vie tue veritas. [152] Inicio cognoui de testimonijs tuis: quia in eternum fundasti ea. [153] Vide humilitatem meam et eripe me: quia legem tuam non sum oblitus. [154] Iudica iudicium meum et redime me: propter eloquium tuum viuifica me. [155] Longe a peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt. [156] M sericordie tue multe domine: secundum iudicium tuum viuifica me. [157] Multi qui persequuntur me et tribulant me a testimonijs tuis non declinaui. [158] Vidi preuaricantes et tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt. [159] Vide quoniam mandata tua dilexi: domine in misericordia tua viuifica me [160] Principium verborum tuorum veritas: in eternum omnia iudicia iusticie tue. [161] Principes persecuti sunt me gratis: et a verbis tuis formidauit cor meum. [162] Letabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa. [163] Iniquitatem odio habui et abominatus sum: legem autem tuam dilexi. [164] Septies in die laudem dixi tibi: super iudicia iusticie tue. [165] Pax multa diligentibus legem tuam: et non est illis scandalum. [166] Exspectabam salutare tuum domine: et mandata tua dilexi. [167] Custodiuit anima mea testimonia tua: et dilexit ea vehementer. [168] Seruaui mandata tua et testimonia tua: quia omnes vie mee in conspectu tuo. [169] Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo domine: iuxta eloquium tuum da michi intellectum. [170] Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium tuum eripe me. [171] Eructabunt labia mea ymnum: cum docueris me iustificationes tuas. [172] Pronunciabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua equitas. [173] Fiat manus tua vt saluet me: quoniam mandata tua elegi. [174] Concupiui salutare tuum domine: et lex tua meditatio mea est. [175] Viuet anima mea et laudabit te: et iudicia tua adiuuabunt me. [176] Erraui sicut ouis que perijt: quere seruum tuum quia mandata tua non sum oblitus.

119 Canticum graduum. Ad dominum cum tribularer clamaui: et exaudiuit me. [2] Domine libera animam meam a labijs iniquis: et a lingua dolosa. [3] Quid detur tibi aut quid apponatur tibi: ad linguam dolosam? [4] Sagitte potentis acute: cum carbonibus desolatorijs. [5] Heu michi quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus cedar: [6] multum incola fuit anima mea. [7] Cum hijs qui oderant pacem eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.

120 Canticum graduum. Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium michi. [2] Auxilium meum a domino: qui fecit celum et terram. [3] Non det in commotionem pedum tuum: neque dormitet qui custodit te. [4] Ecce non dormitabit neque dormiet: qui custodit israhel. [5] Dominus custodit te: dominus protectio tua super manum dexteram tuam. [6] Per diem sol non vret te: neque luna per noctem. [7] Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam dominus. [8] Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum: ex hoc nunc et vsque in seculum.

121 Canticum graduum. Cantic sum in hijs que dicta sunt michi: in domum domini ibimus. [2] Stantes erant pedes nostri: in atrijs tuis iherusalem. [3] Iherusalem que edificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum. [4] Illuc enim ascenderunt tribus tribus domini testimonium israhel: ad confitendum nomini domini. [5] Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum dauid. [6] ogate que ad pacem super iherusalem: et abundantia diligentibus te. [7] Fiat pax in virtute tua: et abundantia in turribus tuis. [8] ropter fratres meos et proximos meos: loquebar pacem de te. [9] Propter domum domini dei nostri: quesiui bona tibi.

122 Canticum graduum. Ad te leuaui oculos meos: qui habitas in celis. [2] Ecce sicut oculi suorum: in manibus dominorum suorum. Sicut oculi ancille in manibus domine sue: ita oculi nostri ad dominum deum nostrum donec mise exsurgerent homines in nos: forte A reatur nostri. [3] Miserere nostri domine miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione. [4] Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus et

123 Canticum graduum dauid. Nisi quia dominus erat in nobis dicat nunc israhel: [2] nisi quia dominus erat in nobis. Cum exsurgerent homines in nos: [3] forte viuos deglutissent nos. Cum irasceretur furor eorum in nos: [4] forsitan aque absorbuissent nos. [5] Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intollerabilem. [6] Benedictus iniquitatem dominus: qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. [7] Anima nostra sicut passer erepta est: de laqueo venantium. Laqueus contritus est: et nos liberati sumus. [8] Adiutorium nostrum in nomine domini: qui suam. fecit celum et terram.

124 Canticum graduum. Dominus Qui confidunt in domino sicut mons syon: non commouebitur in eternum qui habitat [2] in iherusalem. Montes in circuitu eius: et dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc et iustus vsque in seculum. [3] Quia non relinquet dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. [4] Benefac domine: bonis et rectis corde. [5] concidet nes adducet dominus cum operantibus iniquitatem: pax super israhel.

125 Canticum graduum. In conuertendo dominus captiuitatem syon: fa ceruices cti sumus sicut consolati. [2] Tunc repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra in exultatione. Tunc dicet inter gentes: magnificauit dominus facere cum eis. [3] agnificauit dominus facere nobiscum: pcconrum: facti sumus letantes. [4] Conuerte domine captiuitatem nostram: sicut torrens in austro. [5] Qui seminant in lacrimis: in exultatione metent. [6] Euntes ibant et flebant: mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipu suos.

126 Canticum graduum salomonis. Nisi dominus edificauerit domum: inuanum laborauerunt qui edifilos cant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem: frustra vigilat qui custodit eam. [2] Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis suis somnum [3] ecce hereditas domini: filij merces fructus ventris. [4] Sicut sagitte in manu potentis: ita filij excussorum. [5] eatus vir qui impleuit desiderium suum exipis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

127 Canticum graduum. Beati omnes qui timent dominum: qui ambulant in vijs eius. [2] Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es et bene tibi erit. [3] Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tue. Filij tui sicut nouelle oliuarum: in circuitu mense tue. [4] Ecce sic benedicetur homo: qui timet dominum. [5] Benedicat tibi dominus ex syon: et videas bona iherusalem omnibus diebus vite tue. [6] Et videas filios filiorum tuorum: pacem super israhel.

128 Canticum graduum. Sepe expugnauerunt me a iuuentute mea: Dicat nunc israhel. [2] epe [3] exiniquitatem suam. [4] ominus iustus concidet ceruices peccatorum: [5] confundantur et conuertantur tectorum: pugnauerunt me aiuuentute mea: etenim non potuerunt michi. Supra dorsum meum Fabricauerunt peccatores: prolongauerunt retrorsum omnes qui oderunt syon. iant [6] Fiant sicut fenum tectorum: quod priusquam euellatur exaruit. [7] e quo non implebit manum suam qui metet: et sinum suum qui manipulos colliget. [8] non dixerunt qui preteribant benedictio domini super vos: benediximus vobis in nomine domini.

129 Canticum graduum. Deprofundis clamaui ad te domine: [2] domine exaudi vocem meam. Fiant aures tue intendentes: in vocem deprecationis mee. [3] Si iniquitates obseruaueris domine: domine quis sustinebit? [4] Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te domine. Sustinuit anima mea in verbo eius: [5] sperauit anima mea in domino. [6] A custodia matutina vsque ad noctem: speret israhel in domino. [7] Quia apud dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio. [8] Et ipse redimet israhel: ex omnibus iniquitatibus eius.

130 Canticum graduum ipsius dauid. Domine non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei super Neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus super me. [2] Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus est super matrem suam: ita retributio in animam meam. [3] Speret israhel in domino: ex hoc nunc et vsque in seculum.

131 Canticum graduum. Memento domine dauid: et omnis mansuetudinis eius. [2] Sicut iurauit domino: votum vouit deo iacob. [3] Si introiero in tabernaculum domus mee: si ascendero in lectum strati mei. [4] i dedero somnum oculis meis: et palpebris meis dormitatouem. [5] Et requiem temporibus meis: donec inueniam locum domino tabernaculum deo iacob. [6] Ecce audiuimus eam in effrata: inuenimus eam in campis silue. [7] Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. [8] Surge domine in requiem tuam: tu et archa sanctificationis tue. [9] Sacerdotes tui induantur iusticia: et sancti tui exultent. [10] Propter dauid seruum tuum: non auertas faciem cristi tui. [11] Iurauit dominus dauid veritatem et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. [12] Si testimonia mea hec que docebo eos. t custodierint filij tui testamentum meum: et Et filij eorum vsque in sedebunt super sedem tuam. [13] Quoniam elegit dominus syon: elegit eam in habitationem sibi. [14] Hec requies mea in seculum seculi: hic habitabo quoniam elegi eam· [15] Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus. [16] Sacerdotes eius induam salutari: et sancti eius exultatione exultabunt. [17] Illuc producam cornu dauid: paraui lucernam cristo meo. [18] Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

132 Canticum graduum. Ecce quam bonum et quam habitare fratres in vnum. [2] Sicut vngentum in capite: quod descendit in barbam barbam aaron. Quod descendit in oram vestimenti eius: [3] sicut ros hermon illic mandauit dominus benedictionem: et vi qui descendit in montem syon. Quoniam

133 Canticum graduum. Ecce nunc benedicite domino· omnes serui domini. Qui statis in domo domini: in atrijs domus dei nostri. [2] In noctibus extollite manus vestras in sancta: et nedicite dominum. [3] Benedicat te dominus ex syon: qui fecit celum et terram.

134 Laudate nomen domini: laudate serui dominum. [2] Qui statis in domo domini: in atrijs domus dei nostri. [3] Laudate dominum quia bonus dominus: psallite nomini eius quoniam suaue. [4] Quoniam iacob elegit sibi dominus: israhel in possessionem sibi. [5] Quia ego cognoui quod magnus est dominus: et deus dijs. noster pre omnibus dijs. [6] Omnia quecumque mnia voluit dominus fecit in celo et in terra: in mari et in omnibus abissis. [7] ducens nubes ab extremo terre: fulgura vt pluuiam fecit. vi producit ventos de thesauris suis: [8] qui percussit primogenita egipti ab homine vsque ad pecus. [9] Emisit signa et prodigia in medio tui egipte: in pharaonem et in omnes seruos eius. [10] Qui percussit gentes multas: et occidit reges fortes. [11] Seon regem amorreorum et og regem basan: et omnia regna chanaan. [12] Et dedit terram eorum hereditatem: hereditatem israhel populo suo. [13] Domine nomen tuum in eternum: domine memoriale tuum in generatione et generationem. [14] Quia iudicabit dominus populum suum: et in seruis suis deprecabitur. [15] Simulacra gentium argentum et aurum: opera manuum hominum. [16] Os habent et non loquentur: oculos habent et non videbunt. [17] Aures habent et non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum. [18] Similes illis fiant qui faciunt ea: et omnes qui confidunt in eis. [19] Domus israhel benedicite domino: domus aaron benedicite domino [20] Domus leui benedicite domino: qui timetis dominum benedicite domino. [21] Benedictus dominus ex syon: qui habitat in iherusalem.

135 Alleluia. Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in eternum misericordia eius. [2] Confitemini deo deorum: quoniam. [3] Confitemini domino dominorum: quoniam. [4] Qui facit mirabilia magna solus: quoniam. [5] Qui fecit celos in intellectu: quoniam. [6] Qui firmauit terram super aquas: quoniam. naria [7] magna: quoniam. [8] Solem in potestatem diei: quoniam. [9] Lunam et stellas in potestatem noctis: quouiam. [10] Qui percussit egiptum cum primogenitis eorum: quoniam. [11] Qui eduxit israhel de medio eorum: quoniam. [12] In manu potenti et brachio excelso: quoniam. [13] Qui diuisit mare rubrum in diuisiones: quoniam. [14] Et eduxit israhel per medium eius: quoniam. [15] Et excussit pharaonem et virtutem eius in mari rubro: quoniam. [16] Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam. [17] Qui percussit reges magnos: quoniam. [18] Et occidit reges fortes: quoniam. [19] Seon regem amorreorum: quoniam. [20] Et og regem basan: quoniam. [21] Et dedit terram eorum here quoniam. [22] Hereditatem israhel seruo suo: quoniam. [23] Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam. [24] Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam. [25] Qui dat escam omni carni: quoniam. [26] Confitemini deo celi: quoniam. Confitemini domino dominorum: quoniam in eternum misericordia eius.

136 Psalmus dauid propter ieremiam. Super flumina babilonis illic sedimus et fleuimus: dum recordarentur syon. [2] In salicibus in medio eius: suspendimus organa nostra. [3] Quia illic interrogauerunt nos qui

captiuos duxerunt nos: verba cantionum. Et qui abduxerunt nos: ymnum cantate nobis de canticis syon. [4] Quomodo cantabimus canticum domini: iu terra aliena? [5] Si oblitus fuero tui iherusalem: obliuioni detur dextera mea. [6] Adhereat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui. Si non proposuero tui iherusalem: in principio leticie mee. [7] Memor esto domine filiorum edom: in die iherusalem. Qui dicunt exinanite exinanite: vsque ad fundamentum in ea. [8] Filia babilonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis [9] Beatus qui tenebit: et allidet paruulos suos ad petram.

137 Psalmus dauid. Confitebor tibi domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei. In conspectu angelorum psallam tibi: [2] adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo. Super misericordia tua et veritate tua: quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum. [3] In quacumque die inuocauero te exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem. [4] Confiteantur tibi domine omnes reges terre: quia audierunt verba oris tui. [5] Et cantent in vijs domini: quoniam magna est gloria domini. [6] Quoniam excelsus dominus et humilia respicit: et alta a longe cognoscit. [7] Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me: et super iram inimicorum tuorum extendisti manum tuam: et saluum me fecit dextera tua. [8] Dominus retribuet pro me: domine misericordia tua in seculum: opera manuum tuarum ne despicias.

138 In finem psalmus dauid. finem dauid Domine probasti me et cognouisti me: [2] tu cognouisti sessionem et resurrectionem meam. [3] Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam et funiculum meum inuestigasti. [4] Et omnes vias meas preuidisti: quia non est sermo in lingua mea. [5] Ecce domine tu cognouisti omnia nouissima et antiqua: tu formasti me et posuisti super me manum tuam. [6] Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est et non potero ad eam. [7] Quo ibo a spiritu tuo: et quo a facie tua fugiam? [8] Si ascendero in celum tu illic es: si descendero in infernum ades. [9] Si sumpsero pennas meas diluculo: et habitauero in extremis maris. [10] Etenim illic manus tua deducet me: et tenebit me dextera tua. [11] Et dixi forsitan tenebre conculcabunt me: et nox illuminatio mea in delicijs meis. [12] Quia tenebre non obscurabuntur a te: et vox sicut dies illuminabitur: sicut tenebre eius ita et lumen eius. [13] Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero matris mee. [14] Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua: et anima mea cognoscet nimis. [15] Non est occultatum os meum a te quod fecisti in occulto: et substantia mea in inferioribus terre. [16] Imperfectum meum viderunt oculi tui: et in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur et nemo in eis. [17] Michi autem nimis honorificati sunt amici tui deus: nimis confortatus est principatus eorum. [18] D inumerabo eos et super arenam multiplicabuntur: exsurrexi et adhuc sum tecum. [19] Si occideris deus peccatores: viri sanguinum declinate a me. [20] Quia dicitis in cogitatione: accipiant in vanitate ciuitates suas. [21] Nonne qui oderunt te domine oderam: P et super inimicos tuos tabescebam. [22] Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt michi. [23] Proba me deus et scito cor meum: interroga me et cognosce semitas meas. [24] Et vide si via iniquitatis in me est: et deduc me in via eterna

139 In finem psalmus dauid. [2] Eripe me domine ab homine malo: viro iniquo eripe me. [3] Qui cogitauerunt iniquitates in corde: tota die constituebant prelia. [4] Acuerunt linguam suam sicut serpentes: venenum aspidum sub labijs eorum. [5] Custodi me domine de manu peccatoris: et ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitauerunt supplantare gressus meos: [6] absconderunt superbi laqueum michi. Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt michi. [7] Dixi domino deus meus es tu: exaudi domine vocem deprecationis mee. [8] Domine domine virtus salutis mee: obumbrasti super caput meum in die belli. [9] Non tradas me domine a desiderio meo peccatori: cogitauerunt contra me: ne derelinquas me ne forte exaltentur. [10] Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos. [11] Cadent super eos carboues: in ignem deicies eos: in miserijs non subsistent. [12] Vir linguosus non dirigetur in terra: virum iniustum mala capient in interitu. [13] Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis: et vindictam pauperum. [14] Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo: et habitabunt recti cum vultu tuo

140 Psalmus dauid. Domine clamaui ad te exaudi me: intende voci mee cum clamauero ad te [2] Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. [3] Pone domine custodiam ori meo: et ostium circunstantie labijs meis. [4] Non declines cor meum in verba malicie: ad excusandas excusationes in peccatis. Cum hominibus operantibus iniquitatem: et non comunicabo cum electis eorum. [5] Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum: [6] absorpti sunt iuncti petre iudices eorum. Audient verba mea quoniam potuerunt: [7] sicut crassitudo terre erupta est super terram. Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: [8] quia ad te domine domine oculi mei: in te speraui non auferas animam meam. [9] Custodi me a laqueo quem statuerunt michi: et a scandalis operantium iniquitatem. [10] Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego donec transeam.

141 Intellectus dauid cum esset in spelunca oratio. [2] Voce mea ad dominum clamaui: voce mea ad E dominum deprecatus sum. [3] Effundo in conspectu eius orationem meam: tribulationem meam ante ipsum pronuntio. [4] In deficiendo ex me spiritum meum: et tu cognouisti semitas meas. In via hac qua ambulabam: absconderunt laqueum michi. [5] Considerabam ad dexteram et videbam: et non erat qui cognosceret me. Perijt fuga a me: et non est qui requirat animam meam. [6] Clamaui ad te domine: dixi tu es spes mea: portio mea in terra viuentium. [7] Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me: quia confortati sunt super me: [8] Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me exspectant iusti donec retribuas michi.

142 Psalmus dauid quando persequebatur eum filius suus absolon. Domine exaudi orationem meam auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua iusticia. [2] Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. [3] Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam. Collocauit me in obscuris sicut mortuus seculi: [4] et anxiatus est super me spiritus meus: in me turbatum est cor meum. [5] Memor fui dierum antiquorum: meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar. [6] Expandi mauus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi. [7] Velociter exaudi me domine: defecit spiritus meus· Non auertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum. [8] Auditam fac michi mane misericordiam tuam: quia in te speraui. Notam fac michi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam. [9] Eripe de inimicis meis domine ad te confugi: [10] doce me facere voluntatem tuam quia deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: [11] propter nomen tuum domine viuificabis me in equitate tua. Educes de tribulatione animam meam: [12] et in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.

143 Psalmus dauid aduersus goliam. enedictus dominus deus meus qui docet manus meas ad prelium: et digitos meos ad bellum. [2] Mi mea et refugium meum: susceptor meus et liberator meus. Protector meus et in ipso speraui: qui subdit populum meum sub me. [3] Domine quid est homo quia innotuisti ei: aut filius hominis quia reputas eum? [4] Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra pretereunt [5] Domine inclina celos tuos et descende: tange montes et fumigabunt. [6] Fulgura choruscationem et dissipabis eos: emitte sagittas tuas et conturbabis eos. [7] Emitte manum tuam de alto: eripe me et libera me de aquis multis: et de manu filiorum alienorum. [8] Quorum os locutum est vanitatem: et dextera eorum dextera iniquitatis [9] Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decacordo psallam tibi. [10] Qui das salutem regibus: qui redemisti dauid seruum tuum: de gladio maligno [11] eripe me. Et erue me de manu filiorum alienorum quorum os locutum est vanitatem: et dextera eorum dextera iniquitatis. [12] Quorum filij

sicut nouelle plantationes: in iuuentute sua. Filie eorum composite: circumornate vt similitudo templi. [13] Promptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fetose abundantes in egressibus suis: [14] boues eorum crasse. Non est ruina macerie: neque transitus neque clamor in plateis eorum. [15] Beatum dixerunt populum cui hec sunt: beatus populus cuius dominus deus eius.

144 Laudatio ipsi dauid. Exaltabo te deus meus rex: et benedicam nomini tuo in seculum et in seculum seculi. [2] Per singulos dies benedicam tibi: et laudabo nomen tuum in seculin et in seculum seculi [3] Magnus dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis eius non est finis. [4] Generatio et generatio laudabit opera tua: et potentiam tuam pronunciabunt. [5] Magnificentiam glorie sanctitatis tue loquentur: et mirabilia tua narrabunt. [6] Et virtutem terribilium tuorum dicent: et magnitudinem tuam narrabunt. [7] Memoriam abundantie suauitatis tue eructabunt: et iusticia tua exultabunt. [8] Miserator et misericors dominus: patiens et multum misericors. [9] Suauis dominus vniuersis: et miserationes eius super omnia opera eius. [10] Confiteantur tibi domine omnia opera tua: et sancti tui benedicant tibi. [11] Gloriam regni tui dicent: et potentiam tuam loquentur. [12] Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam: et gloriam magnificentie regni tui. [13] Regnum tuum regnum omnium seculorum: et dominatio tua in omni generatione et generatione. Fidelis dominus in omnibus verbis suis: et sanctus in omnibus operibus suis. [14] Alleuat dominus omnes qui corruunt: et erigit omnes elisos. [15] Oculi omnium in te sperant domine: et tu das escam illorum in tempore oportuno. [16] Aperis tu manum tuam: et imples omne animal benedictione. [17] Iustus dominus in omnibus vijs suis: et sanctus in omnibus operibus suis. [18] Prope est dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. [19] Voluntatem timentium se faciet: et deprecationem eorum exaudiet: et saluos faciet eos. [20] Custodit dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet. [21] Laudationem domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro nomini sancto eius in seculum et in seculum seculi.

145 Alleluia. [2] Lauda anima mea dominum: laudabo dominum in vita mea: psallam deo meo quamdiu fuero. Nolite confidere in principibus: [3] in filijs hominum in quibus non est salus. [4] Exibit spiritus eius et reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum [5] Beatus cuius deus iacob adiutor eius: spes eius in domino deo ipsius: [6] qui fecit celum et terram mare et omnia que in eis sunt. [7] Qui custodit veritatem in seculum: facit iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus. Dominus soluit compeditos: [8] dominus illuminat cecos. Dominus erigit elisos: dominus diligit iustos. [9] Dominus custodit aduenas: pupillum et viduam suscipiet: et vias peccatorum disperdet. [10] Regnabit dominus in secula: deus tuus syon in generationem et generacionem.

146 Alleluia. Laudate dominum quoniam bonus est psalmus: deo nostro sit iocunda decoraque laudatio. [2] Edificans iherusalem dominus: dispersiones israhelis congregabit. [3] sanat contritos corde: et alligat contritiones eorum [4] Qui numerat multitudinem stellarum: et omnibus eis nomina vocat. [5] Magnus dominus noster et magna virtus eius: et sapientie eius non est numerus. [6] Suscipiens mansuetos dominus: humilians autem peccatores vsque ad terram. [7] Precinite domino in confessione: psallite deo nostro in cythara. [8] Qui operit celum nubibus: et parat terre pluuiam. Qui producit in montibus fenum: et herbam seruituti hominum. [9] Qui dat iumentis escam ipsorum: et pullis coruorum inuocantibus eum. [10] Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei [11] Beneplacitum est domino super timentes eum: et in eis qui sperant super misericordia eius.

147 Alleluia. Lauda iherusalem dominum: lauda deum tuum syon. [2] Quoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te. [3] Qui posuit fines tuos pacem: et adipe frumenti saciat te. [4] Qui emittit eloquium suum terre: velociter currit sermo eius. [5] Qui dat niuem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit. [6] Mittit cristallum suam sicut bucellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit? [7] Emittet verbum suum et liquefaciet ea: flabit spiritus eius et fluent aque. [8] annunciat verbum suum iacob: iusticias et iudicia sua israhel. [9] Non fecit taliter omni nationi: et iudicia sua non manifestauit eis.

148 Alleluia. Laudate dominum de celis: laudate eum in excelsis. [2] Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. [3] Laudate eum sol et luna: laudate eum omnes stelle et lumen. [4] Laudate eum celi celorum: et aque omnes que super celo sunt [5] laudent nomen domini. Quia ipse dixit et facta sunt: ipse mandauit et creata sunt [6] Statuit ea in seculum et in seculum seculi: preceptum posuit et non preteribit. [7] Laudate dominum de terra: dracones et omnes abissi. [8] Ignis grando nix glacies spiritus procellarum: que faciunt verbum eius. [9] Montes et omnes colles: ligna fructifera et omnes cedri. [10] Bestie et vniuersa pecora: serpentes et volucres pennate. [11] Reges terre et omnes populi: principes et omnes iudices terre. [12] Iuuenes et virgines senes cum iunioribus laudent nomen domini: [13] quia exaltatum est nomen eius solius. [14] Confessio eius super celum et terram: et exaltauit cornu populi sui. Ymnus mnibus sanctis eius: filijs israhel populo appropinquanti sibi.

149 Alleluia. Cantate domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum. [2] Letetur israhel in eo qui fecit eum: et filie syon exultent in rege suo. [3] Laudent nomen eius in choro: in tympano et psalterio psallant ei. [4] Quia beneplacitum est domino in populo populo suo: et exaltabit mansuetos in salutem. [5] Exultabunt sancti in gloria: letabuntur in cubilibus suis. [6] xultationes dei in gutture eorum: et gladij ancipites in manibus eorum. [7] Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis. [8] Ad alligandos reges eorum in compedibus: et nobiles eorum in manicis ferreis. [9] Vt fatiant in eis iudicium conscriptum: hec est omnibus sanctis eius.

150 Alleluia. Laudate dominum in sanctis eius: Laudate eum in firmamento virtutis eius. [2] Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius. [3] Laudate eum in sono tube: laudate eum in psalterio et cythara. [4] Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in cordis et organo. [5] Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis iubilationis: [6] omnis spiritus laudet dominum. Alleluia.

Incipit prologus sancti ieronimi presbiteri in parabolas salomonis.

Iungat epistola quos iungit sacerdotium. immo carta non diuidat quos cristi nectit amor. Commentarios in osee· amos· et zachariam malachiam· quoque poscitis. Scripsissem: si licuisset pre valitudine. Mittitis solacia sumptuum· notarios nostros et librarios sustentatis: vt vobis potissimum nostrum desudet ingenium. Et ecce ex latere frequens turba diuersa poscentium: quasi aut equum sit me vobis esurientibus alijs laborare: aut in racione dati et accepti. cuiquam preter vos obnoxius sim. Itaque longa egrotatione fractus· ne penitus hoc anno reticerem· et apud vos mutus essem· tridui opus nomini vestro consecraui· interpretationem videlicet trium salomonis voluminum: masloth quod hebrei parabolas· vulgata editio prouerbia vocat: coelech· quem grece ecclesiasten latine concionatorem possumus dicere: sirasirim· quod in linguam nostram vertitur canticum canticorum. Fertur et panaretos· ihesu filij sirach liber: et alius pseudographus· qui sapientia salomonis inscribitur. Quorum priorem hebraicum reperi· non ecclesiasticum vt apud latinos: sed parabolas prenotatum. Cui iuncti erant ecclesiastes· et canticum canticorum: vt similitudinem salomonis· non solum numero librorum: sed eciam materiarum genere coequaret. Secundus

apud hebreos nusquam est: quia et ipse stilus grecam eloquentiam redolet: et nonnulli scriptorum veterum hunc esse iudei filonis affirmant. Sicud ergo iudith et thobie et machabeorum libros· legit quidem ecclesia· sed inter canonicas scripturas non recipit. Sic et hec duo volumina legat ad edificationem plebis: non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Si cui sane septuaginta interpretum magis editio placet: habet eam a nobis olim emendatam. Neque enim noua sic cudimus: vt vetera destruamus. Et tamen cum diligentissime legerit: sciat magis nostra scripta intelligi: que non in tercium vas transfusa coacuerint: sed statim de prelo purissima commendata teste: suum saporem seruauerint.

Parabole Salomonis

Incipiunt parabole salomonis.

1 filij dauid regis israhel: [2] sciendam et disciplinam: [3] ad doctrine: iusticiam iudicium et equitatem: [4] vt detur paruulis Iastutia: adolescenti scientia et intellectus: [5] Audiens sapiens sapientior erit: et Aintelligens gubernacula possidebit: eorum. libros· legit quidem eos ecclesia· sed inter canonicas scripturas non recipit: inter canonicas scripturas non recipit: vt addatur gracia capiti tuo: et torques collo tuo. [6] Animaduertet parabolam et interpretationem: verba sapientium et enigmata eorum. [7] Timor domini principium sapientie. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. [8] Audi fili mi disciplinam patris tui et ne dimittas legem matris tue: [9] vt addatur [10] Fili mi si te lactauerint peccatores: ne acquiescas eis. [11] Si dixerint veni nobiscum· insidiemur sanguini· abscondamus tendiculas contra insontem frustra· [12] deglutiamus eum sicud infernus viuentem et integrum· quasi descendentem in lacum: [13] omnem preciosam substanciam reperiemus· implebimus domus nostras spolijs· [14] sortem mitte nobiscum· marsupium sit vnum omnium nostrum: [15] fili mi ne ambules cum eis. Prohibe pedem tuum a semitis eorum. [16] Pedes enim illorum ad malum currunt: et festinant vt moliuntur gracia capiti tuo: et torques collo tuo. effundant sanguinem. [17] Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum. [18] Ipsique Ipsi quoque que sic et hec duo volumina legat ad edificationem plebis: non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Si cui sane septuaginta interpretum magis editio placet: habet eam a nobis olim emendatam. Neque enim noua sic cudimus: vt vetera destruamus. Et tamen cum diligentissime legerit· sciat magis nostra scripta intelligi: que non in tercium vas transfusa coacuerint: sed statim de prelo purissime commendata teste: suum saporem seruauerint. Parabole salomonis filij dauid regis israhel: ad sciendam sapientiam et disciplinam: ad intelligendam verba prudentie et suscipiendam eruditationem doctrine: iusticiam et iudicium et equitatem: vt detur paruulis astutia: et adolescenti scientia et intellectus. Audiens sapiens sapientior erit: et intelligens gubernacula possidebit. contra sanguinem suum insidiantur: et fraudes contra animas suas. [19] Sic semite omnis auari· animas possidentium rapiunt. [20] Sapientia foris predicat: in plateis dat vocem suam. [21] In capite tubarum clamitat: in foribus portarum vrbis profert verba sua dicens. [22] Vsquequo paruuli diligitis infantiam et stulti ea que sibi sunt noxia cupient: et imprudentes odibunt scientiam? [23] Conuertimini ad correptionem meam. En proferam vobis spiritum meum: et ostendam vobis verba mea. [24] Quia vocaui et renuistis: extendi manum meam et non fuit qui aspiceret. [25] Despexistis omne consilium meum: et increpationes meas neglexistis. [26] Ego quoque in interitu vestro ridebo: et subsannabo cum vobis id quod timebatis aduenerit. [27] Cum irruerit repentina calamitas: et interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio et angustia. [28] Tunc inuocabunt me et non exaudiam: mane consurgent et non inuenient me: [29] eo quod exosam habuerint disciplinam et timorem domini non susceperint: [30] nec acquieuerint consilio meo: et detraxerint vniuerse correptioni mee. [31] Comedent igitur fructus vie sue: suisque consilijs saturabuntur. [32] Auersio paruulorum interficiet eos: et prosperitas stultorum perdet eos. [33] Qui autem me audierit: absque terrore requiescet: et abundantia perfruetur: timore malorum sublato.

2 Fili mi si susceperis sermones meos: et mandata mea absconderis penes te· [2] vt audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. [3] Si enim sapientiam inuocaueris et inclinaueris cor tuum prudentie: [4] si quesieris eam quasi pecuniam et sicut thesauros effoderis illam: [5] tunc intelliges timorem domini· et scientiam dei inuenies: [6] quia dominus dat sapientiam: et ex ore eius prudentia et scientia. [7] Custodiet rectorum salutem: et proteget gradientes simpliciter· [8] seruans semitas iusticie: et vias sanctorum custodiens. [9] Tunc intelliges iusticiam et iudicium et equitatem: et omnem semitam bonam. [10] Si intrauerit sapientia cor tuum et scientia anime tue placuerit: [11] consilium custodiet te· et prudentia seruabit te: [12] vt eruaris a via mala et ab homine qui peruersa loquitur. [13] Qui relinquunt iter rectum: et ambulant per vias tenebrosas. [14] Qui letantur cum male fecerint: et exultant in rebus pessimis. [15] Quorum vie peruerse sunt· et infames gressus eorum. [16] Vt eruaris a muliere aliena et ab extranea que mollit sermones suos: [17] et relinquit ducem pubertatis sue: [18] et pacti dei sui oblita est. Inclinata est enim ad mortem domus eius: et ad inferos semite ipsius. [19] Omnes qui ingrediuntur ad eam non reuertentur: nec apprehendent semitas vite. [20] Vt ambules in via bona: et calles iustorum custodias. [21] Qui enim recti sunt habitabunt in terra: et simplices permanebunt in ea. [22] Impij vero de terra perdentur: et qui inique agunt auferentur ex ea.

3 Fili mi ne obliuiscais legis mee: et precepta mea cor tuum custodiat. [2] Longitudinem enim dierum et annos vite et pacem apponent tibi. [3] Misericordia et veritas te non deserant. Circumda eas gutturi tuo: et describe in tabulis cordis tui: [4] et inuenies graciam et disciplinam bonam coram deo et hominibus. [5] Habe fiduciam in domino ex toto corde tuo: et ne innitaris prudentie tue. [6] In omnibus vijs tuis cogita illum: et ipse diriget gressus tuos. [7] Ne sis sapiens apud temetipsum. Time deum: et recede a malo. [8] Sanitas quippe erit vmbilico tuo· et irrigatio ossium tuorum. [9] Honora dominum de tua substantia et de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus: [10] et implebuntur horrea tua saturitate: et vino torcularia redundabunt. [11] Disciplinam domini fili mi ne abicias: nec deficias cum ab eo corriperis. [12] Quem enim diligit dominus corripit: et quasi pater in filio complacet sibi. [13] Beatus homo qui inuenit sapientiam: et qui affluit prudentia. [14] Meliorem acquisitio eius negociatione auri et argenti: primi et purissimi fructus eius. [15] Preciosior est cunctis opibus sapientia: et omnia que desiderantur· huic non valent comparari. [16] longitudo dierum in dextera eius: et in sinistra illius diuitie et gloria· [17] vie eius vie pulcre: et omnes semite eius pacifice. [18] lignum vite est hijs qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam beati. [19] Dominus sapientia fundauit terram: stabiliuit celos prudentia. [20] Sapientia illius eruperunt abissi: et nubes rore concrescunt. [21] Fili mi ne effluant hec ab oculis tuis. Custodi legem meam atque consilium meum: [22] et erit vita anime tue: et gracia faucibus tuis. [23] Tunc ambulabis fiducialiter in via tua: et pes tuus non impinget. [24] Si dormieris non timebis: quiesces· et suauis erit somnus tuus. [25] Ne paueas repentino terrore· et irruentes tibi potentias impiorum. [26] Dominus enim erit in latere tuo: et custodiet pedem tuum ne capiaris. [27] Noli prohibere benefacere eum qui potest: si vales et ipse bene fac. [28] Ne dicas amico tuo. Vade et reuertere et cras dabo tibi: cum statim possis dare. [29] Ne moliaris amico tuo malum: cum ille in te habeat fiduciam. [30] Non

contendas aduersus hominem frustra: cum ipse tibi nichil mali fecerit. [31] Ne emuleris hominem iniustum nec imiteris vias eius: [32] quia abhominacio est domini· omnis illusor: et cum simplicibus sermocinatio eius. [33] Egestas a domino in domo impij: habitacula autem iustorum benedicentur. [34] Ipse deludet illusores: et mansuetis dabit graciam. [35] Gloriam sapientes possidebunt: exultacio ignominia.

4 Audite filij disciplinam patris: et attendite vt sciatis prudentiam. [2] Donum bonum tribuam vobis: legem meam ne derelinquatis. [3] Nam et ego filius fui patris mei· tenellus et vnigenitus coram matre mea: [4] et docebat me atque dicebat. Suscipiat verba mea cor tuum: custodi precepta mea et viues. [5] Posside sapientiam: posside prudentiam. Ne obliuiscaris: neque declines a verbis oris mei. [6] Ne dimittas eam et custodiet te: dilige et conseruabit te. [7] Principium sapientie posside sapientiam et in omni possessione tua acquire prudentiam. [8] Arripe illam exaltabit te: glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus. [9] Dabit capiti tuo augmenta graciarum: et corona inclita proteget te. [10] Audi fili mi et suscipe verba mea: vt multiplicentur tibi anni vite. [11] Viam sapientie monstrabo tibi· et ducam te per semitas equitatis: [12] quas cum ingressus suis non artabuntur gressus tui: et currens non habebis offendiculum. [13] Tene disciplinam: ne dimittas eam. Custodi illam: quia illa est vita tua. [14] Ne delecteris in semitis impiorum: nec tibi placeat malorum via. [15] Fuge ab ea nec transeas per illam: declina et desere eam. [16] Non enim dormiunt nisi cum male fecerint: et non capitur somnus ab eis nisi supplantauerit [17] Comedunt panem impietatis: et vinum iniquitatis bibunt. [18] Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit: et crescit vsque ad perfectam diem. [19] Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant. [20] Fili mi ausculta sermones meos: et ad eloquia mea inclina aurem tuam. [21] Ne recedant ab oculis tuis: custodi ea in medio cordis tui. [22] Vita enim sunt inuenientibus ea: et vniuerse carni sanitas. [23] Omni custodia serua cor tuum: quia ex ipso vita procedit. [24] Remoue a te os prauum: et detrahentia labia sint procul a te. [25] Oculi tui recta videant: et palpebre tue precedant gressus tuos. [26] Dirige semitas pedibus tuis: et omnes vie tue stabilientur. [27] Ne declines ad dexteram neque ad sinistram. Auerte pedem tuum a malo. Vias enim que a dexteris sunt nouit dominus: peruerse vero sunt que sunt a sinistris. Ipse enim rectos faciet gressus tuos. Itinera autem tua in pace producet

5 Fili mi attende sapientiam meam et prudentie mee inclina aurem tuam: [2] vt custodias cogitationes: et disciplinam labia tua conseruent. Ne intenderis fallacie mulieris. [3] Fauus enim distillans labia meretricis: et nitidius oleo guttur eius. [4] Nouissima autem illius amara quasi absinthium: et lingua eius acuta quasi gladius biceps. [5] Pedes eius descendunt in mortem: et ad inferos gressus eius penetrant. [6] Per semiram tam vite non ambulant: vagi sunt gressus eius et inuestigabiles. [7] Nunc ergo fili mi audi me: et ne recedas a verbis oris mei. [8] Longe fac ab ea viam tuam: et ne appropinques foribus domus eius. [9] Ne des alienis honorem tuum: et annos tuos crudeli. [10] Ne forte impleantur extranei viribus tuis et labores tui sint in domo aliena· [11] et gemas in nouissimis quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum: et dicas. [12] Cur detestatus sum disciplinam: et increpationibus non acquieuit cor meum. [13] Nec audiui vocem docentium me: et magistris non inclinaui aurem meam. [14] Pene fui in omni malo: in medio ecclesie et sinagoge. [15] Bibe aquam de cisterna tua: et fluenta putei tui. [16] Deriuentur fontes tui foras: et in plateis aquas tuas diuide. [17] Habeto eas solus: nec sint alieni participes tui. [18] Sit vena tua benedicta: et letare cum muliere adolescentie tue. [19] Cerua karissima: et gratissimus hinnulus. Vbera eius inebrient te omni tempore: in amore eius delectare iugiter. [20] Quare seduceris fili mi ab aliena: et foueris in sinu alterius? [21] Respicit dominus viam hominis: et omnes gressus eius considerat. [22] Iniquitates sue capiunt impium: et funibus peccatorum suorum constringitur. [23] Ipse morietur quia non habuit disciplinam: et in multitudine stulticie sue decipietur.

6 Fili mi si spoponderis pro amico tuo: defixisti apud extraneum animam tuam. [2] Illaqueatus es verbis oris tui: et captus proprijs sermonibus. [3] Fac ergo quod dico fili mi et temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre festina: suscita amicum tuum. [4] Ne dederis somnum oculis tuis: nec dormitent palpebre tue. [5] Eruere quasi dammula de manu: et quasi auis de insidijs aucupis. [6] Vade ad formicam o piger· et considera vias eius: et disce sapientiam. [7] Que cum non habeat ducem nec preceptorem nec principem [8] parat in estate cibum sibi: et congregat in messe quod comedat. [9] Vsquequo piger dormies? Quando consurges e somno tuo? [10] paululum dormies paululum dormitabis: paululum conseres manus tuas vt dormias· [11] et veniet tibi quasi viator egestas: et pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris: veniet vt fons messis tua: et gestas longe fugiet a te. [12] Homo apostata vir inutilis graditur ore peruerso: [13] annuit oculis· terit pedem digito loquitur· [14] prauo corde machinatur malum: et omni tempore iurgia seminat. [15] Huic extimplo veniet perditio sua et subito conteretur: nec habebit vltra medicinam. [16] Sex sunt que odit dominus: et septimum detestatur anima eius. [17] Oculos sublimes· linguam mendacem· manus effundentes innoxium sanguinem: [18] cor machinans cogitaciones pessimas· pedes veloces ad currendum in malum· [19] proferentem mendacia· testem fallacem: et eum qui seminat inter fratres discordias. [20] Conserua fili mi precepta patris tui et ne dimittas legem matris tue: [21] liga eam in corde tuo iugiter: et cir gutturi tuo. [22] Cum ambulaueris gradiantur tecum: cum dormieris custodiant te: et euigilans loquere cum eis. [23] Quia mandatum lucerna est et lex lux: et via vite increpatio discipline: [24] vt custodiant te a muliere mala: et a blanda lingua extranee. [25] Non concupiscat pulcritudinem eius cor tuum ne capiaris nutibus illius. [26] Precium enim scorti vix est vnius panis: mulier autem· viri preciosam animam capit. [27] Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo vt vestimenta illius non ardeant: [28] aut ambulare super prunas· vt non comburantur plante eius? [29] Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui: non erit mundus cum tetigerit eam. [30] Non grandis est culpa cum quis furatus fuerit. Furatur enim: vt esurientem impleat animam. [31] Deprehensus quoque reddet septuplum: et omnem substanciam domus sue tradet: et liberabit se. [32] Qui autem adulter est: propter cordis inopiam perdet animam suam. [33] Turpitudinem et ignominiam congregat sibi: et opprobrium illius non delebitur. [34] Quia zelus et furor viri non parcet in die vindicte: [35] nec acquiescet cuiusquam precibus: nec suscipiet pro redempcione dona plurima.

7 Fili mi custodi sermones meos: et precepta mea reconde tibi. Fili honora dominum et valebis: preter eum vero timueris alienum. [2] Serua mandata mea et viues: et legem meam quasi pupillam oculi tui. [3] Liga eam in digitis tuis: scribe illam in tabulis cordis tui. [4] Dic sapientie soror mea es: et prudentiam voca amicam tuam. [5] Vt custodiat te a muliere extranea et ab aliena: que verba sua dulcia facit. [6] De fenestra enim domus mee per cancellos prospexi iuuenem [7] et video paruulos. Considero vecordem iuuenem [8] qui transit per plateas iuxta angulum: et prope viam domus illius graditur· [9] in obscuro aduesperascente die: in noctis tenebris et caligine. [10] Et ecce occurrit illi mulier in ornatu meretricio: preparata ad decipiendas animas. Garrula et vaga [11] quietis impaciens: nec valens in domo consistere pedibus suis. [12] Nunc foris nunc in plateis: nunc iuxta angulos insidians. [13] Apprehensumque deosculatur iuuenem et procaci vultu blanditur dicens. [14] Victimas pro salute deuoui: hodie reddidi vota mea. [15] Idcirco egressa sum in occursum tuum desiderans te videre· et reperi. [16] Intexui funibus lectulum meum: straui tapetibus pictis ex egipto: [17] aspersi cubile meum mirra et aloe et cinamomo. [18] Veni inebriemur vberibus: et fruamur cupitis amplexibus donec illucescat dies. [19] Non est enim vir in domo sua: abijt via longissima. [20] Sacculum pecunie secum tulit: in die plene lune reuersurus est in domum suam. [21] Irretiuit eum multis sermonibus: et blanditijs labiorum protraxit illum. [22] Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam et quasi agnus lasciuiens et ignorans: et nescit quod ad vincula stultus trahatur: [23] donec transfigat sagitta iecur eius. Velud si auis festinet ad laqueum: et nescit quod de periculo anime illius agitur. [24] Nunc ergo fili mi audi me: et attende verbis oris mei. [25] Ne abstrahatur in vijs illius mens tua: neque decipiaris semitis eius. [26] Multos enim vulneratos deiecit: et fortissimi

quique interfecti sunt ab ea. [27] Vie inferi domus eius: penetrantes interiora mortis.

8 Nunquid non sapientia clamitat: prudentia dat vocem suam? [2] In summis excelsisque verticibus· supra viam in medijs semitis stans: [3] iuxta portas ciuitatis· in ipsis foribus loquitur dicens. [4] O viri ad vos clamito: et vox mea ad filios hominum. [5] Intelligite paruuli astutiam: et insipientes animaduertite. [6] Audite quoniam de rebus magnis locutura sum: et aperientur labia mea vt recta predicent. [7] Veritatem meditabitur guttur meum: et labia mea detestabuntur impium. [8] Iusti sunt omnes sermones mei: non est in eis prauum quid neque peruersum. [9] Recti sunt intelligentibus: et equi inuenientibus scienciam. [10] Accipite disciplinam meam et non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligite. [11] Melior est enim sapientia cunctis opibus preciosissimis: et omne desiderabile ei non potest comparari. [12] Ego sapientia habito in consilio: et eruditis intersum cogitationibus. [13] Timor domini odit malum: arroganciam et superbiam et viam prauam et os bilingue detestor. [14] Meum est consilium et equitas. Mea est prudentia: mea est fortitudo. [15] Per me reges regnant: et legum conditores iusta decernunt. [16] Per me principes imperant: et potentes decernunt iusticiam. [17] Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilauerint ad me inuenient me. [18] Mecum sunt diuicie et gloria: opes superbe et iusticia. [19] Melior est fructus meus auro et lapide precioso: et genimina mea argento electo. [20] In vijs iusticie ambulo· in medio semitarum iudicij: [21] vt ditem diligentes me: et thesauros eorum repleam. [22] Dominus possedit me in inicio viarum suarum· antequam quicquam faceret a principio: [23] ab eterno ordinata sum et ex antiquis: antequam terra fieret. [24] Nondum erant abissi: et ego iam concepta eram. Neccdum fontes aquarum eruperant: [25] necdum montes graui mole constiterant. Ante omnes colles ego parturiebar. [26] Adhuc terram non fecerat: et flumina et cardines orbis terre. [27] Quando preparabat celos aderam: quando certa lege et giro vallabat abissos. [28] Quando ethera firmabat sursum: et librabat fontes aquarum. [29] Quando circundabat mari terminum suum: et legem ponebat aquis· ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terre: [30] cum eo eram cuncta componens. Et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore: et [31] ludens in orbem terrarum: et delicie mee esse cum filijs hominum. [32] Nunc ergo filij audite me. Beati qui custodiunt vias meas. [33] Audite disciplinam et estote sapientes: et nolite abicere eam. [34] Beatus homo qui audit me: et qui vigilat ad fores meas quotidie: et obseruat ad postes hostij mei. [35] Qui me inuenerit inueniet vitam: et hauriet salutem a domino. [36] Qui autem in me peccauerit: ledet animam suam. Omnes qui me oderunt diligunt mortem.

9 Sapientia edificauit sibi domum: excidit columnas septem. [2] Immolauit victimas suas: miscuit vinum: et proposuit mensam suam. [3] Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem: et ad menia ciuitatis. [4] Si quis est paruulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est. [5] Venite comedite panem meum: et bibite vinum quod miscui vobis. [6] Relinquite infantiam et viuite: et ambulate per vias prudentie. [7] Qui erudit derisorem ipse iniuriam sibi facit: et qui arguit impium sibi maculam generat. [8] Noli arguere derisorem: ne oderit te. Argue sapientem: et diliget te. [9] Da sapienti occasionem: et addetur ei sapientia. Doce iustum: et festinabit accipere. [10] Principium sapientie timor domini: et scientia sanctorum prudentia. [11] Per me enim multiplicabuntur dies tui: et addentur tibi anni vite. [12] Si sapiens fueris tibimetipsi eris: si autem illusor: solus portabis malum. [13] Mulier stulta et clamosa· plenaque illecebris et nichil omnino sciens· [14] sedet in foribus domus sue super sellam· in excelso vrbis loco: [15] vt vocaret transeuntes per viam: et pergentes itinere suo. [16] Quis est paruulus? declinet ad me. Et vecordi locuta est. [17] Aque furtiue dulciores sunt: et panis absconditus suauior. [18] Et ignorauit quod ibi sint gigantes: et in profundis inferni conuiue eius. Qui enim applicabitur illi descendet ad inferos: nam qui abscesserit ab ea saluabitur.

10 Filius sapiens letificat patrem: filius vero stultus mesticia est matris sue. [2] Nil proderunt thesauri impietatis: iusticia vero liberabit a morte. [3] Non affliget dominus fame animam iusti: et insidias impiorum subuertet. [4] Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuicias parat. Qui nititur mendacijs hic pascit ventos· idem autem ipse sequitur aues volantes. [5] Qui congregat in messe filius sapiens est: qui autem stertit estate· filius confusionis. [6] Benedictio domini super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitatem. [7] Memoria iusti cum laudibus et nomen impiorum putrescet. [8] Sapiens corde precepta suscipiet: stultus ceditur labijs. [9] Qui ambulat simpliciter ambulat confidenter: qui autem deprauat vias suas manifestus erit. [10] Qui annuit oculo dabit dolorem: et stultus labijs verberabitur. [11] Vena vite os iusti: et os impiorum operit iniquitatem. [12] Odium suscitat rixas: et vniuersa delicta operit caritas. [13] In labijs sapientis inuenitur sapientia: et virga in dorso eius qui indiget corde. [14] Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est. [15] Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius: pauor pauperum egestas eorum. [16] Opus iusti ad vitam: fructus autem impij ad peccatum. [17] Via vite custodienti disciplinam: qui autem increpaciones relinquit errat. [18] Abscondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam insipiens est. [19] In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua prudentissimus est. [20] Argentum electum lingua iusti: cor autem impiorum pro nichilo. [21] Labia iusti erudiunt plurimos· qui autem indocti sunt in cordis egestate morientur. [22] Benedictio domini diuites facit: nec sociabitur eis afflictio. [23] Quasi per risum stultus operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia. [24] Quod timet impius veniet super eum: desiderium suum iustis dabitur. [25] Quasi tempestas transiens non erit impius: iustus autem quasi fundamentum sempiternum. [26] Sicut acetum dentibus et fumus oculis: sic piger hijs qui miserunt eum. [27] Timor domini apponet dies: et anni impiorum breuiabuntur. [28] Expectacio iustorum leticia: spes autem impiorum peribit. [29] Fortitudo simplicis via domini: et pauor hijs qui operantur malum. [30] Iustus in eternum non commouebitur: impij autem non· habitabunt super terram. [31] Os iusti parturiet sapientiam: lingua prauorum peribit. [32] labia iusti considerant placita: et os impiorum peruersa.

11 Statera Statera dolosa abhominacio est apud deum: et pondus equum voluntas eius. [2] Vbi fuerit superbia ibi eit et contumelia: vbi autem est humilitas ibi et sapientia. [3] Simplicitas iustorum diriget eos et supplantacio peruersorum vastabit illos. [4] Non proderunt diuicie in die vlcionis: iusticia autem liberabit a morte. [5] Iusticia simplicis diriget viam eius: et in impietate sua corruet impius. [6] Iusticia rectorum liberabit eos: et in insidijs suis capientur iniqui. [7] Mortuo homine impio nulla erit vltra spes: et expectacio sollicitorum peribit. [8] Iustus de angustia liberatus est: et tradetur impius pro eo. [9] Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberabuntur sciencia. [10] In bonis iustorum exaltabitur ciuitas: et in perdicione impiorum erit laudatio. [11] Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas: et ore impiorum subuertetur. [12] Qui despicit amicum suum indigens corde est: vir autem prudens tacebit. [13] Qui ambulat fraudulenter reuelat archana· qui autem fidelis est celat amici commissum. [14] Vbi non est gubernator populus corruet: salus autem vbi multa consilia. [15] Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos securus erit. [16] Mulier graciosa inueniet gloriam: et robusti habebunt diuicias. [17] Benefacit anime sue vir misericors: qui autem crudelis est et propinquos abicit. [18] Impius facit opus instabile: seminanti autem iusticiam· merces fidelis. [19] Clementia preparat vitam: et sectatio malorum mortem. [20] Abhominabile domino cor prauum: et voluntas eius in hijs qui simpliciter ambulant. [21] Manus in manu non erit innocens malus: semen autem iustorum saluabitur. [22] Circulus aureus in naribus suis: mulier pulcra et fatua. [23] Desiderium iustorum omne bonum est: prestolatio impiorum furor. [24] Alij diuidunt propria et diciores fiunt: alij rapiunt non sua et semper in egestate sunt. [25] Anima que benedicit impinguabitur: et qui inebriat ipse quoque inebriabitur. [26] Qui abscondit frumenta maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. [27] Bene consurgit diluculo qui querit bona: qui autem inuestigator malorum est opprimetur ab eis. [28] Qui confidit in diuicijs suis corruet: iusti autem quasi virens folium germinabunt. [29] Qui conturbat domum suam possidebit ventos: et qui stultus est seruiet

sapienti. 30 Fructus iusti lingnum vite: et qui suscipit animas sapiens est. 31 Si iustus in terra recipit: quantomagis impius et peccator.

12 Qui diligit disciplinam diligit scientiam: qui autem odit increpaciones insipiens est. 2 Qui bonus est hauriet sibi graciam a domino: qui autem confidit in cogitacionibus suis impie agit. 3 Non roborabitur homo ex impietate: et radix iustorum non commouebitur. 4 Mulier diligens corona est viro suo: et putredo in ossibus eius que confusione res dignas gerit. 5 Cogitationes iustorum iudicia: et consilia impiorum fraudulenta. 6 Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos. 7 Verte impios et non erunt: domus autem iustorum permanebit. 8 Doctrina sua noscitur vir: qui autem vanus et excors est patebit contemptui. 9 Melior est pauper et sufficiens sibi: quam gloriosus et indigens pane. 10 Nouit iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia. 11 Qui operatur terram suam saciabitur panibus: qui autem sectatur ocium stultissimus est. Qui suauis est in vini moderationibus: in suis monicionibus relinquit contumeliam. 12 Desiderium impij monimentum est pessimorum· radix autem iustorum proficiet. 13 Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia. 14 De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis: et iuxta opera manuum suarum retribuetur ei. 15 Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est audit consilia. 16 Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam callidus est. 17 Qui quod nouit loquitur index iusticie est· qui autem mentitur testis est fraudulentus. 18 Est qui promittit et quasi gladio pungitur consciencie: lingua autem sapientium sanitas. 19 Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus concinnat linguam mendacij. 20 Dolos in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia· sequitur eos gaudium. 21 Non contristabit iustum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo. 22 Abhominacio est domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt placent ei. 23 Homo versutus celat scientiam: et cor insipientium prouocat stulticias. 24 Manus fortium dominabitur: que autem remissa est tributis seruiet. 25 Meror in corde viri humiliabit illum: et sermone bono letificabitur. 26 Qui negligit damnum propter amicum iustus est: iter autem impiorum decipiet eos. 27 Non inueniet fraudulentus lucrum: et substancia hominis erit auri precium. 28 In semita iusticie vita· iter autem deuium ducit ad mortem.

13 Filius sapiens doctrina patris: qui autem illusor est non audit cum arguitur. 2 De fructu oris sui homo saciabitur bonis: anima autem impiorum iniqua. 3 Qui custodit os suum custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala. 4 Vult et non vult piger: anima autem operantium impinguabitur. 5 Verbum mendax iustus detestabitur: impius autem confundit et confundetur. 6 Iusticia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorem supplantat. 7 Est quasi diues cum nichil habeat: et est quasi pauper cum in multis diuitijs sit. 8 Redemptio anime viri diuitie sue: qui autem pauper est increpationem non sustinet. 9 Lux iustorum letificat: lucerna autem impiorum extinguetur. 10 Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio· reguntur sapientia. 11 Substancia festinata minuetur: que autem paulatim colligitur manu· multiplicabitur. 12 Spes que differtur affligit animam: lignum vite desiderium veniens. 13 Qui detrahit alicui rei· ipse se in futurum obligat: qui autem timet preceptum in pace versabitur. Anime dolose errant in peccatis· iusti autem misericordes sunt et miserantur. 14 Lex sapientis fons vite: vt declinet a ruina mortis. 15 Doctrina bona dabit graciam: in itinere contemptorum vorago. 16 Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est aperit stulticiam. 17 Nuncius impij cadet in malum: legatus fidelis sanitas. 18 Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit arguenti glorificabitur. 19 Desiderium si compleatur delectat animam: detestantur stulti eos qui fugiunt mala. 20 Qui cum sapientibus graditur sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur. 21 Peccatores persequitur malum: et iustis retribuentur bona. 22 Bonus relinquit heredes filios et nepotes: et custoditur iusto substancia peccatoris. 23 Multi cibi in noualibus patrum: et alijs congregantur absque iudicio. 24 Qui parcit virge odit filium suum: qui autem diligit illum instanter erudit. 25 Iustus comedit et replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.

14 Sapiens mulier edificat domum suam: insipiens extructam quoque manibus destruet. 2 Ambulans recto itinere et timens deum: despicitur ab eo qui in fami graditur via. 3 In ore stulti virga superbie: labia autem sapientium custodiunt eos. 4 Vbi non sunt boues presepe vacuum est: vbi autem apparent plurime segetes ibi manifesta est fortitudo bouis. 5 Testis fidelis non mentietur· profert autem mendacium dolosus testis. 6 Querit derisor sapientiam et non inuenit: doctrina prudentium facilis. 7 Vade contra virum stultum: et nescito labia imprudentie. 8 Sapientia callidi est intelligere viam suam: et prudentia stultorum errans. 9 Stultus illudet peccatum· et inter iustos morabitur gracia. 10 Cor quod nouit amaritudinem anime sue: in gaudio eius non miscebitur extraneus. 11 Domus impiorum delebitur: tabernacula iustorum germinabunt. 12 Est via que videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem. 13 Risus dolore miscebitur: et extrema gaudij luctus occupat. 14 Vijs suis replebitur stultus: et super eum erit vir bonus. 15 Innocens credit omni verbo: astutus considerat gressus suos. Filio doloso nichil erit boni· seruo autem sapienti prosperi erit actus· et dirigetur via eius. 16 Sapiens timet et declinat a malo: stultus transilit et confidit. 17 Impatiens operabitur stulticiam: et vir versutus odiosus est. 18 Possidebunt paruuli stulticiam: et expectabunt astuti scientiam. 19 Iacebunt mali ante bonos: et impij ante portas iustorum. 20 Eciam proximo suo pauper odiosus est: amici vero diuitum multi. 21 Qui despicit proximum suum peccat: qui autem miseretur pauperi beatus erit. Qui credit in domino misericordiam diligit: 22 errant qui operantur malum. Misericordia et veritas preparant bona. 23 In omni opere bono erit abundantia: vbi autem verba sunt plurima ibi frequenter egestas. 24 Corona sapientium diuitie eorum: fatuitas stultorum imprudentia. 25 Liberat animas testis fidelis: et profert mendacia versipellis. 26 In timore domini fiducia fortitudinis: et filijs eius erit spes. 27 Timor domini fons vite: vt declinet a ruina mortis. 28 In multitudine populi dignitas regis: et in paucitate plebis ignominia principis. 29 Qui patiens est multa gubernatur sapientia: qui autem impatiens est exaltat stulticiam suam. 30 Vita carnium sanitas cordis: putredo ossium inuidia. 31 Qui calumniatur egentem exprobrat factori eius: honorat autem eum qui miseretur pauperis. 32 In malicia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte sua. 33 In corde prudentis requiescit sapientia: et indoctos quosque erudiet. 34 Iusticia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum 35 Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit.

15 Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. 2 Lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stulticiam. 3 In omni loco oculi domini contemplantur bonos et malos. 4 Lingua placabilis lingnum vite: que autem immoderata est conteret spiritum. 5 Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpaciones astutior astutior fiet. In abundanti iusticia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur. 6 Domus iusti plurima fortitudo: et in fructibus impij conturbatio. 7 Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. 8 Victime impiorum abhominabiles domino: vota iustorum placabilia. 9 Abhominacio est domino via impij: qui sequitur iusticiam diligitur ab eo. 10 Doctrina mala deserentium viam vite· qui increpationes odit morietur. 11 Infernus et perditio coram domino: quantomagis corda filiorum hominum? 12 Non amat pestilens eum qui se corripit nec ad sapientes graditur. 13 Cor gaudens exhilarat faciem: in merore animi deicitur spiritus. 14 Cor sapientis queret doctrinam: et os stultorum pascitur imperitia. 15 Omnes dies pauperis mali: secura mens quasi iuge conuiuium. 16 Melius est parum cum timore domini: quam thesauri magni et insaciabiles. 17 Melius est vocari ad olera cum caritate: quam ad vitulum saginatum cum odio. 18 Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est mitigat suscitatas. 19 Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via iustorum absque offendiculo. 20 Filius sapiens letificat patrem: et stultus homo despicit matrem suam. 21 Stulticia gaudium

stulto: et vir prudens dirigit gressus suos. [22] Dissipantur cogitaciones vbi non est consilium: vbi vero sunt plures consiliarij confirmantur. [23] Letatur homo in sentencia oris sui: et sermo oportunus est optimus. [24] Semita vite super eruditum: vt declinet de inferno nouissimo. [25] Domum superborum demolietur dominus: et firmos faciet terminos vidue. [26] Abhominacio domini cogitaciones male: et purus sermo pulcerrimus firmabitur ab eo. [27] Conturbat domum suam qui sectatur auariciam: qui autem odit munera viuet. Per misericordiam et fidem purgantur peccata: per timorem autem domini declinat omnis a malo. [28] Mens iusti meditabitur obedientiam· os impiorum redundat malis. [29] longe est dominus ab impijs: et oraciones iustorum exaudiet. [30] Lux oculorum letificat animam: fama bona impinguat ossa. [31] Auris que audit increpationes vite: in medio sapientium commorabitur. [32] Qui abicit disciplinam despicit animam suam: qui autem acquiescit increpacionibus· possessor est cordis. [33] Timor domini disciplina sapientie: et gloriam precedit humilitas.

16 Hominis est animam preparare: et domini gubernare linguam. [2] Omnes vie hominum patent oculis eius: spirituum ponderator est dominus. [3] Reuela domino opera tua: et dirigentur cogitaciones tue. [4] Vniuersa propter semetipsum operatus est dominus: impium quoque ad diem malum. [5] Abhominacio domini est omnis arrogans· eciam si manus ad manum fuerit non est innocens. Inicium vie bone facere iusticiam: accepta est apud deum magis quam immolare hostias. [6] Misericordia et veritate redimitur iniquitas: et in timore domini declinatur a malo. [7] Cum placuerint domino vie hominis: inimicos quoque eius conuertet ad pacem. [8] Melius est parum cum iusticia: quam multi fructus cum iniquitate. [9] Cor hominis disponit viam suam: sed domini est dirigere gressus eius. [10] tio in labijs regis: in iudicio non errabit os eius. [11] Pondus et statera iudicia domini sunt: et opera eius omnes lapides seculi. [12] Abhominabiles regi qui agunt impie: quoniam iusticia firmatur solium. [13] Voluntas regum labia iusta: qui recta loquitur dirigetur. [14] Indignatio regis nuncij mortis: et vir sapiens placabit eum. [15] In hilaritate vultus regis vita: et clementia eius quasi imber serotinus. [16] Posside sapientiam quia auro melior est: et acquire prudentiam quia preciosior est argento. [17] Semita iustorum declinat mala: custos anime sue seruat vitam suam. [18] Contritionem precedit superbia: et ante ruinam exaltabitur spiritus. [19] Melius est humiliari cum mitibus: quam diuidere spolia cum superbis. [20] Eruditus in verbo reperiet bona: et qui sperat in domino beatus est. [21] Qui sapiens est corde· appellabitur prudens: et qui dulcis eloquio maiora reperiet. [22] Fons vite eruditio possidentis: doctrina stultorum fatuitas. [23] Cor sapientis erudiet os eius: et labijs eius addet graciam. [24] mellis composita verba: dulcedo anime sanitas ossium. [25] Est via que videtur homini recta: et nouissima eius ducunt ad mortem. [26] Anima laborantis laborat sibi: quia compulit eum os suum. [27] Vir insipiens fodit malum: et in labijs eius ignis ardescit. [28] Homo peruersus suscitat lites: et verbosus separat principes. [29] Vir iniquus lactat amicum suum: et ducit eum per viam non bonam. [30] Qui attonitis oculis cogitat praua: mordens labia sua perficiet malum. [31] Corona dignitatis senectus: que in vijs iusticie reperietur. [32] Melior est patiens viro forti: et qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. [33] Sortes mittuntur in sinum sed a domino temprantur.

17 Melior est bucella sicca cum gaudio: quam domus plena victimis cum iurgio. o. [2] Seruus sapiens dominabitur stultis filijs: et inter fratres hereditatem diuidet. [3] Sicud igne probatur argentum et aurum camino: ita corda probat dominus. [4] Malus obedit lingue inique: et fallax obtemperat labijs mendacibus. [5] Qui despicit pauperem exprobrat factori eius: et qui in ruina letatur alterius non erit impunitus. [6] Corona semini filij filiorum: et gloria filiorum patres eorum. [7] Non decent stultum verba composita: nec principem labium mentiens. [8] Gemma gratissima expectacio prestolantis: quocumque se vertit prudenter intelligit. [9] Qui celat delictum querit amicicias: qui altero sermone repetit separat federatos. [10] Plus proficit correctio apud prudentem: quam centum plage apud stultum. [11] Semper iurgia querit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum. [12] Expedit magis vrse occurrere raptis feribus: quam fatuo confidenti sibi in stulticia sua. [13] Qui reddit mala pro bonis: non recedet malum de domo eius. [14] Qui dimittit aquam caput est iurgiorum: et antequam patiatur contumeliam iudicium deserit. [15] Et qui iustificat impium et qui condemnat iustum: abhominabilis est vterque apud deum. [16] Quid prodest stulto habere diuicias: cum sapientiam emere non possit? Qui altam facit domum suam querit ruinam: et qui euitat discere incidet in malum. [17] Omni tempore diligit qui amicus est: et frater in angustijs comprobatur. [18] Stultus homo plaudet manibus suis: cum spoponderit pro amico suo. [19] Qui meditatur discordias diligit rixas: et qui exaltat os suum querit ruinam. [20] Qui peruersi cordis est non inuenit bonum: et qui vertit linguam incidet in malum. [21] Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo letabitur. [22] Animus gaudens etatem floridam facit: spiritus tristis exiccat ossa. [23] Munera de sinu impius accipit: vt peruertat semitas iudicij. [24] In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terre. [25] Ira patris filius stultus: et dolor matris que genuit eum. [26] Non est bonum damnum inferre iusto: nec percutere principem qui recta iudicat. [27] Qui moderatur sermones suos doctus et prudens est: et preciosi spiritus vir eruditus. [28] Stultus quoque si tacueit sapiens reputabitur: et si compresseit labia sua intelligens.

18 Occasiones querit qui vult recedere ab amico· omni tpe erit exprobrabilis. [2] Non recipit stultus verba prudentie: nisi ea dixeris que versantur in corde eius. [3] Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit· sed sequitur eum ignominia et opprobrium. [4] Aqua profunda ex ore viri: et torrens redundans fons sapientie. [5] Accipere personam impij in iudicio non est bonum: vt declines a veritate iudicij. [6] Labia stulti miscent se rixis: et os eius iurgia prouocat. [7] Os stulti contritio eius: et labia ipsius ruina anime eius. [8] Verba bilinguis quasi simplicia: et ipsa peruenium vsque ad interiora ventris. Pigrum deicit timor· anime autem effeminatorum esurient. [9] Qui mollis et dissolutus est in opere suo: frater est sua opera dissipatis. [10] Turris fortissima nomen domini· ad ipsam currit iustus et exaltabitur. [11] Substancia diuitis vrbs roboris eius: et quasi murus validus circumdans eum. [12] Antequam conteratur exaltatur cor hominis: et antequam glorificetur humiliatur. [13] Qui prius respondet quam audiat stultum se esse demonstrat: et confusione dignum. [14] Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam: spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere? [15] Cor prudentis possidebit scientiam: et auris sapientium querit doctrinam. [16] Donum hominis dilatat viam eius: et ante principes spacium ei facit. [17] Iustus prior est accusator sui: venit amicus eius et inuestigabit eum. [18] Contradictiones comprimit sors: et inter potentes quoque diiudicat. [19] Frater qui adiuuatur a fratre quasi ciuitas firma: et iudicia quasi vectes vrbium. [20] De fructu oris viri replebitur venter eius: et genimina labiorum ipsius saturabunt eum. [21] Mors et vita in manibus lingue: qui diligunt eam comedent fructus eius. [22] Qui inuenit mulierem bonam inuenit bonum: et hauriet iocunditatem a domino. Qui expellit mulierem bonam expellit bonum: qui autem tenet adulteram stultus est et insipiens. [23] Cum obsecracionibus loquitur pauper: et diues effabitur rigide. [24] Vir amicabilis ad societatem: magis amicus erit quam frater.

19 Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua: quam diues torquens labia sua et insipiens. [2] Vbi non est scientia anime non est bouum: et qui festinus est pedibus offendet. [3] Stulticia hominis supplantat gressus eius: et contra deum feruet animo suo. [4] Diuitie addunt amicos plurimos: paupere autem et hij quos habuit separantur. [5] Testis falsus non erit impunitus: et qui mendacia loquitur non effugiet. [6] Multi colunt personam potentis: et amici sunt dona tribuentis. [7] Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper et amici procul recesserunt ab eo. Qui tantum verba sectatur nichil habebit: [8] qui autem possessor est mentis diligit animam suam: et custos prudentie inueniet bona. [9] Falsus testis non erit impunitus: et qui loquitur mendacia peribit. [10] Non decent stultum diuitie: nec seruum dominari principibus. [11] Doctrina viri per pacientiam noscitur: et gloria eius est iniqua

pretergredi. 12 Sicut fremitus leonis ita et regis ira: et sicut ros super herbam ita et hilaritas eius. 13 Dolor patris filius stultus: et tecta iugiter perstillantia litigiosa mulier. 14 Domus et diuicie dantur a parentibus: a domino autem proprie vxor prudens. 15 Pigredo immittit soporem: et anima dissoluta esuriet. 16 Qui custodit mandatum custodit animam suam: qui autem negligit viam suam mortificabitur. 17 Fenerator domino qui miseretur pauperis: et vicissitudinem suam reddet ei. 18 Erudi filium tuum ne desperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam. 19 Qui eni impatiens est sustinebit damnum: et cum rapuerit· aliud apponet. 20 Audi consilium et suscipe disciplinam: vt sis sapiens in nouissimis tuis. 21 Multe cogitationes in corde viri: voluntas autem domini permanebit. 22 Homo indigens misericors est: et melior est pauper iustus quam vir mendax. 23 Timor domini ad vitam: et in plenitudine commorabitur absque visitatione pessimi. 24 Abscondit piger manum suam sub ascella: nec ad os suum applicat eam. 25 Pestilente flagellato stultus sapientior erit: si autem corripueris sapientem intelliget sapientiam. 26 Qui affligit patrem et fugit matrem: ignominiosus erit et infelix. 27 Non cesses audire fili doctrinam: nec ignores sermones scientie. 28 Testis iniquus deridet iudicium: et os impiorum deuorat iniquitatem. 29 Parata sunt derisoribus iudicia: et mallei percutientes stultorum corporibus.

20 Luxuriosa res vinum: et tumultuosa ebrietas. Quicumque hijs delectatur non erit sapiens. 2 Sicut rugitus leonis ita et terror regis: qui prouocat eum peccat in animam suam. 3 Honor est homini qui separat se a contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumelijs. 4 Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo estate et non dabitur illi. 5 Sicut aqua profunda sic consilium in corde viri: sed homo sapiens exhauriet illud. 6 Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet? 7 Iustus qui ambulat in simplicitate sua: beatos post se filios relinquit. 8 Rex qui sedet in solio iudicij: dissipat omne malum in intuitu suo. 9 Quis potest dicere mundum est cor meum: purus sum a peccato? 10 Pondus et pondus· mensura et mensura: vtrumque abhominabile est apud deum. 11 Ex studijs suis intelligitur puer: si munda et recta sint opera eius. 12 Aurem audientem et oculum videntem: dominus fecit vtrumque. 13 Noli diligere somnum: ne te egestas opprimat· aperi oculos tuos: et saturare panibus. 14 Malum est malum est· dicit omnis emptor: et cum recesserit tunc gloriabitur. 15 Est aurum et multitudo geminarum: vas autem preciosum labia scientie. 16 Tolle vestimentum eius qui fideiussor extitit alieni: et pro extraneis aufer pignus ab eo. 17 Suauis est homini panis mendacij: et postea implebitur os eius calculo. 18 Cogitationes consilijs roborantur: et gubernaculis tractanda sunt bella. 19 Ei qui reuelat misteria· et ambulat fraudulenter et dilatat labia sua: ne commiscearis. 20 Qui maledicit patri suo et matri: extinguetur lumen eius in medijs tenebris. 21 Hereditas ad quam festinatur in principio: in nouissimo benedictione carebit. 22 Ne dicas reddam malum pro malo: expecta dominum et liberabit te. 23 Abhominacio est apud deum pondus et pondus: statera dolosa non est bona. 24 A domino diriguntur gressus viri. Quis autem hominum intelligere potest viam suam? 25 Ruina est homini deuotare sanctos: et post vota retractare. 26 Dissipat impios rex sapiens: et incuruat super eos fornicem. 27 Lucerna domini spiraculum hominis: que inuestigat omnia secreta ventris. 28 Misericordia et veritas custodiunt regem: et roboratur clementia thronus eius. 29 Exultatio iuuenum fortitudo eorum: et dignitas senum canicies. 30 liuor vulneris absterget mala: et plage in secretioribus ventris.

21 Sicut diuisiones aquarum ita cor regis in manu domini: quocumque voluerit inclinabit illud 2 Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda dominus. 3 Facere misericordiam et iudicium· magis placet domino quam victime. 4 Exaltatio oculorum est dilatatio cordis: lucerna impiorum peccatum. 5 Cogitaciones robusti semper in abundantia: omnis autem piger semper in egestate est. 6 Qui congregat thesauros lingua mendacij vanus et excors est: et impingetur ad laqueos mortis. 7 Rapine impiorum detrahent eos: quia noluerunt facere iudicium. 8 Peruersa via viri aliena est a deo: qui autem mundus est rectum opus eius. 9 Melius est sedere in angulo domatis: quam cum muliere litigiosa et in domo communi. 10 Anima impij desiderat malum: non miserebitur proximo suo. 11 Mulctato pestilente sapientior erit paruulus: et si sectetur sapientem sumet scientiam. 12 Excogitat iustus de domo impij: vt detrahat impios a malo. 13 Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: et ipse clamabit et non exaudietur. 14 Munus absconditum extinguit iras: et donum in sinu indignationem maximam. 15 Gaudium iusto est facere iudicium: et pauor operantibus iniquitatem. 16 Vir qui errauerit a via doctrine: in cetu gigantum commorabitur. 17 Qui diligit epulas in egestate erit: qui amat vinum et pinguia non ditabitur. 18 Pro iusto dabitur impius: et pro recto iniquus. 19 Melius est habitare in terra deserta: quam cum muliere rixosa et iracunda. 20 Thesaurus desiderabilis et oleum in habitaculo iusti: et imprudens homo dissipabit illud. 21 Qui sequitur iusticiam et misericordiam: inueniet vitam et iusticiam et gloriam. 22 Ciuitatem fortium ascendit sapiens: destruxitque robur fiducie eius. 23 Qui custodit os suum et linguam suam: custodit ab angustijs animam suam. 24 Superbus et arrogans vocatur indoctus: qui in ira operatur superbiam. 25 Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicque manus eius operari. 26 Tota die concupiscit et desiderat: qui autem iustus est tribuet et non cessabit. 27 Hostie impiorum abhominabiles: que offeruntur ex scelere. 28 Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam. 29 Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est corrigit viam suam. 30 Non est sapientia· non est prudentia: non est consilium contra dominum. 31 Equus paratur ad diem belli: dominus autem salutem tribuit.

22 Melius est nomen bonum quam diuitie multe: super argentum enim et aurum gratia bona. 2 Dies et pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est dominus. 3 Callidus videt malum et abscondit se: innocens pertransijt et afflictus est damno. 4 Finis modestie timor domini: diuitie et gloria et vita. 5 Arma et gladij in via superbi: custos autem anime sue longe recedit ab eis. 6 Prouerbium est adolescens iuxta viam suam: eciam cum senuerit non recedet ab ea. 7 Dies pauperibus imperat: et qui accipit mutuum seruus est fenerantis. 8 Qui seminat iniquitatem metet mala: et virga ire sue consummabitur. 9 Qui pronus est ad misericordiam benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam et honorem acquiret qui dat munera: animam autem aufert accipientium. 10 Eice derisorem et exibit cum eo iurgium: cessabuntque et contumelie. 11 Qui diligit cordis mundiciam: propter graciam labiorum suorum habebit amicum regem. 12 Oculi domini custodiunt scientiam: et supplantantur verba iniqui. 13 Dicit piger· leo est foris: in medio platearum occidendus sum. 14 Fouea profunda os aliene: cui iratus est dominus incidet in eam. 15 Stulticia colligata est in corde pueri: et virga discipline fugabit eam. 16 Qui calumniatur pauperem vt augeat diuitias suas: dabit ipse diciori et egebit. 17 Fili mi inclina aurem tuam: et audi verba sapientium. Appone autem cor ad doctrinam meam: 18 que pulcra erit tibi cum seruaueris eam in ventre tuo. Et redundabit in labijs tuis: 19 vt sit in domino fiducia tua. Vnde et ostendam eam tibi hodie. 20 Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus et scientia: 21 vt ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis: respondere ex eis illis· qui miserunt te. 22 Non facias violentiam pauperi quia pauper est· neque conteras egenum in porta: 23 quia iudicabit dominus causam eius: et configet eos qui confixerunt animam eius. 24 Noli esse amicus homini iracundo· neque ambules cum viro furioso: 25 ne forte discas semitas eius: et sumas scandalum anime tue. 26 Noli esse cum hijs qui defigunt manus suas: et qui vades se offerunt pro debitis. 27 Si enim non habes vnde restituas: quid cause est vt tollat operimentum de cubili tuo? 28 Ne transgrediaris terminos antiquos: quos posuerunt patres tui. 29 Vidisti virum velocem in opere suo: coram regibus stabit: nec erit ante ignobiles.

23 Quando sedis vt comedas? Dcum principe· diligenter attende que sunt apposita ante faciem tuam: 2 et statue cultrum in gutture tuo: si tamen habes in potestate animam tuam. 3 Ne desideres de cibis eius: in quo est panis mendacij. 4 Noli laborare vt diteris: sed prudentie tue pone modum. 5 Ne

erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquile: et volabunt in celum. 6 Ne comedas cum homine inuido et ne desideres cibos eius: 7 quoniam in similitudinem arioli et coniectoris estimat quod ignorat. Comede et bibe dicet tibi: et mens eius non est tecum. 8 Cibos quos comederas euomes: et perdes pulcros sermones tuos. 9 In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquij tui. 10 Ne attingas paruulorum terminos: et agrum pupillorum ne introeas. 11 Propinquus enim illorum fortis est: et ipse iudicabit contra te causam illorum. 12 Ingrediatur ad doctrinam cor tuum: et aures tue ad verba scientie. 13 Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga· non morietur. 14 Tu virga percuties eum: et animam eius de inferno liberabis. 15 Fili mi si sapiens fuerit animus tuus gaudebit tecum cor meum: 16 et exultabunt renes mei cum locuta fuerint recta labia tua. 17 Non emuletur cor tuum peccatores· sed in timore domini esto tota die: 18 quia habebis spem in nouissimo: et prestulacio tua non auferetur. 19 Audi fili mi et esto sapiens: et dirige in via animum tuum. 20 Noli esse in conuiuijs potatorum· nec in comessacionibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt: 21 quia vacantes potibus et dantes simbola consumentur: et vestietur pannis dormitacio. 22 Audi patrem tuum qui genuit te: et ne contemnas cum senuerit mater tua. 23 Veritatem eme: et noli vendere sapientiam et doctrinam et intelligentiam. 24 Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit letabitur in eo. 25 Gaudeat pater tuus et mater tua: et exultet qui genuit te. 26 Prebe fili mi cor tuum michi: et oculi tui vias meas custodiant. 27 Fouea enim profunda est meritrix: et puteus angustus aliena. 28 Insidiatur in via quasi latro: et quos incautos inuenerit interficiet. 29 Cui ve cuius patri ve· cui rixe· cui fouee· cui sine causa vulnera: cui suffossio oculorum? 30 Nonne hijs qui commorantur in vino et student calicibus epotandis? 31 ne intuearis vinum quando flauescit: cum splenduerit in vitro color eius. Ingreditur blande 32 et in nouissimo mordebit vt coluber: et sicut regulus venena diffundet. 33 Oculi tui videbunt extraneas: et cor tuum loquitur peruersa. 34 Et eris sicut dormiens in medio mari: et quasi sopitus gubernator amisso clauo: 35 et dices. Verberauerunt me sed non dolui: traxerunt me: et ego non sensi. Quando euigilabo: et rursus vina reperiam?

24 Ne emuleris viros malos nec desideres esse cum eis: 2 quia rapinas meditatur mens eorum: et fraudes labia eorum locuntur. 3 Sapientia edificabitur domus: et prudentia roborabitur. 4 In doctrina replebuntur cellaria: vniuersa substancia preciosa et pulcerrima. 5 Vir sapiens fortis est et vir doctus robustus et validus: 6 quia cum disposicione initur bellum: et erit salus vbi multa consilia sunt. 7 Excelsa stulto sapientia: in porta non aperiet os suum. 8 Qui cogitat mala facere· stultus vocabitur. 9 Cogitatio stulti peccatum est: et abominatio hominum detractor. 10 Si desperaueris lapsus in die angustie: imminuetur fortitudo tua. 11 Erue eos qui ducuntur ad mortem: et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. 12 Si dixeris vires non suppetunt: qui inspector est cordis ipse intelligit et seruatorem anime tue nichil fallit: reddetque homini iuxta opera sua. 13 Comede fili mi mel quia bonum est: et fauum dulcissimum gutturi tuo. 14 Sic et doctrina sapientie anime tue: quam cum inueneris habebis in nouissimis spem: et spes tua non peribit. 15 Ne insidieris et queras impietatem in domo iusti: neque vastes requiem eius. 16 Sepcies enim in die cadet iustus et resurget: impij autem corruent in malum. 17 Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas et in ruina eius ne exultet cor tuum: 18 ne forte videat dominus et displiceat ei: et auferat ab eo iram suam. 19 Ne contendas cum pessimis· nec emuleris impios: 20 quoniam non habent futurorum spem mali: et lucerna impiorum extinguetur. 21 Time dominum fili mi et regem: et cum detractoribus non commiscearis. 22 Quoniam repente consurget perditio eorum: et ruinam vtriusque quis nouit. 23 Hec quoque sapientibus. Cognoscere personam in iudicio non est bonum. 24 Qui dicunt impio iustus es· maledicent eis populi: et detestabuntur eos tribus. 25 Qui arguunt eum laudabuntur: et super eos veniet benedictio. 26 Labia deosculabitur: qui recta verba respondet. 27 Prepara foris opus tuum: et diligenter exerce agrum tuum: et postea edifices domum tuam. 28 Ne sis testis frustra contra proximum tuum: ne lactes quemquam labijs tuis. 29 Ne dicas quomodo fecit michi sic faciam ei: et reddam vnicuique secundum opus suum. 30 Per agrum hominis pigri transiui: et per vineam viri stulti. 31 Et ecce totum repleuerant vrtice: et operuerant superficiem eius spine: et maceria lapidum destructa erat. 32 Quod cum vidissem posui in corde meo: et exemplo didici disciplinam. Vsquequo piger dormies: vsquequo de somno consurges? 33 parum inquam dormies· modicum dormitabis: pauxillum manus conseres vt quiescas 34 et veniet tibi quasi cursor egestas tua: et mendicitas quasi vir armatus.

25 Hee quoque parabole salomonis: quas transtulerunt viri ezechie regis iuda. 2 dei est celare verbum: et gloria regum inuestigare sermonem. 3 Celum sursum et terra deorsum: et cor regum inscrutameciuda 4 tabile. rubiginem de argento et egredietur vas purissimum. 5 Aufer impietatem de vultu regis: et firmabitur iusticia thronus eius. 6 Ne gloriosus appareas coram rege: et in loco magnorum ne steteris. 7 Melius est enim vt dicatur tibi ascende huc: quam vt humilieris coram principe. 8 Que viderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis cum dehonestaueris amicum tuum. 9 Causam tuam tracta cum amico tuo· et secretum extraneo ne reueles: 10 ne forte insultet tibi cum audierit: et exprobrare non cesset. Gratia et amicicia liberant: quas tibi serua· ne exprobrabilis fias. 11 Mala aurea in lectis argenteis: qui loquitur verbum in tempore suo. 12 Inauris aurea et margarita fulgens: qui arguit sapientem et aurem obedientem. 13 Sicut frigus niuis in die messis: ita legatus fidelis ei qui miserit eum: animam ipsius requiescere facit. 14 Nubes et ventus et pluuie non sequentes: vir gloriosus et promissa non complens. 15 Pacientia lenietur princeps: et lingua mollis confringet duriciam. 16 Mel inuenisti· comede quod sufficit tibi: ne forte saciatus euomas illud. 17 Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui: nequando saciatus oderit te. 18 Iaculum et gladius et sagitta acuta: homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. 19 Dens putridus et pes lassus· qui sperat super infideli in die angustie: 20 et amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro: qui cantat carmina cordi pessimo. Sicut tinea vestimento et vermis ligno: ita tristicia viri nocet cordi. 21 Si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit da ei aquam bibere. 22 Prunas enim congregabis super caput eius: et dominus reddet tibi. 23 Ventus aquilo dissipat pluuias: et facies tristis linguam detrahentem. 24 Melius est sedere in angulo domatis: quam cum muliere litigiosa· et in domo communi. 25 Aqua frigida anime sicienti: et nuncius bonus de terra longinqua. 26 Fons turbatus pede et vena corrupta: iustus cadens coram impio. 27 Sicut qui mel comedit multum non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria. 28 Sicut vrbs patens et absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

26 Quomodo nix in estate pluuie in messe: sic indecens est stulto gloria. 2 Sicut auis ad alta transuolans· et passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet. 3 Flagellum equo et chamus asino: et virga in dorso imprudentium. 4 Ne respondeas stulto iuxta stulticiam suam: ne efficiaris ei similis. 5 Responde stulto iuxta stulticiam suam: ne sibi sapiens esse videatur. 6 Claudus pedibus et iniquitatem bibens: qui mittit verba per nuncium stultum. 7 Quomodo pulcras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola. 8 Sicut qui mittit lapidem in aceruum mercurij: ita qui tribuit insipienti honorem. 9 Quomodo si spina nascatur in manu temulenti: sic parabola in ore stultorum. 10 Iudicium determinat causas: et qui imponit stulto silentium iras mitigat. 11 Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens qui iterat stulticiam suam. 12 Vidisti hominem sapientem sibi videri: magis illo spem habebit insipiens. 13 Dicit piger leo est in via: et leena in itineribus. 14 Sicut ostium vertitur in cardine suo: ita piger in lectulo suo. 15 Abscondit piger manus sub ascella sua: et laborat si ad os suum eas conuerterit. 16 Sapientior sibi stultus videtur: septem viris loquentibus sentencias. 17 Sicut qui apprehendit auribus canem: sic qui transit et impatiens commiscetur rixe alterius. 18 Sicut noxius est qui mittit sagittas et lanceas in mortem: 19 ita vir qui fraudulenter nocet amico suo: et cum fuerit deprehensus dicet ludens feci. 20 Cum defecerint ligna

extinguetur ignis: et susurrone subtracto iurgia conquiescunt. 21 Sicut carbones ad prunas et ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas. 22 Verba susurronis quasi simplicia: et ipsa peruenium ad intima cordis. 23 Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile: sic labia tumencia cum pessimo corde sociata. 24 Labijs suis intelligitur inimicus: cum in corde tractauerit dolos. 25 Quando submiserit vocem suam ne credideris ei: quoniam septem nequicie sunt in corde illius. 26 Qui operit odium fraudulenter: reuelabitur malicia eius in concilio. 27 Qui fodit foueam incidet in eam: et qui voluit lapidem reuertetur ad eum. 28 lingua fallax non amat veritatem et os lubricum operatur ruinas.

27 Ne glorieris in crastinum: ignorans quid superuentura pariat dies. 2 Laudet te alienus et non os tuum: extraneus et non labia tua. 3 Graue est saxum et onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior. 4 Ira non habet misericordiam· nec erumpens furor: et impetum concitati spiritus ferre quis poterit? 5 Melior est manifesta correctio: quam amor absconditus. 6 Meliora sunt vulnera diligentis: quam fraudulenta oscula odientis. 7 Anima saturata calcabit fauum: et anima esuriens eciam amarum pro dulci sumet. 8 Sicut auis transmigrans de nido suo: sic vir qui derelinquit locum suum. 9 Vnguento et varijs odoribus delectatur cor: et bonis amici consilijs anima dulcoratur. 10 Amicum tuum et amicum patris tui ne dimiseris: et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tue. Melior est vicinus iuxta: quam frater procul. 11 Stude sapientie fili mi et letifica cor meum: vt possis exprobranti respondere sermonem. 12 Astutus videns malum absconditus est: paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia. 13 Tolle vestimentum eius qui spopondit pro extraneo: et pro alienis aufer ei pignus. 14 Qui benedicit proximo suo voce grandi denocte consurgens: maledicenti similis erit. 15 Tecta perstillantia in die frigoris et litigiosa mulier comparantur. 16 Qui retinet eam quasi qui ventum teneat: et oleum dextre sue euacuat. 17 Ferrum ferro exacuitur: et homo exacuit faciem amici sui. 18 Qui seruat ficum comedet fructus eius: et qui custos est domini sui glorificabitur. 19 Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. 20 Infernus et perditio nunquam replentur: similiter et oculi hominum insaciabiles. 21 Quomodo probatur in conflatorio argentum et in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis. Cor iniqui inquirit mala: cor autem rectum inquirit scientiam. 22 Si contuderis stultum in pila quasi tipsanas feriente desuper pilo: non auferetur ab eo stulticia eius. 23 Diligenter agnosce vultum pecoris tui: tuosque greges considera. 24 Non enim habebis iugiter potestatem: sed corona tribuetur tibi in generacione et generacionem. 25 Aperta sunt prata et apparuerunt herbe virentes: et collecta sunt fena de montibus. 26 Agni ad vestimentum tuum: et hedi ad agri precium. 27 Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos et in necessaria domus tue: et ad victum ancillis tuis.

28 Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit. 2 Propter peccata terre multi principes eius: et propter hominis sapientiam et horum scientiam que dicuntur· vita ducis longior erit. 3 Vir pauper calumnians pauperes: similis est imbri vehementi in quo paratur fames. 4 Qui derelinquunt legem laudant impium: qui custodiunt succenduntur contra eum. 5 Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt dominum animaduertunt omnia. 6 Melior est pauper ambulans in simplicitate sua: quam diues prauis itineribus. 7 Qui custodit legem filius sapiens est: qui autem comessatores pascit confundit patrem suum. 8 Qui coaceruat diuitias vsuris et fenore liberali: in pauperes congregat eas. 9 Qui declinat aures suas ne audiat legem: oracio eius erit execrabilis. 10 Qui decipit iustos in via mala in interitu suo corruet: et simplices possidebunt bona eius. 11 Sapiens sibi videtur vir diues: pauper autem prudens scrutabitur eum. 12 In exultatione iustorum multa gloria est: regnantibus impijs ruine hominum. 13 Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur. 14 Beatus homo qui semper est pauidus: qui vero mentis est dure· corruet in malum. 15 Leo rugiens et vrsus esuriens: princeps impius super populum pauperem. 16 Dux indigens prudentia· multos opprimet per calumniam: qui autem odit auariciam· longi fient dies eius. 17 Hominem qui calumniatur anime sanguinem eius: si vsque ad lacum fugerit nemo sustinet. 18 Qui ambulat simpliciter saluus erit: qui peruersis graditur vijs concidet semel. 19 Qui operatur terram suam saciabitur panibus: qui autem sectatur ocium replebitur egestate. 20 Vir fidelis multum laudabitur: qui autem festinat ditari· non erit innocens. 21 Qui cognoscit in iudicio faciem non bene facit: iste et pro buccella panis deserit veritatem. 22 Vir qui festinat ditari et alijs inuidet: ignorat quod egestas superueniet ei. 23 Qui corripit hominem· gratiam postea inueniet apud eum: magis quam ille qui per lingue blandimenta decipit. 24 Qui subtrahit aliquid a patre suo vel a matre et dicit hoc non esse peccatum: particeps homicide est. 25 Qui se iactat et dilatat iurgia concitat: qui vero sperat in domino saluabitur. 26 Qui confidit in corde suo stultus est: qui autem graditur sapienter ipse laudabitur. 27 Qui dat pauperi non indigebit: qui despicit deprecantem sustinebit penuriam. 28 Cum surrexerint impij abscondentur homines: cum illi perierit multiplicabuntur iusti.

29 Viro qui corripientem· dura ceruice contemnit· repentinus ei superueniet interitus: et eum sanitas non sequetur. 2 In multiplicatione iustorum letabitur vulgus: cum impij sumpserint principatum gemet populus. 3 Vir qui amat sapientiam letificat patrem suum: qui autem nutrit scortum sufficit. perdet substanciam. 4 Rex iustus erigit terram· vir auarus destruat eam. 5 Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo: rete expandit gressibus eius. 6 Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus: et iustus laudabitur atque gaudebit. 7 Nouit iustus causam pauperum: impius ignorat scientiam. 8 Homines pestilentes dissipant ciuitatem: sapientes vero auertunt furorem. 9 Vir sapiens si cum stulto contenderit: siue irascatur siue rideat Non inueniet requiem. inueniet requiem. cum in matrimonio 10 fuerit assumpta: per ancillam fuerit 11 ceps 12 qui libenter audit verba mendacij: libenter verba omnes ministros habet impios. 13 Pauper et creditor obuiauerunt sibi: vtriusque il obuiauerunt est dominus. Rex qui iudicat in Rex et cibum sibi. 14 Lepusculus illuminator plebs inualida: veritate pauperes: thronus eius in eternum fir pauperes: qui collocat in petra cubile suum. 15 Regem locusta non habet: et egreditur vniuersa per sapientiam: puer autem qui dimittitur vo turmas. Stellio manibus voluntati nititur: et moratur suam: 16 in edibus regis. Tria sunt que bene gradiuntur: et quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum: 17 Erudi filium tuum et refrigerabit te: et dabit delicias anime tue. 18 Cum prophecia defecerit dissipabitur populus: qui vero populus: custodit legem beatus est. 19 Seruus verbis non potest erudiri: quia quod dicit intelligit et respondere contemnit. 20 Vidisti hominem velocem ad speranda est quam illius correctio. loquendum: stulticia magis qui prouocat iras 21 producit discordias. erba lamuelis regis. Visio qua erudiuit eum mater sua. 22 Quid dilecte mi: quid dilecte vteri mei: quid dilecte votorum meorum? Ne dederis mulieribus substanciam tuam: et diuitias tuas ad delendos reges. Noli regibus o lamuel· noli 23 Superbum sequitur humilitas: et humilem spiritum suscipiet gloria. 24 Qui cum fure participat odit animam suam: adiurantem audit et non indicat. 25 hominem cito corruet: qui sperat in domino otribuit nittitur vosuam. 26 In iltiplica orum videtrabitte: principis: et iudicium a domino egreditur inteli subleuabitur. Multi requirunt faciem knimcsu i st viui singulorum. 27 Abhominantur iusti virum impium: et abhominantur impij eos qui in recta sunt via. Verbum custodiens filius extra perditionem erit.

30 Verba congregantis filij vomentis. Visio quam locutus est vir cum quo est deus et qui deo secum morante confortatus ait. 2 Stultissimus sum virorum: et sapientia hominum non est mecum. 3 Non didici sapientiam: et noui scientiam sanctorum. 4 Quis ascendit in celum descendit? atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligauit aquas quasi in vestimento? Quis suscitauit omnes terminos terre? Quod nomen est eius: et quod nomen filij eius si nosti? 5 Omnis sermo dei ignitus: clipeus est omnibus sperantibus in se. 6 Ne addas quicque verbis illius et arguaris:

inueniarisque mendax. [7] Duo rogaui te: ne deneges michi antequam moriar. [8] Vanitatem et verba mendacia longe fac a me. Mendicitatem et diuitias ne dederis michi. Tribue tantum victui meo necessaria: [9] ne forte saciatus illiciar ad negandum et dicam· quis est dominus: aut egestate compulsus furer et periurem nomen dei mei. [10] Ne accuses seruum ad dominum suum: ne forte maledicat tibi et corruas. [11] Generacio que patri suo maledicit: et que matri sue non benedicit. [12] Generacio que sibi munda videtur: et tamen non est lota a sordibus suis. [13] Generacio cuius excelsi sunt oculi: et palpebre eius in alta subrecte. [14] Generacio que pro dentibus gladios habet et commandit molaribus suis: vt comedat inopes de terra: et pauperes ex hominibus. [15] Sanguissuge due sunt filie: dicentes affer affer. Tria sunt insaturabilia: et quartum quod numquam dicit sufficit. [16] Infernus et os Infernus vulue et terra que non saciatur aqua: ignis saciatur vero numquam dicit sufficit. [17] Oculum qui subsannat patrem et qui despicit partum matris sue: suffodiant eum corui de torrentibus: et comedant eum filij aquile. [18] Tria sunt difficilia michi: et quartum penitus ignoro. [19] Viam aquile in celo· viam colubri super petram: viam nauis in medio mari: et viam viri in adolescentia. [20] Talis est et via mulieris adultere que comedit: et tergens os suum dicit. Non sum operata malum. [21] Per tria mouetur terra et quartum quod non potest sustinere. [22] Per seruum cum regnauerit· per stultum cum saturatus fuerit cibo: et [23] per odiosam mulierem cum in matrimonio fuerit assumpta: et per ancillam cum fuerit heres domine sue. [24] Quatuor sunt minima terre: et ipsa sunt sapientiora sapientibus. [25] Formice populus infirmus: qui preparant in messe cibum sibi. [26] Lepusculus plebs inualida: qui collocat in petra cubile suum. [27] Regem locusta non habet: et egreditur vniuersa per turmas. [28] Stellio manibus nititur: et moratur in edibus regis. [29] Tria sunt que bene gradiuntur: et quartum quod incedit feliciter. [30] Leo fortissimus bestiarum: ad nullius pauebit occursum. [31] Gallus succinctus lumbos suos et aries: nec est rex qui resistat ei: [32] et qui stultus apparuerit· postquam eleuatus est in sublime. Si enim intellexisset: ori suo imposuisset manum. [33] Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac· exprimit butirum: et qui vehementer emungit· elicit sanguinem: et qui prouocat iras producit discordias.

31 Verba lamuelis regis. Visio qua erudiuit eum mater sua. [2] Quid dilecte mi? quid dilecte vteri mei: quid dilecte votorum meorum? [3] Ne dederis mulieribus substanciam tuam: et diuitias tuas ad delendos reges. [4] Noli regibus o lamuel· noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas. [5] Ne forte bibant et obliuiscantur iudiciorum: et mutent causam filiorum pauperis. [6] Date siceram merentibus: et vinum hijs qui amaro sunt animo. [7] Bibant et obliuiscantur egestatis sue: et doloris sui non recordentur amplius. [8] Aperi os tuum muto: et causis omnium filiorum qui pertranseunt. [9] Aperi os tuum: decerne quod iustum est: et vindica inopem et pauperem. Aleph. [10] Mulierem fortem quis inueniet? procul et de vltimis finibus precium eius? [11] Bech. Confidit in ea cor viri sui: et lijs non indigebit. [12] Gimel. Reddet ei ei bonum et non malum: omnibus diebus vite sue. Delech. [13] Quesiuit lanam et linum: et operata est consilio manuum suarum. He. [14] Facta est quasi nauis institoris: delonge portans panem suum. [15] Vau. Denocte surrexit· deditque predam domesticis suis: et cibaria ancillis suis. Zay. [16] Considerauit agrum et emit eum: de fructu manuum suarum plantauit vincam. [17] Hech. Accinxit fortitudine lumbos suos: et roborauit brachium suum. [18] Thech. Gustauit et vidit quia bona est negociacio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. [19] Ioch. Manum suam misit ad fortia: et digiti eius apprehenderunt fusum. Kaph. [20] Manum suam aperuit inopi: et palmas suas extendit ad pauperem. Lamech. [21] Non timebit domui sue a frigore niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. [22] Mem. Stragulatam vestem fecit sibi: bissus et purpura vestimentum eius. Nun. [23] Nobilis in portis vir eius: quando sederit cum senatoribus terre. Samech. [24] Sindonem fecit et vendidit: et cingulum tradidit chananeo. Ayn. [25] Fortitudo et decor indumentum eius: et ridebit in die nouissimo. Phe. [26] Os suum aperuit sapientie: et lex clementie in lingua eius. Sade. [27] Considerauit semitas domus sue: et panem ociosa non comedit. [28] Coph. Surrexerunt filij eius et beatissimam predicauerunt: vir eius et laudauit eam. [29] Res. Multe filie congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas. Syn. [30] Fallax gracia et vana est pulcritudo: mulier timens dominum ipsa laudabitur. Thau. [31] Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera eius.

Incipit prologus in ecclesiasten.

Memini me ante hoc ferme quinquennium· cum adhuc rome essem et ecclesiasten sancte blesille legerem vt eam ad contemptum mundi huius prouocarem et omne quod in mundo cerneret putaret esse pro nichilo· rogatum ab ea: vt in morem commentarioli· obscura queque dissererem: vt absque me posset intelligere que legebat. Itaque quoniam in procinctu nostri operis subita morte subtracta est· et vbi non meruimus o paula et eustochium talem vite nostre habere consortem: tanto vulnere tunc percussus obmutui: nunc in bethleem positus· augustiore videlicet ciuitate· et illius memorie et vobis reddo quod debeo. Hoc breuiter ammonens quod nullius auctoritatem secutus sum: sed de hebreo transferens maxime septuaginta interpretum consuetudini me coaptaui: in hijs dumtaxat que non multum ab hebraicis discrepabant. Interdum aquile quoque et symachi et theodocionis recordatus sum: vt nec nouitate nimia· lectoris studium deterrerem: nec rursum contra conscientiam meam fonte veritatis omisso: opinionum riuulos consectarer.

Ecclesiastes

Incipit liber ecclesiastes.

1 Erba ecclesiastes· filij dauid regis iherusalem. [2] Vanitas vanitatum dixit ecclesiastes: vanitas vanitatum et omnia vanitas [3] Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo quo laborat sub sole? [4] Generatio preterit et generatio aduenit: terra autem in eternum stat. [5] Oritur sol et occidit· et ad locum suum reuertitur: ibique renascens [6] girat per meridiem: et flectitur ad aquilonem. Lustrans vniuersa· in circuitu pergit spiritus: et in circulos suos reuertitur. [7] Omnia flumina intrant in mare: et mare non redundat. Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur: vt iterum fluant. [8] Cuncte res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculis visu: nec auris auditu impletur. [9] Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod fiendum est faciendum. [10] Nichil sub sole nouum: nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est. Iam enim precessit in seculis: que fuerunt ante nos. [11] Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem que postea futura sunt erit recordatio apud eos qui futuri sunt in nouissimo. [12] Ego ecclesiastes fui rex israhel in iherusalem: [13] et proposui in animo meo querere et inuestigare sapienter de omnibus que fiunt sub sole. Hanc occupacionem pessimam dedit deus filijs hominum: vt occuparentur in ea. [14] Vidi que fiunt cuncta sub sole: et ecce vniuersa vanitas et afflictio spiritus.

15 Peruersi difficile corriguntur: et stultorum infinitus est numerus. 16 Locutus sum in corde meo dicens. Ecce magnus effectus sum et precessi omnes sapientia qui fuerunt ante me in iherusalem et mens mea contemplata est multa sapienter et didici: 17 dedique cor meum vt scirem prudentiam atque doctrinam· erroresque et stulticiam. Et agnouique in hijs quoque esset labor et afflictio spiritus: 18 eo quod in multa sapientia multa sit indignacio: et qui addit scientiam addit et laborem.

2 Dixi ergo in corde meo. Vadam et affluam delicijs: et fruar bonis? Et vidi quod hoc quoque esset vanitas. 2 Risum reputaui errorem: et gaudio dixi. Quid frustra decipis? 3 Cogitaui in corde meo· abstrahere a vino carnem meam· vt animum meum transferrem ad sapientiam deuitaremque stulticiam: donec viderem quid esset vtile filijs hominum: quo facto opus est sole numero dierum vite sue. 4 Magnificaui opera mea. Edificaui michi domos et plantaui vineas: 5 feci ortos et pomeria et conseui ea cuncti generis arboribus: 6 et extruxi michi piscinas aquarum vt irrigarem siluam lignorum germinantium. 7 Possedi seruos et ancillas· multamque familiam habui: armenta quoque et magnos ouium greges: vltra omnes qui fuerunt ante me in iherusalem. 8 Coaceruaui michi argentum et aurum: et substancias regum et prouinciarum. Feci michi cantores et cantatrices et delicias filiorum hominum: sciphos et vrceolos in ministerio ad vina fundenda: 9 et supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in iherusalem. Sapientia perseuerauit mecum: 10 et omnia que desideraverunt oculi mei non negaui eis: nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur: et oblectaret se in hijs que preparaueram. Et hanc ratus sum partem meam: si vterer labore meo. 11 Cumque me conuertissem ad vniuersa opera que fecerant manus mee· et ad labores in quibus frustra sudaueram: vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi: et nichil permanere sub sole. 12 Transiui ad contemplandam sapientiam: erroresque et stulticiam. Quid est inquam homo: vt sequi possit regem factorem suum? 13 Et vidi quod tantum precederet sapientia stulticiam: quantum differt lux a tenebris. 14 Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat. Et didici quod vnus vtriusque esset interitus: 15 et dixi in corde meo. Si vnus et stulti et meus occasus erit: quid michi prodest quod maiorem sapientie dedi operam? Locutusque cum mente mea: animaduerti quod hoc quoque esset vanitas. 16 Non enim erit memoria sapientis similiter vt stulti in perpetuum: et futura tempora obliuione cuncta pariter operient. Moritur doctus similiter vt indoctus: 17 et idcirco teduit me vite mee videntem mala vniuersa esse sub sole: et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus. 18 Rursus detestatus sum omnem industriam meam qua sub sole studiosissime laboraui: habiturus heredem post me· 19 quem ignoro vtrum sapiens an stultus futurus sit: et dominabitur in laboribus meis quibus desudaui et sollicitus fui. Et est quicquam tam vanum? 20 Vnde cessaui: renunciauitque cor meum vltra laborare sub sole. 21 Nam cum alius laboret in sapientia et doctrina et sollicitudine: homini ocioso quesita dimittit. Et hoc quoque vanitas: et magnum malum. 22 Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo et afflictione spiritus: qua sub sole cruciatus est? 23 Cuncti dies eius doloribus et erumnis pleni sunt: nec per noctem mente requiescit. Et hoc nonne vanitas est? 24 Nonne melius est comedere et bibere: et ostendere anime sue bona de laboribus suis? et hoc de manu dei est. 25 Quis ita deuorabit et delicijs affluet vt ego? 26 Homini bono in conspectu suo dedit deus sapientiam et scienciam· et intelligentiam: peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam: vt addat et congreget et tradat ei qui placuit deo. Sed et hoc vanitas est: et cassa sollicitudo mentis.

3 Omnia tempus habent: et suis spacijs transeunt vniuersa sub celo. 2 Tempus nascendi: et tempus moriendi. Tempus plantandi: et tempus euellendi quod plantatum est. 3 Tempus occidendi: et tempus sanandi. Tempus destruendi: et tempus edificandi. 4 Tempus flendi: et tempus ridendi. Tempus plangendi: et tempus saltandi. 5 Tempus spargendi lapides: et tempus colligendi. Tempus amplexandi: et tempus longe fieri ab amplexibus. 6 Tempus acquirendi: et tempus perdendi. Tempus custodiendi: et tempus et abiciendi. 7 Tempus scindendi: Tempus consuendi. tacendi: et tempus loquendi. 8 Tempus dilectionis: et tempus odij. Tempus belli: et tempus pacis. 9 Quid habet amplius homo de labore suo? 10 Vidi afflictionem quam dedit deus filijs hominum: vt distendantur in ea. 11 Cuncta fecit bona in tempore suo: et mundum tradidit disputationi eorum: vt non inueniat homo opus quod operatus est deus ab inicio vsque ad finem. 12 Et cognoui quod non esset melius nisi letari: et facere bene in vita sua. 13 Omnis enim homo qui comedit et bibit· et videt bonum de labore suo: hoc donum dei est. 14 Didici: quod omnia opera que fecit deus· perseuerent in perpetuum. Non possumus eis quicquam addere nec auferre: que fecit deus vt timeatur. 15 Quod factum est: ipsum permanet. Que futura sunt iam fuerunt: et deus instaurat quod abijt. 16 Vidi sub sole in loco iudicij impietatem et in loco iusticie iniquitatem: 17 et dixi in corde meo. Iustum et impium iudicabit dominus: et tempus omnis rei tunc erit. 18 Dixi in corde meo de filijs hominum· vt probaret eos deus: et ostenderet similes esse bestijs. 19 Idcirco vnus interitus est hominis et iumentorum: et equa virtusque condicio. Sicut moritur homo: sic et illa moriuntur. Similiter spirant omnia: et nichil habet homo iumento amplius. Cuncta subiacent vanitati: 20 et omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta sunt: et in terram pariter reuertuntur. 21 Quis nouit si spiritus filiorum adam ascendat sursum: et si spiritus iumentorum descendat deorsum? 22 Et deprehendi nichil esse melius quam letari hominem in opere suo: et hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet: vt post se futura cognoscat.

4 Verti me ad alia: et vidi calumnias que sub sole geruntur· et lacrimas innocentium et neminem conso consolatorem: nec posse resistere eorum violentie· cunctorum auxilio destitutos. 2 Et laudaui magis mortuos quam viuentes: 3 et feliciorem vtroque iudicaui qui necdum natus est: nec vidit mala que sub sole fiunt. 4 Rursum contemplatus sum omnes labores hominum: et industrias animaduerti patere inuidie proximi. Et in hoc ergo vanitas: et cura superflua est. 5 Stultus complicat manus suas: et comedit carnes suas dicens. 6 Melior est pugillus cum requie: quam plena vtraque manus cum labore et afflictione animi. 7 Considerans reperi et aliam vanitatem sub sole. 8 Vnus est et secundum non habet non filium non fratrem: et tamen laborare non cessat· nec saciantur oculi eius diuitijs: nec recogitat dicens. Cui laboro: et fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est: et afflictio pessima. 9 Melius est ergo duos esse simul· quam vnum: habent enim emolimentum societatis sue. 10 Si vnus ceciderit: ab altero fulcietur. Ve soli: quia cum ceciderit non habet subleuantem se. 11 Et si dormierint duo: fouebuntur mutuo. Vnus quomodo calefiet? 12 Et si quispiam preualuerit contra vnum: duo resistunt ei. Funiculus triplex difficile rumpitur. 13 Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto· qui nescit preuidem in posterum: 14 quod de carcere cathenisque interdum quis egrediatur ad regnum: et alius natus in regno inopia consumatur. 15 Vidi cunctos viuentes· qui ambulant sub sole cum adolescente secundo: qui consurget pro eo. 16 Infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum: et qui postea futuri sunt non letabuntur in eo. Sed et hoc vanitas: et afflictio spiritus. 17 Custodi pedem tuum ingrediens domum dei: et appropinqua vt audias. Multo enim melior est obeD obedientia quam stultorum victime: qui nesciunt quid faciunt mali.

5 temere quid loquaris: neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram deo. Deus enim in celo et tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui. 2 Multas causas secuntur somnia: et in multis sermonibus inuenietur stulticia. 3 Si quid vouisti deo: ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis et stulta pro missio. Sed quodcumque voueris redde. 4 Multoque melius est non vouere: quam post votum promissa non reddere. 5 Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam: neque dicas· coram angelo non est prouidencia: ne forte iratus dominus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. 6 Vbi multa sunt somnia plurime sunt vanitates: et sermones innumeri. Tu vero deum time. 7 Si videris calumnias egenorum et violenta iudicia et subuerti iusticiam in prouincia· non mireris super hoc negocio quia excelso excelsior est alius: et super hos quoque eminentiores sunt

alij: [8] et insuper vniuerse terre rex imperat seruienti. [9] Auarus non implebitur pecunia: et qui amat diuitias· fructum non capiet ex eis. Et hoc ergo vanitas. [10] Vbi multe sunt opes: multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori: nisi quod cernit diuitias oculis suis? [11] Dulcis est somnus operanti siue parum siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire. [12] Est et alia infirmitas pessima: quam vidi sub sole. Diuitie conseruate in malum domini sui. [13] Pereunt enim: in afflictiopessima. Generauit filium: qui in summa egestate erit. [14] Sicut egressus est nudus de vtero matris sue sic reuertetur: et nichil auferet secum de labore suo. [15] Miserabilis prorsus infirmitas. Quomodo venit: sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quod laborauit inuentum? [16] Cunctis diebus vite sue comedit in tenebris et in curis multis: et in erumna atque tristicia. [17] Hoc itaque visum est michi bonum: vt comedat quis et bibat· et fruatur leticia ex labore suo· quo laborauit ipse sub sole numero dierum vite sue· quos dedit ei deus: et hec est pars illius. [18] Et omni homini cui dedit deus diuitias atque substanciam: potestatemque ei tribuit· vt comedat ex eis· et fruatur parte sua et letetur de labore suo: hoc est donum dei. [19] Non enim satis recordabitur dierum vite sue: eo quod deus occupet delicijs cor eius.

6 Est et aliud malum quod vidi sub sole: et etquidem frequens apud homines. [2] Vir cui dedit deus diuitias et substanciam et honorem et nichil deest anime sue ex omnibus que desiderat: nec tribuit ei potestatem deus vt comedat ex eo: sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas et magna miseria est. [3] Si genuerit quispiam centum liberos et vixerit multos annos· et plures dies etatis habuerit et anima illius non vtatur bonis substancie sue· sepulturaque careat: de hoc ego pronuncio quod melior illo sit abortiuus. [4] Frustra enim venit et pergit ad tenebras: et obliuione delebitur nomen eius. [5] Non vidit solem· neque cognouit distanciam boni et mali: [6] eciam si duobus milibus annis vixerit: et non fuit perfruitus bonis. Nonne ad vnum locum properant omnia: [7] omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur. [8] Quid habet amplius sapiens a stulto: et quid pauper nisi vt pergat illuc vbi est vita? [9] Melius est videre quod cupias: quam desiderare quod nescias. Sed et hoc vanitas est: et presumptio spiritus. [10] Qui futurus est: iam vocatum est nomen eius: et scitur quod homo sit et non possit contra fortiorem se in iudicio contendere. [11] Verba sunt plurima: multamque in disputando habentia vanitatem.

7 Quid necesse est homini maiora se querere: cum ignoret quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinacionis sue· et tempore quod velut vmbra preterit? Aut quis ei poterit indicare: quid post eum futurum sub sole sit? [2] Melius est nomen bonum quam vngenta preciosa: et dies mortis die natiuitatis. [3] Melius est ire ad domum luctus: quam ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum ammouetur hominum: et viuens cogitat quid futurum sit. [4] Melior est ira risu: quia per tristiciam vultus· corrigitur animus delinquentis. [5] Cor sapientium vbi tristicia est: et cor stultorum vbi leticia. [6] Melius est a sapiente corripi quam stultorum adulacione decipi: [7] quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla: sic risus stulti. Sed et hoc vanitas. [8] Calumnia conturbat sapientem: et perdet robur cordis eius. [9] Melior est finis oracionis: quam principium. Melior est patiens arrogante. [10] Ne sis velox irascendum: ad irascendum: quia ira in sinu stulti requi [11] Ne dicas: quid putas cause est quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt. Stulta est enim huiusmodi interrogacio. [12] Vtilior est sapientia cum diuitijs: et magis prodest videntibus solem. [13] Sicut enim protegit sapientia: sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio et sapientia: quod vitam tribuunt possessori suo. [14] Considera opera dei: quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. [15] In die bona fruere bonis: et malam diem precaue. Sicut enim hanc sic et illam fecit deus: vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias. [16] Hec quoque vidi in diebus vanitatis mee. Iustus perit in iusticia sua: et impius multo viuit tempore in malicia sua. [17] Noli esse iustus multum: neque plus sapias quam necesse est ne obstupescas. [18] Ne impie agas multum: et noli esse stultus: ne moriaris in tempore non tuo. [19] Bonum est te sustentare iustum: sed et ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet deum nichil negligit. [20] Sapientia confortauit sapientem: super decem principes ciuitatis. [21] Non est enim homo iustus in terra: qui faciat bonum et non peccet. [22] Sed et cunctis sermonibus qui dicuntur. Ne accomodes cor tuum: ne forte audias seruum maledicentem tibi. [23] Scit enim conscientia tua: quia et tu crebro maledixisti alijs. [24] Cuncta temptaui in sapientia. Dixi. Sapiens efficiar: et ipsa longius recessit a me [25] multo magis quam erat. Et alta profunditas: quis inueniet eam? [26] Lustraui vniuersa animo meo: vt scirem et considerarem et quererem sapientiam et racionem: et vt cognoscerem impietatem stulti et errorem imprudentium. [27] Et inueni amariorem morte mulierem: que laqueus venatorum est: et sagena cor eius. Vincula sunt manus illius. Qui placet deo effugiet illam: qui autem peccator est capietur ab illa. [28] Ecce hoc inueni dixit eccliastes· vnum et alterum· vt inuenirem racionem [29] quam adhuc querit anima mea: et non inueni. Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni. [30] Solummodo hoc inueni· quod fecerit deus hominem rectum: et ipse se infinitis miscuerit questionibus. Quis talis vt sapiens est? Et quis cognouit solucionem verbi?

8 Sapientia hominis lucet in vultu eius: et potentissimus faciem illius commutabit. [2] Ego os regis obseruo: et precepta iuramenti dei. [3] Ne festines recedere a facie eius· neque permaneas opere malo: quia omne quod voluerit faciet: [4] et sermo illius potestate plenus est. Nec dicere ei quisquam potest: quare ita facis. [5] Qui custodit preceptum: non experietur quicquam mali. Tempus et responsionem cor sapientis intelligit. [6] Omni negocio tempus est et oportunitas: et multa hominis afflictio [7] quia ignorat preterita: et futura nullo scire potest nuncio. [8] Non est in hominis potestate prohibere spiritum· nec habet potestatem in die mortis: nec sinitur quiescere ingruente bello: neque saluabit impietas impium. [9] Omnia hec consideraui: et dedi cor meum in cunctis operibus que fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum. [10] Vidi impios sepultos: qui eciam cum adhuc viuerent· in loco sancto erant: et laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum. Sed et hoc vanitas est. [11] Et enim quia non profertur cito contra malos sentencia: absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. [12] At tamen peccator ex eo quod centies facit malum et per pacientiam sustentatur: ego cognoui quod erit bonum timentibus deum: qui verentur faciem eius. [13] Non sit bonum impio nec prolongentur dies eius: sed quasi vmbra transeant: qui non timent faciem domini. [14] Est et alia vanitas que fit super terram. Sunt iusti quibus mala proueniunt quasi opera egerint impiorum: et sunt impij qui ita securi sunt: quasi iustorum facta habeant. Sed et hoc vanissimum indico. [15] Laudaui igitur leticiam: quod non esset homini bonum sub sole· nisi quod comederet et biberet atque gauderet: et hoc solum secum auferret de labore suo· omnibus diebus vite sue quos dedit ei deus sub sole. [16] Et apposui cor meum vt scirem sapientiam: et intelligerem distensionem que versatur in terra. Est homo qui diebus et noctibus somnum non capit oculis. [17] Et intellexi: quod omnium operum dei nullam possit homo inuenire racionem eorum que fiunt sub sole: et quanto plus laborauerit ad querendum· tanto minus inueniat minus. Eciam si dixerit sapiens se nosse: non poterit reperire.

9 Omnia hec tractaui in corde meo: vt curiose intelligerem. sunt iusti atque sapientes: et opera eorum in manu dei. Et tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: [2] sed omnia in futurum seruantur incerta: eo quod vniuersa eque eueniant iusto et impio· bono et malo· mundo et immundo: immolanti victimas: et sacrificia contemnenti. Sicut bonus sic peccator: vt periurus sic ille qui verum deierat. [3] Hoc qui verum deierat. Hoc est pessimum inter omnia que sub sole fiunt: quia eadem cunctis eueniunt. Vnde et corda filiorum hominum implentur malicia et contemptu in vita sua: et post hec ad inferos deducentur. [4] Nemo est qui semper viuat: et qui huiusmodi rei habeat fiduciam. Melior est canis viuus leone mortuo· [5] viuentes enim sciunt se esse morituros: mortui vero nichil nouerunt amplius. Nec habent vltra mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum. [6] Amor quoque et odium et inuidie simul perierunt: nec habent partem in hoc seculo: et in opere quod sub sole

geritur. [7] Vade ergo et comede in leticia panem tuum: et bibe cum gaudio vinum tuum: quia deo placent opera tua. [8] Omni tempore sint vestimenta tua candida: et oleum de capite tuo non deficiat. [9] Perfruere vita cum vxore quam diligis· cunctis diebus vite instabilitatis tue: qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tue. Hec est enim pars in vita: et in labore tuo quo laboras sub sole. [10] Quodcumque facere potest manus tua instanter operare: quia nec opus nec racio· nec sapientia nec scientia erit apud inferos: quo tu properas. [11] Verti me ad aliud: et vidi sub sole· nec velocium esse cursum· nec fortium bellum· nec sapientium panem· nec doctorum diuitias· nec artificium graciam: sed tempus casumque in omnibus. [12] Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo· et aues laqueo comprehenduntur· sic capiuntur homines in tempore malo: cum eis extimplo superuenerit. [13] Hanc quoque sub sole vidi sapientiam: et probaui maximam. [14] Ciuitas parua: et pauci in ea viri. Venit contra eam rex magnus et vallauit eam: extruxitque munitiones per girum: et perfecta est obsidio. [15] Inuentusque est in ea vir pauper et sapiens: et liberauit vrbem per sapienciam suam: et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. [16] Et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est· et verba eius non sunt audita: [17] Verba sapientium audiuntur in silentio: plus quam clamor principis inter stultos. [18] Melior est sapientia quam arma bellica: et qui in vno peccauerit· multa bona perdet.

10 Musce morientes perdunt suauix vnguenti. Preciosior est sapiencia: paruaque gloria ad tempus stulticia. [2] Cor sapientis in dextera eius: et cor stulti in sinistra illius. [3] Sed et in via stultus ambulans: cum ipse insipiens sit omnes stultos estimat. [4] Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te· locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima. [5] Est malum quod vidi sub sole: quasi per errorem egrediens a facie principis. [6] Positum stultum in dignitate sublimi: et diuites sedere deorsum. [7] Vidi seruos in equis: et principes ambulantes super terram quasi seruos. [8] Qui fodit foueam incidet in eam: et qui dissipat sepem mordebit eum coluber. [9] Qui transfert lapides affligetur in eis: et qui scindit ligna vulnerabitur ab eis. [10] Si retusum fuerit ferrum· et hoc non vt prius sed hebitatum fuit· multo labore exacuetur: et post industriam sequetur sapientia. [11] Si mordeat serpens in silencio: nichil eo minus habet qui occulte detrahit. [12] Verba oris sapientis gratia: et labia insipientis precipitabunt eum. [13] Inicium verborum eius stulticia: et nouissimum oris illius error pessimus. [14] Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuit: et quod post futurum sit quis ei poterit indicare? [15] Labor stultorum affliget eos: qui nesciunt in vrbem pergere. [16] Ve tibi terra cuius rex est puer: et cuius principes mane comedunt. [17] Beata terra cuius rex nobilis est: et cuius principes vescuntur in tempore suo· ad reficiendum· et non ad luxuriam. [18] In pigricijs humiliabitur contignacio: et in infirmitate manuum perstillabit domus. [19] In risum faciunt panem et vinum: vt epulentur bibentes. Et pecunie obediunt omnia. [20] In cogitacione tua regi ne detrahas: et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia et aues celi portabunt vocem tuam: et qui habent pennas annunciabunt sententiam.

11 Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa tempora inuenies illum. [2] Da partes septem necnon et octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram. [3] Si replete fuerit nubes: imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem: in quocumque loco ceciderit ibi erit. [4] Qui obseruat ventum non seminat: et qui considerat nubes numquam metet. [5] Quomodo ignoras que sit via spiritus· et qua racione compingantur ossa in ventre pregnantis: sic nescis opera dei qui fabricator est omnium. [6] Mane semina semen tuum et vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur hoc aut illud: et si vtrumque simul· melius erit. [7] Dulce lumen: et delectabile est oculis videre solem. [8] Si annis multis vixerit homo et in hijs omnibus letus fuerit: meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum: qui cum venerint· vanitatis arguentur preterita. [9] Letare ergo iuuenis in adolescentia tua· et in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tue: et ambula in vijs cordis tui· et in intuitu oculorum tuorum: et scito quod pro omnibus hijs adducet te deus in iudicium. [10] vfer iram a corde tuo: et amoue maliciam a carne tua. Adolescencia enim et voluntas· vana sunt.

12 Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tue: antequam veniat tempus afflictionis tue: et appropinquent anni de quibus dicas· non michi placent. [2] Antequam tenebrescant sol· et lumen· et stelle· et luna: et reuertantur nubes post pluuiam. [3] Quando commouebuntur custodes domus et nutabunt viri fortissimi: et ociose erunt molentes in minuto numero: et tenebrescent videntes per foramina: [4] et claudent ostia in platea in humilitate vocis molentis: et consurgent ad vocem volucris: et obsurdescent omnes filie carminis. [5] Excelsa quoque timebunt: et formidabunt in via. Florebit amigdalus: impinguabitur locusta: et dissipabitur capparis. Quoniam ibit homo in domum eternitatis sue: et circuibunt in platea plangentes. [6] Antequam rumpatur funiculus argenteus· et recurrat vitta aurea: et conteratur ydria super fontem· et confringatur rota super cisternam· [7] et reuertatur puluis in terram suam vnde erat: et spiritus redeat ad deum qui dedit illum. [8] Vanitas vanitatum dixit ecclesiastes: et omnia vanitas. [9] Cumque esset sapientissimus ecclesiastes· docuit populum et enarrauit que fecerat: et inuestigans composuit parabolas multas. [10] Quesiuit verba vtilia: et conscripsit sermones rectissimos: ac veritate plenos. [11] Verba sapientium sicut stimuli: et quasi claui in altum defixi: que per magistrorum consilium data sunt a pastore vno. [12] Hijs amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequensque meditatio· carnis afflictio est. [13] Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time: et mandata eius obserua. Hoc est omnis homo. [14] Cuncta que fiunt adducet deus in iudicium pro omni errato: siue bonum siue malum sit.

Cantica canticorum

Incipiunt cantica canticorum.

1 Osculetur me osculo oris sui. Quia meliora sunt vbera tua vino: [2] fragrantia vngentis optimis. Oleum nomen tuum: ideo adolescentule dilexerunt te. [3] Trahe me post te. Curremus in odore vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua. Exultabimus et letabimur in te: memores vberum tuorum super vinum. Recti diligunt te. [4] Nigra sum sed formosa filie iherusalem· sicut tabernacula cedar: sicut pelles salomonis. [5] Nolite me considerare quod fusca sim: quia decolorauit me sol. Filij matris mee pugnauerunt contra me: posuerunt me custodem vineis. Vineam meam non custodiui. [6] Indica michi quem diligit anima mea· vbi pascas vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. [7] Si ignoras te o pulcerrima inter mulieres: egredere et abi post vestigia gregum: et pasce hedos tuos iuxta tabernacula pastorum. [8] Equitatui meo in curribus pharaonis· assimilaui te amica mea. [9] Pulcre sunt gene tue sicut turturis: collum tuum sicut monilia. [10] Murenulas aureas faciemus tibi: vermiculatas argento. [11] Cum esset rex in accubitu suo: nardus mea dedit odorem suum. [12] Fasciculus mirre dilectus meus michi: inter vbera mea commorabitur. [13] Botrus cipri dilectus meus michi: in vineis engaddi. [14] Ecce tu pulcra es amica mea: ecce tu pulcra: oculi tui columbarum. [15] Ecce tu pulcer es dilecte mi· et decorus. Lectulus noster floridus: [16] tigna domorum nostrarum cedrina: laquearia nostra cipressina.

2 Ego flos campi: et lilium conuallium. [2] Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias. [3] Sicut malus inter lingna siluarum: sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi: et fructus eius dulcis gutturi meo. [4] Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinauit in me caritatem. [5] Fulcite me floribus· stipare me malis: quia amore langueo. [6] Leua eius sub capite meo: et dextera illius amplexabitur me. [7] Adiuro vos filie iherusalem· per capreas ceruosque camporum: ne suscitetis neque vigilare faciatis dilectam: quoadusque ipsa velit. [8] Vox dilecti mei. Ecce iste venit saliens in montibus: transiliens colles. [9] Similis est dilectus meus capree hynnuloque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum· respiciens per fenestras: prospiciens per cancellos. [10] En dilectus meus loquitur michi. Surge propera amica mea· columba mea· formosa mea et veni. [11] Iam enim hiemps transijt: imber abijt et recessit. [12] Flores apparuerunt in terra: tempus putacionis aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra: [13] ficus protulit grossos suos: vinee florentes dederunt odorem suum. Surge propera amica mea speciosa et veni: [14] columba mea in foraminibus petre in cauerna macerie. Ostende michi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis: et facies tua decora. [15] Capite nobis vulpes paruulas: que demoliuntur vineas. Nam vinea nostra floruit. [16] Dilectus meus michi et ego illi: qui pascitur inter lilia: [17] donec aspiret dies· et inclinentur vmbre. Reuertere: similis esto dilecte mi capree hinnuloque ceruorum: super montes bethel.

3 lectulo meo per noctem quesiui quem diligit anima mea. Quesiui illum: et non inueni. [2] Surgam et circuibo ciuitatem per vicos et plateas: queram quem diligit anima mea. Quesiui illum: et non inueni. [3] Inuenerunt me vigiles: qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea distis? [4] Paululum cum pertransissem eos: inueni quem diligit anima mea. Tenui eum· nec dimittam: donec introducam illum in domum matris mee: et in cubiculum genitricis mee. [5] Adiuro vos filie iherusalem per capreas ceruosque camporum: ne suscitetis neque vigilare faciatis dilectam: donec ipsa velit. [6] Que est ista que ascendit per desertum· sicut virgula fumi ex aromatibus mirre et thuris: et vniuersi pulueris pigmentarij? [7] En lectulum salomonis sexaginta fortes ambiunt· ex fortissimis israhel: [8] omnes tenentes gladios et ad doctissimi. Vniuscuiusque ensis super femur suum: propter timores nocturbella doctissimi. Vniuscuiusque ensis nocturnos· [9] ferculum fecit sibi salomon de lignis libani. [10] Columnas eius fecit argenteas· reclinatorium aureum: ascensum purpureum: media caritate constrauit· propter filias iherusalem. [11] Egredimini filie sion: et videte regem salomonem in diademate: quo coronauit illum mater sua· in die disponsationis illius: et in die leticie cordis eius.

4 Quam pulcra es amica mea: pulcra es. Oculi tui columbarum: absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum: que ascenderunt de monte galaad. [2] Dentes tui sicut greges tonsarum: que ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fetibus: et sterilis non est inter eas. [3] Sicut vitta coccinea labia tua: et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici ita gene tue: absque eo quod intrinsecus latet. [4] Sicut turris dauid collum tuum: que edificata est cum propugnaculis. Mille clipei pendent ex ea: omnis armatura fortium. [5] Duo vbera tua sicut duo hinnuli capree gemelli: qui pascuntur in lilijs: [6] donec aspiret dies· et inclinentur vmbre. Vadam ad montem mirre: et ad collem thuris. [7] Tota pulcra es amica mea: et macula non est in te. [8] Veni de libano sponsa mea: veni de libano veni. Coronaberis de capite amana· de vertice sanir· et hermon: de cubilibus leonum· de montibus pardorum. [9] Vulnerasti cor meum· soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum: et in vno crine colli tui. [10] Quam pulcre sunt mamme tue soror mea sponsa. Pulcriora sunt vbera tua vino: et odor vngentorum tuorum super omnia aromata. [11] Fauus distillans labia tua sponsa: mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. [12] Ortus conclusus soror mea sponsa: ortus conclusus fons signatus. [13] Emissiones tue paradisus malorum punicorum: cum pomorum fructibus. Cipri cum nardo· [14] nardus et crocus: fistula et cinamomum cum vniuersis lignis libani: mirra et aloes cum omnibus primis vngentis. [15] Fons ortorum puteus aquarum viuentium: que fluunt impetu de libano. [16] Surge aquilo et veni auster: perfla ortum meum: et fluent aromata illius.

5 Veniat dilectus meus in ortum suum: Vt comedat fructum pomorum suorum. Veni in ortum meum soror mea sponsa: messui mirram meam cum aromatibus meis. Comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici et bibite: et inebriamini carissimi. [2] Ego dormio: et cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi michi soror mea amica mea columba mea immaculata mea: quia caput meum plenum est rore: et cincinni mei guttis noctium. [3] Expoliaui me tunica mea: quomodo induar illa? Laui pedes meos: quomodo quo inquinabo illos: [4] Dilectus meus misit manum suam per foramen: et venter meus intremuit ad tactum eius. [5] Surrexi vt aperirem dilecto meo. Manus mee stillauerunt mirram: et digiti mei pleni mirra probatissima. [6] Pessulum hostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat atque transierat. Anima mea liquefacta est: vt dilectus locutus est. Quesiui et non inueni illum: vocaui: et non respondit michi. [7] Inuenerunt me custodes qui circuierunt ciuitatem. Percusserunt me et vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum. [8] Adiuro vos filie iherusalem: si inueneritis dilectum meum vt nuncietis ei quia amore langueo. [9] Qualis est dilectus tuus ex dilecto: o pulcerrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto: quia sic adiurasti nos? [10] Dilectus meus candidus et rubicundus: electus ex milibus. [11] Caput eius aurum optimum: come eius sicut elate palmarum: nigre quasi coruus. [12] Oculi eius sicut columbe super riuulos aquarum que lacte sunt lote: et resident iuxta fluenta plenissima. [13] Gene illius sicut areole aromatum: consite a pigmentarijs. Labia eius lilia distillantia mirram primam. [14] Manus illius tornatiles: auree: plene iacintis. Venter eius eburneus: distinctus saphiris. [15] Crura illius columne marmoree: que fundate sunt super bases aureas. Species eius vt libani: electus vt cedri. [16] Guttur illius suauissimum: et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus: et ipse est amicus meus filie iherusalem. [17] Quo abijt dilectus tuus o pulcerrima mulierum: quo declinauit dilectus tuus? Et queremus eum tecum.

6 Dilectus meus descendit in ortum suum ad areolam aromatum: vt ibi pascatur· in ortis· et lilia colligat. [2] Ego dilecto meo: et dilectus meus michi: qui pascitur inter lilia. [3] Pulcra es amica mea: suauis et decora sicut iherusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata. [4] Auerte oculos tuos a me: quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum: que apparuerunt de galaad. [5] Dentes tui sicut greges ouium: que ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fetibus: et sterilis non est in eis. [6] Sicut cortex malipunici· sic gene tue: absque occultis tuis. [7] Sexaginta sunt regine: et octoginta concubine: et adolescentularum non est numerus. [8] Vna est columba mea perfecta mea: vna est matri sue: electa genitrici sue. Viderunt eam filie syon et beatissimam predicauerunt: regine et concubine laudauerunt eam. [9] Que est ista que progreditur quasi aurora consurgens: pulcra vt luna· electa vt sol· terribilis vt castrorum acies ordinata? [10] Descendi in ortum nucum vt viderem poma conuallium: et inspicerem si floruisset vinea: et germinassent malapunica. [11] Nesciui. Anima mea conturbauit me: propter quadrigas aminadab· [12] reuertere reuertere sunamitis: reuertere reuertere vt intueamur te.

7 Quid videbis in sunamite: nisi choros castrorum? Quam pulcri sunt gressus tui in calciamentis filia principis. Iuncture feminum tuorum sicut monilia: que fabricata sunt manu artificis. [2] Vmbilicus tuus crater tornatilis: numquam indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici: vallatus lilijs. [3] Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capree. [4] Collum tuum sicut turris eburnea: oculi tui sicut piscine in esebon: que sunt in porta filie multitudinis. Nasus tuus sicut turris libani: qui respicit contra damascum. [5] Caput tuum vt carmelus: et come capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus. [6] Quam pulcra es· et quam decora carissima in delicijs. [7] Statura tua assimilata est palme: et vbera tua botris. [8] Dixi. Ascendam in palmam: et apprehendam fructus eius. Et erunt vbera tua sicut botri vinee: et odor oris tui sicut odor malorum: [9] guttur tuum sicut vinum optimum. Dignum dilecto meo ad potandum: labijsque et dentibus illius ad ruminandum. [10] Ego dilecto meo: et

ad me conuersio eius. [11] Veni dilecte mi egrediamur in agrum: commoremur in villis. [12] Mane surgamus ad vineas: videamus si floruit vinea· si flores fructus parturiunt: si floruerunt malapunica. Ibi dabo tibi vbera mea. [13] Mandragore dederunt odorem in portis nostris. Omnia poma noua et vetera dilecte mi seruaui tibi.

8 Quis michi det te fratrem meum sugentem vbera matris mee: vt inueniam te foris et deosculer et iam me nemo despiciat? [2] Apprehendam te et ducam in domum matris et in cubiculum genitricis mee. Ibi me docebis: et dabo mee. tibi poculum ex vino condito: et mustum malorum granatorum meorum. [3] Leua eius sub capite meo: et dextera illius amplexabitur me. [4] Adiuro vos filie iherusalem: ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam: donec ipsa velit. [5] Que est ista que ascendit de deserto delicijs· affluens: innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitaui te. Ibi corrupta est mater tua: ibi violata est genitrix tua. [6] Pone me vt signaculum super cor tuum· vt signaculum sup bracchium tuum: quia fortis est vt mors dilectio: dura sicut inferus emulatio· lampades eius· vt lampades ignis atque flammarum. [7] Aque multe non potuerunt extinguere caritatem: nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substanciam domus sue pro dilectione: quasi nichil despiciet eam. [8] Soror nostra parua: et vbera non habet. Quid faciemus sorori nostre: in die quando alloquenda est? [9] Si murus est edificemus super eum propugnacula argentea. Si ostium est: compingamus illud tabulis cedrinis. [10] Ego murus: et vbera mea sicut turris: exquo facta sum coram exquo eo quasi pacem reperiens. [11] Vinea fuit pacifico: in ea: que habet populos. Tradidit eam custodibus: vir affert pro fructu eius mille argenteos. [12] Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici: et ducenti hijs qui custodiunt fructus eius. [13] Que habitas in ortis· amici auscultant: fac me audire vocem tuam. [14] Fuge dilecte mi: et assimilare capree hinnuloque ceruorum super montes

Sapientia

Incipit liber sapientie.

1 Diligite Diligite iusticiam: qui iudicatis terram. Sentite de domino in bonitate: et in simplicitate cordis querite illum: [2] quoniam inuenitur ab hijs qui non temptant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum. [3] Peruerse enim cogitationes separant a deo: probata autem virtus corripiet insipientes. [4] Quoniam in maliuolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis. [5] Spiritus enim sanctus discipline effugiet fictum: et auferet se a cogitationibus que sunt sine intellectu: et corripietur a superueniente iniquitate. [6] Benignus est enim spiritus sapientie et non liberabit maledictum a labijs suis: quoniam renum illius testis est deus· et cordis illius scrutator scrutator est verus: et lingue eius auditor. [7] Quoniam spiritus domini repleuit orbem terrarum: et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. [8] Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere: nec preteriet illum corripiens iudicium. [9] In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad deum veniet: et ad correptionem iniquitatum illius. [10] Quoniam auris zeli audit omnia: et tumultus murmurationum non abscondetur. [11] Custodite ergo vos a murmuratione· que nichil prodest: et a detractione· parcite lingue. Quia sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur occidit animam. [12] Nolite zelare mortem in errore in vite vestre: neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. [13] Quoniam deus mortem non fecit: nec letatur in perditione viuorum. [14] Creauit enim vt essent omnia: et sanabiles fecit naciones orbis terrarum: et non est in illis medicamentum exterminij nec inferorum regnum in terra. [15] Iusticia enim perpetua est et immortalis: iniusticia autem mortis acquisicio. [16] Impij autem manibus et verbis accersierunt illam: et estimantes illam· amicam defluxerunt. et sponsiones posuerunt ad illam: quoniam morte digni sunt qui sunt ex parte illius. enim

2 Dixerunt enim impij: cogitantes apud se non recte. Exiguum et cum tedio est tempus vite nostre: et non est refrigerium in fine hominis: et non est qui agnitus sit reuersus ab inferis. [2] Quia ex nichilo nati sumus: et post hoc erimus erimus tamquam non fuerimus. Quoniam fumus afflatus est in naribus nostris: et sermo scintille ad commouendum cor nostrum. [3] Quia extinctus cinis erit corpus et spiritus diffundetur tamquam mollis aer. Et transibit vita vestra tamquam vestigium nubis: et sicut nebulam dissoluetur· que calore fugata est radijs solis: et a a illius aggrauata. [4] Et nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus: et nemo habebit memoriam operum nostrorum. [5] Vmbre enim transitus est tempus nostrum: et non est est reuersio finis nostri· quoniam consignata est: et nemo reuertitur. [6] Venite ergo et fruamur bonis que sunt: et vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. [7] Vino precioso et vnguentis nos impleamus: et non pretereat nos flos temporis. [8] Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. [9] Nemo vestrum exors sit luxurie nostre. Vbique relinquamus signa leticie: quoniam hec est pars nostra: et hec est sors nostra. [10] Opprimamus pauperem iustum: et non parcamus vidue nec veterano: nec reuereamur canos multi temporis. [11] Sit autem fortitudo nostra lex iusticie. Quod enim infirmum est inutile inuenitur. [12] Circumueniamus ergo iustum. est quoniam inutilis est nobis· et contrarijs operibus nostris: et improperat nobis peccata legis: et diffamat in nos peccata discipline nostre. [13] Promittit se scientiam dei habere: et filium dei se nominat. [14] Factus Factus est nobis intraductionem cogitationum nostrarum. [15] Grauis est nobis eciam ad videndum: quoniam dissimilis est alijs vita illius: et immutate sunt vie eius. [16] Tamquam nugaces estimati sumus ab illo: et abstinet vijs nostris tamquam ab immundicijs: se a dicijs: et prefert nouissima iustorum: et gloriatur patrem se habere deum. [17] Videamus ergo si sermones illius veri sint: et temptemus que ventura sunt illi: et sciemus que que erunt nouissima illius. [18] Si enim est verus filius dei suscipiet illum: et liberabit illum [19] de manibus contrariorum. Contumelia et tormento interrogemus eum: vt sciamus reuerentiam eius: et probemus pacientiam illius. [20] Morte turpissima condemnemus eum. Erit enim ei respectus ex sermonibus illius. [21] Hec cogitauerunt et enim errauerunt: excecauit malicia eorum. oculos [22] Et nescierunt sacramenta dei: neque mercedem sperauerunt iusticie: nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. [23] Quoniam deus creauit hominem inexterminabilem: et ad imaginem similitudinis sue fecit illum. [24] Inuidia autem diaboli· mors introiuit in orbem terrarum: [25] imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

3 Iustorum autem anime in manu dei sunt: et non tanget illos tormentum mortis. [2] Visi sunt oculis insipientium mori: et estimata est afflictio exitus illorum. [3] Et ab itinere iusto abierunt in exterminium: et quod a nobis est iter exterminij: illi autem sunt in pace. [4] Et si coram hominibus tormenta passi sunt: spes illorum in mortalitate plena est. [5] In paucis vexati· in multis bene disponentur: quoniam deus temptauit eos: et inuenit illos dignos se. [6] Tamquam aurum in fornace probauit illos: et quasi olocausti hostiam accepit illos: et in tempore erit respectus illorum· [7] fulgebunt: et tamquam scintille in arundineto discurrent. [8] Iudicabunt nationes et dominabuntur populis: et regnabit dominus illorum perpetuum. in perpetuum. [9] Qui confidunt in illo intelligenu gerent gerent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum et pax est electis eius. [10] Impii autem secundum que cogitauerunt correpcionem habebunt: qui neglexerunt iustum: et a domino

recesserunt. [11] Sapientiam enim et disciplinam qui abicit infelix est· et vacua est spes illorum· et labores sine fructu· et inutilia opera eorum. [12] Mulieres eorum insensate sunt: et nequissimi filij illorum. [13] Maledicta creatura eorum. Quoniam felix est sterilis et incoinquinata: que nesciuit thorum in delicto. Habebit fructum in respectione animarum sanctarum. [14] Et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem: nec cogitauit aduersus deum nequissima. Dabitur enim illi fidei donum electum: et sors in templo dei acceptissima. [15] Bonorum enim laborum gloriosus est fructus: et que non concidat radix sapientie. [16] Filij autem adulterorum in consummatione erunt: et ab iniquo thoro semen exterminabitur. [17] Et si quidem longe vite erunt: in nichilum computabuntur et sine honore erit nouissima senectus illorum. [18] Et si celerius defuncti fuerit· non habebunt spem: nec in die agnitionis allocutionem. [19] Nationes enim inique dire sunt consummacionis.

4 O quam pulcra es casta generacio neracio cum claritate. Immortalis est enim memoria illius: quoniam et apud dominum nota est et apud homines. [2] Cum presens est imitantur illam: et desiderant eam· cum se eduxerit: et in perpetuum coronata triumphat· incoinquinatorum certaminum premium vincens. [3] Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis: et spuria vitulamina non dabunt radices altas· nec stabile firmamentum collocabunt. [4] Et si in ramis in tempore germinauerint· infirmiter posita a vento commouebuntur: et a nimietate ventorum eradicabuntur. [5] Confringentur enim rami inconsummati: et fructus illorum inutiles et acerbi ad manducandum: et ad nichilum apti. [6] Ex iniquis enim omnes filij qui nascuntur testes sunt nequicie aduersus parentes interrogatione sua. [7] Iustus autem si morte preoccupatus fuerit: in refrigerio erit. [8] Senectus enim venerabilis est: non diuturna· neque numero annorum computata. Cani autem sunt sensus hominis· [9] et etas senectutis: vita immaculata. [10] Placens deo factus dilectus: et viuens inter peccatores translatus est. [11] Raptus est ne malicia mutaret intellectum eius: aut ne fictio decipet animam illius. [12] Fascinacio enim nugacitatis obscurat bona: et in constantia concupiscentie transuertit sensum sine malicia. [13] Consummatus in breui expleuit multa tempora. [14] Placita enim erat deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes et non intelligentes· nec ponentes nec in precordijs talia: [15] quoniam gratia dei· et misericordia est in sanctos eius: et respectus super electos illius. [16] Condemnat autem iustus mortuus viuos impios: et iuuentus celerius consummata longam vitam iniusti. [17] Videbunt enim finem sapientis: et non intelligent quid cogitauerit de illo deus: et quare munierit illum dominus. [18] Videbunt enim et contemnent eum: illos autem deus irridebit. [19] Et erunt post hec decidentes sine honore: et in contumelia inter mortuos in perpetuum. Quoniam disrumpet illos inflatos sine voce: et commouebit illos a fundamentis: et vsque ad supremum desolabuntur. Et erunt gementes: et memoria illorum periet. [20] Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi: et traducent illos exaduerso iniquitates ipsorum.

5 Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt: et qui abstulerunt labores eorum. [2] Videntes turbabuntur timore horribili: et mirabuntur in subitatione insperate salutis gementes pre angustia spiritus: [3] dicentes intra se· penitentiam agentes· et pre angustia spiritus gementes. Hij sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperij: [4] nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam: et finem illorum sine honore. [5] Ecce quomodo computati sunt inter filios dei: et inter sanctos sors illorum est. [6] Ergo errauimus a via veritatis: et iusticie lumen non luxit nobis: et sol intelligentie non est ortus nobis. [7] Lassati sumus in via iniquitatis et perdicionis: et ambulauimus vias difficiles: viam autem domini ignorauimus. [8] Quid nobis profuit superbia: aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? [9] Transierunt omnia illa tamquam vmbra et tamquam nuncius percurrens. [10] Et tamquam nauis que pertransit fluctuantem aquam cuius cum preterierit non est vestigium inuenire· neque semitam carine illius in fluctibus: [11] aut auis que transuolat in aere· cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius: sed tantum sonitus alarum verberans leuem ventum· et scindens per vim itineris aerem· commotis alis transuolauit· et post hoc nullum signum inuenitur itineris illius: [12] aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum· diuisus aer continuo in se reclusus est vt ignoretur transitus illius: [13] sic et nos nati continuo desiuimus esse· et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus. [14] Talia dixerunt in inferno hij qui peccauerunt: [15] quoniam spes impij tamquam lanugo est que a vento tollitur: et tamquam spuma gracilis que a procella dispergitur: et tamquam fumus qui a vento diffusus est: et tamquam memoria hospitis vnius diei preteriuntis. [16] Iusti autem in perpetuum viuent: et apud dominum est merces eorum: et cogitatio illorum apud altissimum. [17] Ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu domini: quoniam dextera sua teget eos: et in brachio sancto suo defendet illos. [18] Et accipiet armaturam zelus illius: et armabit creaturam ad vlcionem inimicorum. [19] Induet pro torace iusticiam: et accipiet pro galea iudicium certum. [20] Sumet scutum inexpugnabile equitatem: [21] acuet autem diram iram lanceam: et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. [22] Ibunt directe emissiones fulgurum: et tamquam a bene curuato arcu nubium exterminabuntur: et ad certum locum insilient. [23] Et a petrosa ira plene mittentur grandines: et scandescet in illos aqua maris: et flumina concurrent duriter. [24] Contra illos stabit spiritus virtutis· et tamquam turbo venti diuidet illos: et ad heremum perducet omnem terram iniquitatis illorum: et malignitas euertet sedes potentium.

6 Melior est sapientia quam vires: et vir Melior prudens quam fortis. [2] Audite ergo reges et intelligite: discite iudices finium terre. [3] Prebete aures vos qui continetis multitudines et placetis vobis in turbis nationum: [4] quoniam data est a domino potestas vobis· et virtus ab altissimo: qui interrogabit opera vestra· et cogitationes scrutabitur: [5] quoniam cum essetis ministri regni illius· non recte iudicastis nec custodistis legem iusticie: neque secundum voluntatem dei ambulastis. [6] Horrende et cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in hijs qui presunt fiet. [7] Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patienter. [8] Non enim vbtrahet personam cuiusquam deus qui est omnium dominator· nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum et magnum ipse fecit: et equaliter cura est illi de omnibus. [9] Fortioribus autem· fortior instat cruciatio. [10] Ad vos ergo reges sunt hij sermones mei: vt discatis sapientiam: et ne excidatis. [11] Qui enim custodierit iusticiam: iuste iudicabuntur: et qui didicerint iusta inuenient quid respondeant. [12] Concupiscite ergo sermones meos et diligite illos: et habebitis disciplinam. [13] Clara est et que numquam marcescit sapientia: et facile videtur ab hijs qui diligunt eam: et inuenitur ab hijs qui querunt illam. [14] Preoccupat qui se concupiscunt: vt illis se prior ostendat. [15] Qui de luce vigilauerit ad illam non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet. [16] Cogitare ergo de illa sensus est consummatus: et qui vigilauerit· propter illam cito erit securus. [17] Quoniam dignos se circuit ipsa querens: et in vijs suis ostendet se illis hilariter: et in omni prouidentia occurret illis. [18] Inicium enim illius verissima est discipline concupiscentia. [19] Cura ergo discipline dilectio est: et dilectio custodia legum illius est. Custoditio autem legum consummatio incorruptionis est: [20] incorruptio autem facit esse proximum deo. [21] Concupiscentia itaque sapientie deducet ad regnum perpetuum. [22] Si ergo delectamini sedibus et sceptris o reges populi: diligite sapientiam vt in perpetuum regnetis. [23] Diligite lumen sapientie: omnes qui preestis populis. [24] Quid est autem sapientia et quemadmodum facta sit referam et non abscondam a vobis sacramenta dei: sed ab inicio natiuitatis inuestigabo: et ponam in lucem scientiam illius· et non preteribo veritatem: [25] neque cum inuidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps sapientie. [26] Multitudo autem sapientium· sanitas est orbis terrarum: et rex sapiens· populi stabilimentum est. [27] Ergo accipite disciplinam per sermones meos: et proderit vobis.

7 Sum quidem et ego mortalis homo similis omnibus: et ex genere terreno illius qui prior factus est: et in ventre matris figuratus sum caro: [2] decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine· ex semine hominis: et delectamento somni conueniente. [3] Et ego natus accepi communem aerem: et insimiliter factam decidi terram: et primam vocem similem omnibus emisi plorans. [4] In inuolumentis nutritus sum: et magnis curis. [5] Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis inicium. [6] Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam: et similis exitus. [7] Propter hoc optaui et datus est michi sensus: et inuocaui et venit in me spiritus sapientie. [8] Et preposui illam regnis et sedibus: et diuitias nichil esse dixi in comparatione illius. [9] Nec comparaui illi lapidem preciosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua: et tamquam lutum estimabitur argentum in conspectu illius. [10] Super salutem et speciem dilexi illam: et proposui pro luce habere illam: quam inextinguibile est lumen illius. [11] Venerunt autem michi omnia bona pariter cum illa: et innumerabilis honestas per manus illius. [12] Et letatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia: et ignorabam quoniam horum omnium mater est. [13] Quam sine fictione didici: et sine inuidia communico: et honestatem illius non abscondo. [14] Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt· participes facti sunt amicicie dei: propter discipline dona commendati. [15] Michi autem dedit deus dicere ex sentencia et presumere digna horum que michi dantur: quoniam ipse sapientie dux est: et sapientium emendator. [16] In manu enim illius et nos et sermones nostri: et omnis sapientia· et operum scientie disciplina. [17] Ipse enim dedit michi horum scientiam veram que sunt: vt sciam dispositionem orbis terrarum et virtutes elementorum: [18] inicium et consummationem et medietatem temporum· vicissitudinum permutationes· et consummationes temporum· et morum mutationes: diuisiones temporum· [19] anni cursus· et stellarum dispositiones· [20] naturas animalium· et iras bestiarum: vim ventorum et cogitationes hominum· differentias virgultorum et virtutes radicum: [21] et quecumque sunt absconsa et improuisa didici. Omnium enim artifex docuit me sapientia. [22] Est enim in illa spiritus intelligentie sanctus vnicus multiplex subtilis. disertus mobilis· incoinquinatus: certus suauis amans bonum: acutus· qui nichil vetat benefacere: [23] humanus· benignus· stabilis· certus· securus: omnem habens virtutem· omnia prospiciens: et qui capiat omnes spiritus intelligibiles: mundus· subtilis. [24] Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia. Attingit autem vbique propter suam mundiciam. [25] Vapor est enim virtutis dei: et emanatio quedam est claritatis omnipotentis dei sincera: et ideo nichil inquinatum in eam incurrit. [26] Candor est enim lucis eterne et speculum sine macula dei maiestatis: et imago bonitatis illius. [27] Et cum sit vna· omnia potest: et permanens in se omnia innouat: et per nationes in animas sanctas se transfert. Amicos dei et prophetas constituit. [28] Neminem enim diligit deus: nisi eum qui cum sapientia inhabitat. [29] Est enim hec speciosior sole: et super omnem dispositionem stellarum· luci comparata inuenitur prior. [30] Illi enim succedit nox: sapientiam autem non vincit malicia.

8 Attingit ergo a fine vsque finem fortiter: et disponit omnia suauiter. [2] Hanc amaui et exquisiui eam a iuuentute mea: et quesiui sponsam michi eam assumere: et amator factus sum forme illius. [3] Generositatem illius glorificat contubernium habens dei: sed et omnium dominus dilexit illam. [4] Doctrix enim est discipline dei: et electrix operum illius. [5] Et si diuitie appetuntur in vita: quid sapientia locupletius que operatur omnia: [6] Si autem sensus operatur: quis horum que sunt magis quam illa est artifex? [7] Et si iusticiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes. Sobrietatem enim et prudentiam docet· et iusticiam et virtutem: quibus vtilius nichil est in vita hominibus. [8] Et si multitudinem scientie desiderat quis: scit preterita et de futuris estimat: scit versutias sermonum monstra scit antequam fiant· et euentus et dissolutiones argumentorum: signa et monstra scit antequam fiant· et euentus argumentorum: temporum· et seculorum. [9] Proposui ergo hanc adducere michi ad conuiuendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis: et erit allocutio cogitationis· et tedij mei. [10] Habebo propter hanc claritatem ad turbas: et honorem apud seniores. Iuuenis [11] et acutus inueniar in iudicio: et in conspectu potentium ammirabilis ero: et facies principum mirabuntur me. [12] Tacentem me sustinebunt: loquentem me respicient: et sermocinante me plura· manus ori suo imponent. [13] Preterea habebo per hanc immortalitatem: et memoriam eternam hijs qui post me futuri sunt relinquam. [14] Disponam populos: et naciones michi erunt subdite. [15] Timebunt me audientes reges horrendi: et in multitudine bonus videbor: et in bello fortis. [16] Intrans in domum meam conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius: nec tedium conuictus illius: sed leticiam et gaudium. [17] Hec cogitans apud me· et commemorans in corde meo· quoniam immortalis est in cogitatione sapientia· [18] et in amicicia illius delectatio bona: et in operibus manuum illius honestas sine defectione: et in certamine loquele illius sapientia· et preclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam querens· vt michi illam assumerem. [19] Puer autem eram ingeniosus et sortitus sum animam bonam. [20] Et cum essem magis bonus: veni ad corpus incoinquinatum. [21] Et vt sciui quoniam aliter non possum esse continens nisi deus det: et hoc ipsum erat summa sapientia scire· cuius esset hoc donum: adij dominum et deprecatus sum illum: et dixi ex totis precordijs meis.

9 Deus patrum meorum et domine misericordie· qui fecisti omnia verbo tuo: [2] et sapientia tua constituisti hominem· vt dominaretur creature que a te facta est· [3] vt disponat orbem terrarum in equitate et iusticia· et in directione cordis iudicium iudicet: [4] da michi sedium tuarum assistricem sapientiam: et noli me reprobare a pueris tuis· [5] quoniam seruus tuus sum ego· et filius ancille tue: homo infirmus et exigui temporis: et minor ad intellectum iudicij et legum. [6] Et si quis erit consummatus inter filios hominum: si fuerit ab illo sapientia tua· in nichilum computabitur. [7] Tu autem elegisti me regem populo tuo: et iudicem filiorum tuorum et filiarum. [8] Et dixisti me edificare templum in monte sancto tuo: et in ciuitate habitationis tue altare: similitudinem tabernaculi sancti tui quod preparasti ab inicio [9] et tecum sapientia tua· que nouit opera tua: que et affuit tunc cum orbem terrarum faceres· et sciebat quid esset placitum oculis tuis: et quid directum in preceptis tuis. [10] Mitte illam de celis sanctis tuis· et a sede magnitudinis tue: vt mecum sit et mecum laboret: et sciam quid acceptum sit apud te. [11] Scit enim illa omnia et intelligit: et deducet me in operibus meis sobrie: et custodiet me in sua potentia. [12] Et erunt accepta opera mea: et disponam populum tuum iuste: et ero dignus sedium patris mei. [13] Quis enim hominum poterit scire consilium dei? Aut quis poterit cogitare quid velit deus? [14] Cogitationes enim mortalium timide: et incerte prouidentie nostre. [15] Corpus enim quod corrumpitar pitur aggrauat animam: et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. [16] Et difficile estimamus que in terra sunt: et que in prospectu sunt inuenimus cum labore. Que in celis sunt autem quis inuestigabit? [17] Sensum autem tuum quis sciet nisi tu dederis sapientiam et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis: [18] et si correcte sint semite eorum qui sunt in terris· et que tibi placent didicerint homines? [19] Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi domine a principio.

10 Hec illum qui primus formatus est a deo pater orbis terrarum· cum solus esset creatus custodiuit: [2] et eduxit illum a delicto suo. Et eduxit illum de limo terre· et dedit illi virtutem continendi omnia. [3] Ab hac vt recessit iniustus in ira sua: per iram homicidij fraternitas deperijt. [4] Propter quod cum aqua deleret terram: sanauit iterum sapientia: per contemptibile lignum iustum gubernans. [5] Hec et in consensu superbie cum se nationes extulissent sciuit iustum: et conseruauit sine querela deo: et in filijs misericordiam fortem custodiuit. [6] Hec iustum a pereuntibus impijs liberauit fugientem: descendente igne in pentapolim: [7] quibus in testimonium nequicie fumigabunda constat deserta terra: et in certo tempore fructus habentes arbores: et incredibilis anime memoria stans figmentum salis. [8] Sapientiam enim pretereuntes non tantum in hoc lapsi sunt vt ignorarent bona: sed et insipientie sue reliquerunt hominibus memoriam: vt in hijs que peccauerunt:

nec latere potuissent. [9] Sapientia autem hos qui se obseruant a doloribus liberabit. [10] Hec autem profugum ire fratris iustum deduxit per vias rectas: et ostendit illi regnum dei: et dedit illi scientiam sanctorum. Honestauit illum in laboribus: et compleuit labores illius. [11] In fraude circumuenientium illum affuit illi: et honestum fecit illum. [12] Custodiuit illum ab inimicis: et a seductoribus tutauit illum. Et certamen forte dedit illi vt vinceret: et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. [13] Hec venditum iustum non dereliquit· sed a peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam [14] et in vinculis non dereliquit illum: donec afferret illi sceptrum regni· et potentiam aduersus eos qui eum deprimebant: et mendaces ostendit qui maculauerunt illum: et dedit illi claritatem eternam. [15] Hec populum iustum et semen sine querela liberauit a nationibus que illum deprimebant. [16] Intrauit in animam serui dei: et stetit contra reges horrendos in portentis et signis. [17] Et reddidit iustis mercedem laborum suorum: et deduxit illos in via mirabili. Et fuit illis in velamento die: et in luce stellarum per noctem. [18] Et transtulit illos per mare rubrum: et transuexit illos per aquam nimiam. [19] Inimicos autem illorum demersit in mare: et ab altitudine infernorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum: [20] et decantauerunt domine nomen sanctum tuum: et victricem manum tuam laudauerunt pariter. [21] Quoniam sapientia aperuit os mutorum: et linguas infantium fecit disertas.

11 Direxit opera eorum in manibus prophete sancti. [2] Iter fecerunt per deserta que non habitantur· et in locis desertis fecerunt casas. [3] Steterunt contra hostes: et de inimicis se vindicauerunt. [4] Sitierunt et inuocauerunt te: et data est illis aqua de petra altissima: et requies sitis de lapide duro. [5] Per que enim penas passi sunt inimici illorum· a defectione potus sui: in eis cum abundarent filij israhel letati sunt. [6] Per hec cum illis deessent: bene cum illis actum est. [7] Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis humanum sanguinem dedisti iniustis. [8] Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum· dedisti illis abundantem aquam insperate: [9] ostendens per sitim que tunc fuit· quemadmodum tuos exaltares: et aduersarios illorum necares. [10] Cum enim temptati sunt· et quidem cum misericordia disciplinam accipientes: scierunt quemadmodum cum ira iudicati cari impij tormenta paterentur. [11] Hos quidem tamquam pater monens probasti. Illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti. [12] Absentes enim et presentes similiter torquebantur. [13] Duplex enim illos acceperat tedium: et gemitus cum memoria preteritorum. [14] Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi commemorati sunt dominum: admirantes in finem exitus. [15] Quem enim in expositione praua proiectum deriserunt: in finem euentus mirati sunt. Non similiter iniustis faciens: [16] pro cogitationibus autem insensatis iniquitates illorum· quod quidem errantes colebant mutos serpentes et bestias super vacuas: immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam: [17] vt scirent quia per que peccat quis per hec et torquetur. [18] Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua que creauit orbem terrarum ex materia inuisa immittere illis multitudinem vrsorum· aut audaces leones· [19] aut noui generis· ira plenas· et ignotas bestias: aut vaporem ignium spirantes· aut fumi odorem proferentes: aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: [20] quarum non solum lesura poterat illos exterminare: sed et aspectus per timorem occidere. [21] Nam et sine hijs vno spiritu poterant occidi persecutionem passi· ab ipsis factis suis: et dispersi per spiritum virtutis tue: sed omnia in et numero et pondere disposuisti. [22] Multum enim valere tibi soli supererat semper: et virtuti brachij tui quis resistet? [23] Quoniam tamquam momentum statere sic est ante te orbis terrarum: et tamquam gutta roris antelucani qui descendit in terram. [24] Et misereris omnium· quia omnia potes: et dissimulas peccata hominum propter penitentiam. [25] Diligis enim omnia que sunt et nichil odisti eorum que fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti· aut fecisti. [26] Quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses: aut quod a te vocatum non esset conseruaretur? [27] Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt domine qui amas animas.

12 O quam bonus· et suauis est domine spiritus tuus in omnibus. [2] Ideoque hos qui exerrant partibus corripis: et de quibus peccant ammones: et alloqueris vt relicta malicia credant in te domine. [3] Illos enim antiquos inhabitatores terre sancte tue quos exhorruisti [4] quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina et sacrificia iniusta: [5] et filiorum suorum necatores sine misericordia· et comestores viscerum hominum et deuoratores sanguinis· iusti· a medio sacramento tuo· per manus [6] et auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti· per manus parentum nostrorum· [7] vt dignam perciperent peregrinationem puerorum dei: que tibi omnium carior est terra. [8] Sed et hijs tamquam hominibus pepercisti: et misisti antecessores exercitus tui vespas: vt illos paulatim exterminarent. [9] Non quia impotens eras in bello· subicere impios iustis· aut bestijs seuis· aut verbo duro simul exterminare: [10] sed partibus iudirans dabas locum penitentie non ignorans quoniam nequam est natio eorum· et naturalis malicia ipsorum: et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. [11] Semen enim erat maledictum ab inicio. Nec timens aliquem: veniam dabas peccatis illorum· [12] quis enim dicet tibi quid fecisti? Aut quis stabit contra iudicium tuum? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Aut quis tibi imputabit: si perierint nationes quas tu fecisti? [13] Non est enim alius deus quam tu· cui cura est de omnibus: vt ostendas quoniam non iniuste iudicas iudicium. [14] Neque rex neque tirannus in conspectu tuo inquirent de hijs quos perdidisti. [15] Cum ergo sis iustus· iuste omnia disponis· ipsum quoque qui non debet puniri condemnas: exterum estimas a tua virtute. [16] Virtus enim tua· iusticie inicium est: et ob hoc quod omnium dominus es· omnibus te parcere facis. [17] Virtutem enim ostendis tu· qui non crederis esse in virtute consummatus: et horum qui te nesciunt audaciam traducis. [18] Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas: et cum magna reuerentia disponis nos. Subest enim tibi cum volueris posse. [19] Docuisti enim populum tuum per talia opera· quoniam oportet iustum esse et humanum: et bone spei fecisti filios tuos: quoniam iudicans das locum in peccatis penitentie. [20] Si enim inimicos seruorum tuorum et debitos morti cum tanta cruciasti attentione· et liberasti dans tempus et locum per que possent mutari a malicia: [21] cum quanta diligentia iudicasti filios tuos quorum parentibus iuramenta et conuentiones dedisti bonarum promissionum: [22] Cum ergo das nobis disciplinam inimicos nostros multipliciter flagellas: vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes: et cum de nobis iudicatur speremus misericordiam tuam. [23] Vnde et illis qui in vita sua insensate et iniuste vixerunt: per hec que coluerunt dedisti summa tormenta. [24] Etenim in erroris via diucius errauerunt: deos estimantes hec· que in animalibus sunt super vacua: infantium insensatorum more viuentes. [25] Propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. [26] Qui autem ludibrijs· et increpationibus non correcti sunt: dignum dei iudicium experti sunt. [27] In hijs enim que patiebantur· moleste ferebant: in quibus patientes indignabantur. Per hec quos putabant deos in ipsis cum exterminarentur: videntes illum quem olim negabant se nosse: verum deum agno verunt. Propter quod et finis condemnationis eorum veniet super illos.

13 Vani sunt autem omnes homines in quibus non subest scientia dei: et de hijs que videntur bona non potuerunt intelligere eum· qui est: neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex: [2] sed aut ignem· aut spiritum· aut citatum aerem· aut girum stellarum· aut nimiam aquam· aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putauerunt. [3] Quorum et si specie delectati deos putauerunt: sciant quanto hijs dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hec omnia constituit. [4] Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt: intelligant ab illis· quoniam qui hec fecit fortior est illis. [5] A magnitudine enim speciei et creature: cognoscibiliter poterit creator horum videri. [6] Sed tamen adhuc in hijs minor est querela. Et hij enim fortasse errant deum querentes: et volentes inuenire. [7] Etenim cum in operibus illius conuersentur: inquirunt et persuasum habent: quoniam bona sunt que videntur. [8] Iterum autem nec hijs debet ignosci. [9] Si enim tantum potuissent scire vt possent estimare seculum: quomodo huius dominum non facilius

inuenerunt? [10] Infelices autem sunt et inter mortuos spes illorum est: qui appellauerunt deos opera manuum hominum· aurum et argentum artis inuentionem· et similitudines animalium· aut lapidem inutilem opus manus antique. [11] Aut si quis artifex faber de silua lignum rectum secuerit· et huius docte eradat omnem corticem et arte sua vsus diligenter fabricet vas vtile in conuersationem vite: [12] reliquijs autem eius operis ad preparationem esce abutatur: [13] et reliquum horum quod ad nullos vsus facit· lignum curuum et verticibus plenum sculpat diligenter per vacuitatem suam: et per scientiam sue artis figuret illud· et assimilet illud imagini hominis [14] aut alicui ex animalibus illud comparet: perliniens rubrica· et rubricundum faciens fuco co colorem illius· et omnem maculam que in illo est pliniens terra: [15] et faciat ei dignam habitationem et in pariete ponens illud· et confirmans ferro [16] ne forte cadat prospiciens illi: sciens quoniam non potest adiuuare se. Imago enim est: et opus est illi adiutorium. [17] Et de substancia sua· et de filijs suis· et de nuptijs· votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est: [18] et pro sanitate quidem infirmum deprecatur: et pro vita rogat mortuum: et in adiutorium inutilem inuocat: [19] et pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest: et de acquirendo et de operando et de omnium rerum euentu petit ab eo qui in omnibus est inutilis.

14 alius nauigare cogitans et per feros fluctus iter facere incipiens: ligno portante se· fragilius lignum inuocat. [2] Illud enim cupiditas acquirendi excogitauit: et artifex· sapientia fabricauit sua. [3] Tua da autem pater prouidentia ab inicio cuncta gubernat: quoniam dedisti in mari viam· et inter fluctus semitam firmissimam: [4] ostendens quoniam potens es ex omnibus sanare· eciam si sine rate aliquis adeat mare. [5] Sed vt non essent vacua sapientie tue opera: propter hoc eciam et exiguo ligno credunt homines animas suas: et transeuntes mare per ratem liberati sunt. [6] Sed et ab inicio cum perirent superbi gigantes: spes orbis terrarum ad ratem confugiens· remisit seculo semen natiuitatis: que manu tua erat gubernata. [7] Benedictum est enim lignum: per quod fit iusticia. [8] Per manus autem quod fit ydolum maledictum est· et ipsum· et qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cum esset fragile deus cognominatus est. [9] Similiter autem odio sunt deo: impius et impietas eius. [10] Etenim quod factum est: cum illo qui fecit tormenta patietur. [11] Propter hoc et in ydolis nationum non erit respectus: quoniam creature dei in odium facte sunt et in temptationem anime hominum: et in muscipulam pedibus insipientium. [12] Inicium enim fornicationis est exquisitio ydolorum: et adinuentio illorum corruptio vite est. [13] Neque enim erat ab inicio: neque erunt in perpetuum. [14] Superuacuitas enim hominum hec adinuenit in orbem terrarum: et ideo breuis illorum finis est inuentus. [15] Acerbo enim luctu dolens pater rapti cito sibi filij fecit imaginem: et illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat nunc tanquam deum colere cepit: et constituit inter seruos suos sacra et sacrificia. [16] Deinde interueniente tempore· conualescente iniqua consuetudine· hic error tanquam lex custoditus est: et tirannorum imperio colebantur figmenta. [17] Et hos quos in palam homines honorare non poterant propter hoc quod longe essent: a longinquo figura eorum allata· euidentem imaginem regis· quem honorare volebant fecerunt: vt illum qui aberat tanquam presentem colerent sua solicitudine. [18] Prouexit autem ad horum culturam et hos qui ignorabant· artificis eximia diligentia. [19] Ille enim volens plus placere illi qui se assumpsit: elaborauit arte sua vt similitudinem in melius figuraret. [20] Multitudo autem hominum abducta per speciem operis: eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat· nunc deum estimauerunt. [21] Et hec fuit vite humane deceptio: quoniam aut affectui aut regibus deseruientes homines· incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt. [22] Et non suffecerat errasse eos circa dei scientiam: sed et in magno viuentes in scientie bello: tot et tam magna mala pacem appellant. [23] Aut enim filios suos sacrificantes· aut obscura sacrificia facientes· aut insanie plenas vigilias habentes· [24] neque vitam neque nuptias mundas iam custodiunt: sed et alius alium per inuidiam occidit aut adulterans contristat: [25] et omnia commixta sunt· sanguis homicidium furtum et fictio· corruptio et infidelitas· turbatio et piurium: tumultus bonorum· [26] dei immemoratio· animarum inquinatio· natiuitatis immutatio· nuptiarum inconstantia: inordinatio mechie et impudicicie. [27] Infandorum enim ydolorum cultura omnis mali causa est: et inicium et finis. [28] Aut enim dum letantur insaniunt· aut certe vaticinantur falsa: aut viuunt iniuste: aut peierant cito. [29] Dum enim confidunt in ydolis que sunt sine anima: male iurantes noceri se non sperant. [30] Vtraque ergo illis euenient digne: quoniam male senserunt de deo· attendentes ydolis: et iurauerunt iniuste in ydolo· contemnentes iusticiam. [31] Non enim iurantium est virtus: sed peccantium pena perambulat semper iniustorum preuaricationem.

15 Tu autem deus noster· suauis et verus es: patiens et in misericordia disponens omnia. [2] Et si enim peccauerimus tui sumus· scientes magnitudinem tuam: et si non peccauerimus: scimus quoniam aput te sumus computati. [3] Nosse enim te consummata iusticia est: et scire iusticiam et virtutem tuam· radix est immortalitatis. [4] Non enim in errorem induxit nos hominum male artis excogitatio: nec vmbra picture· labor sine fructu· effigies sculpta per varios colores· [5] cuius aspectus dat insensato concupiscentiam: et diligit mortue imaginis effigiem sine anima. [6] Malorum amatores digni sunt morte: qui spem habent in talibus et qui faciunt illos: et qui diligunt et qui colunt. [7] Sed et figulus mollem terram premens laboriose fingit ad vsus nostros vnumquodque vas: et de eodem luto fingit que munda sunt in vsum vasa: et similiter que hijs sunt contraria. Horum autem vasorum quis sit vsus iudex est figulus. [8] Et cum labore vario deum fingit de eodem luto· ille qui paulo ante de terra factus fuerat: et post pusillum reducit se vnde acceptus est· repetitus anime debitum quasi habetur. quam habebat. [9] Sed est cura illi non quia laboraturus est· nec quoniam breuis illi vita est: sed concertatur aurificibus et argentarijs: sed et erarios imitatur: et gloriam prefert quoniam res super vacuas fingit. [10] Cinis est enim cor eius: et terra super vacua spes illius et luto vilior vita eius: [11] quoniam ignorauit qui se finxit: et qui inspirauit illi animam que operatur: et qui insufflauit ei spiritum vitalem. [12] Sed et estimauerunt lusum esse vitam nostram: et conuersationem vite compositam ad lucrum: et oportere vndecumque eciam ex malo acquirere. [13] Hic enim scit se super omnes delinquere: qui ex terre materia fragilia vasa et sculptilia fingit. [14] Omnes enim insipientes et infelices supra modum anime superbi sunt inimici populi tui· et imperantes illi: [15] quoniam omnia ydola nationum deos estimauerunt quibus neque oculorum visus est ad videndum: neque nares ad percipiendum spiritum· neque aures ad audiendum: neque digiti manuum ad tractandum: sed et pedes eorum pigri ad ambulandum. [16] Homo enim fecit illos: et qui spiritum mutuatus est is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere. [17] Cum enim sit mortalis: mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse hijs quos colit: quia ipse quidem vixit cum esset mortalis: illi autem numquamque. [18] Sed et animalia miserrima colunt. Insensata enim comparata hijs· illis sunt deteriora. [19] Sed nec aspectu aliquis ex hijs animalibus bona potest conspicere. Effugerunt autem dei laudem: et benedictionem eius.

16 Propter hec et hijs similia passi sunt digne tormenta: et per multitudinem bestiarum exterminati sunt. [2] Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum: quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui· nouum saporem escam parans eis ortigometram: [3] vt illi quidem concupiscentes escam propter ea que illis ostensa et missa sunt· eciam a necessaria concupiscentia auerterentur. Hij autem in breui inopes facti: nouam gustauerunt escam. [4] Oporteenim illis sine excusatione quidem· superuenire interitum exercentibus tirannidem: hijs autem tantum ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur. [5] Et enim cum illis superuenit seua bestiarum ira: morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur. [6] Sed non in perpetuum tua ira permansit: sed ad correptionem in breui turbati sunt: signum habentes salutis· ad commemorationem mandati legis tue. [7] Qui enim conuersus est non per hoc quod videbat sanabatur: sed per te omnium saluatorem. [8] In hoc autem ostendisti inimicis tuis: quia tu es qui liberas ab omni malo. [9] Illos enim

locustarum et muscarum occiderunt morsus: et non est inuenta sanitas anime illorum: quia digni erant ab huiusmodi exterminari. [10] Filios autem tuos nec draconum nec venenatorum vicerunt dentes. Misericordia enim tua adueniens sanabat illos. [11] In memoria enim sermonum tuorum exterminabantur: et velociter sanabantur: ne in altam incedentes obliuionem non posset tuo adiutorio vti. [12] Etenim ne neque herba neque malagma sanauit eos: sed tuus domine sermo qui sanat omnia. [13] Tu es domine qui vite et mortis habes potestatem: et deducis ad portas mortis et reducis. [14] Homo autem occidit quidem per maliciam animam suam: et cum exierit spiritus non reuertetur nec reuocabit animam que recepta est: [15] sed tuam manum effugere impossibile est. [16] Negantes enim nosse te impij per fortitudinem brachij tui flagellati sunt: nouis aquis et grandinibus et pluuijs persecutionem passi: et per ignem consummati. [17] Quod enim mirabile erat: in aqua que omnia extinguit plus ignis valebat. Vindex est enim orbis iustorum. [18] Quodam enim tempore mansuetabatur ignis ne comburerentur que ad impios missa erant animalia: sed vt ipsi videntes scirent quoniam dei iudicio patiuntur persecutionem. [19] Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardebat vndique: vt iniquam terre nationem exterminaret. [20] Pro quibus angelorum esca nutristi populum tuum: et paratum panem de celo prestitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem: et omnis saporis suauitatem. [21] Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebas: et deseruiens vniuscuiusque voluntati· ad quod quisque volebat conuertebatur. [22] Nix autem et glacies sustinebant vim ignis· et non tabescebant: vt scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine et pluuia coruscans. [23] Hoc autem iterum: vt nutrirentur iusti. Ignis eciam sue virtutis oblitus est. [24] Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos: et lenior fit ad benefaciendum pro hijs qui in te confidunt. [25] Propter hoc et tunc omnia transfigurata omnium nutrici gratie tue deseruiebant ad voluntatem eorum qui a te desiderati sunt: [26] vt scirent filij tui quos dilexisti domine: quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines: sed sermo tuus hos qui in te crediderint conseruat. [27] Quod enim ab igne non poterat exterminari statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: [28] vt notum omnibus esset· quoniam oportet preuenire solem ad benedictionem tuam: et ad orientem lucis te adorare. [29] Ingrati enim fides tanquam hibernalis glaties tabescet: et dispeiet tanquam aqua superuacua.

17 Magna sunt enim iudicia tua domine: et inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinate anime errauerunt. [2] Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sancte: vinculis tenebrarum et longe noctis compediti· inclusi sub tectis· fugitiui perpetue prouidentie iacuerunt: [3] et dum putant se latere in obscuris peccatis tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt pauentes horrende: et cum admiratione nimia perturbati. [4] Neque enim que continebat illos spelunca sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos: et persone tristes illis apparentes pauorem illis prestabant. [5] Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen prebere: nec siderum limpide flamme illuminare poterant illam noctem horrendam. [6] Apparebat autem illis subitaneus ignis· timore plenus: et timore percussi illius que non videbatur faciei estimabant deteriora esse que non videbantur: [7] et magice artis appositi erant derisus· et sapientie et glorie correptio cum contumelia. [8] Illi enim qui promittebant timores et perturbaciones se expellere ab anima languente: hij cum derisu· pleni timore languebant. [9] Nam et si nichil eos ex monstris· perturbabat: transitu animalium et serpentium sibilatione commoti· tremebundi peribant: et aerem quem nulla ratione quis effugere posset negantes se videre. [10] Cum sit enim timida nequitia: expectatio: cause· dat testimonium condemnationi. Semper enim presumit per perturbata seua: perturbata conscientia. [11] Nichil enim est timor nisi presumptionis adiutorium: prodicio cogitationis auxiliorum. [12] Et dum abintus minor est expectatio: maiorem computat scientiam eius cause· de qua tormentum prestat. [13] Illi autem qui in potentem venere noctem· et ab infimis et ab altissimis inferis superuenientem eundem somnum dormientes: [14] aliquando monstrorum exagitabantur timore: aliquando anime deficiebant traductione. Subitaneus enim illis et insperatus timor superuenerat. [15] Deinde si quisquam ex illis decidisset: custodiebatur in carcere sine ferro reclusus. [16] Si enim rusticus quis erat aut pastor aut agri laborum operarius preoccupatus esset: in effugibilem sustinebat necessitatem. [17] Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Siue spiritus sibilans aut inter spissos arborum ramos auium sonus suauis· aut vis aque decurrentis nimium· [18] aut sonus validus precipitatarum petrarum: aut ludentium animalium· cursus inuisus· aut mugientium valida bestiarum vox: aut resonans de altissimis montibus echo. Deficientes faciebat illos pretimore. [19] Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine: et non impeditis operibus continebatur. [20] Solis autem illis supposita erat grauis nox: ymago tenebrarum que super ventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.

18 Sanctis autem tuis maxima erat lux: et horum quidem vocem inimici inimici audiebant· sed figuram non videbant. Et quia non et ipsi per eadem passi erant magnificabant te: [2] et qui ante lesi erant quia non ledebantur gratias agebant et vt esset differentia· donum petebant. [3] Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignote vie: et solem sine lesura boni hospicij prestitisti. [4] Digni quidem illi carere luce et pati carcerem tenebrarum qui inclusos custodiebant filios tuos· per incipiebat incorruptum legis lumen seculo dari: [5] dum cogitarent iustorum occidere infantes· et vno exposito filio sed liberato intraductionem illorum multitudinem filiorum abstulisti: et pariter illos perdidisti in aquam validam. [6] Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris: vt vere scientes quibus iuramentis crediderunt animequiores essent. [7] Suscepta est autem a populo tuo· sanitas quidem iustorum: iniustorum autem exterminacio. [8] Sicut enim lesisti aduersarios nostros: sic et nos prouocans magnificasti. [9] Absconse enim sacrificabant iusti pueri bonorum: et iusticie legem inconcordiam disposuerunt similiter bona et mala recepturos iustos: patris decantantes laudes. [10] Resonabat autem iuconueniens inimicorum vox: et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. [11] Simili autem pena seruus cum domino afflictus est: et popularis homo regi similia passus. [12] Similiter ergo omnes vno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum viui sufficiebant: quoniam vno momento que erat preclarior natio illorum exterminata est. [13] De omnibus enim non credentes propter beneficia: tunc cum primum fuit exterminium primigenitorum sposponderunt populum dei se esse. [14] Cum enim quietum silentium contineret omnia· et nox in suo cursu medium iter haberet: [15] omnipotens sermo tuus domine exiliens de celo a regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit: [16] gladius acutus insimilatum imperium tuum portans: et stans repleuit omnia morte: et vsque ad celum attingebat stans in terra. [17] Tunc continuo visus somniorum malorum turbauerunt illos: et timores superuenerunt insperati. [18] Et alius alibi proiectus semiuiuus: propter quam moriebatur causam demonstrabat mortis. [19] Visiones enim que illos turbauerunt hec premonebant: ne inscu quare mala patiebantur perirent. [20] Tetigit autem tunc et iustos temptatio mortis: et commotio in herimo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua. [21] Properans enim homo sine querela deprecari pro populis· proferens seruitutis sue scutum orationem: et per incensum deprecationem allegans· restitit ire et finem imposuit necessitati: ostendens quoniam tuus est famulus. [22] Vicit autem turbas non in virtute corporis nec armatura potentie: sed verbo illum qui se vexabat subiecit: iuramenta parentum et testamentum comemorans. [23] Cum enim iam aceruatim cecidissent super altutrum mortui: interstitit· et amputauit impetum: et diuisit illam que ad viuos ducebat viam. [24] In veste enim poderis quam habebat totus erat orbis terrarum: et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta: et magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat: [25] hijs autem cessit qui exterminabat: et hec extimuit. Erat enim sola temptatio ire sufficiens.

19 Impijs autem vsque in nouissimum sine misericordia ira superuenit. Presciebat enim et futura illorum: [2] quoniam ipsi cum reuersi essent vt seducerent et cum magna sollicitudine premisissent illos: consequebantur illos

penitentie actus. [3] Adhuc enim inter manus habentes luctum et deplorantes ad monumenta mortuorum aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientie: et quos rogantes proiecerant: hos tanquam fugitiuos persequebantur. [4] Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: et horum que acciderant commemorationem amittebant: vt que deerant tormentis repleret punicio: [5] et populus quidem tuus mirabiliter transiret: illi autem nouam mortem inuenirent. [6] Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur deseruiens tuis preceptis: vt pueri tui custodirentur illesi. [7] Nam nubes castra eorum obumbrabat: et ex aqua que ante erat terra arida apparuit: et ex mari rubro via sine impedimento: et campus germinans de profundo nimio: [8] per quem omnis nacio transiuit· que tegebatur tua manu videntes tua mirabilia et monstra. [9] Tanquam equi enim depauerunt escam: et tanquam agni exultauerunt magnificantes te domine qui liberasti illos. [10] Memores enim erant adhuc eorum que in incolatu illorum facta fuerant: quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas: et pro piscibus eructauit fluuius multitudinem ranarum. [11] Nouissime me autem viderunt nouam creaturam auium: cum abducti concupiscentia postulauerunt escas epulationis. [12] In allocutione enim desiderij ascendit illis de mari ortigometra: et vexationes peccatoribus superuenerunt non sine illis que ante facta erant argumentis per vim fluminum. Iuste enim patiebantur secundum suas nequitias. [13] Etenim in indetestabilem hospitalitatem instituerunt. Alij quidem ignotos non recipiebant aduenas. Alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant. [14] Et non solum hoc: sed et alius quidem respectus illorum erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos. [15] Qui autem cum leticia receperunt hos qui eisdem vsi erant institutis: seuissimis afflixerunt doloribus. [16] Percussi sunt autem cecitate· sicut illi in foribus iusti: cum subitaneis cooperti essent tenebris. Vnusquisque transitum hostij sui querebat. [17] In se enim elementa dum conuertuntur sicut in organo qualitatis sonus immutatur: et omnia suum sonum custodiunt. Vnde estimari ex ipso visu certo potest. [18] Agrestia enim in aquatica conuertebantur: et quecumque erant natantia in terra transiebant. [19] Ignis in aqua valebat supra suam virtutem: et aqua extinguentis nature obliuiscebatur. [20] Flamme econtrario corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium: nec dissoluebant illam que facile dissoluebatur sicut glacies bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum domine· et honorasti: et non despexisti in omni tempore et in omni loco assistens. eis.

Incipit liber ecclesiasticus.

Multorum nobis et magnorum per legem et prophetas aliosque qui secuti sunt illos sapientia demonstrata est: in quibus oportet laudare israhel doctrine et sapientie causa: quia non solum ipsos loquentes necesse est esse peritos: sed eciam extraneos posse et discentes et scribentes doctissimos fieri. Auus meus ihesus postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis et prophetarum et aliorum librorum qui nobis a parentibus nostris traditi sunt voluit et ipse scribere aliquid horum que ad doctrinam et sapientiam pertinent: vt desiderantes discere et illorum periti fieri magis magisque attendant animo: et confirmentur ad legitimam vitam. Hortor itaque venire vos cum beniuolentia et attentiori studio lectionem facere: et veniam habere in illis in quibus videmur sequentes imaginem sapientie: et deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba hebraica: quando fuerunt translata ad aliam linguam. Non autem solum hec: sed et ipsa lex et prophete ceteraque aliorum librorum non paruam habent differentiam quando inter se dicuntur. Nam in octauo et tricesimo anno temporibus ptolomei euergetis regis postquam perueni in egiptum: et cum multum temporis ibi fuissem inueni ibi libros relictos non parue neque contemnende doctrine. Itaque bonum et necessarium putaui et ipse aliquam addere diligentiam et laborem· interpretandi librum istum: et multa vigilia attuli doctrinam in spatio temporis ad illa que ad finem ducunt librum istum dare: et illis qui volunt animum intendere et discere quemadmodum oporteat instituere mores qui secundum legem domini proposuerint vitam agere.

Ecclesiasticus

Incipit liber ecclesiasticus.

1 Omnis sapientia a do deo est: et cum illo semper: fuit semper: et est anA te euum. [2] Arenam maris et pluuie gutitas tas et dies seculi: quis dinumerauit: Altituditudinem celi et latitudinem terre et profundum abissi: quis dimensus est [3] sapientiam dei precedentem omnia: quis inuestigauit [4] prior omnium creata est sapientia: et intellectus prudentie ab euo. [5] Fons sapientie verbum dei inexcelsis: et ingressus illius mandata eterna. [6] Radix sapientie cui reuelata est· et astutias illius quis agnouit? [7] Disciplina sapientie cui reuelata est et manifestata: et multiplicationem ingressus illius quis intellexit? [8] Vnus est altissimus creator omnium omnipotens· et rex potens· et metuendus nimis: sedens super throuum illius: et dominans deus. [9] Ipse creauit illam in spiritu sancto: et vidit et dinumerauit et mensus est. [10] Et effudit illam super omnia opera sua: et super omnem carnem secundum datum suum: et prebet illam diligentibus se. [11] Timor domini gloria et gloriacio: et leticia et corona exultacionis. [12] Timor domini delectabit cor: et dabit leticiam et gaudium in longitudinem dierum. [13] Timenti deum bene erit in extremis: et in die defunctionis sue benedicetur. [14] Dilecto dei honorabilis sapientia: [15] quibus autem apparuerit in visu· diligunt eam: in visione et in agnicione magnalium suorum. [16] Initium sapientie timor domini: et cum fidelibus in vulua concreatus est: et cum electis feminis graditur· et cum iustis et fidelibus agnoscitur. [17] Timor domini scientie religiositas. [18] Religiositas custodiet et iustificabit cor: iocunditatem atque gaudium dabit. [19] Timenti deum bene erit inextremis. et in diebus consolationis illius benedicetur. [20] Plenitudo sapientie timere deum: et plenitudo a fructibus illius. [21] Omnem domum illius implebit a generationibus: et receptacula a thesauris illius. [22] Corona sapientie timor domini: replens pacem et salutis fructum: [23] et vidit et dinumerauit eam. Vtraque autem suut dona dei. [24] Scientiam et intellectum prudentie· sapientia comparcietur: et gloriam tenentium se exaltat. [25] Radix sapientie est timere deum: rami enim illius longeui. [26] In thesauris sapientie intellectus et scientie religiositas: execratio autem peccatoribus sapientia. [27] Timor domini expellit peccatum. [28] Nam qui sine timore est non poterit iustificari: iracundia enim animositatis illius subuersio eius est [29] Vsque in tempus sustinebit patiens: et postea reddicio iocunditatis. [30] Bonus sensus. vsque in tempus abscondet verba illius: et labia multorum enarrabunt sensum illius. [31] In thesauris sapientie significatio discipline: [32] execratio autem peccatori cultura dei. [33] Fili concupiscens sapientiam conserua iusticiam: et deus prebebit illam tibi. [34] Sapientia enim et disciplina timor domini: et quod beneplacitum est illi [35] fides et mansuetudo: et ad implebit thesauros illius. [36] Contumax non sis· et incrediblis timori dei: et ne accesseris ad illum duplici corde. [37] Ne fueris ypocrita in conspectu hominum: et non scandalizeris in labijs tuis. [38] Attende

in illis ne forte cadas· et adducas anime tue inhonorationem: [39] et reuelet deus absconsa tua· et in medio sinagoge elidat te: [40] quoniam accessisti maligne ad dominum· et cor tuum plenum est dolo et fallacia.

2 Fili accedens ad seruitutem dei· sta iusticia et in timore: et prepara animam tuam ad temptationem. [2] Deprime cor tuum et sustine: et inclina aurem tuam et suscipe verba intellectus: et ne festines in tempus obductionis. [3] Sustine sustentationes dei: coniungere deo et sustine: vt crescat in nouissimo vita tua. [4] Omne quod tibi applicitum fuerit accipe· et in dolore sustine· et in humilitate tua pacientiam habe: [5] quoniam in igne probatur aurum et argentum: homines vero receptibiles in camino humiliationis. [6] Crede deo et recuperabit te: et dirige viam tuam et spera in illum. Serua timorem illius: et in illo veterasce. [7] Metuentes dominum sustinete misericordiam eius: et non deflectatis ab illa ne cadatis. [8] Qui timetis dominum credite illi: et non euacuabitur merces vestra. [9] Qui timetis dominum sperate in illum: et in oblectationem veniet vobis misericordia. [10] Qui timetis dominum diligite illum: et illuminabuntur corda vestra. [11] Respicite filij nationes hominum: et scitote quia nullus sperauit in domino· et confusus est. [12] Quis enim permansit in mandatis eius: et derelictus est? Aut quis inuocauit eum: et despexit illum? [13] Quoniam pius et misericors est deus: et remittet in die tribulationis peccata: et protector est omnibus exquirentibus se in veritate. [14] Ve duplici corde et labijs scelestis et malefacientibus: manibus malefacientibus: et peccatori terram ingredienti duabus vijs. [15] Ve dissolutis corde· qui non credunt deo: et ideo non protegentur ab eo. [16] Ve hijs qui perdiderunt sustinentiam: et qui dereliquerunt vias rectas: et diuerterunt in vias prauas. [17] Et quid facient cum inspicere ceperit dominus? [18] Qui timent dominum non erunt incredibiles verbo illius: et qui diligunt illum conseruabunt verbum illius. [19] Qui timent dominum inquirent que beneplacita sunt ei: et qui diligunt eum replebuntur lege ipsius. [20] Qui timent dominum preparabunt corda sua: et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. [21] Qui timent dominum custodient mandata illius: et pacientiam habebunt vsque ad inspectionem illius [22] dicentes. Si penitenciam non egerimus incidemus in manus domini: et non in manus hominum. [23] Secundum enim magnitudinem illins: sic et misericordia illius cum ipso est.

3 Filij sapientie ecclesia iustorum: et natio illorum obedientia et dilectio. [2] Iuditium patris audite filij: et sic facite vt salui sitis. [3] Deus enim honorauit patrem in filijs: et iudicium matris exquirens firmauit in filios. [4] Qui diligit deum exorabit pro peccatis et continebit se ab illis et in oratione dierum exaudietur: [5] et sicut qui thesaurisat ita et qui honorificat matrem suam. [6] Qui honorat patrem suum iocundabitur in filijs: et in die orationis sue exaudietur. [7] Qui honorat patrem suum vita viuet longiore: et qui obedit patri refrigerabit matrem. [8] Qui timet dominum honorat parentes: et quasi dominis seruiet hijs qui se genuerunt. [9] In opere et sermone et omni pacientia honora patrem tuum [10] vt superueniat tibi benedictio a deo: et benedictio manet. Benedictio illius in nouissimo manet. [11] Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta. [12] Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria sed confusio. [13] Gloria enim hominis ex honore patris sui: et dedecus filij· pater sine honore. [14] Fili suscipe senectam patris tui et non contristeres eum in vita illius: [15] et si defecerit sensu· veniam da: et ne spernas eum in tua virtute. Elemosina enim patris non erit in obliuione. [16] Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum: [17] et in iusticia edificabitur tibi· et in die tribulacionis commemorabitur tui: et sicut in sereno glacies· soluentur peccata tua. [18] Quam male fame est qui derelinquit patrem: et est maledictus a deo qui exasperat matrem. [19] Fili in mansuetudine opera tua perfice: et super hominum gloriam diligeris. [20] Quanto magnus es humilia te in omnibus· et coram deo inuenies gratiam: [21] quoniam magna potentia dei solius: et ab humilibus honoratur. [22] Altiora te ne quesieris: et fortiora te ne scrutatus fueris: sed que precepit tibi deus illa cogita semper: et in pluribus opinionibus eius ne fueris curiosus. [23] Non est enim tibi necessarium ea que abscondita sunt videre oculis tuis. [24] In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter: et in pluribus eius operibus non eris curiosus. [25] Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. [26] Multos enim supplantauit suspicio ilorum: et in vanitate detinuit sensus illorum. [27] Cor durum habebit male in nouissimo: et qui amat periculum· in illo peribit. [28] Cor ingrediens duas vias non habebit successus: et prauicors in illis scandalizabitur. [29] Cor nequam grauabitur in doloribus: et peccator adiciet ad peccandum. [30] Sinagoge superborum non erit sanitas: frutex enim peccati eradicabitur in illis et non intelligetur. [31] Cor sapientis intelligitur in sapientia: et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. [32] Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis: et in operibus iusticie successus habebit. [33] Ignem ardentem extinguit aqua: et elimosina resistit peccatis: [34] et deus prospector est eius qui reddit gratiam. Meminit in posterum: et in tempore casus sui inueniet firmamentum.

4 Fili elemosinam pauperis ne defraudes: et oculos tuos ne transuertas a paupere. [2] Animam esurientem ne despexeris: et non exasperes pauperem in inopia sua. [3] Cor inopis ne afflixeris: et non protrahas datum angustianti. [4] Rogationem contribulati ne abicias: et non auertas faciem tuam ab egeno. [5] Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram: et non relinquas querentibus tibi retro maledicere. [6] Maledicentis enim tibi in amaritudine anime exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum. [7] Congregacioni pauperum affabilem te facito: et presbitero humilia animam tuam: et magnato humilia caput tuum. [8] Declina pauperi sine tristicia aurem tuam: et redde debitum tuum: et responde illi pacifice in mansuetudine. [9] Libera eum qui iniuriam patitur de manu superbi: et non acide feras in anima tua. [10] In iudicando esto pupillis misericors vt pater· et pro viro matri illorum: [11] et eris tu velut filius altissimi obediens: et miserebitur tui magisquam mater. [12] Sapientia filijs suis vitam inspirat: et suscipit inquirentes se: et preibit in via iusticie. [13] Et qui illam diligit diligit vitam: et qui vigilauerint ad illam complectentur placorem eius. [14] Qui tenuerint illam vitam hereditabunt: et quo introibit benedicet deus. [15] Qui seruiunt ei obsequentes erunt deo: et eos qui diligunt illam diligit deus. [16] Qui audit illam iudicabit gentes: et qui intuetur illam permanebit confidens. [17] Si crediderit ei permanebit et hereditabit illam: et erunt in confirmatione creature illorum: [18] quoniam in temptatione ambulat cum eo et in primis eligit eum. [19] Timorem et metum et probationem inducet super illum: et cruciabit illum in tribulatione doctrine sue donec tempret eum in cogitacionibus suis: et credat anime illius. [20] Et firmabit illum et iter adducet directum ad illum: et letificabit illum [21] et denudabit illi absconsa sua: et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum iusticie. [22] Si autem oberrauerit derelinquet eum: et tradet eum in manus inimici sui. [23] Fili conserua tempus: et deuita a malo. [24] Pro anima tua ne confundaris dicere verum. [25] Est enim confusio adducens peccatum: et est confusio adducens gloriam et gratiam. [26] Ne accipias faciem aduersus faciem tuam: nec aduersus animam tuam mendatium. [27] Ne reuerearis proximum tuum in casu suo: [28] nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo. [29] In lingua enim sapientia dinoscitur: et sensus et scientia et doctrina in verbo sensati: et firmamentum in operibus iusticie. [30] Non contradicas verbo veritatis vllomodo: et de mendatio ineruditionis tue confundere. [31] Non confundaris confiteri peccata tua: et ne subicias te omni homini pro peccato. [32] Noli resistere contra faciem potentis: nec coneris contra ictum fluuij. [33] Pro iusticia agonizare pro anima tua: et vsque ad mortem certa pro iusticia: et deus expugnabit pro te inimicos tuos. [34] Noli citatus esse in lingua tua: et inutilis et remissus in operibus tuis. [35] Noli esse sicut leo in domo tua euertens domesticos tuos: et opprimens subiectos tibi. [36] Non sit porrecta manus tua ad accipiendum et ad dandum collecta.

5 Noli adtendere ad possessiones iniquas: et ne dixeris est michi sufficiens vita. Nichil enim proderit in tempore vindicte et obductionis. [2] Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui: [3] et ne dixeris. Quomodo potui: aut quis me subiciet propter facta mea? Deus autem vindicans vindicabit. [4] Ne dixeris. Peccaui: et quid michi accidit triste?

Altissimus enim est patiens redditor. [5] De propiciatu peccatorum noli esse sine metu: neque addicias peccatum super peccatum: [6] et ne dicas. Miseratio domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur. [7] Misericordia enim et ira ab illo cito proximant: et in peccatores respicit ira illius. [8] Ne tardes conuerti ad dominum: et ne differas de die in diem. [9] Subito enim veniet ira domini: et in tempore vindicte disperdet te. [10] Noli anxius esse in diuitijs iniustis: non enim proderunt tibi in die obductionis et vindicte. [11] Non ventiles te in omnem ventum: et non eas in omnem viam. Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. [12] Esto firmus in via domini et in veritate sensus tui et scientia: et prosequatur te verbum pacis et iusticie. [13] Esto mansuetus ad audiendum verbum dei vt intelligas: et cum sapientia proferes responsum verum. [14] Si est tibi intellectus responde proximo: sin autem manus tua sit super os tuum: ne capiaris in verbo indisciplinato et confundaris. [15] Honor et gloria in sermone sensati: lingua vero imprudentis subuersio est ipsius. [16] Non appelleris susurro in vita tua: et lingua tua ne capiaris et confundaris. [17] Super furem enim est confusio et penitentia: et denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium et inimicicia et contumelia. [18] Iustifica pusillum et magnum similiter.

6 Noli Noli fieri pro amico inimicus mo. proximo. Improprium enim et contumeliam malus hereditabit: et omnis peccator rator inuidus et bilinguis. [2] Non te extollas in cogitatione anime tue velut taurus ne forte elidatur virtus tua per stulticiam: [3] et folia tua comedat et fructus tuos perdat: et relinquaris velut lignum aridum in heremo. [4] Anima enim nequam disperdet qui se habet: et in gaudium inimicis dat illum: et deducet in sortem impiorum. [5] Verbum dulce multiplicat amicos et mitigat inimicos: et lingua eucharis in bono homine abundabit. [6] Multi pacifici sint tibi: et consiliarius sit tibi vnus de mille. [7] Si possides amicum in temptacione posside eum: et ne facile credas ei teipsum. [8] Est enim amicus secundum tempus suum: et non permanebit in die tribulationis. [9] Et est amicus qui conuertitur ad inimiciciam: et est amicus qui odium et rixam et conuicia denudabit. [10] Est autem amicus socius mense: et non permanebit in die necessitatis. [11] Amicus si permanserit fixus· erit tibi quasi coequalis: et in domesticis tuis fiduncialiter aget. [12] Si humiliauerit se contra te et a facie tua absconderit se: vnanimem habebis amiciciam bonam. [13] Ab inimicis tuis separare: et ab amicis tuis attende. [14] Amicus fortis fidelis protectio: qui autem inuenit illum inuenit thesaurum. [15] Amico fideli nulla est comparatio: et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. [16] Amicus fidelis medicamentum vite et immortalitatis: et qui metuunt dominum inueniunt illum. [17] Qui timet deum eque habebit amiciciam bonam: quoniam secundum illum erit amicus illius. [18] Fili a iuuentute tua excipe doctrinam: et vsque ad canos inuenies sapientiam. [19] Quasi is qui arat et qui seminat accede ad eam: et sustine bonos fructus illius. [20] In opere enim ipsius exiguum laborabis: et cito edes de generationibus illius. [21] Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus: et vm non permanebit in illa excors. [22] Quasi lapidis virtus probatio erit in illis: et non demorabuntur proicere illam. [23] Sapientia enim doctrine secundum nomen est eius: et non est multis manifesta. Quibus autem cognita est permanet vsque ad conspectum dei. [24] Audi fili et accipe consilium intellectus: et ne abicias consilium meum. [25] Inice pedem tuum in conpedes illius: et intorques illius collum tuum. [26] Subice humerum tuum et porta illam: et ne accidieris vinculis eius. [27] In omni animo tuo accede ad illam: et in omni virtute tua conserua vias eius. [28] Inuestiga illam et manifestabitur tibi: et continens factus ne derelinquas eam. [29] In nouissimis enim inuenies requiem in ea: et conuertetur tibi in oblectationem. [30] Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis et bases virtutis: et torques illius in stolam glorie. [31] Decor enim vite est in illa: et vincula illius alligatura salutis. [32] Stola glorie indues eam: et coronam gratulationis impones tibi. [33] Fili si attenderis michi disces eam: et si accomodaueris animum tuum sapiens eris. [34] Si inclinaueris aurem tuam excipies doctrinam: et si dilexeris audire sapiens eris. [35] In multitudine presbiterorum prudentium sta· et sapientie illorum ex corde coniungere: vt omnem narrationem dei possis audire: et prouerbia laudis non effugiant a te. [36] Et si videris sensatum euigila ad eum: et gradus hostiorum illius exterat pes tuus. [37] Cogitatum tuum habe in preceptis dei· et in mandatis illius maxime assiduus esto: et ipse dabit tibi cor: et concupiscentia sapientie dabitur tibi.

7 Noli facere mala et non te apprehendent: [2] discede ab iniquo et deficient mala abs te. [3] Fili non semines mala in sulcis iniusticie: et non metes ea in septuplum. [4] Noli querere ab homine ducatum: neque a rege cathedram honoris. [5] Non te iustifices ante deum quoniam agnitor cordis est ipse: et penes regem noli velle videri sapiens. [6] Noli querere fieri iudex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis: et ponas scandalum in agilitate tua. [7] Non pecces in multitudine ciuitatis· nec te immittas in populum: [8] neque alliges duplicia peccata. Nec enim in vno eris immunis. [9] Noli esse pusillanimis in animo tuo: [10] exorare et facere elemosinam ne despicias. [11] Ne dicas in multitudine munerum meorum respiciet deus: et offerente me deo altissimo· munera mea suscipiet. [12] Non irrideas hominem in amaritudine anime: est enim qui humiliat et exaltat circumspector deus. [13] Noli amare mendatium aduersus fratrem tuum: neque in amicum similiter facias. [14] Noli velle mentiri omne mendatium: assiduitas enim illius non est bona. [15] Noli verbosus esse in multitudine presbiterorum: et non iteres verbum in oratione tua. [16] Non oderis laboriosa opera: et rusticationem creatam ab altissimo. [17] Non te reputes in multitudine indisciplinatorum: [18] memento ire quoniam non tardabit. [19] Humilia valde spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij· ignis et vermis? [20] Noli preuaricari in amicum pecuniam differentem: neque fratrem tuum karissimum auro spreueris. [21] Noli discedere a muliere ere sensata et bona quam sortitus es in timore domini: gratia enim verecundie illius super aurum. [22] Non ledas seruum in veritate operantem: neque mercenarium dantem animam suam. [23] Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate: neque inopem derelinquas illum. [24] Peccora tibi sunt adtende illis: et si sunt vtilia perse verent verent aput te. [25] Filij tibi sunt erudi illos: et cura illos a puericia illorum. [26] Filie tibi sunt serua corpus illarum: et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. [27] Trade filiam et grande opus feceris: et homini sensato da illam. [28] Mulier si est tibi secundum animam tuam non proicias illam: et odibili non credas te in toto corde tuo. [29] Honora patrem tuum: et gemitus matris tue ne obliuscaris. [30] Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: et retribue illis quomodo et illi tibi. [31] In tota anima tua time dominum: et sacerdotes illius sanctifica. [32] In omni virtute dilige eum qui te fecit: et ministros eius ne derelinquas. [33] Honora deum ex tota anima tua et honorifica sacerdotes: et propurga te cum brachijs. [34] Da illis partem sicut mandatum est tibi primiciarum et purgationis: et de negligentia tua purga te cum paucis. [35] Datum brachiorum tuorum et sacrificium sanctificationis offeres domino et inicia sanctorum: [36] et pauperi porrige manum tuam vt perficiatur propiciacio et benedictio tua· [37] gratia datus in conspectu omnis viuentis: et mortuo non prohibeas gratiam. [38] Non desis plorantibus in consolacione: et cum lugentibus ambula. [39] Non te pigeat visitare infirmum: ex hijs enim in dilectione firmaberis. [40] In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua: et ineternum non peccabis.

8 Non litiges cum homine potente: ne forte te incidas in manus illius. [2] Non contendas das cum viro locuplete: ne forte contra te constituat litem tibi. [3] Multos enim perdidit aurum et argentum: et vsque ad cor regum extendit et conuertit. [4] Non litiges cum homine linguato et non strues in ignem illius ligna. [5] Non communices hominum indocto: ne male de progenie tua loquatur. [6] Ne despicias hominem auertentem se a peccato: neque improperes ei. Memento quoniam omnes in corruptione sumus. [7] Ne spernas hominem in sua senectute: et enim ex nobis senescunt. [8] Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes moriemur: et in gaudium volumus venire. [9] Ne despicias narrationem presbiterorum sapientum: et in prouerbijs eorum conuersare. [10] Ab ipsis enim disces sapientiam et doctrinam intellectus: et seruire magnatis sine querela. [11] Non te preteriat narrationum seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis. [12] Quoniam ab ipsis disces intellectum: et in

tempore necessitatis dabis responsum. 13 Non incendas carbones peccatorum arguens eos: et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. 14 Ne contra faciem stes contumeliosi: ne sedeat quasi insideator ori tuo. 15 Noli fenerari homini fortiori te: quod si feneraueris quasi perditum habe. 16 Non spondeas super virtutem tuam: quod si sposponderis quasi restituens cogita. 17 Non iudices contra iudicem: quoniam secundum quod iustum est iudicat. 18 Cum audace non eas in via: ne forte grauet mala sua in te. Ipse enim secundum voluntatem suam vadit: et simul cum stulticia illius peries. 19 Cum iracundo non facias rixam et cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nichil est ante illum sanguis: et vbi non est adiutorium elidet te. 20 Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi que eis placent. 21 Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet. 22 Non omni homini cor tuum manifestes: ne forte inferat tibi gratiam falsam et conuicietur tibi.

9 Non Non zeles mulierem sinus tui: ne ostendat super te maliciam doctrine nequam. 2 Non des mulieri potestatem anime tue: ne ingrediatur in virtute tua et con fundaris. 3 Ne respicias mulierem multiuolam: ne forte incidas in laqueos illius. 4 Cum saltatrice ne assiduus sis nec audias illam: ne forte pereas in efficatia illius. 5 Virginem ne conspicias: ne forte scandalizeris in decore illius. 6 Ne des fornicarijs animam tuam in vllo: ne perdas te et hereditatem tuam. 7 Noli circumspicere in vicis ciuitatis: nec oberraueris in plateis illius. 8 Auerte faciem tuam a muliere compta: et ne circumspicias speciem a alienam. 9 Propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. 10 Omnis mulier que est fornicaria quasi stercus in via ab omnibus pretereuntibus conculcabitur. 11 Speciem mulieris aliene multi ammirati· reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. 12 Cum aliena muliere ne sedeas omnino· nec accumbas cum ea super cubitum: 13 et non altriceris cum illa in vino ne forte declinet cor tuum in illam: et sanguine tuo labaris in perditionem. 14 Ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis illi. 15 Vinum nouum amicus nouus: veterascat: et cum suauitate bibes illud. 16 Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis que futura sit illius subuersio. 17 Non placeat tibi iniuria iniustorum: sciens quoniam vsque ad inferos non placebit impius. 18 longe abesto ab homine potestatem habente occidendi: et non suspicaberis timorem mortis. 19 Et si accesseris ad illum noli aliquid committere: ne forte aufferat vitam tuam. 20 Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris: et super dolentium arma ambulabis. 21 Secundum virtutem tuam: caue te a proximo tuo: et cum sapientibus et prudentibus tracta. 22 Viri iusti sint tibi conuiue: et in timore dei sit tibi gloriatio: 23 et in sensu sit tibi cogitatus dei: et omnis enarratio tua in preceptis altissimi. 24 In manu artificum opera laudabuntur: et princeps populi in sapientia sermonis sui: in sensu vero seniorum verbum. 25 Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus: et temerarius in verbo suo odibilis erit.

10 Iudex sapiens iudicabit populum suum: et principatus sensati stabilis erit. 2 Secundum iudicem populi sic et minister eius: et qualis rector est ciuitatis: tales et inhabitantes in ea. 3 Rex insipiens perdet populum suum: et ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentium. 4 In manu dei potestas terre: et execrabilis omnis iniquitas gentium: et vtilem rectorem in tempore suscitabit super illam. 5 In manu dei potestas hominis: et super faciem scribe imponet honorem suum. 6 Omnis iniurie proximi ne memineris: et nichil agas in operibus iniurie. 7 Odibilis coram deo est et hominibus superbia: et execrabilis omnis iniquitas gentium. 8 Regnum a gente in gentem transfertur propter iniusticias et iniurias et contumelias et diuersos dolos. 9 Auaro autem nichil est scelestius. Quid superbis terra et cinis? 10 Nichil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua. 11 Omnis potentatus breuis vita: languor prolixior grauat medicum. 12 Breuem languorem precidit medicus: sic et rex hodie est: et cras morietur. 13 Cum enim morietur homo: hereditabit serpentes et bestias et vermes. 14 Initium superbie hominis apostatare a deo: 15 quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius: quoniam initium peccati est omnis superbia. Qui tenuerit illam adimplebitur maledictis: et subuertet eum in finem. 16 Propterea exhonorauit dominus conuentus malorum: et destruxit eos vsque in finem. 17 Sedes ducum superborum destruxit deus: et sedere fecit mites pro eis. 18 Radices gentium superbarum arefecit deus: et plantauit humiles ex ipsis gentibus. 19 Terras gentium euertit dominus: et perdidit eas vsque ad fundamentum. 20 Arefecit ex ipsis et disperdidit eos: et cessare fecit memoriam eorum a terra. 21 Memoriam superborum perdidit deus: et reliquit memoriam humilium sensu. 22 Non est creata hominibus superbia: neque iracundia nationi mulierum. 23 Semen hominum honorabitur hoc quod timet deum: semen autem hoc exhonorabitur quod preterit mandata domini. 24 In medio fratrum rector illorum in honore: et qui timent dominum erunt in oculis illius. 25 Gloria diuitum honoratorum et pauperum timor dei est: 26 non despicere hominem iustum pauperem: et non magnificare virum peccatorem diuitem. 27 Magnus est iudex et potens est in honore: et non est maior illo qui timet deum. 28 Seruo sensato liberi seruient: et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus: et inscius non honorabitur. 29 Noli extollere te in faciendo opere tuo: et noli cunctari in tempore angustie. 30 Melior est qui operatur et abundat in omnibus: quam qui gloriatur et eget pane. 31 Fili in mansuetudine serua animam tuam: et da illi honorem secundum meritum suum. 32 Peccantem in animam suam quis iustificabit? Et quis honorificabit exhonorantem animam suam? 33 Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum: et est homo qui honorificatur propter substanciam suam. 34 Qui autem gloriatur in paupertate: quantomagis in substancia? Et qui gloriatur in substancia: paupertatem vereatur.

11 Sapientia humiliati exaltabit caput illius: et in medio magnatorum consedere illum faciet. 2 Non laudes virum in specie sua: neque spernas hominem in visu suo. 3 Breuis in volatilibus apis: et inicium dulcoris habet fructus illius. 4 Ne glorieris in vestitu vnquam: nec in die honoris tui extollaris. Quoniam mirabilia opera altissimi solius: et gloriosa et absconsa et inuisa opera illius. 5 Multi tyranni sederunt in throno: et in suspicabilis portauit diadema. 6 Multi potentes oppressi sunt valide: et gloriosi traditi suut in manus alterorum. 7 Priusquam interroges ne vituperes quemquam: et cum interrogaueris corripe iuste. 8 Priusquam audias ne respondeas verbum: et in medio seniorum ne adicias loqui. 9 De ea re que te non molestat ne certeris: et in iudicio peccancium ne consistas. 10 Fili ne in multis sint actus tui: et si diues fueris non eris immunis a delicto. Si enim secutus fueris non apprehendes: et non effugies si percucurreris. 11 Est homo laborans et festinans et dolens impius: et tantomagis non abundabit. 12 Est homo marcidus egens recuperatione plus deficiens virtute et habundans paupertate: 13 et oculus dei respexit illum in bono et erexit eum ab humilitate ipsius· et exaltauit caput eius: et mirati sunt in illo multi et honorauerunt deum. 14 Bona et mala· vita et mors: paupertas et honestas: a deo sunt. 15 Sapientia disciplina et scientia legis aput dominum: aput dominum: dilectio et vie bonorum aput ipsum. 16 Error et tenebre peccatoribus concreata sunt. Qui autem exultant in malis consenescunt in malo. 17 Dacio dei iustis permanet: et profectus illius successus habebit ineternum. 18 Est qui locupletatur parce agendo: et hec pars mercedis illius 19 in eo quod dicit. Inueni requiem michi et nunc manducabo de bonis meis solus· 20 et nescit quod tempus pretereat et mors apropinquet· et relinquat omnia alijs· et moriatur. 21 Sta in testamento tuo et in illo colloquere: et in opere mandatorum tuorum veterasce. 22 Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in deo: et mane in loco tuo: 23 facile est enim in oculis dei subito honestare pauperem. 24 Benedictio dei in mercedem iusti festinat: et in honore veloci processus illius fructificat. 25 Ne dicas· quid est michi opus: et que erunt michi ex hoc bona? 26 Ne dicas. Sufficiens michi sum· et quid ex hoc pessimabor: 27 In die bonorum ne immemor sis malorum: et in die malorum ne immemor sis bonorum: 28 quoniam facile est coram deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas. 29 Malicia hore obliuionem facit luxurie magne: et in fine hominis denudatio operum illius. 30 Ante mortem ne laudes hominem quemquam: quoniam in filijs suis agnoscitur vir. 31 Non omnem hominem inducas in domum tuam: multe

enim sunt insidie dolosi. 32 Sicut enim eructuant precordia ferancium et sicut perdix inducitur in caueam et vt caprea in laqueum sic et cor superborum: et sicut prospector videns casum proximi sui. 33 Bona enim in mala conuertens insidiatur: et in electis imponet maculam. 34 Ab scintilla enim vua augetur ignis: et ab vno doloso augetur sanguis: homo vero peccator sanguini insidiatur. 35 Attende tibi a pestifero· fabricat enim mala: ne forte inducat super te subsannacionem in perpetuum. 36 Admitte ad te alienigenam et subuertet te in turbine: et abalienabit te a vijs proprijs.

12 benefeceris scito cui feceris: et erit gratia in bonis tuis multa. 2 Benefac iusto et inuenies retribucionem magnam: et si non ab ipso: certe a domino. 3 Non est ei bene qui assiduus est in malis et elemosinas non danti: quoniam et altissimus odio habet peccatores: et misertus est penitentibus. 4 Da misericordi· et ne suscipias peccatorem: et impijs et peccatoribus reddet vindictam: custodiens eos in diem vindicte. 5 Da bono et non receperis peccatorem: 6 benefac humili et non dederis impio. Prohibe panes illi dare: ne in ipsis potentior te sit. 7 Nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis quecumque feceris illi: quoniam et altissimus odio habet peccatores: et impijs reddet vindictam. 8 Non agnoscetur in bonis amicus: et non abscondetur in malis inimicus. 9 In bonis viri inimici illius: in tristicia et in malicia illius· amicus agnitus est. 10 Non credas inimico tuo ineternum. Sicut enim erramentum· eruginat nequitia illius: 11 et si humiliatus vadat curuus abice animum tuum: et custodi te ab illo. 12 Non statuas illum penes te nec sedeat ad dexteram tuam ne conuersus stet in loco tuo: ne forte conuersus in locum tuum inquirat cathedram tuam: et in nouissimo cognoscas verba mea et in sermonibus meis stimuleris. 13 Quis miserebitur incantatori a serpente percusso: et omnibus qui appropiant bestijs? Sic et qui comitatur cum viro iniquo: et obuolutus est iu peccatis eius. 14 Vna hora tecum permanebit: si autem declinaueris non supportabit. 15 In labijs suis indulcat inimicus: et in corde suo insidiatur vt subuertat te in foueam. 16 In ocu lis suis lacrimatur inimicus: et si inuenirit tempus· non saciabitur sanguine: 17 et si incurrerint tibi mala· inuenies eum illic priorem. 18 In oculis suis lacrimatur inimicus: et quasi adiuuans suffodiet et plantas tuas. 19 Caput suum mouebit et plaudebit manu: et multa susurrans commutabit vultum suum.

13 Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: et qui communicauerit superbo induet superbiam. 2 Pondus super se tollit qui honestiori se communicat: et ditiori te ne socius fueris. 3 Quid communicabit cacabus ad ollam? Quando enim se colliserint confringetur. 4 Dies iniuste aget et fremebit: pauper autem lesus tacebit. 5 Si largitus ei fueris assumet te: et si non habueris derelinquet te. 6 Si habes conuiuet tecum et euacuabit te: et ipse non dolebit super te. 7 Si necessarius illi fueris supplantabit te: et subridens spem dabit narrans tibi omnia bona et dicet quid opus est tibi: 8 et confundet te in cibis suis· donec te exinaniat bis et ter: et in nouissimo deridet te. Et postea videns derelinquet te: et caput suum mouebit ad te. 9 Humiliare deo: et exspecta manus eius. 10 Attende ne seductus in stulticiam humilieris. 11 Noli esse humilis in sapientia tua: ne humiliatus in stulticiam seducaris. 12 Aduocatus a potentiore discede: ex hoc enim magis te aduocabit. 13 Ne improbus sis· ne impingaris: et ne longe sis ab eo: ne eas in obliuionem. 14 Ne retineas ex equo loqui cum illo: nec credas multis verbis illius. Ex multa enim loquela temptabit te: et subridens interrogabit te. De absconditis tuis 15 immittis animus illius conseruabit verba tua: et non parcet de malicia et de viculis. 16 Caue tibi et attende diligenter auditui meo: quoniam cum subuersione tua ambulas. 17 Audiens vero verba illa quasi in somnis vide: et vigilabis 18 omni vita tua. Dilige deum: et inuoca illum in salute tua. 19 Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi. 20 Omnis caro ad similem sibi coniungetur: et omnis homo simili sui sociabitur. 21 Si communicabit lupus agno aliquando: sic peccator iusto. 22 Que communicatio sancto homini ad canem: aut que pars bona diuiti ad pauperem? 23 Venatio leonis onager in heremo: sic et pascua sunt diuitum pauperes. 24 Et sicut abominacio est superbo humilitas: sic et execratio diuitis pauper. 25 Dies commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit expelletur et a notis. 26 Diuiti decepto multi recuperatores: locutus est superba: et iustificauerunt illum. 27 Humilis deceptus est: insuper et arguitur. Locutus est sensate: et non est ei datus locus. 28 Dies locutus est et omnes tacuerunt: et verbum illius vsque ad nubes perducent. 29 Pauper locutus est: et dicunt. Quis est hic? Et si offenderit: subuertent illum. 30 Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia: et nequissima est paupertas in ore impij. 31 Cor hominis immutat faciem illius: siue in bona siue in mala. 32 Vestigium cordis boni et faciem bonam difficile inuenies: et cum labore.

14 Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo et non est stimulatus in tristicia delicti. 2 Felix qui non habuit animi sui tristiciam: et non excidit ab spe sua. 3 Viro cupido et tenaci sine racione est substantia: et homini liuido ad quid aurum? 4 Quod aceruat ex animo suo iniuste alijs congregat: et in bonis illius alius luxuriabitur. 5 Qui sibi nequam est cui alij bonus erit? Et non iocundabitur in bonis suis. 6 Quis sibi inuidet nichil est illo nequius: et hec est reddicio malicie illius. 7 Et si benefecerit· ignoranter et non volens facit: et in nouissimo manifestat ma maliciam suam. 8 Nequam est oculus liuidi: et auertens faciem suam: et despiciens animam suam. 9 Insaciabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non saciabitur· donec consumat arefaciens animam suam. 10 Oculus malus ad mala: et non saciabitur pane: indigens et in tristicia erit super mensam suam. 11 Fili si habes benefac tecum: et deo dignas oblationes offer. 12 Memor esto quoniam mors non tardat: et testamentum inferiorum: quia demonstratum est tibi. Testamentum enim huius mundi morte morietur. 13 Ante mortem benefac amico tuo: et secundum vires tuas exporrigens da pauperi. 14 Non defrauderis a die bono: et particula diei boni non te preteriat. 15 Nonne alijs relinques dolores et labores tuos. In diuisione sortis 16 da et accipe: et iustifica animam tuam. 17 Ante obitum tuum operare iusticiam: quoniam non est apud inferos inuenire cibum. 18 Omnis caro sicut fenum veterascet: et sicut folium fructificans in arbore viridi. 19 Alia generantur et alia deiciuntur: sic generatio carnis et sanguinis: alia finitur: et alia nascitur. 20 Omne opus corruptibile in fine deficiet et qui illud operatur ibit cum illo. 21 Et omne opus electum iustificabitur: et qui operratur illud honorabitur in illo. 22 Beatus vir qui in sapientia morabitur: et qui in iusticia meditabitur: et in sensu cogitabit circumspectionem dei. 23 Qui excogitat vias illius in corde suo· et in absconditis suis intelligens: vadens post illam quasi inuestigator: et in vijs illius consistens. 24 Qui respicit per fenestras illius: et in ianuis illius audiens. 25 Qui requiescit iuxta domum illius: et in parietibus illius figens palum. Statuet casulam suam ad manus illius: et requiescent in casula illius bona per euum. 26 Statuet filios suos sub tegimine illius: et sub ramis illius morabitur. 27 Protegetur sub tegimine illius a feruore: et in gloria eius requiescet.

15 timet deum faciet bona: et qui continens est iusticie apprehendet illam: 2 et obuiabit illi quasi mater honorificata: et quasi mulier a virginitate suscipiet illum. 3 Cibabit illum pane vite et intellectus: et aqua sapientie salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo et non flectetur: 4 et continebit illum et non confundetur: et exaltabit illum apud proximos suos. 5 Et in medio ecclesie aperiet os os eius: et adimplebit illum spiritu sapientie et intellectus: et stola glorie vestiet eum. 6 Iocunditatem et exultationem thesaurizabit super illum: et nomine eterno hereditabit illum. 7 Homines stulti non apprehendent illam: et homines sensati obuiabunt illi. Homines stulti non videbunt eam: longe enim abest a superbia et dolo. 8 Viri mendaces non erunt illius memores: et viri veraces inuenientur in illa: et successum habebunt vsque ad iuspectionem dei. 9 Non est speciosa laus in ore peccatoris: 10 quoniam a deo profecta est sapientia. Sapientie enim dei astabit laus: et in ore fideli abundabit: et dominator dabit eam illi. 11 Non dixeris· per deum abest: que enim odit ne feceris. 12 Non dicas ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij. 13 Omne execramentum erroris odit dominus: et non erit amabile timentibus eum. 14 Deus ab inicio constituit hominem: et reliquit illum in manu consilij sui. 15 Adiecit mandata et precepta sua. 16 Si volueris

mandata conseruare conseruabunt te: et in perpetuum fidem placitam seruare. 17 Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris porrige ma num tuam. 18 Ante hominem vita et mors: bonum et malum. Quod placuerit ei dabitur illi· 19 quoniam multa sapientia dei· et fortis in potentia: videns omnes sine intermissione. 20 Oculi domini ad ti mentes eum: et ipse agnoscit omnem operam hominis. 21 Nemini mandauit impie agere: et nemini dedit spacium peccandi. 22 Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.

16 iocunderis in filijs impijs si multiplicentur: nec oblecteris super ipnon est timor dei in illis. 2 Non credas vite illorum: nec respexeris in labores eorum. 3 Melior est enim vnus timens deum: quam mille filij impij. 4 Et vtile est mori sine filijs: quam relinquere filios impios. 5 Ab vno sensato inhabitabitur patria: a tribus impijs deseretur. 6 Multa talia vidit oculus meus: et fortiora horum audiuit auris mea. 7 Insinagoga peccantium exardebit ignis: et in gente incredibili dibili exardescet ira. 8 Non exorauerunt pro pecatis suis antiqui gigantes qui destructi sunt confidentes sue virtuti: 9 et non pepercit peregrinacioni illorum sed percussit eos: et execratus est eos pre superbia verbi illorum. 10 Non misertus est illis totam gentem perdens: et extollentem se in peccatis suis. 11 Et sicut sexcenta milia peditum qui congregati sunt in duricia cordis sui: et si vnus fuisset ceruicatus mirum si fuisset immunis. 12 Misericordia enim et ira est cum illo· potens exoratio et effundens iram· 13 secundum misericordiam suam: sic correctio illius· hominem secundum opera sua iudicat. 14 Non effugiet in rapina peccator: et non retardabit sufferentia misericordiam facientis. 15 Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum: et secundum intellectum peregrinationis illius. 16 Non dicas. A deo abscondar: et ex summo quis operis mei memorabitur? 17 In populo magno non agnoscar. Que est enim anima mea in tam immensa creatura: 18 Ecce celum et celi celorum· abissus et vniuersa terra et que in eis sunt in conspectu illius commouebuntur: 19 montes simul et colles et fundamenta terre: et cum conspexerit illa deus tremore concutientur. 20 Et in omnibus hijs insensatum est cor: et omne cor intelligitur ab illo: 21 et vias illius quis intelligit: Et procella quam nec oculus vidit hominis? 22 Man plurima illius opera sunt in absconsis: sed opera iusticie eius quis enunciabit aut quis sustinebit? Longe enim est testamentum a quibusdam: et interrogatio homiuum in consummacione est. 23 Qui minoratur corde cogitat inania: et vir imprudens et errans cogitat stulta. 24 Audi me fili et disce disciplinam sensus: et in verbis meis attende in corde tuo: 25 et dicam in equitate disciplinam et scrutabor enarrare sapientiam: et in verbis meis attende in corde tuo: et dico in equitate spiritus· virtutes quas posuit deus in opera sua ab inicio: et in veritate enuncio scientiam eius. 26 In iudicio dei opera ipsius ab inicio: et ab institutione hominum ipsorum distinxit partes illorum: et inicia ria eorum in gentibus suis. 27 Ornauit opera illorum: nec esurierunt nec laborauerunt: et non destiterunt ab operibus suis. 28 Vnusquisque proximum sibi non angustiabit vsque in eternum. 29 Non sis incredibilis verbo illius. 30 Post hec in terram deus respexit: et impleuit illam bonis suis. 31 Anima omnis vitalis denuntiauit ante faciem ipsius: et ipsa iterum reuersio illorum.

17 Deus creauit de terra hominem: et secundum imaginem suam fecit illum. 2 Et iterum conuertit illum in ipsam: et secundum se vestiuit illum virtute. 3 Numerum dierum et tempus dedit illi: et dedit illi potestatem eorum que sunt super terram. 4 Posuit timorem illius super omnem carnem: et dominatus est bestiarum et volatilium. 5 Creauit ex ipso adiutorium simile sibi: consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi: et disciplina intellectus repleuit illos. 6 Creauit illis scientiam spiritus: sensu impleuit cor illorum: et mala et bona ostendit illis. 7 Posuit ipsorum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum 8 vt nomen sanctificacionnis collaudent: et gloriari in mirabilibus illius: et magnalia enarrent operum eius. 9 Addidit illis disciplinam: et legem vite hereditauit illos. 10 Testamentum eternum constituit cum illis: et iusticiam et iudicia sua ostendit illis. 11 Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum: et honorem vocis audierunt aures illorum: et dixit illis. Attendite ab omni iniquo. 12 Et mandauit illis: vnicuique de proximo suo. 13 Vie illorum coram illo sunt semper: non sunt absconse ab oculis ipsius. 14 In vnamquamque gen preposuit rectorem: 15 et pars dei israhel facta est manifesta. 16 Et omnia opera illorum velut sol in conspectu dei: et oculi eius sine intermissione inspicientes in vijs eorum. 17 Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum. Et omnis iniquitas eorum in conspectu dei. 18 Elemosina viri quasi sacculus cum ipso: et gratiam hominis quasi pupillam conseruabit: 19 et postea resurget et retribuet illis retribucionem vnicuique in caput ipsorum: et conuertet in inferiores partes terre. 20 Penitentibus autem dedit viam iusticie: et confirmauit deficientes sustinere: et destinauit illis sortem veritatis. 21 Conuertere ad dominum et relinque peccata tua: 22 precare ante faciem domini: et minue offendicula. 23 Reuertere ad dominum et auertere ab iniusticia tua et nimis odito execrationem 24 et cognosce iusticias et iudicia dei et sta in sorte proposicionis et oracionis altissimi dei. 25 In partes vade seculi sancti: cum viuis et dantibus confessionem deo. 26 Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere. A mortuo quasi nichil perit confessio. 27 Confiteberis viuens: viuus et sanus confiteberis et laudabis deum: et gloriaberis in miseracionibus eius. Quam magna mise 28 Quam magna ricordia domini: et propiciacio illius conuertentibus ad se. 29 Nec enim omnia possunt esse in hominibus: quoniam non est immortalis filius hominis: et in vanitate malicie placuerunt. 30 Quid lucidius sole? Et hic deficiet. Aut quid nequius excogitauit caro et sanguis: Et hoc arguetur. 31 Virtutem altitudinis celi ipse conspicit: et omnes homines terra et cinis. et

18 Qui viuit ineternum creauit omnia simul. Deus solus iustificabitur: et manet inuictus rex ineternum. 2 Quis enarrare opera illius? 3 Quis enim inuestigabit magnalia eius? 4 Virtutem autem magnitudinis eius quis enunciabit? Aut quis adiciet enarrare misericordiam eius: 5 Non est minuere neque addere: nec est inuenire magnalia dei. 6 Cum consummauerit homo tunc incipiet: et cum quieuerit operabitur. 7 Quid est homo et que est gratia illius: et quid est bonum aut quid nequam illius? 8 Numerus dierum hominum vt multum centum anni: quasi gutte aque maris deputati sunt: et sicut calculus arene· sic exigui anni in die eui. 9 Propter hoc patiens est deus in illis: et effundit super illos misericordiam suam. 10 Vidit presumpcionem cordis eorum quoniam mala est: et cognouit subuersionem illorum quoniam nequam est. 11 Ideo adimpleuit propiciationem suam in illis: et ostendit illis viam equitatis. 12 Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem dei super omnem carnem. 13 Qui misericordiam habet docet et erudit: quasi pastor gregem suum. 14 Misereator excipiens doctrinam miserationis: et qui festinant in iudicijs eius. 15 Fili in bonis non des querelam: et in omni dato non des tristiciam verbi mali. 16 Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum melius quam datum. 17 Nonne ecce verbum super datum bonum? Sed vtrumque cum homine iustificato. 18 Stultus acriter improperabit: et datus indisciplinati tabescere facit oculos. 19 Ante iudicium para iusticiam tibi: et antequam loqueris disce. 20 Ante languorem adhibe medicinam: et aute iudicium interroga te ipsum: et in conspectu dei inuenies propiciacionem. 21 Ante: te languorem humilia re: et in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam. 22 Non impediaris orare semper: et ne veteris vsque ad mortem iustificari: quoniam merces dei manet ineternum. 23 Ante orationem prepara animam tuam: et noli esse quasi homo qui temptat deum. 24 Memento ire in die consummationis: et tempus retribucionis in conuersatione facies. 25 Memento paupertatis in tempore abundantie: et necessitatem paupertatis in die diuitiarum. 26 A mane vsque ad vesperam immutabitur tempus: et hec omnia citata in oculis dei· 27 homo sapiens in omnibus metuit: et in diebus delictorum at attendet ab inertia. 28 Omnis astutus agnoscit sapientiam: et inuenienti eam dabit confessionem. 29 Sensati in verbis· et ipsi sapienter egerunt: et intellexerunt veritatem pienter egerunt: et intellegerunt veritatem et iusticiam: et imploraverunt prouerbia et dicia· 30 post concupiscentias tuas non eas: a voluntate tua auertere. 31 Si prestes anime tue concupiscentias eius: faciet te in gaudium inimicis tuis. 32 Ne oblecteris in turbis: nec in modicis.

Assidua enim est commissio eorum. [33] Ne fueris mediocris in contentione ex fenore: et non est tibi nichil in seculo. Eris enim inuidus vite tue.

19 Operarius ebriosus non locupletabitur: et qui spernit modica palatim decidet. [2] Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes: et arguent sensatos: [3] et qui se iungit fornicarijs erit nequam. Putredo et vermes hereditabunt illum: et extolletur in exemplum maius: et tolletur de numero anima eius. [4] Qui credit cito leuis corde est et minorabitur: et qui delinquid in animam suam insuper habebitur. [5] Qui gaudet ad iniquitatem denotabitur: et qui odit correptionem minuetur vita: et qui odit loquacitatem extinguit maliciam. [6] Qui peccat in animam suam non penitebit: et qui iocundatur in malicia denotabitur. [7] Ne iteres verbum durum et nequam: et non minoraberis: [8] amico et inimico noli narrare sensum tuum: et si est tibi delictum noli denudare. [9] Audiet enim te et custodiet te: et quasi defendens peccatum odiet te: et sic aderit tibi semper. [10] Audisti verbum aduersus proximum tuum: commoriatur in te: fidens quoniam non te dirumpet. [11] A facie verbi parturit fatuus: tanquam gemitus partus infantis. [12] Sagitta infixa femori canis: sic verbum in corde stulti. [13] Corripe amicum· ne forte non intellexerit et dicat non feci: aut si fecerit: ne iterum addat facere. [14] Corripe proximum ne forte non dixerit: et si dixerit ne forte iteret. [15] Corripe amicum· sepe enim fit commissio: [16] et non omni verbo credas. Est qui labitur lingua sed non ex animo. [17] Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua? Corripe amicum antequam commineris· [18] et da locum timori altissimi: quia omnis sapientia timor dei. Et in illa timere deum: et in omni sapientia dispositio legis. [19] Et non est sapientia nequicie disciplina: et non est cogitatus peccatorum prudentia. [20] Est prudentie nequicia et in ipsa execratio: et est insipiens qui minuitur sapientia. [21] Melior est homo qui minuitur sapientia· et deficiens sen su in timore dei: quam qui abundat sensu et transgreditur legem altissimi. [22] Est solertia certa et ipsa iniqua: [23] et est qui emit tit verbum certum enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se et interiora eius plena sunt dolo: [24] et est iustus qui se nimium submittit a multa humi litate: et est iustus qui inclinat faciem suam et fingit non videre se quod ignoratum est. [25] Et si ab imbecillitate virium vetetur peccare: si inuenerit tempus male faciendi male faciet. [26] Ex visu cognoscitur vir: et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. [27] Amictus corporis· et risus dentium· et ingressus hominis· enunciant de illo. [28] Est correptio mendax in ira contumeliosi: et est iudicium quod non probatur esse bonum: et est tacens et ipse est prudens.

20 Quam bonum est arguere quam irasci et confitentem in oratione non prohibere. [2] Concupiscencia spadonis deuirgina vit iuuenculam. [3] sic qui facit per vim iudicium iniquum. [4] Quam bonum est correptum manifestare penitentiam: sic enim effugies voluntarium peccatum. [5] Est tacens qui inuenitur sapiens: et est odibilis qui procax est ad loquendum. [6] Est autem tacens et non habens sensum loquele: et est tacens sciens tempus apti temporis. [7] Homo sapiens tacebit vsque ad tempus: lasciuus autem et imprudens non seruabit tempus. [8] Qui multis vtitur verbis ledit animam suam: et qui potestatem sibi sumit iniuste odietur. [9] Est processio in malis viro indisciplinato: et est inuentio in detrimentum. [10] Est datum quod non est vtile: et est datum cuius retributio duplex. [11] Est propter gloriam minoracio: et est qui ab humilitate leuabit caput. [12] Est qui multa redimat modico precio: et restituens ea in septuplum. [13] Sapiens in verbis seipsum amabilem facit: gratie autem fatuorum effundentur. [14] Datus insipientis non eris vtilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt. [15] Exigua dabit et multa improperabit: et apertio oris illius inflammatio est. [16] Hodie feneratur quis et cras expetit: et odibilis est homo huismodi. [17] Fatuo non erit amicus: et non erit gratia in bonis illius. [18] Qui enim edunt panem illius false lingue sunt. Quociens et quanti irridebunt eum? [19] Neque enim quod habendum erat directo sensu distribuit: similiter et quod non erat habendum. [20] Lapsus false lingue quasi qui in pauimento cadens: sic casus illorum malorum· festinanter venient [21] homo acharis quasi fabula vana: et in ore indisciplinatorum assidua erit. [22] Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo. [23] Est qui vetatur pre inopia peccare: et in requie sua stimulabitur. [24] Est qui perdet animam suam pre confusione: et ab imprudentia persone perdet eam: persone autem acceptione perdet se. [25] Est qui pre confusione promittit amico: et lucratus est eum inimicum gratis. [26] Obprobrium nequam in homine mendacium: et in ore indisciplinatorum assidue erit. [27] Pocior fur· quam assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hereditabunt. [28] Mores hominum mendacium sine honore: et confusio illorum cum ipsis sine intermissione. [29] Sapiens in verbis producit seipsum: et homo prudens placebit magnatis. [30] Qui operatur terram suam inaltabit aceruum frugum: et qui opera tur iusticiam ipse exaltabitur: qui vero placet et magnatis· effugiet iniquitatem. [31] Exenia dona excecant oculos iudicum et quasi mutus in ore auertit correctiones eorum. [32] Sapientia abscondita et thesaurus inuisus: que vtilitas in vtrisque? [33] Melior est qui celat insipientiam suam: quam homo qui abscondit sapientiam suam.

21 Fili peccasti: non adicias iterum: sed de priscinis deprecare vt tibi dimittuntur. [2] Quasi a facie colubri fuge peccata: et si accesseris ad illa suscipient te. [3] Dentes leonis dentes eius: interficientes animas hominum. [4] Quasi rumphea bis acuta omnis iniquitas: plage illius non est sanitas. [5] Obiurgatio· et iniurie annullabunt substantiam: et mus que nimis locuples est annullabitur superbia: sic substantia superbi eradicabitur· [6] Deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures eius perueniet: et iudicium festinato adueniet illi. [7] Qui odit correptionem vestigium est peccatoris: et qui timet deum conuertetur ad cor suum. [8] Notus a longe potens lingua audaci: et sensatus scit labi se ab illo. [9] Qui edificat domum suam impendijs alienis: quasi qui colligit lapides suos in hieme. [10] Stuppa collecta sinagoga peccantium et consummacio illorum flamma ignis. [11] Via peccantium complantata lapidibus: et in finem illorum inferi et tenebre et pene. [12] Qui custodierit iusticiam· continebit sensum eius: [13] consummatio timoris dei· sapientia et sensus. [14] Non erudietur· qui non est sapiens in bono. [15] Est autem insipientia que abundat in malo: et non est sensus vbi est amaritudo. [16] Sapientis scientia tanquam inundatio abundabit: tanquam et consilium illius sicut fons vite permanet. [17] Cor fatui quasi vas confractum: et omnem sapientiam non tenebit. [18] Verbum sapiens quodcumque audierit scius laudabit et adiciet: audiuit luxuriosus et displicebit illi: et proiciet illud post dorsum suum. [19] Narratio fatui quasi sarcina in illa: nam in labijs sensati inuenietur gratia. [20] Os prudentis queritur in ecclesia: et verba illius cogitabunt in cordibus suis. [21] Tanquam domus exterminata sic fatuo sapientia: et scientia insensati inenarrabilia verba. [22] Compedes in pedibus· doctrina stulto: et quasi vincula manuum super manum dextram. [23] Fatuus in risu in vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit. [24] Ornamentum aureum prudenti doctrina: et quasi brachiale in brachio dextro. [25] Pes fatui facilis in domum proximi: et homo peritus confundetur a persona potentis. [26] Stultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foras stabit. [27] Stulticia hominis auscultare per ostium: et prudens grauabitur contumelia. [28] Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. [29] In ore fatuorum cor illorum: et in corde sapientium os illorum. [30] Dum maledicit impius diabolum maledicit ipse animam suam. [31] Susurro coinquinabit animam suam et in omnibus odietur: et qui permanserit odiosus eit· tacitus et sensatus honorabitur.

22 In lapide luteo lapidatur piger: et omnes loquentur super illius aspernacionem. [2] De stercore boum lapidatus est piger: et omnis qui qui tetigerit eum excutiet manus. [3] Confusio patris est de filio indisciplinato: filia autem fatua in deminoracionem fiet. [4] Filia prudens hereditas viro suo: nam que confundit· contumelia est genitoris. [5] patrem et virum confundit audax: et ab impijs non minorabitur: ab vtrisque autem inhonorabitur. [6] Musica in luctu importuna narratio: flagella et doctrina in omni tempore sapientia. [7] Qui docet fatuum: quasi qui conglutinat testam. [8] Qui narrat verbum non audienti: quasi qui excitat dormientem de graui somno. [9] Cum dormiente loquitur qui enarrat stulto sapientiam: et in fine narrationis dicit. Quis est hic? [10] Supra mortuum plora· defecit enim lux eius: et supra fatuum

plora: defecit enim sensus eius. [11] Modicum plora supra mortuum: quoniam requieuit. [12] Nequissimi enim nequissima vita· super mortem fatui. [13] Luctus mortui septem dies: fatui autem et impij omnes dies vite illorum. [14] Cum stulto ne multum loquaris: et cum insensato ne abieris. [15] Serua te ab illo vt non molestiam habeas: et non coinquinaberis in peccato illius. [16] Deflecte ab illo et inuenies requiem: et non accidiaberis in stulticia illius. [17] Super plumbum quid grauabitur? Et quod illi aliud nomen quam fatuus? [18] Arenam et salem· et massam ferri facilius est ferre: quam hominem imprudentem et fatuum et impium. [19] Sicut loramentum ligneum colligatum fundamento edificij non dissoluetur: sic et cor confirmatum in cogitatione consilij. [20] Cogitatus sensati· in omni tempore vel metu non deprauabitur. [21] Sicut ornatus arenosus in pariete limpido· et sicut palee in excelsis· et cementa sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt: [22] sic et cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet. [23] Sicut cor tepidum in cogitatione fatui omni tempore non metuet: sic et qui in preceptis dei permanet semper. [24] Pungens oculum deducit lacrimas: et qui pungit cor profert sensum. [25] Mittens lapides in volatilia deiciet illa: et qui conuiciatur amico dissoluit amiciciam. [26] Ad amicum et si produxeris gladium non desperes: est enim regressus ad amicum. [27] Si aperuerit os triste ne metuas: est enim concordatio: excepto conuicio et improperio et superbia et misterij reuelatione et plaga dolosa. In hijs omnibus effugiet amicus. [28] Fidem posside cum amico in paupertate illius: vt et in bonis illius leteris. [29] In tempore tribulationis illius permane illi fidelis: vt in hereditate illius coheres sis. [30] Ante ignem camini vapor et fumus ignis in altatur: sic et ante sanguinem maledicta et contumelie et mine. [31] Amicum salutare non confundaris. A facie illius non me abscondam: et si mala michi euenerit per illum· sustinebo. [32] Omnis qui audiet cauebit se ab eo. [33] Quis dabit ori meo custodiam· et super labia mea signaculum certum: vt non cadam ab ipsis et lingua mea perdat me?

23 Domine pater et dominator vite mee ne derelinquas me in cogitatu et consilio eorum: nec sinas me cadere in illa exprobracione. [2] Quis supponit in cogitatu meo flagella et in corde meo doctrinam sapientie· vt in ignorationibus eorum non parcant michi· et non appareant delicta eorum· [3] et ne adincrescant ignorantie mee et multiplicentur delicta mea et peccata mea abundent: et incidam in in conspectu aduersariorum meorum· et gaudeat inimicus meus? [4] Domine pater et deus vite mee ne derelinquas me in cogitatu illorum. [5] Extollentiam oculorum meorum ne dederis michi: et omne desiderium auerte a me. [6] Aufer a me ventris concupiscentias: et concubitus concupiscentie ne apprehendant me: et anime irreuerenti et infrunite ne tradas me. [7] Doctrinam oris audite filij: et qui custodierit illam non periet labijs suis· nec scandalizabitur in operibus nequissimis. [8] In vanitate sua apprehenditur peccator: et superbus et maledictus scandalizabitur in illis. [9] Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. [10] Nominacio vero dei non sit assidua in ore tuo: et nominibus sanctorum ne admiscaris: quoniam non eris immunis ab eis. [11] Sicut enim seruus interrogatus assidue a liuore non minuitur: sic omnis iurans et noin toto a peccato non purgabitur. [12] Vir multum iurans implebitur iniquitate: et non discedet a domo illius plaga. [13] Et si frustauerit fratrem· delictum illius supra ipsum erit: et si dissimilauerit delinquit dupliciter: [14] et si in vacuum iurauerit non iustificabitur. Replebitur enim retributione domus illius. [15] Est et alia loquela contraria morti: non inueniatur in hereditate iacob. [16] Etenim a misericordibus omnia hec auferentur: et in delictis non voluptabunt. [17] In disciplinose loquele non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati. [18] Memento patris et matris tue· in medio enim magnatorum consistis: [19] ne forte obliuiscatur te deus in conspectu illorum: et assiduitate tua infatuatus improperium patiaris: et maluisses non nasci: et diem natiuitatis tue maledicas. [20] Homo assuetus in verbis improperij· in omnibus diebus suis non erudietur. [21] Duo genera abundant in peccatis: et tercium adducit iram et perditionem. [22] Anima callida quasi ignis ardens· non extinguetur donec aliquid glutiat: [23] et homo nequam in ore carnis sue· non desinet donec incendat ignem. [24] Homini fornicario omnis panis dulcis: non fatigabitur transgrediens vsque ad finem. [25] Omnis Homo qui transgreditur lectum suum contemnens in animam suam et dicens quis me videt: [26] tenebre circundant me et parietes cooperiunt me et nemo circumspicit me quem vereor: delictorum meorum non memorabitur altissimus: [27] et non intellexit quoniam omnia videt oculus illius: quoniam expellit a se timorem dei huiusmodi hominis timor et oculi hominum timentes illum: [28] et non cognouit quoniam oculi domini multoplus lucidiores super solem sunt· circumspicientes omnes vias hominum et profundum abissi et hominum corda: intuentes in absconditas partes. [29] Domino enim deo antequam crearentur omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia. [30] Hic et in plateis ciuitatis vindicabitur: quasi pullus equinus fugabitur: et vbi non sperauit apprehendetur. [31] Et erit dedecus omnibus: eo quod non intellexerit timorem domini. [32] Sic et mulier omnis relinquens virum suum: et statuens hereditatem ex alieno matrimonio. [33] Primo enim in lege altissimi incredibilis fuit: et secundo virum suum dereliquit: tercio in adulterio fornicata est· et ex alio viro filios statuit sibi. [34] Hec in ecclesiam adducetur: et in filios eius respicietur. [35] Non tradent filij eius radices: et rami eius non dabunt fructum. [36] Et derelinquet in maledictum memoriam illius: et dedecus illius non delebitur. [37] Et agnoscent qui derelicti sunt· quoniam nichil melius est quam timor dei: et nichil dulcius quam respicere in mandatis domini. [38] Gloria magna est sequi dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.

24 Sapientia laudabit animam suam: et in domino honorabitur. Et in medio populi sui gloriabitur: [2] et in ecclesijs altissimi aperiet os suum. Et in conspectu virtutis illius gloriabitur: [3] et in medio populi sui· exaltabitur. Et in plenitudine sancta admirabitur: [4] et in multitudine electorum habebit laudem: et inter benedictos benedicetur dicens. [5] Ego ex ore altissimi prodiui: primogenita ante omnem creaturam. [6] Ego feci in celis vt oriretur lumen indeficiens: et sicut nebula texi omnem carnem. [7] Ego in altissimis habitaui: et thronus meus in columna nubis. [8] Girum celi circuiui sola et profundum abissi penetraui: et in fluctibus maris ambulaui: [9] et in omni terra steti. Et in omni populo [10] et in omni gente primatum habui: [11] et omnium excellentium et humilium corda virtute calcaui. Et in hijs omnibus requiem quesiui: et in hereditate domini morabor. [12] Tunc precepit et dixit michi creator omnium: et qui creauit me requieuit in tabernaculo meo: [13] et dixit michi. In iacob inhabita: et in israhel hereditare: et in electis meis mitte radices. [14] Ab inicio et ante secula creata sum: et vsque ad futurum seculum non desinam: et in habitatione sancta coram ipso ministraui. [15] Et sic in syon firmata sum: et in ciuitate sanctificata similiter requieui: et in iherusalem potestas mea. [16] Et radicaui in populo honorificato: et in partes dei mei hereditas illius: et in plenitudine sanctorum detencio mea. [17] Quasi cedrus exaltata sum in libano: et quasi cipressus in monte syon. [18] Quasi palma exaltata sum in cades: et quasi plantatio rose in iericho. [19] Quasi oliua speciosa in campis: et quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. [20] Sicut cinamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: et quasi mirra electa dedi suauitatem odoris. [21] Et quasi storax et galbanus· et vngula et gutta· et quasi libanus non incisus vaporaui habitationem mea: et quasi balsamum non mixtum odor meus. [22] Ego quasi therebintus extendi ramos meos: et rami mei honoris et gratie. [23] Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: et flores mei fructus honoris et honestatis. [24] Ego mater pulcre dilectionis· et timoris· et agnitionis· et sancte spei. [25] In me gratia omnis vie et veritatis: in me omnis spes vite et virtutis. [26] Transite ad me omnes qui concupiscitis me: et a generationibus meis implemini. [27] Spiritus enim meus super mel dulcis: et hereditas mea super mel et fauum: [28] memoria mea in generaciones seculorum. [29] Qui edunt me adhuc esurient: et qui bibunt me adhuc sitient. [30] Qui audit me non confundetur: et qui operantur in me non peccabunt: [31] qui elucidant me vitam eternam habebunt. [32] Hec omnia liber vite: et testamentum altissimi et agnitio veritatis. [33] legem mandauit moyses in preceptis iusticiarum: et hereditatem domini iacob et israhel promissiones. [34] Posuit dauid puero suo excitare regem ex ipso fortissimum: et in throno honoris sedentem in sempiternum. [35] Qui implet quasi phison sapientiam: et sicut tigris in diebus nouorum. [36] Qui adimplet quasi eufrates sensum: qui multiplicat quasi iordanis in tempore messis. [37] Qui

mittit disciplinam sicut lucem: et assistens quasi gyon in die vindemie. [38] Qui perficit primus scire ipsam: et infirmior non inuestigabit eam. [39] A mari enim abundabit cogitatio eius: et consilium illius in abisso magna. [40] Ego sapientia effudi flumina: [41] ego quasi trames aque immense de fluuio. Ego quasi fluuius dorix: et sicut aqueductus exiui a paradiso. [42] Dixi rigabo ortum plantationum: et inebriabo partus mei fructum. [43] Et ecce factus est michi trames abundans: fluuius meus appropiquauit ad mare. [44] Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus: et enarrabo illam vsque ad longinquum. [45] Penetrabo omnes inferiores partes terre: et inspiciam omnes dormientes: et illuminabo omnes spe sperantes in domino. [46] Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam: et relinquam illam querentibus sapientiam: et non desinam in progenies illorum vsque in euum sanctum. [47] Videte quoniam non soli michi laboraui: sed omnibus exquirentibus veritatem.

25 In tribus placitum est spiritui meo: que sunt probata coram deo et hominibus. [2] Concordia fratrum· et amor proximorum: et vir et mulier bene sibi consentientes. [3] Tres species odiuit anima mea mea et aggrauor valde anime illorum: [4] pauperem superbum· et diuitem mendacem: et senem fatuum et insensatum. [5] Que in iuuentute tua non congregasti: quomodo in senectute tua inuenies ea? [6] Quam speciosum caniciei iudicium: et presbiteris cognoscere consilium. [7] Quam speciosa veteranis sapientia: et gloriosis intellectus et consilium. [8] Corona senum in multa peritia: et gloria illorum timor dei. [9] Nouem insuspicabilia cordis magnificaui: et decimum dicam in lingua hominibus. [10] Homo qui iocundatur in filijs: viuens et videns subuersionem inimicorum suorum. [11] Beatus qui habitat cum muliere sensata: et qui lingua sua non est lapsus: et qui non seruiuit indignis se. [12] Beatus qui inuenit amicum verum: et qui enarrat iusticiam auri audienti. [13] Quam magnus qui inuenit sapientiam et scientiam: sed non est super timentem deum. [14] Timor dei super omnia se superposuit. [15] Beatus homo: cui donatum est habere timorem dei. Qui tenet illum: cui assimilabitur? [16] Timor dei inicium dilectionis eius: fidei autem inicium agglutinandum est ei. [17] Omnis plaga tristicia cordis est: et omnis malicia nequitia mulieris. [18] Et omnem plagam et non plagam videbit cordis: [19] et omnem nequitiam et non nequitiam mulieris· [20] et omnem obductum et non obductum odientium: [21] et omnem vindictam et non vindictam inimicorum. [22] Nou est caput nequius super caput colubri: [23] et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit: quam habitare cum muliere nequam. [24] Nequitia mulieris immutat faciem eius: et obcecabit vultum suum tanquam vrsus: et quasi saccum ostendet in medio proximorum. [25] Ingemuit vir eius: et audiens suspirauit modicum. [26] Breuis omnis malicia super maliciam mulieris: sors peccatorum cadat super illam. [27] Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani: sic mulier linguata homini quieto. [28] Ne respicias in mulieris speciem: et non concupiscas mulierem in specie. [29] Mulieris ira· et irreuerentia· et confusio magna. [30] Mulier si primatum habeat· contraria est viro suo. [31] Cor humile· etfacies tristis et plaga mortis: mulier nequam. [32] Manus debiles et genua dissoluta: mulier que non beatificat virum suum. [33] A muliere inicium factum est peccati: et per illam omnes morimur. [34] Non des aque tue exitum nec modicum: nec mulieri nequam venam prodeundi. [35] Si non ambulauerit ad manum tuam: confundet te in conspectu inimicorum. [36] A carnibus tuis abscide illam: ne semper te abutatur.

26 Mulieris bone beatus vir: numerus enim annorum illorum duplex. [2] Mulier fortis oblectat virum suum: et annos vite illius in pace implebit. [3] Pars bona mulier bona: in parte bona timentium deum dabitur viro pro factis bonis. [4] Diuitis autem et pauperis cor bonum: in omni tempore vultus illorum hylaris. [5] A tribus timuit cor meum: et in quarto facies mea metuit. [6] Delaturam ciuitatis et collectionem populi et [7] calumniam mendacem: super mortem omnia grauia. [8] Dolor cordis et luctus: mulier zelotipa. [9] In muliere zelotipa flagellum lingue: omnibus communicans. [10] Sicut boum iugum quod mouetur: ita et mulier nequam: qui tenet illam· quasi qui apprehendit scorpionem. [11] Mulier ebriosa ira magna: et contumelia et turpitudo illius non tegetur. [12] Fornicacio mulieris in extollentia oculorum: et in palpebris illius agnoscetur. [13] In filia non aduertente se· firma custodiam: ne inuenta occasione abutatur se. [14] Ab omni irreuerentia oculorum eius caue: et ne mireris si te neglexerit. [15] Sicut viator sitiens ad fontem os aperiet· et ab omni aqua proxima bibet: et contra omnem palum sedebit: et contra omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat. [16] Gratia mulieris sedule delectabit virum suum: et ossa illius impinguabit. [17] Disciplina illius datum dei est. [18] Mulier sensata et tacita: non est immutacio erudite anime. [19] Gratia super gratiam: mulier sancta et pudorata. [20] Omnis enim ponderatio non est digna continentis anime. [21] Sicut sol oriens mundo· in altissimis dei: sic mulieris bone species in ornamentum domus eius. [22] Lucerna splendens super candelabrum sanctum: et species faciei super etatem stabilem. [23] Columne auree super bases argenteas: et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. [24] Fundamenta eterna supra petram solidam: et mandata dei in corde mulieris sancte. [25] In duobus contristatum est cor meum: et in tercio iracundia michi aduenit. [26] Vir bellator deficiens per inopiam: et vir sensatus contemptus: [27] et qui transgreditur a iusticia ad peccatum. Deus parauit eum ad rumpheam. [28] Due species difficiles et periculose michi apparuerunt. Difficile exuitur negotians a neglientia sua: et non iustificabitur caupo a peccatis labiorum.

27 Propter inopiam multi deliquerunt: et qui querit locupletari auertit oculum suum. [2] Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatis. [3] Conteretur cum delinquente delictum. [4] Si non in timore domini tenueris te instanter: cito subuertetur domus tua. [5] Sicut in percussu ra cribri remanebit puluis: sic aporia hominis in cogitatu illius. [6] Vasa figuli probat fornax: et homines iustos temptatio tribulationis. [7] Sicut rusticacio de ligno ostendit fructum illius: sic verbum excogitatu cordis hominis. [8] Ante sermonem non collaudes virum: hec enim temptatio est hominum. [9] Si sequaris iusticiam apprehendes illam et indues quasi poderem honoris: et inhabitabis cum ea et proteget te in sempiternum: et in die agnitionis inuenies firmamentum. [10] Volatilia ad sibi similia conueniunt: et veritas ad eos qui operantur illam reuertetur. [11] Leo venacioni insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitates. [12] Homo sensatus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur. [13] In medio insensatorum serua verbum tempori: in medio autem cogitantium assiduus esto. [14] Narracio peccantium odiosa: et risus illorum in delictis peccati. [15] loquela multum iurans horripilaTN capiti tionem rapini statuet: et irreuerentia ipsius obturacio aurium. [16] Effusio sanguinis in rixa superborum: et maledictio illorum auditus grauis. [17] Qui denudat archanna amici fidem perdit: et non inueniet amicum ad animum suum. [18] Dilige. proximum: et coniungere fide cum illo. [19] Quod si denudaueris absconsa illius: non persequerris post eum. [20] Sicut enim homo qui perdit amicum suum: sic et qui perdit amiciciam proximi sui. [21] Et sicut qui dimittit auem de manu sua· sic qui reliquisti proximum tuum: et non eum capies. [22] Non illum sequaris: quoniam longe abest. Effugit enim quasi caprea de laqueo: quoniam vulnerata est anima eius. [23] Vltra eum non poteris colligare: et maledicti est concordacio. [24] Denudare autem amici misteria: desperatio est anime infelicis. [25] Annuens oculo fabricat iniqua: et nemo eum abiciet. [26] In conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum: et super sermones tuos admirabitur. Nouissime autem peruertet os suum: et in verbis tuis dabit scandalum. [27] Multa audiui et non coequaui ei: et dominus odiet illum. [28] Qui in altum mittit lapidem super caput eius cadet: et plaga dolosa dolosi diuidet vulnera. [29] Et qui foueam fodit incidet in eam: et qui statuit lapidem proximo offendet in eo: et qui laqueum alij ponit peribit in illo. [30] Facienti nequissimum consilium super ipsum deuoluetur: et non agnoscet vnde adueniat illi. [31] Illusio et improperium superborum et vindicta· sicut leo insidiabitur illi. [32] Laqueo peribunt qui oblectantur casu iustorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur. [33] Ira et furor vtraque execrabilia sunt: et vir peccator continens eit illorum.

28 Qui vindicari vult a domino inueniet vindictam: et peccata illius seruans seruabit. [2] Relinque proximo tuo nocenti te: et tunc

deprecanti tibi peccata soluentur. [3] Homo homini seruat iram: et a deo querit medelam? [4] In hominem similem sibi non habet misericordiam: et de peccatis suis deprecatur? [5] Ipse dum caro sit reseruat iram: et propiciationem petit a deo? Quis exorabit pro delictis illius? [6] Memento nouissimorum: et desine inimicari. [7] Tabitudo enim et mors imminent in mandatis eius. [8] Memorare timorem domini: et non irascaris proximo. [9] Memorare testamentum altissimi: et despice ignorantiam proximi. [10] Abstine te a lite: et minues peccata. [11] Homo enim iracundus incendit litem: et vir peccator conturbabit amicos: et in medio pacem habentium immittit inimiciciam. [12] Secundum enim ligna silue· sic ignis exardescit: et secundum virtutem hominis sic iracundia illius erit: et secundum substantiam suam exaltabit iram suam. [13] Certamen festinatum incendit ignem: et lis festinans effundet sanguinem: et lingua testificans adducet mortem. [14] Si sufflaueris quasi ignis exardebit: et si exspueris super illam extinguetur. Vtraque ex ore proficiscuntur. [15] Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbauerunt pacem habentes. [16] Lingua tercia multos commouit: et dispersit illos de gente in gentem. [17] Ciuitates muratas diuitum destruxit: et domos magnatorum effodit. [18] Virtutes populorum concidit et gentes fortes dissoluit. [19] Lingua tercia mulieres viri viratas eiecit: et priuauit illas laboribus suis. tas [20] Qui respicit illam non habebit requiem: nec habebit amicum in quo requiescat. [21] Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem lingue comminuet ossa. [22] Multi ceciderunt in ore gladij: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. [23] Beatus est qui tectus est a lingua nequam: qui in iracundia illius non transiuit· et qui non attraxit iugum illius: et in vinculis eius non est ligatus. [24] Iugum enim illius iugum ferreum est: et vinculum illius vinculum ereum est. [25] Mors illius mors nequissima: et vtilis pocius inferus quam illa. [26] Perseuerantia illius non permanebit: sed obtinebit vias iniustorum. In flamma sua non comburet iustos: [27] qui relinquunt deum incident in illam. Et exardebit in illis et non extinguetur: et immittetur in illos quasi leo: et quasi pardus ledent illos. [28] Sepi aures tuas spinis et linguam nequam noli audire: et ori tuo facito ostia: et seras auribus [29] Aurum tuum et argentum tuum consta et verbis tuis facito stateram et frenos ori tuo rectos: [30] et attende ne forte labaris in lingua et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi: et sit casus tuus insanabilis in mortem.

29 facit misericordiam feneratur proximo suo: et qui preualet manu mandata seruat. [2] Fenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius: et iterum redde proximo in tempore suo. [3] Confirma verbum et fideliter age cum illo: et in omni tempore inuenies quod tibi necessarium est. [4] Multi quasi inuentionem estimauerunt fenus: et prestiterunt molestiam hijs qui se adiuuerunt. [5] Donec accipiant osculantur manus dantis: et in promissionibus humiliant vocem suam. [6] Et in tempore redditionis postulabit tempus: et loquetur verba tedij et murmurationum: et tempus causabitur. [7] Si autem potuerit reddere aduersabitur: solidi vix reddet dimidium: et computabit illud quasi inuencionnem. [8] Sin autem fraudebit illum pecunia sua· et possidebit illum inimicum gratis: [9] et conuicia et maledicta reddet illi: et pro honore et beneficio reddet illi contumeliam. [10] Multi non causa nequitie non fenerati sunt: sed fraudari gratis timuerunt. [11] Veruntamen super humilem animo fortior esto: et pro elemosina non trahas illum. [12] Propter mandatum assume pauperem: et propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum. [13] Perde pecuniam propter fratrem et amicum tuum: et non abscondas illam sub lapide in perditionem. [14] Pone thesaurum tuum in preceptis altissimi: et proderit tibi magis quam aurum. [15] Conclude lemosinam in sinu pauperis et hec pro te exorabit ab omni malo. Elemosina viri quasi sacculus cum ipso: et gratiam hominis quasi pupillam conseruabit: et postea resurget et retribuet illis retributionem vnicuique in caput ipsorum. [16] Super scutum potentis [17] et super lanceam· [18] aduersus inimicum tuum pugnabit. [19] Vir bonus fidem facit proximo suo: et qui perdiderit confusionem derelinquet sibi. [20] Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: dedit enim pro te animam suam. [21] Repromissorem fugit peccator et immundus. [22] Bona repromissoris sibi asscribit peccator: et ingratus sensu derelinquit liberantem se. [23] Vir repromittit de proximo suo: et cum perdiderit reuerentiam derelinquetur ab eo. [24] Repromissio nequissima multos perdidit diligentes: et commouit illos quasi fluctus maris. [25] Viros potentes gyrans migrare fecit: et vagati sunt in gentibus alienis. [26] Peccator transgrediens mandatum domini incidet in promissionem nequam: et qui conatur multa agere incidet in iudicium. [27] Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam: et attende tibi ne incidas. [28] Inicium vite hominis aqua et panis et vestimentum: et domus protegens turpitudinem. [29] Melior est victus pauperis sub tegmine asserum: quam epule splendide in peregre sine domicilio. [30] Minimum pro magno placeat tibi: et improperium peregrinationis non audies. [31] Vita nequam hospitandi de domo in domum: et vbi hospitatur non fiducialiter aget· nec aperiet os. [32] Hospitabitur et pascet et potabit ingratos: et adhuc amara audiet. [33] Transi hospes et orna mensam: et que in manu habes ciba ceteros. [34] Exi a facie honoris amicorum meorum: necessitudine domus mee· michi factus es frater. [35] Grauia hic homini habenti sensum: correptio domus et improperium feneratoris.

30 Qui diligit filium suum assiduat illi flagella: vt letetur in nouissimo suo: et non palpet proximorum ostia. [2] Qui docet filium suum laudabitur in illo: et in medio domesticorum in illo gloriabitur. [3] Qui docet filium suum in zelum mittit inimicum: et in medio amicorum gloriabitur in illo. [4] Mortuus est pater illius: et quasi non est mortuus. Similem enim reliquit sibi post se. [5] In vita sua vidit: et letatus est in illo. In obitu suo non est contristatus: nec confusus est coram inimicis. [6] Reliquit enim defensorem domus contra inimicos: et amicis reddentem gratiam. [7] Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua: et super omnem vocem turbabuntur viscera eius. [8] Equus indomitus euadet durus: et filius remissus euadet preceps. [9] Lacta filium tuum et pauentem te faciet: lude cum eo et contristabit te. [10] Non corrideas illi ne doleas: et in nouissimo obstupescent dentes tui. [11] Non des illi potestatem in iuuentute: et ne despicias cogitatus illius. [12] Curua ceruicem eius in iuuentute et tonde latera eius dum infans est: ne forte induret et non credat tibi: et erit tibi dolor anime. [13] Doce filium tuum et operare in illo: ne in turpitudinem illius offendas. [14] Melior est pauper sanus et fortis viribus: quam diues imbecillis et flagellatus malicia. [15] Salus anime in sanctitate iusticie: et melior est omni auro et argento: et corpus validum quam census immensus. [16] Non est census super censum salutis corporis: et non est oblectamentum super cordis gaudium. [17] Melior est mors quam vita amara: et requies eterna quam languor perseuerans. [18] Bona abscondita in ore clauso: quasi apposiciones epularum circumposite sepulcro. [19] Quid proderit libatio ydolo? Nec enim manducabit nec odorabitur. [20] Sic qui effugatur a domino: et comportans mercedes iniquitatis. [21] Videns oculis et ingemiscens: sicut spado complectens virginem et suspirans. [22] Tristiciam non des anime tue: et non affligas temetipsum in consilio tuo. [23] Iocunditas cordis hec est vita hominis: et thesaurus sine defectione sanctitatis: et exultatio viri est longeuitas. [24] Miserere anime tue placens deo: et contine et congrega cor tuum in sanctitate eius: et tristiciam longe expelle a te. [25] Multos enim occidit tristicia: et non est vtilitas in illa. [26] Zelus et iracundia minuent dies: et ante tempus senectam adducet cogitatus. [27] Splendidum cor bonum in epulis: epule enim illius diligenter fiunt.

31 Vigilia honestatis tabefaciet carnes: nes: et cogitatus nes: et cogitatus illius aufert somnum. [2] Cogitatus prescientie auertit sensum: et infirmitas grauis sobriam facit animam. [3] Laborauit diues in congregatione sobrie: et in requie sua replebitur bonis suis. [4] Laborauit pauper in diminucione victus: et in fine inops fit. [5] Qui aurum diligit non iustificabitur: et qui insequitur consumptionem replebitur ex ea. [6] Multi dati sunt in auri casus: et facta est in specie illius perditio illorum. [7] Lignum offensionis est aurum sacrificantium: ve illis qui sectantur illud: et omnis imprudens deperiet in illo. [8] Beatus est diues qui inuentus est sine macula: et qui post aurum non abijt: nec sperauit in pecunia et thesauris. [9] Quis est hic et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. [10] Qui probatus est in illo: et perfectus

inuentus est: et erit illi in gloria eterna. Qui potuit transgredi et non est transgressus: et facere mala et non fecit. [11] Ideo stabilita sunt bona illius in domino: et elemosinas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum. [12] Supra mensam magnam sedisti: non aperias super illam faucem tuam prior. [13] Non dicas si multa sunt que super illam sunt. [14] Memento quoniam malus est oculus nequam. [15] Nequius oculo quid creatum est: Ideo ab omni facie sua lacrimabitur cum viderit. [16] Ne extendas manum tuam prior: et inuidia contaminatus erubescas. [17] Ne comprimaris in conuiuio vini. [18] Intellige que sunt proximi tui ex teipso. [19] Vtere quasi homo frugi hijs que tibi apponuntur: et non cum manducas multum odio habearis. [20] Cessa prior causa discipline: et noli nimius esse ne forte offendas. [21] Et si in medio multorum sedisti prior illis ne extendas manum tuam: nec prior poscas bibere. [22] Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum: et in dormiendo non laborabis ab illlo: et non senties laborem. [23] Vigilia et colera· et tortura viro infrunito: [24] somnus sanitatis in homine parco. Dormiet vsque mane: et anima illius cum ipso delectabitur. [25] Et si coactus fueris in edendo multum: surge e medio et vome· et refrigerabit te: et non adduces corpori tuo infirmitatem. [26] Audi me fili et non spernas me: et in nouissimo inuenies verba mea. [27] In omnibus operibus tuis esto velox: et omnis infirmitas non occurret tibi. [28] Splendidum in panibus benedicent labia multorum: et testimonium veritatis illius fidele. [29] In nequissimo pane murmurauit ciuitas: et testimonium nequicie illius verum est. [30] Diligentes in vino noli prouocare: multos enim exterminauit vinum. [31] Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. [32] Equa vita hominibus· vinum in sobrietate: si bibas illud moderate eris sobrius. [33] Que est vita que minuitur vino? [34] Quid defraudat vitam? Mors. [35] Vinum in iocunditatem creatum est· non in ebrietatem· ab inicio. [36] Exultatio anime et corporis: vinum moderate potatum. [37] Sanitas est anime corpori· sobrius potus. [38] Vinum multum potatum irritationem et iram· et ruinas multas facit. [39] Amaritudo anime: vinum multum potatum. [40] Ebrietatis animositas imprudentis offensio: minorans virtutem et faciens vulnera. [41] In conuiuio vini non arguas proximum: et non despicias eum in iocunditate illius. [42] Verba improperij non dicas illi: et non premas illum in repetendo.

32 Rectorem te posuerunt noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis. [2] Curam illorum habe et sic considera: et omni cura tua explicata recumbe· [3] vt leteris propter illos: vt ornamentum gratie accipias coronam: et dignationem consequaris corrogationis. [4] Loquere maior natu: decet enim te. [5] Primum verbum diligenti scientiam: et non impedias musicam. [6] Vbi auditus non est non effundas sermonem: et importune noli extolli in sapientia tua. [7] Gemmula carbunculi in ornamento auri: et comparacio musicorum in conuiuio vini. [8] Sicut in auri signum est smaragdi: sic numerus musicorum in iocundo et moderato vino. [9] Audi tacens: et pro reuerentia accedet tibi bona gratia. [10] Adolescens loquere in tua causa vix. [11] Si bis interrogatus fueris: habeat caput responsum tuum. [12] In multis esto quasi inscius: et audi tacens simul et querens. [13] In medio magnatorum non presumas: et vbi sunt senes non multum loquaris. [14] Ante grandinem preibit choruscatio: et ante verecundiam preibit gratia: et pro reuerentia accedet tibi bona gratia: [15] et hora surgendi non te trices. Precurre autem prior in domum tuam et illic auocare: et illic lude: [16] et age conceptiones tuas: et non in delictis et verbo superbo. [17] Et super hijs omnibus benedicito dominum qui fecit te: et inebriantem te ab omnibus bonis suis. [18] Qui timet deum excipiet doctrinam eius: et qui vigilauerint ad illum inuenient benedictionem. [19] Qui querit legem replebitur ab ea: et qui insidiose agit scandalizabitur in ea. [20] Qui timent deum inuenient iudicium iustum: et iusticias quasi lumen accendent. [21] Peccator homo deuitabit correptionem: et secundum voluntatem suam inuenient comparationem. [22] Vir consilij non disperdet intelligentiam: alienus et superbus non pertimescet timorem. [23] Etiam postquam fecit cum eo sine consilio: et suis in sectationibus arguetur. [24] Fili sine consilio nichil facias: et post factum non penitebis. [25] In via ruine non eas et non offendes in lapides: nec credas te vie laboriose: ne ponas anime tue scandalum. [26] Et a filijs tuis caue: et a domesticis tuis attende. [27] In omni opere tuo crede ex fide anime tue: hec est enim conseruacio mandatorum. [28] Qui credit deo attendit mandatis: et qui confidit in illo non minorabitur.

33 Timenti deum non occurrent mala: sed in temptatione deus illum conseruabit: et liberabit a malis. Sapiens non odit mandata et iusticias: [2] et non illidetur quasi in procella nauis. [3] Homo sensatus credit legi dei: et lex illi fidelis. [4] Qui interrogationem manifestat parabit verbum: et sic deprecatus exaudietur: et conseruabit disciplinam et tunc respondebit. [5] Precordia fatui quasi rota carri: et quasi axis versatilis cogitatus illius. [6] Equus emissarius sicut amicus subsannator: sub omni suprasedente hinnit. [7] Quare dies diem superat: et iterum lux lucem et annus annum a sole? [8] A domini scientia seperati sunt facto sole et preceptum custodiente. [9] Et immutauit tempora et dies festos ipsorum: et in illis dies festos celebrauerunt ad horam. [10] Ex ipsis exaltauit et magnificauit deus· et ex ipsis posuit in numerum dierum: et omnes homines de solo· et ex terra vnde creatus est adam. [11] In multitudine discipline domini seperauit eos: et immutauit vias eorum. [12] Ex ipsis benedixit et exaltauit: et ex ipsis sanctificauit et ad se applicauit: et ex ipsis maledixit et humiliauit: et conuertit illos ad seperationem ipsorum: [13] quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud et disponere. [14] Omnes vie eius secundum dispositionem eius: sic homo in manu illius qui se fecit: et reddet illi secundum iudicium suum. [15] Contra malum bonum stat et contra mortem vita: sic et contra virum iustum peccator: et sic intuere in omnia opera altissimi. Duo contra duo: et vnum contra vnum. [16] Et ego nouissimus euigilaui: et quasi qui colligit acinos post vindemiatores. [17] In benedictione dei et ipse speraui: et quasi qui vindemiat repleui torcular. [18] Respicite quoniam non michi soli laboraui: sed omnibus exquirentibus disciplinam. [19] Audite te me magnati et omnes populi: et rectores ecclesie auribus percipite. [20] Filio et mulieri fratri et amico non des potestatem super te in vita tua: et non dederis alij possessionem tuam: ne forte peniteat te et depreceris pro illis. [21] Dum adhuc superes et aspiras: non immutabit te omnis caro. [22] Melius est enim vt filij tui te rogent: quam te respicere in manus filiorum tuorum. [23] In omnibus operibus tuis precellens esto. [24] Ne dederis maculam in gloriam tuam. In die consummationis dierum vite tue· et in tempore exitus tui distribue hereditatem tuam. [25] Cibaria et virga et onus asino: panis et disciplina et opus seruo. [26] Operatur in disciplina et querit requiescere: laxa manus illi et querit libertatem. [27] Iugum et lorum curuant collum durum: et seruum inclinant operationes assidue. [28] Seruo maliuolo tortura et compedes: mitte illum in operationem ne vacet. [29] Multam enim maliciam docuit ociositas. [30] In opera constitue eum: sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit curua illum compedibus: et non amplifices super omnem carnem. Verum sine iudicio nichil facias graue. [31] Si est tibi seruus bonus: sit tibi quasi anima tua. Quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine anime eum comparasti. [32] Si leseris illum iniuste in fugam conuertetur: [33] et si extollens discesserit quo queras et in qua via queras illum nescis.

34 Vana spes et mendacium insensato viro: et somnia extollunt imprudentes. [2] Quasi qui apprehendit vmbram et persequitur ventum: sic et qui attendit ad visa mendacia. [3] Hoc secundum hoc visio somniorum. Ante faciem hominis similitudo alterius hominis. [4] Ab immundo quid mundabitur? Et a mendace quid verum dicetur? [5] Diuinatio erroris et auguria mendacia et somnia male facientium vanitas est. [6] Et sicut parturientis· cor tuum fantasias patitur: nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio. Ne dederis in illis cor tuum. [7] Multos enim errare fecerunt somnia: et exciderunt sperantes in illis. [8] Sine mendacio consummabitur verbum legis: et sapientia in ore fidelis complanabitur. [9] Qui non est temptatus quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa: et qui multa didicit enarrabit intellectum. [10] Qui non est expertus pauca recognoscit: qui autem in multis factus est· multiplicauit maliciam. [11] Qui temptatus non est qualia scit? Qui implanatus est abundabit nequicia. [12] Multa vidi enarrando: et plurimas verborum consuetudines. [13] Aliquotiens vsque ad mortem periclitatus sum horum causa: et liberatus

sum gratia dei. [14] Spiritus timentium deum queritur: et in respectu illius benedicetur. [15] Spes enim illorum in saluantem illos: et oculi dei in diligentes se. [16] Qui timet dominum nichil trepidabit: et non pauebit quoniam ipse est spes eius. [17] Timentis dominum beata est anima eius: [18] ad quem respicit: et qui est fortitudo eius. [19] Oculi domini supertimentes eum: protector potentie firmamentum virtutis: tegimen ardoris et vmbraculum meridiani: [20] deprecatio offensionis· et adiutorium casus: exaltans animam et illuminans oculos: dans sanitatem et vitam et benedictionem. [21] Immolantis ex iniquo oblatio est maculata: et non sunt beneplacite subsannationes iniustorum. [22] Dominus solus sustinentibus se in via veritatis et iusticie. [23] Dona iniquorum non probat altissimus: nec respicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine sacrificiorum· eorum propiciabitur peccatis. [24] Qui offert sacrificium ex substancia pauperum: quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. [25] Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum homo sanguinis est. [26] Qui aufert in sudore panem: quasi qui occidit proximum suum. [27] Qui effundit sanguinem et qui fraudem facit mercennario fratres sunt. [28] Vnus edificans et vnus destruens: quid prodest illis nisi labor? [29] Vnus orans et vnus maledicens: cuius vocem exaudiet deus? [30] Qui baptizatur a mortuo et iterum tangit eum: quid proficit lauatio illius? [31] Sic homo qui ieiunat in peccatis suis et iterum eadem faciens: quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?

35 conseruat legem: multiplicat orationem. [2] Sacrificium salutare est attendere mandatis et discedere ab omni iniquitate: [3] et propiciationem litare sacrificijs super iniusticias: et deprecatio pro peccatis· recedere ab iniusticia. [4] Retribuet gratiam qui offert similaginem: et qui facit misericordiam offert sacrificium. [5] Beneplacitum est domino recedere ab iniquitate. [6] Non apparebis ante conspectum domini vacuus. [7] Hec enim omnia propter mandatum dei fiunt. [8] Oblatio iusti impinguat altare: et odor suauitatis est in conspectu altissimi. [9] Sacrificium iusti acceptum est: et memoriam eius non obliuiscetur dominus. [10] Bono animo gloriam redde deo: et non minuas primitias manuum tuarum. [11] In omni dato hylarem fac vultum tuum: et in exultaturone vltatione vltatione sanctifica decimas tuas. [12] Da altissimo secundum datum eius: et in bono oculo aduentionem facito manuum tuarum: [13] quoniam dominus retribuens est· et septies tanto reddet tibi. [14] Noli offerre munera praua: non enim suscipiet illa. [15] Et noli inspicere sacrificium iniustum: quoniam dominus est iudex: et non est apud illum gloria persone. [16] Non accipiet dominus personam in pauperem: et deprecationem lesi exaudiet. [17] Non despiciet preces pupilli: nec viduam· si effundat loquelam gemitus. [18] Nonne lacrime vidue ad maxillam descendunt: et exclamatio eius sup deducentem eas: [19] A maxilla etiam ascendunt vsque ad celum: et dominus exaudi tor tor non delectabitur in illis. [20] Qui adorat deum in oblectatione suscipietur: et deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit. [21] Oratio humiliantis se nubes penetrabit: et donec propinquet non consolabitur: et non discedet donec altissimus aspiciat. [22] Et dominus non elongabit: sed iudicabit iustos et faciet iudicium: et fortissimus non habebit in illis patientiam: vt contribulet dorsum ipsorum [23] et gentibus reddet vindictam: donec tollat plenitudinem superborum· et sceptra iniquorum contribulet: [24] donec reddat hominibus secundum actus suos: et secundum opera ade et secundum presumptionem illius: [25] donec iudicet iudicium plebis sue: et oblectabit iustos misericordia. [26] Speciosa Speciosa misericordia in tempore tribulationis: quasi nubes pluuie in tempore siccitatis.

36 Miserere nostri deus omnium et respice nos: et ostende nobis lucem miserationum tuarum: [2] et immitte timorem tuum super gentes que non exquisierunt te: vt cognoscant quia non est deus nisi tu· vt enarrent magnalia tua. [3] Alleua manum tuam super gentes alienas: vt videant potentiam tuam. [4] Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis: sic in conspectu nostro magnificaberis in eis: [5] vt cognoscant te· sicut et nos cognouimus: quia non est deus preter te domine. [6] Innoua signa: et immuta mirabilia. [7] Glorifica manum: et brachium dextrum. [8] Excita furorem: et effunde iram. [9] Extol Extolle aduersarium: et afflige inimicum. [10] Festi Festina na tempus et memento finis: vt enarrent mirabilia tua. [11] In ira flamme deuoretur qui saluatur: et qui pessimant plebem tuam inueniant perditionem. [12] Contere caput principum et inimicorum: dicentium non est alius preter nos. [13] Congrega omnes tribus iacob: et cognoscant quia non est deus nisi tu· vt enarrent magnalia tua: et hereditabis eos sicut ab inicio. [14] Miserere plebi tue super quam inuocatum est nomen tuum: et israhel quem coequasti primogenito tuo. [15] Miserere ciuitati sanctificaturonis ctificationis ctificationis tue iherusalem: ciuitati requiei tue. [16] Reple syon inenarrabilibus virtutibus tuis: et gloria tua populum tuum. [17] Da testimonium quia ab inicio creature tue sunt: et suscita precationes quas locuti sunt in nomine tuo prophete priores. [18] Da mercedem domine sustinentibus te vt prophete tui fideles inueniantur: et exaudi orationes seruorum tuorum. [19] Secundum benedictionem aaron da populo tuo et dirige nos in viam iusticie: vt sciant omnes qui habitant terram: quia tu es deus conspector seculorum. [20] Omnem escam manducabit venter: et est cibus cibo melior. [21] Fauces contingunt cibum ferre: et cor insensatum verba mendacia. [22] Cor prauum dabit tristiciam: et homo peritus resister illi. [23] Omnem masculum excipiet mulier: et est filia melior filie. [24] Species mulieris exhilarat faciem viri sui: et super omnem concupiscentiam hominis superducet desiderium. [25] Si est lingua curationis et mitigationis et misericordie: non est vir illius secundum filios hominum. [26] Qui possidet mulierem bonam inchoat possessionem: adiutorium secundum illum est: et columna vt requies. [27] Vbi non est sepis diripietur possessio: et vbi non est mulier ingemiscit egens. [28] Cui credit qui non habet nidum? Et deflectens vbicumque obscurauerit: quasi succinctus latro exiliens de ciuitate in ciuitatem.

37 Omnis amicus dicet· et ego amiciciam copulaui: sed est amicus solo nomine amicus. Nonne tristicia inest vsque ad mortem? [2] Sodalis autem et amicus· ad inimiciciam conuertentur. [3] O presumptio nequissima: vnde creata es cooperire aridam malicia et dolositate illius? [4] Sodalis amico coniocundabitur in oblectationibus: et in tempore tribulationis aduersarius erit. [5] Sodalis amico condolet causa ventris: et contra hostem accipiet scutum. [6] Non obliuiscaris amici tui animo tuo: et non immemor sis illius operibus tuis. [7] Noli consiliari cum socero tuo: et a zelantibus te absconde consilium. [8] Omnis consiliarius prodit consilium: sed est consiliarius semetipso. [9] A consiliario serua animam tuam. Prius scito que sit illius necessitas: et ipse enim animo suo cogitabit. [10] Ne forte mittat sudem in terram: et dicat tibi [11] bona est via tua: et stet econtrario videre quid tibi eueniat. [12] Cum viro irreligioso tracta de sanctitate: et cum iniusto de iusticia: et cum muliere de hijs que emulatur. Cum timido de bello: cum negociatore de traiectione. Cum cum viro liuido de gratijs [13] Cum impijs de pietate: cum inhonesto de honestate. Cum operario agrario de omni opere: [14] cum operario annuali de consummatione anni: cum seruo pigro de multa operatione. Non attendas omni consilio. [15] Sed cum viro sancto assiduus esto: quemcumque cognoueris obseruantem timorem dei: [16] cuius anima est secundum animam Quicumque tenebris non tuam. Quicumque titubauerit in tenebris non condolebit tibi: et [17] cor boni statuet tecum. Non est enim tibi aliud plus illo. [18] Anima viri sancti enunciat aliquando vera: quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. [19] Et in hijs omnibus deprecare altissimum: vt dirigat in veritate viam tuam. [20] Ante omnia opera verbum verax precedat te: et ante omnem actum consilium stabile. [21] Verbum nequam immutabit cor: ex quo partes quatuor oriuntur: bonum et malum vita et mors: et dominatrix illorum est assidua lingua. Vir [22] peritus multos erudiet: et anime sue suauis est. [23] Qui sophistice loquitur odibilis est: omni re defraudabitur. [24] Non est enim illi data a domino gratia: omni enim sapientia defraudatus est. [25] Est sapiens anime sue sapiens: et fructus illius [26] sensus illius fideles sunt. [27] Vir sapiens implebitur plebit benedictionibus: et videntes illum [28] Vita viri in numero dierum: dies autem israhel innumerabiles sunt. [29] piens in ipso hereditabit honorem: et nomen illius erit viuens ineternum. [30] Fili in vita tua tempta animam tuam: et si fuerit nequam non des illi potestatem. [31] enim omnia omnibus expediunt: et

non omni anime omne genus placet. [32] Noli auidus esse in omni epulatione: et non te effundas super omnem escam. [33] In multis enim escis erit infirmitas: et auiditas appropinquabit vsque ad coleram. [34] Propter crapulam multi obierunt· qui autem abstinens est adiciet vitam.

38 Honora medicum propter necessitatem: etenim creauit altissimus. [2] A deo est enim omnis medela: et a rege accipiet donationem. [3] Disciplina medici exaltabit caput illius: et in conspectu magnatorum collaudabitur. [4] Altissimus creauit de terra medicinam: et vir prudens non abhorrebit illam. [5] Nonne a ligno indulca aqua amara? [6] hominum virtus illorum: et dedit hominibus scientiam altissimus: honorari in mirabilibus suis. [7] In hijs curans mitigabit dolorem: et vngentarius faciet pigmenta suauitatis· et vnctiones conficiet sanitatis: et non consummabuntur opera eius. [8] Pax enim dei super faciem terre. [9] Fili in tua infirmitate non despicias teipsum: sed ora dominum et ipse curabit te. [10] Auerte a delicto· et dirige manus: et ab omni delicto munda cor tuum. [11] Da suauitatem et memoriam similaginis· et impingua oblationem: et da locum medico· [12] etenim illum dominus creauit: et non discedat a te· quia opera eius sunt necessaria. [13] Est enim tempus quando in manibus illorum incurras: [14] ipsi vero dominum deprecabuntur vt dirigat requiem eorum· et sanitatem propter conuersationem illorum. [15] Qui delinquit in conspectu eius qui fecit eum: incidet in manus medici. [16] Fili in mortuum produc lacrimas· et quasi dira passus incipe plorare: et secundum iudicium contege corpus illius: et non despicias sepulturam illius. [17] Propter delaturam autem amare fer luctum illius vno die: et consolare propter tristiciam: [18] et fac luctum secundum meritum eius vno die vel duobus propter detractionem. [19] A tristicia enim festinat mors· et cooperiet virtutem: et tristicia cordis flectit ceruicem. [20] In abductione permanet tristicia: et substantia inopis secundum cor eius. [21] Non dederis in tristicia cor tuum: sed repelle eam a te: et memento nouissimorum. [22] Noli obliuisci neque enim est conuersio: et huic nichil proderis: et teipsum pessimabis. [23] Memor esto iudicij mei: sic enim erit et tuum. Michi heri: et tibi hodie. [24] In requiem mortui requiescere fac memoriam eius: et consolare illum in exitu spiritus sui. [25] Sapientiam scribe in tempore vacuitatis: et qui minoratur actu sapientiam percipiet: quia sapientia replebitur. [26] Qui tenet aratrum· et qui gloriatur in iaculo· stimulo boues agitat: et conuersatur in operibus eorum: et narratio eius in filijs taurorum. [27] Cor suum dabit ad versandos sulcos: et vigilia eius in sagina vaccarum. [28] Sic omnis faber et architectus qui noctem tanquam diem transigit: qui sculpit signacula sculptilia: et assiduitas eius narrat picturam. Cor suum dabit in similitudinem picture: et vigilia sua perficit opus. [29] Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem: et considerans opus ferri. Vapor ignis vret carnes eius: et in calore fornacis concertatur. [30] Vox mallei innouat aurem eius: et contra similitudinem vasis oculus eius. [31] Cor suum dabit in consummationem operum: et vigilia sua ornabit imperfectionem. [32] Sic figulus sedens ad opus suum conuertens pedibus suis rotam: qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum: et innumera est omnis operatio eius. [33] In brachio suo formabit lutum: et ante pedes suos curuabit virtutem suam. [34] Cor suum dabit vt consummet linitionem: et vigilia sua mundabit fornacem. [35] Omnes hij in manibus suis sperauerunt: et vnusquisque in arte sua sapiens est. [36] Sine hijs omnibus non edificatur ciuitas: [37] et non inhabitabunt· nec ambulabunt: et in ecclesiam non transilient. [38] Super sellam iudicis non sedebunt et testamentum iudicij non intelligent: neque palam facient iudicium et disciplinam· et in parabolis non inuenientur: [39] sed creaturam eui confirmabunt: et deprecatio illorum in operatione artis: accommodantes animam suam· et conquirentes in lege altissimi.

39 Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens: et in prophetis vacabit. [2] Narrationem virorum nominatorum conseruabit: et in versutias parabolarum simul introibit. [3] Occulta prouerbiorum exquiret: et in absconditis parabolarum conuersabitur. [4] In medio magnatorum ministrabit: et in conspectu presidis apparebit: et [5] in terram alienigenarum gentium transiet. Bona enim et mala· in omnibus temperabit. [6] Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad dominum qui fecit illum: et in conspectu altissimi deprecabitur. [7] Aperiet os suum in oratione: et pro delictis suis deprecabitur. [8] Si enim dominus magnus voluerit spiritu intelligentie replebit illum: [9] et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientie sue: et in oratione confitebitur domino. [10] Et ipse diriget consilium eius et disciplinam: et in absconditis suis consiliabitur. [11] Ipse palam faciet disciplinam doctrine sue: et in lege testamenti domini gloriabitur. [12] Collaudabunt multi sapientiam eius: et vsque in seculum non delebitur. [13] Non recedet memoria eius: et nomen eius requiretur a generatione in generationem. [14] Sapientiam eius enarrabunt gentes: et laudem eius enunciabit ecclesia. [15] Si permanserit nomen eius derelinquet plus quam mille: et si requieuerit proderit illi. [16] Adhuc consiliabor vt enarrem: vt furore enim repletus sum. [17] In voce dicit. Obaudite me diuini fructus: et quasi rosa plantata super ruinas aquarum fructificate. [18] Quasi libanus odorem suauitatis habete. [19] Florete flores· quasi lilium et date odorem: et frondete in gratiam· et collaudate canticum: et benedicite dominum in operibus suis. [20] Date nomini eius magnificentiam: et confitemini illi in voce labiorum vestrorum· et in canticis labiorum et cytharis: et sic dicetis in confessione: [21] opera domini vniuersa bona valde. [22] In verbo enim eius stetit aqua sicut congeries· et in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum: [23] quoniam in precepto ipsius placor fit: et non est minoratio in salute ipsius. [24] Opera omnis carnis coram illo: et non est quicquam absconditum ab oculis eius. [25] A seculo vsque in seculum respicit: et nichil est mirabile in conspectu eius. [26] Non est dicere· quid est hoc aut quid est illud: omnia enim in tempore suo querentur. [27] Benedictio illius quasi fluuius inundabit: et [28] quomodo chataclismus aridam inebriauit: sic ira ipsius gentes que non exquisierunt eum hereditabit. [29] Quomodo conuertit aquas in siccitatem et siccata est terra· et vie illius vijs illorum directe sunt: sic peccatoribus offensiones in ira eius. [30] Bona bonis creata sunt ab inicio: sic nequissimis bona et mala. [31] Inicium necessarie rei vite hominum· aqua· ignis· et ferrum: sal· lac· et panis similagineus: et mel· et botrus vue· et oleum· et vestimentum. [32] Hec omnia sanctis in bona: sic et impijs et peccatoribus in mala conuertentur. [33] Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt: et in furore suo confirmauerunt tormenta sua. [34] Et in tempore consummationis effundent virtutem: et furorem eius qui fecit illos confundent. [35] Ignis· grando· fames· et mors: omnia hec ad vindictam creata sunt. [36] Bestiarum dentes· et scorpij· et serpentes: et rumphea vindicans in exterminium impios. [37] In mandatis eius epulabuntur: et super terram in necessitate sparabuntur: et in temporibus suis non preterient verbum. [38] Propterea ab inicio confirmatus sum· et consiliatus sum· et cogitaui: et scripta dimisi. [39] Omnia opera domini bona: et omne opus hora sua subministrabit. [40] Non est dicere: hoc illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobabuntur. [41] Et nunc in omni corde et ore collaudate: et benedicite nomen domini.

40 Occupatio magna creata est omnibus hominibus: et iugum graue super filios adam a die exitus de ventre matris eorum· vsque in diem sepulture in matrem omnium. [2] Cogitationes eorum et timores cordis: adinuentio exspectationis· et dies finitionis: [3] residentes super sedem gloriosam· vsque ad humiliatum in terram et cinerem: [4] ab eo qui vtitur iacincto et portat coronam· vsque ad eum qui operitur lino crudo: furor· zelus· tumultus· fluctuatio· et timor mortis: iracundia perseuerans· et contentio: [5] et in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam eius. [6] Modicum autem tanquam nichil in requie: et ab eo in somnis quasi in die respectus. [7] Conturbatus est in visu cordis sui: tanquam qui euaserit in die belli. In tempore salutis sue exsurrexit· et admirans ad nullum timorem· [8] cum omni carne ab homine vsque ad pecus: et super peccatores septuplum. [9] Ad hec mors sanguis· contentio· et rumphea: oppressiones· fames· et contritio· et flagella. [10] Super iniquos creata sunt hec omnia: et propter illos factus est cathaclismus. [11] Omnia enim que de terra sunt in terram conuertentur: et aque omnes in mare [12] Omne munus et iniquitas delebitur: et fides in seculum stabit. [13] Substantie iniustorum sicut fluuius siccabuntur: et sicut tonitruum magnum in pluuia personabit. [14] In aperiendo manus suas letabitur: sic

preuaricatores in consummatione tabescent. [15] Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos: et radices immunde super cacumen petre sonant. [16] Super omnem aquam viriditas: et ad oram fluminis· ante omne fenum euelletur. [17] Gratia sicut paradisus in benedictionibus: et misericordia in seculo permanet. [18] Vita sibi operarij sufficisufficientis condulcabitur: et in ea inuenies thesaurum. [19] Edificatio ciuitatis confirmabit nomen: et super hanc mulier immaculata computabitur. [20] Vinum et musica letificant cor et super vtrumque dilectio sapientie. [21] Tibie et psalterium suauem faciunt melodiam: et super vtrumque lingua suauis. [22] Gratiam et speciem desiderabit oculus tuus: et super hoc virides sationes. [23] Amicus et sodalis in tempore conuenientes: et super vtrosque mulier cum viro. [24] Fratres in adiutorium in tempore tribulationis: et super eos misericordia liberabit. [25] Aurum et argentum constitutio peditum: et super vtrumque consilium beneplacitum. [26] Facultates et virtutes exaltant cor: et super hec timor domini. [27] Non est in timore domini minoratio: et non est in eo inquirere adiutorium. [28] Timor domini sicut paradisus benedictionis: et super omnem gloriam operuerunt illum. [29] Fili in tempore vite tue ne indigeas. Melius est enim mori quam in indigere. [30] Vir respiciens in mensam alienam: non est vita eius in cogitatione victus. Alit enim animam suam cibis alienis. [31] Vir autem disciplinatus et eruditus custodiet se. [32] In ore imprudentis condulcabitur inopia: et in ventre eius ignis ardebit.

41 O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substancijs suis: [2] viro quieto· et cuius vie directe sunt in omnibus: et ad huc valenti accipere cibum. [3] O mors· bonum est iudicium tuum homini indigenti· et qui minoratur viribus: [4] defecto etate· et cui de omnibus cura est: et incredibili qui perdit sapientiam. [5] Noli metuere iudicium mortis. Memento que ante te fuerunt: et que superuentura sunt tibi hoc iudicium a domino omni carni: [6] et qui superuenient tibi in beneplacito altissimi: siue decem altissimi: siue centum siue mille anni. [7] Non est enim in inferno accusatio vite. [8] Filij abominationum· sunt filij peccatorum: et qui conuersantur secus domos impiorum [9] filiorum peccatorum periet hereditas: et cum semine illorum assiduitas opprobrij. [10] De patre impio queruntur filij: quoniam illum sunt opprobrio. [11] Ve vobis viri impij: qui dereliquistis legem domini altissimi. [12] Et si nati fueritis in maledictione nascemini: et si mortui fueritis: in maledictione erit pars vestra. [13] Omnia que de terra sunt in terram conuertentur: sic impij a maledicto in perditionem. nomine. [14] Luctus Luctus hominum in corpore ipsorum: nomen autem impiorum delebitur. [15] Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permaneA bit tibi· quam mille thesauri magni et preciosi. [16] Bone vite numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in euum. [17] Disciplinam in pace conseruate filij. Sapientia enim abscondita et thesaurus inuisus: que vtilitas in vtrisque? [18] Melior est homo qui abscondit stulticiam suam: quam homo qui abscondit sapientiam suam. [19] Verumtamen reuertimini in hijs: que procedunt de ore meo. [20] Non est enim ore ratione· lido· a est enim bonum omnem irreuerenciam obseruare: et non omnia omnibus bene placent in fide. [21] Erubescite a patre et a matre de fornicatione· et a presidente et a potente de mendacio: [22] a principe et a iudice de delicto· sinagoga et plebe de iniquitate: [23] socio et amico de iniusticia· de loco in quo habitas [24] de furto: de veritate dei et testamento: de discubitu in panibus· et ab obfuscatione dati et accepti: [25] a salutantibus de silentio: a respectu mulieris fornicarie· et ab auersione vultus cognati. [26] Ne auertas faciem a proximo tuo: et ab auferendo partem· et non restituendo. [27] Ne respicias mulierem alieni viri: et ne scruteris ancillam eius: neque steteris ad lectum eius. [28] Caue ab amicis de sermonibus improperij: et cum dederis ne improperes.

42 Non duplices on duplices sermonem auditus de reuelatione sermonis absconditi· et eris vere sine confusione: et inuenies gratiam in conspectu omnium hominum. Ne pro hijs omnibus confundaris: et ne accipias personam vt delinquas. [2] De lege altissimi et testamento· et de iudicio iustificare impium: [3] de verbo sociorum et viatorum· et de datione hereditatis amicorum: [4] de equalitate statere et ponderum· de acquisitione multorum et paucorum: [5] de corruptione emptionis et negociatorum et de multa disciplina filiorum: seruo pessimo latus sanguinare. [6] Super mulierem nequam· bonum est signum. [7] Vbi manus multe sunt claude: et quodcumque trades numera et appende: datum vero et acceptum omne describe. [8] De disciplina insensati et fatui· et de senioribus qui iudicantur ab adolescentibus: et eris eruditus in omnibus: et probabilis in conspectu omnium virorum. [9] Filia patris abscondita est: vigilia et solicitudo eius aufert somnum: ne forte in adolescencia sua adultera efficiatur· et cum viro commorata odibilis fiat: [10] nequando polluatur in virginitate sua. et in paternis suis grauida inueniatur: Ne forte cum viro commorata transgrediatur: aut recte sterilis efficiatur. [11] Super filiam luxuriosam confirma custodiam: faciat te in opprobrium venire inimicis· a detractione in ciuitate et abiectione plebis: et confundat te in multitudine populi. [12] Omni homini noli intendere in specie: et in medio mulierum noli commorari. [13] De vestimentis enim procedit tinea: et a muliere iniquitas viri. [14] Melior est enim iniquitas viri quam benefaciens mulier: et mulier confundens in opprobrium. [15] Memor ero igitur operum domini: et que vidi annunciabo. In sermonibus domini opera eius. [16] Sol illuminans per omnia respexit: et gloria domini plenum est opus eius. [17] Nonne dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua: que confirmauit dominus omnipotens stabiliri in gloria sua? [18] Abissum et cor hominum inuestigauit: et in astucia eorum excogitauit. [19] Cognouit enim dominus omnem scientiam· et inspexit in signum eui: annuncians que preterierunt et que superuentura sunt: reuelans vestigia occultorum. [20] Non preterit illum omnis cogitatus: et non abscondit se ab eo vllus sermo. [21] Magnalia sapientie sue decorauit· que est ante seculum et vsque in seculum: neque adiectum est [22] neque minuetur: et non eget alicuius consilio. [23] Quam desiderabilia omnia opera eius: et tanquam scintilla que est considerare. [24] Omnia hec viuunt et manent in seculum: et in omni necessitate omnia obaudiunt ei. [25] Omnia duplicia: vnum contra vnum: et non fecit quicque de esse. [26] Vniuscuiusque confirmabit bona. Et quis saciabitur videns gloriam eius?

43 Altitudinis firmamentum· pulcritudo eius: species celi in visione glorie. [2] Sol in aspectu annuncians in exitu: vas ammirabile· opus excelsi. [3] In meridiano exurit terram: et in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris· [4] tripliciter sol exurens montes: radios igneos exsufflans· et refulgens: radijs suis obcecat oculos. [5] Magnus dominus qui fecit illum: et in sermonibus eius festinauit iter. [6] Et luna in omnibus in tempore suo: ostensio temporis et signum eui. [7] A luna signum diei festi: luminare quod minuitur in consummatione. [8] Mensis secundum nomen eius est: crescens mirabiliter in consummationem. [9] Vas castrorum in excelsis: in firmamento celi resplendens gloriose. [10] Species celi gloria stellarum: mundum illuminans in excelsis dominus. [11] In verbis sancti stabunt ad iudicium: et non deficient in vigilijs suis. [12] Vide arcum: et benedic eum qui fecit illum. Valde speciosus est in splendore suo. [13] Girauit celum in circuitu glorie sue: manus excelsi aperuerunt illum. [14] Imperio suo accelerauit niuem: et accelerat coruscationes emittere iudicij sui. [15] Propterea aperti sunt thesauri: et euolauerunt nebule sicut aues. [16] In magnitudine sua posuit nubes: et confracti sunt lapides grandinis. [17] In conspectu eius commouebuntur montes: et in voluntate eius aspirauit nothus. [18] Vox tonitrui eius verberauit terram: tempestas aquilonis et congregatio spiritus: [19] et sicut auis deponens ad sedendum· aspergit niuem: et sicut locusta demergens descensus eius. [20] Pulcritudinem candoris eius ammirabitur oculus: et super ymbrem eius expauescit cor. [21] Gelu sicut salem effundet super terram: et dum gelauerit fiet tanquam cacumina tribuli. [22] Frigidus ventus aquilo flauit: et gelauit cristallus ab aqua. Super omnem congregationem aquarum requiescet: et sicut lorica induet se aquis. [23] Et deuorabit montes et exuret desertum: et extinguet viride sicut ignem. [24] Medicina omnium in festinatione nebule: et ros obuians ab ardore· venienti humilem efficiet eum. [25] In sermone eius siluit ventus: et cogitatione sua placauit abissum: et plantauit illum dominus ihesus. [26] Qui nauigant mare enarrant pericula eius: et audientes auribus nostris ammirabamur. [27] Illic preclara et mirabilia varia bestiarum genera et omnium

pecorum· et creatura beluarum. [28] Propter ipsum confirmatus est itineris finis: et in sermone eius composita sunt omnia. [29] Multa dicemus et deficiemus verbis: consummatio autem sermonum: ipse est in omnibus. [30] Gloriantes· ad quid valebimus? Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. [31] Terribilis dominus et magnus vehementer: et mirabilis potentia ipsius. [32] Glorificantes dominum· quantumcunque potueritis superualebit adhuc: et ammirabilis magnificencia eius. [33] Benedicentes dominum exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude. [34] Exaltantes eum replemini virtute. Ne laboretis: non enim comprehendetis. [35] Quis videbit eum sicut est ab inicio? [36] Multa abscondita sunt maiora hijs. Pauca enim vidimus operum eius. [37] Omnia autem dominus fecit: et pie agentibus dedit sapientiam.

44 Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua. [2] Multam gloriam fecit dominus magnificentia sua a seculo. [3] Dominantes in potestatibus suis: homines magni virtute et prudentia sua perditi: nunciantes in prophetis dignitatem prophetarum [4] et imperanteo perantes perantes in presenti populo· et virtute prudentie populis sanctissima verba. [5] In puericia sua requirentes modos musicos: et narrantes carmina scripturarum. [6] Homines diuites in virtute: pulcritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. [7] Omnes isti in generationibus gentis sue gloriam adepti sunt: et in diebus suis habentur in laudibus. [8] Qui de illis nati sunt: reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. [9] Et sunt quorum non est memoria. Perierunt quasi qui non fuerint: et nati sunt quasi non nati: et filij ipsorum cum ipsis. [10] Sed illi viri misericordie sunt: quorum pietates· non defecerunt. [11] Cum semine eorum permanent bona: [12] hereditas sancta nepotes eorum. Et in testamentis stetit semen eorum: [13] et filij eorum propter illos vsque ineternum manent. Semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. [14] Corpora ipsorum in pace sepulta sunt: et nomen eorum viuet in generationem et generationem. [15] Sapientiam ipsorum narrent populi: et laudem eorum nunciet ecclesia. [16] Enoch placuit deo: et translatus est in paradisum vt det gentibus sapientiam. [17] Noe inuentus est perfectus iustus: et in tempore iracundie factus est reconciliatio. [18] Ideo dimissum est reliquum terre: cum factum est diluuium. [19] Testamenta seculi posita sunt aput illum: ne deleri possit diluuio omnis caro. [20] Abraham· magnus pater multitudinis gentium: et non est inuentus similis illi in gloria. Qui conseruauit legem excelsi: et fuit in testamento cum illo. [21] In carne eius stare fecit testamentum: et in temptatione inuentus est fidelis. [22] Ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente sua: crescere illum quasi terre cumulum [23] et vt stellas exaltare semen eius: et hereditare illos a mari vsque ad mare· et a flumine vsque ad terminos terre. [24] Et ysaac fecit eodem modo: propter abraham patrem eius. [25] Benedictionem omnium gentium dedit illi dominus: et testamentum suum confirmauit super caput iacob. [26] Agnouit eum in benedictionibus suis: et dedit illi hereditatem: et diuisit illi partem in tribubus duodecim. [27] Et conseruauit illi homines misericordie: inuenientes graciam in conspectu omnis carnis.

45 Dilectus deo et hominibus moyses: ses: cuius memoria in benedictione est. [2] Similem illum fecit in gloria sanctorum: et magnificauit eum in timore inimicorum: et in verbis suis monstra placuit. [3] Gloplacuit Glorificauit illum in conspectu regum: et iussit illi coram populo suo: et ostendit illi gloriam suam. [4] In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum: et elegit eum ex omni carne. [5] Audiuit enim eum et vocem ipsius: et induxit illum in nubem. [6] Et dedit illi cor ad precepta· et legem vite et discipline: docere iacob testamentum suum: et iudicia sua israhel. [7] Excelsum fecit aaron fratrem suum: et similem sibi de tribu leui. [8] Statuit illi testamentum eternum: et dedit illi sacerdotium gentis: et beatificauit illum in gloria. [9] Et circumcinxit eum zona iusticie: et induit eam stolam glorie: et coronauit eum in vasis virtutis. [10] Circumpedes et femoralia et humerale posuit ei: et cinxit illum tintinabulis aureis plurimis in giro: [11] dare sonitum in incessu suo: auditum facere sonitum in templo in memoriam filijs gentis sue. [12] Stola sancta auro et iacincto et purpura opus textile viri sapientis iudicio et veritate prediti. [13] Torto cocto opus artificis· gemmis preciosis figuratis· in ligatura auri· et opere lapidarij sculptis in memoriam: secundum numerum tribuum israhel. [14] Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis: gloria honoris et opus virtutis: desiderio oculorum ornata. [15] Sic pulcra ante ipsum non fuerunt talia: vsque ad originem. [16] Non est indutus illa alienigena aliquis: sed tantum filij ipsius soli et nepotes eius per omne tempus. [17] Sacrificia ipsius consummata sunt igni cottidie. [18] Compleuit moyses manus eius: et vnxit illum oleo sancto. [19] Factum est illi in testamentum eternum et semini eius sicut dies celi: fungi sacerdotio et habere laudem: et glorificare populum suum in nomine suo. [20] Ipsum elegit ab omni viuente: offerre sacrificium deo· incensum et bonum odorem: in memoriam placare pro populo suo. [21] Et dedit illi in preceptis suis potestatem: in testamentis iudiciorum docere iacob testimonia: et in lege sua lucem dare israhel. [22] Quia contra illum steterunt alieni: et propter inuidiam circunderunt illum homines in deserto qui erant cum dathan· et abiron: et congregatio chore in iracundia. [23] Vidit dominus deus et non placuit illi: et consumpti sunt in impetu iracundie. [24] Fecit illis monstra: et consumpsit illos in flamma ignis. [25] Et addidit aaron gloriam: et dedit illi hereditatem: et primicias frugum terre dimisit illi. [26] Panem ipsius in primis parauit in sacietatem: nam et sacrificia domini edent: que dedit illi et semini eius. [27] Ceterum inter gentes non hereditabit: et pars non est illi in gente. Ipse est enim pars eius et hereditas. [28] Phinees filius eleazari tercius in gloria imitando eum timore dei· [29] et stare in reuerentia gentis: in bonitate et alacritate anime sue placuit deo israhel. [30] Ideo statuit illi testamentum pacis: et principem sanctorum et gentis sue: vt sit illi et semini eius sacerdotij dignitas ineternum. [31] Et testamentum dauid regi filio yesse de tribu iuda: hereditas ipsi et semini eius: vt daret sapientiam in cor nostrum iudicare gentem suam in iusticia ne abolerentur bona ipsorum: et gloriam ipsorum in gentem eorum eternam fecit.

46 Fortis in bello ihesus naue successor moysi in prophetis: qui fuit magnus secundum nomen suum· [2] maximus in salutem electorum dei: expugnare insurgentes hostes vt consequeretur hereditatem israhel. [3] Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas: et iactando contra ciuitates rumpheas. [4] Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse dominus percussit. [5] Aut non in iracundia eius impeditus est sol· et vna dies facta est quasi duo? [6] Inuocauit altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique: et audiuit illum magnus et sanctus deus· in saxis grandinis virtutis valde fortis. [7] Impetum fecit contra gentem hostilem· et in descensu perdidit contrarios: [8] vt cognoscant gentes potentiam eius· quia contra deum pugnare non est facile: et secutus est a tergo potentes. [9] Et in diebus moysi misericordiam fecit ipse et caleph filius iephone· stare contra hostem: et prohibere gentem a peccatis: et perfringere murmur malicie. [10] Et ipsi duo constituti· a periculo liberati sunt a numero sexcentorum milium peditum: inducere illos in hereditatem: in terram que manat lac et mel. [11] Et dedit dominus ipsi caleph fortitudinem: et vsque in senectutem permansit illi virtus· vt ascenderet in excelsum terre locum: et semen ipsius optinuit hereditatem. [12] Et viderunt omnes filij israhel: quia bonum est obsequi sancto deo. [13] Et iudices singuli suo nomine· quorum non est corruptum cor: qui non auersi sunt a domino· [14] vt sit memoria illorum in benedictione. Et ossa eorum pullulant de loco suo: [15] et nomen eorum permanet ineternum: permanente ad filios illorum sanctorum virorum gloria. [16] Dilectus a deo suo samuel propheta domini· renouauit imperium: et vnxit principes in gente sua. [17] In lege domini congregationem iudicauit: et vidit deum iacob: et in fide sua probatus est propheta. [18] Et cognitus est in verbis suis fidelis: quia vidit deum lucis. [19] Et inuocauit dominum omnipotentem in oppugnando hostes circumstantes vndique: in oblatione viri inuiolati. [20] Et intonuit de celo dominus: et in sonitu magno auditam fecit vocem suam: [21] et contriuit principes tyriorum et omnes duces philistijm. [22] Et ante tempus finis vite sue et seculi testimonium prebuit in conspectu domini et cristi: pecunias et vsque ad calciamenta ab omni carne non accepit: et non accusauit illum homo. [23] Et

post hoc dormiuit· et notum fecit regi et ostendit illi finem vite sue: et exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.

47 hec surrexit nathan propheta in diebus dauid. [2] Et quasi adeps separatus a carne: sic dauid a filijs israhel. [3] Cum leonibus lusit quasi cum agnis: et in vrsis similiter fecit sicut in agnis ouium. In iuuentute sua [4] numquid non occidit gigantem et abstulit opprobrium de gente? [5] In tollendo manum in saxo funde deiecit exultationem golie: [6] vbi inuocauit dominum omnipotentem. Et dedit in dextra eius tollere hominem fortem in bello: et exaltare cornu gentis sue. [7] Sic in decem mililibus glorificauit eum: et laudauit illum in benedictionibus domini: in offerendo illi coronam glorie. [8] Contriuit enim inimicos vndique: et extirpauit philistijm contrarios vsque in hodiernum diem. Contriuit cornu ipsorum vsque ineternum. [9] In omni opere dedit confessionem sancto: et excelso in verbo glorie. [10] De omni corde suo laudauit dominum: et dilexit deum qui fecit illum: et dedit illi contra inimicos potentiam. [11] Et stare fecit cantores contra altare: et in sono eorum dulces fecit modos. [12] Et dedit in celebrationibus decus: et ornauit tempora vsque ad conseruationem vite: vt laudarent nomen sanctum domini et amplificarent mane dei sanctitatem. [13] Cristus purgauit peccata illius: et exaltauit ineternum cornu eius. Et dedit illi testamentum regni: et sedem glorie in israhel. [14] Post ipsum surrexit filius sensatus: et propter illum deiecit omnem potentiam inimicorum. [15] Salomon imperauit in diebus pacis: cui subiecit deus omnes hostes vt conderet domum in nomine suo: et pararet sanctitatem in sempiternum quemadmodum eruditus est in iuuentute sua. [16] Et impletus est quasi flumen sapientia: et terram retexit anima sua. [17] Et replesti in comparacionibus enigmata: ad insulas longe deuulgatum est nomen tuum: et delectus es in pace tua. [18] In cantilenis et in prouerbijs et comparationibus et interpretationibus numerate sunt terre: [19] et in nomine domini cui est cognomen deus israhel. [20] Collegisti quasi auricalcum aurum: et vt plumbum complesti argentum: [21] et inclinasti femora tua mulieribus. Potestatem habuisti in corpore tuo. [22] Dedisti maculam in gloria tua: et prophanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos et in ceteris stulticiam tuam: [23] vt faceres imperium bipertitum et ex effraym imperare imperium durum. [24] Deus autem non derelinquet misericordiam suam et non corrumpet neque delebit opera sua: neque perdet a stirpe nepotes electi sui: et semen eius qui diligit dominum non corrumpet. [25] Dedit autem reliquum iacob et dauid de ipsa stirpe: [26] et finem habuit salomon cum patribus suis. [27] Et dereliquit post se de semine suo gentis stulticiam [28] et imminutum a prudentia roboam· qui auertit gentem consilio suo: [29] et ieroboam filium nabath qui peccare fecit israhel: et dedit viam peccandi effraym· et plurima redundauerunt peccata ipsorum. [30] Valde enim auerterunt illos a terra sua. [31] Et quesiuit omnes nequicias vsque dum perueniret ad illos defensio: et ab omnibus peccatis liberauit eos.

48 Et surrexit helias propheta quasi ignis: et verbum ipsius quasi facula ardebat. [2] Qui induxit in illos famem: et illum inuidia sua pauci facti sunt. Non enim poterant sustinere precepta domini. [3] Verbo domini continuit celum: et deiecit se ignem terre. [4] Sic amplificatus est helias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter gloriari tibi? [5] Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo domini dei: [6] qui deiecisti reges ad perniciem· et confregisti facile potentiam ipsorum: et gloriosos delicto suo. [7] Qui audis in syna iudicium: et in oreb iudicia defensionis. [8] Qui vngis reges ad penitentiam: et prophetas facis sores tuos post te. [9] Qui receptus es in turbine ignis in curru equorum igneorum: [10] qui inscriptus es in iudicijs temporum· lenire iracundiam domini: conciliare cor patris ad filium: et restituere tribus iacob. [11] Beati sunt qui te viderunt: et in amicicia tua decorati sunt. [12] Nam nos vita viuimus tantum: post mortem autem non erit tale nomen nostrum. [13] Helias qui in turbine tectus est: et in helyseo completus est spiritus eius. In diebus suis non pertimuit principem: et potentia nemo vincit illum. [14] Nec superauit illum verbum aliquod: et mortuum prophetauit corpus eius. [15] In vita sua fecit monstra: et in morte operatus est mirabilia. [16] In omnibus istis non penituit populus et non recesserunt a peccatis suis· vsque dum abiecti sunt de terra sua et dispersi sunt in omnem terram: [17] et relicta est gens perpauca· et princeps in domo dauid. [18] Quidam ipsorum fecerunt quod placeret deo: alij autem multa commiserunt peccata. [19] Ezechias muniuit ciuitatem suam et induxit in medium eius aquam: et fodit ferro rupem: et edificauit ad aquam puteum. [20] In diebus ipsius ascendit sennacherib et misit rapsacen et sustulit manum suam contra illos: et extulit manum suam in syon: et superbus factus est potentia sua. [21] Tunc mota sunt corda et manus ipsorum: et doluerunt quasi parturientes mulieres. [22] Et inuocauerunt dominum misericordem: et expandentes manus suas extulerunt ad celum: et sanctus dominus deus audiuit cito vocem ipsorum. [23] Non est commemoratus peccatorum ipsorum: neque dedit illos inimicis suis: sed purgauit illos in manu ysaie sancti prophete. [24] Deiecit castra assyriorum: et contriuit illos angelus domini. [25] Nam fecit ezechias quod placuit deo: et fortiter iuit in via dauid patris sui: quam mandauit illi ysaias propheta magnus et fidelis in conspectu dei. [26] In diebus ipsius retro redijt sol: et addidit regi vitam. [27] Spiritu magno vidit vltima: et consolatus est lugentes syon· vsque in sempiternum. [28] Ostendit futura et abscondita: antequam eueniret.

49 Memoria iosie in compositione odoris facta: opus pigmentarij. [2] In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria: et vt musica in conuiuio vini. [3] Ipse est directus diuinitus in penitentia gentis· et tulit abominationes impietatis: [4] et ad dominum gubernauit cor ipsius: et in diebus peccatorum corroborauit pietatem. [5] Preter dauid et ezechiam et iosyam omnes peccatum commiserunt: [6] nam reliquerunt legem altissimi reges iuda: et contempserunt timorem dei. [7] Dederunt enim regnum suum alijs: et gloriam suam alienigene genti [8] Incenderunt electam ciuitatem sanctitatis: et desertas sanctitatis: et fecerunt vias ipsius in manu ieremie. [9] Nam male tractauerunt illum· qui a ventre matris consecratus est propheta· euertere et eruere et perdere: et iterum edificare et renouare. [10] Ezechiel· qui vidit conspectum glorie: quam ostendit illi in curru cherubin. [11] Nam commemoratus est inimicorum in ymbri: benefacere illis qui ostenderunt rectas vias. [12] Et duodecim prophetarum ossa pollulant de loco suo. Nam corroborauerunt iacob: et redemerunt se in fide virtutis. [13] Quomodo amplificemus zorobael: Nam et ipse quasi signum in dextra manu [14] israhel. Et ihesum filium iosedech? Qui in diebus suis edificauerunt domum: et exaltauerunt templum sanctum domino: paratum in gloriam sempiternam. [15] Et neemias in memoria multi temporis: qui erexit nobis muros euersos· et stare fecit portas et seras: qui erexit domos nostras. [16] Nemo natus est in terra qualis enoch: nam et ipse receptus est a terra. [17] Et ioseph qui natus est homo princeps fratrum· firmamentum gentis· rector fratrum· stabilimentum populi: [18] et ossa ipsius visitata sunt: et post mortem prophetauerunt. [19] Seth· et sem apud homines gloriam adepti sunt: et super omnem animam in origine adam.

50 Simon onie filius sacerdos magnus: qui in vita sua suffulsit domum: et in diebus suis corroborauit templum. [2] Templi etiam altitudo ab ipso fundata est: duplex edificatio· et excelsi parietes templi. [3] In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum: et quasi mare adimpleti sunt supra modum. [4] Qui curauit gentem suam: et liberauit eam a perditione. [5] Qui preualuit amplificare ciuitatem: qui adeptus est gloriam in conuersatione gentis: et ingressum domus et atrij amplificauit. [6] Quasi stella matutina in medio nebule: et quasi luna plena in diebus suis lucet: [7] et quasi sol refulgens· sic ille effulsit in templo dei. [8] Quasi arcus refulgens inter nebulas glorie: et quasi flos rosarum in diebus vernis· et quasi lilia que sunt in transitu aque: et quasi thus redolens in diebus estatis. [9] Quasi ignis effulgens et thus ardens in igne: [10] quasi vas auri solidum ornatum lapide precioso. [11] Quasi oliua pollulans: omni Quasi oliua et cipressus in altitudine se extollens. In accipiendo accipiendo ipsum stolam glorie et vestiret in consummatione virtutis: [12] in ascensu altaris sancti dedit sanctitatis amidum. [13] In sinagoga israhel: accipiendo autem partes de manu sacerdotum ipse stans iuxta aram: et circa illum corona fratrum quasi plantatio cedri in monte libano: [14] sic circa illum steterunt quasi rami palme et omnes filij aaron in gloria sua. [15] Oblatio autem domini in manibus ipsorum

coram sinagoga et consummatione fungens in aram· amplificare oblationem excelsi regis [16] porrexit manum suam in libatione: et libauit de sanguine vue. [17] Effudit fundamenta altaris odorem diuinum excelso principi. [18] Tunc exclamauerunt filij aaron: et in tubis productilibus sonuerunt: et auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram deo. [19] Tunc omnis populus populus simul properauerunt: et ceciderunt in faciem super terram adorare dominum deum suum: et dare preces omnipotenti deo excelso. [20] Et amplificauerunt psallentes in vocibus suis et in magna domo auctus est sonus suauitatis plenus. [21] Et rogauit populus dominum excelsum in prece vsque dum honor domini: et munus suum perfecerunt. [22] Tunc descendens· manus suas extulit in omnem congregationem filiorum dare gloriam deo a labijs suis: et in nomine ipsius gloriari. [23] Et iterauit orationem suam: volens ostendere virtutem dei. [24] Et plus orauit deum omnium: qui magna fecit in et omni terra· qui auxit dies nostros a ventre matris nostre et fecit nobiscum secundum suam misericordiam: [25] nobis iocunditatem cordis et fieri pacem in diebus nostris in israhel per dies sempiternos: [26] credere israhel misericordiam dei esse nobiscum· vt liberet nos in diebus suis. [27] Duas gentes odit anima mea: tercia autem est gens quam oderim. [28] Qui sedent in monte seyr· et philistijm: et stultus populus qui habitat in sychimis. [29] Doctrinam sapientie et discipline scripsit in codice isto ihesus filius syrach ierosolimita: qui renouauit sapientiam de corde suo. [30] Beatus qui in istis versatur bonis. Qui ponit illa corde suo: sapiens eris semper. [31] Si enim hec fecerit ad omnia valebit: quia lux dei vestigium eius est.

51 Oratio ihesu filij syrach. Confitebor tibi domine rex: et collaudabo te deum saluatorem meum. [2] Confitebor nomini tuo quoniam adiutor et protector factus es michi: [3] et liberasti corpus meum a perditione· a laqueo lingue inique· et a labijs operantium mendatium: conspectu astantium factus es michi adiutor. [4] Et liberasti me secundum multitudinem misericordie nominis tui a rugientibus preparatis ad escam· [5] manibus querentium animam meam· et de portis tribulationum tribulacionum qui circundederunt me: [6] a pressura flamme que circundedit me: et in medio ignis non sum estuatus. [7] De altitudine ventris inferi et a lingua coinquinata et a verbo mendacij: a rege iniquo: et a lingua iniusta. [8] Laudabit vsque ad mortem anima mea dominum: [9] et vita mea appropinquans erat inferno deorsum. [10] Circundederunt me vndique: et non erat qui adiuuaret. Respiciens eram adiutorium hominum: et non erat. [11] Memoratus sum misericordie tue domine et cooperationis tue que a seculo sunt: [12] quoniam eruis sustinentes te domine· et liberas eos de manu gentium. [13] Exaltasti super terram habitationem meam: meam: et pro morte defluentium deprecatus sum. [14] Inuocaui dominum patrem domini mei: vt non derelinquat me in die tribulationis mee· et in tempore superborum assidue: adiutorio [15] laudabo nomen tuum et collaudabo illud in confessione: et exaudita est oratio mea. [16] Et liberasti me de perditione: et eripuisti me de tempore iniquo. [17] Propterea confitebor et laudem dicam tibi: et benedicam nomini domini [18] cum adhuc iunior sum. Priulquam oberrarem quesiui sapientiam palam in oratione mea: [19] ante tempus postulabam pro illa: et vsque in nouissimis inquiram eam· et florebit tanquam precox vua. [20] Letatum est cor meum in ea: ambulauit pes meus iter rectum: in iuuentute mea inuestigabam eam. [21] Inclinaui modice aurem meam: et excepi illam. [22] Multam inueni in memetipso sapientiam: et multum profeci in ea. [23] Danti michi sapientiam dabo gloriam. [24] Consiliatus sum enim vt facerem illam: zelatus sum bonum et non confundar. [25] Colluctata est anima mea in illa: et in faciendo eam confirmatus sum. [26] Manus meas extendi in altum: et in sapientia eius luxit anima mea: et ignorantias meas illuminauit. [27] Animam meam direxi ad illam: et in agnitionem inueni eam. [28] Possedi cum ipsa cor ab inicio: propter hoc non derelinquar. [29] Venter meus conturbatus est querendo illam: propterea bonam possidebo possessionem. [30] Dedit enim michi dominus linguam mercedem meam: et in ipsa laudabo eum. [31] Appropiate ad me indocti: et congregate vos ad domum discipline. [32] Quid adhuc retardatis: et quid dicitis in hijs: Anime vestre sitiunt vehementer. [33] Aperui os meum: et locutus sum. Comparate vobis sine argento sapientiam: [34] et collum vestrum subicite iugo eius: et suscipiat anima vestra disciplinam. In proximo est enim inuenire eam. [35] Videte oculis vestris quia modicum laboraui: et inueni michi multam requiem. [36] Assumite disciplinam in multo numero argumenti: et copiosum aurum possidete in ea [37] letetur anima vestra in misericordia eius: et non confundemini in laude eius. [38] Operamini opus vestrum ante tempus: et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

Oratio Salomonis

52 Et inclinauit salomon genua sua in conspectu totius ecclesie israhel: et aperuit manus suas ad celum et dixit. [2] Domine deus israhel non est tibi similis deus in celo sursum neque in terra deorsum: qui custodis testamentum tuum et misericordiam pueris tuis euntibus in conspectu tuo in toto corde· seruans puero tuo dauid que locutus es illi: et locutus es in ore tuo et in manu tua inplesti quasi dies iste. [3] Et nunc domine deus israhel: custodi puero tuo dauid patri meo que locutus es illi dicens. [4] Non deerit tibi vir a facie mea sedens in throno israhel. [5] Verumtamen si custodierint filij tui legem meam: et in preceptis meis ambulent· sicut ambulauerunt in conspectu meo fideles. [6] Et nunc domine deus israhel creditum est verbum quod locutus es puero tuo dauid: quoniam si vere habitauit deus cum hominibus in terra. [7] Si celum celi non sufficiant tibi: quantomagis domus hec· quam edificaui. [8] Sed respicias ad orationem serui tui· et deprecationem eius: vt exaudias domine placationem orationis· quam puer tuus orat coram te· hodie· vt sint oculi tui super domum hanc die ac nocte· in locum quem dixisti· inuocare nomen tuum: et exaudias orationem quam puer tuus orat in hoc loco· et exaudias precationem pueri tui et populi tui israhel· si orauerint in loco isto: et exaudias in loco habitationis de celo et exaudias et propicius sis· si peccauerit vir in te

Incipit prologus in ysaiam prophetam.

Nemo cum prophetas versibus viderit esse descriptos metro eos estimet apud hebreos ligari: et aliquid simile habere de psalmis vel operibus salomonis. Sed quod in demostene et tullio solet fieri: vt per cola scribantur et comata: qui vtique prosa et non versibus conscripserunt. Nos quoque vtilitati legentium prouidentes: interpretationem nouam nouo scribendi genere distinximus. Ac primum de ysaia sciendum quod in sermone suo disertus sit: quippe vt vir nobilis et vrbane elegantie. nec habens quicquam in eloquio rusticitatis ammixtum. Vnde accidit: vt pre ceteris florem sermonis eius translatio non potuerit conseruare. Deinde etiam hoc adiciendum: quod non tam propheta dicendus sit quam euangelista. Itaque vniuersa cristi ecclesieque misteria ad liquidum prosecutus est: vt non eum putes de futuro vaticinari: sed de preteritis historiam texere. Vnde conicio noluisse tunc temporis septuaginta interpretes fidei sue sacramenta perspicue ethnicis prodere ne sanctum canibus· et margaritas porcis darent: que cum hanc editionem legeritis ab illis animaduertetis abscondita. Nec ignoro quanti laboris sit prophetas intelligere: nec facile quempiam posse iudicare de interpretatione: nisi intellexerit ante que legerit. Nos quoque patere morsibus plurimorum: qui stimulante inuidia quod consequi non valent despiciunt. Sciens ergo et prudens in flammam mitto manum: et nichilomminus hoc a fastidiosis lectoribus precor: vt quomodo greci post septuaginta translatores aquilam et symachum et theodotionem legunt· vel ob studium doctrine sue· vel vt septuaginta magis ex collatione eorum intelligant: sic et isti saltem vnum post priores habere dignentur interpretem. Legant prius· et postea despiciant: ne videantur non ex iudicio· sed ex odij presumptione ignorata damnare. Prophetauit autem ysaias in iherusalem et in iudea necdum decem tribubus in captiuitatem ductis: ac de vtroque regno nunc commixtim nunc separatim texit oraculum. Et cum interdum ad presentem respiciat historiam· et post babilonie captiuitatem

reditum populi significet in iudeam: tamen omnis eius cura de vocatione gentium et de aduentu cristi est. Quem quanto plus amatis o paula et eustochium· tanto magis ab eo petite: vt pro obtrectatione presenti qua me indesinenter emuli laniant· ipse michi mercedem restituat in futuro: qui scit me ob hoc in peregrine lingue eruditione sudasse· ne iudei de falsitate scripturarum ecclesijs eius diutius insultarent.

Ysaias

Incipit ysaias propheta.

1 Visio ysaie filij amos: vidit super iudam et iherusalem in diebus ozie than achaz et ezechie regum iuda. [2] Audite celi et auribus percipe terra: quoniam dominus locutus est. Filios enutriui et exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. [3] Cognouit bos possessorem suum: et asinus presepe domini sui. Israhel autem me non cognouit: et populus meus non intellexit. [4] Ve genti peccatrici: populo graui iniquitate· semini nequam: filijs sceleratis. Dereliquerunt dominum: blasphemauerunt sanctum israhel: abalienati sunt retrorsum. [5] Super quo percutiam vos vltra: addentes preuaricationem? Omne caput languidum: et omne cor merens. [6] A planta pedis vsque ad verticem· non est in eo sanitas. Vulnus et liuor et plaga tumens: non est circumligata nec curata medicamine: neque fota oleo. [7] Terra vestra deserta: ciuitates vestre succense igni. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant: et desolabitur sicut in vastitate hostili. [8] Et derelinquetur filia syon vt vmbraculum in vinea: et sicut tugurium in cucumerario: sicut ciuitas que vastatur. [9] Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semen quasi sodoma fuissemus: et quasi gomorra similes essemus. [10] Audite verbum domini principes sodomorum: percipite auribus legem dei vestri populus gomorre. [11] Quo michi multitudinem victimarum vestrarum dicit dominus? Plenus sum. Olocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui. [12] Cum veniretis ante conspectum meum: quis quesiuit hec de manibus vestris· vt ambularetis in atrijs meis? [13] Ne offeratis vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est michi. Neomeniam et sabbatum et festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cetus vestri. [14] Kalendas vestras· et solemnitates vestras odiuit anima mea. Facta sunt michi molesta. Laboraui sustinens. [15] Et cum extenderitis manus vestras auertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaueritis orationem non exaudiam. Manus enim vestre sanguine plene sunt. [16] Lauamini· mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruerse: [17] discite benefacere. Querite iudicium· subuenite oppresso· iudicate pupillo· defendite viduam: [18] et venite et arguite me dicit dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum· quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus: velut lana alba erunt. [19] Si volueritis et audieritis me: bona terre comedetis. [20] Quod si nolueritis· et me ad iracundiam prouocaueritis gladius deuorabit vos: quia os domini locutum est. [21] Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis: plena iudicij? Iusticia habitauit in ea: nunc autem homicide. [22] Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mixtum est aqua. [23] Principes tui infideles: socij furum. Omnes diligunt munera: secuntur retributiones. Pupillo non iudicant: et causa vidue non ingreditur ad illos. [24] propter hoc ait dominus deus exercituum fortis israhel. Heu ego consolabor super hostibus meis: et vindicabor de inimicis meis. [25] Et conuertam manum meam ad te: et excoquam ad purum scoriam tuam: et auferam omne stannum tuum: [26] et restituam iudices tuos vt fuerunt prius· et consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hec vocaberis ciuitas iusti: vrbs fidelis. [27] Syon in iudicio redimetur: et reducent eam in iusticiam. [28] Et conteret scelestos et peccatores simul: et qui dereliquerunt dominum consumentur. [29] Confundentur enim ab ydolis quibus sacrificauerunt. Et erubescetis super ortis quos elegeratis: [30] cum fueritis velut quercus defluentibus folijs: et velut ortus absque aqua. [31] Et erit fortitudo vestra vt fauilla stuppe: et opus vestrum quasi scintilla: et succendetur vtrunque simul· et non erit qui extinguat.

2 Verbum quod vidit ysaias filius amos super iudam et iherusalem. [2] Et erit in nouissimis diebus preparatus mons domus domini in vertice montium: et eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes: [3] et ibunt populi multi et dicent. Venite ascendamus ad montem domini· et ad domum dei iacob: et docebit nos vias suas et ambulabimus in semitis eius: quia de syon exibit lex: et verbum domini de iherusalem. [4] Et iudicabit gentes: et arguet et populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres: et lanceas suas in infalces Non leuabit gens contra gentem gladium: nec exercebuntur vltra ad prelium. [5] Domus iacob: venite et ambulemus in lumine dei nostri· [6] proiecisti enim populum tuum domum iacob: quia repleti sunt vt olim: et augures habuerunt vt philistijm: et pueris alienis adheserunt. [7] Repleta est terra argento et auro: et non est finis thesaurorum eius. [8] Et repleta est terra eius equis: et innumerabiles quadrige eius. Et repleta est terra eius ydolis. Opus manuum suarum adorauerunt: quod fecerunt digiti eorum. [9] Et incuruauit se homo: et humiliatus est vir. Ne ergo dimittas eis. [10] Ingredere in petram· et abscondere in fossa humo a facie timoris domini· et a gloria maiestatis eius. [11] Oculi sublimis hominis humiliati sunt: et incuruabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem dominus solus in die illa: [12] quia dies domini exercituum super omnem superbum et excelsum et super omnem arrogantem· et humiliabitur: [13] et super omnes cedros libani sublimes et erectas· et super omnes quercus basan· [14] et super omnes montes excelsos et super omnes colles eleuatos: [15] et super omnem turrem excellam et super omnem murum munitum: [16] et super omnes naues tharsis: et super omne quod visu pulcrum est. [17] Et incuruabitur sublimitas hominum: et humiliabitur altitudo virorum. Et eleuabitur dominus solus in die illa: [18] et ydola penitus concerentur. [19] Et introibunt in speluncas petrarum· et in voragines terre a facie formidinis domini et a gloria maiestatis eius: cum surrexerit percutere terram. [20] In die illa proiciet homo ydola argenti sui et simulacra auri sui que fecerat sibi: vt adoraret talpas et vespertiliones. [21] Et ingredietur scissuras petrarum· et in cauernas saxorum a facie formidinis domini et a gloria maiestatis eius: cum surrexerit percutere terram. [22] Quiescite ergo ab ho mine cuius spiritus in naribus eius est: quia excelsus reputatus est ipse.

3 Ecce enim dominator dominus exercituum auferet ab iherusalem et ab iuda validum et fortem: omne robur panis et omne robur aque: et [2] fortem et virum bellatorem: et iudicem et prophetam et ariolum et senem· [3] principem super quinquagiuta· et honorabilem vultu· et consiliarium· et sapientem de architectis: et prudentem eloquij mistici. [4] Et dabo pueros principes eorum: et effeminati dominabuntur eis. [5] Et corruet populus vir ad virum: et vnusquisque ad proximum suum. Tumultuabitur puer contra senem: et ignobilis contra nobilem. [6] Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: et dicet. Vestimentum tibi est: princeps esto noster: ruina autem hec sub manu tua. [7] Respondebitque in die illa dicens. Non sum medicus: et in domo mea non est panis neque vestimentum. Nolite constituere me principem populi. [8] Ruit enim iherusalem et iudas concidit: quia lingua eorum et adinuentiones eorum contra dominum: vt prouocarent oculos maiestatis eius. [9] Agnitio vultus eorum respondebit eis: et peccatum suum quasi sodoma predicauerunt: nec absconderunt. Ve anime eorum: quoniam reddita sunt eis mala. [10] Dicite iusto quoniam bene: quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. [11] Ve impio in malum. Retributio enim manuum eius fiet ei. [12] Populum meum exactores sui spoliauerunt: et

mulieres dominate sunt eis. Populе meus qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt: et viam gressuum tuorum dissipant. 13 Stat ad iudicandum dominus: et stat ad iudicandos populos. 14 Dominus ad iudicium veniet: cum senibus populi sui et principibus eius. Vos enim depasti estis vineam meam: et rapina pauperis in domo vestra. 15 Quare atteritis populum meum: et facies pauperum conmolitis dicit dominus deus exercituum? 16 Et dixit dominus deus. Pro eo quod eleuate sunt filie syon et ambulauerunt extento collo· et nutibus oculorum ibant et plaudebant· et ambulabant· et pedibus suis composito gradu incedebant: 17 decaluabit dominus verticem filiarum syon: et dominus crinem earum nudabit. 18 In die illa auferet dominus ornamentum calciamentorum 19 et lunulas et torques et monilia et armillas et mitras 20 et discriminalia et periscelidas et murenulas et olfactoriola et inaures 21 et anulos et gemmas in fronte pendentes: 22 et mutatoria· et palliola· et lintheamina et acus 23 et specula· et sindones et vittas et theristra. 24 erit pro suaui odore fetorum: et pro zona funiculus: et pro crispanti crine caluicium. 25 Pulcerrimi quoque viri tui gladio cadent: et fortes tui in prelio. 26 Et merebunt atque lugebunt porte eius: et desolata in terra sedebit.

4 Et apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa dicentes. Panem nostrum comedemus· et vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum. 2 In die illa erit germen domini in magnificentia et gloria: et fructus terre sublimis: et exultatio hijs qui saluati fuerint de israhel. 3 Et erit o qui relictus fuerit in syon et residuus in iherusalem: sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in iherusalem. 4 Si abluerit dominus sordem filiarum syon et sanguinem iherusalem lauerit de medio eius: in spiritu iudicij et spiritu ardoris. 5 Et creabit dominus super omnem locum montis syon· et vbi inuocatus est nubem per diem: et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte. Super omne enim gloriam protecto: 6 et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab estu: et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluuia.

5 Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei· vinee sue. Vinea facta est dilecto meo: in cornu filio olei. 2 Et sepiuit eam: et lapides elegit ex illa: et plantauit vineam electam. Et edificauit turrem in medio eius: et torcular extruxit in ea. Et expectauit vt faceret vuas: et fecit labruscas. 3 Nunc ergo habitatores iherusalem et viri iuda iudicate inter me et inter vineam meam. 4 Quid est quod vltra facere debui vinee mee et non feci ei? An quod expectaui vt faceret vuas: et fecit labruscas? 5 Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vinee mee. Auferam sepem eius et erit in direptionem: diruam maceriam et erit in conculcationem: 6 et ponam eam desertam. Non putabitur et non fodietur: et ascendent super eam vepres et spine: et nubibus mandabo ne pluant super eam ymbrem. 7 Vinea autem domini exercituum domus israhel est: et vir iuda germen eius delectabile. Et expectaui vt faceret iudicium et ecce iniquitas: et iusticiam: et ecce clamor. 8 Ve qui coniungitis domum ad domum: et agrum agro copulatis vsque ad termi num loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terre? 9 In auribus meis sunt hec: dicit dominus exercituum. Nisi domus multe deserte fuerint grandes et pulcre: et absque habitatore. 10 Decem enim iugera vinearum facient lagunculam vnam: et triginta modij sementis facient modios tres. 11 Ve qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam: et potandum vsque ad vesperam vt vino estuetis. 12 Cythara et lira et tympanum et tybia et vinum in conuiuijs vestris: et opus domini non respicitis: nec opera manuum eius consideratis. 13 Propterea captiuus ductus est populus meus quia non habuit scientiam: et nobiles eius interierunt fame: et multitudo eius siti exaruit. 14 Propterea dilatauit infernus animam suam: et aperuit os suum absque illo termino. Et descendent fortes eius: et populus eius et sublimes gloriosique eius ad eum. 15 Et incuruabitur homo et humiliabitur vir: et oculi sublimium deprimentur. 16 Et exaltabitur dominus exercituum in iudicio: et deus sanctus sanctificabitur in iusticia. 17 Et pascentur agni iuxta ordinem suum: et deserta in vbertatem versa aduene comedent ea. 18 Ve qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis: et quasi vinculum plaustri peccatum. 19 Qui dicitis festinet et cito veniat opus eius vt videamus: et appropiet et veniat consilium sancti israhel: et sciemus illud. 20 Ve qui dicitis malum bonum et bonum malum: ponentes tenebras lucem et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce et dulce in amarum. 21 Ve qui sapientes estis in oculis vestris: et coram vobismetipsis prudentes. 22 Ve qui potentes estis ad bibendum vinum: et viri fortes ad miscendam ebrietatem. 23 Qui iustificatis impium pro muneribus: et iusticiam iusti auferetis ab eo. 24 Propter hoc sicut deuorat stipulam lingua ignis· et calor flamme exurit: sic radix eorum quasi fauilla erit: et germen eorum vt puluis ascendet. Abiecerunt enim legem domini exercituum: et eloquium sancti israhel blasphemauerunt. 25 Ideo iratus est furor domini in populum suum: et extendit manum suam super eum: et percussit eum. Et conturbati sunt montes: et facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum. In hijs omnibus non est auersus furor eius: sed adhuc manus eius extenta. 26 Et eleuabit signum in nationibus procul: et sibilabit ad eum de finibus terre et ecce festinus velociter veniet. 27 Non est deficiens neque laborans in eo: non dormitabit neque dormiet· neque soluetur cingulum renum eius: nec rumpetur corriga calciamenti eius. 28 Sagitte eius acute: et omnis arcus eius extenti. Vngule equorum eius vt silex: et rote eius quasi impetus tempestatis. 29 Rugitus eius vt leonis: rugiet vt catuli leonum. Et frendet et tenebit predam: et amplexabitur et non erit qui eruat: 30 et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris. Aspiciemus in terram et ecce tenebre tribulationis: et lux obtenebrata est in caligine eius.

6 In anno quo mortuus est rex ozyas vidi dominum sedentem super solium excelsum et eleuatum: et plena erat domus a maiestate eius et ea que sub ipso erant implebant templum. 2 Seraphin stabant super illud: sex ale vni: et sex ale alteri. Duabus velabant faciem eius: et duabus velabant pedes eius: et duabus volabant. 3 Et clamabant alter ad alterum: et dicebant. Sanctus sanctus sanctus dominus deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius. 4 Et commota sunt super luminaria cardinum a voce clamantis: et domus repleta est fumo. 5 Et dixi. Ve michi quia tacui: quia vir pollutus labijs ego sum et in medio populi polluta labia habentis ego habito: et regem dominum exercituum vidi oculis meis. 6 Et volauit ad me vnus de seraphim et in manus eius calculus quem forcipe tulerat de altari: 7 et tegit os meum et dixit. Ecce tetigi hoc labia tua: et auferetur iniquitas tua: et peccatum tuum mundabitur. 8 Et audiui vocem domini dicentis. Quem mittam: et quis ibit no nobis? Et dixi. Ecce ego: mitte me. 9 Et dixit. Vade: et dices populo huic. Audite audientes et nolite intelligere: et videte visionem et nolite cognoscere. 10 Exceca cor populi huius et aures eius aggraua· et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat: et conuertatur et sanem eum. 11 Et dixi. Vsquequo domine? Et dixit. Donec desolentur ciuitates absque habitatore: et domus sine homine. Et terra relinquetur deserta: 12 et longe faciet dominus homines. Et multiplicabitur que derelicta fuerat in medio terre: 13 et adhuc in ea decimatio. Et conuertetur et erit in ostensionem sicut therebintus: et sicut quercus que expandit ramos suos. Semen sanctum erit id quod steterit in ea.

7 Et factum est· in diebus achaz filij ioathan filij ozie regis iuda ascendit rasin rex syrie et facee filius romelie rex israhel in iherusalem ad preliandum contra eam: et non potuerunt 2 debellare eam. Et nunciauerunt domui dauid dicentes. Requieuit syria super effraim: et commotum est cor eius et cor populi eius sicut mouentur ligna siluarum a facie venti. 3 Et dixit dominus ad ysaiam. Egredere in occursum achaz· tu et qui derelictus est iasub filius tuus ad extremum aqueductus piscine superioris in via agri fullonis: 4 et dices ad eum. Vide ne sileas. Noli timere: et cor tuum ne formidet a duabus caudis ticionum fumigantium istorum in ira furoris rasin regis syrie et filij romelie: 5 eo quod consilium inierit contra te syria in malum: effraim et filius romelie dicentes. 6 Ascendamus ad iudam et suscitemus eum: et auellamus eum ad nos: et ponamus regem in medio eius filium tabeel. 7 Hec dicit dominus deus. Non stabit et non erit istud· 8 sed caput syrie damascus: et caput damasci rasin. Et adhuc sexaginta et quinque anni· et desinet effraim esse populus: 9 et caput effraim samaria: et caput samarie filius romelie. Si non

credideritis: non permanebitis. [10] Et adiecit dominus loqui ad achaz dicens. [11] Pete tibi signum a domino deo tuo in profundum inferni: siue in excelsum supra. [12] Et dixit achaz. Non petam: et non temptabo dominum. [13] Et dixit. Audite ergo domus dauid. Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus: quia molesti estis et deo meo? [14] Propter hoc dabit dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet et pariet filium: et vocabitur nomen eius emmanuel. [15] Butirum et mel comedet: vt sciat reprobare malum et eligere bonum. [16] Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum: derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum. [17] Adducet dominus super te et super populum tuum· et super domum patris tui dies: qui non venerunt a diebus separationis effraim a iuda cum rege assyriorum. [18] Et in die illa sibilabit dominus musce que est in extremo fluminum egipti et api que est in terra assur: [19] et venient et re quiescent omnes in torrentibus vallium et in cauernis petrarum et in omnibus frutectis et in vniuersis foraminibus. [20] In die illa radet dominus in nouacula conducta in hijs qui trans flumen sunt in rege assyriorum caput et pilos pedum: et barbam vniuersam. [21] Et erit in die illa nutriet homo vaccam boum et duas oues: [22] et pre vbertate lactis comedet butirum. Butirum enim et mel manducabit omnis homo qui relictus fuerit in medio terre. [23] Et erit in die illa omnis locus vbi fuerint mille vites· mille argenteis: et in spinas et in vepres erunt. [24] Cum sagittis et arcu ingredientur illuc vepres enim et spine erunt in vniuersa terra. [25] Et omnes montes qui in sarculo sarientur· non veniet illuc terror spinarum et veprium: et erit in pascuam bouis et in conculcationem pecoris.

8 Et dixit dominus ad me. Sume tibi librum grandem: et scribe in eo stilo hominis: velociter spolia detrahe· cito predare. [2] Et adhibui michi testes fideles: vriam sacerdotem· et zachariam filium barachie. [3] Et accessi ad prophetissam: et concepit et peperit filium. Et dixit dominus ad me. Voca nomen eius· accelera spolia detrahere· festina predari: [4] quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam: aufertur fortitudo damasci et spolia samarie coram rege assyriorum. [5] Et adiecit dominus loqui ad me adhuc dicens. [6] Pro eo quod abiecit populus iste aquas syloe que vadunt cum silentio· et assumpsit magis rasin et filium romelie: [7] propter hoc ecce adducet dominus super eos aquas fluminis fortes et multas: regem assyriorum et omnem gloriam eius. Et ascendet super omnes riuos eius· et fluet super vniuersas ripas eius: [8] et ibit per iudam inundans: et transiens vsque ad collum veniet. Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terre tue o emmanuel. [9] Congregamini populi et vincimini: et audite vniuerse procul terre. Confortamini et vincimini: accingite vos et vincimini: [10] inite consilium et dissipabitur: loquimini verbum et non fiet: quia nobiscum deus. [11] Hec enim ait dominus ad me. Sicut in forti manu erudiuit me: ne irem in via populi huius dicens. [12] Non dicatis coniuratio. Omnia enim que loquitur populo iste coniuratio est. Et timorem eius ne timeatis: neque paueatis. [13] Dominum exercituum ipsum sanctificate: et ipse pauor vester et ipse terror vester: [14] et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis et in petram scandali duabus domibus israhel: in laqueum et in ruinam habitantibus iherusalem. [15] Et offendent ex eis plurimi: et cadent et conterentur: et irretientur et capientur. [16] Liga testimonium signa legem in discipulis meis: [17] et expectabo dominum qui abscondit faciem suam a domo iacob: et prestolabor eum. [18] Ecce ego et pueri mei: quos dedit michi dominus in signum et in portentum israhel: a domino exercituum qui habitat in monte syon. [19] Et cum dixerint ad vos querite a phitonibus et a diuinis qui strident in incantationibus suis: numquid non populus a deo suo requiret visionem pro viuis ac mortuis? [20] Ad legem magis et ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc: non erit eis matutina lux. [21] Et transibit per eam et corruet et esuriet: et cum esurierit irascetur: et maledicet regi suo et domino suo. Et suspiciet sursum [22] et ad terram intuebitur: et ecce tribulatio et tenebre et dissolutio et angustia et caligo persequens et non poterit auolare de angustia sua.

9 Primo tempore alleuiata est terra zabulon et terra et vissimo aggrauata est via maris trans iordanen galilee gentium [2] populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbre mortis· lux orta est eis. [3] Multiplicasti gentem: non magnificasti leticiam. Letabuntur coram te sicut qui letantur in messe: sicut exultant victores capta preda quando diuidunt spolia. [4] Iugum enim oneris eius· et virgam humeri eius et sceptrum exactoris eius superasti: sicut in die madyan. [5] Quia omnis violenta predatio cum tumultu et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem: et cibus ignis. [6] Paruulus enim natus est nobis: filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius ammirabilis· consiliarius· deus· fortis· pater futuri seculi: princeps pacis. [7] Multiplicabitur eius imperium et pacis non erit gnum finis: super solium dauid et super regnuim eius: vt confirmet illud et corromboret in iudicio et iusticia amodo et vsque in sempiternum. Zelus domini exercituum faciet hoc. [8] Verbum misit dominus in iacob: et cecidit in israhel. [9] Et sciet omnis populus ephraim et habitantes samariam in superbia et magnitudine cordis dicentes. [10] Lateres ceciderunt sed quadris lapidibus edificabimus sicomoros succiderunt: sed cedros immutabimus. [11] Et eleuabit dominus hostes rasin super eum et inimicos eius in tumultum vertet: [12] syriam ab oriente et philistijm ab occidente: et deuorabunt israhel toto ore. In omnibus hijs non est auersus furor eius: sed adhuc manus eius extenta. [13] Et populus non est reuersus ad percutientem se: et dominum exercituum non inquisierunt. [14] Et disperdet dominus ab israhel caput et caudam: incuruantem et deprauantem die vna. [15] longeuus et honorabilis ipse est caput: et propheta docens mendacium ipse est cauda. [16] Et erunt qui beatificant populum istum seducentes: et qui beatificantur precipitati. [17] Propter hoc super adolescentulis eius non letabitur dominus: et pupillorum eius et viduarum non miserebitur. Quia omnis ypocrita est et nequam: et vniuersum os locutum est stulticiam. In omnibus hijs non est auersus furor eius: sed adhuc manus eius extenta. [18] Succensa est enim quasi ignis impietas: veprem et spinam vorabit. Et succendetur in densitate saltus: et conuoluetur in superbia fumi. [19] In ira domini exercituum conturbata est terra: et erit populus quasi esca ignis. Vir fratri suo non parcet: [20] et declinabit ad dextram et esuriet: et comedet ad sinistram et non saturabitur. Vnusquisque carnem brachij sui vorabit: manasses ephraim et ephraim manassen: et simul ipsi contra iudam. [21] In omnibus hijs non est auersus furor eius: sed adhuc manus eius extenta.

10 Ve qui condunt leges iniquas· et scribentes iniusticiam scripserunt: [2] nt opprimerent in iudicio pauperes et vim facerent cause humilium populi mei: vt essent vidue preda eorum et pupillos diriperent. [3] Quid facietis in die visitacionis et calamitatis delonge venientis? Ad cuius confugietis auxilium et vbi derelinquetis gloriam vestram: [4] ne incuruemini sub vinculo· et cum interfectis cadatis? Super omnibus hijs non est auersus furor eius: sed adhuc manus eius extenta. [5] Ve assur. Virga furoris mei et baculus ipse est: in manu eius indignatio mea. [6] Ad gentem fallacem mittam eum· et contra populum furoris mei mandabo illi: vt auferat spolia et diripiat predam: et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. [7] Ipse autem non sic arbitrabitur· et cor eius non ita estimabit: sed ad terendum erit cor eius: et ad internicionem gentium non paucarum. [8] Dicet enim. [9] Nunquid non principes mei simul reges sunt? Numquid non vt charchamis sic calanno: et vt arphath sic emath? Nunquid non vt damascus sic samaria? [10] Quomodo inuenit manus mea regna ydoli: sic et simulacra eorum de iherusalem et de samaria. [11] Numquid non sicut feci samarie et ydolis eius: sic faciam iherusalem et simulacris eius? [12] Et erit cum impleuerit dominus cuncta opera sua in moute syon et in iherusalem· visitabo super fructum magnifici cordis regis assur: et super gloriam altitudinis oculorum eius. [13] Dixit enim. In fortitudine manus mee feci: et in sapientia mea intellexi. Et abstuli terminos populorum· et principes eorum depredatus sum: et detraxi quasi potens in sublimi residentes. [14] Et inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: et sicut colliguntur oua que derelicta sunt· sic vniuersam terram ego congregaui: et non fuit qui moueret petinam et aperiret os et ganniret.

15 Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea: aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se: et exaltetur baculus qui vtique lignum est. 16 Propter hoc mittet dominator dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem· et subtus gloria eius succensa ardebit quasi combustio ignis: 17 et erit lumen israhel in igne et sanctus eius in flamma: et succendetur et deuorabitur spina eius et vepres in die vna: 18 et gloria saltus eius et carmeli eius ab anima vsque ad carnem consumetur: Et erit terrore profugus: 19 et reliquie saltus eius pre paucitate numerabuntur: et puer scribet eos. 20 Et erit in die illa non adiciet residuum israhel· et hij qui fugerint de domo iacob inniti super eo qui percutit eos: sed innitetur super dominum sanctum israhel. In veritate 21 reliquie conuertentur: reliquie inquam iacob ad deum fortem. 22 Si enim fuerit populus tuus israhel quasi harena maris: reliquie conuertentur ex eo. Consummatio abbreuiata inundabit iusticiam. 23 Consummationem enim et abbreuiationem dominus deus exercituum faciet in medio omnis terre. 24 Propter hoc hec dicit dominus deus exercituum. Noli timere populus meus habitator syon ab assur. In virga enim percutiet te· et baculum suum leuabit super te in via egipti. 25 Adhuc enim paululum modicumque: et consummabitur indignatio· et furor meus super scelus eorum. 26 Et suscitabit super eum dominus exercituum flagellum iuxta plagam madyan in petra oreb: et virgam suam super mare: et leuabit eam in via egipti. 27 Et erit in die illa auferetur onus eius de humero tuo: et iugum eius de collo tuo: et computrescet iugum a facie olei. 28 Veniet in a transibit in magron: apud magmas commendabit vasa sua. 29 Transierunt cursim: gabee sedes nostre. Obstupuit rama: gabaath saulis fugit. 30 Hynni voce tua filia gallim: attende laysa paupercula anatoth. 31 Migrauit medemena: habitatores gabin confortamini. 32 Adhuc dies: vt in nob stetur. Agitabit manum suam super montem filie syon· et collem iherusalem. 33 Ecce enim dominator dominus exercituum confringet lagunculam in terrore: et excelsi statura succidentur et sublimes humiliabuntur. 34 Et subuertentur condensa saltus ferro: et libanus cum excelsis cadet.

11 Et egredietur virga de radice iesse· se· et flos de radice eius ascendet: 2 et requiescet super eum spiritus domini· spiritus sapientie et intellectus· spiritus consilij et fortitudinis· spiritus scientie et pietatis: 3 et replebit eum spiritus timoris domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit· neque secundum auditum aurium arguet. 4 Sed iudicabit in iusticia pauperes: et arguet in equitate pro mansuetis terre. Et percutiet terram virga omnis oris sui: et spiritu labiorum suorum interficiet impium. 5 Et erit iusticia cingulum lumborum eius: et fides cinctorum eius. 6 Habitabit lupus cum agno: et pardus cum hedo accubabit. Vitulus et leo et ouis simul morabuntur: et puer paruulus minabit eos. 7 Vitulus et vrsus pascentur simul: requiescent catuli eorum. Leo quasi bos comedet paleas: 8 et delectabitur ab vbere super foramina et verna reguli qui ablactatus fuerit ma qui ablactatus manum suam mittet. 9 Non nocebunt et non occident vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia domini: sicut aque maris operientis. 10 In die illa radix iesse qui stat in signum populorum· ipsum ipsum gentes deprecabuntur: et erit sepulcrum eius gloriosum. 11 erit in die adiciet dominus suam possidendum residuum populi sui· quod relinquetur ab assyrijs et ab egipto et ab aphetros et ab ethiopia· et ab elam et et ab emath et ab insulis maris. 12 Et leuabit signum in nationes: et congregabit profugos israhel. Et dispsos iuda colliget a quatuor plagis terre: 13 et auferetur zelus ephraim: et hostes peribunt. Ephraim non emulabitur iuet iudas non pugnabit contra ephraim. 14 Et volabunt in humeros philistijm mare: simul predabuntur filios orientis. Ydumea et moab preceptum manus eorum: et filij amon obedientes erunt. 15 Et desolabit dominus linguam maris egipti: et eleuabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui: et percutiet eum in septem riuis· ita vt transeant per eum calciati. 16 Et erit via Et erit via residuo populo meo qui relinquetur ab assyrijs: sicut fuit israheli in die qua ascendit de terra egipti.

12 Et dices in die illa. Confitebor tibi domine quoniam iratus es michi: conuersus est furor tuus: et consolatus es me. 2 Ecce saluator meus: fiducialiter agam et non timebo. Quia fortitudo mea et laus mea dominus: et factus est michi in salutem. 3 Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris: 4 et dicetis in illa die confitemini domino: et inuocate nomen eius. Notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelsum est nomen eius. 5 Cantate domino quoniam magnifice fecit: annunciate hoc vniuersa terra. 6 Exulta et lauda habitatio syon: quia magnus in medio tui sanctus israhel.

13 Onus babilonis: quod vidit ysaias 2 montem calciati. liginosum leuate signum: exaltate vocem· vocem leuate manum: et ingrediantur portas duces. 3 Ego mandaui sanctificatis meis· et vocaui fortes meos in ira mea· exin gloria mea. 4 Vox multitudinis in montibus quasi populorum vox sonitus regum gentium congregatarum. Dominus exercituum precepit militie belli: 5 venientibus terra procul. summitate celi dominus et vasa furoris eius: vt disperdat omnem terram. 6 Vlulate quia prope dies domini: quia vastitas domino veniet. 7 Propter hoc omnes manus dissoluentur: et omne cor hominis tabescet 8 et conteretur. Torsiones et dolores tenebunt quasi parturiens dolebunt. Vnusquisque ad proximum suum stupebit: facies combuste 9 Ecce dies domini venit crudelis et indignationis plenus et ire furorisque: ad ponendam terram in solitudinem et peccatores eius conterendos de ea: 10 quoniam stelle celi et splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo: et luna non splendebit in lumine suo. 11 Et visitabo super orbis mala: et contra impios iniquitatem eorum. Et quiescere faciam superbiam infidelium: et arrogantiam fortium humiliabo. 12 Preciosior erit vir auro: et homo mundo obrizo. 13 Super celum turbabo· et mouebitur terra de loco suo: propter indignationem domini domini exercituum· propter diem ire furoris et eius. 14 Et erit quasi dammula fugiens et erit quasi auis: et non erit qui congreget. Vnusquisque ad populum suum conuertetur: et singuli ad terram suam fugient. 15 Omnis qui inuentus fuerit occidetur: et omnis qui superueneit cadet in gladio. 16 Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum: et vxores eorum violabuntur. 17 Ecce ego suscitabo super eos medos· qui argentum non querant nec aurum velint: 18 sed sagittis paruulos interficiant· et lactantibus vteris non misereantur: et super filios non parcat oculus eorum. 19 Et erit babilon illa ciuitas gloriosa in regnis· inclita in superbia chaldeorum: sicut subuertit dominus sodomam et gomorram. 20 Non habitabitur vsque in finem: et non fundabitur vsque ad generationem et generationem. Nec ponet ibi tentoria arabs· nec pastores requiescent ibi: 21 sed requiescent ibi bestie: et replebuntur domus eorum draconibus. Et habitabunt ibi struciones et pilosi saltabunt ibi: 22 et respondebunt ibi vlule in edibus eius: et sirene in delubris voluptatis.

14 Prope est vt veniat tempus eius: dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim dominus iacob et eliget adhuc de israhel: et requiescere eos faciet super humum suam. Adiungetur aduena ad eos: et adherebit domui iacob. 2 Et tenebunt eos populi: et adducent eos in locum suum. Et possidebit eos domus israhel super terram domini in seruos et ancillas: et erunt capientes eos qui se ceperant: et subicient exactores suos. 3 Et erit in die illa cum requiem dederit tibi deus de labore tuo· et a concussione tua· et a seruitute dura qua ante seruisti: 4 sumes parabolam istam contra regem babilonis et dices. Quomodo cessauit exactor: quieuit tributum? 5 Contriuit dominus baculum impiorum· virgam dominantium 6 cedentem populos indignatione· plaga insanabili: subicientem in furore gentes: persequentem crudeliter. 7 Conquieuit et siluit omnis terra: gauisa est et exultauit: 8 abietes quoque letate sunt super te· et cedri libani. Exquo dormisti non ascendet qui succidat nos 9 Infernus subter te conturbatus est: in occursum aduentus tui suscitauit tibi gigantes omnes principes terre. Surrexerunt de solijs suis omnes principes nationum: 10 vniuersi respondebunt et dicent tibi. Et tu vulneratus es sicut et nos: nostri similis effectus es. 11 Detracta est ad inferos superbia tua: concidit cadauer tuum. Subter te sternetur tinea· et operimentum tuum erunt vermes. 12 Quomodo cecidisti de celo lucifer qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes: 13 qui dicebas in corde tuo. In celum conscendam· super astra dei exaltabo

solium meum: sedebo in monte testamenti· in lateribus aquilonis: [14] ascendam super altitudinem nubium· similis ero altissimo. [15] Verumtamen ad infernum detraheris· in profundum laci. [16] Qui te viderint ad te inclinabuntur: teque prospicient. Nunquid iste est vir qui conturbauit terram· qui concussit regna: [17] qui posuit orbem desertum· et vrbes eius destruxit? Vinctis eius non aperuit carcerem. [18] Omnes reges gentium vniuersi dormierunt in gloria vir in domo sua· [19] tu autem proiectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis: pollutus et obuolutus· cum hijs qui interfecti sunt gladio: et descenderunt vsque ad fundamenta laci. Quasi cadauer putridum [20] non habebis consortium neque cum eis in sepultura. Tu enim terram disperdidisti: tu populum occidisti. Non vocabitur ineternum semen pessimorum. [21] Preparate filios eius occisioni: in iniquitate patrum eorum. Non consurgent: nec hereditabunt terram neque implebunt faciem orbis ciuitatum. [22] Et consurgam super eos dicit dominus exercituum: et perdam babilonis nomen et reliquias· et germen et progeniem dicit dominus. [23] Et ponam eos in possessionem ericij· et in paludes aquarum: et scopabo eam in scopa terens dicit dominus exercituum. [24] Iurauit dominus exercituum dicens. Si non vt putaui ita erit· et quomodo mente tractaui [25] sic eueniet: vt conteram assirium in terra mea· et in montibus meis conculcem eum: et auferetur ab eis iugum eius: et onus illius ab humero eorum tolletur. [26] Hoc consilium quod cogitaui super omnem terram: et hec est manus extenta super vniuersas gentes. [27] Dominus exercituum decreuit: et quis poterit infirmare? Et manus eius extenta: et quis auertit eam? [28] In anno quo mortuus est rex achas factum est onus istud. [29] Ne leteris philistea omnis tu: quoniam comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus: et semen eius absorbens volucrem. [30] Et pascentur primogenita pauperum· et pauperes fiducialiter requiescent: et interire faciam infame radicem tuam: et reliquias tuas interficiam. [31] Vlula porta· clama ciuitas: prostrata est philistea omnis. Ab aquilone enim fumus veniet: et non est qui effugiat agmen eius. [32] Et quid respondebitur nuncijs gentis? Quia dominus fundauit syon: et in ipsa sperabunt pauperes populi eius.

15 Onus moab. Quia nocte vastata est ar· moab conticuit: quia nocte vastatus est murus· moab conticuit. [2] Ascendit domus dybon· ad excelsa in planctum: super nabo· et super medabr· moab vlulabit. In cunctis capitibus eius caluicium: omnis barba radetur. [3] In triuijs eius accincti sunt sacco: super tecta eius et in plateis eius omnis vlulatus descendet in fletum. [4] Clamauit esebon· et elealem: ale: vsque iasa audita est vox eorum. Super hoc expediti moab vlulabunt: anima eius vlulabit sibi. [5] Cor meum ad moab clamabit: vectes eius ad segor vitulam consternantem. Per ascensum enim luith flens ascendet: et in via oronaym clamorem contritionis leuabunt. [6] Aque enim nemrim deserte erunt: quia aruit herba· defecit germen: viror omnis interijt. [7] Secundum magnitudinem operis· et visitatio eorum. Ad torrentem salicum ducent eos: [8] quoniam circuibit clamor terminum moab. Vsque ad gallim vlulatus eius· et vsque ad puteum helim clamor eius: [9] quia aque dybon replete sunt sanguine. Ponam enim super dybon ad ditamenta hijs qui fugerint de moab leonem: et reliquijs terre.

16 Emitte agnum dominatorem terre: de petra deserti ad montem filie syon. [2] Et erit sicut auis fugiens· et pulli de nido auolantes: sic erunt filie moab in transcensu arnon. [3] Ini consilium· coge concilium: pone quasi noctem vmbram tuam in meridie. Absconde fugientes: et vagos ne prodas. [4] Habitabunt apud te profugi mei. Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris. Finitus est enim puluis: consummatus est miser: defecit qui conculcabat terram. [5] Et preparabitur in misericordia solium: et sedebit super eum in veritate in tabernaculo dauid: iudicans et querens iudicium· et velociter reddens quod iustum est. [6] Audiuimus superbiam moab: superbus est valde. Superbia eius et arrogantia eius et indignatio eius· plusquam fortitudo eius. [7] Idcirco vlulabit moab: moab vniuersus vlulabit. Hijs qui letantur super muro cocti lateris loquimini plagas suas: [8] quoniam suburbana esebon deserta sunt. Et vinea sabama· domini gentium exciderunt. Flagella eius vsque ad iazer peruenerunt· errauerunt in deserto: propagines eius relicte sunt· transierunt mare. [9] Super hoc plorabo in fletu iazer vineam· sabama. Inebriabo te lacrima mea esebon et eleale: quoniam super vindemiam tuam et super messem tuam vox clamantium irruit. [10] Et auferetur leticia et exultatio de carmelo: et in vineis non exultabit neque iubilabit. Vinum in torculari non calcabit qui calcare consueuerat: vocem calcantium abstuli. [11] Super hoc venter meus ad moab quasi cithara sonabit: et viscera mea ad murum cocti lateris. [12] Et erit cum apparuerit quod laborauit moab super excelsis suis· ingredietur ad sancta sua vt obsecret: et non valebit. [13] Hoc verbum quod locutus est dominus ad moab extunc: [14] et nunc locutus est dicens. In tribus annis quasi anni mercenarij· auferetur gloria moab super omni populo multo: et relinquetur in eo sicut racemus paruus et modicus· nequaquam multus.

17 Onus damasci. Ecce damascus desinet esse ciuitas: et erit sicut aceruus lapidum in ruina. [2] Derelicte ciuitates aroer gregibus erunt: et requiescent ibi· et non erit qui exterreat. [3] Et cessabit adiutorium ab ephraim· et regnum a damasco: et reliquie sirie sicut gloria filiorum israhel erunt· dicit dominus exercituum. [4] Et erit in die illa attenuabitur gloria iacob· et pingues carnes eius marcescent: [5] et erit sicut congregans in messe quod restiterit: et brachium eius spicas leget. Et erit sicut querens spicas in valle raphaim: [6] et relinquetur in eo sicut racemus: et sicut ex et sicut excussio olee· duarum vel trium oliuarum in summitate rami· siue quatuor aut quinque. In cacuminibus eius fructus eius: dicit dominus deus israhel. [7] In die illa inclinabitur homo ad factorem suum· et oculi eius ad sanctum israhel respicient: [8] et non inclinabitur ad altaria que fecerunt manus eius· et que operati sunt digiti eius: non respicient lucos et delubra. [9] In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelicte· sicut aratra et segetes que derelicte sunt a facie filiorum israhel: et eris deserta· [10] quia oblita es dei saluatoris tui: et fortis adiutoris tui non es recordata. Propterea plantabis plantationem infidelem: et germen alienum seminabis. [11] In die plantationis tue labrusca: et mane semen tuum florebit. Ablata est messis in die hereditatis: et dolebit grauiter. [12] Ve multitudo populorum multorum vt multitudo maris sonantis: et tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum. [13] Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium: et increpabit eum et fugiet procul: et rapietur sicut puluis montium a facie venti: et sicut turbo coram tempestate. [14] In tempore vespere· et ecce turbatio: in matutino· et non subsistet. Hec est pars eorum qui vastauerunt nos: et sors diripientium nos:

18 Ve terre cymbalo alarum que est trans flumina ethiopie: [2] que mittit in mari legatos: et in vasis papiri super aquas. Ite angeli veloces ad gentem conuulsam et dilaceratam: ad populum terribilem post quem non est alius· gentem expectantem et conculcatam: cuius diripuerunt flumina terram eius. [3] Omnes habitatores orbis qui moramini in terra· cum eleuatum fuerit signum in montibus videbitis: et clangorem tube audietis: [4] quia hec dicit dominus ad me. Quiescam et considerabo in loco meo: sicut meridiana lux lux clara est: et sicut nubes roris in die messis. [5] Ante messem enim totus efflorebit· et immatura perfectio germinabit: et precidentur ramusculi eius falcibus· et que derelicta fuerint abscindentur· excutientur· [6] et relinquentur simul auibus montium et bestijs terre: et estate perpetua erunt super eum volucres· et omnes bestie terre super illum hiemabunt. [7] In tempore illo deferetur munus domino exercituum a populo diuulso et dilacerato: populo terribili post quem non fuit alius: gente expectante· expectante et conculcata: cuius diripuerunt flumina terram eius: ad locum nominis domini exercituum montem syon.

19 Onus egipti. Ecce dominus ascendet super nubem leuem et ingredietur egiptum: et commouebuntur simulacra egipti a facie eius: et cor egipti tabescet in medio eius. [2] Et concurrere faciam egiptios aduersus egiptios: et pugnabit vir contra fratrem suum· et vir contra amicum suum: ciuitas aduersus ciuitatem· regnum aduersus regnum: [3] et dirumpetur spiritus egipti in visceribus eius· et consilium eius precipitabo: et interrogabunt simulacra sua· et diuinos suos· et phitones· et ariolos: [4] et tradam egiptum in manu dominorum crudelium: et rex fortis dominabitur eorum· ait dominus exercituum. [5] Et arescet aqua de mari et fluuius desolabitur atque siccabitur:

[6] et deficient flumina: attenuabuntur et siccabuntur riui aggerum. Calamus et iuncus marcescet: [7] nudabitur alueus riui a fonte suo. Et omnis sementis irrigua siccabitur: arescet et non erit. [8] Et merebunt piscatores: et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum: et expandentes rete super faciem aque marcescent. [9] Confundentur qui operabantur linum: pectentes et texentes subtilia. [10] Et erunt irrigua eius flaccentia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. [11] Stulti principes thaneos: sapientes consiliarij pharao dederunt consilium insipiens. Quomodo dicitis pharaoni filius sapientium ego: filius regum antiquorum? [12] Vbi nunc sunt sapientes tui? Annuncient tibi et indicent quid cogitauerit dominus exercituum super egiptum. [13] Stulti facti sunt principes thaneos· emarcuerunt principes meinpheos: deceperunt egiptum· angulum populorum eius. [14] Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis: et errare fecerunt egiptum in omni opere suo: sicut errat ebrius et vomens. [15] Et non erit egipto opus quod faciat: caput et caudam incuruantem et refrenantem. [16] In die illa erit egiptus quasi mulieres: et stupebunt· et timebunt a facie commotionis manus domini exercituum· quam ipse mouebit super eam: [17] et erit terra iuda egipto in festiuitatem. Omnis qui illius fuerit recordatus· pauebit a facie consilij domini exercituum: quod ipse cogitauit super eam. [18] In die illa eruut quinque ciuitates in terra egipti loquentes lingua chanaan: et iurantes per dominum exercituum. Ciuitas solis vocabitur vna. [19] In die illa erit altare domini in medio egipti: et titulus iuxta terminum eius domini: et [20] erit in signum et in testimonium domini exercituum in terra egipti. Clamabunt enim ad dominum a facie tribulantis: et terra mittet eis saluatorem et propugnatorem qui liberet eos. [21] Et cognoscetur dominus ab egipto· et cognoscent egiptij dominum in die illa: et colent eum in hostijs et in muneribus: et vota vouebunt domino et soluent. [22] Et percutiet dominus egiptum plaga et sanabit eam: et reuertentur ad dominum et placabitur eis: et sanabit eos. [23] In die illa erit via de egipto in assirios: et intrabit assirius egiptum· et egiptius in assirios: et seruient egiptij assirijs. [24] In die illa erit israhel tercius egiptio et assirio benedictio in medio terre: [25] cui benedixit dominus exercituum dicens. Benedictus populus meus egipti: et opus manuum mearum assirijs: hereditas autem mea israhel.

20 In anno quo ingressus est thartan in azotum· cum misisset eum sargon rex assiriorum et pugnasset contra azotum et cepisset eam: [2] in tempore illo locutus est dominus in manu ysaie filij amos dicens. Vade et solue saccum de lumbis tuis: et calciamenta tua de pedibus tuis. Et fecit sic: vadens nudus et discalciatus. [3] Et dixit dominus. Sicut ambulauit seruus meus ysaias nudus et discalciatus· trium annorum signum et portentum erit super egiptum et super ethiopiam: [4] sic minabit rex assiriorum captiuitatem egipti· et transmigrationem ethiopie· iuuenem et senem· nudam et discalciatam discoopertis natibus ignominiam egipti. [5] Et timebunt et confundentur ab ethiopia spe sua: et ab egipto gloria sua. [6] Et dicet habitator insule huius in die illa. Heccine erat spes nostra· ad quos confugimus in auxilium: vt liberaret nos a facie regis assiriorum? Et quomodo effugere poterimus nos?

21 Onus deserti maris. Sicut turbines ab affrico veniunt· de deserto venit: de terra horribili [2] visio dura nunciata est michi. Qui incredulus est· infideliter agit: et qui depopulator est vastat. Ascende elam et obside mede: omnem gemitum eius cessare feci. [3] Propterea repleti sunt lumbi mei dolore: angustia possedit me· sicut angustia parturientis. Corrui cum audirem: conturbatus sum cum viderem. [4] Emarcuit cor meum: tenebre stupefecerunt me. Babilon dilecta mea· posita est michi in vmbraculum. [5] Pone mensam: contemplare in specula. Comedentes et bibentes· surgite principes· arripite clipeum: [6] hec enim dixit michi dominus. Vade et pone speculatorem: et quodcunque viderit annunciet. [7] Et vidit currum duorum equitum· ascensorem asini et ascensorem cameli: et contemplatus est diligenter multo intuitu. [8] Et clamauit leo. Super speculam domini ego sum stans iugiter per diem: et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. [9] Ecce iste venit ascensor vir bige equitum. Et respondit et dixit. Cecidit cecidit babilon: et omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram. [10] Tritura mea et filia aree mee: que audiui a domino exercituum deo israhel annunciaui vobis. [11] Onus duma. Ad me clamat ex seir. Custos quid de nocte: custos quid de nocte? [12] Dixit custos. Venit mane et nox. Si queritis querite: conuertimini· venite. [13] Onus in arabia. In saltu ad vesperam dormietis: in semitis dodanim. [14] Occurrentes sicienti ferte aquam: qui habitatis terram austri· cum panibus occurrite fugienti. [15] A facie enim gladiorum fugerunt· a facie gladij imminentis: a facie arcus extenti· a facie grauis prelij: [16] quoniam hec dicit dominus ad me. Adhuc in vno anno quasi in anno mercennarij· et auferetur omnis gloria cedar: [17] et reliquie numeri sagittariorum fortium de filijs cedar imminuentur. Dominus enim deus israhel locutus est.

22 Onus vallis visionis. Quid nam tibi quoque est quia ascendisti? Et tu omnis intecta [2] clamoris plena: vrbs frequens· ciuitas exultans. Interfecti tui non interfecti gladio: nec mortui tui tui mortui in bello. [3] Cuncti principes tui fugerunt simul: dureque ligati sunt. Omnes qui inuenti sunt vincti sunt pariter: procul fugerunt. [4] Propterea dixi· recedite a me: amare flebo. Nolite incumbere· vt consolemini me super vastitate filie populi mei. [5] Dies enim interfectionis et conculcationis· et fletuum domino deo exercituum in valle visionis. Scrutans murum et magnificus super montem. [6] Et elam sumpsit pharetram: currum hominis equitis· et parietem nudabit clipeus. [7] Et erunt electe valles tue plene quadrigarum: et equites ponent sedes suas in porta: [8] et reuelabitur operimentum iude. Et videbitis in die illa armamentarium domus saltus: [9] et scissuras ciuitatis dauid videbitis: quia multiplicate sunt. Et congregastis aquas piscine inferioris: [10] et domus iherusalem numerastis: et destruxistis domus ad muniendum murum. [11] Et lacum fecistis inter duos muros· et aquam piscine veteris: et non suspexistis ad eum qui fecerat eam: et operatorem eius de longe non vidistis. [12] Et vocabit dominus deus exercituum in die illa ad fletum· et ad planctum· ad caluicium· et ad cingulum sacci: [13] et ecce gaudium et leticia· occidere vitulos· et iugulare arietes: comedere carnes et bibere vinum. Comedamus et bibamus: cras enim moriemur. [14] Et reuelata est vox in auribus meis domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hec vobis· donec moriamini: dicit dominus deus exercituum. [15] Hec dicit dominus deus exercituum. Vade ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo· ad sobnam prepositum templi: et dices ad eum. [16] Quid tu hic· aut quasi quis hic? Quia excidisti tibi hic sepulcrum: excidisti in excelso memoriam: diligenter in impetra tabernaculum tibi. [17] Ecce dominus asportari te faciet· sicut asportatur gallus gallinacius: et quasi amictum sic subleuabit te. [18] Coronans coronabit te tribulatione: quasi pilam mittet te in terram latam et spaciosam. Ibi morieris: et ibi erit currus glorie tue ignominia domus domini tui. [19] Expellam te de statione tua: et de ministerio tuo deponam te. [20] Et erit in die illa· vocabo seruum meum eliachim filium helchie· [21] et induam illum tunica tua: et cingulo tuo confortabo eum· et potestatem tuam dabo in manu eius: et erit quasi pater habitantibus iherusalem et domui iuda. [22] Et dabo clauem domus dauid super humerum eius: et aperiet et non erit qui claudat: et claudet et non erit qui aperiat. [23] Et figam illum paxillum in loco fideli: et erit in solium glorie domui patris sui: [24] et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius· vasorum diuersa genera: omne vas paruulum· a vasis craterarum· vsque ad omne vas musicorum. [25] In die illa dicit dominus exercituum· auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli: et frangetur et cadet· et peribit quod pependerat in eo: quia dominus locutus est.

23 Onus tyri. Vlulate naues maris· quia vastata est domus vnde venire consueuerant: de terra cethim· reuelatum est eis. [2] Tacete qui habitatis in insula: negociatio sydonis. Transfretantes mare repleuerunt te [3] in aquis multis: semen nili fluminis fruges eius: et facta est negociatio gentium. [4] Erubesce sydon. Ait enim mare et fortitudo maris dicens. Non parturiui et non e peperi· et non enutriui iuuenes: nec ad incrementum perduxi virgines. [5] Cum auditum fuerit in egipto: dolebunt cum audierint de tyro. [6] Transite maria: vlulate qui habitatis in insula. [7] Numquid non hec vestra est que gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. [8] Quis cogitauit hoc super tyrum· quondam coronatam?

Cuius negotiatores principes: institores eius incliti terre. [9] Dominus exercituum cogitauit hoc· vt detraheret superbiam omnis glorie: et ad ignominiam deduceret vniuersos inclitos terre. [10] Transi terram tuam quasi flumen filia maris: non est cingulum vltra tibi. [11] Manum suam extendit super mare: conturbauit regna. Dominus mandauit aduersus chanaan· vt contereret fortes eius. [12] Et dixit. Non adicies vltra vt glorieris· calumniam sustinens virgo filia sydonis. In cethim consurgens transfreta: ibi quoque non erit requies tibi. [13] Ecce terra chaldeorum talis populus non fuit: assur fundauit eam. In captiuitatem traduxerunt robustos eius: suffoderunt domus eius: posuerunt eam in ruinam. [14] Vlulate naues maris: quia deuastata est fortitudo vestra. [15] Et erit in die illa· in obliuione eris o tyre septuaginta annis· sicut dies regis vnius. Post septuaginta autem annos· erit tyro quasi canticum meretricis. [16] Sume tibi citharam: circue ciuitatem meretrix obliuioni tradica. Bene cane: frequenta canticum: vt memoria tui sit. [17] Et erit post septuaginta annos visitabit dominus tyrum· et reducet eam ad mercedes suas: et rursum fornicabitur cum vniuersis regnis terre super faciem terre: [18] et erunt negociationes eius et mercedes eius sanctificate domino. Non condentur neque reponentur: quia hijs qui habitauerunt coram domino erit negociatio eius: vt manducent in saturitate· et vestiantur vsque ad vetustatem.

24 Ecce dominus dissipabit terram et nudabit eam: et affliget faciem eius: et disperget habitatores eius. [2] Et erit sicut populus sic sacerdos: et sicut seruus sic dominus eius: et sicut ancilla sic domina eius. Sicut emens sic ille qui vendit: sicut fenerator sic is qui mutuum acipit: sicut qui repetit· sic qui debet. [3] Dissipa tione dissipabitur terra: et direptione predabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc. [4] Luxit et defluxit terra et infirmata est: defluxit orbis· et infirmata est altitudo populi terre: [5] et terra interfecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges: mutauerunt ius: dissipauerunt fedus sempiternum. [6] Propter hoc maledictio vorabit terram· et peccabunt habitatores eius: ideoque insanient cultores eius: et relinquentur homines pauci. [7] Luxit vindemia: infirmata est vitis: ingemuerunt omnes qui letabantur corde. [8] Cessauit gaudium timpanorum: quieuit sonitus letantium: conticuit dulcedo ci thare. [9] Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam. [10] Attrita est ciuitas vanitatis: clausa est omnis domus nullo introeunte. [11] Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis leticia: translatum est gaudium terre. [12] Relicta est in vrbe solitudo: et calamitas opprimet portas: [13] quia hec erunt in medio terre in medio populorum. Quomodo si pauce oliue que remanserunt excutiantur ex oleo: et racemi cum fuerit finita vindemia. [14] Hij leuabunt vocem suam atque laudabunt: cum glorificatus fuerit dominus hinnient de mari. [15] Propter hoc in doctrinis glorificate dominum: in insulis maris nomen domini dei israhel. [16] A finibus terre laudes audiuimus: gloriam iusti. Et dixi. Secretum meum michi: secretum meum michi. Ve michi. Preuaricantes preuaricati sunt: et preuaricatione transgressorum preuaricati sunt. [17] Formido et fouea· et laqueus super te qui habitator es terre. [18] Et erit qui fugerit a voce formidinis cadet in foueam: et qui se explicauerit de fouea tenebitur laqueo quia catharacte de excelsis aperte sunt· et concutientur fundamenta terre. [19] Confractione confringetur terra: contritione conteretur terra. [20] Commotioue commouebitur terra: agitatione agitabitur terra sicut ebrius: et auferetur quasi tabernaculum vnius noctis. Et grauabit eam iniquitas sua: et corruet et non adiciet vt resurgat. [21] Et erit in die illa· visitabit dominus super militiam celi in excelso: et super reges terre qui sunt super terram. [22] Et congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum: et claudentur ibi in carcerem: et post multos dies visitabuntur. [23] Et erubescet luna· et confundetur sol· cum regnauerit dominus exercituum in monte syon et in iherusalem: et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

25 Domine deus meus es tu et exaltabo te: confitebor nomini tuo· quoniam fecisti mirabilia: cogitationes antiquas fideles amen. [2] Quia posuisti ciuitatem in tumultum· vrbem fortem in ruinam: domum alienorum vt non sit ciuitas: et in sempiternum non edificetur. [3] Super hoc laudabit te populus fortis: ciuitas gentium robustarum timebit te. [4] Quia factus es fortitudo pauperis: fortitudo egeno in tribulatione sua: spes a turbine· vmbraculum ab estu. Spiritus enim robustorum· quasi turbo impellens parietem: [5] sicut estum in siti tumultum alienorum humiliabis: et quasi calorem sub nube torrente· propaginem fortium marcescere facies. [6] Et faciet dominus exercituum omnibus populis in monte hoc· conuiuium pinguium: conuiuium vindemie· conuiuium pinguium medullatorum: vindemie defecate. [7] Et precipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos: et telam quam orditus est super omnes nationes· [8] precipitabit mortem in sempiternum. Et auferet dominus deus lacrimam ab omni facie: et obprobrium populi sui auferet de vniuersa terra: quia dominus locutus est. [9] Et dicet in die illa. Ecce deus noster iste: expectabimus eum: et saluabit nos. Iste dominus: sustinuimus eum. Et exultabimus et letabimur in salutari eius: [10] quia requiescet manus domini in monte isto: et triturabitur moab sub eo· sicuti teruntur palee in plaustro. [11] Et extendet manus suas sub eo· sicut extendit natans ad natandum: et humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius. [12] Et munimenta sublimium murorum tuorum concident: et humiliabuntur et detrahentur in terram vsque ad puluerem.

26 In die illa cantabitur canticum istud in terra iuda Vrbs fortitudinis nostre syon: saluator ponetur in ea murus et ante murale. [2] Aperite portas: et ingrediatur gens iusta. Custodiens veritatem. [3] Vetus error abijt: seruabis pacem: pacem· quia in te sperauimus. [4] Sperastis in domino in seculis eternis: in domino deo forti in perpetuum. [5] Quia incuruabit habitantes in excelso: ciuitatem sublimem humiliauit. Humiliabit eam vsque ad terram· detrahet eam vsque ad puluerem. [6] Conculcauit eam pes: pes pauperis: gressus egenorum. [7] Semita iusti recta est: rectus callis iusti ad ambulandum. [8] Et in semita iudiciorum tuorum domine sustinuimus te: nomen tuum et memoriale tuum in desiderio anime. [9] Anima mea desiderauit te in nocte: sed et spiritu meo in precordijs meis: de mane vigilabo ad te. Cum feceris iudicia tua in terra: iusticiam discent habitatores orbis. [10] Misereamur impio· et non discet iusticiam? In terra sanctorum iniqua gessit: et non videbit gloriam dominis? [11] Domine exaltetur manus tua et non videant: videant et confundantur zelantes populi: et ignis hostes tuos deuoret. [12] Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis. [13] Domine deus noster possiderunt nos domini absque te: tantum in te recordemur nominis tui. [14] Morientes non viuant: gigantes non resurgant. Propterea visitasti et contriuisti eos: et perdidisti omnem memoriam eorum. [15] Indulsisti genti domine· indulsisti genti: numquid glorificatus es? Elongasti omnes terminos terre. [16] Domine in angustia requisierunt te: in tribulatione murmuris doctrina tua eis. [17] Sicut que concepit eum appropinquauerit ad partum· dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus. A facie tua domine [18] concepimus et quasi parturiuimus et peperimus spiritum salutis: iusticiam non fecimus in terra: ideo non ceciderunt habitatores terre. [19] Viuent mortui tui: interfecti mei resurgent. Expergiscimini et laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis ros tuus· et terram gigantem detrahes in ruinam. [20] Vade populus meus intra in cubiculatua· la tua· claude ostia tua super te: abscondere modicum ad momentum· donec pertranseat indignatio. [21] Ecce enim dominus egredietur de loco suo· vt visitet iniquitatem habitatoris terre contra eum: et reuelabit terra sanguinem suum· et non operiet vltra interfectos suos.

27 die illa visitabit dominus in gladio suo· duro et grandi et forti· super leuiathan serpentem vectem· et super leuiathan serpentem tortuosum: et occidet cetum qui in mari est. [2] In die illa vinea meri cantabit ei. [3] Ego dominus qui seruo eam: repente propinabo ei· ne forte visitetur contra eam. Nocte et die seruo eam: [4] indignatio non est michi. Quis dabit me spinam et veprem in prelio: Gradiar super eam· succendam eam pariter: [5] an potius tenebit titudinem meam? Faciet pacem michi: faciet pacem michi. [6] Qui ingrediuntur impetu ad iacob· florebit et germinabit israhel: et implebunt faciem orbis semine. [7] Nun iuxta plagam percutientis se percussit eum? Aut sicut occidit interfectos eius sic occisus est? [8] In mensura contra mensuram

cum abiecta fuerit iudicabis eam: meditata est iu spiritu suo duro per diem estus. [9] Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui iacob: et iste omnis fructus· vt auferatur peccatum eius. Cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos: non stabunt luci et delubra. [10] Ciuitas enim munita desolata erit: speciosa relinquetur et dimittetur quasi desertum. Ibi pascetur vitulus et ibi accubabit: et consumet summitates eius. [11] In siccitate messis illius conterentur mulieres· venientes et docentes ea. Non est enim populus sapiens: propterea non miserebitur eius qui fecit eum: et qui formauit eum· non parcet ei. [12] Et erit in die illa· percutiet dominus ab alueo fluminis vsque ad torrentem egipti: et vos congregabimini vnus et vnus filij israhel. [13] Et erit iu die illa· clangetur in tuba magna: et venient qui perditi fuerant de terra assiriorum et qui eiecti erant de terra egipti: et adorabunt dominum in monte sancto in iherusalem.

28 Ve corone superbie· ebrijs ephraim· et flori decidenti· glorie exultationis eius: qui erant in vertice vallis pinguissime errantes a vino. [2] Ecce validus et fortis dominus· sicut impetus grandinis turbo constringens: sicut impetus aquarum multarum inundantium: et emissarum super terram spaciosam. [3] Pedibus conculcabitur corona superbie ebriorum ephraim: [4] et erit flos decidens glorie exultationis eius· qui est super verticem vallis pinguium· quasi temporaneum ante maturitatem autumni. Quod cum aspexerit videns· statim vt manu tenuerit deuorabit illud. [5] In die illa erit dominus exercituum corona glorie· et sceptrum exultationis residuo ipsi sui· [6] et spiritus iudicij sedenti super iudicium: et fortitudo reuertentibus de bello ad portam. [7] Verum hij quoque pre vino nescierunt: et pre ebrietate errauerunt. Sacerdotes et prophete nescierunt pre ebrietate· absorti sunt a vino: errauerunt in ebrietate· nescierunt videntem· ignorauerunt iudicium. [8] Omnes enim mense replete sunt vomitu sordiumque: ita vt non esset vltra locus. [9] Quem docebit scientiam: et quem intelligere faciet auditum? Ablactatus est a lacte· auulsus ab vberibus: [10] quia manda remanda· manda remanda: expecta reexpecta· expecta reexpecta: modicum ibi· modicum ibi. [11] In loquela enim labij et lingua altera loquetur ad populum istum· [12] cui dixit. Hec est requies mea· reficite lassum: et hoc est meum refrigerium· et noluerunt audire. [13] Et erit eis verbum domini· manda remanda· manda remanda: expecta reexpecta· expecta reexpecta: modicum ibi· modicum ibi: vt vadant et cadant retrorsum· et conterantur et illaqueentur et capiantur. [14] Propter hoc audite verbum domini viri illusores: qui dominamini super populum meum qui est in iherusalem. [15] Dixistis enim. Percussimus fedus cum morte: et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram· et mendacio protecti sumus. [16] Idcirco hec dicit dominus deus. Ecce ego mittam in fundamentis syon lapidem· lapidem probatum· angularem· preciosum· in fundamento fundatum. Qui preciosum· in fundamento fundatum. Qui crediderit crediderit non festinet. Et [17] ponam iudicium in pondere: et iusticiam in mensura. Et subuertet grando spem mendacij et et protectionem aque inundabunt: [18] et delebitur fedus vestrum cum morte: et pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundans cum transierit· eritis ei in conculcationem. [19] pertransierit tollet vos· quoniam mane diluculo pertransiuit in die et in nocte: et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. [20] Coangustatum est enim stratum· ita vt alter decidat: et pallium breue vtrunque operire non potest. [21] Sicut enim in monte diuisionum stabit dominus sic in valle que est in gabaon irascetur: vt faciant opus suum· alienum opus eius: vt operetur opus suum· peregrinum est opus eius ab eo. [22] Et nunc nolite illudere: ne forte constringantur vincula vestra. Consummationem enim et abbreuiationem audiui a domino deo exercituum super vniuersam terram. [23] Auribus percipite et audite vocem meam: attendite et audite eloquium meum [24] Numquid tota die arabit arans· vt serat: proscindet· et sariet humum suam? [25] Nonne cum adequauerit faciem eius seret gith· et ciminum sparget: et non ponet triticum per ordinem et hordeum· et milium· et viciam in finibus suis? [26] Et erudiet illum in iudicio: deus suus docebit illum. [27] Non enim in serris triturabitur gith· nec rota plaustri super ciminum circuiet: sed in virga excutietur gith· et ciminum in baculo: [28] panis autem comminuetur. Verum non in perpetuum triturans triturabit illum: neque vexabit eum rota plaustri: nec in vngulis suis comminuet eum. [29] Et hoc a domino deo exercituum exiuit· vt mirabile faceret consilium et magnificaret iusticiam.

29 Ve hariel· hariel ciuitas quam expugnauit dauid. Additus est annus ad annum· solemnitates euoluti sunt: [2] circumuallabo ariel· et erit tristis et merens: et erit michi quasi ariel. [3] Et circundabo quasi speram in circuitu tuo· et iaciam contra te aggerem: et munimenta ponam in obsidionem tuam. [4] Humiliaberis· de terra loqueris: et de humo audietur eloquium tuum. Et erit quasi phitonis de terra vox tua: et de humo eloquium tuum musitabit. [5] Et erit sicut puluis tenuis multitudo ventilantium te: et sicut fauilla pertransiens multitudo eorum qui contra te preualuerunt. [6] Eritque repente confestim a domino exercituum· visitabitur in tonitruo et commotione terre: et voce magna turbinis et tempestatis et flamme ignis deuorantis. [7] Et erit sicut somnium visionis nocturne· multitudo omnium gentium qui dimicauerunt contra ariel: et omnes qui militauerunt et obsederunt et preualuerunt aduersus eam. [8] Et sicut somniat esuriens et comedit· cum autem fuerit expergefactus vacua est anima eius: et sicut somniat sitiens et bibit· et postquam fuerit expergefactus lassus adhuc sitit· et anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium que dimicauerunt contra montem syon. [9] Obstupescite et ammiramini· fluctuate et vacillate: inebriamini· et non a vino: mouemini et non ab ebrietate: [10] quoniam miscuit vobis dominus spiritum soporis. Claudet oculos vestros: prophetas et principes vestros qui vident visiones operiet. [11] Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cum dederit scienti litteras dicent lege istum: et respoudebit non possum· signatus est enim. [12] Et dabitur liber nescienti litteras diceturque ei lege: et respondebit· nescio litteras. [13] Et dixit dominus· eo quod appropinquat populus iste ore suo et lalijs suis glorificat me· cor autem eius longe est a me· et timuerunt me mandato hominum et doctrinis: [14] ideo ecce ego addam vt ammirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo. Peribit enim sapientia a sapientibus eius: et intellectus prudentium eius abscondetur. [15] Ve qui profundi estis corde· vt a domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera· et dicunt quis videt nos· et quis nouit nos? [16] Peruersa est hec vestra cogitatio· quasi si lutum contra figulum cogitet· et dicat opus factori suo· non fecisti me: et figmentum dicat factori suo· non intelligis. [17] Nonne adhuc in modico et in breui conuertetur libanus in chermel: et chermel in saltum reputabitur? [18] Et audient in die illa surdi verba libri· et de tenebris et caligine oculi cecorum videbunt. [19] Et addent mites in domino leticiam· et pauperes homines in sancto israhel exultabunt: [20] quoniam defecit qui preualebit· consummatus est illusor· et succisi sunt omnes qui vigilabunt super iniquitatem: [21] quia peccare faciebant homines in verbo· et arguentem in porta supplantabant: et declinauerunt frustra a iusto. [22] Propter hec dicit dominus ad domum iacob qui redemit abraham. Non modo confundetur iacob· nec modo vultus eius erubescet: [23] sed cum viderit filios suos opera manuum mearum· in medio sui sanctificantes nomen meum: et sanctificabunt sanctum iacob· et deum israhel predicabunt: [24] et scient errantes spiritu intellectum· et musitatores discent legem.

30 Ve filij desertores dicit dominus· vt faceretis consilium et non ex me: et ordiremini telam et non per spiritum meum· vt adderetur peccatum super peccatum: [2] qui ambulatis vt descendatis in egiptum· et os meum non interrogastis: sperantes auxilium in fortitudine pharao· et habentes fiduciam in vmbra egipti: [3] et erit vobis fortitudo pharaonis in confusionem· et fiducia in vmbra egipti in ignominiam. [4] Erant enim in thanes principes tui: et nuncij tui vsque ad thanes peruenerunt. [5] Omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non potuit. Non fuerunt in auxilium· et in aliquam vtilitatem: sed in confusionem et in opprobrium. [6] Onus iumentorum austri. In terra tribulationis et angustie· leena et leo· ex eis vipera· et regulus volans: portantes super humeros iumentorum diuitias suas· et super gibbum camelorum

thesauros suos· ad populum qui eis prodesse non poterit. [7] Egiptus enim frustra et vane auxiliabitur. Ideo clamaui super hoc: superbia tantum est· quiesce. [8] Nunc ingressus scribe eis super buxum· et in libro diligenter exara illud: et erit in die nouissimo in testimonium vsque ineternum. [9] Populus enim ad iracundiam prouocans est· et filij mendaces· filij nolentes audire legem dei: [10] qui dicunt videntibus nolite videre· aspicientibus aspicere nobis ea que recta sunt. Loquimini nobis placentia· videte nobis errores: [11] auferte· a me viam· declinate a me semitam· cesset a facie nostra sanctus israhel. [12] Propterea hec dicit sanctus israhel: pro eo quod reprobastis verbum hoc· et sperastis in calumnia et tumultu: et innixi estis super eo. [13] Propterea erit vobis iniquitas hec· sicut interruptio cadens: et requisita in muro excelso: quoniam subito dum non speratur: veniet contritio eius: [14] et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione perualida: et non inuenietur de fragmentis eius testa· in qua portetur igniculus de incendio· aut hauriatur parum aque de fouea: [15] quia hec dicit dominus deus israhel. Si reuertimini et quiescatis: salui eritis. In silentio et in spe erit fortitudo vestra: et noluistis [16] et dixistis. Nequaquam: sed ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et super veloces ascendemus: ideo velotiores erunt qui persequentur vos. [17] Mille homines a facie terroris vnius et a facie terroris quinque fugietis: donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montis: et quasi signum super collem. [18] Propterea expectat dominus vt misereatur vestri· et ideo exultabitur parcens vobis· quia deus iudicij dominus· beati omnes qui expectant eum. [19] Populus enim syon habitabit in iherusalem: plorans nequaquam plorabis: miserans miserabitur tui. Ad vocem clamoris tui statim vt audierit respondebit tibi: [20] et dabit vobis dominus panem arcum· et aquam breuem: et non faciet auolare a te vltra doctorem tuum: et erunt oculi tui videntes preceptorem tuum· [21] et aures tue audient verbum post tergum mouentis. Hec est via ambulate in ea: et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram. [22] Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui· et vestimentum conflatilis auri tui: et disperges ea sicut immunditiam menstruate. Egredere: dices ei. [23] Et dabitur pluuia semini tuo vbicunque seminaueris in terra: et panis frugum terre erit vberrimus et pinguis. Pascetur in possessione tua in die illo agnus spaciose: [24] et tauri tui et pulli asinorum qui operantur terram· commixtum migma comedent sicut in area vt ventilatum est. [25] Et erunt super omnem montem excelsum· et super omnem collem eleuatum riui currentium aquarum· in die interfectionis multorum: cum ceciderint turres. [26] Et erit lux lune sicut lux solis· et lux solis erit semptempliciter· sicut lux septem erit semptempliciter· sicut lux septem dierum: in die qua alligauerit dominus vulnus populi sui· et percussuram plage eius sanauerit. [27] Ecce nomen domini venit de longinquo: ardens furor eius: et grauis ad portandum. Labia eius repleta sunt indignatione: et lingua eius quasi ignis deuorans. [28] Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli· ad perdendas gentes in nichilum: et frenum erroris quod erat in maxillis populorum. [29] Canticum erit vobis sicut vox sanctificate solemnitatis: et leticia cordis sicut qui pergit cum tibia· vt intret in montem domini ad fortem israhel. [30] Et auditam faciet dominus gloriam vocis sue· et terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris· et flamme ignis deuorantis: allidet in turbine et in lapide grandinis. [31] A voce enim domini pauebit assur virga percussus: [32] et erit transitus virge fundatus quam requiescere faciet dominus super eum· in tympanis et cytharis et bellis precipuis expugnabit eos. [33] Preparata est enim ab heri tophet a rege preparata· profunda et dilatata. Nutrimenta eius ignis· et ligna multa: flatus domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

31 Ve qui descendunt in egiptum ad xilium in equis sperantes· et habentes fiduciam super quadrigis quia multe sunt· et super equitibus quia preualidi nimis: et non sunt confisi super sanctum israhel· et dominum non requisierunt. [2] Ipse autem sapiens adduxit malum· et verba sua non abstulit: et consurget contra domum pessimorum· et contra auxilium operantium iniquitatem. [3] Egiptus homo et non deus· et equi eorum caro et non spiritus: et dominus inclinauit manum suam et corruet auxiliator· et cadet cui prestatur auxilium· simulque omnes consumentur: [4] quia hec dicit dominus ad me. Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super predam suam· cum occurrerit ei multitudo pastorum· a voce eorum non formidabit· et a multitudine eorum non pauebit: sic descendet dominus exercituum vt prelietur super montem syon et super collem eius. [5] Sicut aues volantes· sic protegit dominus exercituum iherusalem: protegens et liberans· transiens et saluans. [6] Conuertimini sicut in profundum recesseratis filij israhel. [7] In die enim illa abiciet vir ydola argenti sui· et ydola auri sui que fecerunt vobis manus vestre in peccatum: [8] et cadet assur in gladio non viri· et gladius non hominis vorabit eum: et fugiet non a facie gladij et iuuenes eius vectigales erunt: [9] et fortitudo eius a terrore transibit· et pauebunt fugientes principes eius. Dixit dominus· cuius est ignis in syon: et caminus eius in iherusalem.

32 Ecce in iusticia regnabit rex· et principes in iudicio preerunt: [2] et erit vir sicut qui absconditur a vento· et celat se a tempestate: sicut riui aquarum in siti· et vmbra petre prominentis in terra deserta. [3] Non caliginabunt oculi videntium· et aures audientium diligenter auscultabunt: [4] et cor stultorum intelliget scientiam· et lingua balborum velociter loquetur et plane. [5] Non vocabitur vltra is qui insipiens est princeps: neque fraudulentus appellabitur maior. [6] Stultus enim fatua loquetur· et cor eius faciet iniquitatem: vt perficiat simulationem· et loquatur ad dominum fraudulenter: et vacuam faciat animam esurientis· et potum sitienti auferat. [7] Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacij· cum loqueretur pauper iudicium. [8] Princeps vero ea que digna sunt principi cogitabit: et ipse super duces stabit. [9] Mulieres opulente surgite· et audite vocem meam: filie confidentes percipite auribus eloquium meum. [10] Post dies enim et annum· vos conturtabimini confidentes. Consummata est enim vindemia: collectio vltra non veniet. [11] Obstupescite opulente· conturtabimini confidentes: exuite vos et confundamini· accingite lumbos vestros [12] super vbera. Plangite super regione desiderabili: super vinea fertili. [13] Super humum populi mei spina et vepres ascendent: quantomagis super omnes domos gaudij ciuitatis exultantis? [14] Domus enim dimissa est· multitudo vrbis relicta est: tenebre et palpatio facte sunt super speluncas vsque ineternum. Gaudium onagrorum pascua gregum: [15] donec effundatur super nos spiritus de excelso. Et erit desertum in chermel· et chermel in saltum reputabitur: [16] et habitabit in solitudine iudicium· et iusticia in chermel sedebit. [17] Et erit opus iusticie pax: et cultus iusticie silentium: et securitas vsque in sempiternum. [18] Et sedebit populus meus in pulcritudine pacis: et in tabernaculis fiducie et in requie opulenta. [19] Grando autem in descensione saltus: et humilitate humiliabitur ciuitas. [20] Beati qui seminatis super omnes aquas: immittentes pedem bouis et asini.

33 Ve predaris: Ve qui predaris: nonne et ipse predaberis? Et qui spernis: nonne et ipse sperneris? Cum consummaueris depredationem dei predaberis: cum fatigatus desieris contennere· contemneris. [2] Domine miserere nostri te enim expectamus: esto brachium nostrum in mane: et salus nostra in tempore tribulationis. [3] A voce angeli fugerunt populi: ab exaltatione tua disperse sunt gentes. [4] Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur brucus: velut cum fosse plene fuerint de eo. [5] Magnificatus est dominus quoniam habitabit in excelso: implebit syon iudicio et iusticia: [6] et erit fides in temporibus suis. Diuitie salutis sapientia et scientia: timor domini ipse thesaurus eius. [7] Ecce videntes clamabunt foris: angeli pacis amare flebunt. [8] Dissipate sunt vie: cessauit transiens per semitam: irritum factum est pactum: proiecit ciuitates· non reputauit homines. [9] Luxit et elanguit terra: confusus est libanus et absorduit. Et factus est saron sicut desertum: et concussa est basan et carmelus. [10] Nunc consurgam dicit dominus: nunc exaltabor et nunc sublimabor. [11] Concipietis ardorem et parietis stipulam: spiritus vester vt ignis vorabit vos: [12] et erunt populi quasi de incendio cinis: spine congregate igni comburentur. [13] Audite qui longe estis que fecerim: et cognoscite vicini fortitudinem meam. [14] Conterriti sunt in syon peccatores: possedit timor ypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante: aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? [15] Qui ambulat in iusticijs et

loquitur veritatem: qui proicit auariciam ex calumnia: et excutit manus suas ab omni munere. Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem· et claudit oculos suos ne videat malum: [16] iste in excelsis habitabit· munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est· aque eius fideles sunt. [17] Regem in decore suo videbit: oculi eius cernent terram de longe: [18] cor tuum meditabitur timorem. Vbi est litteratus· vbi legis verba ponderans: vbi doctor paruulorum? [19] Populum imprudentem non videbis· populum alti sermonis: ita vt non possis intelligere disertitudinem lingue eius· in quo nulla est sapientia. [20] Respice syon ciuitatem solemnitatis nostre· oculi tui videbunt iherusalem habitationem opulentam· tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in sempiternum· et omnes funiculi eius non rumpentur: [21] quia solummodo ibi magnificatus est dominus noster. Locus fluuiorum riui latissimi et patentes: non transibit super eum nauis remigum· neque trieris magna transgredietur eum. [22] Dominus enim iudex noster· dominus legifer noster· dominus rex noster: ipse saluabit nos. [23] Laxati sunt funiculi tui: sed non preualebunt. Sic erit malus tuus vt dilatare signum non queas. Tunc diuidentur spolia predarum multarum: claudi diripient rapinam: [24] nec dicet vicinus· elangui. Populus qui habitat in ea: auferetur ab eo iniquitas.

34 Accedite gentes et audite· et populi attendite: audiat terra et plenitudo eius· orbis et omne germen eius? [2] quia indignatio domini super omnes gentes: et furor super vniuersam maliciam eorum. Interfecit eos: et dedit eos in occisionem. [3] Interfecti eorum proicientur: et de cadaueribus eorum ascendet fetor. Tabescent montes a sanguine eorum· [4] et tabescet omnis militia celorum: et complicabuntur sicut liber celi: et omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea et de ficu: [5] quoniam inebriatus est in celo gladius meus. Ecce super ydumeam descendet: et super populum interfectionis mee ad iudicium. [6] Gladius domini repletus est sanguine: incrassatus est adipe de sanguine agnorum et hircorum· et de sanguine medullatorum arietum. Victima enim domini in bosra: et interfectio magna in terra edom: [7] et descendent vnicornes cum eis· et tauri cum potentibus. Inebriabitur terra eorum sanguine· et humus eorum adipe pinguium: [8] quia dies vltionis domini· annus retributionis iudicij syon. [9] Et conuertentur torrentes eius in picem: et humus eius in sulphur. Et erit terra eius in picem ardentem [10] nocte et die: non extinguetur in sempiternum. Ascendet fumus eius a generatione in generationem: desolabitur in secula seculorum. Non erit transiens per eam: [11] et possidebunt illam onocrotalus et ericius: et ibis et coruus habitabunt in ea. Et extendetur super eam mensura vt redigatur ad ni nichilum: et perpendiculum in desolationem. [12] Nobiles eius non erunt ibi· regem potius inuocabunt: et omnes principes eius erunt in nichilum. [13] Et orientur in domibus eius spine et vrtice· et paliurus in munitionibus eius: et erit cubile draconum· et pascua strutionum: [14] et occurrent demonia: onocentaurus et pilosus clamabit alter ad alterum. Ibi cubauit lamia et inuenit sibi requiem: [15] ibi habuit foueam ericius· et enutriuit catulos: et circumfodit et fouit in vmbra eius. Illuc congregati sunt milui· alter ad alterum. [16] Requirite diligenter in libro domini et legite: vnum ex eis non defuit· alter alterum non quesiuit: quia quod ex ore meo procedit ille mandauit: et spiritus eius ipse congregauit ea: [17] et ipse misit eis sortem· et manus eius diuisit eam illis in mensuram. Vsque ineternum possidebunt eam: in generatione et generationem habitabunt in ea.

35 Letabitur deserta et inuia: et exultabit solitudo· et florebit quasi lilium. [2] Germinans germinabit: et exultabit letabunda et laudans. Gloria libani data est ei: decor carmeli et saron. Ipsi videbunt gloriam domini: et decorem dei nostri. [3] Confortate manus dissolutas: et genua debilia roborate. [4] Dicite pusillanimis: et nolite timere. Ecce deus vester vltionem adducet retributionis: deus ipse veniet et saluabit nos. [5] Tunc aperientur oculi cecorum: et aures surdorum patebunt. [6] Tunc saliet sicut ceruus claudus· et aperta erit lingua mutorum: quia scisse sunt in deserto que aque· et torrentes in solitudine: [7] et que erat arida in stagnum· et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus in quibus prius dracones habitabant· orietur viror calami et iunci: [8] et erit ibi semita: et via sancta vocabitur. Non transibit per eam pollutus: et hec erit vobis directa via· ita vt stulti non errant per eam. [9] Non erit ibi leo: et mala bestia non ascendet per eam nec inuenietur ibi. Et ambulabunt qui liberati fuerint [10] et redempti a domino: conuertentur et venient in syon cum laude: leticia sempiterna super caput eorum. Gaudium et leticiam obtinebunt: et fugiet dolor et gemitus.

36 Et factum est in quartodecimo anin regis ezechie: ascendit in sennacherib rex assiriorum super omnes ciuitates iuda munitas· et cepit eas. [2] Et misit rex assiriorum rabsacen de lachis in iherusalem· ad regem ezechiam in manu graui: et stetit in aqueductu· piscine superioris· in via agri fullonis. [3] Et egressus est ad eum eliachim filius elchie liadmi qui erat super domum· et sobna scriba· et ioahe filius asaph a commentarijs. [4] Et dixit ad eos rabsaces. Dicite ezechie. Hec dicit rex magnus assiriorum. Que est ista fiducia qua confidis: [5] aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? Super quem habes fiduciam· quia recessisti me? [6] Ecce confidis super baculum harundineum confractum istum super egiptum: cui si innisus fuerit homo· intrabit in manum eius et perforabit eam: sic pharao rex egipti omnibus qui confidunt in eo. [7] Quod si responderis michi· in domino deo deo nostro confidimus: nonne ipse est cuius abstulit ezechias excelsa et altaria· et dixit iude et iherusalem coram altari isto adorabitis? [8] Et nunc trade te domino meo regi assiriorum: et dabo tibi duo milia equorum· nec poteris ex te prebere ascensores eorum. [9] Et quomodo sustinebis faciem iudicis vnius loci ex seruis domini mei minoribus? Quod si confidis in si egipto in quadriga· et in equitibus: [10] et nunc nunquid sine domino ascendi ad terram istam· vt disperderem eam. Dominus dixit ad me. Ascende super terram istam: et disperde eam. [11] Et dixit eliachim· et sobna· et ioahe ad rabsacen. Loquere ad seruos tuos tuos syra lingua intelligimus etiam: enim: ne loqua ne ris ad nos iudaice in auribus populi qui est super murum. [12] Et dixit rabsaces: Nunquid ad dominum tuum et ad te misit me dominus meus· vt loquerer omnia verba ista: et non non ioahe ris que magna potius ad viros qui sedent in muro vt comedant stercora sua· et bibant vripedum suorum vobiscum? [13] stetit rabsaces: et clamauit voce iudaice et dixit. Audite verba regis magni edir [14] Hec rex. Non seducat vos ezechias· at quia poterit eruere vos: [15] et non vobis tribufiduciam ezechias super domino dicens· eruens liberabit nos dominus: non dabitur ciuitas ista in manu regis assiriorum. [16] Nolite audire ezechiam: hec enim dicit rex rex assiriorum. Facite mecum benedictionem· et egredimini ad me: et comedite vnusquisque vineam suam· et vnusquisque ficum suam: et bibite vnusquisque aquam cisterne sue: [17] donec veniam et tollam vos ad terram que est vt terra vestra· terram frumenti et vini: terram panum et vinearum. [18] Nec conturbet vos ezechias dicens: dominus liberabit nos. Numquid liberauerunt dij gentium vnusquisque terram suam de manu regis assiriorum? [19] Vbi est deus emath et arfad? Vbi deus sepharuaim? Nunquid liberauerunt samariam de manu mea? [20] Quis est ex omnibus dijs terrarum istarum qui eruerit terram suam de manu mea: vt eruat dominus iherusalem de manu mea? [21] Et siluerunt et non responderunt ei verbum. Mandauerat enim rex dicens: ne respondeatis ei. [22] Et ingressus est eliachim filius elchie qui erat super domum· et sobna scriba· et ioahe filius asaph· a commentarijs ad ezechiam scissis vestibus: et nunciauerunt ei verba rabsacis.

37 Et factum est cum audisset rex ezechias scidit vestimenta sua· et obuolutus est sacco: et intrauit in domum domini. [2] Et misit eliachim qui erat super domum· et sobnam scribam· et seniores de sacerdotibus opertos saccis· ad ysaiam filium amos prophetam: [3] et dixerunt ad eum. Hec dicit rex ezechias. Dies tribulationis et corruptionis· et blasphemie dies hec: quia venerunt filij vsque ad partum· et virtus non est pariendi. [4] Si quo audiat dominus deus tuus verba rabsacis: quem misit rex assiriorum dominus suus ad blasphemandum. deum viuentem: et exprobrandum sermonibus quos audiuit dominus deus tuus. Leua ergo orationem pro reliquijs que reperte sunt. [5] Et venerunt serui regis ezechie ad ysaiam: [6] et dixit ad eos ysaias. Hec dicetis

domino vestro. Hec dicit dominus. Ne timeas a facie verborum que audisti: quibus blasphemauerunt pueri regis assiriorum me. [7] Ecce ego dabo ei spiritum et audiet nuncium· et reuertetur ad terram suam: et corruere eum faciam gladio in terra sua. [8] Reuersus est autem rabsaces: et inuenit regem assiriorum preliantem aduersus lobna. Audierat enim quia profectus esset de lachis: [9] et audiuit de taracha rege ethiopie dicentes: egressus est vt pugnet contra te. Quod cum audisset· misit nuncios ad ezechiam dicens. [10] Hec dicetis ezechie regi iude loquentes. Non te decipiat deus tuus in quo tu confidis dicens: non dabitur ihe in manu regis assiriorum. [11] Ecce tu nosti omnia que fecerunt reges assiriorum omnibus terris quas subuerterunt: et tu poteris liberari? [12] Numquid eruerunt eos dij gentium· quos subuerterunt patres mei: gozan et aran et reseph et filios os eden qui erant in thalassar? [13] Vbi est rex emath et rex arfad et rex vrbis sepharuaim· ana et aua? [14] Et tulit ezechias libros de manu nunciorum et legit eos: et ascendit in domum domini· et expandit eos coram domino. [15] Et orauit ezechias ad dominum dicens. [16] Domine exercituum deus israhel qui sedes super cherubin· tu es deus solus omnium regnorum terre: tu fecisti celum et terram: [17] inclina domine aurem tuam et audi· aperi oculos tuos et vide: et audi omnia verba sennacherib que misit ad blasphemandum deum viuentem. [18] Vere enim domine desertas fecerunt reges assiriorum terras et regiones earum· [19] et dederunt deos earum igni: non enim erant dij sed opera manuum hominum· lignum et lapis: et comminuerunt eos. [20] Et nunc domine deus noster salua nos de manu eius: et cognoscant omnia regna terre· quia tu es dominus deus solus. [21] Et misit ysaias filius amos ad ezechiam dicens. Hec dicit dominus deus israhel. Pro quibus rogasti me de sennacherib rege assiriorum: [22] hoc est verbum quod locutus est dominus super eum. Despexit te et subsannauit te virgo filia syon: post te caput mouit filia iherusalem. [23] Cui exprobrasti· et quem blasphemasti: et super quem exaltasti vocem· et leuasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum israhel. [24] In manu seruorum tuorum exprobrasti domino· et dixisti. In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium· iuga libani: et succidam excelsa cedrorum eius· et electas abietes illius: et introibo altitudinem summitatis eius· saltum carmeli eius: [25] ego fodi et bibi aquam: et exsiccaui vestigio pedis mei omnes riuos aggerum. [26] Nunquid non audisti que olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plasmaui illud· et nunc adduxi: et factum est in eradicationem collium compugnantium· et ciuitatum munitarum. [27] Habitatores earum breuiata manu contremuerunt· et confusi sunt: facti sunt sicut fenum agri· et gramen pascue: et herba tectorum que exaruit antequam maturesceret. [28] Habitationem tuam et egressum tuum· et introitum tuum cognoui: et insaniam tuam contra me. [29] Cum fureres aduersum me· superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in auribus tuis· et frenum in labijs tuis: et reducam te in via per quam venisti. [30] Tibi autem hoc erit signum. Comede hoc anno que sponte nascuntur: et in anno secundo pomis vescere. In anno autem tercio seminate et metite: et plantate vineas· et comedite fructum earum: [31] et mitte id quod saluatum fuerit de domo iuda· et quod reliquum est radicem deorsum· et faciet fructum sursum: [32] quia de iherusalem exibunt reliquie· et saluatio de monte syon. Zelus domini exercituum faciet istud. [33] Propterea hec dicit dominus de rege assiriorum. Non introibit ciuitatem hanc et non iaciet ibi sagittam· et non occupabit eam clipeus: et non mittet in circuitu eius aggerem. [34] In via qua venit per eam reuertetur: et ciuitatem hanc non ingredietur dicit dominus. [35] Et protegam ciuitatem istam et saluem eam: propter me et propter dauid seruum meum. [36] Egressus est autem angelus domini et percussit in castris assiriorum centumoctogintaquinque milia. Et surrexerunt mane: et ecce omnes cadauera mortuorum. [37] Et egressus est et abijt· et egressus est sennacherib rex assiriorum: et habitauit in niniue. [38] Et factum est cum adoraret in templo nesrach deum suum ad ramelech et sarasar· filie eius percusserunt eum gladio: fugeruntque in terram ararath: et regnauit assaraddon filius eius pro eo.

38 In diebus illis egrotauit ezechias vsque ad mortem: et intrauit ad eum ysaias filius amos propheta· et dixit ei. Hec dicit dominus. Dispone domui tue: quia morieris tu et non viues. [2] Et conuertit ezechias faciem suam ad parietem: et orauit ad dominum [3] et dixit. Obsecro domine· memento queso quomodo ambulauerim coram te in veritate et in corde perfecto: et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et fleuit ezechias fletu magno. [4] Et factum est verbum domini ad ysaiam dicens. [5] Vade et dic ezechie. Hec dicit dominus deus dauid patris tui. Audiui orationem tuam: et vidi lacrimam tuam. Ecce ego adiciam super dies tuos quindecim annos: [6] et de manu regis assiriorum eruam te· et ciuitatem istam: et protegam eam. [7] Hoc autem tibi erit signum a domino· quia faciet dominus verbum hoc quod locutus est. [8] Ecce ego reuerti faciam vmbram liniarum per quas descenderat in horologio achas· in sole retrorsum decem lineis. Et reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat. [9] Scriptura ezechie regis iuda cum egrotasset· et conualuisset de infirmitate sua. [10] Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi: quesiui residuum annorum meorum. [11] Dixi non videbo dominum deum in terra viuentium: non aspiciam hominem vltra· et habitatorem quietis. [12] Generatio mea ablata est et conuoluta est a me· quasi tabernaculum pastorum. Precisa est velut a texente vita mea dum adhuc ordirer succidit me. De mane vsque ad vesperam finies me: [13] sperabam vsque ad mane. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. De mane vsque ad vesperam finies me. [14] Sicut pullus hirundinis sic clamabo: meditabor vt columba. Attenuati sunt oculi mei: suspicientes in excelsum. Domine vim patior responde pro me. [15] Quid dicam: aut quid respondebit michi cum ipse fecerit? Recogitabo omnes annos meos in amaritudine anime mee. [16] Domine si sic viuitur et in talibus vita spiritus mei· corripies me et viuificabis me: [17] ecce in pace amaritudo mea amarissima. Tu autem eruisti animam meam vt non periret: proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea: [18] quia non infernus confitebitur tibi· neque mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam. [19] Viuens viuens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam. [20] Domine saluum me fac: et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vite nostre in domo domini. [21] Et iussit ysaias vt tollerent massam de ficis· et cataplasmarent super vulnus et sanaretur. [22] Et dixit ezechias. Quod erit signum quia ascendam in domo domini?

39 In tempore illo misit merodach baladan filius baladan rex babilonis libros et munera ad ezechiam. Audierat enim quod egrotasset et conualuisset. [2] Letatus est autem super eos ezechias: et ostendit eis cellam aromatum et argenti et auri et odoramentorum et vngenti optimi et omnes apothecas suppellectilis sue et vniuersa que inuenta sunt in thesauris eius. Non fuit verbum quod non ostenderet eis ezechias in domo sua: et in omni potestate sua. [3] Introiuit autem ysaias propheta ad ezechiam regem et dixit ei. Quid dixerunt viri isti: et vnde venerunt ad te? Et dixit ezechias. De terra longinqua venerunt ad me: de babilone. [4] Et dixit. Quid viderunt in domo tua? Et dixit ezechias. Omnia que in domo mea sunt viderunt. Non fuit res quam non ostenderim eis in thesauris meis. [5] Et dixit ysaias ad ezechiam. Audi verbum domini exercituum. [6] Ecce dies venient: et auferentur· omnia que in domo tua sunt et que thezaurizauerunt patres tui vsque ad diem hanc in babilonem. Non relinquetur quicquid dicit dominus. [7] Et de filijs tuis qui exibunt de te quos genueris tollent: et erunt eunuchi in palatio regis babilonis. [8] Et dixit ezechias ad ysaiam. Bonum verbum domini quod locutus est. Et dixit. Fiat tantum pax et veritas in diebus meis.

40 Cxl. Consolamini consolamini consolamini populo meus: dicit deus vester. [2] Loquimini ad cor iherusalem et aduocate eam: quoniam completa est malicia eius: dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu domini duplicia pro omnibus peccatis suis. [3] Vox clamantis in deserto. Parate viam domini: rectas facite in solitudine semitas dei nostri. [4] Omnis vallis exaltabitur et omnis mons et collis humiliabitur: et erunt praua in directa: et aspe. ra in vias planas. [5] Et reuelabitur gloria domini: et videbit omnis caro pariter quod os domini locutum est. [6] Vox dicentis. Clama. Et dixi. Quid clamabo? Omnis caro fenum: et omnis gloria eius quasi flos agri. [7] Exsiccatum est fenum et cecidit flos: quia spiritus domini sufflauit in eo. Vere fenum est populus.

8 Exiccatum est fenum et cecidit flos: verbum autem domini stabit in eternum. 9 Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas syon: exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas iherusalem. Exalta: noli timere. Dic ciuitatibus iude: ecce deus vester. 10 Ecce dominus deus in fortitudine veniet: et brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo: et opus illius coram illo. 11 Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos· et in sinu suo leuabit: fetas ipse portabit. 12 Quis mensus est pugillo aquas: et celos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terre: et librauit in pondere montes et colles in statera? 13 Quis adiuuit spiritum domini: aut quis consiliarius eius fuit et ostendit illi? 14 Cum quo inijt consilium et instruxit eum· et docuit eum semitam iusticie· et erudiuit eum scientia: et viam prudentie ostendit illi? 15 Ecce gentes quasi stilla simule: et quasi momentum statere reputate sunt. Ecce insule quasi puluis exiguus: 16 et libanus non sufficiet ad succendendum: et animalia eius non sufficient ad olocaustum. 17 Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo: et quasi nichilum et inane reputate sunt ei. 18 Cui igitur similem fecistis deum: aut quam ymaginem ponetis eius? 19 Nunquid sculptile conflauit faber: aut aurifex auro figurauit illud· et lammis argenteis argentarius? 20 Forte lignum et imputribile elegit artifex sapiens: querit quomodo statuat simulacrum quod non moueatur. 21 Nun non scietis? Nunquid non audistis? Nunquid non annunciatum est vobis ab inicio? Nunquid non intellexistis fundamenta terre? 22 Qui sedet super girum terre: et habitatores eius sunt quasi locuste. Qui extendit velut nichilum celos: et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. 23 Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint: iudices terre velut inane fecit. 24 Et quidem neque plantatus neque satus neque radicatus in terra truncus eorum. Repente flauit in eos et aruerunt: et turba quasi stipulam auferet eos. 25 Et cui assimilastis me· et adequastis dicit sanctus? 26 leuate in excelsum oculos vestros· et videte quis creauit hec. Qui educit in numero militiam eorum: et omnes ex nomine vocat. Pre multitudine fortitudinis et roboris virtutisque eius: neque vnum reliquum fuit. 27 Quare dicis iacob et loqueris israhel· abscondita est via mea a domino: et a deo meo iudicium meum transiuit? 28 Nunquid nescis: aut non audisti? Deus sempiternus dominus: qui creauit terminos terre: et non deficiet neque laborabit: nec est inuestigatio sapientie eius. 29 Qui dat lasso virtutem: et hijs qui non sunt: fortitudinem et robur multiplicat. 30 Deficient pueri et laborabunt: et iuuenes in infirmitate cadent. 31 Qui autem sperant in domino mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquile· current et non laborabunt: ambulabunt et non deficient.

41 Faceant ad me insule: et gentes mutent fortitudinem. Accedant et tunc loquantur: simul ad iudicium propinquemus. 2 Quis suscitauit ab oriente iustum: vocauit eum vt sequeretur se? Dabit in conspectu eius gentes: et reges obtinebit. Dabit quasi puluerem gladio eius: sicut stipulam vento raptam arcui eius. 3 Persequetur eos: transibit in pace: semita in pedibus eius non apparebit. 4 Quis hec operatus est et fecit: vocans generationes ab exordio? Ego dominus: primus et nouissimus ego sum. 5 Viderunt insule et timuerunt: extrema terre obstupuerunt appropinquauerunt: et accesserunt. 6 Vnusquisque proximo suo auxiliatur: et fratri suo dicet confortare. 7 Confortabit faber erarius percutiens malleo eum qui cudebat tunc temporis dicens: glutino bonum est: et confortabit eum clauis vt non moueatur. 8 Et tu israhel serue meus: iacob quem elegi: semen abraham amici mei· 9 in quo apprehendi te. Ab extremis terre et a longinquis eius vocaui te: et dixi tibi. Seruus meus es tu: elegi te et non abieci te. 10 Ne timeas quia tecum ego sum: ne declines: quia ego deus tuus. Confortaui te et auxiliatus sum tibi: et suscepit te dextera iusti mei. 11 Ecce confundentur et erubescent omnes qui pugnant aduersum te. Erunt quasi non sint: et peribunt viri qui contradicunt tibi. 12 Queres eos et non inuenies viros rebelles tuos: et erunt quasi non sint et veluti consumptio hominis bellantis aduersum te: 13 quia ego dominus deus tuus apprehendens manum tuam dicensque tibi. Ne timeas: ego adiuui te. 14 Noli timere vermis iacob: qui mortui estis ex israhel. Ego auxiliarus sum tui dicit dominus: et redemptor tuus sanctus israhel. 15 Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum: habens rostra serrantia. Et triturabis montes et conminues: et colles quasi puluerem pones. 16 Ventilabis eos et ventus tollet et turbo disperget eos: et tu exultabis in domino: in sancto israhel letaberis. 17 Egeni et pauperes querunt aquas et non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego dominus exaudiam eos· deus israhel: non derelinquam eos. 18 Aperiam in supinis collibus flumina: et in medio camporum fontes. Ponam desertum in stagna aquarum: et terram in viam in riuos aquarum. 19 Dabo in solitudinem cedrum: et spinam et mirtum et lignum oliue. Ponam in deserto abietem vlmum et buxum simul 20 vt videant et sciant et recogitent et intelligant pariter: quia manus domini fecit hoc: et sanctus israhel creauit illud. 21 Prope facite iudicium vestrum dicit dominus: afferte si quid forte habetis dixit rex iacob. 22 Accedant: et nuncient nobis quecunque ventura sunt. Priora que fuerunt nunciate: et ponemus cor nostrum et sciemus: nouissima eorum et que ventura sunt indicate nobis. 23 Annunciate que ventura sunt in futurum: et sciemus quia dij vos estis. Bene quoque aut male si potestis facite: et loquamur et videamus simul. 24 Ecce vos estis ex nichilo: et opus vestrum ex eo quod non est. Abominatio est qui elegit vos. 25 Suscitaui ab aquilone: et veniet ab ortu solis. Vocauit nomen meum: et adducet magistratus quasi lutum: et velut plastes conculcans humum. 26 Quis annunciauit ab exordio vt sciamus: et a principio vt dicamus iustus es? Non est neque annuncians neque predicans: neque audiens sermones vestros. 27 Primus ad syon dicet ecce assum: et iherusalem euangelistam dabo. 28 Et vidi: et non erat neque ex istis quisquam qui iniret consilium et interrogatus responderet verbum. 29 Ecce omnes iniusti: et vana opera eorum: ventus et inane simulacra eorum.

42 Ecce seruus meus suscipiam eum: electus meus: complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum: iudicium gentibus proferet. 2 Non clamabit neque accipiet personam: nec audietur rex eius foris. 3 Calamum quassatum non conteret: et linum fumigans non extinguet. In veritate educet iudicium: 4 non erit tristis neque turbulentus donec ponat in terra iudicium: et legem eius insule expectabunt. 5 Hec dicit dominus deus creans celos et extendens eos: firmans terram et que germinant ex ea: dans flatum populo qui est super terram· et spiritum calcantibus eam. 6 Ego dominus vocaui te in iusticia: et apprehendi manum tuam: et seruaui te. Et dedi te in fedus populi· in lucem gentium: 7 vt aperires oculos cecorum et educeres de conclusione vinctum: de domo carceris sedentes in tenebris. 8 Ego dominus: hoc est nomen meum. Gloriam meam alteri non dabo: et laudem meam sculptilibus. 9 Que prima fuerunt ecce venerunt: noua quoque ego annuncio: antequam oriantur audita vobis faciam. 10 Cantate domino canticum nouum: laus eius ab extremis terre. Qui descenditis in mare et plenitudo eius insule et habitatores earum. 11 Subleuetur desertum et ciuitates eius: in domibus habitabit cedar. Laudate habitatores petre: de vertice montium clamabunt. 12 Ponent domino gloriam: et laudem eius in insulis nunciabunt. 13 Dominus sicut fortis egredietur: sicut vir preliator suscitabit zelum. Vociferabitur et clamabit: super inimicos suos confortabitur. 14 Tacui· semper silui: patiens fui: sicut parturiens loquar. Dissipabo et absorbebo simul: 15 desertos faciam montes et colles: et omne gramen eorum exsiccabo. Ponam flumina in insulas: et stagna arefaciam. 16 Et educam cecos in viam quam nesciunt: et in semitis quas ignorauerunt ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem: et praua in recta. Hec verba feci eis: et non dereliqui eos. 17 Conuersi sunt retrorsum. Confundantur confusione qui confidunt in sculptili: qui dicunt conflatili vos dij nostri. 18 Surdi audite: et ceci intuemini ad videndum. 19 Quis cecus nisi seruus meus: et surdus nisi ad quem nuncios meos misi? Quis cecus: nisi qui venundatus est? Et quis cecus? Nisi seruus domini? 20 Qui vides multa: nonne custodies? Qui apertas habes aures: nonne audies? 21 Et dominus voluit vt sanctificaret eum et magnificaret legem et extolleret: 22 ipse autem populus direptus et vastatus. Laqueus iuuenum omnes simul: et in domibus carcerum absconditi sunt. Facti sunt in rapinam nec est qui eruat: in direptionem: nec est qui dicat redde. 23 Quis est in vobis qui audiat hoc attendat et auscultet futura? 24 Quis dedit in direptionem iacob· et israhel vastantibus? Nonne dominus ipse cui peccauimus? Et noluerunt in vijs eius ambulare: non audierunt legem eius.

25 Et effudit super eum indignationem furoris sui et forte bellum: et combussit eum in circuitu et non cognouit: et succendit eum et non intellexit.

43 Et nunc hec dicit dominus creans te iacob: et formans te israhel. Noli timere quia redemi te: et vocaui te nomine tuo. Meus es tu. 2 Cum transieris per aquas tecum ero: et flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne non combureris: et flamma non ardebit in te: 3 quia ego dominus deus tuus sanctus israhel saluator tuus. Dedi propiciationem tuam egiptum: et ethiopiam et saba pro te. 4 Exquo honorabilis factus es in oculis meis et gloriosus: ego dilexi te. Et dabo homines pro te: et populos pro anima tua. 5 Noli timere: quia ego tecum sum. Ab oriente adducam semen tuum: et ab occidente congregabo te. 6 Dicam aquiloni da: et austro noli prohibere. Affer filios meos de longinquo: et filias meas ab extremis terre. 7 Et omnem qui inuocat nomen meum· in gloriam meam creaui eum formaui eum et feci eum. 8 Educ foras populum cecum et oculos habentem: surdum· et aures ei sunt. 9 Omnes gentes congregate sunt simul: et collecte sunt tribus. Quis in vobis annunciet istud: et que prima sunt audire nos faciet? Dent testes eorum et iustificentur: et audiant et dicant. Vere 10 vos testes mei dicit dominus: et seruus meus quem elegi: vt sciatis et credatis michi· et intelligatis quia ego ipse sum. Ante me non est formatus deus: et post me non erit. 11 Ego sum ego sum dominus: et non est absque me saluator. 12 Ego annunciaui et saluaui: auditum feci: et non fuit in vobis alienus. Vos testes mei dicit dominus: et ego deus. 13 Et ab inicio ego ipse: et non est qui de manu mea eruat. Operabor: et quis auertet illud? 14 Hec dicit dominus redemptor vester sanctus israhel. Propter vos emisi in babilonem: et detraxi vectes vniuersos: et chaldeos in nauibus suis gloriantes. 15 Ego dominus sanctus vester: creans israhel: rex vester. 16 Hec dicit dominus qui dedit in mari viam: et in aquis torrentibus semitam. 17 Qui eduxit quadrigam et equum: agmen et robustum. Simul obdormierunt nec resurgent: contriti sunt quasi linum: et extincti sunt. 18 Ne memineritis priorum: et antiqua ne intueamini. 19 Ecce ego facio noua· et nunc orientur: vtique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam: et in inuio flumina. 20 Et glorificabit me bestia agri: dracones et strutiones: quia dedi in deserto aquas· flumina in inuio: vt darem potum populo meo electo meo. 21 Populum istum formaui michi: laudem meam narrabit. 22 Non me inuocasti iacob: nec laborasti in me israhel. 23 Non obtulisti michi arietem olocausti tui: et victimis tuis non glorificasti me. Non te seruire feci in oblatione: nec laborem tibi prebui in thure. 24 Non emisti michi argento calamum: et adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis: prebuisti michi laborem in iniquitatibus tuis. 25 Ego sum· ego sum ipse· qui deleo iniquitates tuas propter me: et peccatorum tuorum non recordabor. 26 Reduc me in memoriam et iudicemur simul: narra si quid habes vt iustificeris. 27 Pater tuus primus peccauit: et interpretes tui preuaricati sunt in me. 28 Et contaminaui principes sanctos: dedi ad internicionem iacob: et israhel in blasphemiam.

44 Et nunc audi iacob serue meus: et israhel quem elegi. 2 Hec dicit dominus faciens et formans te: ab vtero auxiliator tuus. Noli timere serue meus iacob: et rectissime quem elegi. 3 Effundam enim aquas super sitientem: et fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum: et benedictionem meam super stirpem tuam: 4 et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta preterfluentes aquas. 5 Iste dicet domini ego sum: et ille vocabit in nomine iacob. Et hic scribet manu sua domino: et in nomine israhel assimilabitur. 6 Hec dicit dominus rex israhel et redemptor eius: dominus exercituum. Ego primus et ego nouissimus: et absque me non est deus. 7 Quis similis mei? Vocet et annunciet: et ordinem exponat michi. Exquo constitui michi populum antiquum: ventura et que futura sunt annuncient eis. 8 Nolite timere: neque conturbemini. Ex tunc audire te feci: et annunciaui. Vos estis testes mei. Nunquid est deus absque me· et formator quem ego non nouerim? 9 Plaste ydoli omnes nichil sunt: et amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum· quia non vident neque intelligunt: vt confundantur. 10 Quis formauit deum: et sculptile conflauit ad nichil vtile? 11 Ecce omnes participes eius confundentur. Fabri enim sunt ex hominibus. Conuenient omnes: stabunt et pauebunt: et confundentur simul. 12 Faber ferrarius lima operatus est: in prunis et in malleis formauit illud: et operatus est in brachio fortitudinis sue. Esuriet et deficiet: non bibet aquam et lassescet. 13 Artifex lignarius extendit normam: formauit illud in runcina. Fecit illud in angularibus: et in circino tornauit illud: et fecit ymaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo. 14 Succidit cedros: tulit ilicem et quercum que steterat inter ligna saltus. Plantauit pinum quam pluuia nutriuit: 15 et facta est hominibus in focum. Sumpsit ex eis et calefactus est: et succendit et coxit panes: de reliquo autem operatus est deum et adorauit: fecit sculptile· et curuatus est ante illud. 16 Medium eius combussit igni: de medio eius carnes coxit. Comedit pulmentum et saturatus est: et calefactus est et dixit. Vah calefactus sum: vidi focum. 17 Reliquum autem eius· deum fecit et sculptile sibi. Curuatur ante illud: et adorat illud et obsecrat dicens. Libera me: quia deus meus es tu. 18 Nescierunt neque intellexerunt. Obliti enim sunt ne videant oculi eorum: et ne intelligant corde suo. 19 Non recogitant in mente sua: neque cognoscunt neque sentiunt vt dicant. Medietatem eius combussi igni: et coxi super carbones eius panes. Coxi carnes et comedi: et de reliquo eius ydolum faciam? Ante truncum ligni procidam? 20 Pars eius cinis est. Cor insipiens adorauit illud: et non liberauit animam suam: neque dicit forte mendacium est in dextera mea. 21 Memento horum iacob et israhel: quoniam seruus meus es tu. Formaui te: seruus meus es tu. Israhel non obliuiscaris mei. 22 Deleui vt nubem iniquitates tuas: et quasi nebulam peccata tua. Reuertere ad me: quoniam redemi te. 23 Laudate celi quoniam misericordiam fecit dominus: iubilate extrema terre. Resonate montes laudationem: saltus et omne lignum eius. Quoniam redemit dominus iacob: et israhel gloriabitur. 24 Hec dicit dominus redemptor tuus: et formator tuus ex vtero. Ego dominus faciens omnia: extendens celos solus. Stabiliens terram et nullus mecum: 25 irrita faciens signa diuinorum: et ariolos in furorem vertens. Conuertens sapientes retrorsum: et scientiam eorum stultam faciens. 26 Suscitans verbum serui sui: et consilium nunciorum suorum complens. Qui dico iherusalem habitaberis: et ciuitatibus iuda· edificabimini: et deserta eius suscitabo. 27 Qui dico profundo desolare: et flumina tua arefaciam. 28 Qui dico cyro pastor meus es: et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico iherusalem edificaberis: et templo fundaberis.

45 dicit dominus cristo meo cyro cuius apprehendi dexteram vt subiciam ante faciem eius gentes: et dorsa regum vertam. Et aperiam coram eo ianuas: et porte non claudentur. 2 Ego ante te ibo: et gloriosos terre humiliabo. Portas ereas conteram: et vectes ferreos confringam. 3 Et dabo tibi thesauros absconditos et archana secretorum: vt scias quia ego dominus· qui voco nomen tuum deus israhel: 4 propter seruum meum iacob et israhel electum meum. Et vocaui te nomine tuo: assimilaui te: et non cognouisti me. 5 Ego dominus: et non est amplius. Extra me non est deus. Accinxi te et non cognouisti me: 6 vt sciant hij qui ab ortu solis· et qui ab occidente quoniam absque me non est deus. Ego dominus et non est alter: 7 formans lucem et creans tenebras: faciens pacem et creans malum. Ego doninus faciens omnia hec. 8 Rorate celi desuper et nubes pluant iustum: aperiatur terra et germinet saluatorem: et iusticia oriatur simul· ego dominus creaui eum. 9 Ve qui contradicit fictori suo: testa de samijs terre. Nunquid dicet lutum figulo suo· quid facis: et opus tuum absque manibus est? 10 Ve qui dicit patri quid generans: et mulieri quid parturis. 11 Hec dicit dominus sanctus israhel: plastes eius. Ventura interrogate me: super filios meos et super opus manuum mearum mandate michi. 12 Ego feci terram: et hominem super eam creaui. Ego et manus mee tetenderunt celos: et omni militie eorum mandaui. 13 Ego suscitaui eum ad iusticiam: et omnes vias eius dirigam. Ipse edificabit ciuitatem meam: et captiuitatem meam dimittet non in precio neque in muneribus: dicit dominus deus exercituum. 14 Hec dicit dominus. Labor egipti et negociatio ethiopie et sabaim viri sublimes ad te transibunt et tui erunt: et post te ambulabunt. Vincti manicis pergent: et te adorabunt teque deprecabuntur. Tantum in te est deus: et non est deus absque te. 15 Vere tu es

deus absconditus: deus israhel saluator. [16] Confusi sunt et erubuerunt omnes simul: abierunt in confusione fabricatores errorum. [17] Israhel saluatus est in domino salute eterna. Non confundemini et non erubescetis vsque in seculum seculi: [18] quia hec dicit dominus creans celos. Ipse deus formans terram et faciens eam: ipse plastes eius. Non in vanum creauit eam: vt habitaretur formauit eam. Ego dominus: et non est alius. [19] Non in abscondito locutus sum: in loco terre tenebroso. Non dixi semini iacob frustra: querite me. Ego dominus loquens iusticiam: annuncians recta. [20] Congregamini et venite: et accedite simul qui saluati estis ex gentibus. Nescierunt qui leuant signum sculpture sue: et rogant dominum non saluantem. [21] Annunciate et venite: et consiliamini simul. Quis auditum fecit hoc? Ab inicio ex tunc perdixi illud. Nunquid non ego dominus: et non est vltra deus absque me? Deus iustus et saluans non est preter me. [22] Conuertimini ad me et salui eritis omnes fines terre: quia ego deus et non est alius. [23] In memetipso iuraui· egredietur de ore meo iusticie verbum· et non reuertetur: quia michi curuabunt omnia genu: et iurabit omnis lingua. [24] Ergo in domino dicet. Mee sunt iusticie et imperium. Ad eum venient: et confundentur omnes qui repugnant ei. [25] In domino iustificabitur et laudabitur omne semen israhel.

46 Conflatus est bel contritus est nabo: facta sunt simulacra eorum bestijs et iumentis. Onera nostra graui pondere vsque ad lassitudinem [2] contabuerunt: et contrita sunt simul. Non potuerunt saluare portantem: et anima eorum in captiuitatem ibit. [3] Audite me domus iacob: et omne residuum domus israhel. Qui portamini a meo vtero: qui gestamini a mea vulua. [4] Vsque ad senectam ipse: et vsque ad canos ego portabo. Ego feci et ego feram: et ego portabo et saluabo. [5] Cui assimilastis me et adequastis: et comparastis me et fecistis similem? [6] Qui confertis aurum de sacculo: et argentum statera ponderatis. Conducentes artificem vt faciat deum: et procidunt et adorant. [7] Portant illum in humeris gestantes: et ponentes in loco suo. Et stabit: ac de loco suo non mouebitur. Sed et cum clamauerint ad eum non audiet: de tribulatione non saluabit eos. [8] Mementote istud et confundamini: redite preuaricatores ad cor. [9] Recordamini prioris seculi quoniam ego sum deus et non est vltra deus: nec est similis mei [10] annuncians ab exordio nouissimum: et ab inicio que necdum facta sunt. Dicens. consilium meum stabit: et omnis voluntas mea fiet. [11] Vocans ab oriente iustum: et de terra longinqua virum voluntatis mee. Et locutus sum et adducam illud: creaui et faciam illud. [12] Audite me duro corde: qui longe estis a iusticia. [13] Prope feci iusticiam meam: non elongabitur: et salus mea non morabitur. Dabo in syon salutem: et israheli gloriam meam.

47 Descende: sede in puluere virgo filia babylon: sede in terra. Non est solium filie caldeorum: quia vltra non vocaberis mollis et tenera. [2] Tolle molam et mole farinam: denuda turpitudinem tuam. Discooperi humerum: reuela crura: transi flumina. [3] Reuelabitur ignominia tua: et videbitur obprobrium tuum. Vltionem capiam: et non resistet michi homo. [4] Redemptor noster dominus exercituum: nomen illius sanctus israhel. [5] Sede tacens et intra in tenebras filia chaldeorum: quia non vocaberis vltra domina regnorum. [6] Iratus sum super populum meum: contaminaui hereditatem meam. Et dedi eos in manu tua: non posuisti eis misericordias. Super senem aggrauasti iugum tuum valde: [7] et dixisti. In sempiternum ero domina. Non posuisti hec super cor tuum: neque recordata es nouissimi tui. [8] Et nunc audi hec delicata· et habitans confidenter: que dicis in corde tuo ego sum: et non est preter me amplius. Non sedebo vidua: et ignorabo sterilitatem. [9] Venient tibi duo hec subito in die vna: sterilitas et viduitas. Vniuersa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum: et propter duriciam incantatorum tuorum vehementem. [10] Et fiduciam habuisti in malicia tua: et dixisti. Non est qui videat me. Sapientia tua et scientia tua hec decepit te. Et dixisti in corde tuo. Ego sum: et preter me non est altera. [11] Veniet super te malum· et nescies ortum eius: et irruet super te calamitas quam non poteris expiare. Veniet super te repente miseria quam nescies. [12] Sta cum incantatoribus tuis et cum multitudine maleficiorum tuorum in quibus laborasti ab adolescentia tua: si forte quid prosit tibi: aut si possis fieri fortior. [13] Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. Stent et saluent te augures celi qui contemplabantur sydera et supputabant menses: vt ex eis annunciarent ventura tibi. [14] Ecce facti sunt quasi stipula: ignis combussit eos. Non liberabunt animam suam de manu flamme: non sunt prune quibus calefiant: nec focus vt sedeant ad eum. [15] Sic facta sunt tibi: in quibuscunque laboraueras. Negociatores tui ab adolescentia tua: vnusquisque in via sua errauerunt: non est qui saluet te.

48 Audite Audite hec domus iacob qui vocamini ramini nomine israhel et de aquis iuda existis: qui iuratis in nomine domini· et dei israhel recordamini: non in veritate neque in iusticia. [2] De ciuitate enim sancta vocati sunt: et super deum israhel constabiliti sunt. Dominus exercituum nomen eius. [3] Priora ex tunc annunciaui et ex ore meo exierunt: et audita feci ea: repente operatus sum et venerunt. [4] Sciui enim quia durus es tu: et neruus tuus ferreus: ceruix tua et frons tua erea. [5] Predixi tibi ex tunc: antequam venirent indicaui tibi: ne forte diceres ydola mea fecerunt hec: et sculptilia mea et conflatilia mea mandauerunt ista. [6] Que audisti vide omnia. Vos autem non annunciastis. Audita feci tibi noua ex tunc: et conseruata que nescis. [7] Modo creata sunt et non ex tunc: et ante diem: et non audisti ea: ne forte dicas ecce cognoui ea. [8] Neque audisti neque cognouisti: neque ex tunc aperta est auris tua. Scio enim quia preuaricans preuaricaberis: et transgressorem ex vtero vocaui te. [9] Propter nomen meum longe faciam furorem meum: et laude mea infrenabo te ne intereas. [10] Ecce excoxi te sed non quasi argentum: elegi te in camino paupertatis. [11] Propter me propter me faciam· vt non blasphemer: et gloriam meam alteri non dabo. [12] Audi me iacob: et israhel quem ego voco. Egoipse: ego primus et ego nouissimus. [13] Manus quoque mea fundauit terram: et dextera mea mensa est celos. Ego vocabo eos: et stabunt simul. [14] Congregamini omnes vos et audite. Quis de eis annunciauit hec? Dominus dilexit eum: faciet voluntatem suam in babilone: et brachium suum in chaldeis. [15] Ego ego locutus sum et vocaui eum: adduxi eum: et directa est via eius. [16] Accedite ad me: et audite hoc. Non a principio in abscondito locutus sum. Ex tempore antequam fierent ibi eram: et nunc dominus deus misit me et spiritus eius. [17] Hec dicit dominus deus redemptor tuus sanctus israhel. Ego dominus deus tuus docens te vtilia: gubernans te in via qua ambulas. [18] Vtinam attendisses mandata mea. Facta fuisset sicut flumen pax tua: et iusticia tua sicut gurgites maris. [19] Et fuisset quasi harena semen tuum: et stirps vteri tui vt lapilli eius. Non interisset et non fuisset attritum nomen eius a facie mea. [20] Egredimini de babilone: fugite a chaldeis. In voce exultationis annunciate: auditum facite hoc: et ferte illud vsque ad extrema terre. Dicite. Redemit dominus seruum suum iacob. [21] Non sitierunt in deserto cum educeret eos. Aquam de petra produxit eis: et scidit petram et fluxerunt aque. [22] Non est pax impijs dicit dominus.

49 Audite insule: et attendite populi de longe. Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris mee recordatus est nominis mei. [2] Et posuit os meum quasi gladium acutum: in vmbra manus sue protexit me: et posuit me sicut sagittam electam. In pharetra sua abscondit me: [3] et dixit michi. Seruus meus es tu israhel: quia in te glorificabor. [4] Et ego dixi. In vacuum laboraui: sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. Ergo iudicium meum cum domino: et opus meum cum deo meo. [5] Hec dicit dominus formans me ex vtero seruum sibi: vt reducam iacob ad eum: et israhel ad eum congregabitur. Et glorificatus sum in oculis domini: et deus meus factus est fortitudo mea. [6] Et dixit. Parum est vt sis michi seruus ad suscitandas tribus iacob: et feces israhel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium: vt sis salus mea vsque ad extremum terre. [7] Hec dicit dominus· redemptor israhel· sanctus eius: ad contemptibilem animam ad abominatam gentem ad seruum dominorum. Reges videbunt et consurgent principes: et adorabunt propter dominum quia fidelis est: et sanctum israhel qui elegit te. [8] Hec dicit dominus. In tempore placito exaudiui te: et in die salutis auxiliatus sum tui. Et seruaui te et dedi te in fedus populi· vt suscitares terram et possideres hereditates dissipatas: [9] vt

diceres hijs qui vincti sunt exite: et hijs qui in tenebris reuelamini. Super vias pascentur: et in omnibus planis pascua eorum. 10 Non esurient neque sitient: et non percutiet eos estus et sol: quia miserator eorum reget eos· et ad fontes aquarum potabit eos. 11 Et ponam omnes montes meos in viam: et semite mee exaltabuntur. 12 Ecce isti delonge venient: et ecce illi ab aquilone et mari: et isti de terra australi. 13 Laudate celi et exultet terra: montes laudem: quia consolatus est dominus populum suum· et pauperum suorum miserebitur. 14 Et dixit syon. Dereliquit me dominus: et dominus oblitus est mei. 15 Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum: vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit: ego tamen non obliuiscar tui. 16 Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper. 17 Venerunt structores tui: destruentes te et dissipantes· a te exibunt. 18 Leua in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt: venerunt tibi. Viuo ego dicit dominus: quia omnibus hijs velut ornamento vestieris: et circumdabis tibi eos quasi sponsa. 19 Quia deserta tua et solitudines tue et terra ruine tue nunc anguste erunt pre habitatoribus: et longe fugabuntur qui absorbebant te. 20 Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tue. Angustus est michi locus: fac spacium michi vt habitem. 21 Et dices in corde tuo. o. Quis michi genuit istos? Ego sterilis et non pariens transmigrata et captiua: et istos quis enutriuit? Ego destituta et desolata: et isti vbi hic erant? 22 Hec dicit dominus deus. Ecce leuabo ad gentes manum meam: et ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in vlnis: et filias tuas super humeros portabunt. 23 Et erunt reges nutricij tui: et regine nutrices tue. Vultu in terra dimisso adorabunt te: et puluerem pedum tuorum lingent. Et scies quia ego dominus: super quo non confundentur qui expectant eum. 24 Nunquid tolletur a forti preda: aut quod captum fuerit a robusto saluum esse poterit? 25 Quia hec dicit dominus. Equidem et captiuitas a forti tolletur: et quod ablatum fuerit a robusto saluabitur. Eos vero qui iudicauerunt te ego iudicabo: et filios tuos ego saluabo. 26 Et cibabo hostes tuos carnibus suis: et quasi musto sanguine suo inebriabuntur. Et sciet omnis caro quia ego dominus saluans te: et redemptor tuus fortis iacob.

50 Hec dicit dominus. Quis est hic liber repudij matris vestre: quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus: cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: 2 quia veni et non erat vir: vocaui et non erat qui audiret. Numquid abbreuiata et paruula facta est manus mea vt non possim redimere: aut non est in me virtus ad liberandum? dum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare: ponam flumina in siccum. Computrescent pisces sine aqua: et morientur in siti. 3 Induam celos tenebris: et saccum ponam operimentum eorum. 4 Dominus dedit michi linguam eruditam: vt sciam sustentare eum qui lassus est verbo. Erigit mane· mane erigit michi aurem: vt audiam quasi magistrum. 5 Dominus deus aperuit michi aurem: ego autem non contradico: retrorsum non abij. 6 Corpus meum dedi percucientibus et genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus et conspuentibus 7 dominus deus auxiliator meus: ideo non sum confusus. Ideo posui faciem meam vt petram durissimam: et scio quoniam non confundar. 8 Iuxta est qui iustificat me. Quis contradicit michi? Stemus simul. Quis est aduersarius meus? Accedat ad me. 9 Ecce dominus deus auxiliator meus. Quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur: tynea comedet eos. 10 Quis ex vobis timens dominum audiens vocem serui sui? Quis ambulauit in tenebris: et non est lumen ei? Speret in nomine domini: et innitatur super deum suum. 11 Ecce vos omnes accedentes ignem: accincti flammis. Ambulate in lumine ignis vestri: et in flammis quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis. In doloribus dormietis.

51 Audite me qui sequimini quod iustum est: et queritis dominum. Attendite ad petram vnde excisi estis: et ad cauernam laci de qua precisi estis. 2 Attendite ad abraham patrem vestrum et ad saram que peperit vos. Quia vnum vocaui eum: et benedixi ei: et multiplicaui eum. 3 Consolabitur ergo dominus syon: et consolabitur omnes ruinas eius. Et ponet desertum eius quasi delicias: et solitudinem eius quasi ortum domini. Gaudium et leticia inuenietur in ea: gratiarum actio et vox laudis. 4 Attendite ad me populus meus: et tribus mea me audite. Quia lex a me exiet: et iudicium meum in lucem populorum requiescet. 5 Prope est iustus meus: egressus est saluator meus: et brachia mea populos iudicabunt. Me insule expectabunt: et brachium meum sustinebunt 6 leuate in celum oculos vestros: et videte sub terra deorsum. Quia celi sicut fumus liquescent: et terra sicut vestimentum atteretur: et habitatores eius sicut hec interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit: et iusticia mea non deficiet. 7 Audite me qui scitis iustum: populus meus lex mea corde eorum. Nolite timere hominum: et blasphemias eorum ne metuatis. 8 Sicut enim vestimentum sic comedet eos vermis: et sicut lanam sic deuorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit: et iusticia mea in generationes generationum. 9 Consurge consurge: induere fortitudinem domini. brachium domini. Consurge sicut in diebus antiquis: in generationibus seculorum. non tu percussisti superbum: vulnerasti draconem? 10 Nunquid non tu siccasti mare: aquam abyssi vehementis? Qui posuisti profundum maris viam: vt transirent liberati. 11 Et nunc qui redempti sunt a domino reuertentur: et venient in syon laudantes: et leticia sempiterna super capita eorum. Gaudium et leticiam tenebunt: fugiet dolor et gemitus. 12 Ego egoipse consolabor vos. Quis tu vt timeres ab homine mortali et a filio hominis: qui quasi fenum ita arescit? 13 Et oblitus es domini factoris tui qui tetendit celos et fundauit terram: et formidasti iugiter tota die a facie furoris eius qui te tribulabat: et parauerat ad perdendum. Vbi nunc est furor tribulantis? 14 Cito veniet gradiens ad aperiendum: et non interficiet vsque ad internicionem: nec deficiet panis eius. 15 Ego enim sum dominus deus tuus qui conturbo mare et intumescunt fluctus eius: dominus exercituum nomen meum. 16 Posui verba mea in ore tuo: et in vmbra manus mee protexi te: vt plantes celos et fundes terram: et dicas ad syon: populus meus es tu. 17 Eleuare eleuare: consurge iherusalem: que bibisti de manu domini calicem ire eius. Vsque ad fundum calicis soporis bibisti: et potasti vsque ad feces. 18 Non est qui sustentet eam ex omnibus filijs quos genuit: et non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filijs quos enutriuit. 19 Duo sunt que occurrerunt tibi. Quis contristabitur super te? Vastitas et contricio et fames et gladius: quis consolabitur te? 20 Filij tui proiecti sunt: dormierunt in capite omnium viarum sicut bestia illaqueata: pleni indignatione domini· increpatione dei tui. 21 Idcirco audi hoc paupercula· et ebria non a vino. 22 Hec dicit dominator tuus dominus: et deus tuus qui pugnauit pro populo suo. Ecce tuli de manu tua calicem soporis: fundum calicis indignationis mee. Non adicies vt bibas illum vltra. 23 Et ponam illum in manu eorum qui te humiliauerunt et dixerunt anime tue incuruare vt transeamus: et posuisti vt terram corpus tuum: et quasi viam transeuntibus.

52 Consurge consurge: induere fortitudine tua syon. Induere vestimentis glorie tue iherusalem ciuitas sancti quia non adiciet vltra vt pertranseat per te incircumcisus et immundus. 2 Excutere de puluere: consurge sede iherusalem. Solue vincula colli tui captiua filia syon: 3 quia hec dicit dominus. Gratis venundati estis: et sine argento redimimini. 4 Quia hec dicit dominus deus. In egiptum descendit populus meus in principio vt colonus esset ibi: et assur absque vlla causa calumniatus est eum. 5 Et nunc quid michi est hic dicit dominus? Quoniam ablatus est populus meus gratis. Dominatores eius inique agunt dicit dominus: et iugiter tota die nomen meum blasphematur. 6 Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia egoipse qui loquebar ecce assum. 7 Quam pulcri super montes pedes annunciantis et predicantis pacem: annunciantis bonum predicantis salutem: dicentis syon. Regnabit deus tuus. 8 Vox speculatorum tuorum. Leuauerunt vocem: simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt· cum conuerterit dominus syon. 9 Gaudete et laudate simul deserta iherusalem: quia consolatus est dominus populum suum: redemit iherusalem. 10 Parauit dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: et videbunt omnes fines terre salutare dei nostri. 11 Recedite recedite: exite inde: pollutum nolite tangere. Exite de medio eius: mundamini qui fertis vasa domini. 12 Quoniam

non in tumultu exibitis: nec in fuga properabitis. Precedet enim vos dominus: et congregabit vos deus israhel. 13 Ecce intelliget seruus meus: exaltabitur et eleuabitur: et sublimis erit valde. 14 Sicut obstupuerunt super te multi: sic inglorius erit inter viros aspectus eius et forma eius inter filios hominum. 15 Iste asperget gentes multas: super ipsum continebunt reges os suum. Quia quibus non est narratum de eo videbunt: et qui non audierunt contemplati sunt.

53 Quis credidit auditui nostro: et brachium domini cui reuelatum est? 2 Et ascendit sicut virgultum coram eo: et sicut radix de terra sicienti. Non est species ei neque decor. Et vidimus eum et non erat aspectus: et desiderauimus eum 3 despectum et nouissimum virorum: virum dolorum et scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus eius et despectus: vnde nec reputauimus eum. 4 Vere languores nostros ipse tulit: et dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eum quasi leprosum: et percussum a deo et humiliatum. 5 Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostre super eum: et liuore eius sanati sumus 6 Omnes nos quasi oues errauimus vnusquisque in viam suam declinauit: et dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. 7 Oblatus est quia ipse voluit: et non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur: et quasi agnus coram tondente obmutescet: et non aperiet os suum. 8 De angustia et de iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit? Quia abscisus est de terra viuentium. Propter scelus populi mei percussi eum. 9 Et dabit impios pro sepultura et diuitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit· neque dolus fuerit in ore eius: 10 et dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longeuum: et voluntas domini in manu eius dirigetur. 11 Pro eo quod laborauit anima eius: videbit et saturabitur. In scientia sua iustificauit ipse iustus seruos meos multos: et iniquitates eorum ipse portauit. 12 Ideo disperciam ei plurimos et fortium diuidet spolia: pro eo quod tradidit in mortem animam suam: et cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata multorum tulit: et pro transgressoribus rogauit

54 Lauda sterilis que non paris: decanta laudem et hinni que non pariebas: quoniam multi filij deserte magis quam eius que habet virum dicit dominus. 2 Dilata locum tentorij tui: et pelles tabernaculorum tuorum extende ne parcas. longos fac funiculos tuos: et clauos tuos consolida. 3 Ad dexteram enim et ad leuam penetrabis: et semen tuum gentes hereditabit: et ciuitates desertas inhabitabit. 4 Noli timere quia non confunderis neque erubesces. Non enim te pudebit quia confusionis adolescentie tue obliuisceris: et obprobrij viduitatis tue non recordaberis amplius. 5 Quia dominabitur tui qui fecit te: dominus exercituum nomen eius: et redemptor tuus sanctus israhel· deus omnis terre vocabitur. 6 Quia vt mulierem derelictam et merentem spiritu vocauit te dominus: et vxorem ab adolescentia abiectam. Dixit deus tuus. 7 Ad punctum in modico dereliqui te: et in miserationibus magnis congregabo te. 8 In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te: et in misericordia sempiterna misertus sum tui. Dixit redemptor tuus dominus. 9 Sicut in diebus noe istud michi est: cui iuraui ne inducerem aquas vltra supra terram: sic iuraui vt non irascar tibi et non increpem te. 10 Montes enim commouebuntur et colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet a te: et fedus pacis mee non mouebitur. Dixit miserator tuus dominus. 11 Paupercula tempestate conuulsa absque vlla consolatione: ecce ego sternam per ordinem lapides tuos: et fundabo te in saphiris. 12 Et ponam iaspidem propugnacula tua: et portas tuas in lapides sculptos: et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles: 13 vniuersos filios tuos doctos a domino: et multitudinem pacis filijs tuis: 14 et iniusticia fundaberis. Recede procul a calumnia quia non timebis: et a pauore: quia non appropinquabit tibi. 15 Ecce accola veniet qui non erat mecum: aduena quondam tuus adiungetur tibi. 16 Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas: et proferentem vas in opus suum: et ego creaui interfectorem ad disperdendum. 17 Omne vas quod fictum est contra te non dirigetur: et omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis. Hec est hereditas seruorum domini: et iusticia eorum apud me dicit dominus.

55 Omnes sitientes venite ad aquas: et qui non habetis argentum properate. Emite et comedite: venite emite absque argento: et absque vlla commutatione vinum et lac. 2 Quare appenditis argentum non in panibus: et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me et comedite bonum: et delectabitur in crassitudine anima vestra. 3 Inclinate aurem vestram et venite ad me: audite et viuet anima vestra: et feriam vobiscum pactum sempiternum: misericordias dauid fideles. 4 Ecce testem populis dedi eum: ducem ac preceptorem gentibus. 5 Ecce gentem quam nesciebas vocabis: et gentes que non cognouerunt te ad te current propter dominum deum tuum et sanctum israhel: quia glorificauit te. 6 Querite dominum dum inueniri potest: inuocate eum dum prope est. 7 Derelinquat impius viam suam· et vir iniquus cogitationes suas: et reuertatur ad dominum et miserebitur eius: et ad deum nostrum quoniam multus est ad ignoscendum. 8 Non enim cogitationes mee cogitationes vestre: neque vie vestre vie mee dicit dominus. 9 Quia sicut exaltantur celi a terra sic exaltate sunt vie mee a vijs vestris: et cogitationes mee a cogitationibus vestris. 10 Et quomodo descendit ymber et nix de celo et illuc vltra non reuertitur: sed inebriat terram et infundit eam et germinare eam facit et dat semen serenti et panem comedenti: 11 sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quecumque volui: et prosperabitur in hijs ad que misi illud. 12 Quia in leticia egrediemini: et in pace deducemini. Montes et colles cantabunt coram vobis laudem: et omnia ligna regionis plaudent manu. 13 Pro saliunca ascendit abies: et pro vrtica crescet mirtus. Et erit dominus nominatus in signum eternum: quod non auferetur.

56 Hec dicit dominus. Custodite iudicium et facite iusticiam: quia iuxta est salus mea vt veniat: et iusticia mea vt reueletur. 2 Beatus vir qui facit hoc: et filius hominis qui apprehendet istud: custodiens sabbatum ne polluat illud: custodiens manus suas ne faciat omne malum. 3 Et non dicat filius aduene qui adheret domino dicens: separatione diuidet me dominus a populo suo. Et non dicat eunuchus: ecce ego lignum aridum. 4 Quia hec dicit dominus eunuchis qui custodierint sabbata mea: et elegerint que volui: et tenuerint fedus meum. 5 Dabo eis in domo mea et in muris meis locum: et nomen melius a filijs et filiabus. Nomen sempiternum dabo eis: quod non peribit. 6 Et filios aduene qui adherent domino vt colant eum et diligant nomen eius vt sint ei in seruos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud et tenentem fedus meum: 7 adducam eos in montem sanctum meum· et letificabo eos in domo orationis mee. Olocausta eorum vt victime eorum placebunt michi super altari meo: quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis. 8 Ait dominus deus: qui congregat dispersos israhel. Adhuc congregabo ad eum congregatos eius. 9 Omnes bestie agri venite ad deuorandum: vniuerse bestie saltus. 10 Speculatores eius ceci omnes: nescierunt vniuersi: canes muti non valentes latrare: videntes vana· dormientes et amantes somnia: 11 et canes inpudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt: vnusquisque ad auariciam suam a summo vsque ad nouissimum. 12 Venite sumamus vinum et impleamur ebrietate: et erit sicut hodie sic et cras: et multo amplius.

57 Iustus perit et nemo est qui recogitet in corde suo: et viri misericordie colliguntur: quia non est qui intelligat. A facie enim malicie collectus est iustus. 2 Veniat pax: requiescat in cubili suo· qui ambulauit in directione sua. 3 Vos autem accedite huc filij auguratricis: semen adulteri et fornicarie 4 super quem lusistis: super quem dilatastis os· et eiecistis linguam? Nunquid non vos filij scelesti semen mendax: 5 qui consolamini in dijs subter omne lignum frondosum immolantes paruulos in torrentibus subter eminentes petras? 6 In partibus torrentis pars tua: hec est sors tua. Et ipsis effudisti libamen: obtulisti sacrificium. Nunquid super hijs non indignabor? 7 Super montem excelsum et sublimem posuisti cubile tuum: et illuc ascendisti vt immolares hostias. 8 Et post ostium et retro postem posuisti memoriale tuum:

quia iuxta me discooperuisti et suscepisti adulterum. Dilatasti cubile tuum: et pepegisti cum eis fedus. Dilexisti stratum eorum manu aperta: [9] et ornasti te regio vnguento: et multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul: et humiliata es vsque ad inferos. [10] In multitudine vie tue laborasti: non dixisti quiescam. Vitam manus tue inuenisti: propterea non rogasti. [11] Pro quo sollicita timuisti: quia mentita es et mei non es recordata: neque cogitasti in corde tuo quia ego tacens et quasi non videns· et mei oblita es. [12] Ego annunciabo iusticiam tuam: et opera tua non proderunt tibi. [13] Cum clamaueris liberent te congregati tui. Et omnes eos auferet ventus: tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei hereditabit terram: et possidebit montem sanctum meum: [14] et dicam. Viam facite· prebete iter: declinate de semita: auferte offendicula de via populi mei. [15] Quia hec dicit excelsus et sublimis habitans eternitatem et sanctum est nomen eius: in excelso et in sancto habitans· et cum contrito et humili spiritu: vt viuificet spiritum humilium et viuificet cor contritorum. [16] Non enim in sempiternum litigabo neque vsque ad finem irascar: quia spiritus a facie mea egredietur et faciam ego flatus. [17] Propter iniquitatem auaricie eius iratus sum: et percussi eum. Abscondi: et indignatus sum. Et abijt merens in via cordis sui. [18] Vias eius vidi et sanaui eum· et reduxi eum: et reddidi consolationes ipsi et lugentibus eius. [19] Creaui fructum labiorum pacem: pacem ei qui longe est· et qui prope dixit dominus: et sanaui eum. [20] Impij autem quasi mare feruens quod quiescere non potest: et redundant fluctus eius in conculcationem et lutum. [21] Non est pax impijs dicit dominus meus.

58 lama· ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam et annuncia populo meo scelera eorum: et domui iacob peccata [2] Me etenim de die in diem querunt et scire vias meas volunt: quasi gens que iusticiam fecerit: et que iudicium dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iusticie: appropinquare deo volunt. [3] Quare re ieiunauimus et non aspexisti: humiliauimus animas nostras et nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra: et omnes debitores vestros repetitis. [4] Ecce ad lites et contentiones ieiunatis: et percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem: vt audiatur in excelso clamor vester. [5] Numquid tale est ieiunium quod elegi: per diem affligere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum: et saccum et cinerem sternere? Numquid istud vocaui ieiunium: et diem acceptabilem domino? [6] Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis: solue fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt liberos: et omne onus dirumpe. [7] Frange esurienti panem tuum: et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum: et carnem tuam ne despexeris. [8] Tunc erumpet quasi mane lumen tuum: et sanitas tua cicius orietur. Et anteibit faciem tuam iusticia tua: et gloria domini colliget te. [9] Tunc inuocabis et dominus exaudiet: clamabis· et dicet ecce assum. Si abstuleris de medio tui cathenam: et desieris extendere digitum· et loqui quod non prodest. [10] Cum effuderis esurienti animam tuam· et animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua: et tenebre tue erunt sicut meridies. [11] Et requiem tibi dabit dominus deus tuus semper et implebit splendoribus animam tuam: et ossa tua liberabit. Et eris quasi ortus irriguus: et sicut fons aquarum cuius non deficient aque. [12] Et edificabuntur in te deserta seculorum: fundamenta generationis et generationis suscitabis. Et vocaberis edificator sepium: auertens semitas in quietem. [13] Si auerteris a sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo: et vocaueris sabbatum delicatum et sanctum domini gloriosum: et glorificaueris eum dum non facis vias tuas et non inuenitur voluntas tua vt loquaris sermonem: [14] tunc delectaberis super domino· et sustollam te super altitudines terre: et cibabo te hereditate iacob patris tui. Os enim domini locutum est.

59 Ecce non est abbreuiata manus domini vt saluare nequeat: neque aggrauata est auris eius vt non exaudiat: [2] sed iniquitates vestre diuiserunt inter vos et deum vestrum: et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret. [3] Manus enim vestre pollute sunt sanguine: et digiti vestri iniquitate. Labia vestra locuti sunt mendacium: et lingua vestra iniquitatem fatur. [4] Non est qui inuocet iusticiam· neque est qui iudicet vere: sed confidunt in nichili: et loquuntur vanitates. Conceperunt laborem: et pepererunt iniquitatem. [5] Qua aspidum ruperunt: et telas aranee texuerunt. Qui comederit de ouis eorum morietur: et quod confotum est erumpet in regulum. [6] Tele eorum non erunt in vestimentum: neque operientur operibus suis. Opera eorum opera inutilia: et opus iniquitatis in manibus eorum. [7] Pedes eorum in malum currunt: et festinant vt effundant sanguinem innocentem. Cogitationes eorum cogitationes inutiles. Vastitas et contritio in vijs eorum: [8] viam pacis nescierunt: et non est iudicium in gressibus eorum. Semite eorum incuruate sunt eis: omnis qui calcat in eis ignorat pacem. [9] Propter hoc elongatum est iudicium a vobis: et non apprehendet vos iustitia. Expectauimus lucem et ecce tenebre: splendorem: et in tenebris ambulauimus. [10] Palpauimus sicut ceci parietem: et quasi absque oculis attrectauimus. Impegimus meridie quasi in tenebris: in caligosis quasi mortui. [11] Rugiemus quasi vrsi omnes: et quasi columbe meditantes gememus. Expectauimus iudicium et non est: salutem et elongata est a nobis. [12] Multiplicate sunt enim iniquitates nostre coram te: et peccata nostra responderunt nobis. Quia scelera nostra nobiscum: et iniquitates nostras cognouimus· [13] peccare et mentiri contra dominum: et auersi sumus ne iremus post tergum dei nostri vt loqueremur calumniam et transgressionem. Concepimus et locuti sumus de corde verba mendacij: [14] et conuersum est retrorsum iudicium: et iusticia longe stetit. Quia corruit in platea veritas: et equitas non potuit ingredi. [15] Et facta est veritas in obliuione: et qui recessit a malo prede patuit. Et vidit dominus et malum apparuit in oculis eius: quia non est iudicium. [16] Et vidit deus quia non est vir: et aporiatus est quia non est qui occurrat. Et saluabit sibi brachium suum: et iusticia eius ipsa confirmabit eum. [17] Indutus est iusticia vt lorica: et galea salutis in capite eius. Indutus est vestimentis vltionis: et opertus est quasi pallio zeli [18] sicut ad vindictam: quasi ad retributionem indignationis hostibus suis· et vicissitudinem inimicis suis. Insulis vicem reddet. [19] Et timebunt qui ab occidente· nomen domini: et qui ab ortu solis gloriam eius. Cum venerit quasi fluuius violentus quem spiritus domini cogit: [20] et venerit syon redemptor: et eis qui redeunt ab iniquitate in iacob dicit dominus. [21] Hoc fedus meum cum eis dicit dominus. Spiritus meus qui est inte et verba mea· que posui in ore tuo· non recedent de ore tuo· et de ore seminis tui dicit dominus: amodo et vsque in sempiternum.

60 Surge illuminare iherusalem quia venit lumen tuum: et gloria domini super te orta est. [2] Quia ecce tenebre operient terram· et caligo populos: super te autem orietur dominus: et gloria eius in te videbitur. [3] Et ambulabunt gentes in lumine tuo: et reges in splendore ortus tui. [4] Leua in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt: venerunt tibi. Filij tui de longe venient et filie tue de latere surgent. [5] Tunc videbis et afflues et mirabitur et dilatabitur cor tuum: quando conuersa fuerit ad te multitudo maris: fortitudo gentium venerit tibi. [6] Inundatio camelorum operiet te: dromedarij madian et effa. Omnes de saba venient aurum et thus deferentes: et laudem domino annunciantes. [7] Omne pecus cedar congregabitur tibi: arietes nabaioth ministrabunt tibi. Offerentur super placabili altari meo: et domum maiestatis mee glorificabo. [8] Qui sunt isti qui vt nubes volant: et quasi columbe ad fenestras suas? [9] Me enim insule expectabunt et naues maris in principio: vt adducam filios tuos de longe. Argentum eorum et aurum eorum cum eis nomini domini dei tui et sancto israhel: quia glorificauit te. [10] Et edificabunt filij peregrinorum muros tuos: et reges eorum ministrabunt tibi. In indignatione enim mea percussi te: et in reconciliatione mea misertus sum tui. [11] Et aperientur porte tue iugiter: die ac nocte non claudentur: vt afferatur ad te fortitudo gentium et reges earum adducantur. [12] Gens enim et regnum quod non seruierit tibi peribit: et gentes solitudine vastabuntur. [13] Gloria libani ad te veniet: abies et buxus et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis mee: et locum pedum meorum glorificabo. [14] Et venient ad te curui filij eorum qui humiliauerunt te: et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi: et vocabunt te ciuitatem domini syon sancti israhel. [15] Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita et non erat qui per te

transiret: ponam te in superbiam seculorum: gaudium in generationem et generationem. [16] Et suges lac gentium: et mamilla regum lactaberis. Et scies quia ego dominus saluans te: et redemptor tuus fortis iacob. [17] Pro ere afferam aurum· et pro ferro afferam argentum: et pro lignis es: et pro lapidibus ferrum. Et ponam visitationem tuam pacem: et prepositos tuos iusticiam. [18] Non audietur vltra iniquitas in terra tua· vastitas et contritio in terminis tuis: et occupabit salus muros tuos: et portas tuas laudatio. [19] Non erit tibi amplius sol adlucendum per diem: nec splendor lune illuminabit: sed erit tibi dominus in lucem sempiternam: et deus tuus in gloriam tuam. [20] Non occidet vltra sol tuus et luna tua non minuetur: quia dominus erit tibi in lucem sempiternam: et complebuntur dies luctus tui. [21] Populus autem tuus omnes iusti in perpetuum hereditabunt terram: germen plantationis mee: opus manus mee ad glorificandum. [22] Minimus erit in mille: et paruulus in gentem fortissimam. Ego dominus: in tempore eius· subito faciam istud.

61 Spiritus Spiritus domini super me: eo quod vnxerit me. Ad annunciandum mansuetis misit me: vt mederer contritis corde et predicarem captiuis indulgentiam et clausis apertionem: [2] vt predicarem annum placabilem domino et diem vltionis deo nostro: vt consolarer omnes lugentes: [3] vt ponerem fortitudinem lugentibus syon: et darem eis coronam pro cinere: oleum gaudij pro luctu: pallium laudis pro spiritu meroris. Et vocabuntur in ea fortes iusticie: plantatio domini ad glorificandum. [4] Et edificabunt deserta a seculoret lo: et ruinas antiquas erigent: et instaurabunt ciuitates desertas et dissipatas in generationem et generationem. [5] Et stabunt alieni et pascent pecora vestra: et filij peregrinorum agricole et vinitores vestri erunt. [6] Vos autem sacerdotes domini vocabimini: ministri dei nostri dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis: et in gloria eorum superbietis. [7] Pro confusione vestra duplici et rubore: laudabunt partem eorum. Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt: leticia sempiterna erit eis. [8] Quia ego dominus diligens iudicium: et odio habens rapinam in olocaustum. Et dabo opus eorum in veritate: et fedus perpetuum feriam eis. [9] Et scietur in gentibus semen eorum: et germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos cognoscent illos: quia isti sunt semen cui benedixit dominus. [10] Gaudens gaudebo in domino: et exultabit anima mea in deo meo. Quia induit me vestimentis salutis: et indumento iusticie circundedit me: quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis. [11] Sicut enim terra profert germen suum· et sicut ortus semen suum germinat: sic dominus deus germinabit iusticiam et laudem coram vniuersis gentibus.

62 Propter syon non tacebo et propter iherusalem non quiescam: donec egrediatur vt splendor iustus eius: et saluator eius vt lampas accendatur. [2] Et videbunt gentes iustum tuum: et cuncti reges inclitum tuum. Et vocabitur tibi nomen nouum: quod os domini nominauit. [3] Et eris corona glorie in manu domini: et dyadema regni in manu dei tui. [4] Non vocaberis vltra derelicta: et terra tua non vocabitur amplius desolata. Sed vocaberis voluntas mea in ea: et terra tua inhabitabitur. Quia complacuit domino in te: et terra tua inhabitabitur. [5] Habitabit enim iuuenis cum virgine: et habitabunt in te filij tui. Et gaudebit sponsus super sponsam: et gaudebit super te deus tuus. [6] Super muros tuos iherusalem constitui custodes: tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini domini ne taceatis: [7] et ne detis silentium ei: donec stabiliat et donec ponat iherusalem laudem in terra. [8] Iurauit dominus in dextera sua: et in brachio fortitudinis sue. Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis: et si biberint filij alieni vinum tuum in quo tu laborasti. [9] Quia qui congregabunt illud comedent et laudabunt dominum: et qui comportant illud bibent in atrijs sanctis meis. [10] Transite transite per portas: preparate viam populo. Planum facite iter: et eligite lapides: et eleuate signum ad populos. [11] Ecce dominus auditum fecit in extremis terre. Dicite filie syon ecce saluator tuus venit· ecce merces eius cum eo et opus eius coram illo [12] et vocabunt eos populus sanctus redempti a domino. Tu autem vocaberis quesita ciuitas et non derelicta.

63 Quis est iste qui venit de edom tinctis vestibus de bosra: Iste formosus in stola sua: gradiens in multitudine fortitudinis sue. Ego qui loquor iusticiam: et propugnator sum ad saluandum. [2] Quare ergo rubrum est indumentum tuum: et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? [3] Torcular calcaui solus: et de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore mea· et conculcaui eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea: et omnia indumenta mea inquinaui. [4] Dies enim vltionis in corde meo: annus retributionis mee venit. [5] Circumspexi et non erat auxiliator: quesiui· et non fuit qui adiuuaret. Et saluauit michi brachium meum: et indignatio mea ipsa auxiliata est michi. [6] Et conculcaui populos in furore meo: et inebriaui eos indignatione mea: et detraxi in terram virtutem eorum. [7] Miserationum domini recordabor: laudem domini super omnibus que reddidit nobis dominus: et super multitudinem bonorum domus israhel que largitus est eis secundum indulgentiam suam et secundum multitudinem misericordiarum suarum. [8] Et dixit. Verumtamen populus meus est: filij non negantes. Et factus est eis saluator: [9] in omni tribulatione eorum non est tribulatus: et angelus faciei eius saluauit eos. In dilectione sua et in indulgentia sua ipse redemit eos: et portauit eos et eleuauit eos cunctis diebus seculi. [10] Ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt: et afflixerunt spiritum sancti eius. Et conuersus est eis in inimicum: et ipse debellauit eos. [11] Et recordatus est dierum seculi: moysi et populi sui. Vbi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? Vbi est qui posuit in medio eius spiritum sancti sui? [12] Qui eduxit ad dexteram moysen brachio maiestatis sue: qui scidit aquas ante eos: vt faceret sibi nomen sempiternum. [13] Qui eduxit eos per abissos quasi equum in deserto non impingentem: [14] quasi animal in campo descendens. Spiritus domini ductor eius fuit. Sic adduxisti populum tuum: vt faceres tibi nomen glorie. [15] Attende de celo: et vide de habitaculo sancto tuo· et glorie tue. Vbi est zelus tuus et fortitudo tua? Multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum super me continuerunt se. [16] Tu enim pater noster: et abraham nesciuit nos: et israhel ignorauit nos. Tu domine pater noster: redemptor noster: a seculo nomen tuum. [17] Quare errare nos fecisti domine de vijs tuis: indurasti cor nostrum ne timeremus te? Conuertere propter seruos tuos: tribus hereditatis tue. [18] Quasi nichilum possiderunt populum sanctum tuum hostes nostri: conculcauerunt sanctificationem tuam. [19] Facti sumus quasi in principio cum non dominareris nostri: neque inuocaretur nomen tuum super nos.

64 Vtinam dirumperes celos et descenderes. A facie tua montes defluerent: [2] sicut exustio ignis tabescerent atque arderent igni· vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a facie tua gentes turbarentur. [3] Cum feceris mirabilia non sustinebimus. Descendisti: et a facie tua montes defluxerunt. [4] A seculo non audierunt: neque auribus perceperunt. Oculus non vidit deus absque te: que preparasti expectantibus te. [5] Occurristi letanti et facienti iusticiam: in vijs tuis recordabuntur tui. Ecce tu iratus es et peccauimus: in ipsis fuimus semper: et saluabimur. [6] Et facti sumus vt immundi omnes nos: et quasi pannus menstruate vniuerse iusticie nostre. Et cecidimus quasi folium vniuersi: et iniquitates nostre quasi ventus abstulerunt nos. [7] Non est qui inuocet nomen tuum: qui consurgat et teneat te. Abscondisti faciem tuam a nobis: et allisisti nos in manu iniquitatis nostre. [8] Et nunc domine pater noster es tu· nos vero lutum: et fictor noster tu: et opera manuum tuarum omnes nos. [9] Ne irascaris domine satis: et ne vltra memineris iniquitatis nostre. Ecce respice: populus tuus omnes nos. [10] Ciuitas sancti tui facta est deserta: syon deserta facta est. [11] Iherusalem desolata: domus sanctificationis nostre et glorie nostre vbi laudauerunt te patres nostri facta est in exustionem ignis: et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. [12] Nunquid super hijs continebis te domine: tacebis et affliges nos vehementer?

65 Quesierunt me qui ante non interrogabant: inuenerunt qui non quesierunt me. Dixi. Ecce ego: ecce ego ad gentem que non minorabat nomen meum. [2] Expandi manus meas tota die ad populum incredulum: qui graditur in via non bona post cogitationes suas. [3] Populus qui ad iracundiam

prouocat me ante faciem meam semper: qui immolant in ortis et sacrificant super lateres· [4] qui habitant in sepulcris et in delubris ydolorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam· et ius profanum in vasis eorum: [5] qui dicunt recede a me non appropinquas michi quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo: ignis ardens tota die. [6] Ecce scriptum est coram me. Non tacebo: sed reddam et retribuam in sinu eorum [7] iniquitates vestras et iniquitates patrum vestrorum simul dicit dominus· qui sacrificauerunt super montes et super colles exprobrauerunt michi: et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. [8] Hec dicit dominus. Quomodo si inueniatur granum in botro et dicatur ne dissipes illud quoniam benedictio est: sic faciam propter seruos meos vt non disperdam totum. [9] Et educam de iacob semen: et de iuda possidentem montes meos. Et hereditabunt eam electi mei: et serui mei habitabunt ibi. [10] Et erunt campestria in caulas gregum: et vallis achor in cubile armentorum populo meo qui requisierunt me. [11] Et vos qui dereliquistis dominum qui obliti estis montem sanctum meum qui ponitis fortune mensam et libatis super eam· [12] numerabo vos in gladio· et omnes in cede corruetis: pro eo quod vocaui et non respondistis michi· locutus sum et non audistis: et faciebatis malum in oculis meis· et que nolui elegistis. [13] Propter hoc hec dicit dominus deus. Ecce serui mei comedent: et vos esurietis. Ecce serui mei bibent: et vos sitietis. [14] Ecce serui mei letabuntur: et vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt pre exultatione cordis: et vos clamabitis pre dolore cordis et pre contritione spiritus vlulabitis: [15] et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis. Et interficiet te dominus deus: et seruos suos vocabit nomine alio. [16] In quo qui benedictus est super terram: benedicetur in domino amen. Et qui iurat in terra: iurabit in deo amen. Quia obliuioni tradite sunt angustie priores: et quia abscondite sunt ab oculis nostris. [17] Ecce enim ego creo celos nouos: et terram nouam: et non erunt in memoria priora et non ascendent super cor: [18] sed gaudebitis et exultabitis vsque in sempiternum in hijs que ego creo. Quia ecce ego creo iherusalem exultationem et populum eius gaudium: [19] et exultabo in iherusalem et gaudebo in populo meo: et non audietur in eo vltra vox fletus et vox clamoris. [20] Non erit ibi amplius infans dierum et senex qui non impleat dies suos: quoniam puer centum annorum morietur: et peccator centum annorum maledictus erit. [21] Et edificabunt domos et habitabunt: et plantabunt vineas et comedent fructus earum. [22] Non edificabunt et alius habitabit: non plantabunt et alius comedet. Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei: et opera manuum eorum inueterabunt. [23] Electi mei non laborabunt frustra: neque generabunt in conturbatione: quia semen benedictorum domini est et nepotes eorum cum eis. [24] Eritque antequam clament ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam. [25] Lupus et agnus pascentur simul: et leo et bos comedent paleas: et serpenti puluis panis eius. Non nocebunt neque occident: in omni monte sancto meo dicit dominus.

66 Hec dicit dominus. Celum sedes mea est: terra scabellum pedum meorum. Que est ista domus quam edificabitis michi: et quis iste locus requietionis mee? [2] Omnia hec manus mea fecit: et facta sunt vniuersa ista dicit dominus. Ad quem respiciam: nisi ad pauperculum et conwee s et mum sermones spiritu et oimum imons meos? tritum spiritu et tremetitem sermones me [3] Qui immolat bouem: quasi qui interficiat virum. Qui mactat pecus: quasi qui excerebret canem. Qui offert oblationem: quasi qui sanguinem suillum offerat. Qui recordatur thuris: quasi qui benedicat ydolo. Hec omnia elegerunt in vijs suis: et in abominationibus suis anima eorum delectata est. [4] Vnde et ego eligam illusiones eorum· et que timebant adducam eis: quia vocaui et non erat qui responderet: locutus sum et non audierunt. Feceruntque malum in oculis meis: et que nolui elegerunt. [5] Audite verbum domini: qui tremitis ad verbum eius. Dixerunt fratres vestri odientes vos: et abicientes propter nomen meum. Glorificetur dominus: et videbimus in leticia vestra: ipsi autem confundentur. [6] Vox populi de ciuitate: vox de templo: vox domini reddentis retributionem inimicis suis. [7] Antequam parturiret peperit: antequam veniret partus eius peperit masculum. [8] Quis audiuit vnquam tale: et quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die vna aut parietur gens simul: quia parturiuit et peperit syon filios suos? [9] Numquid ego qui alios parere facio: ipse non pariam dicit dominus? Si ego qui generationem ceteris tribuo sterilis ero: ait dominus deus tuus? [10] Letamini cum iherusalem: et exultate in ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea gaudio vniuersi qui lugetis super eam: [11] vt sugatis et repleamini ab vbere consolationis eius: vt mulgeatis et delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius. [12] Quia hec dicit dominus. Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis: et quasi torrentem inundantem gloriam gentium quam sugetis. Ad vbera portabimini: et super genua blandientur vobis. [13] Quomodo si cui mater blandiatur ita ego consolabor vos: et in iherusalem consolabimini. [14] Videbitis et gaudebit cor vestrum: et ossa vestra quasi herba germinabunt. Et cognoscetur manus domini seruis eius: et indignabitur inimicis suis. [15] Quia ecce dominus in igne et veniet:et: et quasi turbo quadriga eius· reddere in indignatione furorem suum: et increpationem suam in flamma ignis. [16] Quia in igne dominus diiudicabit: et in gladio suo ad omnem carnem: et multiplicabuntur interfecti a domino. [17] Qui sanctificabantur et mundos se putabunt in ortis post ianuam intrinsecus: qui comedebant carnem suillam et abominationem et murem: simul consumentur dicit dominus. [18] Ego autem opera eorum et cogitationes eorum inuenio vt congregem cum omnibus gentibus et linguis: et venient et videbunt gloriam meam. [19] Et ponam in eis signum: et mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare in affricam in lidiam· tenentes sagittam in italiam et greciam ad insulas longe: ad eos qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gentibus: [20] et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum domino in equis et in quadrigis et in lecticis et in mulis et in carrucis ad montem sanctum meum iherusalem dicit dominus: quomodo si inferant filij israhel munus in vase mundo in domum domini. [21] Et assumam ex eis in sacerdotes et leuitas dicit dominus: [22] quia sicut celi noui et terra noua que ego facio stare coram me dicit dominus: deus sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. [23] Et erit mensis ex mense: et sabbatum ex sabbato. Veniet omnis caro: vt adoret coram facie mea dicit dominus. [24] Et egredientur: et videbunt cadauera virorum qui preuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur: et ignis eorum non extinguetur: et erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.

Incipit prologus in iheremiam prophetam.

Iheremias propheta cui hic prologus scribitur: sermone quidem apud hebreos ysaia osee· et quibusdam alijs prophetis videtur esse rusticior: sed sensibus par est: quippe qui eodem spiritu prophetauerit. Porro simplicitas eloquij de loco ei in quo natus est accidit. Fuit enim anathotites qui est vsque hodie viculus tribus ab iherosolimis distans milibus: sacerdos ex sacerdotibus et in matris vtero sanctificatus: virginitate sua euangelicum virum cristi ecclesie dedicans. Hic vaticinare exorsus est puer: et captiuitatem vrbis atque iudee non solum spiritu· sed et oculis carnis intuitus est. Iam decem tribus israhel assyrij in medos transtulerant: iam terras earum coloni gentium possidebant. Vnde in iuda tantum et in beniamin prophetauit: et ciuitatis sue ruinas quadruplici planxit alphabeto: quod nos mensure metri versibusque reddidimus. Preterea ordinem visionum qui apud grecos et latinos omnino confusus est ad pristinam fidem correximus. Librum autem baruch notarij eius· qui apud hebreos nec legitur nec habetur pretermisimus: pro hijs omnibus maledicta ab emulis prestolantes: quibus me necesse est per singula opuscula respondere. Et hoc patior: quia vos cogitis. Ceterum ad compendium mali rectius fuerat modum furori eorum silentio meo ponere: quam quotidie noui aliquid scriptitantem inuidorum insaniam prouocare.

Iheremias

Incipit iheremias propheta.

1 Verba iheremie prophete filij helchie de sacerdotibus qui fuerunt in anathoth in terra beniamin. [2] Quod factum est verbum domini ad eum in diebus iosie filij amos regis iuda in terciodecimo anno regni eius: [3] et factum est in diebus ioachim filij iosie regis iuda vsque ad consummationem vndecimi anni sedechie filij iosie regis iuda vsque ad transmigrationem iherusalem in mense quinto. [4] Et factum est verbum domini ad me dicens. [5] Prius quam te formarem in vtero noui te: et antequam exires de vulua sanctificaui te: et prophetam in gentibus dedi te. [6] Et dixi. A a a domine deus. Ecce nescio loqui: quia puer ego sum. [7] Et dixit dominus ad me. Noli dicere quia puer sum: quoniam ad omnia que mittam te ibis: et vniuersa quecumque mandauero tibi loqueris. [8] Ne timeas a facie eorum: quia ego tecum sum vt eruam te dicit dominus. [9] Et misit dominus manum suam: et tetigit os meum: et dixit ad me. Ecce dedi verba mea in ore tuo: [10] ecce constitui te hodie super gentes et super regna vt euellas et destruas et disperdas et dissipes: et edifices et plantes. [11] Et factum est verbum domini ad me dicens. Quid tu vides iheremia? Et dixi. Virgam vigilantem ego video. [12] Et dixit dominus ad me. Bene vidisti: quia vigilabo ego super verbum meum vt faciam illud. [13] Et factum est verbum domini secundo ad me dicens. Quid tu vides? Et dixi. Ollam succensam ego video: et faciem eius a facie aquilonis. [14] Et dixit dominus ad me. Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terre. [15] Quia ecce ego conuocabo omnes tiones regnorum aquilonis dicit dominus: et venient et ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum iherusalem et super omnes muros eius in circuitu et super vniuersas vrbes iuda. [16] Et loquar iudicia mea cum eis super omnem maliciam eorum qui dereliquerunt me et libauerunt dijs alienis: et adorauerunt opus manuum suarum. [17] Tu ergo accinge lumbos tuos et surge: et loquere ad eos omnia que ego precipio tibi. Ne formides a facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. [18] Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam et in columnam ferream· et in murum ereum super omnem terram regibus iuda principibus eius et sacerdotibus· et omni populo terre: [19] et bellabunt aduersum te et non preualebunt: quia ego tecum sum ait dominus vt liberem te.

2 factum est verbum domini ad me dicens. [2] Vade et clama in auribus iherusalem dicens. Hec dicit dominus. Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam et caritatem desponsationis tue quando secuta es me in deserto: in terra que non seminatur. [3] Sanctus israhel domino: primitie frugum eius. Omnes qui deuorant eum delinquent: mala venient super eos dicit dominus. [4] Audite verbum domini domus iacob: et omnes cognationes domus israhel. [5] Hec dicit dominus. Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis quia elongauerunt a me et runt post vanitatem et vani facti sunt? [6] Et non dixerunt vbi est dominus qui ascendere nos fecit de terra egipti: qui traduxit nos per desertum per terram inhabitabilem et inuiam· per terram sitis et ymaginem in ortis: per terram in qua non ambulauit vir neque habitauit homo. [7] Et induxi vos in terram carmeli: vt comederetis fructum eius et optima illius. Et ingressi contaminastis terram meam: et hereditatem meam: posuistis in abominationem. [8] Sacerdotes non dixerunt vbi est dominus: et tenentes legem nescierunt me: et pastores preuaricati sunt in me. Et prophete prophetauerunt in baal: et ydola secuti sunt. [9] Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum ait dominus: et cum filijs vestris disceptabo. [10] Transite ad insulas cethim et videte: et in cedar mittite et considerate vehementer: et videte si factum est huiuscemodi: [11] si mutauit gens deos suos: et certe ipsi non sunt dij. Populus vero meus mutauit gloriam suam in ydolum. [12] Obstupescite celi super hoc: et porte eius desolamini vehementer dicit dominus. [13] Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aque viue: et foderunt sibi cisternas dissipatas que continere non valent aquas. [14] Nunquid seruus est israhel aut vernaculus? Quare ergo factus est in predam? [15] Super eum rugierunt leones et dederunt vocem suam: posuerunt terram eius in solitudinem. Ciuitates eius exuste sunt: et non est qui habitet in eis. [16] Filij quoque nempheos et daphneos constuprauerunt te vsque ad verticem. [17] Numquid non istud factum est tibi: quia dereliquisti dominum deum tuum eo tempore quo ducebat te per viam: [18] Et nunc quid tibi vis in via egipti: vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via assiriorum: et vt bibas aquam fluminis? [19] et te malicia tua: et auersio tua increpabit te. Scito et vide quia malum et amarum reliquisse te dominum deum tuum: et non esse timorem eius apud te dicit dominus deus exercituum. [20] seculo confregisti iugum meum: rupisti vincula mea et dixisti. Non seruiam. In omni enim colle sublimi et sub omni ligno frondoso tu prosternabaris meretrix. [21] Ego autem plantaui te vineam electam: omne semen verum. Quomodo ergo conuersa es in prauum vinea aliena? [22] Si laueris te nitro et multiplicaueris tibi maculata es in iniquitate coram me dicit dominus deus. [23] Quomodo dicis non polluta: post baalim non ambulaui? Vide vias tuas in le: conualle: scito quid feceris. Cursor leuis tuas: explicans vias tuas: [24] in desiderio anime sue attra tuas: onager assuetus in solitudine: anim sue attraxit ventum amoris sui. Nullus auertet eam. Omnes qui querunt eam non deficient: in menstruis eius inuenient eam [25] Prohibe pedem tuum a nuditate: et guttur tuum a siti. Et dixisti. Desperaui: nequaquam faciam. Adamaui quippe alienos: et post eos ambulabo. [26] Quomodo confunditur fur quando deprehenditur sic confusi sunt domus israhel: ipsi et reges eorum principes et sacerdotes et prophete eorum: [27] dicentes ligno pater meus es tu: et lapidi tu me genuisti. Verterunt ad tergum et non faciem: et in tempore afflictionis sue dicent: surge et libera [28] Vbi sunt dij tui quos fecisti tibi? et liberent te: in tempore afflictionis tue. Secundum numerum quippe ciuitatum tuarum dij tui iuda. [29] Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis dicit dominus. [30] Frustra percussi filios vestros: disciplinam non receperunt. Deuorauit gladius vester prophetas vestros: quasi leo vastatur [31] generatio vestra. Videte verbum domini. solitudo factus israheli: aut terra serotina? Quare ergo dixit populus meus: recessimus· veniemus vltra ad te: [32] Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui: aut sponsa fascie pectoralis sue: Populus vero meus oblitus est diebus in numeris. [33] Quid niteris bonam viam tuam: ad querendam dilectionem: Que insuper et malicias tuas docuisti vias tuas: [34] et in a tuis inuentus est sanguis animarum pauperum et innocentum. Non in fossis inueni eos: sed in omnibus quam que supra meEt [35] dixisti. Absque peccato et innocens ego sum: et propterea auertatur furor tuus a me. Ecce ego iudicio contendam tecum: eo quod dixeris non peccaui. [36] Quam vilis facta es nimis: iterans vias tuas. Et ab egipto confunderis: sicut confusa es ab assur. [37] Nam et ab ista egredieris et manus tue erunt super tuum: quoniam dominus confidentiam tuam: et nichil habebis prosperum.

3 Vulgo dicit. Si dimiserit vir vxorem suam et recedens ab eo eo duxerit virum alterum: nunquid non polluta erit ad eam contaminata virum alterum: reuertetur ad vltra? mulier illa: Tu autem foenicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me dicit dominus. [2] Leua oculos tuos in directum: et vide vbi non prostrata sis. In vijs sedebas expectans eos quasi latro insidians in solitudine: et polluisti terram in fornicationibus tuis et in malicijs tuis. [3] Quamobrem prohibite sunt stille pluuiarum: et serotinus ymber non fuit. Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere. [4] Ergo saltim

amodo voca me pater meus: dux virginitatis nuum: aut perseuerabis mee vltra: [5] nunquid reuertetur vltra? irasceris in perpetuum: aut voca me pater meus: dux virginitatis in finem? Ecce locuta es et fecisti mala: et potuisti. [6] Et dixit dominus ad me in diebus iosie regis. Nunquid vidisti que fecerit auersatrix israhel? Abijt sibimet super omnem montem excelsum et sub omni ligno frondoso: et fornicata est ibi. [7] Et dixi cum fecisset hec omnia· ad me reuertere: et non est reuersa. Et vidit preuaricatrix soror eius iuda [8] quia pro eo quod mechata esset auersatrix israhel dimisissem eam et dedissem ei libellum repudij: et non timuit preuaricatrix iuda soror eius· sed abijt et fornicata est etiam ipsa: [9] et facilitate fornicationis sue contaminauit terram: et mechata est cum lapide et ligno. [10] Et in omnibus hijs non est reuersa ad me· preuaricatrix soror eius iuda in toto corde suo: sed in mendacio ait dominus. [11] Et dixit dominus ad me. Iustificauit animam suam auersatrix israhel comparatione preuaricatricis iude. [12] Vade et clama sermones istos contra aquilonem et dices. Reuertere auersatrix israhel ait dominus et non auertam faciem meam a vobis: quia sanctus ego sum dicit dominus: et non irascar in perpetuum. [13] Verumtamen scito iniquitatem tuam: quia in dominum deum tuum preuaricata es. Et dispersisti vias tuas alienis sub omni ligno frondoso: et vocem meam non audisti ait dominus. [14] Conuertimini filij reuertentes dicit dominus: quia ego vir vester. Et assumam vos· vnum de ciuitate et duos de cognatione: et introducam vos in syon. [15] Et dabo vobis pastores iuxta cor meum: et pascent vos scientia et doctrina. [16] Cunque multiplicati fueritis et creueritis in terra in diebus illis ait dominus non dicent vltra archa testamenti domini: neque ascendet super cor neque recordabuntur illius: nec visitabitur nec fiet vltra. [17] In tempore illo vocabunt iherusalem solium domini: et congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine domini in iherusalem: et non ambulabunt post prauitatem cordis sui pessimi. [18] In diebus illis ibit domus iuda ad domum israhel: et venient simul de terra aquilonis ad terram quam dedi patribus vestris. [19] Ego autem dixi. Quomodo ponam te in filios: et tribuam cibi terram desiderabilem hereditatem preclaram exercituum gentium? Et dixi. Patrem vocabedmuoeateamanai me: et post me ingredi non cessabis. [20] Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum: sic contempsit me domus israhel dicit dominus. [21] Vox in vijs audita est ploratus et vlulatus filiorum israhel: quoniam numquam fecerunt viam suam: obliti sunt domini dei sui. [22] Conuertimini filij reuertentes: et sanabo auersiones vestras. Ecce nos venimus ad te. Tu enim es dominus deus noster. [23] Vere mendaces erant colles et multitudo montium. Vere in domino deo nostro salus israhel. [24] Confusio comedet laborem patrum vestrorum ab adolescentia nostra: greges eorum et armenta eorum: filios eorum et filias eorum. [25] Dormiemus in confusione nostra et operiet nos ignominia nostra: quoniam domino deo nostro peccauimus nos et patres nostri ab adolescentia nostra vsque ad diem hanc: et non audiuimus vocem domini dei nostri.

4 reuerteris ad me israhel ait dominus: ad me conuertere. Si abstuleris offendicula tua a facie mea non commoueberis. [2] Et iurabis viuit dominus in veritate et in iudicio et in iusticia: et benedicent eum gentes ipsumque laudabunt. [3] Hec enim dicit dominus viro iuda et habitatori iherusalem. Nouate vobis nouale: et nolite serere super spinas. auferte [4] Circumcidimini domino: et auferte prepucia cordium vestrorum viri iuda et habitatores iherusalem: ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea et succendatur· et non sit qui extinguat. Omnia autem hec mala venient propter maliciam cogitationum vestrarum. [5] Annuntiate in iuda· et in iherusalem· auditum facite: loquimini et canite tuba in terra: clamate fortiter et dicite. Congregamini et ingrediamur ciuitates munitas: [6] leuate signum in syon. Confortamini nolite stare: quia malum ego adducam ab aquilone et contritionem magnam. [7] Ascendit leo de cubili suo: et predo gentium se leuauit. Egressus est de loco suo: vt ponat terram tuam in desolationem. Ciuitates tue vastabuntur: remanentes absque habitatore. [8] Super hoc accingite vos cilicijs: plangite et vlulate: quia non est auersa ira furoris domini a vobis. [9] Et erit in die illa dicit dominus peribit cor regis et cor principum: et obstupescent sacerdotes: et prophete consternabuntur. [10] Et dixi. Heu· heu· heu· domine deus. Ergo ne decepisti populum istum et iherusalem dicens: pax erit vobis? Et ecce peruenit gladius vsque ad animam. [11] In tempore illo dicetur populo huic et iherusalem ventus vrens in vijs que sunt in deserto: vie filie populi mei non ad ventilandum et ad purgandum. [12] Spiritus plenus ex hijs veniet michi. Et nunc ego: sed loquar iudicia mea cum eis. [13] Ecce quasi nubes ascendet: et quasi tempestas currus eius. Velotiores aquilis equi illius. Ve nobis: quoniam vastati sumus. [14] Laua a malicia cor tuum iherusalem: vt salua fias vsquequo morabuntur in te cogitationes noxie? [15] Vox enim annuntiantis a dan: et notum facientis ydolum de monte ephraim. [16] Dicite gentibus. Ecce auditum est in iherusalem· custodes venire de terra longinqua: et dare super ciuitates iuda vocem suam. [17] Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in giro: quia me ad iracundiam prouocauit dicit dominus. [18] vie tue et cogitationes tue fecerunt hec tibi. Ista malicia tua quia amara: quia tetigit cor tuum. [19] Ventrem meum ventrem meum doleo: sensus cordis mei turbati sunt in me. Non tacebo: quoniam vocem bucine audiuit anima mea: clamorem prelij. [20] Contritio super contritionem vocata est: et vastata est omnis terra. Repente vastata sunt tabernacula mea: subito pelles mee. [21] Vsquequo videbo fugientem: audiam vocem bucine? [22] Quia stultus populus meus me non cognouit: filij insipientes sunt· et vecordes. Sapientes sunt vt faciant mala: bene autem facere nescierunt. [23] Aspexi terram et ecce vacua erat· et nichil: et celos· et non erat lux in eis. [24] Vidi montes et ecce mouebantur: et omnes colles conturbati sunt. [25] Intuitus sum et non erat homo: et omne volatile celi recessit. [26] Aspexi et ecce carmelus desertus: et omnes vrbes eius destructe sunt a facie domini et a facie ire furoris eius. [27] Hec enim dicit dominus. Deserta erit omnis terra: sed tamen consumationem non faciam. [28] Lugebit terra: et merebunt celi desuper: eo quod locutus sum. Cogitaui et non penituit me: nec auersus sum ab eo. [29] A voce equitis et mittentis sagittam fugit omnis ciuitas. Ingressi sunt ardua: et ascenderunt rupes. Vniuerse vrbes derelicte sunt: et non habitat in eis homo. [30] Tu autem vastata quid facies? Cum vestieris te coccino: cum ornatu fueris monili aureo· et pinxeris stibio oculos tuos: frustra componeris. Contempserunt me amatores tui: animam tuam querunt. [31] Vocem enim quasi parturientis audiui: et angustias vt puerpere. Vox filie syon inter morientes expandentesque manus suas. Ve michi: quia defecit anima mea propter interfectos.

5 Circuite vias iherusalem et aspicite: et considerate et querite in plateis eius· an inueniatis virum facientem iudicium· et querentem fidem: et propicius ero ei. [2] Quod si etiam viuit dominus dixerint: et hoc falso iurabunt. [3] Domine oculi tui respiciunt fidem. Percussisti eos et non doluerunt: attriuisti eos et rennuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas supra petram: et noluerunt reuerti. [4] Ego autem dixi. Forsitan pauperes sunt stulti: ignorantes viam domini et iudicium dei sui. [5] Ibo ergo ad optimates et eis. Ipsi enim cognouerunt viam domini: iudicium dei sui. Et ecce magis simul confregerunt iugum: ruperunt vincula. [6] Idcirco percussit eos leo de silua: lupus ad vesperam vastauit eos: pardus vigilans super super ciuitates eorum. Omnis qui ingressus fuerit ex eis capietur: quia multe sunt preuaricationes eorum: confortate sunt auersiones eorum. [7] Super quo propicius tibi esse potero? Filij tui dereliquerunt me: et iurant in hijs· qui non sunt dij. Saturaui eos et mechati sunt: et in domo meretricis retricis luxuriabantur. [8] Equi amatores in feminas: et emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. [9] Numquid super hijs non visitabo dicit dominus: et in gente tali non vlciscetur anima mea? [10] Ascendite muros eius et dissipate: consummationem autem nolite facere. Auferte propagines eorum: quia non sunt domini. [11] Preuaricationem enim preuaricata est in me domus israhel et domus iuda ait dominus. [12] Negauerunt dominum: et dixerunt. Non est ipse: neque veniet super nos malum: gladium et famem non videbimus. [13] Prophete fuerunt in ventum locuti: et sponsum non fuit in eis. Hec ergo euenient ent illis. [14] Hec dicit dominus deus exercituum. illis. Hec ego dicit dominus sxercituum. Quia locuti estis verbum istud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem et populum istum in ligna: et vorabit eos. [15] Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus israhel ait dominus: gentem robustam gentem antiquam

gentem cuius ignorabis linguam: nec intelliges quid loquatur. [16] Pharetra eius quasi sepulcrum patens: vniuersi fortes. [17] Et comedet segetes tuas et panem tuum deuorabit: filios tuos et filias tuas comedet· gregem tuum et armenta tua: et comedet vineam tuam et ficum tuam· et conteret vrbes munitas tuas in quibus tu habes fiduciam gladio. [18] Verumtamen in diebus illis ait dominus non faciam vos in consummationem. [19] Quod si dixeritis quare fecit dominus deus noster nobis hec omnia: dices ad eos. Sicut dereliquistis me et seruistis deo alieno in terra vestra: sic seruietis dijs alienis in terra non vestra. [20] Annunciate hec domui iacob: et auditum facite in iuda dicentes. [21] Audi populo stulte qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis· et aures et non audietis. [22] Me ergo non timebitis ait dominus: et a facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari· preceptum sempiternum quod non preteribit: et commouebuntur et non poterunt: et intumescent fluctus eius et non transibunt illud. [23] Populo autem huic factum est cor incredulum et exasperans. Recesserunt et abierunt: [24] et non dixerunt in corde suo. Metuamus dominum deum nostrum qui dat nobis pluuiam temporaneam et serotinam in tempore suo: plenitudinem anime messis custodientem nobis. [25] Iniquitates nostre declinauerunt hec: et peccata nostra prohibuerunt bonum a nobis: [26] quia inuenti sunt in populo meo impij insidiantes quasi aucupes: laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. [27] sicut decipula plena auibus: sic domus eorum plene dolo. Ideo magnificati sunt et ditati: [28] incrassati sunt et impinguati: et preterierunt sermones meos pessime. Causam vidue non iudicauerunt: causam pupilli non direxerunt: et iudicium pauperum non iudicauerunt. [29] Numquid super hijs non visitabo dicit dominus: aut super gentem huiuscemodi non vlciscetur anima mea? [30] Stupor et mirabilia facta sunt in terra. [31] Prophete prophetabant mendacium: et sacerdotes applaudebant manibus suis: et populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouissimo eius:

6 Confortamini filij beniamin in medio iherusalem: et in thecua clangite bucina: et super bethacarem leuate vexillum: quia malum visum est ab aquilone et contritio magna. [2] Speciose et delicate assimilaui filiam syon: [3] ad eam venient pastores et greges eorum. Fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet vnusquisque eos qui sub manu sua sunt. [4] Sanctificate super eam bellum: consurgite et ascendamus in meridie. Ve nobis quia declinauit dies: quia longiores facte sunt vmbre vesperi. [5] Surgite et ascendamus in nocte: et dissipemus domus eius: [6] quia hec dicit dominus exercituum. Cedite lignum eius: et fundite circa iherusalem aggerem. Hec est ciuitas visitationis: omnis calumnia in medio eius. [7] Sicut frigidam facit cisterna aquam suam: sic frigidam fecit maliciam suam. Iniquitas et vastitas audietur in ea coram me semper: infirmitas et plaga. [8] Erudire iherusalem ne forte recedat anima mea a te: ne forte ponam te desertam· terram inhabitabilem. [9] Hec dicit dominus exercituum. Vsque ad racemum colligent· quasi in vinea reliquias israhel. Conuerte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum. [10] Cui loquar: et quem contestabor vt audiat? Ecce incircumcise aures eorum: et audire non possunt. Ecce verbum domini factum est eis in obprobrium: et non suscipient illud. [11] Idcirco furore domini plenus sum: laboraui sustinens. Effunde super paruulum furorem et super concilium iuuenum simul. Vir enim cum muliere capietur: senex cum pleno dierum. [12] Et transibunt domus eorum ad alteros agri et vxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram dicit dominus. [13] A minore quippe vsque ad maiorem omnes auaricie student: et a propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. [14] Et curabant contritionem filie populi mei cum ignominia dicentes pax pax: et non erat pax. [15] Confusi sunt quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi: et erubescere nescierunt. Quamobrem cadent inter ruentes: in tempore visitationis sue corruent dicit dominus. [16] Hec dicit dominus. State super vias et videte· et interrogate de semitis antiquis que sit via bona et ambulate in ea: et inuenietis refrigerium animabus vestris. Et dixerunt. Non ambulabimus. [17] Et constitui super vos speculatores. Et dixi. Audite vocem tube. Et dixerunt. Non audiemus. [18] Ideo audite gentes et cognosce cognatio: quanta ego faciam eis. [19] Audi terra. Ecce ego adduco mala super populum istum fructum cogitationum eius: quia verba mea non audierunt: et legem meam proiecerunt. [20] Vt quid michi thus de saba affertis: et calamum suaue olentem de terra longinqua? Olocaustomata vestra non sunt accepta: et victime vestre non placuerunt michi. [21] Propterea hec dicit dominus. Ecce ego dabo in populum istum ruinas: et ruent in eis patres et filij simul· vicinus et proximus peribunt. [22] Hec dicit dominus. Ecce venit populus de terra aquilonis· et gens magna consurpopulus de terra get consurget a finibus terre: [23] sagittam et a arripiet: crudelis est et non miserebitur. Vox eius quasi mare sonabit: et super equos ascendent· preparati quasi vir ad prelium aduersum te filia syon. [24] Audiuimus famam eius: dissolute sunt manus nostre. Tribulatio apprehendit nos: dolores vt parturientem. [25] Nolite exire ad agros: et in vineam ne ambuletis: quoniam gladius inimici pauor in circuitu. [26] Filia populi mei accingere cilicio· et conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum: quia repente veniet vastator super vos. [27] Probatorem dedi te in populo meo robustum: et scies et probabis vias eorum. [28] Omnes isti principes declinantes: ambulantes fraudulenter. Es et ferrum: vniuersi corrupti sunt. [29] Defecit sufflatorium in igne: consumptum est plumbum. Frustra conflauit conflator: malicie enim eorum non sunt consumpte. [30] Argentum reprobum vocate eos: quia dominus proiecit illos.

7 Verbum quod factum est ad iheremiam a domino dicens. [2] Sta in porta domus domini: et predica ibi verbum istud et dic. Audite verbum domini omnis iuda: qui ingredimini per portas has· vt adoretis dominum. [3] Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Bonas facite vias vestras et studia vestra: et habitabo vobiscum in loco isto. [4] Nolite confidere in verbis mendacij: dicentes templum domini· templum domini· templum domini est. [5] Quoniam si benedixeritis vias vestras et studia vestra· si feceritis iudicium inter virum et proximum eius· [6] aduene et pupillo et vidue non feceritis calumniam: nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc· et post deos alienos non ambulaueritis in malum vobismetipsis? [7] habitabo vobiscum in loco isto in terra quam dedi patribus vestris a seculo et vsque in seculum. [8] Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij qui non proderunt vobis: [9] furari· occidere· adulterare· iurare· mendaciter libare baalim: et ire post deos alienos quos ignoratis. [10] Et venistis et stetistis coram me in domo hac in qua inuocatum est nomen meum: et dixistis liberati sumus eo quod fecerimus omnes abominationes istas. [11] Ergo spelunca latronum facta est domus ista: in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego ego sum: ego vidi dicit dominus. [12] Ite ad locum meum in sylo vbi habitauit nomen meum a principio: et videte que fecerim ei propter maliciam populi mei israhel. [13] Et nunc quia fecistis omnia opera hec dicit dominus: et locutus sum ad vos mane consurgens et loquens et non audistis: et vocaui vos et non respondistis: [14] faciam domui huic in qua inuocatum est nomen meum et in qua vos habetis fiduciam et loco quem dedi vobis et patribus vestris sicut feci sylo: [15] et proiciam vos a facie mea sicut proieci omnes fratres vestros vniuersum semen ephraim. [16] Tu ergo noli orare pro populo hoc: nec assumas pro eis laudem et orationem: et non obsistas michi: quia non exaudiam te. [17] Nonne vides quid isti faciunt in ciuitatibus iuda· et in plateis iherusalem? [18] Filij colligunt ligna· et patres succendunt ignem: et mulieres conspergunt adipem vt faciant placentas regine celi et libent dijs alienis: et me ad iracundiam prouocent. [19] Nunquid me ad iracundiam prouocant dicit dominus? Nonne semetipsos in confusione vultus sui? [20] Ideo hec dicit dominus deus. Ecce furor meus et indignatio mea conflatur super locum istum super viros et super iumenta et super lignum regionis et super fruges terre: et succendetur et non extinguetur. [21] Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Olocaustomata vestra addite victimis vestris et comedite carnes: [22] quia non sum locutus cum patribus vestris et non precepi eis in die qua eduxi eos de terra egipti de verbo olocaustomatum et victimarum: [23] sed hoc verbum precepi eis dicens. Audite vocem meam et ero vobis deus et vos eritis michi populus: et ambulate in omni via quam mandaui vobis: vt bene sit vobis. [24] Et non audierunt nec inclinauerunt aurem suam: sed abierunt in volupratibus et in prauitate cordis sui mali: factique sunt retrorsum et non in ante [25] a die qua egressi sunt patres

eorum de terra egipti vsque ad diem hanc. Et misi ad eos omnes seruos meos prophetas per diem· consurgens diluculo· et mittens: [26] et non audierunt me nec inclinauerunt aurem suam sed indurauerunt ceruicem suam: et peius operati sunt quam patres eorum. [27] Et loqueris ad eos omnia verba hec et non audient te: et vocabis eos et non respondebunt tibi. [28] Et dices ad eos. Hec est gens que non audiuit vocem domini dei sui: nec recepit disciplinam. Perijt fides: et abla de ore eorum. [29] Tonde capillum tuum et proice· et sume in directum planctum: quia proiecit dominus et reliquit generationem furoris sui: [30] quia fecerunt filij iuda malum in oculis meis dicit dominus. Posuerunt offendicula sua in domo in qua inuocatum est nomen meum vt polluerent eam: [31] et edificauerunt excelsa thophet que est in valle filij ennon: vt incenderent filios suos et filias suas igni· que non precepi nec cogitaui in corde meo. [32] Ideo ecce dies venient dicit dominus: et non dicetur amplius tophet et vallis filij ennon sed vallis interfectionis: et sepelientur in in thophet eo quod non sit locus. [33] Et erit morticinum populi huius in cibos volucribus celi et bestijs terre: et non erit qui abigat. [34] Et quiescere faciam de vrbibus iuda et de plateis iherusalem vocem gaudij et vocem leticie: vocem sponsi et vocem sponse. In desolatione enim erit terra.

8 In tempore illo ait dominus· eicient ossa regis iuda et ossa principum eius et ossa sacerdotum et ossa prophetarum et ossa eorum qui habitauerunt iherusalem de sepulcris suis: [2] et expandent ea ad solem et lunam et omnem militiam celi que dilexerunt et quibus seruierunt et post que ambulauerunt: et que quesierunt et adorauerunt. Non colligentur et non sepelientur: in sterquilinium super faciem terre erunt. [3] Et eligent magis mortem quam vitam omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima: in vniuersis locis que derelicta sunt ad que eieci eos dicit dominus exercituum. [4] Et dices ad eos. Hec dicit dominus. Nunquid qui cadit non resurget: et qui auersus est non reuertetur? [5] Quare ergo auersus est populus iste in iherusalem auersione contentiosa? Apprehenderunt mendacium: et noluerunt reuerti. [6] Attendi et auscultaui: nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat penitentiam super peccato suo dicens. Quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum: quasi equus impetu vadens in prelium. [7] Miluus in celo cognouit tempus suum: turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium domini. [8] Quomodo dicitis sapientes nos sumus: et lex domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum. [9] Confusi sunt sapientes: perterriti et capti sunt. Verbum enim domini proiecerunt: et sapientia nulla est in eis. [10] Propterea dabo mulieres eorum exteris: agros eorum heredibus. Quia a minimo vsque ad maximum omnes auariciam secuntur: a propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium. [11] Et sanabant contritiones filie populi mei ad ignominiam dicentes pax pax: cum non esset pax. [12] Confusi sunt quia abominationem fecerunt: quin ymmo confusione non sunt confusi: et erubescere nescierunt. Adcirco cadent inter corruentes: in tempore visitationis sue corruent dicit dominus. [13] Congregans congregabo eos ait dominus. Non est vua in vitibus et non sunt ficus in ficulnea: folium defluxit: et dedi eis que pretergressa sunt. [14] Quare sedemus? Conuenite et ingrediamur ciuitatem munitam· et sileamus ibi: quia dominus deus noster silere nos fecit: et potum dedit nobis aquam fellis. Peccauimus enim domino. [15] Expectauimus pacem et non erat bonum: tempus medele et ecce formido. [16] A dan auditus est fremitus equorum eius: a voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra. Et venerunt et deuorauerunt terram et plenitudinem eius: vrbem et habitatores eius. [17] Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos quibus non est incantatio: et mordebunt vos ait dominus. [18] Dolor meus super dolorem: in me cor meum merens. [19] Ecce vox clamoris filie populi mei de terra longinqua. Numquid dominus non est in syon· aut rex eius non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitauerunt in sculptilibus suis: et in vanitatibus alienis? [20] Transijt messis: finita est estas: et nos saluati non sumus. [21] Super contritione filie populi mei contritus sum et contristatus: stupor obtinuit me. [22] Numquid resina non est in galaad· aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filie populi mei?

9 dabit capiti meo aquam: et in oculis meis fontem lacrimarum? Et plorabo die et nocte interfectos filie populi mei. [2] Quis dabit me in solitudinem diuersorum viatorum? Et derelinquam populum meum et recedam ab eis: quoniam omnes adulteri sunt et cetus preuaricatorum: [3] et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij et non veritatis. Confortati sunt in terra: quia de malo ad malum egressi sunt: et me non cognouerunt dicit dominus. [4] Vnusquisque se a proximo suo custodiat: et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit: et omnis amicus fraudulenter incedet: [5] et vir fratrem suum deridebit et veritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: vt inique agerent laborauerunt. [6] Habitatio tua in medio doli: in dolo rennuerunt scire me dicit dominus. [7] Propterea hec dicit dominus exercituum. Ecce ego conflabo et probabo eos. Quid enim aliud faciam a facie filie populi mei? [8] Sagitta vulnerans lingua eorum: dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur· et occulte ponit ei insidias. [9] Numquid super hijs non visitabo dicit dominus: aut in gente huiuscemodi non vlciscetur anima mea? [10] Super montes assumam fletum ac lamentum et super speciosa deserti planctum: quoniam incensa sunt eo quod non sit sit vir pertransiens: et non audierunt vocem possidentis. A volucre celi vsque ad pecora transmigrauerunt et recesserunt. [11] Et dabo iherusalem in aceruos arene et cubilia draconum· et ciuitates iuda dabo in desolationem eo quod non sit habitator. [12] Quis est vir sapiens qui intelligat hoc et ad quem verbum oris domini fiat: vt annunciet istud: quare perierit terra et exusta sit quasi desertum eo quod non sit qui pertranseat? [13] Et dixit dominus. Quia dereliquerunt legem meam quam dedi eis· et non audierunt vocem meam· et non ambulauerunt in ea: [14] et abierunt post prauitatem cordis sui· et post baalim quod didicerunt a patribus suis: [15] idcirco hec dicit dominus exercituum deus israhel. Ecce ego cibabo populum istum absinthio et potum dabo eis aquam fellis: [16] et dispergam eos in gentibus quas non nouerunt ipsi et patres eorum: et mittam post eos gladium donec consumantur. [17] Hec dicit dominus exercituum. Contemplamini et vocate lamentatrices vt veniant: et ad eas que sapientes sunt mittite et properent: [18] festinent et assumant super nos lamentum· deducant oculi nostri lacrimas: et palpebre nostre defluant aquis: [19] quia vox lamentationis audita est de syon. Quomodo vastati sumus: et confusi vehementer? Quia dereliquimus terram: quoniam deserta sunt tabernacula nostra. [20] Audite ergo mulieres verbum domini· et assumat auris vestra sermonem oris eius: et docete filias vestras lamentum et vnaqueque proximam suam planctum: [21] quia ascendit mors per fenestras nostras· ingressa est domos nostras: disperdere paruulos desoris· iuuenes de plateis. [22] Loquere. Hec dicit dominus. Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis: et quasi fenum post tergum metentis: et non est qui colligat. [23] Hec dicit dominus. Non glorietur sapiens in sapientia sua· et non glorietur fortis in fortitudine sua· et non glorietur dives in diuicijs suis: [24] sed in hoc glorietur qui gloriatur· scire et nosse me: quia ego sum dominus qui facio misericordiam et iudicium et iusticiam in terra. Hec enim placent michi ait dominus. [25] Ecce dies venient dicit dominus· et visitabo super omnem qui incircuncilum habet prepucium· [26] super egiptum et super iudam et super edom· et super filios ammon et super moab: et super omnes qui attonsi sunt in comam habitantes in deserto: quia omnes gentes habent prepucium: omnis autem domus israhel incircumcisi sunt corde.

10 Audite verbum quod locutus est dominus super nos domus israhel. [2] Hec dicit dominus. Iuxta vias gentium nolite discere: et a signis celi nolite metuere que timent gentes: [3] quia leges populorum vane sunt. Quia lignum de saltu precidit: opus manus artificis in ascia. [4] Argento et auro decorauit illud: clauis et malleis compegit vt non dissoluatur. [5] In similitudinem plasme fabricate sunt· et non loquentur: portata tollentur: quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea: quia nec male possunt facere nec bene. [6] Non est similis tui domine: magnus es tu: et magnum nomen tuum in fortitudine. [7] Quis non timebit te o rex gentium? Tuum est enim decus. Inter cunctos sapientes gentium· et in vniuersis regnis eorum· nullus est similis tui: [8] pariter insipientes et fatui probabuntur. Doctrina vanitatis eorum lignum est.

9 Argentum inuolutum de tharsis affertur: et aurum de ophir opus artificis et manus erarij: iacinctus et purpura indumentum eorum. Opus artificum vniuersa hec: 10 dominus autem deus verus est. Ipse est deus viuens: et rex sempiternus. Ab indignatione eius commouebitur terra: et non sustinebunt gentes comminationem eius. 11 Sic ergo dicetis eis. Dij qui celos et terram non fecerunt· pereant de terra: et de hijs que sub celo sunt. 12 Qui facit terram in fortitudine sua preparat orbem in sapientia sua et prudentia sua extendit celos: 13 ad vocem suam dat multitudinem aquarum in celo et eleuat nebulas ab extremitatibus terre. Fulgura in pluuiam facit: et educit ventum de thesauris suis. 14 Stultus factus est omnis homo a scientia sua· confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflauit et non est spiritus in eis. 15 Vana sunt: et opus eorum risu dignum. In tempore visitationis sue peribunt. 16 Non est hijs similis pars iacob. Qui enim formauit omnia ipse est? Et israhel virga hereditatis eius. Dominus exercituum nomen illi. 17 Congrega de terra confusionem tuam que habitas in obsidione: 18 quia hec dicit dominus. Ecce ego longe proiciam habitatores terre in hac vice: et tribulabo eos ita vt non inueniantur. 19 Ve michi super contritione mea: pessima plaga mea. Ego autem dixi. Plane hec infirmitas mea est: et portabo illam. 20 Tabernaculum meum vastatum est: omnes funiculi mei dirupti sunt. Filij mei exierunt a me: et non subsistunt. Non est qui extendat vltra tentorium meum et erigat pelles meas: 21 quia stulte egerunt pastores et dominum non quesierunt: propterea non intellexerunt· et omnis grex eorum dispersus est. 22 Vox auditionis ecce venit: et commotio magna de terra aquilonis: vt ponat ciuitates iuda solitudinem et habitacula draconum. 23 Scio domine quia non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet et dirigat gressus suos. 24 Corripe me domine: verumtamen in iudicio et non in furore tuo: ne forte ad nichilum redigas me. 25 Effunde indignationem tuam super gentes: que non cognouerunt te: et super prouincias que nomen tuum non inuocauerunt: quia comederunt iacob· et deuorauerunt eum et consumpserunt illum: et decus eius dissipauerunt.

11 Verbum quod factum est ad iheremiam a domino dicens. 2 Audite verba pacti huius: et loquimini ad viros iuda et ad habitatores iherusalem: 3 et dicetis ad eos. Hec dicit dominus deus israhel. Maledictus vir qui non audierit verba pacti huius: 4 quod precepi patribus vestris in die qua eduxi eos de terra egipti de fornace ferrea dicens. Audite vocem meam et facite omnia que precepi vobis: et eritis michi in populum et ego ero vobis in deum: 5 vt suscitem iuramentum quod iuraui patribus vestris daturum me eis terram fluentem lacte et melle sicut est dies hec. Et respondi et dixi. Amen domine. 6 Et dixit dominus ad me. Vociferare omnia verba hec in ciuitatibus iuda et foris iherusalem dicens. Audite verba pacti huius et facite illa: 7 quia contestans contestatus sum patres vestros in die qua eduxi vos de terra egipti vsque ad diem hanc. Mane consurgens contestatus sum et dixi audite vocem meam: 8 et non audierunt nec inclinauerunt aurem suam: sed abierunt vnuquisque in prauitate cordis sui mali. Et induxi super eos omnia verba pacti huius: quod precepi vt facerent et non fecerunt. 9 Et dixit dominus ad me. Inuenta est coniuratio in viris iuda et in habitatoribus iherusalem. 10 Reuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priores: qui noluerunt audire verba mea. Et hij ergo abierunt post deos alienos vt seruirent eis. Irritum fecerunt domus israhel et domus iuda pactum meum: quod pepigi cum patribus eorum. 11 Quamobrem hec dicit dominus. Ecce ego inducam super eos mala de quibus exire non poterunt: et clamabunt ad me et non exaudiam eos. 12 Et ibunt ciuitates iuda et habitatores iherusalem et clamabunt ad eos quibus libant: et non saluabunt eos in tempore afflictionis eorum. 13 Secundum enim numerum ciuitatum tuarum erunt dij tui iuda: et secundum numerum viarum iherusalem posuisti aras confusionis: aras ad libandum baalim. 14 Tu ergo noli orare pro populo hoc: et ne assumas pro eis laudem et orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me: in tempore afflictionis eorum. 15 Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Nun carnes sancte auferent a te malicias tuas: in quibus gloriata es? 16 Oliuam vberem pulcram fructiferam speciosam vocauit dominus nomen tuum. Ad vocem loquele grandis exarsit ignis in ea: et combusta sunt frutecta eius. 17 Et dominus exercituum qui plantauit te locutus est super te malum: pro malis domus israhel et domus iuda que fecerunt sibi ad irritandum me libantes baalim. 18 Tu autem domine demonstrasti michi et cognoui: tu ostendisti michi studia eorum: 19 et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. Et non cognoui quia cogitauerunt super me consilia dicentes: mittamus lignum in panem eius· et eradamus eum de terra viuentium: et nomen eius non memoretur amplius. 20 Tu autem domine sabaoth qui iudicas iuste et probas renes et corda: videam vltionem tuam ex eis. Tibi enim reuelaui causam meam. 21 Propterea hec dicit dominus ad viros anachot: qui querunt animam tuam et dicunt. Non prophetabis in nomine domini: et non morieris in manibus nostris. 22 Propterea hec dicit dominus exercituum. Ecce ego visitabo super eos. Iuuenes morientur in gladio: filij eorum et filie eorum morientur in fame: 23 et reliquie non erunt ex eis. Inducam enim malum super viros anathot: annum visitationis eorum.

12 Iustus quidem tu es domine si disputem tecum verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus quia preuaricantur· et inique agunt? 2 Plantasti eos et radicem miserunt: proficiunt et faciunt fructum. Prope es tu ori eorum: et longe a renibus eorum. 3 Et tu domine nosti me: vidisti me et probasti cor meum tecum. Congrega eos quasi gregem ad victimam: et sanctifica eos in die occisionis. 4 Vsque quo lugebit terra: et herba omnis regionis siccabitur propter maliciam habitantium in ea? Consumptum est animal et volucre: quoniam dixerunt non videbit nouissima nostra. 5 Si cum peditibus currens laborasti: quomodo contendere poteris cum equis? Cum autem in terra pacis secura fueris: quid facies in superbia iordanis? 6 Nam et fratres tui et domus patris tui· etiam ipsi pugnauerunt aduersum te: et clamauerunt post te plena voce. Ne credas eis: cum locuti fuerint tibi bona. 7 Reliqui domum meam: dimisi hereditatem meam. Dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius: 8 facta est michi hereditas mea quasi leo in silua. Dedit contra me vocem: ideo odiui eam. 9 Nunquid auis discolor hereditas mea michi? Nunquid auis tincta per totum? Venite congregamini omnes bestie terre: properate ad deuorandum. 10 Pastores multi demoliti sunt vineam meam: conculcauerunt partem meam. Dederunt porcionem meam desiderabilem in desertum solitudinis: 11 posuerunt eam in dissipationem: luxitque super me. Desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde. 12 Super omnes vias deserti venerunt omnes vastatores: quia gladius domini deuorauit ab extremo terre vsque ad extremum eius. Non est pax vniuerse carni. 13 Seminauerunt triticum et spinas messuerunt: hereditatem acceperunt: et non proderit. Confundemini I fructibus vestris: propter iram furoris domini. 14 Hec dicit dominus aduersum omnes vicinos meos pessimos: qui tangunt hereditatem quam distribui populo meo israhel. Ecce ego euellam eos de terra eorum: et domum iuda euellam de medio eorum. 15 Et cum euulsero eos conuertar et miserebor eorum: et reducam eos virum ad hereditatem suam: et virum in terram suam. 16 Et erit: si eruditi didicerint vias populi mei vt iurent in nomine meo viuit dominus· sicut docuerunt populum meum iurare in baal: edificabuntur in medio populi mei. 17 Quod si non audierint: euellam gentem illam euulsione et perditione ait dominus.

13 dicit dominus ad me. Vade et posside tibi lumbare lineum: et pones illud super lumbos tuos: et in aquam non inferes illud. 2 Et possedi lumbare iuxta verbum domini: et posui circa lumbos meos. 3 Et factus est sermo domini ad me secundo dicens. 4 Tolle lumbare quod possedisti quod est circa lumbos tuos: et surgens vade ad eufraten: et absconde ibi illud iu foramine petre. 5 Et abij et abscondi illud in eufraten: sicut preceperat michi dominus. 6 Et factum est post dies plurimos: dixit dominus ad me. Surge et vade ad eufraten: et tolle inde lumbare quod precepi tibi vt absconderes illud ibi. 7 Et abij ad eufraten: et fodi et tuli lumbare de loco vbi absconderam illud. Et ecce computruerat lumbare: ita vt nulli vsui aptum esset. 8 Et factum est verbum domini ad me dicens. 9 Hec dicit dominus. Sic putrescere faciam superbiam iuda· et superbiam iherusalem multam: 10 populum istum pessimum· qui nolunt audire verba mea· et ambulant in prauitate cordis sui:

abieruntque post deos alienos vt seruirent eis et adorarent eos. Et erunt sicut lumbare istud: quod nulli vsui aptum est. 11 Sicut enim adheret lumbare ad lumbos viri sic agglutinaui michi omnem domum israhel et omnem domum iuda dicit dominus vt essent michi in populum et in nomen et in laudem et in gloriam: et non audierunt. 12 Dices ergo ad eos sermonem istum. Hec dicit dominus deus israhel. Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te. Nunquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino? 13 Et dices ad eos. Hec dicit dominus. Ecce ego implebo omnes habitatores terre huius et reges qui sedent de stirpe dauid super thronum eius· et sacerdotes et prophetas et omnes habitatores iherusalem ebrietate: 14 et dispergam eos virum a fratre suo: et patres et filios pariter ait dominus. Non parcam et non concedam: neque miserebor vt non disperdam eos. 15 Audite et auribus percipite: nolite eleuari: quia dominus locutus est. 16 Date domino deo vestro gloriam antequam contenebrescat: et antequam offendant pedes vestri ad montes caligiosos. Expectabitis lucem: et ponet eam in vmbram mortis· et in caliginem. 17 Quod si hoc non audieritis: in abscondito plorabit anima mea a facie superbie. Plorans plorabit et deducet oculus meus lacrimam: quia captus est grex domini. 18 Dic regi et dominatrici. Humiliamini: sedete in terra quoniam descendet de capite vestro corona glorie vestre. 19 Ciuitates austri clause sunt: et non est qui aperiat. Translata est omnis iuda transmigratione perfecta. 20 Leuate oculos vestros et videte: qui venitis ab aquilone. Vbi est grex qui datus est tibi: pecus inclitum tuum? 21 Quid dices cum visitauerit te? Tu enim docuisti eos aduersum te: et erudisti in caput tuum. Nunquid non dolores apprehenderunt te quasi mulierem parturientem? 22 Quod si dixeris in corde tuo quare venerunt michi hec: propter multitudinem iniquitatis tue reuelata sunt verecundiora tua: pollute sunt plante tue. 23 Si mutare potest ethiops pellem suam aut pardus varietates suas: et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum. 24 Et disseminabo eos quasi stipulam que vento raptatur in deserto. 25 Hec sors tua parsque mensure tue a me dicit dominus: quia oblita es mei et confisa es in mendacio. 26 Vnde et ego nudaui femora tua contra faciem tuam: et apparuit ignominia tua: 27 adulteria tua et hinnitus tuus et scelus fornicationis tue. Super colles in agro vidi abominatio tuas. Ve tibi iherusalem. Non mundaberis post me. Vsquequo adhuc?

14 domini quod factum est ad iheremiam de sermonibus siccitatis. 2 luxit iudea: et porte eius corruerunt et obscurate sunt in terra: et clamor iherusalem ascendit. 3 Maiores miserunt minores suos ad aquam· venerunt ad hauriendum. Non inuenerunt aquam: reportauerunt vasa sua vacua. Confusi sunt et afflicti: et operuerunt capita sua 4 propter terre vastitatem: quia non venit pluuia in terram. Confusi sunt agricole: operuerunt capita sua. 5 Nam et cerua in agro peperit et reliquit quia non erat herba: 6 et onagri steterunt in rupibus. Traxerunt ventum quasi dracones: defecerunt oculi eorum quia non erat herba. 7 Si iniquitates nostre responderint nobis: domine fac propter nomen tuum: quoniam multe sunt auersiones nostre. Tibi peccauimus 8 expectatio israhel· saluator noster in tempore tribulationis. Quare quasi colonus futurus es in terra: et quasi viator declinans ad manendum? 9 Quare futurus es velut vir vagus: et qui non potest saluare gus: fortis Tu autem in nobis es domine: et nomen tuum inuocatum est super nos: ne derelinquas nos. 10 Hec dicit dominus populo huic qui dilexit mouere pedes suos et non quieuit: et domino non placuit. Nunc recordabitur iniquitatum eorum: et visitabit peccata eorum. 11 Et dixit dominus ad me. Noli orare pro populo isto in bonum. 12 Cum ieiunauerint non exaudiam preces eorum: et si obtulerit olocaustomata et victimas non suscipiam ea: quoniam gladio et fame et peste ego consumam eos. 13 Et dixi. A a a domine deus. Prophete dicunt eis. Non videbitis gladium et fames non erit in vobis: sed pacem veram dabit vobis in loco isto. 14 Et dixit dominus ad me. Falso prophete vaticinantur in nomine meo. Non misi eos: et non precepi eis: neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem et diuinationem fraudulentam et seductionem cordis sui prophetant vobis. 15 Idcirco hec dicit dominus de prophetis qui prophetant in nomine meo quos ego non misi: dicentes gladius et fames non erit in terra hac. In gladio et fame consumentur prophete illi: 16 et populi quibus prophetant erunt proiecti in vijs iherusalem pre fame et gladio: et non erit qui sepeliat eos ipsi et vxores eorum filij et filie eorum: et effundam super eos malum suum. 17 Et dices ad eos verbum istud. Deducant oculi mei lacrimam per noctem et diem et non taceant: quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei: plaga pessima vehementer. 18 Si egressus fuero ad agros ecce occisi gladio: et si introiero in ciuitatem ecce attenuati fame. Propheta nanque et sacerdos abierunt in terram quam ignorabant. 19 Nunquid proiciens abiecisti iudam: aut syon abominata est anima tua? Quare ergo percussisti nos ita: vt nulla sit sanitas? Expectauimus pacem et non est bonum: et tempus curationis: et ecce turbatio. 20 Cognouimus domine impietates nostras: iniquitates patrum nostrorum quia peccauimus tibi. 21 Ne des nos in obprobrium propter nomen tuum: neque facias nobis contumeliam. Solij glorie tue recordare: ne irritum facias fedus tuum nobiscum. 22 Nunquid sunt in sculptilibus gentium qui pluant: aut celi possunt dare ymbres nisi tu volueris? Nonne tu es dominus deus noster quem expectauimus? Tu enim fecisti omnia hec.

15 Et dixit dominus ad me. Si steterint moyses me: non et samuel coram me: non est anima mea ad populum istum. Eice illos a facie mea: et egrediantur. 2 Quod si dixerint ad te quo egrediemur: dices ad eos. Hec dicit dominus. Qui ad mortem ad mortem· et qui ad gladium ad gladium: et qui ad famem ad famem: et qui ad captiuitatem ad captiuitatem. 3 Et visitabo super eos quatuor species dicit dominus. Gladium ad occisionem· et canes ad lacerandum: et volatilia celi et bestias terre ad deuorandum et dissipandum: 4 et dabo eos in feruorem vniuersis regnis terre propter manassen filium ezechie regis iuda super omnibus que fecit in iherusalem. 5 Quis enim miserebitur tui iherusalem? Aut quis contristabitur pro te? Aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? 6 Tu reliquisti me dicit dominus: retrorsum abisti. Et extendam manum meam super te: et interficiam te. Laboraui rogans. 7 Et dispergam eos ventilabro in portis terre. Interfeci et disperdidi populum meum: et tamen a vijs suis non sunt reuersi. 8 Multiplicate sunt michi vidue eius: super harenam maris. Induxi eis super matrem adolescentis vastatorem meridie: micauc li li si super ciuitates repente terrorem. 9 Infirmata est que peperit septem: defecit anima eius. Occidit ei sol cum adhuc esset dies: confusa est et erubuit. Et residuos eius in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum ait dominus deus. 10 Ve michi mater mea. Quare genuisti me virum rixe: virum discordie in vniuersa terra? Non feneraui: nec fenerauit michi quisque. Omnes maledicunt michi 11 dicit dominus. Si non reliquie tue in bonum: si non occurrerit tibi in tempore afflictionis: et in tempore tribulacionis aduersum inimicum. 12 Nunquid federabitur ferrum ferro ab aquilone et es? 13 Diuitias tuas et thesauros tuos in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis: et in omnibus terminis tuis. 14 Et adducam inimicos tuos de terra quam nescis: quia ignis succensus est in furore meo: et super vos ardebit. 15 Tu scis domine: recordare mei et visita me: et tuere me ab hijs qui persecuntur me. Noli in pacientia tua suscipere me. Scito quoniam sustinui pro te obprobrium. 16 Inuenti sunt sermones tui: et comedi eos. Et factum est michi verbum tuum in gaudium et in leticiam cordis mei: quoniam inuocatum est nomen tuum super me· dominus deus exercituum. 17 Non sedi in concilio ludentium: et gloriatus sum a facie manus tue. Solus sedebam: quoniam comminatione replesti me. 18 Quare factus est dolor meus perpetuus: et plaga mea desperabilis? Renuit curari. Facta est michi quasi mendacium aquarum infidelium. 19 Propter hoc hec dicit dominus. Si conuerteris conuertam te· et ante faciem meam stabis: et si separaueris preciosum a vili· quasi os meum eris. Conuertentur ipsi ad te: et tu non conuerteris ad eos. 20 Et dabo te populo huic in murum ereum fortem: et bellabunt aduersum te et non preualebunt: quia ego tecum sum vt saluem te et eruam te dicit dominus. 21 Et liberabo te de manu pessimorum: et redimam te de manu fortium.

16 Et factum est verbum domini ad me dicens. 2 Non accipies vxorem: et non erunt tibi filij et filie in loco isto. 3 Quia hec dicit dominus super filios et filias qui generantur in loco isto: et super matres eorum que genuerunt eos: et super patres eorum de quorum stirpe sunt nati in terra hac.

4 Mortibus egrotationum morientur. Non plangentur et non sepelientur: in sterquilinium super faciem terre erunt. Et gladio et fame consumentur: et erit cadauer eorum in escam volatilibus celi et bestijs terre. 5 Hec enim dicit dominus. Ne ingrediaris domum conuiuij neque vadas ad plangendum: neque consoleris eos quia abstuli pacem meam a populo isto dicit dominus: misericordiam et miserationes. 6 Et morientur grandes et parui in terra ista: non sepelientur neque plangentur: et non se incident neque caluicium fiet pro eis. 7 Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: et non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo et matre. 8 Et domum conuiuij non ingrediaris vt sedeas cum eis et comedas et bibas: 9 quia hec dicit dominus exercituum deus israhel. Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris et in diebus vestris vocem gaudij et vocem leticie: vocem sponsi et vocem sponse. 10 Et cum annunciaueris populo huic omnia verba hec et dixerunt tibi· quare locutus est dominus super nos omne malum grande istud· que nostra iniquitas et quod peccatum nostrum quod peccauimus domino deo nostro: 11 dices ad eos. Quia dereliquerunt me patres vestri ait dominus: et abierunt post deos alienos et seruierunt eis· et adorauerunt eos: et me dereliquerunt et legem meam non custodierunt. 12 Sed et vos peius operati estis quam patres vestri. Ecce enim ambulat vnusquisque post prauitatem cordis sui mali: vt me non audiat. 13 Et eiciam vos de terra hac in terram quam ignoratis vos et patres vestri: et seruietis ibi dijs alienis die ac nocte qui non dabunt vobis requiem. 14 Propterea ecce dies venient dicit dominus: et non dicetur vltra viuit dominus qui eduxit filios israhel de terra egipti· 15 sed viuit dominus qui eduxit filios israhel de terra aquilonis· et de vniuersis terris ad aquas eieci illos: et reducam eos in terram suam quam dedi patribus eorum. 16 Ecce ego mittam piscatores multos dicit dominus: et piscabuntur eos. Et post hec mittam eis multos venatores et venabuntur eos de omni monte et de omni colle et de cauernis petrarum: 17 quia oculi mei super omnes vias eorum. Non sunt abscondite a facie mea: et non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis. 18 Et reddam primum duplices iniquitates et peccata eorum: quia contaminauerunt terram meam in morticinis ydolorum suorum: et abominationibus suis impleuerunt hereditatem meam. 19 Domine fortitudo mea et robur meum: et refugium meum in die tribulationis. Ad te gentes venient ab extremis terre et dicent. Vere mendacium possederunt patres nostri: vanitatem que eis non profuit. 20 Nunquid faciet sibi homo deos? Et ipsi non sunt dij. 21 Idcirco ecce ego ostendam eis per vicem hanc: ostendam eis manum meam et virtutem meam: scient quia nomen michi dominus.

17 Peccatum iuda scriptum est stilo ferreo in vngue adamantino: exaratum super latitudinem cordis eorum: et in cordibus ararum eorum. 2 Cum recordati fuerint filij eorum ararum suarum et lucorum suorum lignorumque frondentium in montibus excelsis 3 sacrificantes in agro: fortitudinem tuam et omnes thesauros tuos in direptionem dabo: excelsa tua propter peccata in vniuersis finibus tuis. 4 Et relinqueris sola ab hereditate tua quam dedi tibi: et seruire te faciam inimicis tuis in terra quam ignoras. Quoniam ignem succendisti in furore meo: vsque in eternum ardebit. 5 Hec dicit dominus· maledictus homo qui confidit in homine: et ponit carnem brachium suum: et a domino recedit cor eius. 6 Erit enim quasi mirice in deserto: et non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis et inhabitabili. 7 Benedictus vir qui confidit in domino: et erit dominus fiducia eius· 8 et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas: quod ad humorem mittit radices suas: et non timebit cum venerit estus. Et erit folium eius viride: et in tempore siccitatis non erit sollicitum: nec aliquando desinet facere fructum. 9 Prauum est cor hominis et inscrutabile. Quis cognoscet illud? 10 Ego dominus scrutans cor et probans renes: qui do vnicuique iuxta viam suam: et iuxta fructum adinuentionum suarum. 11 Perdix fouit que non pepreit. Fecit diuitias et non in iudicio. In dimidio dierum suorum derelinquet eas: et in nouissimo suo erit insipiens. 12 Solium glorie altitudinis a principio: locus sanctificationis nostre 13 expectatio israhel. Domine omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes a te in terra quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium dominum. 14 Sana me domine et sanabor: saluum me fac et saluus ero: quoniam laus mea tu es. 15 Ecce ipsi dicunt ad me. Vbi est verbum domini? Veniat. 16 Et ego non sum turbatus te pastorem sequens: et diem hominis non desideraui. scis quod egressum est de labijs meis: rectum in conspectu tuo fuit. 17 Non sis michi tu formidini: spes mea tu in die afflictionis. 18 Confundantur qui me persecuntur et non confundar illi: ego: paueant illi: et non paueam ego. Induc super eos diem afflictionis: et duplici contritione contere eos. 19 Hec dicit dominus ad me. Vade et sta in porta filiorum populi tui per quam ingrediuntur reges iuda· et egrediuntur: et in cunctis portis iherusalem: 20 et dices ad eos. Audite verbum domini reges iuda· et omnis iudea cunctique habitatores iherusalem: qui ingredimini per portas 21 Hec dicit dominus. Custodite animas vestras: et nolite portare pondera in die sabbati· nec inferatis per portas iherusalem: 22 et nolite eicere onera de domibus vestris in die sabbati et omne opus non facietis. Sanctificate diem sabbati sicut precepi patribus vestris. 23 Et non audierunt nec inclinauerunt aurem suam: sed indurauerunt ceruicem suam ne audirent me: et ne acciperent disciplinam. 24 Et erit si audieritis me dicit dominus· vt non inferatis onera per portas ciuitatis huius in die sabbati et si sanctificaueritis diem sabbati ne faciatis in ea omne opus: 25 ingredientur per portas ciuitatis huius reges et principes sedentes super solium dauid· et ascendentes in curribus et equis ipsi et principes eorum viri iuda et habitatores iherusalem: et habitabitur ciuitas hec in sempiternum. 26 Et venient de ciuitatibus iuda in circuitu iherusalem et de terra beniamin et de campestribus et de montuosis et ab austro portantes olocaustum et victimam et sacrificium et thus: et inferent oblationem in domum domini. 27 Si autem non audieritis me vt sanctificetis diem sabbati et ne portetis onus et ne inferatis per portas iherusalem in die sabbati: succendam ignem in portis eius et deuorabit domos iherusalem: et non extinguetur.

18 Verbum quod factum est ad iheremiam a domino dicens. 2 Surge et descende in domum figuli: et ibi audies verba mea. 3 Et descendi in domum figuli: et ecce ipse faciebat opus super rotam: 4 et dissipatum est vas quod ipse faciebat e luto manibus suis. Conuersusque fecit illud vas alterum: sicut placuerat in oculis eius vt faceret. 5 Et factum est verbum domini ad me dicens. 6 Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus israhel ait dominus? Ecce sicut lutum in manibus figuli: sic vos domus israhel in manu mea. 7 Repente loquar aduersum gentem et aduersus regnum: vt eradicem et destruam et disperdam illud. 8 Si penitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum aduersus eam· agam et ego penitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei: 9 et subito loquar de gente et regno: vt edificem et plantem illud. 10 Si fecerit malum in oculis meis vt non audiat vocem meam: penitentiam agam super bono quod locutus sum vt facerem ei. 11 Nunc ergo dic viro iuda et habitatori iherusalem dicens. Hec dicit dominus. Ecce ego fingo contra vos malum: et cogito contra vos cogitationem. Reuertatur vnusquisque a via sua mala: et dirigite vias vestras et studia vestra. 12 Qui dixerunt. Disperauimus. Post cogitationes enim nostras ibimus: et vnusquisque prauitatem cordis sui mali faciemus. 13 Ideo hec dicit dominus. Interrogate gentes. Quis audiuit talia horribilia: que fecit nimis virgo israhel 14 Numquid deficiet de petra agri nix libani: aut euelli possunt aque erumpentes frigide et defluentes: 15 Quia oblitus est mei populus meus· frustra libantes et impingentes in vijs suis· et in semitis seculi: vt ambularent per eas in itinere non trito: 16 vt fieret terra eorum in desolationem et in sibulum sempiternum. Omnis qui preterierit per eam obstupescet: et mouebit caput suum. 17 Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimicis: dorsum et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum. 18 Et dixerunt. Venite et cogitemus contra iheremiam cogitationes. Non enim peribit lex a sacerdote: neque consilium a sapiente: nec sermo a propheta. Venite et percutiamus eum lingua: et non attendamus ad vniuersos sermones eius. 19 Attende domine ad me: et audi vocem aduersariorum meorum. 20 Nunquid redditur pro bono malum: quia foderunt foueam anime mee? Recordare quod steterim in conspectu tuo vt loquerer pro eis bonum: et auerterem indignationem tuam ab eis. 21 Propterea da filios eorum in famem: et deduc eos in manus gladij. Fiant vxores eorum absque liberis et vidue: et viri

earum interficiantur morte. Iuuenes eorum confodiantur gladio in prelio: [22] audiatur clamor de domibus eorum. Adduces enim super eos latronem repente: quia foderunt foueam vt caperent me: et laqueos absconderunt pedibus meis. [23] Tu autem domine scis omne consilium eorum aduersum me in mortem. Ne propicieris iniquitati eorum: et peccatum eorum a facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo: in tempore furoris tui abutere eis.

19 dicit dominus. Vade et accipe lagunculam figuli testem a senioribus populi et a senioribus sacerdotum: [2] et egredere ad vallem filiorum ennon que est iuxta introitum porte fictilis: et predicabis ibi verba que ego loquor ad te [3] et dices. Audite verbum domini reges iuda: et habitatores iherusalem. Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Ecce ego inducam afflictionem sup locum istum· ita vt omnis qui audierit illam tinniant aures eius [4] eo quod dereliquerint me· et alienum fecerint locum istum: et libauerunt in eo dijs alienis quos nescierunt ipsi et patres eorum et reges iuda: et repleuerunt locum istum sanguine innocentum: [5] et edificauerunt excelsa baalim ad comburendos filios suos igni in olocaustum que non precepi: nec locutus sum nec ascenderunt in cor meum. [6] Propterea ecce dies venient dicit dominus: et non vocabitur amplius locus iste thophet et vallis filij ennon: sed vallis occisionis. [7] Et dissipabo consilium iuda et iherusalem in loco isto: et subuertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum et in manu querentium animas eorum: et dabo cada eorum escas volatilibus celi et bestijs terre· [8] et ponam ciuitatem hanc in stuporem et in sibilum. Omnis qui preterierit per eam obstupescet: et sibilabit super vniuersa plaga eius. [9] Et cibabo eos carnibus filiorum suorum et carnibus filiarum suarum: et vnusquisque carnem amici sui comedet in obsidione et in angustia in qua concludent eos inimici eorum: et qui querunt animas eorum. [10] Et conteres lagunculam in oculis virorum qui ibunt tecum: [11] et dices ad eos. Hec dicit dominus exercituum. Sic conteram populum istum et ciuitatem istam sicut conteritur vas figuli quod non potest vltra instaurari. Et in thophet sepelientur: eo quod non sit alius locus ad sepeliendum. [12] Sic faciam loco huic ait dominus et habitatoribus eius: vt ponam ciuitatem istam sicut thophet. [13] Et erunt domus iherusalem et domus regum iuda sicut locus thophet immunde: omnes domus in quarum domatibus sacrificauerunt omni militie celi: et libauerunt libamina dijs alienis. [14] Venit autem iheremias de thophet quo miserat eum dominus ad prophetandum: et stetit in atrio domus domini: et dixit ad omnem populum. [15] Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Ecce ego inducam super ciuitatem hanc et super omnes vrbes eius vniuersa mala que locutus sum aduersum eam: quoniam indurauerunt ceruicem suam vt non audirent sermones meos.

20 Vt audiuit phassur filius emmer sacerdos qui constitutus erat princeps in domo domini iheremiam prophetantem sermones istos: [2] et percussit phassur iheremiam prophetam: et misit eum in neruum quod erat in porta beniamin superiori in domo domini. [3] Cumque illuxisset in crastinum eduxit phassur iheremiam de neruo: et dixit ad eum iheremias. Non phassur vocauit dominus nomen tuum sed pauorem vndique: [4] quia hec dicit dominus. Ecce ego dabo te in pauorem et omnes amicos tuos et corruent gladio inimicorum suorum: et oculi tui videbunt. Et omnem iudam dabo in manu regis babilonis? et traducet eos in babilonem: et percutiet eos gladio. [5] Et dabo vniuersam substantiam ciuitatis huius· et omnem laborem eius omneque precium et cunctos thesauros regum iuda dabo in manu inimicorum eorum: et diripient eos et tollent: et ducent in babilonem. [6] Tu autem phassur et omnes habitatores domus tue ibitis in captiuitatem: et in babilonem venies et ibi morieris: ibique sepelieris tu et omnes amici tui quibus prophetasti mendacium. [7] Seduxisti me domine et seductus sum: fortior me fuisti et inualuisti. Factus sum in derisum tota die. Omnes subsannabant me [8] quia iam olim loquor vociferans: iniquitatem et vastitatem clamito. Et factus est michi sermo domini in obprobrium et in derisum tota die. [9] Et dixi. Non recordabor eius: neque loquar vltra in nomine illius. Et factus est in corde meo quasi ignis exestuans· claususque in ossibus enim meis· et defeci ferre non sustinens. [10] Audiui contumelias multorum et terrorem in circuitu persequimini et persequamur eum: ab omnibus viris qui erant pacifici mei et custodientes latus meum. Si modo decipiatur et preualeamus aduersus eum: et consequamur vltionem ex eo. [11] Dominus autem mecum est quasi bellator fortis: idcirco qui persequuntur me cadent et infirmi erunt et confundentur vehementer: quia non intellexerunt obprobrium sempiternum quod nunquam delebitur. [12] Et tu domine exercituum probator iusti qui vides renes et cor: videam queso vltionem tuam ex eis. Tibi enim reuelaui causam meam. [13] Cantate domino laudate dominum: quia liberauit animam pauperis de manu malorum. [14] Maledicta dies in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea non sit benedicta. [15] Maledictus vir qui annunciauit patri meo dicens natus est tibi puer masculus: et quasi gaudio letificauit eum. [16] Sit homo ille vt sunt ciuitates quas subuertit dominus: et non penituit eum. Audiat clamorem mane et vlulatum in tempore meridiano: [17] quia non me interfecit a vulua vt fieret michi mater mea sepulcrum: et vulua eius conceptus eternus. [18] Quare de vulua egressus sum vt viderem laborem et dolorem: et consumerentur in confusione dies mei?

21 Verbum quod factum est ad iheremiam a domino: quando misit ad eum rex sedechias phassur filium helchie et sophoniam filium maasie sacerdotem dicens. [2] Interroga pro nobis dominum: quia nabuchodonosor rex babilonis preliatur aduersum nos: si forte faciat dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua et recedat a nobis. [3] Et dixit iheremias ad eos. Sic dicetis sedechie. [4] dicit dominus deus israhel. Ecce ego conuertam vasa belli que in manibus vestris sunt et quibus vos pugnatis aduersum regem babilonis et caldeos qui obsident vos in circuitu murorum: et congregabo ea in medio ciuitatis huius· [5] et debellabo ego vos in manu extenta et in brachio forti et in furore et in indignatione et in ira grandi: [6] et percutiam habitatores ciuitatis huius. Homines et bestie pestilentia magna morientur. [7] Et post hec ait dominus· dabo sedechiam regem iuda et seruos eius et populum eius et qui derelicti sunt in hac ciuitate a peste et gladio et fame in manu nabuchodonosor regis babilonis et in manu inimicorum eorum et in manu querentium animam eorum: et percutiet eos in ore gladij: et non mouebitur neque parcet nec miserebitur. [8] Et ad populum hunc dices. Hec dicit dominus. Ecce ego do coram vobis viam vite et viam mortis. [9] Qui habitauerit in vrbe hac morietur gladio et fame et peste: qui autem egressus fuerit et transfugerit ad caldeos qui obsident vos viuet: et erit ei anima sua quasi spolium. [10] Posui enim faciem meam super ciuitatem hanc in malum et non in bonum ait dominus. In manu regis babilonis dabitur: et exuret eam igni [11] et domum regis iuda. Audite verbum domini [12] domus dauid. Hec dicit dominus. Iudicate mane iudicium et eruite vi oppressum de manu calumniantis: ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea et succendatur et non sit qui extinguat: propter maliciam studiorum vestrorum. [13] Ecce ego ad te habitatricem vallis solide atque campestris ait dominus: qui dicitis quis percutiet nos et quis ingredietur domus nostras: [14] et visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum dicit dominus: et succendam ignem in saltu eius et deuorabit omnia in circuitu eius.

22 Hec dicit dominus. Descende in domum regis iuda: et loqueris ibi verbum hoc [2] et dices. Audi verbum domini rex iuda qui sedes super solium dauid: tu et serui tui et populus tuus qui ingredimini per portas istas. [3] Hec dicit dominus. Facite iudicium et iusticiam et liberate vi oppressum de manu calumniatoris: et aduenam et pupillum et viduam nolite contristare neque opprimatis inique: et sanguinem innocentem ne offendatis in loco isto. [4] Si enim facientes feceritis verbum istud· ingredientur per portas domus huius regis sedentes de genere dauid super thronum eius: et ascendentes currus et equos: ipsi et serui et populus eorum. [5] Quod si non audientis verbum hoc: in memetipso iuraui dicit dominus: quia in solitudinem erit domus hec. [6] Quia hec dicit dominus super domum regis iuda. Galaad tu michi caput libani. Si non posuero te solitudinem: vrbes inhabitabiles. [7] Et sanctificabo super te

interficientem virum et arma eius: et succident electas cedros tuas et precipitabunt in ignem: [8] et pertransibunt gentes multe per ciuitatem hanc et dicet vnusquisque proximo suo. Quare sic fecit dominus ciuitati huic grandi? [9] Et respondebunt. Eo quod reliquerint pactum domini dei sui: et adorauerint deos alienos: et seruierint illis. [10] Nolite flere mortuum: neque lugeatis super eum eum fletu. Plangite eum qui egreditur: quia non reuertetur vltra: nec videbit terram natiuitatis sue. [11] Quia hec dicit dominus ad sellum filium iosie regem iuda qui regnauit pro iosia patre suo qui egressus est de loco isto. Non reuertetur huc amulius: plius: [12] sed in loco ad quem transtuli eum ibi morietur: et terram istam non videbit amplius. [13] Ve qui edificat domum suam in iniusticia: et cenacula sua non in iudicio. Amicum suum opprimet frustra: et mercedem non reddet ei. [14] Qui dicit edificabo michi domum latam et cenacula spaciosa: qui aperit sibi fenestras et facit laquearia cedrina: pingitque sinopide. [15] Nunquid regnabis: quoniam confers te cedro? Pater tuus numquid non comedit et bibit et fecit iudicium et iusticiam: tunc cum bene erat ei? [16] Iudicauit causam pauperis et egeni in bonum suum. Nunquid non ideo: quia cognouit me dicit dominus? [17] Tui vero oculi et cor ad auariciam et ad sanguinem innocentem fundendum et ad calumniam: et ad cursum mali operis. [18] Propterea hec dicit dominus ad ioachim filium iosie regem iuda. Non plangent eum ve frater et ve soror: non concrepabunt ei ve domine et ve inclite. [19] Sepultura asini sepelietur: putrefactus et proiectus extra portas iherusalem. [20] Ascende libanum et clama: et in basan da vocem tuam et clama ad transeuntes: quia contriti sunt omnes amatores tui. [21] Locutus sum ad te in abundantia tua: dixisti non audiam. Hec est via mea ab ado tua: quia non audisti vocem meam. [22] Omnes pastores tuos pascet ventus: et amatores tui in captiuitatem ibunt. Et tunc confunderis et erubesces ab omni malicia tua: [23] que sedes in libano et nidificas in cedris. Quomodo congemuisti cum venissent tibi dolores quasi dolores parturientis? [24] Viuo ego dicit dominus: quia si fuerit iechonias filius ioakim regis iuda anulus in manu dextera mea inde euellam eum. [25] Et dabo te in manu querentium animam tuam et in manu quorum tu formidas faciem: et in manu nabuchodonosor regis babilonis: et in manus caldeorum. [26] Et mittam te et matrem tuam que genuit te in terram alienam in qua nati non estis: ibique moriemini. [27] Et in terram ad quam ipsi leuant animam suam vt reuertantur illuc: non reuertentur. [28] Nunquid vas fictile atque contritum vir iste iechonias? Anunquid vas absque omni voluptate? Quare abiecti sunt ipsi et semen eius: et proiecti in terram quam ignorauerunt: [29] Terra terra terra audi sermonem domini. [30] Hec dicit dominus. Scribe virum istum sterilem: virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium dauid: et potestatem habeat vltra in iuda.

23 Ve pastoribus: qui disperdunt et dilacerant gregem pascue mee dicit dominus. [2] Ideo hec dicit dominus deus israhel ad pastores qui pascunt populum meum. Vos dispersistis gregem meum et eiecistis eos: et non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos maliciam studiorum vestrorum ait dominus. [3] Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas eiecero eos illuc: et conuertam eos ad rura sua et crescent et multiplicabuntur: [4] et suscitabo super eos pastores et pascent eos. Non formidabunt vltra et non pauebunt: et nullus loqueretur ex numero dicit dominus. [5] Ecce dies veniunt dicit dominus: et suscitabo dauid germen iustum et regnabit rex et sapiens erit: et faciet iudicium et iusticiam in terra. [6] In diebus illis saluabitur iuda: et israhel habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum: dominus iustus noster. [7] Propter hoc ecce dies veniunt dicit dominus: et non dicent vltra viuit dominus qui eduxit filios israhel de terra egipti. [8] sed viuit dominus qui eduxit et adduxit semen domus israhel de terra aquilonis et de cunctis terris ad quas eieceram eos illuc: et habitabunt in terra sua. [9] Ad prophetas. Contritum est cor meum in medio mei: contremuerunt omnia ossa mea. Factus sum quasi vir ebrius: et quasi homo madidus a vino a facie domini et a facie verborum sanctorum eius: [10] quia adulterijs repleta est terra: quia a facie maledictionis luxit terra: arefacta sunt arua deserti. Factus est cursus eorum malus: et fortitudo eorum dissimilis. [11] Propheta nanque et sacerdos polluti sunt: et in domo mea inueni malum eorum ait dominus. [12] Idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim et corruent in ea. Afferam enim super eos mala: annum visitationis eorum ait dominus. [13] Et in prophetis samarie vidi fatuitatem: et prophetabant in baali: et decipiebant populum meum israhel. [14] Et in prophetis iherusalem vidi similitudinem adulterantium et iter mendacij: et confortauerunt manus pessimorum: vt non conuertetur vnusquisque a malicia sua. Facti sunt michi omnes vt zodoma: et habitatores eius quasi gomorra. [15] Propterea hec dicit dominus exercituum ad prophetas. Ecce ego cibabo eos absinthio: et potabo eos felle. A prophetis enim iherusalem egressa est pollutio super omnem terram. [16] Hec dicit dominus exercituum. Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis et decipiunt vos. Visionem cordis sui locuntur: non de ore domini. [17] Dicunt hijs qui blasphemant me locutus est dominus· pax erit vobis: et omni qui ambulat in prauitate cordis sui dixerunt: non veniet super vos malum. [18] Quis enim affuit in consilio domini: et vidit et audiuit sermonem eius? Quis considerauit verbum illius et audiuit? [19] Ecce turbo dominice indignationis egredietur: et tempestas erumpens super caput impiorum veniet. [20] Non reuertetur furor domini vsque dum faciat: et vsque dum compleat cogitationem cordis sui. In nouissimis diebus intelligetis consilium eius. [21] Non mittebam prophetas et ipsi currebant: non loquebar ad eos· et ipsi prophetabant. [22] Si stetissent in consilio meo et nota fecissent verba mea populo meo: auertissem vtique eos a via sua mala et cogitationibus suis pessimis. [23] Putasne deus e vicino ego sum dicit dominus: et non deus de longe? [24] Si occultabitur vir in absconditis? Et ego non videbo eum dicit dominus? Numquid non celum et terram ego implebo ait dominus? [25] Audiui que dixerunt prophete: prophetantes in nomine meo mendacium atque dicentes. Somniaui: somniaui. [26] Vsquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium: et prophetarum seductiones cordis sui? [27] Qui volunt facere vt obliuiscatur populus meus nominis mei· propter somnia eorum que narrant vnusquisque ad proximum suum: sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter baal. [28] Propheta qui habet somnium narret somnium: et qui habet sermonem meum loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum dicit dominus? [29] Numquid non verba mea sunt quasi ignis ait dominus: et quasi malleus conterens petram: [30] Propterea ecce ego ad prophetas ait dominus: qui furantur verba mea vnusquisque a proximo suo. [31] Ecce ego ad prophetas ait dominus qui assumunt linguas suas: et aiunt dicit dominus. [32] Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium dicit dominus: qui narrauerunt ea et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis cum ego non misissem eos· nec mandassem eis: qui nichil profuerunt populo huic dicit dominus. [33] Si igitur interrogauerit te populus iste vel propheta aut sacerdos dicens· quod est onus domini: dices ad eos. Vt quid vobis onus? Proiciam quippe vos dicit dominus: [34] et propheta et sacerdos et populus qui dicit onus domini: visitabo super virum illum et super domum eius. [35] Hec dicetis vnusquisque ad proximum et ad fratrem suum. Quid respondit dominus? Et quid locutus est dominus? [36] Et onus domini vltra non memorabitur: quia onus erit vnicuique sermo suus. Et puertistis verba dei viuentis: domini exercituum dei nostri. [37] Hec dices ad prophetam. Quid respondit tibi dominus: et quid locutus est dominus? [38] Si autem onus domini dixeritis: propter hoc hec dicit dominus. Quia dixistis sermonem istum onus domini: et misi ad vos dicens· nolite dicere onus domini: [39] propterea ecce ego tollam vos portans· et derelinquam vos et ciuitatem quam dedi vobis et patribus vestris a facie mea: [40] et dabo vos in opprobrium sempiternum: et in ignominiam eternam que numquam obliuione delebitur.

24 Ostendit michi dominus: et ecce duo calathi pleni ficis positi ante templum domini: postquam transtulit nabuchodonosor rex babilonis iechoniam filium ioakim regem iuda et principes eius et fabrum et inclusorem de iherusalem et adduxit eos in babilonem. [2] Calathus vnus ficus bonas habebit nimis: vt solent ficus esse primi temporis. Et calathus vnus ficus habebat malas nimis: que comedi non poterant eo quod essent male. [3] Et dixit dominus ad me. Quid tu vides iheremia? Et dixi. Ficus bonas· bonas valde: et

malas· malas valde: que comedi non possunt eo quod sint male. [4] Et factum est verbum domini ad me dicens. [5] Hec dicit dominus deus israhel. Sicut ficus hec bone sic cognoscam transmigrationem iuda quam emisi de loco isto in terram caldeorum in bonum: [6] et ponam oculos meos super eos ad placandum. Et reducam eos in terram hanc: et edificabo eos et non destruam: et plantabo eos et non euellam: [7] et dabo ris cor vt sciant me quia ego sum dominus. Et erunt michi in populum: et ego ero eis in deum: quia reuertentur ad me in toto corde suo. [8] Et sicut ficus pessime que comedi non possunt eo quod sint male: hec dicit dominus sic dabo sedechiam regem iuda et principes eius et reliquis de iherusalem qui remanserunt in vrbe hac: et qui habitant in terra egipti. [9] Et dabo eos in vexationem afflictionemque omnibus regnis terre: in opprobrium et in parabolam et in prouerbium et in maledictionem in vniuersis locis ad quas eieci eos: [10] et mittam in eis gladium et famem et pestem donec consumantur de terra quam dedi eis et patribus eorum.

25 Verbum quod factum est ad iheremiam de omni populo iude in anno quarto ioakim filij iosie regis iuda: ipse est annus primus nabuchodonosor regis babilonis. [2] Et locutus est iheremias propheta ad omnem populum iuda et ad vniuersos habitatores iherusalem dicens. [3] A terciodecimo anno iosie filij ammon regis iuda vsque ad diem hanc iste est tercius et vicesimus annus: factum est verbum domini ad me: et locutus sum ad vos de nocte consurgens et loquens et non audistis. [4] Et misit dominus ad vos omnes seruos suos prophetas consurgens diluculo mittensque et non audistis: neque inclinastis aures vestras vt audiretis [5] cum diceret. Reuertimini vnusquisque a via sua mala· et a pessimis cogitationibus vestris: et habitabitis in terra quam dedit dominus vobis et patribus vestris a seculo et vsque in celum. [6] Et nolite ire post deos alienos vt seruiatis eis adoretisque eos: neque me ad iracundiam prouocetis in operibus manuum vestrarum: et non affligam vos. [7] Et non audistis me dicit dominus: vt me ad iracundiam prouocaretis in operibus manuum vestrarum in malum vestrum. [8] Propterea hec dicit dominus exercituum. Pro eo quod non audistis verba mea: [9] ecce ego mittam et assumam vniuersas cognationes aquilonis ait dominus et nabuchodonosor regem babilonis seruum meum et adducam eos super terram istam et super habitatores eius et super omnes nationes que in circuitu eius sunt: et interficiam eos et ponam eos in stuporem et in sibilum et in solitudines sempiternas. [10] Perdamque ex eis vocem gaudij et vocem leticie: vocem sponsi et vocem sponse: vocem mole et lumen lucerne. [11] Et erit vniuersa terra eius in solitudinem et in stuporem: et seruient omnes gentes iste regi babilonis septuaginta annis. [12] Cunque impleti fuerint anni septuaginta visitabo super regem babilonis et super gentem illam dicit dominus iniquitatem eorum: et super terram caldeorum: et ponam illam in solitudines sempiternas. [13] Et adducam super terram illam omnia verba mea que locutus sum contra eam: omne quod scriptum est in libro isto· quecumque prophetauit iheremias aduersum omnes gentes: [14] quia seruierunt eis cum essent gentes multe et reges magni. Et reddam eis secundum opera eorum: et secundum facta manuum suarum. [15] Quia sic dicit dominus exercituum deus israhel. Sume calicem vini furoris huius de manu mea: et propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te [16] et bibent: et turbabuntur et insanient a facie gladij quem ego mittam inter eos. [17] Et accepi calicem de manu domini· et propinaui cunctis gentibus ad quas misit me dominus: [18] iherusalem et ciuitatibus iude et regibus eius et principibus eius vt darem eos in solitudinem et in stuporem et in sibilum et in maledictionem sicut est dies ista: et [19] pharaoni regi egipti et seruis eius et principibus eius et omni populo eius: [20] et vniuersis generaliter cunctis regibus terre ausitidis· et cunctis regibus terre philistijm et ascalonis et gaze et accaroni et reliquis azoti: [21] ydumee et moab et filijs ammon [22] et cunctis regibus tyri et vniuersis regibus sydonis et regibus terre insularum qui sunt trans mare: [23] et dedan et theman et buz et vniuersis qui attonsi sunt in comam [24] et cunctis regibus arabie et cunctis regibus occidentis qui habitant in deserto: [25] et cunctis regibus zambri et cunctis regibus elam et cunctis regibus medorum et [26] cunctis que regibus aquilonis de prope et delonge: vnicuique contra fratrem suum: et omnibus regnis terre que super faciem eius sunt. Et rex sesach bibet post eos. [27] Et dices ad eos. Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Bibite et inebriamini: et vomite et cadite: neque surgatis a facie gladij quem ego mittam inter vos. [28] Cunque noluerint accipere calicem de manu tua vt bibant: dices ad eos. Hec dicit dominus exercituum. Bibentes bibetis. [29] Quia ecce in ciuitate in qua inuocatum est nomen meum ego incipio affligere: et vos quasi innocentes et immunes eritis? Non eritis immunes. Gladium enim ego voco super omnes habitatores terre: dicit dominus exercituum. [30] Et tu prophetabis ad eos omnia verba hec: et dices ad illos. Dominus de excelso rugiet: et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam. Rugiens rugiet super decorem suum. Celeuma quasi calcantium concinetur aduersus omnes habitatores terre. [31] Peruenit sonitus vsque ad extrema terre: quia iudicium domino cum gentibus. Iudicatur ipse cum omni carne. Impios tradidi gladio dicit dominus. [32] Hec dicit dominus exercituum. Ecce afflictio egredietur de gente in gentem: et turbo magnus egredietur de summitatibus terre: [33] et erunt interfecti domini in die illa a summo terre vsque ad summum eius. Non plangentur: et non colligentur neque sepelientur: in sterquilinio super faciem terre iacebunt. [34] Vlulate pastores et clamate· et aspergite vos cinere oprimates gregis: quia completi sunt dies vestri vt interficiamini: et dissipationes vestre· et cadetis quasi vasa preciosa. [35] Et peribit fuga a pastoribus: et salutatio ab optimatibus gregis. [36] Vox clamoris pastorum et vlulatus optimatum gregis: quia vastauit dominus pascua eorum: [37] et conticuerunt arua pacis a facie ire furoris domini. [38] Dereliquit quasi leo vmbraculum suum: facta est terra eorum in desolationem a facie ire columbe: et a facie ire furoris domini.

26 In principio regni ioakim filie iosie regis iuda factum est verbum istud a domino dicens. [2] Hec dicit dominus. Sta in atrio domus domini: et loqueris ad omnes ciuitates iuda de quibus veniunt vt adorent in domo domini vniuersos sermones: quos ego mandaui tibi vt loquaris ad eos. Noli subtrahere verbum: [3] si forte audiant et conuertantur vnusquisque a via sua mala: et peniteat me mali quod cogito facere eis propter maliciam studiorum eorum. [4] Et dices ad eos. Hec dicit dominus. Si non audieritis me vt ambuletis in lege mea quam dedi vobis [5] vt audiatis sermonem seruorum meorum prophetarum quos ego misi ad vos de nocte consurgens et dirigens et non audistis: [6] dabo domum istam sicut sylo· et vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terre. [7] Et audierunt sacerdotes et prophete et omnis populus iheremiam loquentem verba hec in domo domini. [8] Cunque complesset iheremias loquens omnia que preceperat ei dominus vt loqueretur ad vniuersum populum: apprehenderunt eum sacerdotes et prophete et omnis populus dicens. Morte moriatur. [9] Quare prophetauit in nomine domini dicens: sicut sylo erit domus hec· et vrbs ista desolabitur eo quod non sit habitator? Et congregatus est omnis populus aduersus iheremiam in domo domini. [10] Et audierunt principes iuda verba hec: et ascenderunt de domo regis in domum domini: et sederunt in introitu porte domus domini noue. [11] Et locuti sunt sacerdotes et prophete ad principes et ad omnem populum dicentes. Iudicium mortis est viro huic: quia prophetauit aduersus ciuitatem istam sicut audistis auribus vestris. [12] Et ait iheremias ad omnes principes et ad vniuersum populum dicens. Dominus misit me vt prophetarem ad domum istam et ad ciuitatem hanc omnia verba que audistis. [13] Nunc ergo bonas facite vias vestras et studia vestra: et audite vocem domini dei vestri: et penitebit dominum mali quod locutus est aduersum vos. [14] Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite michi quod bonum et rectum est in oculis vestris. [15] Verumtamen scitote et cognoscite: si occideritis me sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos: et contra ciuitatem istam et habitatores eius. In veritate enim misit me dominus ad vos: vt loquerer in auribus vestris omnia verba hec. [16] Et dixerunt principes et omnis populus ad sacerdotes et ad prophetas. Non est viro huic iudicium mortis: quia in nomine domini dei nostri locutus est ad nos. [17] Surrexerunt ergo viri de senioribus terre: et dixerunt ad omnem cetum populi loquentes. [18] Micheas de moraschin fuit propheta in diebus ezechie regis iuda: et ait ad omnem populum iude dicens. Hec dicit dominus exercituum. Syon quasi ager arabitur: et iherusalem in

aceruum lapidum erit: et mons domus in excelsa siluarum. [19] Numquid morte condemnauit eum ezechias rex iuda et omnis iuda? Numquid non timuerunt dominum et deprecati sunt faciem domini: et penituit dominum mali quod locutus fuerat aduersum eos? Itaque non faciamus malum grande contra animas nostras. [20] Fuit quoque vir prophetans in nomine domini vrias filius semei de cariathiarim: et prophetauit aduersus ciuitatem istam· et aduersus terram hanc iuxta omnia verba iheremie. [21] Et audiuit rex ioakim et omnes potentes et principes eius verba hec: et quesiuit rex interficere eum. Et audiuit vrias et timuit: fugit que et ingressus est egiptum. [22] Et misit rex ioakim viros in egiptum helnathan filium achobor et viros cum eo in egiptum. [23] Et eduxerunt vriam de egipto: et adduxerunt eum ad regem ioakim et percussit eum gladio: et proiecit cadauer eius in sepulcris vulgi ignobilis. [24] Igitur manus archan filij saphan fuit cum iheremia vt non traderetur in manus populi et interficerent eum.

27 In principio regni ioakim filij iosie regis iuda factum est verbum istud ad iheremiam a domino dicens. [2] Hec dicit dominus ad me. Fac tibi vincula et cathenas et pones eos in collo tuo: [3] et mittes eas ad regem edom et ad regem moab et ad regem filiorum ammon et ad regem tyri et ad regem sydonis in manu nunciorum qui venerunt iherusalem ad sedechiam regem iuda: [4] et precipies eis vt ad dominos suos loquantur. Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Hec dicetis ad dominos vestros. [5] Ego feci terram et hominem et iumenta que sunt super faciem terre in fortitudine mea magna· et in brachio meo extento: et dedi eam ei qui placuit in oculis meis. [6] Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu nabuchodonosor regis babilonis serui mei: insuper et bestias agri dedi ei vt seruiant illi: [7] et seruient ei omnes gentes et filio eius et filio filij eius donec veniat tempus terre eius et ipsius. Et seruient ei gentes multe et reges magni: [8] gens autem et regnum quod non seruierit nabuchodonosor regi babilonis et quecunque non curuauerit collum suum sub iugo regis babilonis in gladio et in fame et in peste visitabo super gentem illam ait dominus: donec consumam eos in manu eius. [9] Vos ergo nolite audire prophetas vestros et diuinos et somniatores et augures et maleficos qui dicunt vobis non seruietis regi babilonis: [10] quia mendacium prophetant vobis vt longe faciant vos de terra vestra: et eiciant vos et pereatis. [11] Porro gens que subiecerit ceruicem suam sub iugo regis babilonis et seruierit ei et dimittam eam in terra sua dicit dominus: et colet eam et habitabit in ea. [12] Et ad sedechiam regem iuda locutus sum secundum omnia verba hec dicens. Subicite colla vestra sub iugo regis babilonis: et seruite ei et populo eius: et viuetis. [13] Quare moriemini tu et populus tuus gladio fame et peste: sicut locutus est dominus ad gentem que seruire noluerit regi babilonis· [14] Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis non seruietis regi babilonis: quia mendacium ipsi locuntur vobis. [15] Quia non misi eos ait dominus: et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter: vt eiciant vos et pereatis tam vos quam prophete qui vaticinantur vobis. [16] Et ad sacerdotes et ad populum istum locutus sum dicens. Hec dicit dominus. Nolite audire verba prophetarum vestrorum qui prophetant vobis dicentes: ecce vasa domini reuertentur de babilone nunc cito. Mendacium enim prophetant vobis. [17] Nolite ergo audire eos: sed seruite regi babilonis vt viuatis. Quare datur hec ciuitas in solitudinem? [18] Et si prophete sunt· et est verbum domini in eis occurrant domino execcituum: ercituum: vt non veniant vasa que derelicta fuerant in domo domini et regis iuda et in iherusalem babilonem. [19] Quia hec dicit dominus exercituum ad columnias ad mare et ad bases et ad reliqua vasorum que manserunt in ciuitate hac: [20] que non tulit nabuchodonosor rex babilonis cum transferret iechoniam filium ioachim regem iuda de iherusalem in babilonem et omnes optimates iuda et iherusalem. [21] Quia hec dicit dominus exercituum deus israhel ad vasa que derelicta sunt in domo domini et in domo regis iuda et iherusalem. [22] In babilonem transferentur: et ibi erunt vsque ad diem visitationis sue dicit dominus. Et afferri faciam ea et restitui in loco isto.

28 factum est in anno illo in principio regni sedechie regis iuda in anno quarto in mense quinto: dixit ad me ananias filius azur propheta de gabaon in domo domini coram sacerdotibus et omni populo dicens. [2] Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Contriui iugum regis babilonis. [3] Adhuc duo anni dierum: et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domini que tulit nabuchodonosor rex babilonis de loco isto: et transtulit ea in babilonem. [4] Et iheconiam filium ioakim regem iuda omnem transmigrationem et qui ingressi sunt in babilonem ego conuertam ad locum istum ait dominus. Conteram enim iugum regis babilonis. [5] Et dixit iheremias propheta ad ananiam prophetam in oculis sacerdotum et in oculis omnis populi qui stabat in domo domini: [6] et ait iheremias propheta. Amen. Sic faciat dominus. Suscitet dominus verba tua que prophetasti: vt referantur vasa in domum domini: et omnis transmigratio de babilone ad locum istum. [7] Verumtamen audi verbum hoc quod ego loquor in auribus tuis: et in auribus vniuersi populi. [8] Prophete qui fuerunt ante me et te ab inicio et prophetauerunt super terras multas et super regna de prelio et de afflictione et de fame: [9] propheta qui vaticinatus est pacem cum venerit verbum eius: scietur propheta quem misit dominus in veritate. [10] Et tulit ananias propheta cathenam de collo iheremie prophete: et confregit eam. [11] Et ait ananias in conspectu omnis populi dicens. Hec dicit dominus. Sic confringam iugum nabuchodonosor regis babilonis post duos annos dierum de collo omnium gentium. [12] Et abijt iheremias propheta in viam suam. Et factum est verbum domini ad iheremiam postquam confregit ananias propheta cathenam de collo iheremie prophete dicens. [13] Vade: et dices ananie. Hec dicit dominus. Cathenas ligneas contriuisti et facies pro eis cathenas ferreas: [14] quia hec dicit dominus exercituum deus israhel. Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum vt seruiant nabuchodonosor regi babilonis: et seruient ei: insuper et bestias terre dedi ei. [15] Et dixit iheremias propheta ad ananiam prophetam. Audi anania. Non misit te dominus: et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. [16] Idcirco hec dicit dominus. Ecce ego mittam te a facie terre. Hoc anno morieris. Aduersum enim dominum locutus es. [17] Et mortuus est ananias propheta in anno illo mense septimo.

29 hec sunt verba libri quem misit iheremias de iherusalem ad reliquias seniorum et transmigrationis ad sacerdotes et ad prophetas et ad omnem populum quem traduxerat nabuchodonosor de iherusalem in babilonem: [2] postquam egressus est iechonias rex et domina et eunuchi et principes iuda et iherusalem et faber et inclusor de iherusalem [3] in manu elasa filij saphan et gamalie filij helchie quos misit sedechias rex iuda ad nabuchodonosor regem babilonis in babilonem: dicens. [4] Hec dicit dominus exercituum deus israhel omni transmigrationi quam transtuli de iherusalem in babilonem. [5] Edificate domos et habitate: et plantate ortos et comedite fructum eorum. [6] Accipite vxores et generate filios et filias: et date filijs vestris vxores et filias vestras viris date· et pariant filios et filias: et multiplicabimini ibi et nolite esse pauci numero: [7] et querite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci et orate pro ea ad dominum: quia in pace illius erit pax vobis. [8] Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Non vos seducant prophete vestri qui sunt in medio vestrum et diuini vestri: et ne attendatis ad somnia vestra que vos somniatis [9] quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo: et non misi eos dicit dominus. [10] Quia hec dicit dominus. Cum ceperint impleri in babilone septuaginta anni visitabo vos et suscitabo super vos verbum meum bonum: vt reducam vos ad locum istum. [11] Ego enim scio cogitationes quas cogito super vos ait dominus· cogitationes pacis et non afflictionis vt dem vobis finem et patientiam: [12] et inuocabitis me et viuetis· et orabitis me et ego exaudiam vos: [13] queretis me et inuenietis. Cum quesieritis me in toto corde vestro: [14] inueniar a vobis ait dominus. Et reducam captiuitatem vestram: et congregabo vos de vniuersis gentibus et de cunctis locis ad que expuli vos dicit dominus. Et reuerti vos faciam de loco ad quem transmigrare vos feci: [15] quia dixistis. Suscitauit nobis dominus prophetas in babilone. [16] Quia hec dicit dominus ad regem qui sedet super solium da vicit dominus vid et ad omnem populum habitatorem vrbis huius: ad fratres vestros qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem. [17] Hec dicit dominus exercituum. Ecce mittam in eos gladium et famem et pestem: et ponam eos quasi ficus malas que

comedi non possunt eo quod pessime sint: [18] et persequar eos in gladio et in fame et in pestilentia. Et dabo eos in vexationem vniuersis regnis terre in maledictionem et in stuporem et in sibilum et in opprobrium cunctis gentibus ad quas ego eieci eos: [19] eo quod non audierint verba mea dicit dominus que misi ad eos per seruos meos prophetas de nocte consurgens et mittens: et non audistis dicit dominus. [20] Vos ergo audite verbum domini omnis transmigratio quam emisi de iherusalem in transmilonem. [21] Hec dicit dominus exercituum deus israhel ad ahab filium chulie et ad sedechiam filium maasie qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter. Ecce ego tradam eos in manus nabuchodonosor regis babilonis: et percutiet eos in oculis vestris. [22] Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi iude que est in babilone dicentium. Ponat te dominus sicut sedechiam et sicut ahab quos frixit rex babilonis in igne: [23] pro eo quod fecerint stulticiam in israhel et mechati sunt in vxores amicorum suorum: et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter quod non mandaui eis. Ego sum iudex et testis dicit dominus. [24] Et ad semeiam neelamiten dices. [25] Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Pro eo quod misisti in nomine meo libros ad omnem populum qui est in iherusalem et ad sophoniam filium maasie sacerdotem et ad vniuersos sacerdotes dicens: [26] dominus dedit te sacerdotem pro ioiade sacerdote vt sis dux in domo domini super omnem virum arrepticium et prophetantem vt mittas eum in neruum et in carcerem. [27] Et nunc quare non increpasti iheremiam anathotiten qui prophetat vobis? [28] Quia super hoc misit in babilonem ad nos dicens. Longum est: edificate domos et habitate: et plantate ortos et comedite fructus eorum. [29] Legit ergo sophonias sacerdos librum istum in auribus iheremie prophete. [30] Et factum est verbum domini ad iheremiam dicens. [31] Mitte ad omnem transmigrationem dicens. Hec dicit dominus ad semeiam neelamiten. Pro eo quod prophetauit vobis semeias et ego non misi eum: et fecit vos confidere in mendacio: [32] idcirco hec dicit dominus. Ecce ego visitabo super semeiam neelamiten et super semen eius. Non erit ei vir sedens in medio populi huius: et non videbit bonum quod ego faciam populo meo ait dominus: quia preuaricationem locutus est aduersus dominum.

30 Hoc verbum quod factum est ad iheremiam a domino dicens. [2] Hec dicit dominus deus israhel dicens. Scribe tibi omnia verba que locutus sum ad te in libro. [3] Ecce enim dies veniunt dicit dominus: et conuertam conuersionem populi mei israhel et iuda ait dominus: et conuertam eos ad terram quam dedi patribus eorum et possidebunt eam. [4] Et hec verba que locutus est dominus ad israhel et iudam: [5] quoniam hec dicit dominus. Vocem terroris audiuimus: formido: et non est pax. [6] Interrogate et videte si generat masculus. Quare ergo vidi omnis viri manus supra lumbum suum quasi parturientis? Et conuerse sunt vniuerse facies in auruginem. [7] Ve quia magna dies illa nec est similis eius: tempusque tribulationis est iacob: et ex ipso saluabitur. [8] Et erit: in die illa ait dominus exercituum conteram iugum eius de collo tuo: et vincula eius dirumpam. Et non dominabuntur ei amplius alieni: [9] sed seruient domino deo suo: et dauid regi suo quem suscitabo. [10] Tu ergo ne timeas serue meus iacob ait dominus: neque paueas israhel: quia ecce ego saluabo te de terra longinqua et semen tuum de terra captiuitatis eorum. Et reuertetur iacob et quiescet: et cunctis affluet bonis· et non erit quem formidet: [11] quoniam tecum ego sum ait dominus vt saluem te. Faciam enim consumationem in cunctis gentibus in quibus dispersi te: te autem non faciam in consumationem: sed castigabo te in iudicio vt non tibi videaris innoxius: [12] quia hec dicit dominus. Insanabilis fractura tua: pessima plaga tua. [13] Non est qui iudicet iudicium tuum: ad alligandam curationem tuam vtilitas non est tibi. [14] Omnes amatores tui obliti sunt tui: teque non querent. Plaga enim inimici percussi te: castigaturone crudeli. Propter multitudinem iniquitatis tue dura facta sunt peccata tua. [15] Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus. Propter multitudinem iniquitatis tue et dura peccata tua feci hec tibi. Propterea cata tua feci hec tibi. [16] Propterea omnes qui comedunt te deuorabuntur: et vniuersi si hostes tui in captiuitatem ducentur. Et omnes qui te vastant vastabuntur: cunctosque predatores tuos dabo in predam. [17] Obduram enim cicatricem tibi: et a vulneribus tuis sanabo te dicit dominus. Quia eiectam vocauerunt te syon: hec est que non habebat requirentem. [18] Hec dicit dominus. Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum iacob: et tectis eius miserebor. Et edificabitur ciuitas in excelso suo: et templum iuxta ordinem suum fundabitur. [19] Et egredietur de eis laus voxque ludentium: et multiplicabo eos et non minuentur: et glorificabo eos et non attenuabuntur: [20] et erunt filij eius sicut a principio: et recus cetus eius coram me permanebit. Et visitabo aduersum omnes qui tribulant eum: [21] et erit dux eius ex eo et princeps de medio eius producetur. Et applicabo eum: et accedet ad me. Quis enim iste est qui applicet cor suum: vt appropinquet michi ait dominus? [22] Et eritis michi in populum: et ego ero vobis in deum. [23] Ecce turbo domini furor egrediens: procella ruens in capite impiorum conquiescet. [24] Non auertet iram indignationis dominus: donec faciat et compleat cogitationem cordis sui. In nouissimo dierum intelligetis ea.

31 In tempore illo dicit dominus ero deus vniuersis cognationibus israhel: et ipsi erunt michi in populum. [2] Hec dicit dominus. Inuenit gratiam in deserto populus qui remanserat gladio. Vadet ad requiem suam israhel. [3] longe dominus apparuit michi. Et in caritate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans. [4] Rursumque edificabo te: et edificaberis virgo israhel. Adhuc ornaberis tympanis tuis: et egredieris in choro ludentium. [5] Adhuc plantabis vineas in montibus samarie. Plantabunt plantantes: et donec tempus veniat non vindemiabunt: [6] quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte ephraim. Surgite et ascendamus in syon ad dominum deum nostrum: [7] quia hec dicit dominus. Exultate in leticia iacob: et hinnite contra caput gentium: personate et canite: et dicite. Salua domine populum tuum reliquias israhel. [8] Ecce ego adducam eos de terra aquilonis: et congregabo eos ab extremis terre: inter quos erunt cecus et claudus et pregnans et pariens simul cetus magnus reuertentium huc. [9] In fletu venient: et in precibus reducam eos. Et adducam eos per torrentes aquarum in via recta et non impingent in ea: quia factus sum israheli pater: et ephraim primogenitus meus est. [10] Audite verbum domini gentes: et annunciate in insulis que procul sunt: et dicite. Qui dispersit israhel congregabit eum: et custodiet eum sicut pastor gregem suum. [11] Redimet enim dominus iacob: et liberabit eum de manu potentioris. [12] Et venient et laudabunt in monte syon: et confluent ad bona domini super frumento et vino et oleo et fetu pecorumet rum et rum et armentorum: eritque anima eorum quasi ortus irriguus: et vltra non esurient. [13] Tunc letabitur virgo in choro: iuuenes et senes simul. Et conuertam luctum eorum in gaudium: et consolabor eos: et letificabo a dolore suo. [14] Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine: et populus meus bonis meis adimplebitur ait dominus. [15] Hec dicit dominus. Vox in excelso audita est lamentaturonnis tationis tacionis luctus et fletus: rachel plorantis filios suos· et nolentis consolari super eis: quia non sunt. [16] Hec dicit dominus. Quiescat vox tua a ploratu et oculi tui a lacrimis: quia est merces operi tuo ait dominus. Et reuertentur de terra inimici: [17] et est spes nouissimis tuis ait dominus: et reuertentur filij tui ad terminos suos. [18] Audiens audiui ephraim transmigrantem. Castigasti me domine: et eruditus sum quasi iuuenculus indomitus. Conuerte me et reuertar: quia tu dominus deus meus. [19] Postquam enim conuertisti me egi penitentiam: et postquam ostendisti michi percussi femur meum. Confusus sum et erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentie mee. [20] Si filius honorabilis michi ephraim: si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo adhuc recordabor eius. Idcirco conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserabor eius ait dominus. [21] Statue tibi speculam: pone tibi amaritudines. Dirige cor tuum in viam rectam· in qua ambulasti. Reuertere virgo israhel: reuertere ad ciuitates tuas istas. [22] Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga? Quia creauit dominus nouum super terram: femina circumdabit virum. [23] Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Adhuc dicent verbum istud in terra iuda et in vrbibus eius: cum conuertero captiuitatem eorum. Benedicat tibi dominus pulcritudo iusticie mons sanctus. [24] Et habitabunt in eo iudas et omnes ciuitates eius simul agricole et minantes greges: [25] quia inebriaui animam lassam: et omnem animam esurientem saturaui. [26] Ideo quasi de somno suscitatus sum et vidi: et

somnus meus dulcis michi. 27 Ecce dies venient dicit dominus: et seminabo domum iuda et domum israhel semine hominis et semine iumentorum. 28 Et sicut vigilaui super eos vt euellerem et demolirer et dissiparem et disperderem et affligerem: sic vigilabo super eos vt edificem et plantem ait dominus. 29 In diebus illis non dicent vltra· patres comederunt vuam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt: 30 sed vnusquisque in iniquitate sua morietur. Omnis homo qui comederit vuam acerbam: obstupescent dentes eius. 31 Ecce dies venient dicit dominus· et feriam domui israhel et domui iuda fedus nouum. 32 Non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra egipti: pactum quod irritum fecerunt et ego dominatus sum eorum dicit dominus: 33 sed hoc erit pactum quod feriam cum domo israhel. Post dies illos dicit dominus dabo legem meam in visceribus eorum: et in corde eorum scribam eam: et ero eis in deum· et ipsi erunt michi in populum. 34 Et non docebit vltra vir proximum suum· et vir fratrem suum dicens: cognosce dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum vsque ad maximum ait dominus: quia propitiabor iniquitati eorum et peccati eorum non ero memor amplius. 35 Hec dicit dominus qui dat solem in lumine diei· ordinem lune et stellarum in lumine noctis: qui turbat mare et sonant fluctus eius: dominus exercituum nomen illi. 36 Si defecerint leges iste coram me dicit dominus: tunc et semen israhel deficiet vt non sit gens coram me cunctis diebus. 37 Hec dicit dominus. Si mensurari poterint celi sursum et inuestigari fundamenta terre deorsum: et ego abiciam vniuersum semen israhel propter omnia que fecerunt dicit dominus. 38 Ecce dies venient dicit dominus: et edificabitur ciuitas domino a turre ananehel vsque ad portam anguli. 39 Et exibit vltra norma mensure in conspectu eius super collem gareb: et circuibit goatha 40 et omnem vallem cadauerum et cineres et vniuersam regionem mortis· vsque ad torrentem cedron et vsque ad angulum porte equorum orientalis. Sanctum domini non euelletur: et non destruetur vltra in perpetuum.

32 Verbum quod factum est ad iheremiam domino in anno decimo sedechie regis iuda: ipse est annus octauus decimus nabuchodonosor. 2 Tunc exercitus regis babilonis obsidebat iherusalem: et iheremias propheta erat clausus in trio carceris qui erat in domo regis iuda 3 Clauserat enim eum sedechias rex iuda dicens. Quare vaticinaris dicens hec dicit dominus· ecce ego dabo ciuitatem istam in manus regis babilonis et capiet eam· 4 et sedechias rex iuda non effugiet de manu caldeorum sed tradetur in manus regis babilonis· et loquetur os eius cum ore illius et oculi eius oculos illius videbunt· 5 et in babilonem ducet sedechiam: et ibi erit donec visitem eum ait dominus: si autem dimicaueritis aduersum caldeos nichil prosperum habebitis? 6 Et dixit iheremias. Factum est verbum domini ad me dicens. 7 Ecce ananehel filius sellum patruelis tuus veniet ad te dicens. Eme tibi agrum meum qui est in anathot. Tibi enim competit ex propinquitate vt emas. 8 Et venit ad me ananehel filius patrui mei secundum verbum domini ad vestibulum carceris: et ait ad me. Posside agrum meum qui est in anathot in terra beniamin: quia tibi competit hereditas et tu propinquus es vt possideas. Intellexi autem quod verbum domini esset. 9 Et emi agrum ab ananehel filio patrui mei qui est in anathot. Et appendi ei argentum septem stateres· et decem argenteos: 10 et scripsi in libro et signaui: et adhibui testes. Et appendi argentum in statera: 11 et accepi librum possessionis signatum et stipulationes et rata et signa forinsecus. 12 Et dedi librum possessionis baruch filio neri filij maasie in oculis ananehel patruelis mei et in oculis testium qui scripti erant in libro emptionis: et in oculis omnium iudeorum qui sedebant in atrio carceris. 13 Et precepi baruch coram eis dicens. 14 Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Sume libros istos: librum emptionis hunc signatum· et librum hunc qui apertus est: et pones illos in vase victili vt permanere possint diebus multis. 15 Hec enim dicit dominus exercituum deus israhel. Adhuc possidebuntur domus et agri et vinee in terra ista. 16 Et oraui ad dominum postquam tradidi librum possessionis baruch filio neri dicens. 17 Heu heu heu domine deus. Ecce tu fecisti celum et terram in fortitudine tua magna: et in brachio tuo extento. Non erit tibi difficile omne verbum 18 qui facis misericordiam in nubibus: et reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos fortissime magne et potens· dominus exercituum nomen tibi: 19 magnus in consilio et incomprehensibilis in cogitatu: cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum adam· vt reddas vnicuique secundum vias suas· et secundum fructum adinuentionum eius: 20 qui posuisti signa et portenta in terra egipti vsque ad diem hanc et in israhel et in hominibus: et tibi fecisti nomen sicut est dies hec. 21 Et eduxisti populum tuum israhel de terra egipti in signis et in portentis et in manu robusta et in brachio extento et in terrore magno: 22 et dedisti eis terram hanc quam iurasti patribus eorum vt dares eis terram fluentem lacte et melle: 23 et ingressi sunt et possederunt eam. Et non obedierunt voci tue et in lege tua non ambulauerunt: omnia que mandasti eis vt facerent non fecerunt: et euenerunt eis omnia mala hec. 24 Ecce munitiones exstructe sunt aduersum ciuitatem vt capiatur: et vrbs data est in manus caldeorum qui preliantur aduersus eam a facie gladij et famis et pestilentie: et quecumque locutus es acciderunt vt tu ipse cernis. 25 Et tu dicis michi domine deus· eme agrum argento et adhibe testes: cum rum vrbs data sit in manus caldeorum? 26 Et factum est verbum domini ad iheremiam dicens. 27 Ecce ego dominus deus vniuerse carnis. Numquid michi difficile erit omne verbum? 28 Propterea hec dicit dominus. Ecce ego tradam ciuitatem istam in manus caldeorum et in manus regis babilonis et capient eam: 29 et venient caldei preliantes aduersum vrbem hanc· et succendent eam igni et comburent eam: et domus in quarum domatibus sacrificabant baal et libabant dijs alienis libamina ad irritandum me. 30 Erant enim filij israhel et filij iuda iugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua: filij israhel qui vsque nunc exacerbabant me in opere manuum suarum dicit dominus: 31 quia in furore et in indignatione mea facta est michi ciuitas hec a die qua edificauerunt eam vsque ad diem istam qua auferetur de conspectu meo 32 propter maliciam filiorum israhel et filiorum iuda quam fecerunt ad iracundiam me prouocantes· ipsi et reges eorum et principes eorum et sacerdotes et prophete eorum viri iuda et habitatores iherusalem. 33 Et verterunt ad me terga et non facies: cum docerem eos et erudirem diluculo: et nollent audire vt acciperent disciplinam. 34 Et posuerunt ydola sua in domo in qua inuocatum est nomen meum vt polluerent eam: 35 et edificauerunt excelsa baal que sunt in valle filij ennon vt iniciarent filios suos et filias suas moloch quod non mandaui eis nec ascendit in cor meum vt facerent abominationem hanc: et in peccatum deducerent iudam. 36 Et nunc propter ista hec dicit dominus deus israhel ad ciuitatem hanc: de qua vos dicitis quod tradatur in manus regis babilonis in gladio et in fame et in peste. 37 Ecce ego congregabo eos de vniuersis terris ad eieci eos in furore meo et in ira mea et in indignatione grandi: et reducam eos ad locum istum et habitare eos faciam confidenter: 38 et erunt michi in populum et ego ero eis in deum. 39 Et dabo eis cor vnum et viam vnam vt timeant me vniuersis diebus: et bene sit eis et filijs eorum post eos. 40 Et feriam eis pactum sempiternum et non desinam eis benefacere: et timorem meum dabo in corde eorum vt non recedant a me: 41 et letabor super eis cum bene eis fecero. Et plantabo eos in terra ista in veritate in toto corde meo et in tota anima mea: 42 quia hec dicit dominus. Sicut adduxi super populum istum omne malum hoc grande: sic adducam super eos omne bonum quod ego loquor ad eos. 43 Et possidebuntur agri in terra ista de qua vos dicitis quod deserta sit eo quod non remanserit homo et iumentum: et data sit in manus caldeorum. 44 Agri ementur pecunia et scribentur in libro et imprimetur signum: et testis adhibetur in terra beniamin et in circuitu iherusalem in ciuitatibus iuda et in ciuitatibus montanis et in ciuitatibus campestribus et in ciuitatibus que ad austrum sunt: quia conuertam captiuitatem eorum ait dominus.

33 factum est verbum domini ad iheremiam secundo: cum adhuc clausus esset in atrio carceris dicens. 2 Hec dicit dominus qui facturus est et formaturus illud et paraturus: dominus nomen eius. 3 Clama ad me et exaudiam te: et annunciabo tibi grandia et firma que nescis. 4 Quia hec dicit dominus deus israhel ad domos vrbis huius et ad domos regis iuda que destructe de sunt et ad munitiones et gladium 5 venientium vt dimicent cum caldeis et impleant eas cadaueribus hominum quas percussi in furore meo et in

indignatione mea: abscondens faciem meam a ciuitate hac propter omnem maliciam eorum. [6] Ecce ego obducam eis cicatricem et sanitatem: et curabo eos: et reuelabo eis deprecationem pacis et veritatis. [7] Et conuertam conuersionem iuda et conuersionem iherusalem· et edificabo eos sicut a principio: [8] et emundabo eos ab omni iniquitate sua in qua peccauerunt michi: et propicius ero cunctis iniquitatibus eorum in quibus deliquerunt michi et spreuerunt me. [9] Et erunt michi in nomen et in gaudium et in laudem et in exultationem cunctis gentibus terre que audierint omnia bona que ego facturus sum eis: et pauebunt et turbabuntur in vniuersis locis et in omni pace quam ego faciam eis. [10] Hec dicit dominus. Adhuc audietur in loco isto quem vos dicitis esse desertum eo quod non sit homo et iumentum in ciuitatibus iuda et foris iherusalem que desolate sunt absque homine et absque habitatore et absque pecore· [11] vox gaudij et vox leticie vox sponsi et vox sponse: vox dicentium confitemini domino exercituum quoniam bonus dominus· quoniam in eternum misericordia eius: et portantium vota in domo domini. Reducam enim conuersionem terre sicut a principio dicit dominus. [12] Hec dicit dominus exercituum. Adhuc erit in loco isto deserto absque homine et absque iumento· et in cunctis ciuitatibus eius habitaculum pastorum accubantium gregum [13] in ciuitatibus montuosis et in ciuitatibus campestribus: et in ciuitatibus que ad austrum sunt et in terra beniamin et in circuitu iherusalem et in ciuitatibus iuda: adhuc transibunt greges ad manum numerantis ait dominus. [14] Ecce dies venient dicit dominus: et suscitabo verbum bonum quod locutus sum ad domum israhel et ad do domum iuda. [15] In diebus illis et in tempore illo germinare faciam dauid germen iusticie: et faciet iudicium et iusticiam in terra. [16] In diebus illis saluabitur iuda: et israhel habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum: dominus iustus noster. [17] Quia hec dicit dominus. Non interibit de dauid vir qui sedeat super thronum domus israhel: [18] et de sacerdotibus et de leuitis non interibit vir a facie mea qui offerat olocaustomata et incendat sacrificium et cedat victimas omnibus diebus. [19] Et factum est verbum domini ad iheremiam dicens. [20] Hec dicit dominus. Si irritum potest fieri pactum meum cum die pactum meum cum nocte vt non sit dies et nox in tempore suo: [21] et pactum meum irritum esse poterit cum dauid suo meo vt non sit ex eo filius qui regnet throno eius: et leuite et sacerdotes ministri mei. [22] Sicuti enumerari non possunt stelle celi et numerari arene maris: sic multiplicabo semen dauid serui mei: et leuitas ministros meos. [23] Et factum est verbum domini ad iheremiam dicens. [24] Nunquid non vidisti quid populus hic locutus sit dicens· due cognationes quas elegerat dominus abiecte sunt? Et populum meum despexerunt: eo quod non sit vltra gens coram eis. [25] Hec dicit dominus. Si pactum meum inter diem et noctem et leges celo et terre non posui· [26] equidem et semen iacob et dauid serui mei proiciam: vt non assumam de semine eius principes seminis abraham et n v ysaac et iacob. Reducam enim conuersionem eorum: et miserebor eis.

34 Verbum quod factum est ad iheremiam a domino: quando nabuchodonosor rex babilonis et omnis exercitus eius vniuersaque regna terre que erant sub potestate manus eius et omnes populi bellabant contra iherusalem et contra omnes vrbes eius dicens. [2] Hec dicit dominus deus israhel. Vade et loquere ad sedechiam regem iuda: et dices ad eum. Hec dicit dominus. Ecce ego tradam ciuitatem hanc in manus regis babilonis: et succendet eam igni. [3] Et tu non effugies de manu eius sed comprehensione capieris et in manu eius traderis: et oculi tui oculos regis babilonis videbunt· et os eius cum ore tuo loquetur: et babilonem introibis. [4] Attamen audi verbum domini sedechia rex iuda. Hec dicit dominus ad te. Non morieris in gladio [5] sed in pace morieris: et secundum combustiones patrum tuorum regum priorum qui fuerunt ante te sic comburent te· et ve domine plangent te: quia verbum hoc ego locutus sum dicit dominus. [6] Et locutus est iheremias propheta ad sedechiam regem iuda vniuersa verba hec in iherusalem: [7] et exercitus regis babilonis pugnabat contra iherusalem et contra omnes ciuitates iuda que relique erant contra lachis et contra azecha. Hee enim supererant de ciuitatibus iuda vrbes munite. [8] Verbum quod factum est ad iheremiam a domino. postquam percussit rex sedechias fedus cum omni populo in iherusalem predicans [9] vt dimitteret vnusquisque seruum suum et vnus quisque ancillam suam hebreum et hebream liberos: et nequaquam dominarentur eis id est in iudeo et in fratre suo. [10] Audierunt ergo omnes principes et vniuersus populus qui inierunt pactum vt dimitteret vnusquisque seruum suum et vnusquisque ancillam suam liberos: et vltra non dominarentur eis. Audierunt igitur: et dimiserunt. [11] Et conuersi sunt deinceps et retraxerunt seruos suos et ancillas suas quos dimiserunt liberos: et subiugauerunt in famulos et famulas. [12] Et factum est verbum ad iheremiam a domino dicens. [13] Hec dicit dominus deus israhel. Ego percussi fedus cum patribus vestris: in die qua eduxi eos de terra egipti de domo seruitutis dicens. [14] Cum completi fuerint septem anni dimittat vnusquisque fratrem suum hebreum qui venditus est ei: et seruiet tibi sex annis: et dimittes eum a te liberum. Et non audierunt patres vestri me: nec inclinauerunt aurem suam. [15] Et conuersi estis vos hodie et fecistis quod rectum est in oculis meis vt predicaretis libertatem vnusquisque ad amicum suum: et inistis pactum in conspectu spectu meo in domo in qua inuocatum est nomen meum super eam. [16] Et reuersi estis et commaculastis nomen meum: et reduxistis vnusquisque seruum suum et vnusquisque ancillam suam quos dimiseratis vt essent liberi et sue potestatis: et subiugastis eos vt sint vobis serui et ancille. [17] Propterea hec dicit dominus. Vos non audistis me: vt predicaretis libertatem vnusquisque fratri suo et vnusquisque amico suo. Ecce ego predico libertatem ait dominus ad gladium ad pestem et ad famem: et dabo vos in commotionem cunctis regnis terre. [18] Et dabo viros qui preuaricantur meum et non obseruauerunt verba federis quibus assensi sunt in conspectu quibus meo· vitulum quem conciderunt in duas partes et transierunt inter diuisiones eius· [19] principes iuda et principes iherusalem· terre eunuchi et sacerdotes et omnis populus terre qui transierunt inter diuisiones vituli: [20] et dabo eos in manus inimicorum suorum et in manus querentium animam eorum: et erit morticinum eorum in escam principes volatilibus celi in et bestijs terre. [21] Et sedechiam regem da et principes eius dabo in manus inimicorum suorum et in manus querentium animas eorum: et in manus exercituum re babilonis qui recesserunt a vobis. [22] Ecce ego precipio dicit dominus: et reducam eos in ciuitatem hanc et preliabuntur aduersum eam: et capient eam et incendent igni. Et ciuitates iuda dabo in solitudinem: eo quod non sit habitator.

35 Verbum quod factum est ad iheremiam a domino in diebus ioakim filij iosie regis iuda dicens. [2] Vade ad domum rechabitarum et loquere eis: et introduces eos in domum domini in vnam exedram thesaurorum: et dabis eis bibere vinum. [3] Et assumpsi iechoniam filium iheremie filij absame et fratres eius et omnes filios eius et vniuersam domum rechabitarum: [4] et introduxi eos in domum domini ad gazophilacium filiorum anan filij iezedelie hominis dei quod erat iuxta gazophilacium super thesaurum maasie filij sellum: qui erat principum custos vestibuli. [5] Et posui coram filijs plenos domus rechabitarum ciphos vino et calices: et dixi ad eos. Bibite vinum. [6] Qui responderunt. Non bibemus vinum: quia ionadab filius rechab pater noster precepit nobis dicens. Non bibetis vinum vos et filij vestri vsque in sempiternum. [7] Et domum non edificabitis et sementem non seretis et vineas non plantabitis plantabitis sed in taberplantabitis nec habebitis: sed in taberhabitabitis cunctis diebus vestris: vt viuatis diebus multis super faciem terre in qua vos peregrinamini. [8] Obediuimus ergo voci ionadab filij rechab patris nostri in omnibus que precepit nobis: ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos et mulieres nostre fiet filie nostre [9] et non edificaremus domos ad habitandum: et vineam et et sementem non habuimus: [10] sed habitauimus in tabernaculis: et obedientes fuimus iuxta omnia que precepit nobis ionadab pater noster. [11] Cum autem ascendisset nabuchodonosor rex babilonis ad terram nostram diximus. Veniet ingrediamur in iherusalem a facie et exercitus caldeorum et a et exercitus syrie: et mansimus in iherusalem. [12] Et factum est verbum domini ad iheremiam dicens. [13] Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Vade et dic viris iuda et habitatoribus iherusa Numquid non recipietis disciplinam: vt obediatis verbis meis dicit dominus? [14] Preualuerunt sermones ionadab filij rechab quos

precepit filijs suis vt non biberent vinum: et non biberunt vsque ad diem hanc: quia obedierunt precepto patris sui. Ego autem locutus sum ad vos de mane consurgens et loquens: et non obedistis michi. [15] Misique ad vos omnes seruos meos prophetas consurgens culo: mittensque et dicens. Conuertimini vnusquisque a via sua pessima et bona facite studia vestra: et nolite sequi deos alienos neque colatis eos: et habitabitis in terra quam dedi vobis et patribus vestris. Et non inclinastis aurem vestram: neque audistis me. [16] Firmauerunt igitur ionadab filij rechab preceptum patris sui quod preceperat eis: populus autem iste non obediuit michi. [17] Adcirco hec dicit dominus exercituum· deus israhel. Ecce ego adducam super iudam et super omnes dominus israhel. Ecce ego adducam super iudam et super omnes iherusalem vniuersam afflictionem quam locutus sum aduersum illos: eo quod locutus sum ad illos et non audierunt: vocaui illos et non responderunt michi. [18] Domui autem rechabitarum dixit iheremias. Hec dicit dominus exercituum· deus israhel. Pro eo quod obedistis precepto ionadab patris vestri et custodistis omnia mandata eius et fecistis vniuersa que precepit vobis: [19] propterea hec dicit dominus exercituum deus israhel· Non deficiet vir de stirpe ionadab filij rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.

36 Et factum est in anno quarto ioakim filij iosie regis iuda: factum est verbum hoc ad iheremiam a domino dicens. [2] Tolle volumen libri et scribes in eo omnia verba que locutus sum tibi aduersus israhel et iudam et aduersum omnes gentes a die qua locutus sum ad te ex diebus iosie vsque ad diem hanc: [3] si forte audiente domo iuda· vniuersa mala que ego cogito facere eis· reuertatur vnusquisque a via sua pessima: et propitius ero iniquitati et peccato eorum. [4] Vocauit ergo iheremias baruch filium nerie: et scripsit baruch ex ore iheremie omnes sermones domini quos locutus est ad eum in volumine libri. [5] Et precepit iheremias baruch dicens. Ego clausus sum: nec valeo ingredi in domum domini. [6] Ingredere ergo tu et lege de volumine in quo scripsisti ex ore meo verba domini audiente populo in domo domini in die ieiunij: insuper et audiente vniuerso iuda qui veniunt de ciuitatibus suis. Leges eis: [7] si forte cadat oratio eorum in conspestu domini et reuertatur vnusquisque a via sua pessima: quoniam magnus furor et indignatio est quam locutus est dominus aduersus populum hunc. [8] Et fecit baruch filius nerie iuxta omnia que preceperat ei iheremias propheta: legens ex volumine sermones domini in domo domini. [9] Factum est autem in anno quinto ioakim filie iosie regis iuda: in mense nono predicauerunt ieiunium in conspectu domini omni populo in iherusalem et vniuerse multitudini que confluxerat de ciuitatibus iuda in iherusalem. [10] Legitque baruch ex volumine sermones iheremie in domo domini in gazophilacio gamarie filij saphan scribe· in vestibulo superiori in introitu porte noue domus domini: audiente omni populo. [11] Cunque audisset micheas filius gamarie filij saphan omnes sermones domini ex libro: [12] descendit in domum regis ad gazophilacium scribe. Et ecce ibi omnes principes sedebant: elisama scriba et dalaias filius semeie et helnathan filius achobor et gamarias filius saphan et sedechias filius annanie et vniuersi principes. [13] Et nunciauit eis micheas omnia verba: que audiuit legentem baruch ex volumine in auribus populi. [14] Miserunt itaque omnes principes ad baruch iudi filium nathanie filij selemie filij chusi dicentes. Volumen ex quo legisti audiente populo sume in manu tua et veni. Tulit ergo baruch filius nerie volumen in manu sua: et venit ad eos. [15] Et dixerunt ad eum. Sede: et lege hec in auribus nostris. Et legit baruch in auribus eorum. [16] Igitur cum audissent omnia verba· obstupuerunt vnusquisque ad proximum suum: et dixerunt ad baruch. Nunciare debemus regi omnes sermones istos. [17] Et interrogauerunt eum dicentes. Indica nobis: quomodo scriplisti omnes sermones istos ex ore eius. [18] Dixit autem eis baruch. Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos: et ego scribebam in volumune lumine atramento. [19] Et dixerunt principes ad baruch. Vade et abscondere tu et iheremias: et nemo sciat vbi sitis. [20] Et ingressi sunt ad regem in atrium. Porro volumen commendauerunt in gazophilatio elisame scribe: et nunciauerunt audiente rege omnes sermones. [21] Misitque rex iudi vt sumeret volumen: qui tollens illud de gazophilacio elisame scribe legit audiente rege: et vniuersis principibus qui stabant circa regem. [22] Rex autem sedebat in domo hiemali in mense nono: et posita erat arula coram eo plena prunis. [23] Cunque legisset iudi tres pagellas vel quatuor scidit illud scalpello scribe et proiecit in ignem qui erat super arulam: donec consumeretur omne volumen igni qui erat in arula. [24] Et non timuerunt neque sciderunt vestimenta sua rex et omnes serui eius: qui audierunt vniuersos sermones istos. [25] Veruntamem elnathan et dalaias et gamarias contradixerunt regi ne combureret librum: et non audiuit eos. [26] Et precepit rex iheremiel filio amalech et saraie filio ezrihel et selemie filio abdehel: vt comprehenderent baruch scribam et iheremiam prophetam. Abscondit autem eos dominus. [27] Et factum est verbum domini ad iheremiam prophetam: postquam combusserat rex volumen et sermones quas scripserat baruch ex ore iheremie dicens. [28] Rursum tolle volumen aliud: et scribe in eo omnes sermones priores qui erant in primo volumine quod combussit ioakim rex iuda. [29] Et ad regem ioakim regem iuda dicens. Hec dicit dominus. Tu combussisti volumen istud dicens. Quare scripsisti in eo annuncians· festinus veniet rex babilonis: et vastabit terram hanc et cessare faciet ex illa hominem et iumentum· [30] Propterea hec dicit dominus deus contra ioakim regem iuda. Non erit ex eo qui sedeat super solium dauid: et cadauer eius proicietur ad estum per diem et ad gelu per noctem. [31] Et visitabo contra eum et contra semen eius et contra seruos eius iniquitates suas: et adducam super eos et super habitatores iherusalem et super viros iuda omne malum quod locutus sum ad eos: et non audierunt. [32] Iheremias autem tulit volumen aliud et dedit illud baruch filio nerie scribe: qui scripsit in eo ex ore iheremie omnes sermones libri quem combusserat ioakim rex iuda igni: et insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerunt.

37 regnauit rex sedechias filius iosie pro iechonia filio ioakim quem constituit regem nabuchodonosor rex babilonis in terra iuda: [2] et non obediuit ipse et serui eius et populus terre verbis domini que locutus est in manu iheremie prophete. [3] Et misit rex sedechias iuchal filium selemie et sophoniam filium maasie sacerdotem ad iheremiam prophetam dicens. Ora pro nobis dominum deum nostrum. [4] Iheremias autem libere ambulabat in medio populi. Non enim miserat eum in custodiam carceris. Igitur exercitus pharaonis egressus est de egipto: et audientes caldei qui obsidebant iherusalem huiuscemodi nuncium recesserunt ab iherusalem. [5] Et factum est verbum domini ad iheremiam prophetam dicens. [6] Hec dicit dominus deus israhel. Sic dicetis regi iuda qui misit vos ad me interrogandum. Ecce exercitus pharaonis qui egressus est vobis in auxilium reuertetur in terram suam in egiptum: [7] et redient caldei et bellabunt contra ciuitatem hanc: et capient eam et succendent igni. [8] Hec dicit dominus. Nolite decipere animas vestras dicentes euntes abibunt et recedent a nobis caldei: quia non abibunt. [9] Sed et si percusseri omnem exercitum caldeorum qui preliantur aduersum vos et derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de tentorio suo consurgent· et incendent ciuitatem hanc igni. [10] Ergo cum recessisset exercitus caldeorum ab iherusalem propter exercitum pharaonis· [11] egressus est iheremias de iherusalem vt iret in terram beniamin: et diuideret ibi possessionem in conspectu ciuium. [12] Cunque peruenisset ad portam beniamin erat ibi custos porte per vices nomine iherias filius selemie filij ananie: et apprehendit iheremiam prophetam dicens. Ad caldeos profugis. [13] Et respondit iheremias. Falsum est· non fugio ad caldeos. Et non audiuit eum: sed comprehendit iherias iheremiam: et adduxit eum ad principes. [14] Quamobrem irati principes contra iheremiam: cesum eum miserunt in carcerem qui erat in domo ionathan scribe. Ipse enim prepositus erat super carcerem. [15] Itaque ingressus est iheremias in domum laci et in ergastulum: et sedit ibi iheremias diebus multis. [16] Mittens autem sedechias rex tulit eum: et interrogauit eum in domo sua abscondite: et dixit. Putasne est sermo a domino? Et dixit iheremias. Est. Et ait. In manus regis babilonis traderis. [17] Et dixit iheremias ad regem sedechiam. Quid peccaui tibi et seruis tuis et populo tuo: quia misisti me in domum carceris? [18] Vbi sunt prophete vestri qui prophetabant vobis et dicebant: non veniet rex babilonis super vos et super terram hanc? [19] Nunc ergo audi obsecro domine mi rex. Valeat deprecatio mea in conspectu tuo: et ne me remittas in domum ionathe

scribe ne moriar ibi. [20] Precepit ergo rex sedechias vt traderetur iheremias in vestibulum carceris: et daretur ei torta quotidie panis excepto pulmento: donec consumerentur omnes panes de ciuitate. Et mansit iheremias in vestibulo carceris.

38 Audiuit autem saphacias filius madian et ihedelias filius phassur et iuchal filius selemie et phassur filius melchie sermones quos iheremias loquebatur ad omnem populum dicens. [2] Hec dicit dominus. Quicumque manserit in ciuitate hac morietur gladio et fame et peste: qui autem profugerit ad caldeos viuet: et erit anima eius sospes et viuens. [3] Hec dicit dominus. Tradendo tradetur ciuitas hec in manu exercitus regis babilonis: et capiet eam. [4] Et dixerunt principes regi. Rogamus vt occidatur homo iste. De industria enim dissoluit manus virorum bellantium qui remanserunt in ciuitate hac et manus vniuersi populi: loquens ad eos vniuersa verba hec. Siquidem homo iste non querit pacem populo huic: sed malum. [5] Et dixit rex sedechias. Ecce ipse in manibus vestris est. Nec enim fas est regem vobis quicquam negare. [6] Tulerunt ergo iheremiam et proiecerunt eum in lacum elchie filij amalech: qui erat in vestibulo carceris. Et summiserunt iheremiam in funibus in lacum: in quo non erat aqua sed lutum. Descendit itaque iheremias in cenum. [7] Audiuit autem abdemelech ethiops vir eunuchus qui erat in domo regis: quod misissent iheremiam in lacum. Porro rex sedebat in porta beniamin. [8] Et egressus est abdemelech de domo regis: et locutus est ad regem dicens. [9] Domine mi rex male fecerunt viri isti omnia quecumque perpetrarunt contra iheremiam prophetam: mittentes eum in lacum vt moriatur ibi fame. Non sunt enim panes vltra in ciuitate. [10] Precepit itaque rex abdemelech ethiopi dicens. Tolle tecum hinc triginta viros: et leua iheremiam prophetam de lacu antequam moriatur. [11] Assumptis ergo abdemelech secum viris ingressus est domum regis que erat sub cellario: et tulit inde veteres pannos et antiqua que computruerant: et summisit ea ad iheremiam in lacum per funiculos. [12] Dixitque abdemelech ethiops ad iheremiam prophetam. Pone veteres pannos et hec scissa et putrida sub cubitu manuum tuarum: et super funes. Fecit ergo iheremias sic. [13] Et extraxerunt iheremiam funibus: et eduxerunt de lacu. Mansit autem iheremias in vestibulo carceris. [14] Et misit rex sedechias: et tulit ad se iheremiam prophetam ad ostium tercium quod erat in domo domini: et dixit rex ad iheremiam. Interrogo ego te sermonem: ne abscondas a me aliquid. [15] Dixit autem iheremias ad sedechiam. Si annunciauero tibi: nunquid non interficies me? Et si consilium dedero tibi: non me audies. [16] Iurauit ergo rex sedechias iheremie clam dicens. Viuit dominus qui fecit nobis animam hanc si occidero te: et si tradidero in manus virorum istorum qui querunt animam tuam. [17] Et dixit iheremias ad sedechiam. Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Si profectus exieris ad principes regis babilonis viuet anima tua: et ciuitas hec non succendetur igni: et saluus eris tu et domus tua. [18] Si autem non exieris ad principes regis babilonis tradetur ciuitas hec in manus caldeorum et succendent eam igni: et tu non effugies de manu eorum. [19] Et dixit rex sedechias ad iheremiam. Sollicitus sum propter iudeos qui transfugerunt ad caldeos: ne forte tradar in manus eorum et illudant michi. [20] Respondit autem iheremias. Non te tradent. Audi queso vocem domini quam ego loquar ad te: et bene tibi erit et viuet anima tua. [21] Quod si nolueris egredi: iste est sermo quem ostendit michi dominus. [22] Ecce omnes mulieres que remanserunt in domo regis iuda educentur ad principes regis babilonis: et ipse dicent. Seduxerunt te et preualuerunt aduersum te viri pacifici tui: dimerserunt in cenum et in lubricum pedes tuos: et recesserunt a te. [23] Et omnes vxores tue et filij tui educentur ad caldeos et non effugies manus eorum: sed in manu regis babilonis capieris· et ciuitatem hanc comburet igni. [24] Dixit ergo sedechias ad iheremiam. Nullus sciat verba hec: et non morieris. [25] Si autem audierint principes quia locutus sum tecum· et venerint ad te et dixerint tibi indica nobis quid locutus sis cum rege ne celes nos et non te interficiemus· et quid locutus est tecum rex: [26] dices ad eos. Prostraui ego preces meas coram rege: ne me reduci iuberet in domum ionathan et ibi morerer. [27] Venerunt ergo omnes principes ad iheremiam: et interrogauerunt eum. Et locutus est eis iuxta omnia verba que preceperat ei rex. Et cessauerunt ab eo. Nichil enim fuerat auditum. [28] Mansit vero iheremias in vestibulo carceris: vsque ad diem quo capta est ierusalem. Et factum est vt caperetur ierusalem.

39 Anno nono sedechie regis iuda mense decimo venit nabuchodonosor rex babilonis et omnis exercitus eius ad ierusalem: et obsidebant eam. [2] Vndecimo autem anno sedechie mense quarto quinta mensis aperta est ciuitas: [3] et ingressi sunt omnes principes regis babilonis et sederunt in porta media neregel sereser semegar nabusarsathim rabsares neregel sereser rebmag et omnes reliqui principes regis babilonis. [4] Cunque vidisset eos sedechias rex iuda et omnes viri bellatores fugerunt: et egressi sunt nocte de ciuitate per viam orti regis et per portam que erat inter duos muros: et egressi sunt ad viam deserti. [5] Persecutus est autem eos exercitus caldeorum· et comprehenderunt sedechiam in campo solitudinis iherichonctine: et captum adduxerunt ad nabuchodonosor regem babilonis in reblatha que est in terra emath: et locutus est ad eum iudicia. [6] Et occidit rex babilonis filios sedechi in reblatha in oculis eius: et omnes nobiles iuda occidit rex babilonis. [7] Oculos quoque sedechie eruit: et vinxit eum compedibus vt duceretur in babilonem. [8] Domum quoque regis et domum vulgi succenderunt caldei igni: et muror iherualem subuerterunt. [9] Et reliquias populi que remanserant in ciuitate et perfugas qui transfugerant ad eum· et superfluos vulgi qui remanserant transtulit nabuzardan magister militum in babilonem: [10] et de plebe pauperum qui nichil penitus habebant dimisit nabuzardan magister militum in terra iuda: et dedit eis vineas et cisternas in die illa. [11] Preceperat autem nabuchodonosor rex babilonis de iheremia nabuzardan magistro militum dicens. [12] Tolle illum: et pone super eum oculos tuos nichilque ei mali facias: sed vt voluerit sic facies ei. [13] Misit ergo nabuzardan princeps militie et nabu et sesban et rapsares et neregel et sereser et rebmag et omnes optimates regis babilonis [14] miserunt et tulerunt iheremiam de vestibulo carceris: et tradiderunt eum godolie filio aycham filij saphan: vt intraret in domum et habitaret in populo. [15] Ad iheremiam autem factus fuerat sermo domini cum clausus fuisset in vestibulo carceris dicens. [16] Vade et dic abdemelech ethiopi dicens. Hec dicit dominus exercituum· deus israhel. Ecce ego inducam sermones meos super ciuitatem hanc in malum et non in bonum: et in conspectu tuo in die illa: [17] et liberabo te in die illa ait dominus. Et non traderis in manus virorum quos tu formidas: [18] sed eruens liberabo te et gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem quia in me habuisti fiduciam ait dominus.

40 Sermo qui factus est ad iheremiam a domino: postquam dimissus est a nabusardan magistro militie de rama quando tulit eum vinctum cathenis in medio omnium qui migrabant de ihrlm ihrlin et iuda: et ducebantur in babilonem. [2] Tollens ergo princeps militie iheremiam dixit ad eum. Dominus deus tuus locutus est malum hoc super locum istum: [3] et adduxit et fecit dominus sicut locutus est· quia peccastis domino et non audistis vocem eius: et factus est vobis sermo hic. [4] Nunc ergo ecce solui te hodie de cathenis que sunt in manibus tuis. Si placet tibi vt venias mecum in babilonem veni: et ponam oculos meos super te. Si autem displicet tibi venire mecum in babilonem· reside. Ecce omnis terra in conspectu tuo est. Quod elegeris et quo placuerit tibi vt vadas· illuc perge: [5] et mecum noli venire: sed habita apud godoliam filium aycham filij saphan quem preposuit rex babilonis ciuitatibus iude. Habita ergo cum eo in medio populi· vel quocumque placuerit tibi vt vadas vade. Dedit quoque ei magister militie cibaria et munuscula: et dimisit eum. [6] Venit autem iheremias ad godoliam filium aycham in masphath: et habitauit cum eo in medio populi qui relictus fuerat in terra. [7] Cumque audissent omnes principes exercitus qui dispersi fuerant per regiones ipsi et socij eorum· quod perfecisset rex babilonis godoliam filium aycham terre: et quod commendasset ei viros et mulieres et paruulos et de pauperibus terre qui non fuerant translati in babilonem: [8] venerunt ad godoliam in masphath et ysinahel filius nathanie et iohanan filius caree et ionathan et sareas filius thenoemech et filij offi qui erant de nethophati et iheconias filius maachati ipsi et viri eorum. [9] Et iurauit eis

godolias filius aycham filij saphan et comitibus eorum dicens. Nolite timere seruire caldeis. Habitate in terra et seruite regi babilonis: et bene erit vobis. [10] Ecce ego habito in masphat: vt respondeam precepto caldeorum qui mittuntur ad nos. Vos autem colligite vindemiam et messem et oleum et condite in vasis vestris: et manete in vrbibus vestris quas tenetis. [11] Sed et omnes iudei qui erant in moab et in finibus ammon et ydumea et in vniuersis regionibus: audito quod dedisset rex babilonis reliquias in iudea et quod preposuisset super eos godoliam filium aycham filij saphan: [12] reuersi sunt inquam omnes iudei de vniuersis locis ad que profugerant: et venerunt ad terram iuda ad godoliam in masphat: et collegerunt vinum et messem multam nimis. [13] Iohanan autem filius caree et omnes principes exercitus qui dispersi fuerant in regionibus venerunt ad godoliam in masphat: [14] et dixerunt ei. Scito quod bahalis rex filiorum ammon misit ysmahel filium nathanie percutere animam tuam. Et non credidit eis godolias filius aycham [15] iohanan autem filius caree dixit ad godoliam deorsum in masphat loquens. Ibo et percutiam ysmahel filium nathanie nullo sciente: ne interficiat animam tuam· et dissipentur omnes iudei qui congregati sunt ad te: et peribunt reliquie iuda. [16] Et ait godolias filius aycham ad iohanan filium caree. Noli facere verbum hoc. Falsum enim tu loqueris de ysmahel.

41 Et factum est in mense septimo Et factum est in mense septimo venit ysmahel filius nathanie filij elisama de semine regali et optimas optimas regis et decem viri cum eo ad godoliam filium aycham in masphat: et comederunt ibi panes simul in masphat. [2] Surrexit autem ysmahel filius nathanie et decem viri qui cum eo erant et percusserunt godoliam filium aycham filij saphan gladio: et interfecerunt eum quem prefecerat rex babilonis terre. [3] Omnes quoque iudeos qui erant cum godolia in masphat: et caldeos qui reperti sunt ibi et viros bellatores percussit ysmahel. [4] Secundo autem die postquam occiderat godoliam nullo adhuc sciente [5] venerunt viri de sychem et de sylo et de samaria octoginta viri rasi barba et scissis vestibus et squalentes: et munera et thus habebant in manu: vt offerrent in domo domini. [6] Egressus ergo ysmahel filius nathanie in occursum eorum de masphat: incedens et plorans ibat. Cum autem occurrisset eis: dixit ad eos. Venite ad godoliam filium aycham. [7] Qui cum venissent ad medium ciuitatis: interfecit eos ysmahel filius nathanie circa medium laci ipse et viri qui erant cum eo. [8] Decem autem viri reperti sunt inter eos· qui dixerunt ad ysmahel. Noli occidere nos: quia habemus thesauros in agro frumenti et hordei et olei et mellis. Et cessauit: et non interfecit eos cum fratribus suis. [9] Lacus autem in quem proiecerat ysmahel omnia cadauera virorum quos percussit propter godoliam: ipse est quem fecit rex asa propter baasa regem israhel. Ipsum repleuit ysmahel filius nathanie occisis. [10] Et captiuas duxit ysmahel omnes reliquias populi qui erant in masphat filias regis et vniuersum populum qui remanserant in masphat: quos commendauerat nabuzardan princeps militie godolie filio aycham. Et cepit eos ysmahel filius nathanie: et abijt vt transiret ad filios ammon. [11] Audiuit autem iohanan filius caree· et omnes principes bellatorum qui erant cum eo omne malum quod fecerat ysmahel filius nathanie: [12] et assumptis vniuersis viris profecti sunt vt bellarent aduersum ysmahelem filium nathanie: et inuenerunt eum ad aquas multas que sunt in gabaon. [13] Cunque vidisset omnis populus qui erat cum ysmahel iohanan filium caree et vniuersos principes bellatorum qui erant cum eo letati sunt. [14] Et reuersus est omnis populus quem ceperat ysmahel in masphat: reuersusque abijt ad iohanan filium caree. [15] Ysmahel autem filius nathanie fugit cum octo viris a facie iohanan: et abijt ad filios ammon. [16] Tulit ergo iohanan filius caree et omnes principes bellatorum qui erant cum eo vniuersas reliquias vulgi quas reduxerant ab ysmahel filio nathanie de masphat: postquam percussit godoliam filium aycham fortes viros ad prelium et mulieres et pueros et eunuchos quos reduxerat de gabaon: [17] et abierunt et sederunt peregrinantes in chamaan que est iuxta bethleem vt pergerent et introirent egiptum [18] a facie caldeorum. Timebant enim eos: quia percusserat ysmahel filius nathanie godoliam filium aycham quem preposuerat rex babilonis in terra iuda.

42 accesserunt omnes principes bellatorum et iohanan filius caree et iezonias filius osie et reliquum vulgus a paruo vsque ad magnum: [2] dixeruntque ad iheremiam prophetam. Cadat oratio nostra in conspectu tuo et ora pro nobis ad dominum deum tuum pro vniuersis reliquiis istis: quia derelicti sumus pauci de pluribus sicut oculi tui nos intuentur: [3] et annunciet nobis dominus deus tuus viam per quam pergamus: et verbum quod faciamus. [4] Dixit autem ad eos iheremias propheta. Audiui. Ecce ego oro ad dominum deum vestrum secundum verba vestra: omne verbum quodcunque responderit michi indicabo vobis nec celabo vos quicque. [5] Et illi dixerunt ad iheremiam. Sit dominus inter nos testis veritatis et fidei: si non iuxta omne verbum in quo miserit te dominus deus tuus ad nos sic faciemus [6] siue bonum est siue malum. Voci domini dei nostri ad quem mittimus te obediemus: vt bene sit nobis cum audierimus vocem domini dei nostri. [7] Cum autem completi essent decem dies: factum est verbum domini ad iheremiam. [8] Vocauitque iohanan filium caree et omnes principes bellatorum qui erant cum eo et vniuersum populum a minimo vsque ad magnum: [9] et dixit ad eos. Hec dicit dominus deus israhel ad quem misistis me: vt prosternerem preces vestras in conspectu eius. [10] Si quiescentes manseritis in terra hac· edificabo vos et non destruam: plantabo et non euellam. Iam enim placatus sum super malo quod feci vobis. [11] Nolite timere a facie regis babilonis: quem vos pauidi formidatis. Nolite metuere eum dicit dominus: quia vobiscum sum ego vt saluos vos faciam et eruam de manu eius: [12] et dabo vobis misericordias· et miserebor vestri· et habitare vos faciam in terra vestra. [13] Si autem dixeritis vos non habitabimus in terra ista nec audiemus vocem domini dei nostri [14] dicentes nequaquam: sed ad terram egipti pergemus vbi non videbimus bellum· et clangorem tube non audiemus· et famem non sustinebimus· et ibi habitabimus: [15] propter hoc nunc audite verbum domini reliquie iuda. Hec dicit dominus deus exercituum· deus israhel. Si posueritis faciem vestram vt ingrediamini egiptum et intraueritis vt ibi habitetis: [16] gladius quem vos formidatis ibi comprehendet vos in terra egipti: et fames pro qua estis solliciti adherebit vobis in egipto et ibi moriemini. [17] Omnes que viri qui posuerunt faciem suam vt ingrediantur egiptum vt habitent ibi: morientur gladio et fame et peste. Nullus de eis remanebit: nec effugiet a facie mali quod ego afferam super eos: [18] quia hec dicit dominus exercituum· deus israhel. Sicut conflatus est furor meus et indignatio mea super iherusalem: sic conflabitur indignatio mea super vos cum ingressi fueritis egiptum: et eritis in iusiurandum et in stuporem et in maledictum et in opprobrium: et nequaquam vltra videbitis locum istum. [19] Verbum domini super vos reliquie iudam. da. Nolite intrare egiptum. Scientes scietis quia obtestatus sum vobis hodie: [20] quia decepistis animas vestras. Vos enim misistis me ad dominum deum nostrum dicentes. Ora pro nobis ad dominum deum nostrum: et iuxta omnia quecumque dixerit tibi deus noster sic annuncia nobis et faciemus. [21] Et annunciaui vobis hodie: et non audistis vocem domini dei vestri super vniuersis pro quibus misit me ad vos. [22] Nunc ergo scientes scietis: quia gladio et fame et peste moriemini in loco ad quem voluistis intrare vt habitaretis ibi.

43 Factum est autem cum complesset iheremias loquens ad populum vniuersos sermones domini dei eorum pro quibus miserat eum dominus deus eorum ad illos omnia verba hec: [2] dixit azarias filius ozie et iohanan filius carree et omnes viri superbi dicentes ad iheremiam. Mendacium tu loqueris. Non misit te dominus deus noster dicens ne ingrediamini egiptum vt habitetis illic: [3] sed baruch filius nerie incitat te aduersum nos et tradat nos in manus caldeorum vt interficiat nos et traduci faciat in babilonem. [4] Et non audiuit filius caree· et omnes principes bellatorum et vniuersus populus vocem domini vt manerent in terra iuda: [5] sed tollens iohanan filius caree et vniuersi principes bellatorum vniuersos reliquiarum iuda qui reuersi fuerant de cunctis gentibus ad quas fuerant ante dispersi vt habitarent in terra iuda· [6] viros et mulieres et paruulos et filias regis et omnem animam quam reliquerat nabuzardan princeps militie cum godolia filio aycham filio saphan et iheremiam prophetam et baruch filium nerie: [7] et ingressi sunt in terram egipti· quia non obedierunt voci domini: et venerunt vsque ad tasnis. [8] Et

factus est sermo domini ad iheremiam in tafnis dicens. [9] Sume tibi lapides grandes in manu tua et abscondes eos in cripta non est sub que s muro lateritio in porta domus pharaonis in tasnis cernentibus viris iudeis: [10] et dices ad eos. Hec dicit dominus exercituum· deus israhel. Ecce ego mittam et assumam nabuchodonosor regem babilonis seruum meum et ponam thronum eius super lapides istos quos abscondi: et statuet solium suum super eos. [11] Veniensque percutiet terram egipti quos in mortem in mortem: et quos in captiuitatem in ptiuitatem: et quos in gladium in gladium. [12] Et succendet ignem in delubris deorum egipti et comburet ea: et captiuos ducet illos. Et amicietur terra egipti sicut amicitur pastor pallio suo: et egredietur inde in pace. [13] Et conteret statuas domus solis que sunt in terra egipti: et delubra deorum egipti comburet igni.

44 Verbum quod factum est ad iheremiam: et omnes iudeos qui habitabant in terra egipti habitantes in magdalo et in tafnis et in memphis et in terra phatures dicens. [2] Hec dicit dominus exercituum· deus israhel. Vos vidistis omne malum istud quod adduxi super iherusalem et super omnes vrbes iuda: et ecce deserte sunt hodie et non est in eis habitator [3] propter maliciam quam fecerunt vt me ad iracundiam prouocarent: et irent et sacrificarent et colerent deos alienos quos nesciebant et illi et vos et patres vestri. [4] Et misi vos ad omnes seruos meos prophetas de nocte consurgens· mittensque et dicens. Nolite facere verbum abominationis huiuscemodi. [5] Et non audierunt: nec inclinauerunt aurem suam vt non conuerterentur a malis suis: et non sacrificarent dijs alienis. [6] Et conflata est indignatio mea et furor meus: et succensa est in ciuitatibus iuda et in plateis iherusalem: et verse sunt in solitudinem et vastitatem secundum diem hanc. [7] Et nunc hec dicit dominus exercituum· deus israhel. Quare vos facitis malum grande contra animas vestras vt intereat ex vobis vir et mulier paruulus et lactens de medio iude nec relinquatur vobis quicquam residuum: [8] prouocantes me in operibus manuum vestrarum sacrificando dijs alienis in terra egipti in quam ingressi estis vt habitetis ibi· et dispereatis et sitis in maledictionem et in opprobrium cunctis gentibus terre? [9] Nunquid obliti estis mala patrum vestrorum et mala regum iuda et mala vxorum eius et mala vestra et mala vxorum vestrarum que fecerunt in terra iuda et in regionibus iherusalem? [10] Non sunt mundati vsque ad diem hanc: et non timuerunt et non ambulauerunt in lege domini et in preceptis meis: que dedi coram vobis et coram patribus vestris. [11] Ideo hec dicit dominus exercituum· deus israhel. Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum: et disperdam omnem iudam. [12] Et assumam reliquias iude qui posuerunt facies suas vt ingrederentur in terram egipti vt habitarent ibi: et consumentur omnes in terra egipti: et cadent in gladio et in fame. Consumentur a minimo vsque ad maximum: in gladio et in fame morientur: et erunt in iusiurandum et in miraculum et in maledictionem et in opprobrium. [13] Et visitabo habitatores terre egipti sicut visitaui super iherusalem in gladio et in fame et in peste: [14] et non erit qui effugiat et sit residuus de reliquijs iudeorum qui vadunt vt peregrinentur in terra egipti et reuertantur in terram iuda: ad quam ipsi eleuant animas suas vt reuertantur et habitent ibi. Non reuertentur nisi qui fugerint. [15] Responderunt autem iheremie omnes viri scientes quod sacrificarent vxores eorum dijs alienis et vniuerse mulieres quarum stabat multitudo grandis: et omnis populus habitantium in terra egipti in phatures dicentes. [16] Sermonem quem locutus es ad nos in nomine domini non audiemus ex te: [17] sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro: vt sacrificemus regine celi· et libemus ei libamina· sicut fecimus nos et patres nostri reges nostri et pricipes nostri· in vrbibus iuda et in plateis iherusalem: et saturati sumus panibus· et bene nobis erat· malumque non vidimus. [18] Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare regine celi et libare ei libamina indigemus omnibus: et gladio et fame consumpti sumus. [19] Quod si non sacrificamus regine celi: et libamus ei libamina. Nunquid sine viris nostris fecimus ei placentas ad colendam eam: et liba ad libandum? [20] Et dixit iheremias ad omnem populum aduersum viros et aduersum mulieres et aduersum vniuersam plebem qui responderant ei verbum dicens. [21] Nunquid non sacrificium quod sacrificastis in ciuitatibus iuda et in plateis iherusalem vos et patres vestri reges vestri et principes vestri et populus terre: horum recordatus est dominus et ascendit super cor eius? [22] Et non poterat dominus vltra portare propter maliciam studiorum vestrorum et propter abominationes quas fecistis et facta est terra vestra in desolationem et in stuporem et in maledictum eo quod non sit habitator: sicut est dies hec. [23] Propterea quod sacrificaueritis ydolis et peccaueritis domino: et non audieritis vocem domini et in lege et in preceptis et in testimonijs eius non ambulaueritis: idcirco euenerunt vobis mala hec sicut est dies hec. [24] Dixit autem iheremias ad omnem populum: et ad vniuersas mulieres. Audite verbum domini omnis iuda qui estis in terra egipti. [25] Hec inquit dominus exercituum· deus israhel dicens. Vos et vxores vestre locuti estis ore vestro: et manibus vestris implestis dicentes. Faciamus vota nostra que vouimus: vt sacrificemus regine celi et libemus ei libamina. Implestis opera vestra: et opere perpetrastis ea. [26] Ideo audite verbum domini omnis iuda qui habitatis in terra egipti. Ecce ego iuraui in nomine meo magno ait dominus: quia nequaquam vltra vocabitur nomen meum ex ore omnis viri iudei dicentis: viuit dominus deus in omni terra egipti. [27] Ecce ego vigilabo super eos in malum et non in bonum: et consumentur omnes viri iuda qui sunt in terra egipti gladio et fame donec penitus consumantur. [28] Et qui fugerint gladium reuertentur de terra egipti in terram iuda viri pauci: et scient omnes reliquie iuda ingredientium terram egipti vt habitent ibi· cuius sermo compleatur: meus· an illorum. [29] Et hoc vobis signum ait dominus quod visitem ego super vos in loco isto: vt sciatis quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum. [30] Hec dicit dominus. Ecce ego tradam pharaonem efree regem egipti in manu inimicorum eius et in manu querentium animam illius: sicut tradidi sedechiam regem iuda in manu nabuchodonosor regis babilonis inimici sui et querentis animam eius.

45 quod locutus est iheremias propheta ad baruch filium nerie cum scripsisset verba hec in libro ex ore iheremie: anno quarto ioakim filij iosie regis iuda dicens. [2] Hec dicit dominus deus israhel ad te baruch. [3] Dixisti. Ve misero michi: quoniam addidit dominus dolorem dolori meo. Laboraui cum gemitu meo: et requiem non inueni. [4] Hec dicit dominus. Sic dices ad eum. Ecce quos edificaui ego destruo: et quos plantaui ego euello: et vniuersam terram hanc. [5] Et tu queris tibi grandia? Noli querere: quia ecce ego adducam malum super omnem carnem ait dominus: et dabo tibi animam tuam in salutem in omnibus locis ad quecunque perrexeris.

46 Quod factum est verbum domini ad iheremiVLam prophetam contra gentes· [2] ad egiptum· aduersum exercitum pharaonis nechao regis egipti: qui erat iuxta fluuium eufraten in charchamis quem percussit nabuchodonosor rex babilonis in quarto anno ioakim filij iosie regis iuda. [3] Preparate scutum et clipeum: et procedite ad bellum. [4] Iungite equos et ascendite equites: state in galeis polite lanceas: induite vos loricis. [5] Quid igitur? Vidi ipsos pauidos et terga vertentes: fortes eorum cesos. Fugerunt conciti: nec respexerunt. Terror vndique ait dominus. [6] Non fugiet velox: nec saluari se putet fortis. Ad aquilonem iuxta flumen eufraten victi sunt: et ruerunt. [7] Quis est iste qui quasi flumen ascendit: et veluti fluuiorum intumescunt gurgites eius? [8] Egiptus fluminis instar ascendit: et velut flumina mouebuntur fluctus eius: et dicet. Ascendens operiam terram: perdam ciuitatem et habitatores eius. [9] Ascendite equos et exultate in curribus: et procedant fortes. Ethiopia et libies tenentes scutum: et lidij arripientes et iacientes sagittas. [10] Dies autem ille domini dei exercituum dies vltionis: vt sumat vindictam de inimicis suis. Deuorabit gladius et saturabitur: et inebriabitur sanguine eorum. Victima enim domini exercituum in terra aquilonis: iuxta flumen eufraten. [11] Ascende in galaath: et tolle resinam virgo filia egipti. Frustra multiplicas medicamina: sanitas non erit tibi. [12] Audierunt gentes ignominiam tuam: et vlulatus tuus repleuit terram. Quia fortis impegit in fortem: et ambo pariter conciderunt. [13] Verbum quod locutus est dominus ad iheremiam prophetam super eo quod venturus esset nabuchodonosor rex babilonis et percussurus terram egipti. [14] Annunciate egipto: et auditum facite in magdalo et resonet in memphis: et in tafnis dicite. Sta et perpara te: quia

deuorabit gladius ea que per circuitum tuum sunt. [15] Quare computruit fortis tuus? Non stetit: quoniam dominus subuertit eum. [16] Multiplicauit ruentes: cecidit que vir ad proximum suum. Et dicent. Surge: et reuertamur ad populum nostrum et ad terram natiuitatis nostre a facie gladij columbe. [17] Vocate nomen pharaonis regis egipti: tumultum adduxit tempus. [18] Viuo ego inquit rex· dominus exercituum nomen eius: quoniam sicut thabor in montibus et sicut carmelus in mari veniet. [19] Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia egipti: quia memphis in solitudine erit: et deseretur et inhabitabilis erit. [20] Vitula elegans atque formosa egiptus: stimulator ab aquilone veniet ei. [21] Mercennarij quoque eius qui versabantur in medio eius quasi vituli saginati versi sunt et fugerunt simul· nec stare potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit super eos: tempus visitationis eorum. [22] Vox eius quasi eris sonabit: quoniam cum exercitu properabunt et cum securibus venient ei. Quasi cedentes ligna [23] succiderunt saltum eius ait dominus: qui supputari non potest. Multiplicati sunt super locustas· et non est eis numerus. [24] Confusa est filia egipti· et tradita in manus populi aquilonis [25] dicit dominus exercituum· deus israhel. Ecce ego visitabo super tumultum allexandrie et super pharao et super egiptum et super deos eius et super reges eius et super pharao· et super omnes qui confidunt in eo: [26] et dabo eos in manus querentium animam eorum: et in manus nabuchodonosor regis babilonis et in manus seruorum eius. Et post hec habitabitur sicut diebus pristinis ait dominus. [27] Et tu ne timeas serue meus iacob: et ne paueas israhel. Quia ecce ego saluum te faciam de longinquo: et semen tuum de terra captiuitatis tue. Et reuertetur iacob et requiescet et prosperabitur: et non erit qui exterreat eum. [28] Et tu noli timere serue meus iacob ait dominus quia tecum ego sum: quia ego consumam cunctas gentes ad quas eieci te. Te vero non consumam: sed castigabo te in iudicio: nec quasi innocenti parcam tibi.

47 Quod factum est verbum domini ad iheremiam prophetam contra palestinos: antequam percuteret pharao gazam. [2] Hec dicit dominus. Ecce aque ascendent ab aquilone et erunt quasi torrens inundans: et operient terram et plenitudinem eius: vrbem et habitatorem eius. Clamabunt homines et vlulabunt omnes habitatores [3] strepitu pompe armorum et bellatorum eius: a commotione quadrigarum eius: et multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis· [4] pro aduentu in quo vastabuntur omnes et dissipabitur tyrus et sydon cum omnibus reliquis auxilijs suis. Depopulatus est enim dominus palestinos: reliquias insule capadocie. [5] Venit caluicium super gazam: conticuit vastata ticuit ascalon: et relique valles earum concideris? [6] O mucro domini: vsquequo non quiesces: Ingredere in vaginam tuam: refrigerare et sile. [7] Quomodo quiescet cum dominus precepit ei· aduersus calonem et aduersum maritimas eius regiones: ibique condixerit illi?

48 Ad moab. Hec Ad moab. Hec dicit dominus exercituum deus israhel. Ve super nabo: quoniam Ve est super confusa. nabo: est quoniam est et confusa. Capta est cariathiarim: confusa est fortis et tremuit. [2] Non est vltra exultatio in con moab contra esebon cogitauerunt malum. Venite et disperdamus de gente. Ergo silens conticesces: sequeturque te· nunciate [3] Vox clamoris de oronaim: et [4] conmoab: paruulis gladius. [5] Vox et ascensum enim luith plorans ascendet in fletu: quoniam in descensu naim Per ascensum naim hostes vlulatum contritionis audierunt. [6] Fugite: saluate animas vestras: et eritis quasi mirice in deserto. [7] Pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis et in thesauris tuis: tu quoque capieris. Et ibit chamos in transmigrationem: sacerdotes eius et principes eius simul. [8] Et veniet predo ad omnem vrbem: et vrbs nulla saluabitur. Et peribunt valles: et dissipabuntur campestria: quoniam dixit dominus. [9] Date florem moab: quia florens egredietur: et ciuitates eius deserte erunt et inhabitabiles. [10] Maledictus qui facit opus domini fraudulenter: et maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. [11] Fertilis fuit moab ab adolescentia sua: et requieuit in fecibus suis. Nec transfusus est de vase in odor vas: et in transmigrationem non abijt. Idcirco permansit gustus eius in eo: et odor eius non est immutatus. [12] Propterea ecce dies veniunt dicit dominus: et mittam eis ordinatores et stratores laguncularum et sternent eum: et vasa eius exhaurient et lagunculas eorum collident. [13] Et confundetur moab a chamos: sicut confusa est domus israhel a bethel in qua habebat fiduciam. [14] Quomodo dicitis fortes sumus: et viri robusti ad preliandum? [15] Vastata est moab: et ciuitates illius succenderunt· et electi iuuenes eius descenderunt in occisionem ait rex: dominus exercituum nomen eius. [16] Prope est interitus rus moab vt veniat: et malum eius velociter accurret nimis. [17] Consolamini eum omnes qui estis in circuitu eius· et vniuersi qui scitis nomen eius dicite. Quomodo confracta est virga fortis: baculus gloriosus? [18] Descende de gloria· et sein siti habitatio filie dibon: quoniam vastator moab ascendet ad te· dissipabit munitiones tuas. [19] In via sta: et prospice habitatio aroer. Interroga fugientem: et eum qui euasit. Dic. Quid accidit? [20] Confusus est moab: quoniam victus est. Vlulate et clamate· annunciate in arnon quoniam vastata est moab: [21] et iudicium venit ad terram campestrem super elon et super iasa et super mefat [22] et super dibon et super nabo et super domum deblathaim [23] et super cariathaim et super bethgamul et super bethmaon [24] et super carioth et super bosra et super omnes ciuitates terre moab que longe et prope sunt. [25] Abscisum est cornu moab: et brachium eius contritum est ait dominus. [26] Inebriate eum quoniam contra dominum erectus est. Et allidet manum moab in vomitu suo: et erit in derisum etiam ipse. [27] Fuit enim in derisum tibi israhel: quasi inter fures reperisses eum. Propter verba ergo tua que aduersum illum locutus es captiuus duceris. [28] Relinquite ciuitates et habitate in petra habitatores moab: et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. [29] Audiuimus superbiam moab. Superbus est valde. Sublimitatem eius et arrogantiam et superbiam et altitudinem cordis eius [30] ego scio ait dominus. Iactantiam eius et quod non sit iuxta eam virtus eius: nec iuxta quod poterat conata sic facere. [31] Ideo super moab eiulabo: et ad moab vniuersam clamabo et ad viros muri fictilis lamentantes. [32] De planctu iazer plorabo tibi vinea sabama. Propagines tue transierunt mare: vsque ad mare iazer peruenerunt. Super messem tuam et vindemiam tuam predo irruit. [33] Ablata est leticia et exultatio de carmelo et de terra moab: et vinum de torcularibus sustuli. Nequaquam calcator vue solitum celeuma cantabit. [34] De clamore esebon vsque elcale et iasa dederunt vocem suam: a segor vsque ad oronaim vitulam consternantem aque vero nemrim pessime erunt. [35] Et auferam de moab ait dominus offerentem excelsis: et sacrificantem dijs eius. [36] Propterea cor meum ad moab· quasi tibia eris resonabit: et cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum· quia plus fecit quam potuit· idcirco perierunt. [37] omne enim caput caluicium: et omnis barba rasa erit. In cunctis manibus colligato: et super omne dorsum cilicium. [38] Et super omnia tecta moab et in plateis eius omnis planctus: quoniam contriui moab sicut vas inutile ait dominus. [39] Quomodo victa est et vlulauerunt? Quomodo deiecit ceruicem moab et confusus est? Erit que moab in derisum: et in exemplum omnibus in circuitu suo. [40] Hec dicit dominus. Ecce quasi aquila volabit: et extendet alas suas ad moab. [41] Capta est carioth: et munitiones comprehense sunt. Et erit cor fortium moab: in die illa sicut cor mulieris parturientis. [42] Et cessabit moab esse populus: quoniam contra dominum gloriatus est. [43] Pauor et fouea et laqueus super te o habitator moab ait dominus. [44] Qui fugerit a facie pauoris cadet in foueam: et qui conscenderit de fouea capientur laqueo. Adducam enim super moab annum visitationis eorum dicit dominus. [45] In vmbra esebon steterunt de laqueo fugientes· quia ignis egressus est de esebon et flamma de medio seon· et deuorauit partem moab et verticem filiorum tumultus. [46] Ve tibi moab. Peristi popule chamos: quia comprehensi sunt filij tui et filie tue in captiuitatem. [47] Et conuertam captiuitatem moab in nouissimis diebus ait dominus. Hucusque iudicia moab.

49 filios ammon. Hec dicit dominus. Nunquid non filij non sunt israhel an heres non est ei? Cur ergo hereditate possedit melchon gad· et populus eius in vrbibus eius habitauit? [2] Ideo ecce dies venient in te dicit dominus: et auditum faciam super rabbath filiorum ammon fremitum prelij. Et erit in tumultum dissipata: filieque eius igni succendentur: et possidebit israhel possessores suos ait dominus. [3] Vlula esebon: quoniam vastata est har. Clamate filie rabbath: accingite vos cilicijs. Plangite et circuite per sepes:

quoniam melchon in transmigrationem ducetur: sacerdotes eius et principes eius simul. [4] Quid gloriaris in vallibus? Defluxit vallis tua filia delicata: que confidebas in thesauris tuis· et dicebas. Quis veniet ad me? [5] Ecce ego inducam super te terrorem ait dominus deus exercituum ab omnibus qui sunt in circuitu tuo: et dispergemini singuli a conspectu vestro: nec erit qui congreget fugientes. [6] Et post hec reuerti faciam fugientes et captiuos filiorum amon ait dominus. [7] Ad ydumeam. Hec dicit dominus exercituum. Nunquid non vltra est sapientia in theman? Perijt consilium a filijs. Inutilis facta est sapientia eorum. [8] Fugite et terga vertite: descendite in voraginem habitatores dedan: quoniam perditionem esau adduxi super eum: tempus visitationis eius. [9] Si vindemiatores eius venissent super te non reliquissent racemum: si fures in nocte: rapuissent quod sufficeret sibi. [10] Ego vero discooperui esau: reuelaui abscondita eius et celari non poterit. Vastatum est semen eius· et fratres eius· et vicini eius: et non erit. [11] Relinque pupillos tuos· et ego faciam illos viuere: et vidue tue in me sperabunt: [12] quia hec dicit dominus. Ecce quibus non erat iudicium vt biberent calicem· bibentes bibent: et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens: sed bibens bibes. [13] Quia per memetipsum iuraui dicit dominus: quia quod in solitudinem et in opprobrium et in desertum et in maledictionem erit bosra: et omnes ciuitates eius erunt in solitudines sempiternas. [14] Auditum audiui a domino: et legatus ad gentes missus sum. Congregamini et venite contra eam: et consurgamus in prelium. [15] Ecce enim paruulum dedi te in gentibus: contemptibilem inter homines. [16] Arrogantia tua decepit te et superbia cordis tui: qui habitas in cauernis petre: et apprehendere niteris altitudinem collis. Cum exaltaueris quasi aquila nidum tuum: inde detraham te dicit dominus. [17] Et erit ydumea deserta. Omnis qui transibit per eam stupebit: et sibilabit super omnes plagas eius: [18] sicut subuersa est zodoma et gomorra et vicine eius ait dominus. Non habitabit ibi vir: et non incolet eam filius hominis. [19] Ecce quasi leo ascendet de superbia iordanis ad pulcritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam. Et quis erit electus quem preponam ei? Quis est similis mei. Et quis sustinebit me? Et quis est iste pastor qui resistat vultui meo? [20] Propterea audite consilium domini quod inijt de edom: et cogitationes eius quas cogitauit de habitatoribus theman. Si non deiecerint eos paruuli gregis: nisi dissipauerint cum eis habitaculum eorum. [21] A voce ruine eorum commota est terra: clamor in mari rubro auditus est vocis eius. [22] Ecce quasi aquila ascendet: et euolabit et expandet alas suas super bosram. Et erit cor fortium ydumee in die illa· quasi cor mulieris parturientis. [23] Ad damascum. Confusa est emath et arfath: quia auditum pessimum audierunt. Turbati sunt in mari pre sollicitudine· quiescere non potuit. [24] Dissoluta est damascus: versa est in fugam: tremor apprehendit eam. Angustia et dolores tenuerunt eam: quasi parturientem. [25] Quomodo dereliquerunt ciuitatem laudabilem: vrbem leticie? [26] Ideo cadent iuuenes eius in plateis eius: et omnes viri prelij conticescent in die illa ait dominus exercituum. [27] Et succendam ignem in muro damasci· et deuorabit menia benadab. [28] Ad cedar et ad regna asor: que percussit nabuchodonosor rex babilonis. Hec dicit dominus. Surgite et ascendite ad cedar: et vastate filios orientis. [29] Tabernacula eorum et greges eorum capient: pelles eorum et omnia vasa eorum et camelos eorum tollent sibi: et vocabunt super eos formidinem in circuitu eius. [30] Fugite: abite vehementer: in voraginibus sedete qui habitatis asor ait dominus. Inijt enim contra vos nabuchodonosor rex babilonis consilium: et cogitauit aduersus vos cogitationes. [31] Consurgite et ascendite ad gentem quietam: et habitantem confidenter ait dominus. Non ostia nec vectes eis soli habitabunt. [32] Et erunt cameli eorum in direptionem: et multitudo iumentorum in predam et dispergam eos in omnem ventum qui sunt attonsi in comam: et ex omni confinio eorum adducam interitum super eos ait dominus. [33] Et erit asor in habitaculum draconum: deserta vsque in eternum. Non manebit ibi vir: nec incolet eam filius hominis. [34] Quod factum est verbum domini ad iheremiam prophetam aduersus elam in principio regni sedechie regis iuda dicens. [35] Hec dicit dominus exercituum. Ecce ego confringam arcum elam et sumam formidinem eorum: [36] et inducam super elam quatuor ventos a quatuor plagis celi· et ventilabo eos in omnes ventos istos: et non erit gens ad quam non perueniant profugi elam. [37] Et pauere faciam elam coram inimicis suis: et in conspectu querentium animam eorum. Et adducam super eos malum: iram furoris mei dicit dominus. Et mittam post eos gladium donec consumam eos: [38] et ponam solium meum in elam: et perdam inde reges et principes ait dominus. [39] In nouissimis autem diebus reuerti faciam captiuos elam dicit dominus.

50 Verbum quod locutus est dominus de V babilone et de terra caldeorum: in manu iheremie prophete. [2] Annunciate in gentibus· et auditum facite. Leuate signum: predicate: et nolite celare. Dicite. Capta est babilon· confusus est bel: victus est marodach. Confusa sunt omnia sculptilia eorum: superata sunt ydola eorum. [3] Quoniam ascendet contra eam gens ab aquilone: que ponet terram eius in solitudinem: et non erit qui habitet in ea ab homine vsque ad pecus. Et moti sunt: et abierunt. [4] In diebus illis et in tempore illo ait dominus· venient filij israhel ipsi· et filij iuda simul. Ambulantes et flentes properabunt: et dominum deum suum querent. [5] In syon interrogabunt viam: huc facies eorum venient: et apponentur ad dominum federe sempiterno· quod nulla obliuione delebitur. [6] Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos: feceruntque vagari in montibus. De monte in collem transierunt: obliti sunt cubilis sui. [7] Omnes qui inuenerunt comederunt eos: et hostes eorum dixerunt. Non peccauimus: pro eo quod peccauerunt domino decori iusticie: et expectationem patrum eorum domino. [8] Recedite te de medio babilonis: de terra caldeorum orum egredimini: et estote quasi hedi ante greges. [9] Quoniam ecce ego suscitabo et adducam in babilonem congregationem gentium magnarum de terra babilonis· et preparabuntur aduersus eam: et inde capietur. Sagitta eius quasi viri fortis interfectoris: non reuertetur vacua. [10] Et erit caldea in predam: omnes vastantes eam replebuntur ait dominus. [11] Quoniam exultatis et magna loquimini diripientes hereditatem meam: quoniam effusi estis sicut vituli super herbam: et mugitis sicut thauri. [12] Confusa est mater vestra nimis: et adequata pulueri que genuit vos. Ecce nouissima erit in gentibus: deserta in via et arens [13] ab ira domini. Non inhabitabitur: sed redigetur tota in solitudinem. Omnis qui transibit per babilonem stupebit: et sibilabit super vniuersis plagis eius. [14] Preparamini contra babilonem per circuitum. Omnes qui intenditis arcum debellate eam: non parcatis iaculis: quia domino peccauit. [15] Clamate aduersus eam. Vbique dedit manum. Ceciderunt fundamenta eius: destructi sunt muri eius: quoniam vltio domini est. Vltionem accipite de ea. Sicut fecit· facite ei. [16] Dispergite satorem de babilone: et tenentem falcem in tempore messis a facie gladij columbe. Vnusquisque ad populum suum conuertetur: et singuli ad terram suam fugient. [17] Grex dispersus israhel: leones eiecerunt eum. Primus comedit eum rex assur: iste nouissimus exossauit eum nabuchodonosor rex babilonis. [18] Propterea hec dicit dominus exercituum· deus israhel. Ecce ego visitabo regem babilonis et terram eius sicut visitaui regem assur: [19] et reducam israhel ad habitaculum suum. Et pascetur carmelus et basan: et in monte ephraim et galaad saturabitur anima eius. [20] In diebus illis et in tempore illo ait dominus queretur miquitas israhel et non erit: et peccatum iuda et non inuenietur: quoniam propitius ero eis quos reliquero. [21] Super terram dominantium ascende: et super habitatores eius visita. Dissipa et interfice que post eos sunt ait dominus: et fac iuxta omnia que precepi tibi. [22] Vox belli in terra: et contritio magna. [23] Quomodo confractus est· et contritus malleus vniuerse terre? Quomodo versa est in desertum babilon in gentibus: [24] Illaqueaui te et capta es babilon et nesciebas: inuenta es et apprehensa: quoniam dominum prouocasti. [25] Aperuit dominus thesaurum suum et protulit vasa ire sue: quoniam opus est domino deo exercituum in terra caldeorum. [26] Venite ad eam ab extremis terre finibus: aperite vt exeant qui conculcent eam. Tollite de via lapides· et redigite in aceruos: et interficite eam: nec sit quicquam reliquum. [27] Dissipate vniuersos fortes eius: descendant in occisionem. Ve eis quia venit dies eorum: tempus visitationis eorum. [28] Vox fugientium et eorum qui euaserunt de terra babilonis: vt annuncient in syon vltionem domini dei nostri: vltionem templi eius. [29] Annunciate in babilonem plurimis: omnibus qui tendunt arcum. Consistite aduersus eam per gyrum: et

nullus euadat. Reddite ei secundum opus suum: iuxta omnia que fecit facite illi· quia contra dominum erecta est: aduersum sanctum israhel. [30] Idcirco cadent iuuenes eius in plateis eius: et omnes viri bellatores eius conticescent in die illa ait dominus. [31] Ecce ego ad te superbe dicit dominus deus exercituum: quia venit dies tuus: tempus visitationis tue. [32] Et cadet superbus et corruet: et non erit qui suscitet eum. Et succendam ignem in vrbibus eius: et deuorabit omnia in circuitu eius. [33] Hec dicit dominus exercituum. Calumniam sustinent filij israhel et filij iuda simul. Omnes qui ceperunt eos tenent: nolunt dimittere eos. [34] Redemptor eorum fortis: dominus exercituum nomen eius. Iudicio defendet causam eorum: vt exterreat terram et commoueat habitatores babilonis. [35] Gladius ad caldeos ait dominus: et ad habitatores babilonis et ad principes et ad sapientes eius. [36] Gladius ad diuinos eius: qui stulti erunt. Gladius ad fortes illius: qui timebunt. [37] Gladius ad equos eius· et ad currus eius· et ad omne vulgus eius quod est in medio eius: et erunt quasi mulieres. Gladius ad thesauros eius: qui diripientur. [38] Siccitas super aquas eius erit et arescent: quia terra sculptilium est: et in portentis: gloriantur. [39] Propterea habitabunt dracones cum fatuis ficarijs: et habitabunt in ea strutiones. Et non inhabitabitur vltra vsque in sempiternum: nec extruetur vsque ad generationem et generationem. [40] Sicut subuertit dominus zodomam et gomorram et vicinos eius· ait dominus. Non habitabit ibi vir: et non incolet eam filius hominis. [41] Ecce populus veniet ab aquilone et gens magna: et reges magni consurgent a finibus terre. [42] Arcum et scutum apprehendent: crudeles sunt et immisericordes. Vox eorum quasi mare sonabit: et super equos ascendent sicut vir paratus ad prelium contra te filia babilonis. [43] Audiuit rex babilonis famam eorum: et dissolute sunt manus eius. Angustia apprehendit eum: dolor quasi parturientem. [44] Ecce quasi leo ascendet de superbia iordanis ad pulcritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam. Et quis erit electus quem preponam ei? Quis enim similis mei: et quis sustinebit me? Et quis est iste pastor: qui resistat vultui meo? [45] Propterea audite consilium domini quod mente concepit aduersum babilonem: et cogitationes eius quas cogitauit super terram caldeorum. Nisi detraxerint eos paruuli gregum: nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum. [46] A voce captiuitatis babilonis commota est terra: et clamor inter gentes auditus est.

51 Hec dicit dominus. Ecce ego suscitabo super super babilonem· et super habitatores eius qui cor suum leuauerunt contra me quasi ventum pestilentem: [2] et mittam in babilonem ventilatores et ventilabunt eam. Et demolientur terram eius: quoniam venerunt super eam vndique in die afflictionis eius. [3] Non tendat qui tendit arcum suum: et non ascendet loricatus. Nolite parcere iuuenibus eius: interficite omnem militiam eius. [4] Et cadent interfecti in terra caldeorum: vulnerati in regionibus eius. [5] Quoniam non fuit viduatus israhel et iuda a domino deo suo: domino exercituum. Terra autem eorum repleta est delicto a sancto israhel. [6] Fugite de medio babilonis: vt saluet vnusquisque animam suam. Nolite tacere super iniquitatem eius: quoniam tempus vltionis eius est domino: vicissitudinem ipse retribuet ei. [7] Calix aureus babilon in manu domini: inebrians omnem terram. De vino eius biberunt gentes: et ideo commote sunt. [8] Subito cecidit babilon: et contrita est. Vlulate super eam: tollite resinam ad dolorem eius si forte sanetur. [9] Curauimus babilonem: et non est sanata. Derelinquamus eam: et eamus vnusquisque in terram suam. Quoniam peruenit vsque ad celos iudicium eius: et eleuatum est vsque ad nubes. [10] Protulit dominus iusticias nostras: venite et narremus in syon opus domini dei nostri. [11] Acuite sagittas: et implete pharetras. Suscitauit dominus spiritum regum medorum: et contra babilonem mens eius est: vt perdat eam. Quoniam vltio domini est: vltio templi sui. [12] Super muros babilonis leuate signum: augete custodiam. Leuate custodes: preparate insidias: quia cogitauit dominus et fecit quecunque locutus est contra habitatores babilonis. [13] Que habitas super aquas multas locuples in thesauris: venit finis tuus: pedalis precisionis tue. [14] Iurauit dominus exercituum per animam suam: quoniam replebo te hominibus quasi brucho: et super te celeuma cantabitur. [15] Qui fecit terram in fortitudine sua: preparauit orbem in sapientia sua: et prudentia sua extendit celos. [16] Dante eo voces: multiplicantur aque in celo. Qui leuat nubes ab extremo terre: fulgura in pluuiam fecit: et produxit ventos de thesauris suis. [17] Stultus factus est omnis homo a scientia: Confusus est omnis conflator in sculptili. Quia mendax est conflatio eius: nec est spiritus in eis. [18] Vana sunt opera et risu digna: in tempore visitationis sue peribunt. [19] Non sicut hec pars iacob. Quia qui fecit omnia ipse est: et israhel sceptrum hereditatis eius: dominus exercituum nomen eius. [20] Collidis tu michi vasa belli: et ego collidam in te gentes: et disperdam in te regna. [21] Collidam in te equum et equitem eius: et collidam in te currum et ascensorem eius. [22] et collidam in te virum et mulierem. Et collidam in te senem et puerum: et collidam in te iuuenem et virginem. [23] Et collidam in te pastorem et gregem eius: et collidam in te agricolam et iugales eius. Et collidam in te duces et magistratus: [24] et reddam babiloni et cunctis habitatoribus caldeorum omne malum suum· quod fecerunt in syon in oculis vestris· ait dominus. [25] Ecce ego ad te mons pestifer ait dominus: qui corrumpis vniuersam terram. Et extendam manum meam super te et euoluam te de petris: et dabo te in montem combustionis. [26] Et non tollam de te lapidem in angulum et lapidem in fundamenta: sed perditus in eternum eris ait dominus. [27] Leuate signum in terra: clangite bucina in montibus. Sanctificate super eam gentes: annunciate contra illam regibus ararath menni et ascenez: numerate contra eam tapsar. Adducite equum quasi brachium aculeatum. [28] Sanctificate contra eam gentes: reges medie· duces eius· et vniuersos magistratus eius: cunctam que terram potestatis eius. [29] Et commouebitur terra et conturbabitur: quia euigilauit contra babilonem cogitatio domini: vt ponat terram babilonis desertam et inhabitabilem. [30] Cessauerunt fortes babilonis a prelio: habitauerunt in presidijs. Deuoratum est robur eorum: et facti sunt quasi mulieres. Incensa sunt tabernacula eius: contriti sunt vectes eius. [31] Currens obuiam currenti veniet et nuncius obuius nuncianti: vt annunciet regi babilonis quia capta est ciuitas eius a summo vsque ad summum: [32] et vada preoccupata sunt. Et paludes incense sunt igni: et viri bellatores conturbati sunt: [33] quia hec dicit dominus exercituum deus israhel. Filia babilonis quasi area: tempus triture eius. Adhuc modicum: et veniet tempus messionis eius. [34] Comedit me: deuorauit me nabuchodonosor rex babilonis. Reddidit me quasi vas inane. Absorbuit me quasi draco: repleuit ventrem suum teneritudine mea: et eiecit me. [35] Iniquitas aduersum me· et caro mea super babilonem dicit habitatio syon: et sanguis meus super habitatores caldee dicit iherusalem. [36] Propterea hec dicit dominus. Ecce ego iudicabo causam tuam: et vlciscar vltionem tuam. Et desertum faciam mare eius: et siccabo venam eius. [37] Et erit babilon in tumulos: habitatio draconum stupor et sibilus: eo quod non sit habitator. [38] Simul vt leones rugient: excutient comas veluti catuli leonum. [39] In calore eorum ponam potus eorum: et inebriabo eos vt sopiantur et dormiant somnum sempiternum: et non consurgant dicit dominus. [40] Deducam eos quasi agnos ad victimam: et quasi arietes cum hedis. [41] Quomodo capta est sesach· et comprehensa est inclita vniuerse terre? Quomodo facta est in stuporem babilon inter gentes? [42] Et ascendit super babilonem mare: multitudine fluctuum eius operta est. [43] Facte sunt ciuitates eius in stuporem: terra inhabitabilis et deserta: terra in qua nullus habitet nec transiet per eam filius hominis. [44] Et visitabo super bel in babilone: et eiciam quod absorbuerat de ore eius: et non confluent ad eam vltra gentes. Siquidem et murus babilonis corruet. [45] Egredimini de medio eius populus meus: vt saluet vnusquisque animam suam ab ira furoris domini. [46] Et ne forte mollescat cor vestrum: et timeatis auditum qui audietur in terra. Et veniet in anno auditio· et post hunc annum auditio et iniquitas in terra: et dominator super dominatorem. [47] Propterea ecce dies veniunt· et visitabo super scuptilia babilonis: et omnis terra eius confundetur: et vniuersi interfecti eius cadent in medio eius. [48] Et laudabunt super babilonem celi et terre et omnia que in eis sunt: quia ab aquilone venient ei predones ait dominus. [49] Et quomodo fecit babilon vt caderent occisi in israhel: sic de babilone cadent occisi in vniuersa terra. [50] Qui fugitis gladium venite: nolite stare. Recordamini procul domini: et iherusalem ascendat super cor vestrum. [51] Confusi sumus: quoniam audiuimus obprobrium. Operuit ignominia facies nostras: quoniam

venerunt alieni super sanctificationem domus domini. [52] Propterea ecce dies veniunt ait dominus· et visitabo super sculptilia eius: et in omni terra eius mugiet vulneratus. [53] Si ascenderit babilon in celum et firmauerit in excelso robur suum: a me venient vastatores eius ait dominus. [54] Vox clamoris de babilone· et contritio magna de terra caldeorum: [55] quoniam vastauit dominus babilonem et perdidit ex ea vocem magnam: et sonabunt fluctus eorum quasi aque multe. Dedit sonitum vox eorum: [56] quia venit super eam id est super babilonem predo. Et apprehenfi sunt fortes eius: et emarcuit arcus eorum: quia fortis vltor dominus reddens retribuet. [57] Et inebriabo principes eius et sapientes eius: duces eius et magistratus eius et fortes eius. Et dormient somnum sempiternum: et non expergiscentur ait rex: dominus exercituum nomen eius. [58] Hec dicit dominus exercituum. Murus babilonis ille altissimus suffosione suffodietur: et porte eius excelse igne comburentur: et labores populorum ad nichilum et gentium· in ignem erunt et disperibunt. [59] Verbum quod precepit iheremias propheta saraye filio nerie filij maasie· cum pergeret cum sedechia rege in babilonem: in anno quarto regni eius. Saraias autem erat princeps prophetie. [60] Et scripsit iheremias omne malum quod venturum erat super babilonem in libro vno: omnia verba hec que scripta sunt contra babilonem. [61] Et dixit iheremias ad sarayam. Cum veneris babilonem et videris et legeris omnia verba hec [62] dices. Domine tu locutus es contra locum istum vt disperderes eum: ne sit qui in eo habitet ab homine vsque ad pecus: et sit perpetua solitudo. [63] Cunque compleueris legere librum istum: ligabis ad eum lapidem et proicies illum in medium eufraten: [64] et dices. Sic submergetur babilon: et non consurget a facie afflictionis quam ego adduco super eam: et dissoluetur. Hucusque verba iheremie.

52 Filius viginti et vnius anni erat sedechias cum regnare cepisset: et vndecim annis regnauit in iherusalem. Et nomen matris eius amithal: filia iheremie de lobna. [2] Et fecit malum in oculis domini iuxta omnia que fecerat ioachim: [3] quoniam furor domini erat in iherusalem et in iuda vsque quo proiceret eos a facie sua. Et recessit sedechias a rege babilonis. [4] Factum est autem in anno nono regni eius in mense decimo· decima die mensis venit nabuchodonosor rex babilonis ipse et omnis exercitus eius aduersus iherusalem et obsederunt eam: et edificauerunt contra eam munitiones in circuitu: [5] et fuit ciuitas obsessa vsque ad vndecimum annum regni sedechie. [6] Mense autem quarto nona die mensis obtinuit fames ciuitatem: et non erant alimenta populo terre. [7] Et dirupta est ciuitas· et omnes viri bellatores eius fugerunt: exieruntque de ciuitate nocte per viam porte que est inter duos muros et ducit ad ortum regis· caldeis obsidentibus vrbem in giro: et abierunt per viam que ducit in heremum. [8] Persecutus est autem caldeorum exercitus regem: et apprehenderunt sedechiam in deserto quod est iuxta iericho: et omnis comitatus eius diffugit ab eo. [9] Cunque comprehendissent regem adduxerunt eum ad regem babilonis in reblatha que est in terra emath: et locutus est ad eum iudicia. [10] Et iugulauit rex babilonis filios sedechie in oculis eius: sed et omnes principes iuda occidit in reblatha. [11] Et oculos sedechie eruit: et vinxit eum in compedibus. Et adduxit eum rex babilonis in babilonem: et posuit eum in domo carceris vsque ad diem mortis eius. [12] In mense autem quinto· decima mensis· ipse est annus decimusnonus nabuchodonosor regis babilonis: venit nabuzardan princeps militie qui stabat coram rege babilonis in iherusalem: [13] et incendit domum domini et domum regis et omnes domus iherusalem et omnem domum magnam igne combussit: [14] et totum murum iherusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus caldeorum qui erat cum magistro militie. [15] De pauperibus autem populi et de reliquo vulgo quod remanserat in ciuitate et de perfugis qui transfugerant ad regem babilonis et ceteros de multitudine· transtulit nabuzardan princeps militie: [16] de pauperibus vero terre reliquit nabuzardan princeps militie vinitores et agricolas. [17] Columnas quoque ereas que erant in domo domini et bases et mare eneum quod erat in domo domini confregerunt caldei: et tulerunt omne es eorum in babilonem. [18] Et lebetes et creagras et psalteria et fialas et mortariola et omnia vasa erea que in ministerio fuerant tulerunt: [19] et ydrias et thimiamateria et vrceos et pelues et candelabra et mortaria et cyatos. quot aurea aurea: et quotquot argentea argentea. Tulit magister militie [20] columnas duas et mare vnum· et vitulos duodecim ereos qui erant sub basibus: quas fecerat rex salomon in domo domini. Non erat pondus eris omnium vasorum horum. [21] De columnis autem: decem et octo cubiti altitudinis erant in columna vna: et funiculus duodecim cubitorum circuibat eam. Porro grossitudo eius quatuor digitorum: et intrinsecus caua erat: [22] et capitella super vtramque erea. Altitudo capitelli vnius quinque cubitorum: et retiacula et malagranata supra coronam in circuitum: omnia erea. [23] Et fuerunt malagranata nonagintasex dependentia: et omnia malagranata centum retiaclis circumdabantur. [24] Et tulit magister militie saraiam sacerdotem primum: et sophoniam sacerdotem secundum: et tres custodes vestibuli. [25] Et de ciuitate tulit eunuchum vnum qui erat prepositus super viros bellatores: et septem viros de hijs qui videbant faciem regis qui inuenti sunt in ciuitate: et scribam principem militum qui probabat tyrones: et sexaginta viros de populo terre qui inuenti sunt in medio ciuitatis. [26] Tulit autem eos nabuzardan magister militie: et duxit eos ad regem babilonis in reblatha. [27] Et percussit eos rex babilonis: et interfecit eos in reblatha in terra emath. Et translatus est iuda de terra sua. [28] Iste est populus quem transtulit nabuchodonosor in anno septimo: iudeos tria milia· et vigintitres. [29] In anno octauodecimo nabuchodonosor transtulit de iherusalem animas octingentastrigintaduas. [30] In anno vicesimotercio nabuchodonosor transtulit nabuzardan magister militie animas iudeorum septingentas quadraginta quinque. Omnes ergo anime: quatuor milia sexcente. [31] Et factum est in tricesimoseptimo anno transmigrationis ioachin regis iuda duodecimo mense vicesima quinta mensis eleuauit euilmerrodach rex babilonis ipso anno regni sui caput ioachin regis iude· et eduxit eum de domo carceris: [32] et locutus est cum eo bona. Et posuit thronum eius super thronos regum qui erant post se in babilone: [33] et mutauit vestimenta carceris eius: et comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vite sue. [34] Et cibaria eius cibaria perpetua dabantur ei a rege babilonis statuta per singulos dies: vsque ad diem mortis sue cunctis diebus vite eius.

Lamentationes

Incipiunt lamentationes eius que cynoth hebraice inscribuntur.

1 captiuitate redactus est israhel et iherusalem deserta est: sedit iheremias propheta flens et planxit lamentatione hac in iherusalem: et amaro animo suspirans et eiulans dixit. Aleph. Quomodo sedet sola ciuitas plena populo. Facta est quasi vidua domina gentium: princeps prouinciarum facta est sub tributo. [2] Beth· Plorans plorauit in nocte: et lacrime eius in maxillis eius. Non est qui consoletur eam: ex omnibus caris eius. Omnes amici eius spreuerunt eam: et facti sunt ei inimici. [3] Migrauit iudas propter afflictionem et multitudinem seruitutis. Habitauit inter gentes: nec inuenit requiem. Omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias. [4] Vie syon lugent: eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. Omnes porte eius destructe: sacerdotes eius gementes. Virgines eius squalide: et ipsa oppressa amaritudine [5] Facti sunt hostes eius in capite: et inimici eius locupletati sunt: quia dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius. Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem: ante faciem tribulantis. [6] Et egressus est a filia syon

omnis decor eius. Facti sunt principes eius velut arietes non inuenien pascua: Vau. et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. 7 Recordata est iherusalem dierum afflictionis sue· et preuaricationis omnium desiderabilium suorum· que habuerat a diebus antiquis: cum caderet populus eius in manu hostili: et non esset auxiliator. Viderunt eam hostes: et deriserunt sabbata eius. 8 Peccatum peccauit iherusalem: propterea instabilis facta est. Omnes qui glorificabant eam spreuerunt illam: quia viderunt ignominiam eius. Ipsa autem gemens: et conuersa retrorsum. 9 Sordes eius in pedibus eius: nec recordata est finis sui. Deposita est vehementer: non habens consolatorem. Vide domine afflictionem meam: quoniam erectus est inimicus. 10 Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum: de quibus preceperas ne intrarent in ecclesiam tuam. 11 Omnis populus eius gemens: et querens panem. Dederunt preciosa queque pro cibo: ad refocillandam animam. Vide domine et considera: quoniam facta sum vilis. 12 O vos omnes qui transitis per viam attendite et videte: si est dolor sicut dolor meus. Quoniam vindemiauit me vt locutus est dominus: in die ire furoris sui. 13 De excelso misit ignem in ossibus meis: et erudiuit me. Expandit rethe pedibus meis: conuertit me retrorsum. Posuit me desolatam: tota die merore confectam. 14 Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius: conuolute sunt et imposite collo meo. Infirmata est virtus mea: dedit me dominus in manum de qua non potero surgere. 15 Abstulit omnes magnificos meos dominus de medio mei: vocauit aduersum me tempus: vt contereret electos meos. Torcular calcauit dominus virgini filie iuda. 16 dominus virgini filie iuda. Ayn. Idcirco ego plorans et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator: conuertens animam meam. Facti sunt filij mei perditi: quoniam inualuit inimicus. 17 Expandit syon manus suas: non est qui consoletur eam. Mandauit dominus aduersum iacob: in circuitu eius hostes eius. Facta est iherusalem quasi polluta lura menstruis inter eas. 18 Sade Iustus est dominus: quia os eius ad iracundiam prouocaui. Audite obsecro vniuersi populi: et videte dolorem meum. Virgines mee et iuuenes mei abierunt in captiuitatem. 19 Vocaui amicos meos: et ipsi deceperunt me. Sacerdotes mei et senes mei in vrbe consumpti sunt: quia quesierunt cibum sibi vt refocillarent animas suas. 20 Vide domine quoniam tribulor: tribulatus est venter meus. Subuersum est cor meum in memetipsa: quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius: et domi mors similis est. 21 Audierunt quia ingemisco ego: et non est qui consoletur me. Omnes inimici mei Sin. audierunt malum meum: letati sunt quoniam tu fecisti. Adduxisti diem consolationis: et fient similes mei. 22 Ingrediatur omne malum eorum coram te: et deuindemia eos sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas. Multi etiam gemitus mei: et cor meum merens.

2 Quomodo obtexit caligine in furore suo dominus filiam syon. Proiecit de celo in terram inclitam israhel: et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui. 2 peti. Beth. Precipitauit dominus nec pepercit omnia speciosa iacob: destruxit in furore suo munitiones virginis iuda et deiecit in terram: polluit regnum et principes eius 3 Confregit in ira furoris sui omne cornu israhel: auertit retrorsum dexteram suam a facie inimici: et succendit in iacob quasi ignem flamme deuorantis in giro. 4 Tetendit arcum suum quasi inimicus: firmauit dexteram suam quasi hostis: et occidit omne quod pulcrum erat visu· In tabernaculo filie syon effudit quasi ignem indignationem suam 5 Factus est dominus velut inimicus· precipitauit israhel. Precipitauit omnia menia eius: dissipauit munitiones eius: et repleuit in filia iuda humiliatum et 6 Et dissipauit quasi ortum tentorium suum: demolitus est tabernaculum suum. Obliuioni tradidit dominus in syon festiuitatem Vau. et sabbatum: et in obprobrium et in indignationem furoris sui regem et sacerdotem. 7 Repulit dominus altare suum: maledixit sanctificationi sue: tradidit in manus inimici muros turrium eius. Vocem dederunt in domo domini: sicut in die solemni. 8 Detu.· Heth. Cogitauit dominus dissipare murum filie syon: tetendit funiculum suum et non auertit manum suam a perditione. Luxitque ante murale: et murus pariter dissipatus est. 9 Defixe sunt in terra porte eius: perdidit et contriuit vectes eius: regem Non est lex: et prophete eius inuenerunt gen eius et principes eius in gentibus. visionem a domino 10 Sederunt in terra: conticuerunt senes filie syon: consperserunt cinere capita sua. Accincti sunt cilicijs. abiecerunt in terra capita sua virgines iherusalem. 11 Defecerunt pre lacrimis oculi mei: conturbata sunt viscera mea. Effusum est in terra iecor meum super contritionem filie populi mei: cum deficeret paruulus et lactens in plateis oppidi. 12 Matribus suis dixerunt vbi est triticum et vinum: cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis: cum exalarent animas suas in sinu matrum suarum. 13 Cui comparabo te· vel Mem. cui assimilabo te filia iherusalem? Cui exequabo te· et consolabor te virgo filia syon? Magna enim velut mare contritio tua. Quis medebitur tui? 14 Prophete tui viderunt tibi falsa et stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam: vt te ad penitentiam prouocarent. Viderunt autem tibi assumptiones falsas et eiectiones. 15 Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt et mouerunt pita sua super filiam iherusalem: heccine est vrbs dicentes perfecti decoris: gaudium vniuerse terre. 16 Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilauerunt et fremuerunt dentibus suis: et dixerunt deuorabimus. Ista est dies quem exspectabamus: inuenimus· vidimus. 17 Fecit deus que cogitauit: compleuit sermonem suum quem preceperat a diebus antiquis. Destruxit et non pepercit: letificauit super te inimicum: et exaltauit cornu hostium tuorum. 18 Clamauit cor eorum ad dominum: super muros filie syon. Deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem: non des requiem tibi: neque taceat pupilla oculi tui. 19 Consurge: lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum domini. Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum: qui fame pereunt in capite omnium compitorum. 20 Vide domine et considera: quem vindemiaueris ita. Ergo ne comedent mulieres fructum suum: paruulos ad mensuram palme? Si occiditur in sauctuario domini: sacerdos et propheta? 21 Iacuerunt in terra foris puer et senex: virgines mee et iuuenes mei eciderunt in gladio interfecisti in die furoris tui: percussisti: nec misertus es. chan. 22 Thau Vocasti quasi diem solemnem qui terrerent me de circuitu: et non fuit in die furoris domini qui effugeret et relinqueretur. queretur. Quos educaui et enutriui: inimicus meus consumpsit eos.

3 Aleph Ego vir videns paupertatem meam: in virga indignationis eius. 2 Alep Aleph. Me minauit et adduxit in tenebris: et non in lucem. 3 Aleph. Tantum in me vertit: et conuertit manum suam tota die. 4 Vetustam fecit pellem meam et carnem meam: contriuit ossa mea. 5 Edificauit in giro meo: et circumdedit me felle et labore. 6 In tenebrosis collocauit me: quasi mortuos sempiternos. 7 Circumedificauit aduersum me vt non egrediar: aggrauauit compedem meum. 8 Sed et clamauero et cum rogauee ro: exclusit orationem meam. 9 Conclusit vias meas lapidibus quadris: semitas meas subuertit. 10 Vrsus insidians factus est michi: leo in abscondito. 11 Semitas meas subuertit et confregit me: posuit me desolatam. 12 Tetendit arcum suum: et posuit me quasi signum ad sagittam. 13 ne. He. Misit in renibus meis filias pharetre sue. 14 De. He. Factus dus sum in derisum omni populo meo: canticum eorum tota die. ticum eorum tota die. 15 He Repleuit me amaritudinibus: inebriauit me absinthio. 16 Et fregit ad numerum dentes meos: cibauit me cinere. 17 Et repulsa est anima mea: oblitus sum bonorum. 18 Et dixi perijt finis meus Vau. et spes mea a domino. 19 Recordare pauptatis et transgressionis mee: absinthij et 20 Memoria memor ero: et tabescet in me anima mea. 21 recolens in corde meo: ideo sperabo. 22 Misericordie domini quia non sumus comsumpti: quia non defecerunt miserationes eius. 23 heth Noui diluculo: multa est fides tua. 24 heth Pars anima mea dominus dixit anima mea: propterea exspectabo eum. 25 Teth· Bonus est dominus sperantibus in eum: anime querenti illum. 26 Teth Bonum est prestolari cum silentio salutare domini. 27 Theth. Bonum est viro: cum portauerit iugum ab adolescentia sua. 28 Sedebit solitarius et tacebit: quia leuauit se super 29 Ponet in puluere os suum: si forte sit spes. 30 Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobrijs. 31 Quia non repellet in sempiternum dominus. 32 Quia si abiecit et miserebitur: secundum multitudinem misericordiarum suarum. 33 Non enim humiliauit ex corde suo: et abiecit filios hominum. 34 Vt contereret sub pedibus suis omnes vinctos

terre. [35] Vt declinaret iudicium viri: in conspectu vultus altissimi. [36] Vt peruerteret hominem in iudicio suo: dominus ignorauit. [37] Mem. Quis est iste qui dixit vt fieret: domino non iubente? [38] Mem. Ex ore altissimi non egredientur: nec mala nec bona? [39] Quid murmurauit homo viuens: vir pro peccatis suis? [40] Scrutemur vias nostras: et queramus et reuertamur ad dominum. [41] Leuemus corda nostra cum manibus: ad dominum in celos. [42] Qui Nun. Nos inique egimus et ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es. [43] Samec. Samech. Operuisti in furore et percussisti: occidisti nec pepercisti. [44] Opposuisti nubem tibi: ne transeat oratio. [45] Eradicationem et abiectionem posuisti me: in medio populorum. [46] Aperuerunt super nos os suum omnes inimici. [47] Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio et contritio. [48] phe Diuisiones aquarum deduxit oculus meus: in contritione filie populi mei. [49] Ayn Oculus meus afflictus est nec tacuit: eo quod non esset requies. [50] Ayn Donec respiceret et videret deus de celis. [51] Oculus meus depredatus est animam meam: in cunctis felicibus vrbis mee. [52] Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis. [53] Sade Lapsa est in lacum vita mea: et posuerunt lapidem super me. [54] Inundauerunt aque super caput meum: dixi perij. [55] Inuocaui nomen tuum domine: de lacu nouissimo. [56] Vocem meam audisti: ne auertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus. [57] Appropinquasti in die quando inuocaui te: dixisti ne timeas. [58] Res Iudicasti domine causam anime mee: redemptor vite mee. [59] Vidisti domine iniquitatem illorum aduersum me: iudica iudicium meum. [60] Vidisti omnem furorem: vniuersas cogitationes eorum aduersum me. [61] Audisti opprobrium eorum domine: omnes cogitationes aduersum me. [62] Labia insurgentium michi et meditationes eorum: aduersum me tota die. [63] Sessionem eorum et resurrectionem vide: ego sum psalmus eorum. [64] Reddes eis vicem domine: iuxta opera manuum suarum. [65] Dabis eis scutum cordis: laborem tuum. [66] Persequeris in furore: et conteres eos sub celis domine.

4 Quomodo obscuratum est aurum: mutatus est color optimus: dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. [2] Filij syon incliti et amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea: opus manuum figuli. [3] Sed et lamie nudauerunt mammam lactauerunt catulos suos. Filia populi mei crudelis: quasi strucio in deserto. [4] Adhesit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierunt panem: et non erat qui frangeret eis. [5] Qui vescebantur voluptuose interierunt in vijs: He. qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora. [6] Et maior effecta est iniquitas filie populi mei peccato sodomorum: que subuersa est in momento: Vau. et non ceperunt in ea manus. [7] Candidiores nazarei eius niue· nitidiores lacte: rubicundiores ebore antiquo: saphiro pulcriores. [8] Denigrata est super carbones facies eorum: et non sunt cogniti in plateis. Adhesit cutis eorum ossibus: aruit et facta est quasi lignum. [9] Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terre [10] Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filie populi mei. [11] Compleuit dominus furorem suum: effudit iram indignationis sue. Et succendit ignem in syon: et deuorauit fundamenta eius. [12] Non crediderunt reges terre et vniuersi habitatores orbis: quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas iherusalem. [13] Propter peccata prophetarum eius et iniquitas sacerdotum eius: qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum. [14] Errauerunt ceci in plateis: polluti sunt sanguine. Cumque non possent: tenuerunt lacinias suas. [15] Recedite polluti clamauerunt eis: Samech. recedite abite: nolite tangere. Iurgati quippe sunt et commoti dixerunt: inter gentes non addet vltra vt inhabitet in eis. [16] Facies domini diuisit eos: non addet vt respiciat eos. Phe. Facies sacerdotum non erubuerunt: neque senum miserti sunt. [17] Cum adhuc subsisteremus defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum: Ayn. cum respiceremus attenti ad gentem que saluare non poterat. [18] Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum: appropinquauit finis noster: completi sunt dies nostri: quia venit finis noster. [19] Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis celi: super montes persecuti sunt nos: in deserto insidiati sunt nobis. [20] Spiritus oris nostri cristus dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: in vmbra tua viuemus in gentibus. [21] Gaude et letare filia edom que habitas in terra hus. Ad te quoque perueniet calix: inebriaberis atque nudaberis. [22] Completa est iniquitas tua filia syon: non addet vltra vt transmigret te. Visitabit iniquitatem tuam filia edom: discooperiet peccata tua.

5 Incipit oro versa Recordare Recordare domine quid acciderit nobis: intuere et respice obprobrium nostrum. [2] Hereditas nostra versa est ad alienos: domus nostre ad extraneos. [3] Pupilli facti sumus absque patre: matres nostre quasi vidue. [4] Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra precio comparauimus. [5] Ceruicibus minabamur: lassis non dabatur requies. [6] Egipto dedimus manum et assirijs: vt saturemur pane. [7] Patres nostri peccauerunt et non sunt: et nos iniquitatem eorum portauimus. [8] Serui dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. [9] In manibus nostris afferebamus panem: nobis a facie gladij in deserto. [10] Pellis nostra quasi clibanus exusta est: a facie tempestatum famis. [11] Mulieres in syon humiliauerunt: et virgines in ciuitatibus iuda. [12] Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt. [13] Adolescentibus impudice abusi sunt: et pueri in ligno corruerunt. [14] Sedes defecerunt de portis: iuuenes de choro psallentium. [15] Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. [16] Cecidit corona capitis nostri: ve nobis quia peccauimus. [17] Propterea mestum factum est in dolore cor nostrum: ideo contenebrati sunt oculi nostri. [18] Propter montem syon quia disperijt: vulpes ambulauerunt in eo. [19] Tu autem domine ineternum permanebis: solium tuum in generationem et generationem. [20] Quare impetuum in perpetuum obliuisceris nostri: dereliques nos in longitudinem dierum: [21] Conuerte nos domine ad te et conuertemur: innoua dies nostros sicut a principio. [22] Sed proiciens repulisti nos: iratus es contra nos vehementer.

Incipit prefatio in librum baruch.

Liber iste qui baruch nomine prenotatur in hebreo canone non habetur sed tantum in vulgata editione: similiter et epistola iheremie. Propter noticiam autem legentium hic scripta sunt: quia multa de cristo nouissimisque temporibus indicant

Baruch

Incipit liber baruch.

1 Et hec in vulgata editione: simi verba libri que scripsit baruch filius nerie filij maasie sedechie to lij sedechie filij sedei filij in septima die lonia [2] in anno quinquin mensis: in tempore quo ceperunt caldei iherusalem et succenderunt eam igni. [3] Et legit baruch verba pronotatur in hebreo ranolibri

huius ad aures ihechonie filij ioakijn regis iuda ad aures vniuersi prenotatur in hebreo ranoin vulgata editione: similiter et epistola iheremie. Propter ciam autem legentium hic scripta sunt: quia multa de cristo nouissimisque tem T hec verba libri que filij helchie in babilonia in populi venientis ad librum: [4] et ad aures potentium filiorum regum· et ad aures presbiterorum et ad aures populi a minimo vsque ad maximum eorum: omnium habitantium in babilonia ad flumen sedi. [5] Qui audientes plorabant et ieiunabant: et orabant in conspectu domini. [6] Et collegerunt pecuniam in conspectu domini: secundum quod potuit vniuscuiusque manus. [7] Et miserunt in iherusalem ad ioakim filium helchie filij salon sacerdotem: et ad sacerdotes et ad omnem populum qui inuenti sunt cum eo in iherusalem: [8] cum acciperent vasa templi domini que ablata fuerant de templo reuocare in terram iuda· decima die mensis syban· vasa argentea que fecit sedechias filius iosie rex iuda [9] postea quam accepisset nabuchodonosor rex babilonis iheconiam et principes et vinctos et potentes et populum terre a iherusalem: et duxit eos vinctos in babilonem. [10] Et dixerunt. Ecce misimus ad vos pecunias: de quibus emite olocaustomata et thus et facite manna: et offerte pro peccato ad aram domini dei nostri. [11] Et orate pro vita nabuchodonosor regis babilonie et pro vita balthasar filij eius: vt sint dies eorum sicut dies celi super terram: [12] vt det dominus virtutem nobis et illuminet oculos nostros: vt viuamus sub vmbra nabuchodonosor regis babilonis et sub vmbra balthasar filij eius: et seruiamus eis multis diebus· et inueniamus gratiam in conspectu eorum. [13] Et pro nobis ipsis orate ad dominum deum nostrum quia peccauimus domino deo nostro: et non est auersus furor eius a nobis vsque in hunc diem. [14] Et legite librum istum quem misimus ad vos recitari in templo domini in die solemni: et in die oportuno. [15] Et dicetis. Domino iusticia: nobis autem confusio faciei nostre sicut est dies hec: omni omni iuda et habitantibus iherusalem [16] regibus nostris et principibus nostris sacerdotibus et prophetis nostris· et patribus nostris. [17] Peccauimus ante dominum deum nostrum et non credimus diffidentes in eum: [18] et non sumus subiectibiles illi: et non obaudiuimus vocem domini dei nostri vt ambularemus in mandatis eius que dedit nobis. [19] A die qua eduxit patres nostros de terra egipti vsque ad diem hanc eramus incredibiles ad dominum deum nostrum: et dissipati recessimus ne audiremus vocem ipsius. [20] Et adheserunt nobis multa mala et maledictiones que constituit dominus moysi seruo suo: qui eduxit patres nostros de terra egipti dare nobis terram fluentem lac et mel: sicut hodierna die. [21] Et non audiuimus vocem domini dei nostri secundum omnia verba prophetarum quos misit ad nos [22] et ad iudices nostros: et abiuimus vnusquisque in sensum cordis nostri maligni operarij dijs alienis: facientes mala ante oculos domini dei nostri.

2 Propter quod statuit dominus deus noster verbum suum quod locutus est ad nos: et ad iudices nostros qui iudicauerunt in iherusalem et ad reges nostros et ad principes nostros et ad omnem israhel et iuda: [2] vt adduceret dominus super nos mala magna que non sunt facta sub celo quemadmodum facta sunt in iherusalem secundum que scripta sunt in lege moysi [3] vt manducaret homo carnes filij sui et carnes filie sue. [4] Et dedit eos in manu regum omnium qui sunt in circuitu nostro in improperium et in desolationem: et in omnibus populis in quibus nos dispersit dominus. [5] Et facti sumus subtus et non supra: quia peccauimus domino deo nostro· non obaudiendo voci ipsius. [6] Domino deo nostro iusticia: nobis autem et patribus nostris confusio faciei sicut est dies hec. [7] Quia locutus est deus super nos omnia mala hec que venerunt super nos: [8] et non sumus deprecati faciem domini dei nostri vt reuerteremur vnusquisque nostrum a vijs nostris pessimis. [9] Et vigilauit dominus in malis: et adduxit ea super nos: quia iustus est dominus in omnibus operibus suis que mandauit nobis: [10] et non audiuimus vocem ipsius: vt iremus in preceptis domini que edidit ante faciem nostram. [11] Et nunc domine deus israhel qui eduxisti populum tuum de terra egipti in manu valida et in signis et in prodigijs et in virtute tua magna et in brachio excelso: et fecisti tibi nomen sicut est dies ista: [12] peccauimus· impie gessimus inique egimus domine deus noster: in omnibus iusticijs tuis. [13] Auertatur ira tua a nobis: quia derelicti sumus pauci inter gentes vbi dispersisti nos. [14] Exaudi domine preces nostras et orationes nostras: et educ nos propter te: et da nobis inuenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt: [15] vt sciat om omnis nis terra quia tu es dominus deus noster: et quia nomen tuum inuocatum est super israhel et super genus ipsius. [16] Respice domine de domo sancta tua in nos: et inclina aurem tuam et exaudi nos. [17] Aperi oculos tuos et vide: quia non mortui qui sunt in inferno· quorum spiritus acceptus est a visceribus suis dabunt honorem et iustificationem domino: [18] sed anima que tristis est super magnitudinem mali et incedit curua et in infimis et cuius oculi deficientes: et anima esuriens dat tibi gloriam et iusticiam domino: [19] quia non secundum iusticias patrum nostrorum nos fundimus preces et petimus misericordiam ante conspectum tuum domine deus noster: [20] sed quia misisti iram tuam et furorem tuum super nos: sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum dicens. [21] Sic dicit dominus. Inclinate humerum vestrum et ceruicem vestram: et operam facite regi babilonis: et sedebitis in terra quam dedi patribus vestris. [22] Quod si non feceritis nec audieritis vocem domini dei vestri operari regi babilonie defectionem vestram faciam de ciuitatibus iuda et a foris iherusalem: [23] et auferam a vobis vocem iocunditatis et vocem gaudij et vocem sponsi et vocem sponse: et erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam. [24] Et non audierunt vocem tuam vt operarentur regi babilonis: et statuisti verba tua que locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum: vt transferentur ossa regum nostrorum et ossa patrum nostrorum de loco suo. [25] Et ecce sunt proiecta in calore solis et in gelu noctis: et mortui sunt in doloribus pessimis in fame et in gladio et emissione. [26] Et posuisti templum in quo inuocatum est nomen tuum in ipso sicut hec dies: propter iniquitatem domus israhel et domus iuda. [27] Et fecisti in nobis domine deus noster secundum omnem bonitatem tuam et secundum omnem miserationem tuam illam magnam [28] sicut locutus es in manu pueri tui moysi: in die qua precepisti ei scribere legem tuam coram filijs israhel [29] dicens. Si non obaudieritis vocem meam· multitudo hec magna conuertetur in minimam gentem quoniam eos dispergam: [30] quia scio quod me non audiet populus. Populus est enim dura ceruice. Et conuertetur ad cor suum in terra captiuitatis sue: [31] et scient quia ego sum dominus deus eorum. Et dabo eis cor et intelligent: et aures et audient. [32] Et laudabunt me in terra captiuitatis sue: et memores erunt nominis mei. [33] Et auertent se a dorso suo duro et a malignitatibus suis: quia reminiscentur viam patrum suorum qui peccauerunt in me. [34] Et reuocabo illos in terram quam iuraui patribus illorum abraham ysaach et iacob: et dominabuntur eius. Et multiplicabo eos: et non minorabuntur. [35] Et statuam illis testamentum alterum sempiternum: vt sim illis in deum: et ipsi erunt michi in populum. Et non mouebo amplius populum meum filios israhel a terra quam dedi eis.

3 Et nunc domine deus israhel: anima in angustijs et spiritus anxius clamat ad te. [2] Audi domine et miserere quia deus es misericors: et miserere nostri quia peccauimus ante te. [3] Quia tu sedes in sempiternum: et non peribimus in euum? [4] Domine deus omnipotens deus israhel audi nunc orationem mortuorum israhel et filiorum ipsorum: quia peccauerunt ante te et non audierunt vocem domini dei sui: et agglutinata sunt nobis mala. [5] Noli meminisse iniquitatis patrum nostrorum: sed memento manus tue et nominis tui in tempore isto: [6] quia tu es deus deus noster et laudabimus te domine: [7] quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris· et vt inuocemus nomen tuum et laudemus te in captiuitate nostra: quia conuertimur ab iniquitate patrum nostrorum qui peccauerunt ante te. [8] Et ecce nos in captiuitate nostra sumus hodie quo nos dispersisti in improperium et in maledictionem et in peccatum secundum omnes iniquitates patrum nostrorum: qui discesserunt a te domine deus noster. [9] Audi israhel mandata vite: auribus percipe vt scias prudentiam. [10] Quid est israhel quod in terra inimicorum es: [11] Inueterasti in terra aliena: coinquinatus es cum mortuis. Deputatus es cum descendentibus in infernum: [12] dereliquisti fontem sapientie. [13] Nam si in via dei ambulasses: habitasses vtique in pace super terram. [14] Disce vbi sit prudentia vbi sit virtus vbi sit intellectus: vt scias simul vbi sit longiturnitas vite et virtus: vbi sit lumen oculorum et pax. [15] Quis

inuenit locum eius? Et quis intrauit in thesauros eius? 16 Vbi sunt principes gentium: et qui dominantur super bestias que sunt super terram? 17 Qui in auibus celi ludunt: 18 qui argentum thesaurizant et aurum in quo confidunt homines: et non est finis acquisitionis eorum. Qui argentum fabricant: et solliciti sunt: nec est inuentio operum suorum. 19 Exterminati sunt et ad inferos descenderunt: et alij loco eorum exsurrexerunt. 20 Iuuenes viderunt lumen: et habitauerunt super terram. Viam autem discipline ignorauerunt: 21 neque intellexerunt semitas eius: neque filij eorum susceperunt eam. A facie ipsorum longe facta est. 22 Non est audita in terra chanaan: neque visa est in theman. 23 Filij quoque agar qui exquisierunt prudentiam que de terra est· negociatores terre et theman: et fabricatores et exquisitores prudentie et intelligentie: viam autem sapientie nescierunt: neque commemorati sunt semitas eius. 24 O israhel quam magna est domus dei: et ingens locus possessionis eius. 25 Magnus et non habens finem: excelsus et immensus. 26 Ibi fuerunt gigantes nominati: illi qui ab inicio fuerunt statura magna scientes bellum. 27 Non hos elegit dominus: neque viam discipline inuenerunt: propterea perierunt. 28 Et quoniam non habuerunt sapientiam: perierunt propter suam insipientiam. 29 Quis ascendit in celum et accepit eam: et eduxit eam de nubibus? 30 Quis transfretauit mare et inuenit illam: et attulit illam super aurum electum? 31 Non est qui possit scire vias eius: neque qui exquirat semitas eius. 32 Sed qui scit vniuersa nouit eam: et inuenit eam prudentia sua. Qui preparauit terram in eterno tempore: et repleuit eam pecudibus et quadrupedibus. 33 Qui emittit lumen et vadit: et vocauit illud: et obedit illi in tremore. 34 Stelle autem dederunt lumen in custodijs suis: et letate sunt. 35 Vocate sunt: et dixerunt. Assumus. Et luxerunt ei cum iocunditate: qui fecit illas. 36 Hic est deus noster: non estimabitur alius aduersus eum. 37 Hic adinuenit omnem viam discipline: et tradidit illam iacob puero suo: et israhel dilecto suo. 38 Post hec in terris visus est: et cum hominibus conuersatus est.

4 Hic liber mandatorum dei: et lex que est in eternum. Omnes qui tenent eam peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam in mortem. 2 Conuertere iacob et apprehende eam: ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius. 3 Ne tradas alteri gloriam tuam: et dignitatem tuam genti aliene. 4 Beati sumus israhel: quoniam que deo placent manifesta sunt nobis. 5 Animequior esto populus dei: memorabilis israhel. 6 Venundati estis gentibus non in perditionem: sed propter quod in ira ad iracundiam prouocastis dominum· traditi estis aduersarijs. 7 Exacerbastis enim eum qui fecit vos deum eternum: immolantes demonijs et non deo. 8 Obliti enim estis eum qui nutriuit vos: et contristastis nutricem vestram iherusalem. ihrlin. 9 Vidit enim iracundiam a deo venientem vobis: et dixit. Audite ciuitates syon. Adduxit enim michi deus luctum magnum. 10 Vidi enim captiuitatem populi mei filiorum meorum et filiarum: quam superduxit illis eternus. 11 Nutriui enim illos cum iocunditate: dimisi autem illos cum fletu et luctu. 12 Nemo gaudeat super me viduam et desolatam: a multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum: quia declinauerunt a lege dei. 13 Iusticias autem ipsius nescierunt: nec ambulauerunt per vias mandatorum dei: neque per semitas veritatis eius cum iusticia ingressi sunt. 14 Veniant confines syon: et memorentur captiuitatem filiorum et filiarum mearum: quam superduxit illis eternus. 15 Adduxit enim super illos gentem de longinquo: gentem improbam et alterius lingue 16 qui non sunt reueriti senem: neque puerorum miserti sunt. Et abduxerunt dilectos vidue: et a filijs vnicam desolauerunt. 17 Ego autem quid possum adiuuare vos: 18 Qui enim adduxit super vos mala: ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum. 19 Ambulate filij ambulate: ego enim derelicta sum sola. 20 Exui me stola pacis: indui autem me sacco obsecrationis: et clamabo ad altissimum in diebus meis. 21 Animequiores estote filij: clamate ad dominum et eripiet vos de manu principum inimicorum. 22 Ego enim speraui in eternum salutem vestram: et venit michi gaudium a sancto super misericordia: que veniet vobis ab eterno saluatore vestro. 23 Emisi enim vos cum luctu et ploratu et ploratu reducet autem vos michi deus cum gaudio et iocunditate in eternum. 24 Sicut enim viderunt vicine syon captiuitatem vestram a deo: sic videbunt et in celeritate salutem vestram in deo: que superueniet vobis cum honore magno et splendore eterno. 25 Filij patienter sustinete iram que superuenit vobis. Persecutus est enim te inimicus tuus: sed cito videbis perditionem ipsius: et super ceruices ipsius ascendes. 26 Delicati mei ambulauerunt vias asperas: ducti sunt enim vt grex direptus ab inimicis. 27 Animequiores estote filij: et proclamate ad dominum. Erit enim memoria vestra ab eo qui ducit vos. 28 Sicut enim fuit sensus vester vt erraretis a deo: decies tantum iterum conuertentes requiretis eum. 29 Qui enim induxit vobis mala: ipse rursum adducet vobis sempiternam cum salute vestra. 30 Animequior esto iherusalem. Exhortatur enim te: qui te nominauit. 31 Nocentes parebunt qui te vexauerunt: et qui gratulati sunt in tua ruina punientur. 32 Ciuitates quibus seruierunt filij tui punientur: et que accepit filios tuos. 33 Sicut enim gauisa est in tua ruina et letata est in casu tuo: sic contristabitur in sua desolatione. 34 Et amputabitur exultatio multitudinis eius: et gaudimonium eius erit in luctum. 35 Ignis enim superueniet ei ab eterno in longiturnis diebus: et habitabitur a demonijs in multitudine temporis. 36 Circumspice iherusalem ad orientem: et vide iocundiratem a deo ribi venientem. 37 Ecce enim veniunt filij tui: quos dimisisti dispsos veniunt collecti ab oriente vsque ad occidentem: in verbo sancti gaudentes in honorem dei.

5 Exue te Exue iherusalem stola luctus vexationis et te decore et que deo tibi est gloria sempiterna. 2 Circumdabit te deus dyployde iusticie: et imponet mitram capiti tuo honoris eterni. 3 Deus enim ostendet splendorem suum in te: omni qui sub celo est. 4 Nominabitur enim tibi tuum sempiternum: pax iusticie et honor pietatis. 5 Exsurge iheet sta in excelso: et circumspice ad et vide collectos filios ab oriente sole vsque ad occidentem: in verbo sancti verbo sancti gaudentes dei memoria. 6 Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis: adducet autem illos dominus ad te portatos in honorem sicut filios regni. 7 Constituit enim deus humiliare omnem montem excelsum et rupes phennes: et conualles replere in equalitatem terre: vt ambulet israhel diligenter in honorem dei. 8 Obumbrauerunt autem silue: et omne lignum suauitatis israhel mandato dei. 9 Adducet enim deus israhel cum iocunditate in lumine maiestatis sue: cum misericordia et iusticia que est ex ipso. ex ipso. Incipit exemplum epistole eiusdem quam misit iheremias ad abductos captiuos priuos in babiloniam a rege babiloniorum: vt annunciaret illis secundum quod preceptum est illi a deo.

6 Propter peccata que peccastis ante deum: abducemini in babiloniam captiui a nabuchodonosor rege babiloniorum. 2 Ingressi itaque in babilonem eritis ibi annis plurimis et tempus longum vsque ad generationes septem: post hoc autem educam vos inde cum pace. 3 Nunc autem videbitis in babilonia deos aureos et argenteos et lapideos et ligneos in humeris portari: ostentantes metum gentibus. 4 Videte ergo ne et vos similes efficiamini factis alienis et metuatis: et metus vos capiat in ipsis. 5 Visa itaque turba de retro et ab ante: orantes dicite in cordibus vestris. Te oportet adorari domine. 6 Angelus autem meus vobiscum est. Ipse autem exquiram animas vestras. 7 Nam ligna ipsorum polita a fabro ipsa etiam inaurata et inargentata falsa sunt: et non possunt loqui. 8 Et sicut virgini amanti ornamenta: ita accepto auro fabricata sunt. 9 Coronas certe aureas habent super capita sua dij illorum: vnde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum et argentum: et erogant illud in semetipsis. 10 Dant autem et ex ipso prostitutis et meretrices ornant: et iterum receperint illud a meretricibus ornant deos suos. 11 Hij autem non liberantur ab erugine et tynea. 12 Operis autem illis veste purpurea faciem ipsorum propter puluerem domus: qui est plurimus inter eos. 13 Sceptrum autem habet vt homo sicut iudex regionis? qui in se peccantem non interficit. 14 Habet etiam in manu gladium et securim: se autem de bello et a latronibus non liberat. Vnde vobis notum sit: quia non sunt dij. 15 Non ergo reueremini eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur: tales sunt et dij illorum. 16 Constitutis illis in domo: oculi eorum pleni sunt puluere a pedibus in croeuntium. 17 Et sicut alicui qui regem offendit circumsepte sunt ianue: aut sicut ad sepulcrum adductum mortuum ita tutant sacerdotes ostia clausuris et

seris: ne a latronibus exspolientur. [18] Lucernas accendunt illis: et quidem multas: ex quibus nullam videre possunt. Sunt autem sicut trabes in domo. [19] Corda vero eorum dicunt elingere serpentes qui de terra sunt dum comedunt eos et vestimentum ipsorum: et non sentiunt. [20] Nigre fiunt facies eorum a fumo: qui in domo fit. [21] Supra corpus eorum et supra caput volant noctue et hyrundines: et aues etiam similiter et catte. [22] Vnde sciatis quia non sunt dij. Ne ergo timueritis eos. [23] Aurum etiam quod habet ad speciem est: nisi aliquis exterserit eruginem non fulgebunt. Neque enim dum conflarentur sentiebant: [24] ex omni precio empta sunt in quibus spiritus non est in ipsis. [25] Sine pedibus in humeris portantur: ostentantes ignobilitatem suam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea. [26] Propterea si ceciderint in terram a semetipsis non consurgunt: neque si quis eum statuerit rectum per semetipsum stabit: sed sicut mortuis humeri illis apponentur. [27] Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum et abutuntur: et mulieres eorum decerpentes neque infirmo neque mendicanti aliquid impertiunt [28] de sacrificijs eorum: fete et menstruate eos contingunt. Scientes itaque ex hijs quia non sunt dij ne timeatis [29] lieres apponunt dijs argenteis et ros. Vnde enim vocantur dij: Quia mulieres apponunt dijs argenteis et aureis et ligneis: [30] et in domibus eorum sacerdotes sedent habentes tunicas scissas et capita et barbam rasam: quorum capita nuda sunt. [31] Rugiunt autem clamantes contra deos suos: sicut in cena mortui. [32] Vestimenta eorum auferunt sacerdotes: et vesciunt vxores suas et filios suos. [33] Neque si quid mali patiuntur ab aliquo neque si quid boni poterunt retribuere: neque regem constituere possunt neque auferre. [34] Similiter neque dare diuitias possunt: neque retribuere. Si quis illis votum vouerit et non reddiderit: neque hoc requirunt. [35] Hominem a morte non liberant: neque infirmum a potentiore eripiunt. [36] Hominem cecum ad visum non restituunt: de necessitate hominem non liberabunt. [37] Vidue non miserebuntur: neque orphanis bene facient. [38] Lapidibus de monte similes sunt dij illorum lignei et lapidei et aurei et argentei: qui autem colunt ea confundentur. [39] ergo estimandum est aut dicendum illos esse deos? [40] Adhuc enim ipsis caldeis non honorantibus ea: cum audierint mutum non posse loqui offerunt illud ad bel: postulantes ab eo loqui: [41] quasi possint sentire qui non habent motum. Et ipsi cum intellexerint: relinquent ea. Sensum enim non habent ipsi dij illorum. [42] Mulieres autem circumdate funibus in vijs sedent: succendentes ossa oliuarum. [43] Cum autem aliqua ex ipsis abstracta ab aliquo transeunte dormierit: proxime sue exprobrat quod ea non sit digna habita sicut ipsa: neque funis eius diruptus sit. [44] Omnia autem que illis fiunt falsa sunt. Quomodo estimandum aut dicendum est illos esse deos? [45] A fabris autem et aurificibus facta sunt. Nichil aliud erunt nisi id quod volunt esse sacerdotes. [46] Aurifices etiam ipsi qui ea faciunt non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea fabricata sunt ab ipsis esse dij? [47] Reliquerunt falsa et opprobrium· postea futuris. [48] cum superuenerit illis prelium et mala: cogitant sacerdotes vbi se abscondant cum illis. [49] Quomodo ergo sentiri debeant quoniam dij sunt qui nec de bello se liberant: neque de malis se eripiunt? [50] Nam cum sint lignea et inaurata et inargentata: scietur postea quia falsa ab vniuersis gentibus et regibus que manifestata sunt quia non sunt dij: sed opera manuum hominum· et nullum opus dei cum illis. [51] Vnde ergo notum est quia non sunt dij: sed opera manuum hominum: et nullum dei opus in ipsis est. [52] Regem regioni non suscitant: neque pluuiam hominibus dabunt. [53] Iudicium quoque non discernent: neque regiones liberabunt ab iniuria: quia nichil possunt sicut cornicule inter medium celi et terre. [54] Etenim cum inciderit ignis in domum deorum ligneorum et argenteorum et aureorum: sacerdotes quidem ipsorum fugient et liberabuntur: ipsi vero sicut trabes in medio comburentur. [55] Regi autem et bello non resistent. Quomodo ergo estimandum est aut recipiendum quia dij sunt? [56] Non a furibus neque a latronibus se liberabunt dij lignei et lapidei et inaurati et quibus iniqui fortiores sunt. [57] Aurum et argentum et vestimentum quo o sunt auferent illis et abibunt: nec sibi auxilium ferent. [58] Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam aut vas in domo vtile in quo gloriabitur qui possidet illud quam falsi dij: vel ostium in domo quod custodit que in pace· sunt: falsi dij. [59] Sol quidem et luna ac sidera cum sint splendida et emissa ad vtilitates obaudiunt: [60] similiter et fulgur cum apparuerit perspicuum est. Idipsum autem et spiritus in omni regione spirat: [61] et nubes quibus cum imperatum fuerit a deo perambulare in vniuersum orbem: perficiunt quod imperatum est eis. [62] Ignis etiam missus desuper vt consumat montes et siluas: facit quod preceptum est ei. Hec autem neque speciebus neque virtutibus vni eorum similia sunt. [63] Vnde neque estimandum est neque dicendum illos esse deos: quando non possunt neque iudicium iudicare: neque facere hominibus. [64] Scientes itaque quia non sunt dij: ne ergo timueritis eos. [65] Neque enim regibus maledicent: neque benedicent. [66] Signa enim in celo gentibus non ostendunt: neque vt sol lucebunt: neque illuminabunt vt luna. [67] Bestie meliores sunt illis: que possunt fugere sub tectum ac prodesse sibi. [68] Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dij: propter quod ne timeatis eos. [69] Nam sicut in cucumerario formido nichil custodit: ita sunt dij illorum lignei et argentei et inaurati. [70] Eodem modo et in orto spina alba: supra quam omnis auis sedet. Similiter et mortuo proiecto in tenebris: similes sunt dij illorum lignei et inaurati et inargentati. [71] A purpura que et murice que supra illos tineant scietis vtique: quia non sunt dij. Ipsi etiam postremo comeduntur: et erit opprobrium in regione. [72] Melior est homo iustus qui non habet simulacra: nam erit longe ab opprobrijs.

Incipit prologus in ezechielem prophetam.

Ezechiel propheta cum ioakim rege iuda captiuus ductus est in babilonem: ibique hijs qui cum eo captiui fuerant prophetauit penitentibus quod ad iheremie vaticinium se vltro aduersarijs tradidissent: et viderent adhuc vrbem iherosolimam stare· quam ille casuram esse predixerat. Tricesimo autem etatis sue anno et captiuitatis quinto exorsus est ad concaptiuos loqui. Et eodem tempore licet posterior hic in caldea: iheremias in iudea prophetauerunt. Sermo eius nec satis desertus nec ad modum rusticus est: sed ex vtroque medie temperatus. Sacerdos et ipse fuit sicut iheremias: principia voluminis et finem magnis habens obscuritatibus inuoluta. Sed et vulgata eius editio non multum distat ab hebraico. Vnde satis miror quid cause extiterit: vt si eosdem in vniuersis libris habemus interpretes: in alijs eadem· in alijs diuersa transtulerunt. Legite igitur et hunc iuxta translationem nostram: quoniam per cola scriptus et comata· manifestiorem legentibus sensum tribuit. Si autem amici mei et hunc subsannauerint: dicite eis quod nemo eos compellat vt scribant. Sed vereor ne illud eis eueniat quod grece significantius dicitur vt vocentur fagolidori quod est manducantes senecias.

Ezechiel

Incipit ezechiel pro pheta.

1 Et factum Et factum est in triceSL in quarto simo anno in quarto in quinta In quinta mensis: cum mensis: cum essem in medio captiEEA vorum iuxta fluuium chobar: aperti sunt celi et vidi visiones dei. [2] ipse est annus quintus transmigrationis regis ioakim: [3] factum est verbum domini ad ezechielem filium buzi sacerdotem in terra caldeorum secus flumen chobar. Et facta est super eum ibi manus domini. [4] Et vidi: et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone: et nubes magna et ignis inuoluens. Et splendor in circuitu eius: et de medio ignis quasi species electri: id est de medio ignis. [5] Et in medio eius similitudo quatuor animalium et hic aspectus eorum. Similitudo hominis in eis. [6] Et quatuor facies vni: et quatuor penne vni. [7] Et pedes eorum pedes recti: et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli: et scintille quasi aspectus eris candentis. [8] Et manus hominis sub pennis eorum in qnatuor partibus: et facies et pennas per quatuor partes habebant: [9] iuncteque erant penne eorum alterius ad alterum. Non reuertebantur cum incederent: sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur. [10] Similitudo autem vultus eorum· facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis a sinistris ipsorum quatuor: et facies aquile desuper ipsorum quatuor: et [11] facies eorum et penne eorum extente desuper. Due penne singulorum iungebantur: et due tegebant corpora eorum. [12] Et vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat. Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur: nec reuertebantur cum ambularent. [13] Et similitudo animalium aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium: et quasi aspectus lampadarum. Hec erat visio discurrens in medio animalium: splendor ignis et de igne fulgur egrediens. [14] Et animalia ibant et reuertebantur: in similitudinem fulguris choruscantis. [15] Cunque aspicerem animalia: apparuit rota vna super terram iuxta animalia habens quatuor facies. [16] Et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris: et vna similitudo ipsarum quatuor: et aspectus earum et opera quasi sit rota in medio rote. [17] Per quatuor partes earum euntes ibant: et non reuertebantur cum ambularent. [18] Statura quoque erat rotis et altitudo· et horribilis aspectus: et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor. [19] Cunque ambularent animalia· ambulabant pariter et rote iuxta ea: et cum eleuarentur animalia de terra· eleuabantur simul et rote. [20] Quocumque ibat spiritus: illuc eunte spiritu· et rote pariter leuabantur sequentes eum. Spiritus enim vite erat in rotis. [21] Cum euntibus ibant· et cum stantibus stabant: et cum eleuatis a terra· pariter eleuabantur et rote sequentes ea: quia spiritus vite erat in rotis. [22] Et similitudo super caput animalium firmamenti quasi aspectus cristalli horribilis· et extente super capita eorum desuper. [23] Sub firmamento autem penne eorum erecte alterius ad alterum. Vnumquodque duabus alis velabat corpus suum: et alterum similiter velabatur. [24] Et audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum: quasi sonum sublimis dei. Cum ambularent quasi sonus erat multitudinis· vt sonus castrorum. Cunque starent dimittebantur penne eorum. [25] Nam cum fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum: stabant et submittebant alas suas. [26] Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum quasi aspectus lapidis saphiri. Similitudo throni: et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper. [27] Et vidi quasi speciem electri: velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum· a lumbis eius et desuper: et a lumbis eius vsque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu· [28] velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluuie. Hic erat aspectus splendoris per gyrum:

2 Hec visio similitudinis glorie domini. vidi et cecidi in faciem meam: et audiui vocem loquentis. Et dixit ad me. Fili hominis sta super pedes tuos: et loquar tecum. [2] Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est michi: et statuit me supra pedes meos. Et audiui loquentem ad me [3] et dicentem. Fili hominis· mitto ego te ad filios israhel· ad gentes apostatrices que recesserunt a me. Patres eorum preuaricati sunt pactum meum vsque ad diem hanc: [4] et filij dura facie et indomabili corde sunt ad quos ego mitto te. Et dices ad eos. Hec dicit dominus deus: [5] si forte vel ipsi audiant· et si forte quiescant· quoniam domus exasperans est: et scient quia propheta fuerit in medio eorum. [6] Tu ergo fili hominis ne timeas eos neque sermones eorum menuas: quoniam increduli et subuersores sunt tecum: et cum scorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas: et vultus eorum ne formides: quia domus exasperans est. [7] Loqueris ergo verba mea ad eos si forte audiant et quiescant: quoniam irritatores sunt. [8] Tu autem fili hominis audi quecunque loquor ad te: et noli esse exasperans sicut domus exasperatrix est. Aperi os tuum: et comede quecumque ego do tibi. [9] Et vidi: et ecce manus missa ad me· in qua erat inuolutus liber: et expandit illum coram me qui erat scriptus intus et foris: et scripte erant in eo lamentationes et carmen ve. et

3 dixit ad me. Fili hominis· cunque quodUcunque inueneris comede. Comede volumen istud: et vadens loquere ad filios israhel. [2] Et aperui os meum: et cibauit me volumine illo. [3] Et dixit ad me. Fili hominis: venter tuus comedet· et viscera tua complebuntur volumine isto quod ego do tibi. Et comedi illud: et factum est in ore meo sicut mel dulce. [4] Et dixit ad me. Fili hominis vade ad domum israhel: et loqueris verba mea ad eos. [5] Non enim ad populum profundi sermonis et ignote lingue tu mitteris ad domum israhel: [6] neque ad populos multos profundi sermonis et ignote lingue: quorum non possis audire sermones. Et si ad illos mitteris ipsi audirent [7] te. Domus autem israhel nolunt audire te: quia nolunt audire me. Omnis est: quippe domus israhel attrita fronte est: et duro corde. [8] Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum: et frontem tuam duriorem frontibus eorum: [9] vt adamantem et vt silicem dedi faciem tuam. Ne timeas eos neque metuas a facie eorum: quia domus exasperans est. [10] Et dixit ad me. Fili hominis: omnes sermones meos quos ego loquor ad te assume in corde tuo· et auribus tuis audi: [11] et vade ingredere ad transmigrationem ad filios populi mei: et loqueris ad eos: et dices eis. Hec dicit dominus deus: si forte audiant et quiescant. [12] Et assumpsit me spiritus: et audiui post me vocem commotionis magne· benedicta gloria domini de loco suo: [13] et vocem alarum animalium percunentium alteram ad alteram: et vocem rotarum sequentium animalia· et vocem commotionis magne. [14] Spiritus quoque leuauit me et assumpsit me: et abij amarus in indignatione spiritus mei. Manus enim domini erat mecum confortans me. [15] Et veni ad transmigratonem ad aceruum nouarum frugum· ad eos qui habitabant iuxta flumen chobar: et sedi vbi illi sedebant: et mansi ibi septem diebus merens in medio eorum. [16] Cum autem pertransissent septem dies: factum est verbum domini ad me dicens. [17] Fili hominis· speculatorem dedi te domui israhel: et audies de ore meo verbum· et annunciabis eis ex me. [18] Si dicente me ad impium morte morieris· non annunciaueris ei· neque locutus fueris vt auertatur a via sua impia et viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. [19] Si autem tu annunciaueris impio· et ille non fuerit conuersus ab impietate sua et a via sua impia: ipse quidem in impietate sua morietur: tu autem animam tuam liberasti. [20] Sed et si conuersus iustus a iusticia sua fuerit· et fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo. Ipse morietur: quia non annunciasti ei. In peccato suo morietur: et non erunt in memoria iusticie eius quas fecit: sanguinem vero eius de manu tua requiram. [21] Si autem tu annunciaueris iusto vt non peccet iustus· et ille non peccauerit: viuens viuet quia annunciasti ei: et

tu animam tuam liberasti. [22] Et facta est super me manus domini: et dixit ad me. Surgens egredere in campum: et ibi loquar tecum. [23] Et surgens egressus sum in campum: et ecce ibi gloria domini stabat quasi gloria quam vidi iuxta fluuium chobar: et cecidi in faciem meam. [24] Et ingressus est in me spiritus· et statuit me super pedes meos: et locutus est michi: et dixit ad me. Ingredere: et includere in medio domus tue. [25] Et tu fili hominis· ecce data sunt super te vincula et ligabunt te in eis· et non egredieris in medio eorum: [26] et linguam tuam adherere faciam palato tuo et eris mutus· nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est. [27] Cum autem locutus fuero tibi· aperiam os tuum: et dices ad eos. Hec dicit dominus deus. Qui audit audiat· et qui quiescit quiescat: quia domus exasperans est.

4 Et tu fili hominis· sume tibi laterem et pones eum coram te: et discribes in eo ciuitatem iherusalem. [2] Et ordinabis aduersus eam obsidionem: et edificabis munitiones et comportabis aggerem: et dabis contra eam castra· et pones arietes in gyro. [3] Et tu sume tibi sartaginem ferream· et pones eam in murum ferreum inter te et inter ciuitatem: et obfirmabis faciem tuam ad eam et erit in obsidionem: et circumdabis eam. Signum est domui israhel. [4] Et tu dormies super latus tuum sinistrum: et pones iniquitates domus israhel super eo numero dierum quibus dormies super illud: et assumes iniquitates eorum. [5] Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum trecentos et nonaginta dies: et portabis iniquitatem domus israhel. [6] Et cum compleueris hec· dormies super latus tuum dexterum secundo: et assumes iniquitatem domus iuda quadraginta diebus. Diem pro anno: diem inquam pro anno dedi tibi. [7] Et ad obsidionem iherusalem conuertes faciem tuam: et brachium tuum erit extentum: et prophetabis aduersus eam. [8] Ecce circumdedi te vinculis: et non te conuertes a latere tuo in latus aliud: donec compleas dies obsidionis tue. [9] Et tu sume tibi frumentum et ordeum et fabam et lentem et milium et viciam· et mittes ea in vas vnum: et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum. Trecentis et nonaginta diebus comedes illud. [10] Cibus autem tuus quo vesceris: erit in pondere viginti stateres in die. A tempore vsque ad tempus comedes illud. [11] Et aquam in mensura bibes sextam partem hin. A tempore vsque ad tempus bibes illud. [12] Et quasi succinericium ordeaceum comedes illud: et stercore quod egreditur de homine operies illud in oculis eorum. [13] Hec dicit dominus. Sic comedent filij israhel panem suum pollutum inter gentes: ad quas eiciam eos. Et dixi. [14] Ah ah ah domine deus. Ecce anima mea non est polluta: et morticinum et laceratum a bestijs non comedi ab infantia mea vsque nunc: et non est ingressa os meum omnis caro immunda. [15] Et dixit ad me. Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: et facies panem tuum in eo. [16] Et dixit ad me. Fili hominis: ecce conteram baculum panis in iherusalem et comedent panem suum in pondere et in sollicitudine: et aquam in mensura et in angustia bibent: [17] vt deficientibus pane et aqua corruat vnusquisque ad fratrem suum: et contabescat in iniquitatibus suis.

5 Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum radentem pilos: et assumes eum et duces per caput tuum et per barbam tuam: et assumes tibi stateram ponderis et diuides eos. [2] Terciam partem igni combures in medio ciuitatis iuxta completionem dierum obsidionis: et assumes terciam partem et concides gladio in circuitu eius: terciam vero aliam disperges in ventum· et gladium nudabis post eos. [3] Et sumes inde paruum numerum et ligabis eos in summitate pallij tui: [4] et ex eis rursum tolles et proicies eos in medio ignis et combures eos igni: et ex eis egredietur ignis in omnem domum israhel. [5] Hec dicit dominus deus. Ista est iherusalem. In medio gentium posui eam: et in circuitu eius terras. [6] Et contempsit iudicia mea vt plus esset impia quam gentes: et precepta mea vltra quam terre que in circuitu eius sunt. Iudicia enim mea proiecerunt: et in preceptis meis non ambulauerunt. [7] Idcirco hec dicit dominus deus. Quia superastis gentes que in circuitu vestro sunt et in preceptis meis non ambulastis et iudicia mea non fecistis: et iuxta iudicia gentium que in circuitu vestro sunt non estis operati: [8] ideo hec dicit dominus deus. Ecce ego ad te: et ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium: [9] et faciam in te quod non feci· et quibus similia vltra non faciam: propter omnes abominationes tuas. [10] Ideo comedent patres filios in medio tui: et filij comedent patres suos. Et faciam in te iudicia: et ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ventum. [11] Idcirco viuo ego dicit dominus deus nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis et in cunctis abominationibus tuis: ego quoque confringam: et non parcet oculus meus et non miserebor. [12] Tercia pars tui peste morietur et fame consumetur in medio tui: et tercia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo. Terciam vero partem tuam in omnem ventum dispergam: et gladium euaginabo post eos. [13] Et complebo furorem meum: et requiescere faciam indignationem meam in eis: et consolabor. Et scient quia ego dominus locutus sum in zelo meo: cum impleuero omnem indignationem meam in eis. [14] Et dabo te in desertum et in opprobrium gentibus que in circuitu tuo sunt: in conspectu omnis pretereuntis. [15] Et eris opprobrium et blasphemia exemplum et stupor in gentibus que in circuitu tuo sunt: cum fecero in te iudicia in furore et in indignatione et in increpationibus ire que [16] ego dominus locutus sum: quando misero sagittas famis pessimas que erunt mortifere: et quas mittam vt disperdam vos. Et famem congregabo super vos: et conteram in vobis baculum panis: [17] et immittam in vos famen et bestias pessimas vsque ad internecionem. Et pestilentia et sanguis transibunt per te: et gladium inducam super te. Ego dominus locutus sum.

6 factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis· pone faciem tuam ad montes israhel: et prophetabis ad eos [3] et dices. Montes israhel audite verbum domini dei. Hec dicit dominus deus montibus et collibus rupibus et vallibus. Ecce ego inducam super vos gladium et dispdam excelsa vestra: [4] et demoliar aras vestras et confringentur simulacra vestra: et deiciam interfectos vestros ante ydola vestra. [5] Et dabo cadauera filiorum israhel ante faciem simulacrorum vestrorum: et dispergam ossa vestra circum aras vestras [6] in omnibus habitationibus vestris. Vrbes deserte erunt: et excelsa demolientur et dissipabuntur: et interibunt are vestre et confringentur: et cessabunt ydola vestra· et conterentur delubra vestra: et delebuntur opera vestra: [7] et cadet interfectus in medio vestri: et scietis quia ego sum dominus. [8] Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium in gentibus· cum dispsero vos in terris: [9] et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus ad quas captiui ducti sunt: quia contriui cor eorum fornicans et recedens a me· et oculos eorum fornicantes post ydola sua: et displicebunt sibimet super malis que fecerant in vniuersis abominationibus illis: [10] et scient quia ego dominus· non frustra locutus sum vt facerem eis malum hoc. [11] Hec dicit dominus deus. Percute manum tuam et allide pedem tuum: et dic heu ad omnes abominationes malorum domus israhel: quia gladio fame et peste ruituri sunt. [12] Qui longe est peste morietur: qui autem prope· gladio corruet: et qui relictus fuerit et obsessus fame morietur. Et complebo indignationem meam in eis: [13] et scietis quia ego dominus cum fuerint interfecti vestri in medio ydolorum vestrorum in circuitu ararum vestrarum in omni colle excelso· et in cunctis summitatibus montium: et subtus omne lignum nemorosum et subtus vniuersam quercum frondosam vbi accenderunt thura redolentia vniuersis ydolis suis. [14] Et extendam manum meam super eos: et faciam terram eorum desolatam et destitutam a deserto deblatha in omnibus habitaturonibus tionibus tionibus eorum: et scient quia ego dominus.

7 Et factus est sermo domini ad me dicens. cens. [2] Et tu fili hominis: hec dicit dominus deus terre israhel. Finis venit: venit finis super quatuor plagas terre. [3] Nunc finis super te: et immittam furorem meum in te. Et iudicabo te iuxta vias tuas: et ponam contra te omnes abominationes tuas. [4] Et non parcet oculus meus super te et non miserebor: sed vias tuas ponam super te et abominationes tue in medio tui erunt: et scietis quia ego dominus. [5] Hec dicit dominus deus. Afflictio vna: afflictio ecce venit. [6] Finis venit: venit finis. Euigilauit aduersum te: ecce venit. [7] Venit contritio super te qui habitas in terra. Venit tempus: prope est dies occisionis: et non glorie montium. [8] Nunc de propinquo effundam iram meam super te: et complebo furorem meum in

te. Et iudicabo te secundum vias tuas: et imponam tibi omnia scelera tua. [9] Et non parcet oculus meus nec miserebor: sed vias tuas imponam tibi· et abominationes tue in medio tui erunt: et scietis quia ego sum dominus percutiens. [10] Ecce dies: ecce venit. Egressa est contritio: floruit virga· germinauit superbia: [11] iniquitas surrexit in virga impietatis. Non ex eis et non ex populo: neque ex sonitu eorum: et non erit requies in eis. [12] Venit tempus: appropinquauit dies. Qui emit non letetur· et qui vendit non lugeat· quia ira super omnem populum eius: [13] quia qui vendit ad id quod vendidit non reuertetur: et adhuc in viuentibus vita eorum. Visio enim ad omnem multitudinem eius non regredietur· et vir in iniquitate vite sue non confortabitur. [14] Canite tuba: preparentur omnes: et non est qui vadat ad prelium. Ira enim mea super omnem multitudinem eius. [15] Gladius foris: pestis et fames intrinsecus. Qui in agro est gladio morietur: et qui in ciuitate· pestilentia et fame deuorabuntur: [16] et saluabuntur qui fugerint ex eis. Et erunt in montibus quasi columbe conuallium: omnes trepidi: vnusquisque in iniquitate sua. [17] Omnes manus dissoluentur: et omnia genua fluent aquis. [18] Et accingent se cilicijs· et operiet eos formido: et in omni facie confusio: et in vniuersis capitibus eorum caluicium. [19] Argentum eorum foris proicietur: et aurum eorum in sterquilinum erit. Argentum eorum et aurum eorum non valebit liberare eos: in die furoris domini. Animam suam non saturabunt et ventres eorum non implebuntur: quia scandalum iniquitatis eorum factum est: [20] et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt: et imagines abominationum suarum et simulacrorum fecerunt ex eo. Propter hoc dedi eis illud in immundiciam: [21] et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum et impijs terre in predam: et contaminabunt illud. [22] Et auertam faciem meam ab eis: et violabunt archanum meum: et introibunt in illud emissarij· et contaminabunt illud. [23] Fac conclusionem: quoniam terra plena est iudicio sanguinum: et ciuitas plena iniquitate. [24] Et adducam pessimos de gentibus: et possidebunt domos eorum. Et quiescere faciam superbiam potentium: et possidebunt sanctuaria eorum. [25] Angustia superueniente requirent pacem: et non erit. [26] Conturbatio super conturbationem veniet: et auditus super auditum. Et querent visionem de propheta: et lex peribit a sacerdote: et consilium a senioribus. [27] Rex lugebit: et principes induentur merore: et manus populi terre conturbabuntur. Secundum viam eorum faciam eis: et secundum iudicium eorum iudicabo eos: et scient quia ego dominus.

8 Et factum est in anno sexto· in sexto mense in quinta mensis: ego sedebam in domo mea: et senes iuda sedebant coram me. Et cecidit ibi super me manus domini dei. [2] Et vidi: et ecce similitudo quasi aspectus ignis. Ab aspectu lumborum eius et deorsum ignis: et a lumbis eius et sursum· quasi aspectus splendoris: et visio electri. [3] Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: et eleuauit me spiritus inter celum et terram: et adduxit me in iherusalem in visione dei iuxta ostium interius· quod respiciebat ad aquilonem· vbi erat statutum ydolum zeli ad prouocandam emulationem. [4] Et ecce ibi gloria dei israhel secundum visionem quam videram in campo: [5] et dixit ad me. Fili hominis: leua oculos tuos ad viam aquilonis. Et leuaui oculos meos ad viam aquilonis: et ecce ab quilone porte altaris· ydolum zeli in ipso introitu. [6] Et dixit ad me. Fili hominis: putas ne vides tu quid isti faciunt· abominatones magnas quas domus israhel facit hic· vt procul recedam a sanctuario meo? Et adhuc conuersus· videbis abominationes maiores. [7] Et introduxit me ad ostium atrij. Et vidi: et ecce foramen vnum in pariete. [8] Et dixit ad me. Fili hominis: fode parietem. Et cum fodissem parietem: apparuit ostium vnum. [9] Et dixit ad me. Ingredere: et vide abominaturones pessimas quas isti faciunt hic. [10] Et ingressus vidi: et ecce omnis similitudo reptilium et animalium abominatio: et vniuersa ydola domus israhel depicta erant in pariete in circuitu per totum. [11] Et septuaginta viri de senioribus domus israhel· et iechonias filius saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas: et vnusquisque habebat thuribulum in manu sua: et vapor nebule de thure consurgebat. [12] Et dixit ad me. Certe vides fili hominis que seniores domus israhel faciunt in tenebris: vnusquisque in abscondito cubilis sui. Dicunt enim. Non videt dominus nos. Dereliquit dominus terram. [13] Et dixit ad me. Adhuc conuersus videbis abominationes maiores quas isti faciunt. [14] Et introduxit me per ostium porte domus domini quod respiciebat ad aquilonem. Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes adonidem. [15] Et dixit ad me. Certe vidisti fili hominis. Adhuc conuersus videbis abominationes maiores hijs. [16] Et introduxit me in atrium domus domini interius. Et ecce in ostio templi domini inter vestibulum et altare quasi vigintiquinque viri dorsa habentes contra templum domini et facies ad orientem: et adorabant ad ortum solis. [17] Et dixit ad me. Certe vidisti fili hominis. Numquid leue est hoc domui iuda· vt facerent abominationes istas quas fecerunt hic? Quia replentes terram iniquitate conuersi sunt ad irritandum me. Et ecce applicant ramum ad nares suas. [18] Ergo et ego faciam in furore: non parcet oculus meus· nec miserebor: et cum clamauerint ad aures meas voce magna non exaudiam eos.

9 clamauit in auribus meis voce magna dicens. Appropinquauerunt visitationes vrbis: et vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua. [2] Et ecce sex viri veniebant de via porte superioris que respicit ad aquilonem: et vnusquisque vas interitus in manu eius. Vir quoque vnus in medio eorum vestitus lineis: et attramentarium scriptoris ad renes eius. Et ingressi sunt: et steterunt iuxta altare eneum. [3] Et gloria domini israhel assumpta est de cherub: que erat super eum ad limen domus. Et vocauit virum qui indutus erat lineis: et attramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. [4] Et dixit dominus ad eum. Transi per mediam ciuitatem in medio iherusalem: et signa thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus que fiunt in medio eius. [5] Et illis dixit audiente me. Transite per ciuitatem sequentes eum: et percutite. Non parcat oculus vester: neque misereamini. [6] Senem adolescentulum et virginem· paruulum et mulieres interficite: vsque ad internecionem. Omnem autem super quem videritis thau ne occidatis: et sanctuario meo incipite. Ceperunt ergo a viris senioribus: qui erant ante faciem domus. [7] Et dixit ad eos. Contaminate domum: et implete atria interfectis. Egredimini. Et egressi sunt: et percutiebant eos qui erant in ciuitate. [8] Et cede completa remansi ego: ruique super faciem meam: et clamans aio heu heu heu domine deus. Ergo ne disperdas omnes reliquias israhel· effundens furorem tuum super iherusalem: [9] Et dixit ad me. Iniquitas domus israhel et iuda magna est nimis valde: et repleta est terra sanguinibus: et ciuitas repleta est auersione. Dixerunt enim. Dereliquit dominus terram: et dominus non videt. [10] Igitur et meus non parcet oculus: neque miserebor. Viam eorum super caput eorum reddam. [11] Et ecce vir qui erat indutus lineis qui habebat attramentarium in dorso suo: respondit verbum dicens. Feci sicut precepisti michi.

10 Et vidi: et ecce in firmamento quod erat super caput cherubim quasi lapis saphirus: et quasi species similitudinis solij apparuit super eum. [2] Et dixit ad virum qui indutus erat lineis: et ait. Ingredere in medio rotarum qui sunt subtus cherubim et imple manum tuam prunis ignis que sunt inter cherubim: et effunde super ciuitatem. Ingressusque est in conspectu meo. [3] Cherubim autem stabant a dextris domus cum ingrederetur vir: et nubes impleuit atrium interius. [4] Et eleuata est gloria domini desuper cherub ad limen domus: et repleta est domus nube. Et atrium repletum est splendore glorie domini: [5] et sonitus alarum cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius: quasi vox loquentis dei omnipotentis. [6] Cunque precepisset viro qui indutus erat lineis dicens sume ignem de medio rotarum que sunt inter cherubim: ingressus ille stetit iuxta rotam. [7] Et extendit cherub manum de medio cherubim ad ignem qui erat inter cherubim: et sumpsit et dedit in manus eius qui indutus erat lineis: qui accipiens egressus est. [8] Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum. [9] Et vidi: et ecce quatuor rote iuxta cherubim. Rota vna iuxta cherub vnum: et rota alia iuxta cherub vnum. Species autem rotarum erat quasi visio lapidis crisoliti: [10] et aspectus earum similitudo vna quatuor: quasi si sit rota in medio rote. [11] Cunque ambularent in quatuor partes gradiebantur: et non reuertebantur ambulantes: sed ad locum ad quem ire declinabat que prima erat· sequebantur et cetere: nec conuertebantur. [12] Et omne corpus earum et colla et manus et

penne et circuli plena erant oculis in circuitu quatuor rotarum: [13] et rotas istas vocauit volubiles audiente me. [14] Quatuor autem facies habebat vnum. Facies vna facies cherub: et facies secunda facies hominis: et in ter facies leonis: et in quarto facies aquile. [15] Et eleuata sunt cherubim: ipsum est animal quod videram iuxta flumen chobar. [16] Cunque ambularent cherubim ibant pariter et rote iuxta ea: et cum eleuarent cherubim alas suas vt exaltarentur de terra non residebant rote: sed et ipse iuxta erant. [17] Stantibus illis stabant: et cum eleuatis eleuabantur. Spiritus enim vite erat in eis. [18] Et egressa est gloria domini a limine templi: et stetit super cherubim. [19] Et eleuantia cherubim alas suas exaltata sunt a terra coram me: et illis egredientibus rote quoque subsecute sunt. Et stetit in introitu porte domus domini orientalis: et gloria dei israhel erat super eos. [20] Ipsum est animal quod vidi subter deum israhel iuxta fluuium chobar. Et intellexi quia cherubim essent. [21] per Quatuor quatuor vultus vni: et quatuor ale vni: et similitudo manus hominis sub alis eorum. [22] Et similitudo vultuum eorum: ipsi vultus quos videram iuxta fluuium chobar: et intuitus eorum et impetus singulorum· ante faciem suam ingredi.

11 Et eleuauit me spiritus: et introduUAxit me ad portam domus domini orientalem que respicit ad solis ortum. Et ecce in introitu porte vigintiquinque viri: et vidi in medio eorum iechoniam filium azur et phelciam filium banaie principes populi. [2] Dixitque ad me. Fili hominis: hij viri cogitant iniquitatem· et tractant consilium pessimum in vrbe ista [3] dicentes. Nonne dudum edificate sunt domus? Hec est lebes: nos autem carnes. [4] Idcirco vaticinare de eis: vaticinare fili hominis. [5] Et irruit in me spiritus domini: et dixit ad me. Loquere. Hec dicit dominus. Sic locuti estis domus israhel: et cogitationes cordis vestri ego noui. [6] Plurimos occidistis in vrbe hac: et implestis vias eius interfectis. [7] Propterea hec dicit dominus. Interfecti vestri quos posuistis in medio eius hij sunt carnes: et hec est lebes: et educam vos de medio eius. [8] Gladium metuistis: et gladium inducam super vos dicit dominus deus. [9] Et eiciam vos de medio eius. Daboque vos in manum hostium: et faciam in vobis iudicia. [10] Gladio cadetis. In finibus israhel iudicabo vos: et scietis quia ego dominus. [11] Hec non erat vobis in lebetem: et vos non eritis in medio eius carnes. In finibus israhel iudicabo vos: [12] et scietis quia ego dominus. Quia in preceptis meis non ambulastis: et iudicia mea non fecistis: sed iuxta iudicia gentium que in circuitu vestro sunt estis operati. [13] Et factum est cum prophetarem: phelcias filius banaie mortuus est. Et cecidi in faciem meam: clamans voce magna. Et dixi. Heu heu heu domine deus: consummationem tu facis reliquiarum israhel? [14] Et factum est verbum domini ad me dicens. [15] Fili hominis: fratres tui· fratres tui viri propinqui tui· et omnis domus israhel· vniuersi quibus dixerunt habitatores iherusalem· longe recedite a domino: nobis data est terra in possessionem: [16] propterea hec dicit dominus deus. Quia longe feci eos in gentibus: et quia dispersi eos in terris: ero eis in sanctificationem modicam in terris ad quas venerunt. [17] Propterea loquere. Hec dicit dominus deus. Congregabo vos de populis: et adunabo de terris in quibus dispersi estis: daboque vobis humum israhel. [18] Et ingredientur illuc: et auferent omnes offensiones cunctasque abominationes eius de illa. [19] Et dabo eis cor vnum: et spiritum nouum tribuam in visceribus eorum. Et auferam cor lapideum de carne eorum· et dabo eis cor carneum: [20] vt in preceptis meis ambulent· et iudicia mea custodiant· faciantque ea: et sint michi in populum· et ego sim eis in deum. [21] Quorum autem cor post offendicula et abominationes suas ambulat: horum viam in capite suo ponam dicit dominus deus. [22] Et eleuauerunt cherubim alas suas· et rote cum eis: et gloria dei israhel erat super eos. [23] Et ascendit gloria domini de medio ciuitatis: stetitque super montem qui est ad orientem vrbis. [24] Et spiritus leuauit me: adduxitque in caldeam ad transmigrationem in visionem in spiritu dei: et sublata est a me visio quam videram. [25] Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba domini: que ostenderat michi.

12 factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis· in medio domus exasperantis tu habitas: qui oculos habent ad videndum et non vident· et aures ad audiendum et non audiunt: quia domus exasperans est. [3] Tu ergo fili hominis fac tibi vasa transmigrationis: et transmigrabis per diem coram eis. Transmigrabis autem de loco tuo· ad locum alterum in conspectu eorum: si forte aspiciant: eorum: quia domus exasperans est. [4] Et efferes foras vasa tua· quasi vasa transmigrationis per diem: in conspectu eorum. Tu autem egredieris vespere coram eis sicut egreditur migrans: [5] ante oculos eorum. Perfode tibi parietem: et egredieris per eum [6] in conspectu eorum. In humeris portaberis: in caligine effereris. Faciem tuam velabis et non videbis terram: qui portentum dedi te domui israhel. [7] Feci er sicut preceperat michi dominus. Vasa mea protuli quasi vasa transmigrantis per diem: et vespere perfodi michi parietem manu: et in caligine egressus sum et in humeris portatus in conspectu eorum. [8] Et factus est sermo domini mane ad me dicens. [9] fili hominis: numquid non dixerunt ad te domus israhel domus exasperans· quid tu facis? [10] Dic ad eos. Hec dicit dominus deus. Super ducem onus istud qui est in iherusalem: et super omnem domum israhel que est in medio eorum. [11] Dic. Ego portentum vestrum. Quomodo feci: sic fiet illis. In transmigrationem et in captiuitatem ibunt: [12] et dux qui est in medio eorum in humeris portabitur: in caligine egredietur. Parietem perfodient vt educant eum: facies eius operietur vt non videat oculo terram. [13] Et extendam rete meum super eum et capietur in sagena mea et adducam eum in babilonem in terram caldeorum: et ipsam non videbit: ibique morietur [14] et omnes qui circa eum sunt. Presidium eius· et agmina eius dispergam in omnem ventum: et gladium euaginabo post eos. [15] Et scient quia ego dominus: quando dispersero illos in gentibus· et disseminabo eos in terris. [16] Et relinquam ex eis viros paucos a gladio et fame et pestilentia: vt enarrant omnia scelera eorum in gentibus ad quas ingredientur: quas ingredientur: et scient quia ego dominus. [17] Et factus est sermo domini ad me dicens. [18] Fili hominis panem tuum in conturbatione comede: sed et aquam tuam in festinatione et merore bibe: [19] et dices ad populum terre. Hec dicit dominus deus ad eos qui habitant in iherusalem: in terra israhel. Panem suum in solitudine comedent et aquam suam in desolatione bibent: vt desolent terra a multitudine sua propter iniquitates omnium qui habitant in ea: [20] et ciuitates que nunc habitantur desolate erunt· terraque deserta: et scietis quia ego dominus. [21] Et factus est sermo domini ad me dicens. [22] Fili hominis· quod est prouerbium istud vobis in terra israhel dicentium: in longum differuntur dies· et peribit omnis visio: [23] Ideo dic ad eos. Hec dicit dominus deus. Quiescere faciam prouerbium istud: neque vulgo dicetur vltra in israhel. Et loquere ad eos quod appropinquauerit dies: et sermo omnis visionis. [24] Non enim erit vltra omnis visio cassa· neque diuinatio ambigua in medio filiorum israhel: [25] quia ego dominus loquar quodcunque locutus fuero verbum et fiet. Non Prolongabitur amplius: sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum: et faciam illud dicit dominus deus. [26] Et factus est sermo domini ad me dicens. [27] Fili hominis: ecce domus israhel dicentium. Visio quam hic videt in dies multos: et in tempora longa iste prophetat. [28] Propterea dic ad eos. Hec dicit dominus deus. Non prolongabitur vltra sermo omnis meus. Verbum quod locutus fuero complebitur dicit dominus deus.

13 Et factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis vaticinare ad prophetas israhel qui prophetant: et dices prophetantibus de corde suo. Audite verbum domini. [3] Hec dicit dominus deus. Ve prophetis insipientibus: qui sequuntur spiritum suum et nichil vident. [4] Quasi vulpes in deserto· prophete tui israhel erant. [5] Non ascendistis ex aduerso: neque opposuistis murum pro domo israhel vt staretis in prelio in die domini. [6] Vident vana et diuinant mendacium: dicentes ait dominus· cum dominus non miserit eos: et perseuerauerunt confirmare sermonem. [7] Numquid non visionem cassam vidistis: et diuinationem mendacem locuti estis? Et dicitis ait dominus: cum ego non sim locutus. [8] Propterea hec dicit dominus deus. Quia locuti estis vana et vidistis mendacium: ideo ecce ego ad vos ait dominus deus: [9] et erit manus mea super prophetas qui vident vana et diuinant mendacium. In consilio populi mei non erunt· et in scriptura domus israhel non scribentur: nec in terra israhel ingredientur: et scietis quia ego dominus deus. [10] Eo quod

deceperint populum meum dicentes pax pax et non est pax: et ipse edificabat parietem: illi autem linebant eum luto absque paleis. 11 Dic ad eos qui linunt absque temperatura: quod casurus sit. Erit enim ymber inundans: et dabo lapides pergrandes desuper irruentes: et ventum procelle dissipantem. 12 Siquidem ecce cecidit paries. Numquid non dicetur vobis: vbi est litura quam liuistis? 13 Propterea hec dicit dominus deus. Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea: et ymber inundans in furore meo erit: et lapides grandes in ira in consumptionem. 14 Et destruam parietem quam liuistis absque temperamento: et adequabo eum terre et reuelabitur fundamentum eius: et cadet et consumetur in medio eius: et scietis quia ego sum dominus. 15 Et complebo indignationem meam in pariete: et in hijs qui liniunt eum absque temperamento: dicamque vobis. Non est paries: et non sunt qui liniunt eum. 16 Prophete israhel qui prophetant ad iherusalem: et vident ei visionem pacis et non est pax ait dominus deus. 17 Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui que prophetant de corde suo: et vaticinare super eas 18 et dic. Hec dicit dominus deus. Ve hijs que consuunt puluillos sub omni cubitu manus: et faciunt ceruicalia sub capite vniuerse etatis ad capiendas animas. Et cum caperent animas populi mei· viuificabant animas eorum· 19 et violabant me ad populum meum propter pugillum ordei et fragmen panis: vt interficerent animas que non moriuntur et viuificarent animas que non viuunt: mentientes populo meo credenti mendacijs. 20 Propter hoc dicit dominus deus. Ecce ego ad puluillos vestros quibus vos capitis animas volantes: et dirumpam eos de brachijs vestris: et dimittam animas quas vos capitis· animas ad volandum. 21 Et dirumpam ceruicalia vestra· et liberabo populum meum de manu vestra: neque erunt vltra in manibus vestris ad predandum: et scietis quia ego dominus. 22 Pro eo quod merere fecistis cor iusti mendaciter· quem ego non contristaui: et confortastis manus impij vt non reuertetur a via sua mala et viueret: 23 propterea vana non videbitis et diuinationes non diuinabitis amplius: et eruam populum meum de manu vestra: et scietis quia ego dominus.

14 Et venerunt ad me viri seniorum israhel: et sederunt coram me. 2 Et factus est sermo domini ad me dicens. 3 Fili hominis: viri isti posuerunt immundicias suas in cordibus suis: et scandalum iniquitatis sue statuerunt contra faciem suam. Numquid interrogatus respondebo eis? 4 Propter hoc loquere eis: et dices ad eos. Hec dicit dominus deus. Homo homo de domo israhel qui posuerit immundicias suas in corde suo· et scandalum iniquitatis sue statuerit contra faciem suam· et venerit ad prophetam interrogans per eum me: ego dominus respondebo ei in multitudine immundiciarum suarum: 5 vt capiatur domus israhel in corde suo quo recesserunt a me in cunctis ydolis suis. 6 Propterea dic ad domum israhel. Hec dicit dominus deus. Conuertimini et recedite ab ydolis vestris: et ab vniuersis contaminationibus vestris auertite facies vestras. 7 Quia homo homo de domo israhel et de proselitis quicumque aduena fuerit in israhel· si alienatus fuerit a me et posuerit ydola sua in corde suo et scandalum iniquitatis sue statuerit contra faciem suam et venerit ad prophetam vt interroget per eum me: ego dominus respondebo ei per me 8 et ponam faciem meam super hominem illum: et faciam eum in exemplum et in prouerbium et disperdam eum de medio populi mei: et scietis quia ego dominus. 9 Et propheta cum errauerit et locutus fuerit verbum: ego dominus decepi prophetam illum. Et extendam manum meam super illum: et delebo eum de medio populi mei israhel: 10 et portabunt iniquitatem suam. Iuxta iniquitatem interrogantis· sic iniquitas prophete erit: 11 vt non erret vltra domus israhel a me neque polluatur in vniuersis preuaricationibus suis: sed sit michi in populum et ego sim eis in deum· ait dominus exercituum. 12 Et factus est sermo domini ad me dicens. 13 Fili hominis· terra cum peccauerit michi· vt preuaricetur preuaricans: extendam manum meam super eam et conteram virgam panis eius· et immittam in eam famem: et interficiam de ea hominem et iumentum. 14 Et si fuerint tres viri isti in medio eius noe daniel et iob: ipsi iusticia sua liberabunt animas suas ait dominus exercituum. 15 Quod et si bestias pessimas induxero super terram vt vastent eam et fuerit inuia eo quod non sit pertransiens propter bestias: 16 tres viri isti si fuerint in ea· viuo ego dicit dominus deus· quia nec filios nec filias liberabunt· sed ipsi soli liberabuntur: terra autem desolabitur. 17 Vel si gladium induxero super terram illam· et dixero gladio· transi per terram· et interfecero de ea hominem et iumentum: 18 et tres viri isti fuerint in medio eius viuo ego dicit dominus deus non liberabunt filios neque filias: sed ipsi soli liberabuntur. 19 Si autem et pestilentiam immisero super terram illam et effudero indignationem meam super eam in sanguine vt auferam ex ea hominem et iumentum: 20 et noe daniel et iob fuerunt in medio eius: viuo ego dicit dominus deus· quia filium et filiam non liberabunt: sed ipsi iusticia sua liberabunt animas suas: 21 quoniam hec dicit dominus. Quod et si quatuor iudicia mea pessima· gladium et famem ac bestias malas et pestilentiam immisero in iherusalem vt interficiam de ea hominem et pecus: et 22 tamen relinquetur in ea saluatio educentium filios et filias. Ecce ipsi egredientur ad vos et videbitis viam eorum et adinuentiones eorum: et consolabimini super malo quod induxi in iherusalem in omnibus que importaui super eam: 23 et consolabuntur vos cum videritis viam eorum et adinuentiones eorum: et cognoscetis quod non frustra fecerim o que feci in ea: ait dominus deus.

15 Et Et factus est sermo domini ad me dicens. 2 Fili hominis: quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum que sunt inter ligna siluarum? 3 Numquid tolletur de ea lignum vt fiat opus: aut fabricabitur de ea paxillus vt dependeat in eo quodcumque vas? 4 Ecce igni datum est in escam: vtramque partem eius consumpsit ignis: et medietas eius redacta est in fauillam. Numquid vtile erit ad opus? 5 Etiam cum esset integrum non erat aptum ad opus: quantomagis cum illud ignis deuorauerit et combusserit nichil ex eo fiet operis. 6 Propterea hec dicit dominus deus. Quomodo lignum vitis inter ligna siluarum quod dedi igni ad deuorandum: sic tradam habitatores iherusalem: 7 et ponam faciem meam in eos. De igne egredientur: et ignis consumet eos. Et scietis quia ego dominus cum posuero faciem meam in eos: 8 et dedero terram inuiam et desolatam: eo quod preuaricatores extiterit dicit dominus deus.

16 Et factus est sermo domini ad me dicens. 2 Fili hominis: notas fac iherusalem abominationes suas: 3 et dices. Hec dicit dominus deus israhel. Radix tua et generatio tua de terra chanaan: pater tuus amorreus: et mater tua cethea. 4 Et quando nata es in die ortus tui non est precisus vmbilicus tuus: et aqua non es lota in salutem· nec sale sallita: nec inuoluta pannis. 5 Non pepercit super te oculus vt faceret tibi vnum de hijs misertus tui: sed proiecta es super faciem terre in abiectione anime tue: in die qua nata es. 6 Transiens autem per te: vidi te conculcatam in sanguine tuo. Et dixi tibi cum esses in sanguine tuo. Viue. Dixi inquam tibi in sanguine tuo. Viue. 7 Multiplicatam quasi germen agri dedi te: et multiplicata es et grandis effecta: et ingressa es et peruenisti ad mundum muliebrem. Vbera tua intumuerunt: et pilus tuus germinauit: et eras nuda et confusionis plena. 8 Et transiui per te et vidi te: et ecce tempus tuum· tempus amantium. Et expandi amictum meum super te: et operui ignominiam tuam. Et iuraui tibi: et ingressus sum pactum tecum ait dominus deus. Et facta es michi: 9 et laui te aqua: et emundaui sanguinem tuum ex te. Et vnxi te oleo: 10 et vestiui te discoloribus: et calciaui te iacincto. Et cinxi te bisso: et indui te subtilibus: 11 et ornaui te ornamento. Et dedi armillas in manibus tuis: et torquem circa collum tuum: 12 et dedi inaurem super os tuum: et circulos auribus tuis: et coronam decoris in capite tuo. 13 Et ornata es auro et argento: et vestita es bisso et polimito et multis coloribus. Similam et mel et oleum comedisti: et decora facta es vehementer nimis. Et profecisti in regnum: 14 et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore tuo quem posueram super te dicit dominus deus. 15 Et habens fiduciam in pulcritudine tua fornicata es in nomine tuo: et exposuisti omnem fornicationem tuam· omni transeunti: vt eius fieres. 16 Et sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa hincinde consuta: et fornicata es super eis: sicut non est factum· neque futurum est. 17 Et tulisti vasa decoris tui de auro meo et argento meo que dedi tibi: et fecisti tibi ymagines masculinas: et fornicata es in eis. 18 Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria: et operuisti illas. Et oleum meum et thimiama meum posuisti

coram eis: [19] et panem meum quem dedi tibi similam et oleum et mel quibus enutriui te: posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis. Et factum est ait dominus deus: [20] et tulisti filios tuos et filias tuas quas generasti michi et immolasti eis ad deuorandum. Nunquid praua est fornicatio tua [21] immolantis filios meos? Et dedisti illos consecrans eis. [22] Et post omnes abominationes tuas et fornicationes non es recordata dierum adolescentie tue: quando eras nuda et confusione plena: conculcata in sanguine tuo. [23] Et accidit post omnem maliciam tuam: ve ve tibi ait dominus deus. [24] Et edificasti tibi lupanar· et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis. [25] Ad omne caput vie edificasti signum prostitutionis tue: et abominabilem fecisti decorem tuum. Et diuisisti pedes tuos omni transeunti: et multiplicasti omnes fornicationes tuas. [26] Et fornicata es cum filijs egipti vicinis tuis magnarum carnium: et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me. [27] Ecce ego extendam manum meam super te: et auferam iustificationem tuam. Et dabo te in animas odientium te filiarum palestinarum: que erubescunt in via tua scelerata. [28] Et fornicata es in filijs assiriorum: eo quod nec dum fueris expleta. Et postquam fornicata es. nec sic es satiata· [29] et multiplicasti fornicationem tuam in terra chanaan cum chaldeis: et nec sic satiata es. [30] In quo mundabo cor tuum ait dominus deus: cum facias omnia hec opera mulieris meretricis et procacis? [31] Quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis vie: et excelsum tuum fecisti in omni platea. Nec facta es quasi meretrix fastidio augens precium: [32] sed quasi mulier adultera: que super virum suum inducit alienos. [33] Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis: et dona donabas eis vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum. [34] Factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis: et post te non erit fornicatio. In eo enim quod dedisti mercedes et mercedes non accepisti: factum est in te contrarium. [35] Propterea meretrix audi verbum domini. [36] Hec dicit dominus deus. Quia effusum est es tuum· et reuelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos et super ydola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum quos dedisti eis: [37] ecce ego congregabo omnes amatores tuos quibus commixta es: et omnes quos dilexisti cum vniuersis quos oderas. Et congregabo eos super te vndique: et nudabo ignominiam tuam tuum coram eis. Et videbunt omnem turpitudinem tuam: [38] et iudicabo te iudicijs adulterarum et effundentium sanguinem. Et dabo te in sanguinem furoris et zeli: [39] et dabo te in manus eorum. Et destruent lupanar tuum: et demolientur prostibulum tuum. Et denudabunt te vestimentis tuis: et auferent vasa decoris tui. Et derelinquent te nudam plenamque ignominia: [40] et adducent super te multitudinem. Et lapidabunt te lapidibus: et trucidabunt te gladijs suis. [41] Et comburent domos tuas igni: et facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum. Et desines fornicari: et mercedes vltra non dabis. [42] Et requiescet indignatio mea in te: et auferetur zelus meus a te. Et quiescam nec irascar amplius: [43] eo quod non fueris recordata dierum adolescentie tue: et prouocasti me in omnibus hijs. Quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi ait dominus deus: et non feci iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis. [44] Ecce omnis qui dicit vulgo prouerbium: in te assumet illud dicens. Sicut mater: ita et filia eius. [45] Filia matris tue es tu· que proiecit virum suum· et filios suos: et soror sororum tuarum: que proiecerunt viros suos et filios suos. Mater vestra cethea: et pater vester amorreus. [46] Et soror tua maior samaria: ipsa et filie eius que habitant ad sinistram tuam. Soror autem tua minor te: que habitat a dextris tuis sodoma et filie eius. [47] Sed nec in vijs earum ambulasti: neque secundum scelera eorum fecisti. Pauxillum minus pene sceleratiora fecisti illis: in omnibus vijs tuis. [48] Viuo ego dicit dominus deus: quia non fecit sodoma soror tua ipsa et filie eius: sicut fecisti tu et filie tue. [49] Ecce hec fuit iniquitas sodome sororis tue: superbia· saturitas panis· et abundantia· et ocium ipsius et filiarum eius: et manum egeno et pauperi non porrigebant: [50] et eleuate sunt et fecerunt abominationes coram me: et abstuli eas sicut vidisti. [51] Et samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit: sed vicisti eas sceleribus tuis: et iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es. [52] Ergo et tu porta confusionem tuam: que vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratius agens ab eis. Iustificate sunt enim a te. Ergo et tu confundere: et porta ignominiam tuam: que iustificasti sorores tuas. [53] Et conuertam restituens eas conuersione sodomorum cum filiabus suis: et conuersione samarie et filiarum eius. Et conuertam reuersionem tuam in medio earum: [54] vt portes ignominiam tuam: et confundaris in omnibus que fecisti consolans eas. [55] Et soror tua sodoma et filie eius reuertentur ad antiquitatem suam: et samaria et filie eius reuertentur ad antiquitatem suam: et tu et filie tue reuertimini ad antiquitatem vestram. [56] Non fuit autem sodoma soror tua audita in ore tuo in die superbie tue: [57] antequam reuelaretur malicia tua sicut hoc tempore in opprobrium filiarum syrie: et cunctarum in circuitu tuo filiarum palestinarum que ambiunt te per gyrum. [58] Scelus tuum et ignominiam tuam tu portasti ait dominus deus. [59] Quia hec dicit dominus deus. Et faciam tibi sicut despexisti iuramentum vt irritum faceres pactum: [60] et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentie tue: et suscitabo tibi pactum sempiternum. [61] Et recordaberis viarum tuarum: et confunderis cum receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis. Et dabo eas tibi in filias· sed non ex pactu tuo: [62] et suscitabo ego pactum meum tecum. Et scies quia ego dominus· [63] vt recorderis et confundaris: et non sit vltra aperire os pre confusione tua: cum placatus tibi fuero in omnibus que fecisti ait dominus deus.

17 Et Et factum est verbum domini ad me dicens. [2] Fili hominis: propone etigma et narra parabolam ad domum israhel: [3] et dices. Hec dicit dominus deus. Aquila grandis· magnarum alarum· longo membrorum ductu· plena plumis et varietate· venit ad libanum: et tulit medullam cedri. [4] Summitatem frondium eius euellit: et transportauit eam in terram chanaan: in vrbem negociatorum posuit illam. [5] Et tulit de semine terre et posuit illud in terra pro semine: vt firmaret radicem super aquas multas. In superficie posuit illud. [6] Cunque germinasset creuit in vineam latiorem: humili statura· respicientibus ramis eius ad eam: et radices eius sub illa erant. Facta est ergo vinea: et fructificauit in palmites: et emisit propagines. [7] Et facta est aquila altera grandis: magnis alis· multisque plumis. Et ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam: palmites suos extendit ad illam vt irrigaret eam de areolis germinis sui: que [8] in terra bona super aquas multas plantata est· vt faciat frondes et portet fructum· vt sit in vineam grandem. [9] Dic. Hec dicit dominus deus. Ergone prosperabitur? Nonne radices eius euellet: et fructus eius distringet? Et siccabit omnes palmites germinis eius et arescet: et non in brachio grandi neque in populo multo: vt euelleret eam radicitus. [10] Ecce plantata est. Ergone prosperabitur? Nonne cum tetigerit eam ventus vrens siccabitur: et in areis germinis sui arescet? [11] Et factum est verbum domini ad me dicens. [12] Dic ad domum exasperantem. Nescitis quid ista significent? Dic. Ecce venit rex babilonis in iherusalem: et assumet regem et principes eius: et adducet eos ad semetipsum in babilonem. [13] Et tollet de semine regni: ferietque cum eo fedus: et ab eo accipiet iusiurandum. Sed et fortes terre tollet [14] vt sit regnum humile et non eleuetur: sed custodiat pactum eius et seruet illud. [15] Qui recedens ab eo misit nuncios ad egiptum: vt daret sibi equos et populum multum. Numquid prosperabitur vel consequetur salutem· qui fecit hec? Et qui dissoluit pactum: numquid effugiet? [16] Viuo ego dicit dominus deus: quoniam in loco regis qui constituit eum regem cuius fecit irritum iuramentum et soluit pactum quod habebat cum eo: in medio babilonis morietur. [17] Et non in exercitu grandi neque in populo multo faciet contra eum pharao prelium in iactu aggeris et in exstructione vallorum: vt interficiat animas multas. [18] Spreuerat enim iuramentum vt solueret fedus: et ecce dedit manum suam: et cum omnia hec fecerit non effugiet. [19] Propterea hec dicit dominus deus. Viuo ego: quoniam iuramentum quod spreuit et fedus quod preuaricatus est ponam in caput eius. [20] Et expandam super eum rethe meum et comprehendetur in sagena mea: et adducam eum in babilonem et iudicabo eum ibi in preuaricatio qua despexit me: [21] et omnes profugi eius cum vniuerso agmine suo gladio cadent. Residui autem in omnem ventum dispergentur: et scietis quia ego dominus locutus sum. [22] Hec dicit dominus deus. Et sumam ego de medulla cedri sublimis: et ponam de vertice ramorum eius. Tenerum dispergam: et plantabo super montem excelsum et eminentem.

23 In monte sublimi israhel plantabo illud: et erumpet in germen· et faciet fructum: et erit in cedrum magnam. Et habitabunt sub ea omnes volucres: et vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit. 24 Et scient omnia ligna regionis quia ego dominus humiliaui lignum sublime· et exaltaui lignum humile: et siccaui lignum viride: et frondere feci lignum aridum. Ego dominus locutus sum et feci.

18 Et factus est sermo domini ad me dicens. 2 Quid est quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud in terra israhel dicentes? Patres comederrunt vuam acerbam· et dentes filiorum obstupescunt? 3 Viuo ego dicit dominus deus: si erit vltra vobis parabola hec in prouerbium in israhel. 4 Ecce omnes anime mee sunt. Vt anima patris: ita et anima filij mea est. Anima que peccauerit: ipsa morietur. 5 Et vir si fuerit iustus et fecerit iudicium et iusticiam: 6 in montibus non comederit et oculos suos non leuauerit ad ydola domus israhel: et vxorem proximi sui non violauerit et ad mulierem menstruatam non accesserit· 7 et hominem non contristauerit: pignus debitori reddiderit· per vim nichil rapuerit· panem suum esurienti dederit· et nudum operuerit vestimento: 8 ad vsuram non commodauerit· et amplius non acceperit: ab iniquitate auerterit manum suam· et iudicium verum fecerit inter virum et virum· et 9 in preceptis meis ambulauerit et iudicia mea custodierit vt faciet veritatem: hic iustus est. Vita viuet: ait dominus deus. 10 Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem· et fecerit vnum de istis· 11 et hec quidem omnia non facientem: sed in montibus comedentem· et vxorem proximi sui polluentem· 12 egenum et pauperem contristantem· rapientem rapinas· pignus non reddentem· et ad ydola leuantem oculos suos abominationem facientem· 13 ad vsuram dantem· et amplius accipientem: numquid viuet? Non viuet. Cum vniuersa hec detestanda fecerit: morte morietur. Sanguis eius in ipso erit. 14 Quod si genuerit filium qui videns omnia peccata patris sui que fecit timuerit· et non fecerit simile eis: 15 super montes non comederit· et oculos suos non leuauerit ad ydola domus israhel: et vxorem proximi sui non violauerit· 16 et virum non contristauerit· pignus non retinuerit· et rapinam non rapuerit· panem suum esurienti dederit· et nudum operuerit vesti 17 a pauperis iniuria auerterit manum suam: vsuram et superabundantiam non acceperit et iudicia mea fecerit· et in preceptis meis ambulauerit· hic non morietur in iniquitate patris sui: sed vita viuet. 18 Pater eius quia calumniatus est et vim fecit fratri: et malum operatus est in medio populi sui: ecce mortuus est in iniquitate sua. 19 Et dicitis. Quare non portabit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius iudicium et iusticiam operatus est: omnia precepta mea custodiuit et fecit illa: vita viuet. 20 Anima que peccauerit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris: et pater non portabit iniquitatem filij. Iusticia iusti super eum erit: et impietas impij erit super eum. 21 Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis que operatus est· et custodierit omnia precepta mea: et fecerit iudicium et iusticiam: vita viuet et non morietur· 22 Omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor. In iusticia sua quam operatus est· viuet. 23 Numquid voluntatis mee est mors impij dicit dominus deus: et non vt conuertatur a vijs suis et viuat? 24 Si autem auerterit se iustus a iusticia sua et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius: numquid viuet? Omnes iusticie eius quas fecerat non recordabuntur. In preuaricatione qua preuaricatus est: et in peccato suo quod peccauit: in ipsis morietur. 25 Et dixistis. Non est equa via domini. Audite ergo domus israhel. Nunquid via mea non est equa: et non magis vie vestre praue sunt? 26 Cum enim auerterit se iustus a iusticia sua et fecerit iniquitatem: morietur in eis. In iniusticia quam operatus est morietur. 27 Et cum auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est et fecerit iudicium et iusticiam: ipse animam suam viuificabit. 28 Considerans enim et auertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est: vita viuet et non morietur. 29 Et dicunt filij israhel. Non est equa via domini. Nunquid vie mee non sunt eque domus israhel· et non magis vie vestre praue? 30 Idcirco vnumquemque iuxta vias suas iudicabo domus israhel: ait dominus deus. Conuertimini et agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas. 31 Proicite a vobis omnes iniquitates vestras in quibus preuaricati estis: et facite vobis cor nouum et spiritum nouum. Et quare moriemini domus israhel? 32 Quia nolo mortem morientis dicit dominus deus. Reuertimini et viuite.

19 Et tu fili hominis assume planctum super principes israhel: 2 et dices. Quare mater tua leena inter leones cubauit? In medio leunculorum enutriuit catulos suos. 3 Et eduxit vnum de leunculis suis: leo factus est: et didicit capere predam hominemque comedere. 4 Et audierunt de eo gentes: et non absque vulneribus suis ceperunt eum: et adduxerunt eum in cathenis in terra egipti. 5 Que cum vidisset quoniam infirmata est et perijt exspectaturo spectatio eius: tulit vnum de leunculis suis: leonem constituit eum. 6 Qui incedebat inter leones et factus est leo: et didicit predam capere et homines deuorare: 7 didicit viduas facere et ciuitates earum in desertum adducere: et desolata est terra et plenitudo eius. a voce rugitus illius. 8 Et conuenerunt aduersus eum gentes vndique de prouincijs: et expanderunt super eum rethe suum. In vulneribus earum captus est 9 et miserunt eum in caueam in cathenis: adduxerunt eum ad regem babilonis miseruntque eum in carcerem: ne audiretur vox eius vltra super montes israhel. 10 Mater tua quasi vinea in sanguine tuo· super aquam plantata est: fructus eius et frondes eius creuerunt ex aquis multis: 11 et facte sunt ei virge solide in sceptra dominantium: et exaltata est statura eius inter frondes. Et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum: 12 et euulsa est in ira in terramque proiecta· et ventus vrens siccauit fructum eius: marcuerunt et arefacte sunt virge roboris eius. Ignis comedit eam. 13 Et nunc transplantata est in desertum in terra inuia et sitienti: 14 et egressus est ignis de virga ramorum eius qui fructum eius comedit: et non fuit in ea virga fortis sceptrum dominantium. Planctus est: et erit in planctum.

20 Et factum est in anno septimo in quinto in decima mensis: venerunt viri de senioribus israhel vt interrogarent dominum: et sederent coram me. 2 Et factus est sermo domini ad me dicens. 3 Fili hominis loquere senioribus israhel: et dices ad eos. Hec dicit dominus deus. Num ad interrogandum me vos venistis? Viuo ego: quia non respondebo vobis ait dominus deus. 4 Si iudicas eos: si iudicas fili hominis. Abominationes patrum eorum ostende eis: 5 et dices ad eos. Hec dicit dominus deus. In die qua elegi israhel et eleuaui manum meam pro stirpe domus iacob et apparui eis in terra egipti et eleuaui manum meam pro eis dicens ego dominus deus vester: 6 in die illa leuaui manum meam pro eis vt educerem eos de terra egipti in terram quam prouideram eis fluentem lacte et melle: que est egregia inter omnes terras. 7 Et dixi ad eos. Vnusquisque offensiones oculorum suorum abiciat: et in ydolis egipti nolite pollui. Ego dominus deus vester. 8 Et irritauerunt me: nolueruntque me audire. Vnusquisque abominationes oculorum suorum non proiecit: nec ydola egipti reliquerunt. Et dixi vt effunderem indignationem meam super eos: et implerem iram meam in eis in medio terre egipti. 9 Et feci propter nomen meum: vt non violaretur coram gentibus in quarum medio erant: et inter quas apparui eis vt educerem eos de terra egipti. 10 Eieci ergo eos de terra egipti et eduxi eos in desertum: 11 et dedi eis precepta mea et iudicia mea ostendi eis: que faciet homo et viuet in eis. 12 Insuper et vt ta mea dedi eis vt esset signum inter me eos: et scirent quia ego dominus sanctificans rans eos. 13 Et irritauerunt me domus israhel in deserto: in preceptis meis non ambulauerunt et iudicia mea proiecerunt que faciens homo viuet in eis: et sabbata mea violauerunt vehementer. Dixi ergo vt effunderem furorem meum super eos in deserto: et consumerem eos. 14 Et feci propter nomen meum· ne violaretur coram gentibus: de quibus eieci eos in conspectu earum. 15 Ego igitur leuaui manum meam super eos in deserto ne inducerem eos in terram quam dedi eis fluentem lacte et melle precipuam terrarum omnium: 16 quia iudicia mea proiecerunt et in preceptis meis non ambulauerunt: et sabbata mea violauerunt. Post ydola enim cor eorum gradiebat. 17 Et pepercit oculus meus super eos vt non interficerem eos: nec consumpsi eos in deserto. 18 Dixi autem ad filios eorum in solitudine. In preceptis patrum vestrorum nolite incedere: in nec iudicia eorum custodiatis: nec in ydolis eorum polluamini. 19 Ego dominus deus vester. In preceptis meis ambulate: et iudicia mea

custodite et facite ea [20] et sabbata mea sanctificate vt sit signum inter me et vos: et sciatur quia ego dominus deus vester. [21] Et exacerbauerunt me filij: et in meis non ambulauerunt et iudicia mea non custodierunt vt facerent ea que cum fecerit homo viuet in eis: et sabbanta mea violauerunt. Et comminatus sum vt effunderem furorem meum super eos: et implerem iram meam in eis in deserto. [22] Auerti autem manum meam: et feci propter nomen meum· vt non violaretur coram gentibus: de quibus eieci eos in oculis earum. [23] Iterum leuaui manum meam in eos in solitudine vt dispergerem illos in nationes et ventilarem in terras: [24] eo quod iudicia mea non fecissent· et precepta mea reprobassent· et sabbata mea violassent: et post ydoI patrum suorum fuissent oculi eorum. [25] Ergo et ego dedi eis precepta non bona et iudicia in quibus viuent: dicia in quibus non viuent: [26] et pollui eos in muneribus suis cum offerrent omne quod aperit vuluam propter delicta sua: et scient quia ego dominus. [27] Quamobrem loquere ad domum israhel fili hominis: et serto: et consumerem eos. Et feci dices ad eos. Hec dicit dominus deus. Adhuc et in hoc blasphemauerunt me tres vestri cum spreuissent me contemnentes: et leuaui [28] induxissem eos in terram· super quam leserto manum meam vt darem eis. Viderunt omnem collem excelsum· et omne lignum nemorosum et immolauerunt ibi victimas et dederunt ibi irritationem oblationis sue: et posuerunt ibi odorem suauitatis sue et libauerunt libationes suas. [29] Et dixi ad eos. Quid est excelsum: ad quod vos ingredimini? Et vocatum est nomen eius exserto. Dixi celsum vsque ad hanc diem. [30] Propterea dic ad domum israhel hec dicit dominus deus. Certe in via patrum vestrorum vos polluimini: et post offendicula eorum vos fornicamini. [31] Et in oblatione donorum vestrorum cum traducitis filios vestros per ignem vos polluimini in omnibus ydolis vestris vsque hodie: et et ego respondebo vobis domus israhel? Viuo ego dicit dominus deus: quia non respondebo vobis: [32] neque cogitatio mentis vestre fiet dicentium. Erimus sicut gentes et sicut cognationes terre: vt colamus ligna et lapides. [33] Viuo ego dicit dominus deus: quoniam in manu forti et in brachio extento et in furore effuso regnabo super vos. [34] Et educam vos de populis: et congregabo vos de terris in quibus dispersi estis. In manu valida et in brachio extento et in furore effuso regnabo super vos: [35] et adducam vos in desertum populorum: et iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem. [36] Sicut iudicio contendi aduersum patres vestros in deserto terre egipti: sic iudicabo vos dicit dominus. [37] Et subiciam vos sceptro meo: et inducam vos in vinculis federis. [38] Et eligam de vobis transgressores et impios: et de terra incolatus eorum educam eos· et terram israhel non ingredientur: et scietis quia ego dominus. [39] Et vos domus israhel: hec dicit dominus deus. Singuli post ydola vestra ambulate: et seruite eis. Quod si et in hoc non audieritis me: et nomen meum sanctum pollueritis vltra in muneribus vestris et in ydolis vestris: [40] in monte sancto meo in monte excelso israhel ait dominus deus ibi seruiet michi omnis domus israhel: omnes inquam in terra in qua placebunt michi. Et ibi queram primitias vestras: et inicium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris. [41] In odorem suauitatis suscipiam vos· cum eduxero vos de populis et congregauero vos de terris in quas dispsi estis: et sanctificabor in vobis in oculis nationum. [42] Et scietis quia ego dominus cum eduxero vos ad terram israhel: in terra pro qua leuaui manum meam vt darem eam patribus vestris. [43] Et recordabimini ibi viarum vestrarum et omnium scelerum vestrorum quibus polluti estis in eis: et displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malicijs vestris quas fecistis: [44] et scietis quia ego dominus cum benefecero vobis propter nomen meum: et non secundum vias vestras malas neque secundum scelera vestra pessima domus israhel: ait dominus deus. [45] Et factus est sermo domini ad me dicens. [46] Fili hominis: pone faciem tuam contra viam austri et stilla ad affricum. Et propheta ad saltum agri meridiani: [47] et dices saltui meridiano. Audi verbum domini. Hec dicit dominus deus. Ecce ego succendam in ignem: et con comburam in te omne lignum viride et omne lignum aridum. Non extinguetur flamma succensionis. Et comburetur in ea omnis facies ab austro vsque ad aquilonem: [48] et videbit vniuersa caro quia ego dominus succendi eam: nec extinguetur. [49] Et dixi. A a a domine deus. Ipsi dicunt de me. Numquid non per parabolas loquitur iste?

21 factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis pone faciem tuam ad iherusalem· et stilla ad sanctuaria· et propheta contra humum israhel: [3] et dices terre israhel. Hec dicit dominus deus. Ecce ego ad te: et eiciam gladium meum de vagina sua: et occidam in te iustum et impium. [4] Pro eo autem quod occidi in te iustum et impium: idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab austro vsque ad aquilonem: [5] vt sciat omnis caro quia ego dominus eduxi gladium meum de vagina sua irreuocabilem. [6] Et tu fili hominis in gemisce in contritione lumborum: et in amaritudinibus ingemisce coram eis. [7] Cunque dixerint ad te quare tu gemis: dices. Pro auditu quia venit: et tabescet omne cor: et dissoluentur vniuerse manus: et infirmabitur omnis spiritus: et per cuncta genua fluent aque. Ecce venit: et fiet ait dominus deus. [8] Et factus est sermo domini ad me dicens. [9] Fili hominis· propheta et dices. Hec dicit dominus deus. Loquere. Gladius gladius exacutus est et limatus. [10] Vt cedat victimas exacutus est: vt splendeat limatus est. Qui moues sceptrum filij mei succidisti omne lignum. [11] Et dedi eum ad leuigandum: vt teneatur manu. Iste exacutus est gladius: et iste limatus est in manu interficientis. [12] Clama et vlu fili hominis: quia hic factus est in populo meo: hic in cunctis ducibus israhel qui fugerant. Gladio traditi sunt cum populo meo. Idcirco plaude super femur [13] quia probatus est: et hoc cum sceptrum subuerterit: et non erit dicit dominus deus. [14] Tu ergo fili hominis propheta: et percute manu ad manum: et duplicetur gladius ac triplicetur gladius interfectorum. Hic est gladius occisionis magne: qui obstupescere eos facit [15] et corde tabescere: et multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladij acuti et limati ad fulgendum: amicti ad cedem. [16] Exacuere: vade ad dexteram siue ad sinistram: quocumque faciei tue est appetitus. [17] Quin et ego plaudam manu ad manum: et implebo indignationem meam. Ego dominus locutus sum. [18] Et factus est sermo domini ad me dicens. [19] Et tu fili hominis· pone tibi duas vias: vt veniat gladius regis babilonis. De terra vna egredientur ambo. Et manu capiet coniecturam: in capite vie ciuitatis coniciet. [20] Viam pones: vt veniat gladius ad rabbath filiorum amon: et ad iudam in iherusalem munitissimam. [21] Stetit enim rex babilonis in biuio in capite duarum viarum diuinationem querens: commiscens sagittas. Interrogauit ydola: exta consuluit. [22] Ad dexteram eius facta est diuinatio super iherusalem· vt ponat arietes: vt aperiat os in cede vt eleuet vocem in vlulatu: vt ponat arietes contra portas· vt comportet aggerem vt edificet munitiones. [23] Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum: et sabbatorum ocium imitans. Ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. [24] Adcirco hec dicit dominus deus. Pro eo quod recordati estis iniquitatis vestre et reuelastis preuaricationes vestras: et apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris. Pro eo inquam quod recordati estis: manu capiemini. [25] Tu autem prophane impie dux israhel cuius venit dies in tempore iniquitatis prefinita: [26] hec dicit dominus deus. Aufer cydarim: tolle coronam. Nonne hec est que humilem subleuauit: et sublimem humiliauit: [27] Iniquitatem iniquitatem iniquitatem ponam eam. Et hoc non factum est donec veniret cuius est iudicium: et tradam ei. [28] Et tu fili hominis propheta et dic. Hec dicit dominus deus ad filios amon: et ad opprobrium eorum. Et dices. Mucro· mucro· euagina te ad occidendum: lima te· vt interficias et fulgeas [29] cum tibi viderentur vana et diuinarentur mendacia: vt dareris super colla vulneratorum impiorum quorum veniet dies in tempore iniquitatis prefinita. [30] Reuertere ad vaginam tuam in locum in quo creatus es. In terra natiuitatis tue iudicabo te: [31] et effundam super te indignationem meam. In igne furoris mei sufflabo in te: daboque te in manus hominum insipientium et fabricantium interitum. [32] Igni eris cibus. Sanguis tuus erit in medio terre: obliuioni traderis: quia ego dominus locutus sum.

22 Et factum est verbum domini ad me dicens. [2] Et tu fili hominis nonne iudicas ciuitatem sanguinum: [3] et ostendis ei omnes abominatones suas? Et dices. Hec dicit dominus deus. Ciuitas effundens sanguinem in medio sui vt veniat tempus eius: et que fecit ydola contra semetipsam vt pollueretur. [4] In sanguine tuo qui a te effusus est deliquisti: et in ydolis tuis que fecisti polluta es. Et appropinquare fecisti dies tuos: et adduxisti tempus annorum

tuorum. Propterea dedi te opprobrium gentibus: et irrisionem vniuersis terris [5] que iuxta sunt et que procul a te. Triumphabunt de te: sordida· nobilis· grandis interitu. [6] Ecce principes israhel singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem: [7] patrem et matrem contumelijs affecerunt in te. Aduenam calumniati sunt in medio tui: pupillum et viduam contristauerunt apud te: [8] sanctuaria mea spreuistis et sabbata mea polluistis. [9] Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem: et super montes commederunt in te: scelus operati sunt in medio tui. [10] Verecundiora patris discooperuerunt in te: immundiciam menstruate humiliauerunt in te. [11] Et vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem: et socer nurum suam polluit nepharie: frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. [12] Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem: vsuram et superabundantiam accepisti et auare proximos tuos calumnia: meique oblita es dicit dominus deus. [13] Ecce complosi manus meas super auariciam tuam quam fecisti: et super sanguinem qui effusus est in medio tui. [14] Numquid sustinebit cor tuum: aut preualebunt manus tue in diebus quos ego faciam tibi? Ego dominus locutus sum· et faciam. [15] Et dispergam te in nationes: et ventilabo te in terras. Et deficere faciam immundiciam tuam a te: [16] et possidebo te in conspectu gentium: et scies quia ego dominus. [17] Et factum est verbum domini ad me dicens. [18] Fili hominis: versa est michi domus israhel in scoriam. Omnes isti es et stannum et ferrum et plumbum in medio fornaris. Scoria argenti facti sunt. [19] Propterea hec dicit dominus deus. Eo quod versi estis omnes in scoriam: propterea ecce ego congregabo vos in medio iherusalem [20] congregatione argenti et eris et stanni ferri et plumbi in medio fornacis: vt succendam in ea ignem ad conflandum. Sic congregabo in furore meo et in ira mea: et requiescam. Et conflabo vos [21] et congregabo vos: et succendam vos in igne furoris mei: et conflabimini in medio eius [22] vt conflatur argentum in medio fornacis: sic eritis in medio eius. Et scietis quia ego dominus: cum effuderim indignationem meam super vos. [23] Et factum est verbum domini ad me dicens. [24] Fili hominis· dic ei. Tu es terra immunda et non complura in die furoris. [25] Coniuratio prophetarum in medio eius. Sicut leo rugiens rapiens que predam animas deuorauerunt: opes et precium acceperunt: viduas eius multiplicauerunt in medio illius. [26] Sacerdotes eius contempserunt legem meam: et polluerunt sanctuaria mea. Inter sanctum et prophanum non habuere distantiam: inter pollutum et mundum non intellexerunt et a sabbatis meis auerterunt oculos suos: et coinquinabar in medio eorum. [27] Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes predam: ad effundendum sanguinem et ad predendas animas et auare sectanda lucra. [28] Prophete autem eius liniebant eos absque temperamento videntes vana et diuinantes ei mendacium: dicentes hec di dicit cit dominus deus: cum dominus non sit locutus. [29] Populi terre calumniabantur calumniam et rapiebant violenter: egenum et pauperem affligebant: et aduenam opprimebant calumnia absque iudicio. [30] Et quesiui de eis virum qui interponeret sepem: et staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam: et non inueni. [31] Et effudi super eos indignationem meam: et in igne ire mee consumpsi eos. Viam eorum in caput eorum reddidi ait dominus deus

23 Et factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis: due mulieres filie matris vnius fuerunt: [3] et fornicate sunt in egipto. In adolescentia sua fornicate sunt. Ibi subacta sunt vbera earum: et fracte sunt mamme pubertatis earum. [4] Nomina autem earum oolla maior: et ooliba soror eius minor. Et habui eas: et pepererunt filios et filias. Porro earum nomina· samaria oolla: et iherusalem ooliba. [5] Fornicata est igitur super me oolla: et insaniuit in amatores suos in assyrios propinquantes· [6] vestitos iacincto· principes et magistratus· iuuenes cupidinis· vniuersos equites ascensores equorum: [7] et dedit fornicationes suas super eos electos filios assyriorum vniuersos: et in omnibus in quibus insaniuit in immundicijs eorum polluta est. [8] Insuper et fornicationes suas quas habuerat in egipto non reliquit. Nam et illi dormierunt cum ea in adolescentia sua: et illi confregerunt vbera pubertatis eius: et effuderunt fornicationem suam super eam. [9] Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum: et in manus filiorum assur super quorum insaniuit libidine. [10] Ipsi discooperuerunt ignominiam eius: filios et filias eius tulerunt: et ipsam occiderunt gladio. Et facte sunt famose mulieres: et iudicia perpetrarunt in ea. [11] Quod cum vidisset soror eius ooliba· plus quam illa insaniuit libidine: et fornicationem suam super fornicationem sororis sue [12] ad filios assyriorum prebuit impudenter: ducibus et magistratibus ad se venientibus indutis veste varia: equitibus qui vectabantur equis: et adolescentibus forma cunctis egregia. [13] Et vidi quod polluta esset via vna ambarum: [14] et auxit fornicationes suas. Cumque vidisset viros depictos in pariete ymagines chaldeorum expressas coloribus· [15] et accinctos baltheis renes· et tyaras tinctas in capitibus eorum formam ducum omnium· similitudinem filiorum babilonis terreque chaldeorum in qua orti sunt: [16] insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum: et misit nuncios ad eos in chaldeam. [17] Cumque venissent ad eam filij babilonis· ad cubile mammarum· polluerunt eam in stupris suis: et polluta est ab eis· et saturata est anima eius ab illis. [18] Denudauit quoque fornicationes suas: et discooperuit ignominiam suam. Et recessit anima mea ab ea: sicut recesserat anima mea a sorore eius. [19] Multiplicauit enim fornicationes suas recordans dies adolescentie sue quibus fornicata est in terra egipti: [20] et insaniuit libidine super concubitum eorum quorum carnes sunt vt carnes asinorum: et sicut fluxus equorum fluxus eorum. [21] Et visitasti scelus adolescentie tue: quando subacta sunt in egipto vbera tua: et confracte sunt mamme pubertatis tue. [22] Propterea ooliba hec dicit dominus deus. Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te de quibus saturata est anima tua: et congregabo eos aduersum te in circuitu: [23] filios babilonis et vniuersos chaldeos· nobiles tyrannosque et principes· omnes filios assyriorum: iuuenes forma egregia· duces et magistratus· vniuersos principes principum: et nominatos ascensores equorum. [24] Et venient super te instructi curru et rota: et multitudo populorum. Lorica et clipeo et galea armabuntur contra te vndique. Et dabo coram eis iudicium: et iudicabunt te iudicijs suis. [25] Et ponam zelum meum in te: quem tecumexercent in furore. Nasum tuum et aures tuas precident: et que remanserunt gladio concident. Ipsi filios tuos et filias tuas capient: et nouissimum tuum deuorabit ignis. [26] Et denudabunt te vestimentis tuis: et tollent vasa glorie tue. [27] Et requiescere faciam scelus tuum de te: et fornicationem tuam de terra egipti. Nec leuabis oculos tuos ad eos: et egipti non recordaberis amplius: [28] quia hec dicit dominus deus. Ecce ego tradam te in manus eorum quos odisti: in manus de quibus satiata est anima tua: [29] et agent tecum in odio. Et tollent omnes labores tuos: et dimittent te nudam et ignominia plenam: et reuelabitur ignominia fornicationum tuarum. Scelus tuum et fornicationes tue [30] fecerunt hec tibi: quia fornicata es post gentes inter quas polluta es in ydolis eorum. [31] In via sororis tue ambulasti: et dabo calicem eius in manu tua. [32] Hec dicit dominus deus. Calicem sororis tue bibes· profundum et latum. Eris in derisum et in subsannationem que es capacissima: [33] ebrietate et dolore repleberis: calice meroris et tristicie· calice sororis tue samarie. [34] Et bibes illum et epotabis vsque ad feces: et fragmenta eius deuorabis et vbera tua lacerabis: quia ego locutus sum ait dominus deus. [35] Propterea hec dicit dominus deus. Quia oblita es mei et proiecisti me post corpus tuum: tu quoque porta scelus tuum et fornicationes tuas. [36] Et ait dominus ad me dicens. Fili hominis: numquid iudicas oollam et ooliban et annuncias eis scelera earum· [37] quia adulterate sunt· et sanguis in manibus earum· et cum ydolis suis fornicate sunt? Insuper et filios suos quos genuerunt michi obtulerunt eis ad deuorandum. [38] Sed et hoc fecerunt michi. Pollu sanctuarium meum in die illa: et sabbata mea prophanauerunt. [39] Cunque immolarent filios suos ydolis suis· et ingrederentur sanctuarium meum in die illa vt polluerent illud: etiam hec fecerunt in medio domus mee. [40] Miserunt ad viros venientes de longe: ad quos nuncium miserant. Itaque ecce venerunt quibus te lauisti et circumliuisti stibio oculos tuos: et ta es mundo muliebri. [41] Sedisti in lecto pulcerrimo: et mensa ornata est ante te. Thimiama meum et vngentum meum posuisti super eam: [42] et vox multitudinis exultantis erat in ea. Et in viris qui de multitudine hominum adducebantur: et veniebant de deserto· posuerunt armillas in manibus earum: et coronas speciosas in

capitibus earum. [43] Et dixi ei que attrita est in adulterijs. Nunc fornicabitur in fornicatione sua· etiam hec. [44] Et ingressi sunt ad eam: quasi ad mulierem meretricem· sic ingrediebantur ad oollam et ad oolibam mulieres nepharias. [45] Viri ergo iusti sunt. Hij iudicabunt eas iudicio adulterarum et iudicio effundentium sanguinem: quia adultere sunt: et sanguis in manibus earum. [46] Hec enim dicit dominus deus. Adduc ad eas multitudines et trade eas in tumultum et in rapinam: [47] et lapidentur lapidibus populorum: et confodiantur gladijs eorum. Filios et filias earum interficient: et domos earum igne succendent. [48] Et auferam scelus de terra: et discent omnes mulieres ne faciant secundum scelus earum. [49] Et dabunt scelus vestrum super vos: peccata ydolorum vestrorum portabitis: et scietis quia ego dominus deus.

24 Et factum est verbum domini ad me in anno nono: in mense decimo decima die mensis dicens. [2] Fili hominis: scribe tibi nomen diei huius in qua confirmatus est rex babilonis aduersum iherusalem hodie: [3] et dices per prouerbium ad domum irritatricem parabolam: et loqueris ad eos. Hec dicit dominus deus. Pone ollam: pone inquam: et mitte in eam aquam. [4] Congere frusta eius in eam omnem partem bonam· et femur· et armum· electa: et ossibus plena. [5] Pinguissimum pecus assume: compone quoque strues ossium sub ea. Efferbuit coctio eius: et discocta sunt ossa illius in medio eius [6] Propterea hec dicit dominus deus. Ve ciuitati sanguinum oolle cuius rubigo in ea est: et rubigo eius non exiuit de ea. Per partes et per partes suas eice eam. Non cecidit super eam sors. [7] Sanguis enim eius in medio eius est: super limpidissimam petram effudit illum. Non effudit illum super terram vt possit operiri puluere: [8] vt superinducerem indignationem meam et vindicta vlciscerer. Dedi sanguinem eius super petram limpidissimam: ne operiretur. [9] Propterea hec dicit dominus deus. Ve ciuitati sanguinum: cuius ego grandem faciam piram. [10] Congerere ossa: que igne succendam. Consumentur carnes: et coquetur vniuersa compositio: et ossa tabescent. [11] Pone quoque eam super prunas vacuam vt incalescat et liquefiat es eius et confletur in medio eius inquinamentum eius: et consumatur rubigo eius. [12] Multo labore sudatum est: et non exiuit de ea nimia rubigo eius· neque per ignem. [13] Immundicia tua execrabilis: quia mundare te volui: et non es mundata a sordibus tuis. Sed nec mundaberis prius: donec quiescere faciam indignationem meam in te. [14] Ego dominus locutus sum. Veniet et faciam: non transeam neque parcam: nec placabor. Iuxta vias tuas et iuxta adinuentiones tuas iudicabo te dicit dominus. [15] Et factum est verbum domini ad me dicens. [16] Fili hominis: ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga: et non planges neque plorabis neque fluent lacrime tue. [17] Ingemisce tacens: mortuorum luctum non facies. Corona tua circumligata sit tibi: et calciamenta tua erunt in pedibus tuis: nec amictu ora velabis· nec cibos lugentium comedes. [18] Locutus sum ergo ad populum mane: et mortua est vxor mea vesperi. Fecique mane sicut preceperat michi. [19] Et dixit ad me populus. Quare non indicas nobis quid ista significent que tu facis? [20] Et dixi ad eos. Sermo domini factus est ad me dicens. [21] Loquere domui israhel. Hec dicit dominus deus. Ecce ego polluam sanctuarium meum· superbiam imperij vestri· et desiderabile oculorum vestrorum· et super quo pauet anima vestra: et filij vestri et filie vestre quas reliquistis gladio cadent: [22] et facietis sicut feci. Ora amictu non velabitis: et cibos lugentium non comedetis. [23] Coronas habebitis in capitibus vestris: et calciamenta in pedibus. Non plangetis neque flebitis: sed tabescetis in iniquitatibus vestris: et vnusquisque gemet ad fratrem suum. [24] Eritque ezechiel vobis in portentum. Iuxta omnia que fecit facietis cum venerit istud: et scietis quia ego dominus deus. [25] Et tu fili hominis ecce in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum· et gaudium dignitatis· et desiderium oculorum eorum· super quo requiescunt anime eorum· filios et filias eorum: [26] in die illa cum venerit fugiens ad te vt annunciet tibi: [27] in die inquam illa aperietur os tuum cum eo qui fugit: et loqueris et non silebis vltra· erisque eis in portentum: et scietis quia ego dominus.

25 factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis: pone faciem tuam contra filios ammon et prophetabis de eis: [3] et dices filijs ammon. Audite verbum domini dei. Hec dicit dominus deus. Pro eo quod dixisti euge euge super sanctuarium meum quia pollutum est· et super terram israhel quoniam desolata est· et super domum iuda quoniam ducti sunt in captiuitatem: [4] idcirco ego tradam te filijs orientalibus in hereditatem: et collocabunt caulas suas in te· et ponent in te tentoria sua. Ipsi comedent fruges tuas: et ipsi bibent lac tuum. [5] Daboque rabbath in habitaculum camelorum· et filios ammon in cubile pecorum: et scietis quia ego dominus: [6] quia hec dicit dominus deus. Pro eo quod plausisti manu et percussisti pede et gauisa es ex toto affectu super terram israhel: [7] idcirco ecce ego extendam manum meam super te· et tradam te in direptionem gentium: et interficiam te de populis· et perdam de terris et conteram: et scietis quia ego dominus. [8] Hec dicit dominus deus. Pro eo quod dixerunt moab et seyr ecce sicut omnes gentes domus iuda: [9] idcirco ecce ego aperiam humerum moab de ciuitatibus: de ciuitatibus inquam eius· et de finibus eius inclitas terre· bethiesimoth et beelmeon et cariathaim [10] filijs orientis cum filijs ammon. Et dabo eam in hereditatem: vt non sit vl memoria filiorum ammon in gentibus. [11] Et in moab faciam iudicia: et scient quia ego dominus. [12] Hec dicit dominus deus. Pro eo quod fecit ydumea vltionem vt se vindicaret de filijs iuda· peccauitque delinquens et vindictam expetiuit de eis: [13] idcirco hec dicit dominus deus. Extendam manum meam super ydumeam: et auferam de ea hominem et iumentum: et faciam eam desertam ab austro. Qui sunt in dedan gladio cadent: [14] et dabo vltionem meam super ydumeam per manum populi mei israhel. Et facient in edom iuxta iram meam et furorem meum: et scient vindictam meam dicit dominus deus. [15] Hec dicit dominus deus. Pro eo quod fecerunt palestini vindictam· et vlti se sunt toto animo· interficientes et implentes inimicicias veteres: [16] propterea hec dicit dominus deus. Ecce ego extendam manum meam super palestinos: et interficiam interfectores. Et perdam reliquias maritime regionis: [17] faciamque in eis vltiones magnas arguens in furore: et scient quia ego dominus cum dedero vindictam meam super eos.

26 factum est in vndecimo anno prima mensis: factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis: pro eo quod dixit tyrus de iherusalem: euge confracte sunt porte populorum: conuersa est ad me: implebor· deserta est: [3] propterea hec dicit dominus deus. Ecce ego super te tyre: et ascendere faciam ad te gentes multas· sicut ascendit mare fluctuans. [4] Et dissipabunt muros tyri: et destruent turres eius. Et radam puluerem eius de ea: et dabo eam in limpidissimam petram. [5] Siccatio sagenarum erit in medio maris: quia ego locutus sum ait dominus deus: et erit in direptionem gentibus. [6] Filie quoque eius que sunt in agro gladio interficientur: et scient quia ego dominus: [7] quoniam hec dicit dominus deus. Ecce ego adducam ad tyrum nabuchodonosor regem babilonis ab aquilone: regem regum· cum equis et curribus et equitibus et cetu populoque magno. [8] Filias tuas que sunt in agro gladio interficiet: et circumdabit te munitionibus et comportabit aggerem in gyro. Et eleuabit contra te clipeum: [9] et vineas et arietes temperabit in muros tuos: et turres tuas destruet in armatura sua. [10] Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum: a sonitu equitum et rotarum et curruum mouebuntur muri tui. Cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum vrbis dissipate· [11] vngulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas: populum tuum gladio cedet: et statue tue nobiles in terram corruent. [12] Vastabunt opes tuas· diripient negociationes tuas? et destruent muros tuos· et domos tuas preclaras subuertent: et lapides tuos et ligna tua et puluerem tuum in medio ponent. [13] Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum: et sonitus cythararum tuarum non audietur amplius. [14] Et dabo te in limpidissimam petram: siccatio sagenarum eris nec edificaberis vltra: quia ego dominus locutus sum dicit dominus deus. [15] Hec dicit dominus deus de tyro. Numquid non a sonitu ruine tue· et gemitu interfectorum tuorum cum occisi fuerint in medio tui· commouebuntur insule: [16] et descendent de sedibus suis omnes principes maris· et auferent exuuias suas: et vestimenta sua varia abicient et induentur stupore? In terra sedebunt: et attoniti super repentino casu suo ammirabuntur: [17] et assumentes super te lamentum dicent tibi. Quomodo peristi que habitas in mari vrbs inclita: que fuisti fortis in mari cum

habitatoribus tuis quos formidabant vniuersi? [18] Nunc stupebunt naues in die pauoris tui: et turbabuntur insule in mari eo quod nullus egrediatur ex te: [19] quia hec dicit dominus deus. Cum dedero te vrbem desolatam sicut ciuitates que non habitantur: et adduxero super te abissum· et operuerint te aque multe [20] et detraxero te cum hijs qui descendunt in lacum ad populum sempiternum: et collocauero in terra nouissima sicut solitudines veteres cum hijs qui deducuntur in lacum vt non habiteris: porro cum dedero gloriam in terra viuentium· [21] in nichilum redigam te: et non eris· et requisita non inuenieris vltra in sempiternum dicit dominus deus.

27 factum est verbum domini ad me dicens. [2] Tu ergo fili hominis assume super tyrum lamentum: [3] et dices tyro· que habitat in introitu maris: negociationi populorum ad insulas multas. Hec dicit dominus deus. O tyre tu dixisti. Perfecti decoris ego sum: [4] et in corde maris sita. Finitimi tui qui te edificauerunt impleuerunt decorem tuum: [5] abietibus de samir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris. Cedrum de libano tulerunt vt facerent tibi malum: [6] quercus de basan dolauerunt in remos tuos: transtra tua fecerunt tibi ex ebore indico: et pretoriola de insulis ytalie. [7] Bissus varia de egipto texta est tibi in velum vt poneretur in malo: iacinctus et purpura de insulis elisa facta sunt operimentum tuum. [8] Habitatores sydonis et aradij fuerunt remiges tui: sapientes tui tyre facti sunt gubernatores tui: [9] senes biblij et prudentes eius prebuerunt nautas· ad ministerium varie suppellectilis tue. Omnes naues maris et naute earum fuerunt in populo negociationis tue: [10] perse et lidij et libies erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clipeum et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. [11] Filij aradij cum exercitu suo super muros tuos in circuitu: sed et pigmei qui erant in turribus tuis pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum. Ipsi compleuerunt pulcritudinem tuam. [12] Carthaginenses negociatores tui. A multitudine cunctarum diuitiarum argento ferro stanno plumboque repleuerunt nundinas tuas. [13] Grecia thubal et mosoch institores tui. Mancipia et vasa erea adduxerunt populo tuo [14] de domo thogorma· equos et equites et mulos adduxerunt ad forum tuum. [15] Filij dedan negociatores tui. Insule multe negociatio manus tue. Dentes eburneos et hebeninos commutauerunt in precio tuo. [16] Syrus negociator tuus. Propter multitudinem operum tuorum gemmam et purpuram et scutulata et bissum et sericum et chodchod posuerunt in mercatu tuo. [17] Iuda et terra israhel ipsi institores tui in frumento primo: balsamum et mel et oleum et resinam proposuerunt in nundinis tuis. [18] Damascenus negociator tuus in multitudine operum tuorum: in multitudine diuersarum opum in vino pingui: in lanis coloris optimi. [19] Dan et grecia et mozel in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum: stacte et calamus in negociatione tua. [20] Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. [21] Arabia et vniuersi principes cedar ipsi negociatores manus tue: cum agnis et arietibus et hedis venerunt ad te negociatores tui. [22] Venditores saba et rema ipsi negociatores tui: cum vniuersis primis aromatibus et lapide precioso et auro quod proposuerunt in mercatu tuo. [23] Aran et chenne et eden negociatores tui. Saba assur et chelmach venditores tui: [24] ipsi negociatores tui multiphariam inuolucris iacincti et polimitorum gazarumque preciosarum que obuolute et astricte erant funibus: cedros quoque habebant in negociationibus tuis. [25] Naues maris principes tui in negociatione tua: et repleta es: et glorificata nimis in corde maris. [26] In aquis maris adduxerunt te remiges tui. Ventus auster contriuit te. In corde maris [27] diuitie tue: et thesauri tui et multiplex instrumentum tuum. Naute tui et gubernatores tui qui tenebant suppellectilem tuam· et populo tuo preerant: viri quoque bellatores tui qui erant in te cum vniuersa multitudine tua que est in medio tui: cadent in corde maris in die ruine tue. [28] A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes: [29] et descendent de nauibus suis omnes qui tenebant remum. Naute et vniuersi gubernatores maris in terra stabunt: [30] et eiulabunt super te voce magna: et clamabunt amare. Et superiacient puluerem capitibus suis· et cinere conspergentur: [31] et radent super te caluicium: et accigentur cilicijs. Et plorabunt te in amaritudine anime ploratu amarissimo: [32] et assument super te carmen lugubre: et plangent te. Que est vt tyrus que obmutuit in medio maris? [33] Que in exitu negociationum tuarum de mari implesti populos multos: in multitudine diuitiarum tuarum et populorum tuorum ditasti reges terre. [34] Nunc contrita es a mari: in profundis aquarum opes tue: et omnis multitudo tua que erat in medio tui ceciderunt. [35] Vniuersi habitatores insularum obstupuerunt super te: et reges earum omnes tempestate perculsi mutauerunt vultus. [36] Negociatores populorum sibilauerunt super te. Ad nichilum deducta es: et non eris vsque in perpetuum.

28 Et factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis: dic principi tyri. Hec dicit dominus deus. Eo quod eleuatum est cor tuum et dixisti· deus ego sum et in kathedra dei sedi in corde maris: cum sis homo et non deus: et dedisti cor tuum quasi cor dei. [3] Ecce sapientior es tu daniele: omne secretum non est absconditum a te. [4] In sapientia et prudencia tua fecisti tibi fortitudinem: et acquisisti aurum et argentum in thesauris tuis [5] in multitudine sapientie tue: et in negociatione tua multiplicasti tibi fortitudinem· et eleuatum est cor tuum in robore tuo. [6] Propterea hec dicit dominus deus. Eo quod eleuatum est cor tuum quasi cor dei: [7] idcirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentium. Et nudabunt gladios suos super pulcritudinem sapientie tue: et polluent decorem tuum. [8] Interficient et detrahent te: et morieris in interitu occisorum in corde maris. [9] Nunquid dicens loqueris deus ego sum coram interficientibus te cum sis homo et non deus? In manu occidentium te [10] morte incircumcisorum morieris: in manu alienorum: quia ego locutus sum ait dominus deus. [11] Et factus sermo domini ad me dicens. Fili hominis: leua planctum super regem tyri [12] et dices ei. Hec dicit dominus deus. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia perfectus decore: [13] in delicijs paradisi dei fuisti. Omnis lapis preciosus operimentum tuum: sardius thopazius et iaspis· crisolitus et onix et berillus· saphirus et carbunculus et smaragdus. Aurum quoque decoris tui et foramina tua in die qua conditus es preparata sunt. [14] Tu cherub extentus et protegens: et posui te in monte sancto dei. In medio lapidum ignitorum ambulasti: [15] perfectus in vijs tuis a die conditionis tue: donec inuenta est iniquitas in te. [16] In multitudine negociationis tue repleta sunt interiora tua iniquitate· et peccasti: et eieci te de monte dei: et perdidi te o cherub protegens de medio lapidum ignitorum. [17] Et eleuatum est cor tuum in decore tuo. Perdidi sapientiam tuam in decore tuo: in terram proieci te: ante faciem regum dedi te vt cernerent te. [18] In multitudine iniquitatum tuarum et iniquitate negociationis tue polluisti sanctificationem tuam. Producam ergo ignem de medio tui qui comedat te: et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. [19] Omnes qui viderint te in gentibus obstupescent super te. Nichili factus es: et non eris in perpetuum. [20] Et factus est sermo domini ad me dicens. [21] Fili hominis: pone faciem tuam contra sydonem et prophetabis de ea: [22] et dices. Hec dicit dominus deus. Ecce ego ad te sydon et gloriabor in medio tui: et scient quia ego dominus cum fecero in ea iudicia: et sanctificatus fuero in ea. [23] Et immittam ei pestilentiam et sanguinem in plateis eius: et corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum: et scient quia ego dominus. [24] Et non erit vltra domui israhel· offendiculum amaritudinis et spina dolorem inferens vndique per circuitum eorum qui aduersantur eis: et scient quia ego dominus deus. [25] Hec dicit dominus deus. Quando congregauero domum israhel de populis in quibus dispersi sunt· sanctificabor in eis coram gentibus: et habitabunt in terra sua quam dedi seruo meo iacob: [26] et habitabunt in ea securi. Et edificabunt domos et plantabunt vineas: et habitabunt confidenter cum fecero iudicia in omnibus qui aduersantur eis per circuitum: et scient quia ego dominus deus eorum.

29 anno decimo in duodecimo mense vna die mensis factum est verbum domini ad me dicens. [2] Fili hominis pone faciem tuam contra pharaonem regem egipti: et prophetabis de eo: et de egipto vniuersa [3] loquere et dices. Hec dicit dominus deus. Ecce ego ad te pharao rex egipti draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum et dicis· meus est fluuius: et ego feci memetipsum. [4] Et ponam frenum in maxillis tuis: et conglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis. Et extraham te de medio fluminum tuorum: et vniuersi pisces tui squamis tuis adherebunt. [5] Et proiciam te in desertum: et

omnes pisces fluminis tui. Super faciem terre cades. Non colligeris: neque congregaberis. Bestijs terre et volatilibus celi dedi te ad deuorandum: [6] et scient omnes habitatores egipti quia ego dominus. Pro eo quod fuisti baculus arundineus domui israhel [7] quando apprehenderunt te manu· et confractus es et lacerasti omnem humerum eorum: et innitentibus eis super te comminutus es et dissoluisti omnes renes eorum: [8] propterea hec dicit dominus deus. Ecce ego adducam super te gladium: et interficiam de te hominem et iumentum. [9] Et erit terra egipti in desertum et in solitudinem: et scient quia ego dominus. Pro eo quod dixeris fluuius meus est et ego feci eum: [10] idcirco ecce ego ad te et ad flumina tua. Daboque terram egipti in solitudinem gladio dissipatam: a turre syenes vsque ad terminos ethiopie. [11] Non pertransibit eam pes hominis: neque pes iumenti gradietur in ea: et non habitabitur quadraginta annis. [12] Daboque terram egipti desertam in medio terrarum desertarum: et ciuitates eius in medio vrbium subuersarum: et erunt desolate quadraginta annis. Et dispergam egiptios in nationes: et ventilabo eos in terras: [13] quia hec dicit dominus deus. Post finem quadraginta annorum congregabo egiptum de populis in quibus dispersi fuerant: [14] et reducam captiuitatem egipti et collocabo eos in terra phatures in terram natiuitatis sue: in terra de qua sumpti sunt. Et erunt ibi in regnum humile: et [15] inter cetera regna erit humilima. Et non eleuabitur vltra super nationes: et imminuam eos ne imperent gentibus: [16] neque erunt vltra domui israhel in confidentia docentes iniquitatem vt fugiant et sequantur eos: et scient quia ego sum dominus deus. [17] Et factum est in vigesimo et septimo anno in primo in vna mensis: factum est verbum domini ad me dicens. [18] Fili hominis: nabuchodonosor rex babilonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus tyrum. Omue caput decaluatum: et omnis humerus depilatus est. Et merces non est reddita ei neque exercitui eius de tyro: pro seruitute qua seruiuit michi aduersus eam. [19] Propterea hec dicit dominus deus. Ecce ego dabo nabucho donosor regem babilonis in terra egipti: et accipiet multitudinem eius et deprecabitur manubias eius et diripiet spolia eius: et erit merces exercitui illius [20] et operi pro quo seruiuit aduersus eam. Dedi ei terram egipti: pro eo quod laborauerit michi ait dominus deus. [21] In die illa pullulabit cornu domui israhel: et tibi dabo apertum os in medio eorum: et scient quia ego dominus.

30 factum est verbum domini ad me dicens. [2] Fili hominis propheta et dic. Hec dicit dominus deus. Vlulate ve ve diei: [3] quia iuxta est dies· et appropinquabit dies domini: dies nubis· tempus gentium erit. [4] Et veniet gladius in egiptum: et erit pauor in ethiopia cum ceciderint vulnerati in egipto: et ablata fuerit multitudo illius et destructa fundamenta eius. [5] Ethiopia et libia et lidij et omne reliquum vulgus et chub et filij terre federis cum eis gladio cadent. [6] Hec dicit dominus deus. Et corruent fulcientes egiptum: et destruetur superbia imperij eius. A turre syenes gladio cadent in ea: ait dominus exercituum. [7] Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum: et vrbes eius in medio ciuitatum desertarum erunt: [8] et scient quia ego dominus deus· cum dedero ignem in egipto· et attriti fuerint omnes auxiliatores eius. [9] In die illa egredientur nuncij a facie mea in trieribus ad conterendam ethiopie confidentiam: et erit pa pauor vor in eis in die egipti: quia absque dubio veniet. [10] Hec dicit dominus deus. Et cessare faciam multitudinem egipti in manu nabuchodonosor regis babilonis. [11] Ipse et populus eius cum eo: fortissimi gen gentium adducentur ad dispergendam terram. Et euaginabunt gladios suos super adem. manu egiptum: et implebunt terram interfectis: [12] et faciam alueos fluminum aridos et tradam terram in manus pessimorum: et dissipabo terram et plenitudinem eius in manus alienorum. Ego dominus locutus sum. [13] Hec dicit dominus deus. Et disperdam simulacra: et cessare faciam ydola de memphis: et dux de terra egipti non erit amplius. Et dabo terrorem in terram egipti: [14] et disperdam terram phatures et dabo ignem in taphnis: et faciam iudicia mea in alexandria. [15] Et effundam indignationem meam super pelusium robur egipti: et interficiam multitudinem alexandrie: [16] et dabo ignem in egipto. Quasi parturiens dolebit pelusium: et alexandria erit dissipata: et memphis angustie quotidiane. [17] Iuuenes eliopoleos et bubasti gladio cadent: et ipse captiue ducentur. [18] Et in taphnis nigrescet dies: cum contriuero ibi sceptra egipti: et defecerit in ea superbia potentie eius. Ipsam nubes operiet: filie autem eius in captiuitatem ducentur. [19] Et iudicia faciam in egipto: et scient quia ego dominus. [20] Et factum est in vndecimo anno in primo mense in septima mensis: factum est verbum domini ad me dicens. [21] Fili hominis· brachium pharaonis regis egipti confregi: et ecce non est obuolutum vt restitueretur ei sanitas vt ligaretur pannis et fasciretur lintheolis: et recepto robore possit tenere gladium. [22] Propterea hec dicit dominus deus. Ecce ego ad pharaonem regem egipti: pri: et comminuam eius brachium forte sed confractum: et deiciam gladium de manu eius. [23] Et dispergam egiptum in gentibus: et ventilabo eos in terris. [24] Et confortabo brachia regis babilonis: daboque gladium meum in manu eius. Et confringam brachium pharaonis: et gement gemitibus interfecti coram facie eius. [25] Et confortabo brachia regis babilonis: et brachia pharaonis concident. Et scient quia ego dominus cum dedero gladium meum in manum regis babilonis: et extendent eum super terram egipti. [26] Et dispergam egiptum in nationes: et ventilabo eos in terras: et scient quia ego dominus.

31 Et factum est in anno vndecimo tercio mense vna mensis: factum est verbum domini ad me dicens. [2] Fili hominis: dic pharaoni regi egipti et populo eius. Cui similis factus es in magnitudine tua? [3] Ecce assur quasi cedrus in libano pulcer ramis· et frondibus nemorosus· excelsusque altitudine: et inter condensas frondes eleuatum est cacumen eius. [4] Aque nutrierunt illum: abissus exaltauit illum. Flumina eius manabant in circuitu radicum eius: et riuos suos emisit ad vniuersa ligna regioins. [5] Propterea eleuata est altitudo eius super omnia ligna regionis: et multiplicata sunt arbusta eius: et eleuati sunt rami eius pre aquis multis. [6] Cunque extendisset vmbram suam· in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia celi: et sub frondibus eius genuerunt omnes bestie saltuum: et sub vmbraculo illius habitabit cetus gentium plurimarum. [7] Eratque pulcerrimus in magnitudine sua: et in dilatione arbustorum suorum. Erat enim radix illius iuxta aquas multas. [8] Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso dei. Abietes non adequauerunt summitatem eius: et platani non fuerunt eque frondibus illius. Omne lignum paradisi dei non est assimilatum illi et pulcritudini eius: [9] quoniam speciosum feci eum: et multis condensisque frondibus. Et emulata sunt eum omnia ligna voluptatis: que erant in paradiso dei. [10] Propterea hec dicit dominus deus. Pro eo quod sublimatus est in altitudine et dedit summitatem suam virentem atque condensam et eleuatum est cor eius in altitudine sua: [11] tradidi eam in manus fortissimi gentium. Faciens faciet ei: iuxta impietatem eius. Et eieci eam: [12] et succident eam alieni et crudelissimi nationum. Et proicient eum super montes: et in cunctis conuallibus corruent rami eius. Et confringentur arbusta eius in vniuersis rupibus terre: et recedent de vmbraculo eius omnes populi terre: et relinquent eum. [13] In ruina eius habitauerunt omnia volatilia celi: et in ramis eius fuerunt vniuerse bestie regionis. [14] Quamobrem non eleuabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum: nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa· nec stabunt in sublimitate sua omnia que irrigantur aquis: quia omnes traditi sunt in mortem ad terram vltimam in medio filiorum hominum ad eos qui descendunt in lacum. [15] Hec dicit dominus deus. In die quando descendit ad inferos indixi luctum· operui eum abisso: et prohibui flumina eius: et coercui aquas multas. Contristatus est super eum libanus: et omnia ligna agri concussa sunt. [16] A sonitu ruine eius commouit gentes: cum deducerem eum ad infernum cum hijs qui descendebant in lacum. Et consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia atque preclara in libano: vniuersa que irrigabantur aquis. [17] Nam et ipsi cum eo descendunt ad infernum ad interfectos gladio: et brachium vniuscuiusque sedebit sub vmbraculo eius in medio nationum eius. [18] Cui assimilatus es o inclite atque sulimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam. In medio incircumcisorum dormies: cum eis qui interfecti sunt gladio. Sic est pharao et omnis multitudo eius: dicit dominus deus.

32 Et factum est duodecimo anno in mense duodecimo in vna mensis: factum est verbum domini ad me dicens. [2] Fili hominis· assume

lamentum super pharaonem regem egipti: et dices ad eum. Leoni gentium assimilatus es: et draconi qui est in mari. Et ventilabas cornu in fluminibus tuis: et conturbabas aquas pedibus tuis: et conculcabas flumina earum. [3] Propterea hec dicit dominus deus. Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum: et extraham te in sagena mea [4] et proiciam te in terram. Super faciem agri abiciam te: et habitare faciam super te omnia volatilia celi: et saturabo de te bestias vniuerse terre. [5] Et dabo carnes tuas super montes: et implebo colles tuos sanie tua. [6] Et irrigabo terram fetore sanguinis tui super montes: et valles implebuntur ex te. [7] Et operiam cum extinctus fueris celos: et nigrescere faciam stellas eius. Solem nube tegam: et luna non dabit lumen suum. [8] Omnia luminaria celi merere faciam super te: et dabo tenebras super terram tuam dicit dominus deus. [9] Et irrigabo cor populorum multorum cum induxero contrionem tuam in gentibus super terras quas nescis: [10] et stupescere faciam super te populos multos. Et reges eorum horrore nimio formidabunt super te cum volare ceperit gladius meus super facies eorum: et obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruine sue: [11] quia hec dicit dominus deus. Gladius regis babilonis veniet tibi: [12] in gladijs fortium deiciam multitudinem tuam. Inexpugnabiles omnes gentes hec. Et vastabunt superbiam egipti: et dissipabitur multitudo eius. [13] Et perdam omnia iumenta eius que erant super aquas plurimas: et conturbabit eas pes hominis vltra: neque vngula iumentorum turbabit eas. [14] Tunc purissimas reddam aquas eorum: et flumina earum quasi oleum adducam ait dominus deus: [15] cum dedero terram egipti desolatam. Deseretur autem terra a plenitudine sua quando percussero omnes habitatores eius: et scient quia ego dominus. [16] Planctus est: et plangent eum filie gentium: super egiptum et super multitudinem eius plangent eum: ait dominus deus. [17] Et factum est in duodecimo anno· in quintadecima mensis: factum est verbum domini ad me dicens. [18] Fili hominis· cane carmen lugubre super multitudinem egipti. Et detrahe eam: ipsam et filias gentium robustarum ad terram vltimam: cum hijs qui descendunt in lacum. [19] Quo pulcrior es descende: et dormi cum incircumcisis. [20] In medio interfectorum gladio cadent. Gladius datus est. Et attraxerunt eam: et omnes populos eius. [21] Loquentur ei potentissimi robustarum de medio inferni: qui cum auxiliatoribus eius descenderunt et dormierunt incircumcisi interfectique gladio. [22] Ibi assur et omnis multitudo eius: in circuitu illius sepulcra eorum omnes interfecti et qui ceciderunt gladio: [23] quorum data sunt sepulcra in nouissimis laci. Et facta est multitudo eius per gyrum sepulcri eius: vniuersi interfecti cadentesque gladio: qui dederant quondam formidinem suam in terra viuentium. [24] Ibi elam: et omnis multitudo eius per gyrum sepulcri sui. Omnes hij interfecti ruentesque gladio: qui descenderunt incircumcisi ad terram vltimam. Qui posuerunt terrorem suum in terra viuentium: et portauerunt ignominiam suam cum hijs qui descenderunt in lacum. [25] In medio interfectorum posuerunt cubile eius in vniuersis populis eius: in circuitu eius sepulcrum illius. Omnes hij incircumcisi interfectique gladio. Dederunt enim terrorem in terra viuentium: et portauerunt ignominiam suam cum hijs qui descendunt in lacum. In medio interfectorum positi sunt. [26] Ibi mosoch et tubal et omnis multitudo eius: in circuitu eius sepulcra illius. Omnes hij incircumcisi interfectique et cadentes gladio: quia dederunt formidinem suam in terra viuentium: [27] et non dormient cum fortibus cadentibusque et incircumcisis qui descenderunt ad infernum cum armis suis. Et posuerunt gladios suos sub capitibus suis: et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum: quia terror fortium facti sunt in terra viuentium. [28] Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris: et dormies cum interfectis gladio. [29] Ibi ydumea et reges eius et omnes duces eius: qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio: et qui cum incircumcisis dormierunt· et cum hijs qui descenderunt in lacum. [30] Ibi principes aquilonis omnes et vniuersi venatores qui deducti sunt cum iuterfectis: pauentes et in sua fortitudine confusi· quia dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio: et portauerunt confusionem suam cum hijs qui descendunt in lacum. [31] Vidit eos pharao et consolatus est super vniuersa multitudine sua que interfecta est gladio: pharao et omnis exercitus eius ait dominus deus: [32] quia dedit terrorem suum in terra viuentium: et dormiuit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio: pharao et omnis multitudo eius ait dominus deus.

33 Et factum est verbum domini ad me dicens. [2] Fili hominis· loquere ad filios populi tui: et dices ad eos. Terra cum induxero super eam gladium et tulerit populus terre virum vnum de nouissimis suis et constituerit eum super se speculatorem [3] et ille viderit gladium venientem super terram· et cecinerit bucina et annunciauerit populo: [4] audiens autem quisquis ille est sonitum bucine et non obseruauerit veneritque gladius et tulerit eum: sanguis ipsius super caput eius erit. [5] Sonum bucine audiuit et non se obseruauit: sanguis eius in ipso erit. Sinautem se custodierit: animam suam saluauit. [6] Quod si speculator viderit gladium venientem et non insonuerit bucina et populus se non custodierit· veneritque gladius et tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est: sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram [7] Et tu fili hominis: speculatorem dedi te domui israhel. Audiens ergo ex ore meo sermonem: annunciabis eis ex me. [8] Si me dicente ad impium· impie morte morieris· non fueris locutus vt secustodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. [9] Sinautem annunciaui te ad impium vt a vijs suis conuertatur· non fuerit conuersus a via sua: ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti. [10] Tu vero fili hominis: dic ad domum israhel. Sic locuti estis dicentes. Iniquitates nostre et peccata nostra super nos sunt: et in ipsis nos tabescimus. Quomodo ergo viuere poterimus? [11] Dic ad eos. Viuo ego dicit dominus deus: nolo mortem impij: sed vt conuertatur impius a via sua et viuat. Conuertimini a vijs vestris pessimis. Et quare moriemini domus israhel? [12] Tu itaque fili hominis: dic ad filios populi tui. Iusticia iusti non liberabit eum in quacunque die peccauerit: et impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua. Et iustus non poterit viuere in iusticia sua: in quacumque die peccauerit. [13] Etiam si dixero iusto quod vita viuat· et confisus in iusticia sua fecerit iniquitatem omnes iusticie eius obliuioni tradentur: et in iniquitate sua quam operatus est in ipsa morietur. [14] Si autem dixero impio· morte morieris· et egerit penitentiam a peccato suo· feceritque iudicium et iusticiam· [15] et pignus restituerit ille impius· rapinam que reddiderit: in mandatis vite ambulauerit nec fecerit quicquam iniustum: vita viuet et non morietur. [16] Omnia peccata eius que peccauit non imputabuntur ei. Iudicium et iusticiam fecit: vita viuet. [17] Et dixerunt filij populi tui. Non est equi ponderis via domini. Et ipsorum via iniusta est. [18] Cum enim recesserit iustus a iusticia sua feceritque iniquitates: morietur in eis. [19] Et cum recesserit impius ab impietate sua feceritque iudicium et iusticiam: viuet in eis. [20] Et dicitis. Non est recta via domini. Vnumquemque iuxta vias suas iudicabo de vobis domus israhel. [21] Et factum est in duodecimo anno in decimo mense· in quinta mensis transmigrationis nostre: venit ad me qui fugerat de iherusalem dicens. Vastata est ciuitas. [22] Manus autem domini facta fuerat ad me vespere antequam veniret qui fugerat: aperuitque os meum donec veniret ad me mane: et aperto ore meo non silui amplius. [23] Et factum est verbum domini ad me dicens. [24] Fili hominis: qui habitant in ruinosis hijs super humum israhel loquentes aiunt. Vnus erat abraham: et hereditate possedit terram. Nos autem multi sumus: nobis data est terra in possessionem. [25] Idcirco dices ad eos. Hec dicit dominus deus qui in sanguine comeditis et oculos vestros leuatis ad immundicias vestras et sanguinem funditis: numquid terram hereditate possidebitis? [26] Stetistis in gladijs vestris· fecistis abominationes· et vnusquisque vxorem proximi sui polluit: et terram hereditate possidebitis? [27] Hec dices ad eos. Sic dicit dominus deus. Viuo ego: quia qui in ruinosis habitant gladio cadent: et qui in agro est· bestijs tradetur ad deuorandum: qui autem in presidijs et in speluncis sunt peste morientur. [28] Et dabo terram in solitudinem et in desertum: et deficiet superba fortitudo eius: et desolabuntur montes israhel· eo quod nullus sit qui per eos transeat. [29] Et scient quia dominus cum dedero terram eorum desolatam et desertam: propter vniuersas abominationes suas quas operati sunt. [30] Et tu fili hominis filij populi tui qui locuntur de te iuxta muros et in ostijs domorum et dicunt vnus ad alterum vir ad proximum suum loquentes venite et audiamus qui sit

sermo egrediens a domino: [31] et veniunt ad te quasi si ingrediatur populus. Et sedent coram te populus meus: et audiunt sermones tuos et non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos. Et auariciam suam sequitur cor eorum: [32] et es eis quasi carmen musicum quod suaui dulcique sono canitur. Et audiunt verba tua et non faciunt ea: [33] et cum venerit quod predictum est ecce enim venit: tunc scient prophete fuerit inter eos.

34 factum est verbum domini ad me dicens. [2] Fili hominis propheta de pastoribus israhel: propheta et dices pastoribus. Hec dicit dominus deus. Ve pastoribus israhel: qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur? [3] lac comedebatis et lanis operiebamini: et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. [4] Quod infirmum fuit non consolidastis: et quod egrotum non sanastis. Quod fractum est non alligastis· et quod abiectum est non reduxistis: et quod perierat non quesistis: sed tamen austeritate imperabatis eis et cum potentia. [5] Et disperse sunt oues mee eo quod non esset pastor: et facte sunt in deuorationem omnium bestiarum agri: et disperse sunt. [6] Errauerunt greges mei in cunctis montibus et in vniuerso colle excelso: et super omnem faciem terre dispersi sunt greges mei: et non erat qui requireret. Non erat inquam qui requireret. [7] Propterea pastores audite verbum domini. [8] Viuo ego dicit dominus deus: quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam et oues mee in deuorationem omnium bestiarum agri· eo quod non esset pastor: neque enim quesierunt pastores gregem meum: sed pascebant pastores semetipsos et greges meos non pascebant: [9] propterea pastores audite verbum domini. [10] Hec dicit dominus deus. Ecce egoipse super pastores: requiram gregem meum de manu eorum et cessare faciam vt vltra non pascant gregem meum: nec pascant amplius pastores semetipsos. Et liberabo gregem meum de ore eorum: et non erunt eis in escam: [11] quia hec dicit dominus deus. Ecce egoipse requiram oues meas: et visitabo eas [12] sicut visitat pastor gregem suum: in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum. Sic visitabo oues meas: et liberabo eas de omnibus locis in quibus disperse fuerant in die nubis et caliginis. [13] Et educam eas de populis et congregabo eas de terris: et inducam eas in terram suam: et pascam eas in montibus israhel in riuis et in cunctis sedibus terre. [14] In pascuis vberrimis pascam eas: et in montibus excelsis israhel erunt pascue earum. Ibi requiescent in herbis virentibus: et in pascuis pinguibus pascentur super montes israhel. [15] Ego pascam oues meas: et ego eas accubare faciam dicit dominus deus. [16] Quod perierat et quod abiectum erat reducam: et quod fractum fuerat alligabo et quod infirmum fuerat consolidabo: et quod pingue et forte custodiam· et pascam illas in iudicio. [17] Vos autem greges mei: hec dicit dominus deus. Ecce ego iudico inter pecus et pecus· arietum et hircorum. [18] Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? Insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: et cum purissimam aquam biberitis: reliquam pedibus vestris turbastis [19] Et oues mee hijs que conculcata pedibus vestris fuerant pascebantur: et que pedes vestre turbauerant hec bibebant. [20] Propterea hec dicit dominus deus ad eos. Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue et macilentum. [21] Pro eo quod lateribus et humeris impingebatis et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora donec dispergerentur foras: [22] saluabo gregem meum et non erit vltra in rapinam: et iudicabo inter pecus et pecus. [23] Et suscitabo super eas pastorem vnum qui pascat eas seruum meum dauid: ipse pascet eas: et ipse erit eis in pastorem. [24] Ego autem dominus ero eis in deum: et seruus meus dauid princeps in medio eorum. Ego dominus locutus sum. [25] Et faciam cum eis pactum pacis: et cessare faciam bestias pessimas de terra. Qui habitant in deserto securi dormient in saltibus: [26] et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem: et deducam ymbrem in tempore suo: et pluuie benedictionis erunt. [27] Et dabit lignum agri fructum suum: et terra dabit germen suum: et erunt in terra sua absque timore. Et scient quia ego dominus cum contriuero cathenas iugi eorum: et eruero eos de manu imperantium sibi. [28] Et non erunt vltra in rapinam in gentibus: neque bestie terre deuorabunt eos: sed habitabunt confidenter absque vllo terrore. [29] Et suscitabo eis germen nominatum: et non erunt vltra imminuti fame in terra neque portabunt vltra opprobrium gentium. [30] Et scient quia ego dominus deus eorum cum eis: et ipsi populus meus domus israhel ait dominus deus. [31] Vos autem greges mei greges pascue mee homines estis: et ego dominus deus vester: dicit dominus deus.

35 Et factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis pone faciem tuam aduersum montem seyr: et prophetabis de eo et dices illi. [3] Hec dicit dominus deus. Ecce ego ad te mons seyr: et extendam manum meam super te· et dabo te desolatum atque desertum. [4] Vrbes tuas demoliar et tu desertus eris: et scies quia ego dominus [5] eo quod fueris inimicus sempiternus· et concluseris filios israhel in manus gladij in tempore afflictionis eorum· in tempore iniquitatis extreme. [6] Propterea viuo ego dicit dominus deus: quoniam sanguini tradam te· et sanguis te persequetur: et cum sanguinem oderis sanguis persequetur te. [7] Et dabo montem seyr desolatum et desertum: et auferam de eo euntem et redeuntem: [8] et implebo montes eius occisorum suorum. In collibus tuis et in vallibus tuis atque in torrentibus interfecti gladio cadent. [9] In solitudines sempiternas tradam te: et ciuitates tue non habitabuntur. Et scietis quia ego dominus deus: [10] eo quod dixeris due gentes et due terre mee erunt et hereditate possidebo eas: cum dominus esset ibi. [11] Propterea viuo ego dicit dominus deus: quia faciam iuxta iram tuam et secundum zelum tuum quem fecisti odio habens eos: et notus efficiar per eos cum te iudicauero: [12] et scies quia ego dominus. Audiui vniuersa opprobria tua que locutus es de montibus israhel dicens. Deserti nobis ad deuorandum dati sunt. [13] Et insurrexistis super me ore vestro: et derogastis aduersum me. Verba vestra ego audiui. [14] Hec dicit dominus deus. Letante vniuersa terra· in solitudinem te redigam: [15] sicuti gauisus es super hereditatem domus israhel eo quod fuerit dissipata: sic faciam tibi. Dissipatus eris mons seyr· et ydumea omnis: et scient quia ego dominus.

36 Tu autem fili hominis propheta super montes israhel: et dices. Montes israhel audite verbum domini. [2] Hec dicit dominus deus. Eo quod dixerit inimicus de vobis euge altitudines sempiterne in hereditatem date sunt nobis: [3] propterea vaticinare et dic. Hec dicit dominus deus. Pro eo quod desolati estis et conculcati per circuitum et facti in hereditatem reliquis gentibus: et ascendistis super labium lingue et opprobrium populi: [4] propterea montes israhel audite verbum domini dei. Hec dicit dominus deus montibus et collibus torrentibus vallibusque et desertis parietinis et vrbibus derelictis que depopulate sunt: et subsannate a reliquis gentibus per circuitum. [5] Propterea hec dicit dominus deus. Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus et de ydumea vniuersa: que dederunt terram meam sibi in hereditatem cum gladio et toto corde et ex animo: et eiecerunt eam vt vastarent: [6] idcirco vaticinare super humum israhel: et dices montibus et collibus iugis et vallibus. Hec dicit dominus deus. Ecce ego in zelo meo et in furore meo locutus sum: eo quod confusionem gentium sustinueritis. [7] Idcirco hec dicit dominus deus. Ego leuaui manum meam vt gentes que in circuitu vestro sunt ipse confusionem suam portent: [8] vos autem montes israhel ramos vestros germinetis: et fructum vestrum afferatis populo meo israhel. Prope enim est vt veniat. [9] Quia ecce ego ad vos: et conuertar ad vos· et arabimini: et accipietis sementem: [10] et multiplicabo in vobis homines omnemque domum israhel. Et habitabuntur ciuitates· et ruinosa instaurabuntur: [11] et replebo vos hominibus et iumentis: et multiplicabuntur et crescent. Et habitare vos faciam sicut a principio: bonisque donabo maioribus quam habuistis ab inicio: et scietis quia ego dominus. [12] Et ad ducam super vos homines populum meum israhel: et hereditate possidebunt te. Et eris eis in hereditatem: et non addes vltra vt absque eis sis. [13] Hec dicit dominus deus. Pro eo quod dicunt de vobis deuoratrix hominum es et suffocans gentem tuam: [14] propterea homines non comedes amplius: et gentem tuam non necabis vltra ait dominus deus. [15] Nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium: et opprobrium populorum nequaquam portabis: et gentem tuam non amittes amplius ait dominus deus. [16] Et factum est verbum domini ad me dicens. [17] Fili hominis· domus israhel habitauerunt in humo sua: et polluerunt eam in vijs suis et in studijs suis. Iuxta

immundiciam menstruate facta est via eorum coram me: [18] et effudi indignationem meam super eos pro sanguine quem fuderunt super terram. Et in ydolis suis polluerunt eam: [19] et dispersi eos in gentes et ventilati sunt in terras: iuxta vias eorum et adinuentiones eorum iudicaui eos. [20] Et ingressi sunt ad gentes ad quas introierunt et polluerunt nomen sanctum meum: cum diceretur de eis populus domini iste est et de terra eius egressi sunt. [21] Et peperci nomini sancto meo: quod polluerat domus israhel in gentibus ad quas ingressi sunt. [22] Idcirco dices domui israhel. Hec dicit dominus deus. Non propter vos ego faciam domus israhel: sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus ad quas intrastis. [23] Et sanctificabo nomen meum magnum quod pollutum est inter gentes quod polluistis in medio earum: vt sciant gentes quia ego dominus· dicit dominus exercituum. Cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. [24] Tollam quippe vos de gentibus: et congregabo vos de vniuersis terris: et adducam vos in terram vestram. [25] Et effundam super vos aquam mundam: et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: et ab vniuersis ydolis vestris mundabo vos. [26] Et dabo vobis cor nouum: et spiritum nouum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra: et dabo vobis cor carneum: [27] et spiritum meum ponam in medio vestri. Et faciam vt in preceptis meis ambuletis: et iudicia mea custodiatis et operemini. [28] Et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris: eritis michi in populum: et ego ero vobis in deum. [29] Et saluabo vos ex vniuersis vestris: et vocabo frumentum et multiplicabo illud: et non imponam vobis famem. [30] Et multiplicabo fructum ligni et genimina agri: vt non portetis vltra opprobrium famis [31] Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum studiorumque non bonorum: et displicebunt vobis iniquitates vestre et scelera vestra. [32] Non propter vos ego faciam ait dominus deus: notum sit vobis. Confundimini et erubescite super vijs vestris domus israhel. [33] Hec dicit dominus deus. In die qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus vestris et fecero vrbes· et instauraueró ruinosa: [34] et terra deserta fuerit exculta· que quondam erat desolata in oculis omnis viatoris: vt [35] dicent. Terra illa inculta facta est ortus voluptatis: et ciuitates deserte et destitute atque suffosse munite sederunt. [36] Et scient gentes quecunque derelicte fuerint circuitu vestro: quia ego dominus edificaui dissipata· plantauique inculta: ego dominus locutus sim et fecerim. [37] Hec dicit dominus deus. Adhuc in hoc inuenient me domus israhel: vt faciam eis. Multiplicabo eos sicut gregem hominum [38] vt gregem sanctum: vt gregem iherusalem in solemnitatibus eius. Sic erunt ciuitates deserte plene gregibus hominum: et scient quia ego dominus.

37 Facta est super me manus domini: et spiritu domini· et sit me in medio campi qui erat plenus ossibus: [2] et circumduxit me per ea in gyrum. Erant autem multa valde super faciem campi: siccaque vehementer. [3] Et dixit ad me. Fili hominis: putasne viuent ossa ista? Et dixi. Domine deus tu nosti. [4] Et dixit ad me. Vaticinare de ossibus istis. Et dices eis. Ossa arida: audite verbum domini. [5] Hec dicit dominus deus ossibus hijs. Ecce ego intromittam in vos spiritum et viuetis: [6] et dabo super vos neruos· et succrescere faciam super vos carnes· superextendam in vobis cutem: et dabo vobis spiritum et viuetis· et scietis quia ego dominus. [7] Et prophetaui sicut preceperat michi. Factus est autem sonitus prophetante me: et ecce commotio. Et accesserunt ossa ad ossa: vnumquodque ad iuncturam suam. [8] Et vidi: et ecce super ea nerui et carnes ascenderunt· et extenta est in eis cutis desuper: et spiritum non habebant. [9] Et dixit ad me. Vaticinare ad spiritum: vaticinare fili et hominis: et dices ad spiritum. Hec dicit dominus deus. A quatuor ventis veni spiritus: insuffla super interfectos et reuiuiscant. [10] Et prophetaui sicut preceperat Et ingressus est in ea spiritus et vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde. [11] Et dixit ad me. ossa hec vniuersa· domus Ipsi dicunt. Querunt ossa nostra: et perijt spes nostra: et abscisi sumus. [12] Propterea vaticinare: et dices ad eos. Hec dicit dominus deus. Ecce ego aperiam tumulos vestros: et educam vos de sepulcris vestris populus meus: et inducam vos in terram israhel. [13] Et scietis quia ego dominus· cum aperuero sepulcra vestra: et eduxero vos de tumulis vestris popule meus: [14] et dedero spiritum meum in vobis et vixeritis. Et requiescere vos faciam super humum vestram: et scietis quia ego dominus locutus sum et feci: ait dominus deus. [15] Et factus est sermo domini ad me dicens. [16] Et tu fili hominis sume tibi lignum vnum: et scribe super illud· iude et filiorum israhel socijs eius. Et tolle lignum alterum: et scribe super illud· ioseph lignum effraim: et cuncte domus israhel sociorumque eius. [17] Et adiunge illa vnum ad alterum tibi in lignum vnum: et erunt in vnionem in manu tua. [18] Cum autem dixerint ad te filij populi tui loquentes nonne indicas nobis quid in hijs tibi velis: [19] loqueris ad eos. Hec dicit dominus deus. Ecce ego assumam lignum ioseph· quod est in manu effraim et tribus israhel que sunt ei adiuncte: et dabo eas pariter cum ligno iuda et faciam eas in lignum vnum: et erunt vnum in manu eius. [20] Erunt autem ligna super que scripseris in manu tua in oculis eorum: [21] et dices ad eos. Hec dicit dominus deus. Ecce ego assumam filios israhel de medio nationum ad quas abierunt: et congregabo eos vndique et adducam eos ad humum suam. [22] Et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus israhel: et rex vnus erit omnibus imperans. Et non erunt vltra due gentes: nec diuidentur amplius in duo regna. [23] Neque polluentur vltra in ydolis suis et abominationibus et cunctis iniquitatibus suis: et saluos eos faciam de vniuersis sedibus suis in quibus peccauerunt: et emundabo eos. Et erunt michi populus· et ego ero eis deus: [24] et seruus meus dauid rex super eos: et pastor vnus erit omnium eorum. In iudicijs meis ambulabunt: et mandata mea custodient: et facient ea. [25] Et habitabunt super terram quam dedi seruo meo iacob in qua habitauerunt patres vestri: et habitabunt super eam ipsi et filij eorum et filij filiorum eorum vsque in sempiternum: et dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum. [26] Et percutiam illis fedus pacis: pactum sempiternum eris eis. Et fundabo eos et multiplicabo: et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. [27] Et erit tabernaculum meum in eis et ero eis deus: et ipsi erunt michi populus. [28] Et scient gentes quia ego dominus sanctificator israhel: cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

38 factus est sermo domini ad me dicens. [2] Fili hominis pone faciem tuam contra gog et terram magog principem capitis mosoch et tubal: et vaticinare de eo· [3] et dices ad eum. Hec dicit dominus deus. Ecce ego ad te gog principem capitis mosoch et tubal. [4] Et circumagam te et ponam frenum in maxillis tuis: et educam te et omnem exercitum tuum equos et equites vestitos loricis vniuersos: multitudinem magnam hastam et clipeum et arripientium in gladium. [5] Perse ethiopes et libies cum eis: omnes scutati et galeati. [6] Gomer et vniuersa agmina eius: domus togorma latera aquilonis et totum robur eius: populique multi tecum. [7] Prepara et instrue te et omnem multitudinem tuam que coaceruata est ad te: et esto eis in preceptum. [8] Post dies multos visitaberis. In nouissimo annorum venies ad terram que reuersa est a gladio: congregata est de populis multis: ad montes israhel qui fuerunt deserti iugiter. Hec de populis educta est: et habitabunt in ea confidenter vniuersi. [9] Ascendens autem quasi tempestas venies et quasi nubes: vt operias terram· tu et omnia agmina tua: et populi multi tecum. [10] Hec dicit dominus deus. In die illa ascendent sermones super cor tuum: et cogitabis cogitacionem pessimam: [11] et dices. Ascendam ad terram absque muro. Venient ad quiescentes habitantesque secure· omnes habitant sine muro. Vectes et porte non sunt eis. [12] Vt diripias spolia et inuadas predam: vt inferas manum tuam super eos qui deserti fuerant et postea restituti: et super populum qui est congregatus ex gentibus qui possidere cepit· et esse habitator vmbilici terre. [13] Saba et dedan et negociatores tharsis et omnes leones eius dicent tibi. Numquid ad sumenda spolia tu venis? Ecce ad diripiendam predam congregasti multitudinem tuam: vt tollas argentum et aurum: auferas suppellectilem atque substantiam et diripias manubias infinitas. [14] Propterea vaticinare fili hominis: et dices ad gog. Hec dicit dominus deus. Numquid non in die illo cum habitauerit populus meus israhel confidenter scies [15] et venies tu de loco tuo a lateribus aquilonis tu et populi multi tecum: ascensores equorum vniuersi· cetus magnus et exercitus vehemens? [16] Et ascendes super populum meum israhel quasi nubes vt operias terram. In nouissimis diebus eris: et adducam te super terram meam: vt sciant gentes me cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum o gog. [17] Hec dicit dominus deus. Tu ergo ille es de quo locutus sum in diebus antiquis in

manu seruorum meorum prophetarum israhel: qui prophetauerunt in diebus illorum temporum vt adducerem te super eos. [18] Et erit in die illa· in die aduentus gog super terram israhel ait dominus deus: ascendet indignatio mea in furore meo [19] et in zelo meo. In igne ire mee locutus sum: quia in die illa erit commotio magna super terram israhel: [20] et commouebuntur a facie mea pisces maris et volucres celi et bestie agri: et omne reptile quod mouetur super humum: cunctique homines qui sunt super faciem terre. Et subuertentur montes: et cadent sepes: et omnis murus corruet in terram. [21] Et conuocabo aduersus eum in cun dis montibus meis gladium: ait dominus deus. Gladius vniuscuiusque in fratrem suum dirigetur. [22] Et iudicabo eum peste et sanguine et ymbre vehementi: et lapidibus immensis. Ignem et sulphur pluam super eum et super exercitum eius: et super populos multos qui sunt cum eo. [23] Et magnificabor et sanctificabor: et notus ero in oculis multarum gentium: et scient quia ego sum dominus.

39 Tu autem fili hominis vaticinare aduersum gog: et dices. Hec dicit dominus deus. Ecce ego super te gog principem capitis mosoch et tubal. [2] Et circumagam te· et educam te· et ascendere te faciam de lateribus aquilonis: et adducam te super montes israhel. [3] Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua: et sagittas tuas de manu dextera tua. Deiciam te [4] super montes israhel: et cades tu et omnia agmina tua et populi tui qui sunt tecum. Feris· auibus· omnique volatili et bestijs terre dedi te ad deuorandum. [5] Super faciem agri cades: quia ego locutus sum ait dominus deus. [6] Et immittam ignem in magog et in hijs qui habitant in insulis confidenter: et scient quia ego dominus. [7] Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei israhel: et non polluam nomen sanctum meum amplius: et scient gentes quia ego dominus sanctus israhel. [8] Ecce venit: et factum est ait dominus deus. Hec est dies de qua locutus sum. [9] Et egredientur habitatores de ciuitatibus israhel: et succendent et comburent arma clipeum et hastas arcum et sagittas et baculos manuum et contos: et succendent ea igni septem annis. [10] Et non portabunt ligna de regionibus· neque succident de saltibus· quoniam arma succendent igni: et depredabuntur eos quibus prede fuerant: et diripient vastatores suos ait dominus deus. [11] Et erit: in die illa dabo gog locum nominatum sepulcrum in israhel· vallem viatorum ad orientem maris: que obstupescere faciet pretereuntes. Et sepelient ibi gog et omnem multitudinem eius: et vocabitur vallis multitudinis gog: [12] et sepelient eos domus israhel vt mundent terram septem mensibus. [13] Sepeliet autem eum omnis populus terre: et erit eis nominata dies in qua glorificatus sum ait dominus deus. [14] Et viros iugiter constituent lustrantes terram: qui sepeliant et requirant eos qui remanserant super faciem terre: vt emundent eam. Post menses autem septem querere incipient: [15] et circuibunt peragrantes terram. Cunque viderint os hominis statuent iuxta illud titulum donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis gog. [16] Nomen autem ciuitatis amona: et mundabunt terram. [17] Tu ergo fili hominis: hec dicit dominus deus. Dic omni volueri cri cri et vniuersis auibus cunctisque bestijs agri. Conuenite properate: concurrite vndique ad victimam meam quam ego immolo vobis· victimam grandem super montes israhel: vt comedatis carnes et bibatis sanguinem. [18] Carnes fortium comedetis: et sanguinem principum terre biberis: arietum et agnorum et hircorum taurorumque et altilium et pinguium omnium [19] et comedetis adipem in saturitatem: et bibetis sanguinem in ebrietatem de victima quam ego immolaui vobis: [20] et saturabimini super mensam meam de equo et de equite forti· et de vniuersis viris bellatoribus ait dominus deus. [21] Et ponam gloriam meam in gentibus: et videbunt omnes gentes iudicium meum quod fecerim· et manum meam quam posuerim super eos: [22] et scient domus israhel quia ego dominus deus eorum a die illa et deinceps. [23] Et scient gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus israhel: et quod dereliquerint me et absconderim faciem meam ab eis: et tradiderim eos in manus hostium et ceciderint in gladio vniuersi. [24] Iuxta immundiciam eorum et scelus feci eis: et abscondi faciem meam ab illis. [25] Propterea hec dicit dominus deus. Nunc reducam captiuitatem iacob: et miserebor omnis domus israhel. Et assumam zelum pro nomine sancto meo: [26] et portabunt confufionem suam et omnem preuaricationem quam preuaricati sunt in me cum habitauerit in terra sua confidenter neminem formidantes: [27] et reduxero eos de populis· et congregauero de terris inimicorum suorum· et sanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurimarum. [28] Et scient quia ego dominus deus eorum eo quod transtulerim eos in nationes: et congregauero eos super terram suam: et non dereliquerim quenquam ex eis ibi. [29] Et non abscondam vltra faciem meam ab eis: eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum israhel ait dominus deus.

40 In vigesimoquinto anno transmigrationis nostre in exordio anni decima mensis quartodecimo anno postquam percussa est ciuitas: in ipsa hac die facta est super me manus domini: et adduxit me illuc [2] in visionibus dei. Adduxit me in terram israhel: et dimisit me super montem excelsum nimis sup quem erat quasi edificium ciuitatis ad austrum: [3] et introduxit me illuc. Et ecce vir cuius erat species quasi species eris: et funiculus lineus in manu eius: et calamus mensure in manu eius Stabat autem in porta: [4] et locutus est ad me idem vir. Fili hominis: vide oculis tuis et auribus tuis audi: et pone cor tuum in omnia que ego ostendam tibi: quia vt ostendatur tibi adductus es huc. Annuncia omnia que tu vides domui israhel. [5] Et ecce murus forinsecus rus in circuitu domus vndique: et in manu viri calamus mensure sex cubitorum et palmo. Et mensus est latitudinem edificij calamo vno: altitudinem quoque calamo vno. [6] Et venit ad portam que respiciebat viam orientalem: et ascendit per gradus eius. Et mensus est limen porte calamo vno latitudinem· id est limen vnum calamo vno in latitudine: [7] et thade lamum vno calamo in longum· et vno calamo in latum: et inter thalomos quinque cubitos: [8] et limen porte iuxta vestibulum porte intrinsecus calamo vno. [9] Et mensus est vestibulum porte octo cun bitorum: et frontem eius duobus cubitis. Vestibulum autem porte erat intrinsecus. [10] Porro thalami porte ad viam orientalem tres hinc et tres inde: mensura vna trium: et mensura vna frontium ex vtraque parte. [11] Et mensus est latitudinem liminis porte decem cubitorum: et longitudinem porte tredecim cubitorum: [12] et marginem ante thalamos cubiti vnius: et cubitus vnus finis vtrimque. Thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde. [13] Et mensus est portam a tecto thalami vsque ad tectum eius latitudinem vigintiquinque cubitorum: ostium contra ostium. [14] Et fecit frontes per sexaginta cubitos: et ad frontem atrium porte vndique per circuitum: [15] et ante faciem porte que pertingebat vsque ad faciem vestibuli porte interioris quinquaginta cubitos: [16] et fenestras obliquas in thalamis et in frontibus eorum: que erant intra portam vndique per circuitum. Similiter autem erant et in vestibulis fenestre per gyrum intrinsecus: et ante frontes pictura palmarum. [17] Et eduxit me ad atrium exterius: et ecce gazophilacia et pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum. Triginta gazophilacia in circuitu pauimenti· [18] et pauimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius. [19] Et mensus est latitudinem a facie porte inferioris vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus: centum cubitos ad orientem et aquilonem. [20] Portam vero que respiciebat viam aquilonis atrij exterioris mensus est tam in longitudine quoque in latitudine [21] et thalamos eius tres hinc et tres inde· et frontem eius et vestibulum eius secundum mensuram porte prioris: quinquaginta cubitorum longitudinem eius: et latitudinem vigintiquinque cubitorum. [22] Fenestre autem eius et vestibulum et sculpture secundum mensuram porte que respiciebat ad orientem: et septem graduum erat ascensus eius. Et vestibulum ante eam: [23] et porta atrij interioris contra portam aquilonis et orientalem. Et mensus est a porta vsque ad portam· centum cubitos. [24] Et eduxit me ad viam australem: et ecce porta que respiciebat ad austrum. Et mensus est frontem eius et vestibulum eius iuxta mensuras superiores: [25] et fenestras eius et vestibula in circuitu sicut fenestras ceteras: quinquaginta cubitorum longitudine et latitudine vigintiquinque cubitorum: [26] et in gradibus septem ascendebatur ad eam. Et vestibulum ante fores eius: et celate palme erant vna hic et altera inde in fronte eius: [27] et porta atrij interioris in via australi. Et mensus est a porta vsque ad portam in via australi· centum cubitos. [28] Et introduxit me in atrium interius ad portam australem: et mensus est portam iuxta mensuras superiores·

29 thalamum eius· et frontem eius· et vestibulum eius hijsdem mensuris: et fenestras vestibulorum eius in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis et latitudinis vigintiquinque cubitos: 30 et vestibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum: et latitudine quinque cubitorum. 31 Et vestibulum eius ad atrium exterius: et palmas eius in fronte: et octo gradus erant quibus ascendebatur per eam. 32 Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem: et mensus est portam secundum mensuras superiores· 33 thalamum eius et frontem eius et vestibula eius sicut supra: et fenestras eius et vestibulum in circuitu longitudine quinquaginta cubitorum et latitudine vigintiquinque cubitorum: 34 et vestibulum eius id est atrij exterioris et palme celate in fronte eius hinc et inde: et in octo gradibus ascensus eius. 35 Et introduxit me ad portam que respiciebat ad aquilonem. Et mensus est secundum mensuras superiores 36 thalamum eius et frontem eius et vestibulum eius et fenestras eius per circuitum longitudine quinquaginta cubitorum et latitudine vigintiquinque cubitorum: 37 et vestibulum eius respiciebat ad atrium exterius· et celatura palmarum in fronte eius hinc et inde: et in octo gradibus ascensus eius: 38 et per singula gazophilacia ostium in frontibus portarum. Ibi lauabunt olocaustum. 39 Et in vestibulo porte due mense hinc et due mense inde: vt imoletur super eas olocastum et pro peccato et pro delicto. 40 Et ad latus exterius quod ascendit ad ostium porte que pergit ad aquilonem due mense: et ad latus alterum ante vestibulum porte due mense. 41 Quatuor mense hinc et quatuor mense. inde: per latera porte octo mense erant: super quas immolabant. 42 Quatuor autem mense ad olocaustum de lapidibus quadris exstructe· longitudine cubiti vnius et dimidij· et latitudine cubiti vnius et dimidij: et altitudine cubiti vnius: super quas ponant vasa in quibus immolatur olocaustum et victima. 43 Et labia earum palmi vnius: reflexa intrinsecus per circuitum. Super mensas autem carnes oblationis. 44 Et extra portam interiorem gazophilacia cantorum in atrio interiori quod erat in latere porte respicientis ad aquilonem: et facies es eorum contra viam australem: vna ex latere porte orientalis· que respiciebat ad viam aquilonis. 45 Et dixit ad me. Hoc est gazophilacium quod respicit viam meridianam sacerdotum qui excubant in studijs templi: 46 porro gazophilacium quod respicit ad viam a aquilonis sacerdotum erit qui excubant ad ministerium altaris. Isti sunt filij sadoch qui accedunt de filijs leui ad dominum: vt ministrent ei. 47 Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum· et latitudine centum cubitorum· per quadrum: et altare ante faciem templi. 48 Et introduxit me in vestibulum templi: et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc et quinque cubitis inde: et latitudinem porte trium cubitorum hinc· et trium cubitorum inde: 49 longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum et latitudinem vndecim cubitorum. Et octo gradibus ascendebatur ad eam: et columne erant in frontibus: vna hinc et altera inde.

41 Et introduxit me in templum: et mensus est frontes· sex cubitos latitudinis hinc: et sex cubitos latitudinis inde. Latitudo tabernaculi 2 et latitudo porte decem cubitorum erat: et latera porte quinque cubitis hinc: et quinque inde. Et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum: et latitudinem viginti cubitorum. 3 Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte porte duos cubitos: et portam sex cubitorum: et latitudinem porte septem cubitorum. 4 Et mensus est longitudinem eius viginti cubitorum: et latitudinem viginti cubitorum ante faciem templi. Et dixit ad me. Hoc est sanctum sanctorum. 5 Et mensus est parietem domus sex cubitorum: et latitudinem lateris quatuor cubitorum: vndique per circuitum domus. 6 Latera autem latus ad latus: bis trigintatrium. Et erant eminentia que ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum vt continerent: et non attingerent parietem templi. 7 Et platea erat in rotundum· ascendens sursum per cocleam: et in cenaculum templi deferebat per gyrum. Idcirco latius erat templum in superioribus: et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora: et in medium. 8 Et vidi in domo altitudinem per circuitum fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spacio: 9 et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum. Et erat interior domus in lateribus domus. 10 Et inter gazophilacia latitudine viginti cubitorum in circuitu domus vndique. 11 Et ostium lateris ad orationem: ostium vnum ad viam aquilonis: et ostium vnum ad viam australem et latitudinem loci ad orationem quinque cubitorum in circuitu. 12 Et edificium quod erat separatum versumque ad viam respicientem ad mare latitudinis septuaginta cubitorum paries autem edificij quinque cubitorum latitudinis per circuitum et longitudo eius nonaginta cubitorum. 13 Et mensus est domus longitudinem centum cubitorum: et quod separatum erat edificium et parietes eius longitudinis centum cubitorum. 14 Latitudo autem ante faciem domus: et eius quod erat separatum contra orientem centum cubitorum. 15 Et mensus est longitudinem edificij contra faciem eius quod erat sepa separatum ratum ad dorsum ecthetas ex vtraque parte: centum cubitorum· et templum interius· et vestibula atrij· 16 limina et fenestras obliquas: ecthetas in circuitu per tres partes contra vniuscuiusque limen: stratumque ligno per gyrum in circuitu. Terra autem vsque ad fenestras: et fenestre clause super ostia· 17 et vsque ad domum interiorem et forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus et forinsecus ad mensuram: 18 et fabrefacti cherubim et palme. Et palma inter cherub et cherub. Duasque facies habebat cherub: 19 faciem hominis iuxta palmam ex hac parte: et faciem leonis iuxta palmam ex alia parte expressam. Per omnem domum in circuitu 20 de terra vsque ad superiora porte: cherubim et palme celate erant in pariete templi. 21 Limen quadrangulum: et facies sanctuarij aspectus contra aspectum. 22 Altaris lignei trium cubitorum altitudo: et longi tudo eius duorum cubitorum: et anguli eius et longitudo eius et parietes eius lignei. Et locutus est ad me. Hec est mensa coram domino. 23 Et duo ostia erant in templo et in sanctuario: 24 et in duobus ostijs ex vtraque parte bina erant ostiola: que in se inuicem plicabantur. Bina enim ostia erant ex vtraque parte ostiorum. 25 Et celata erant in ipsis ostijs templi cherubim et sculptura palmarum: sicut in parietibus quoque expressa erant. Quamobrem et grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus: 26 super que fenestre oblique: et similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli secundum latera domus latitudinemque parietum.

42 eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem. Et eduxit me in gazophilacium quod erat contra separatum edificium: et contra edem vergentem ad aquilonem· 2 in facie longitudinis centum cubitos ostij aquilonis: et latitudinis quinquaginta cubitos 3 contra viginti cubitos atrij interioris: et contra pauimentum stratum lapide atrij exterioris: vbi erat porticus iuncta porticui triplici. 4 Et ante gazophicia deambulatio decem cubitorum latitudinis: ad interiora respiciens vie cubiti vnius. Et ostia earum ad aquilonem 5 vbi erant gazophilacia in superioribus humiliora: quia supportabant porticus que ex illis eminebant de inferioribus et de medijs edificij. 6 Tristega enim erant: et non habebant columnas sicut erant columne atriorum. Propterea eminebant de inferioribus et de medijs a terra cubitis quinquaginta. 7 Et perybolus exterior secundum gazophilacia que erant in via atrij exterioris ante gazophilacia. Longitudo eius quinquaginta cubitorum: 8 quia longitudo erat gazophilaciorum atrij exterioris quiuquaginta cubitorum: et longitudo ante faciem templi centum cubitorum. 9 Et erat subter gazophilacia hec introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori: 10 in latitudine peryboli atrij quod erat contra viam orientalem in faciem edificij separati. Et erant ante edificium gazophilacia: 11 et via ante faciem eorum iuxta similitudinem gazophilaciorum que erant in via aquilonis. Secundum longitudinem eorum sic et latitudo eorum et omnis introitus eorum et similitudines et ostia eorum 12 secundum ostia gazophilaciorum· que erant in via respiciente ad austrum. Ostium in capite vie: que erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus. 13 Et dixit ad me. Gazophilacia aquilonis et gazophilacia austri que sunt ante edificium separatum: hec sunt gazophilacia sancta: in quibus vescuntur sacerdotes qui appropinquant ad dominum in sancta sanctorum. Ibi ponent sancta sanctorum: et oblationem pro peccato et pro delicto. Locus enim sanctus est. 14 Cum autem ingressi fuerint sacerdotes: non egredientur de sanctis in atrium exterius. Et ibi reponent vestimenta sua in quibus ministrant: quia sancta sunt: vestienturque vestimentis alijs et sic procedent ad populum. 15 Cunque

complesset mensuras domus interioris: eduxit me per viam porte que respiciebat ad viam orientalem: et mensus est eam vndique per circuitum. 16 Mensus est autem contra ventum orientalem calamo mensure: quingentos calamos in calamo mensure per circuitum. 17 Et mensus est contra ventum aquilonis quingentos calamos: in calamo mensure per gyrum. 18 Et ad ventum australem mensus est quingentos tos calamos: in calamo mensure per circuitum. 19 Et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos: in calamo mensure. 20 Per quatuor ventos mensus est: longitudinem quingentorum cubitorum: et latitudinem quingentorum cubitorum. Et murus diuidit inter sanctuarium et vulgi locum.

43 Et duxit me ad portam que respiciebat ad viam orientalem. 2 Et ecce gloria dei israhel· ingrediebatur per viam orientalem: et vox erat ei quasi vox aquarum multarum: et terra splendebat a maiestate eius. 3 Et vidi visionem secundum speciem quam videram quando venit vt disperderet ciuitatem: et species secundum aspectum quem videram iuxta fluuium chobar. Et cecidi super faciem meam. 4 Et maiestas domini ingressa est templum: per viam porte que respiciebat ad orientem. 5 Et eleuauit me spiritus: et introduxit me in atrium exterius. Et ecce repleta erat gloria domini domus. 6 Et audiui loquentem ad me de domo. Et vir qui stabat iuxta me: 7 dixit ad me. Fili hominis: locus solij mei· et locus vestigiorum pedum meorum: vbi habito in medio filiorum israhel in eternum. Et non polluet vltra domus israhel nomen sanctum meum: ipsi et reges eorum in fornicationibus suis et in ruinis regum suorum et in excelsis: 8 qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum: et postes suos iuxta postes meos: et murus erat inter me et eos. Et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt: propter quod consumpsi eos in ira mea. 9 Nunc ergo repellant procul fornicationem suam et ruinas regum suorum a me: et habitabo in medio eorum semper. 10 Tu ergo fili hominis ostende domui israhel templum et confundantur ab iniquitatibus suis: et meditentur fabricam: 11 et erubescant ex omnibus que fecerunt. Figuram domus et fabrice eius· exitus et introitus· et omnem descriptionem eius et vniuersa precepta eius· cunctumque ordinem eius· et omnes leges eius ostende eis· et scribe in oculis eorum: vt custodiant omnes descripturones scriptiones eius et precepta illius: et faciant ea. 12 Ista est lex domus in summitate montis. Omnes fines eius in circuitu· sanctum sanctorum est. Hec est ergo lex domus. 13 Iste autem mensure altaris in cubito verissimo: qui habebat cubitum et palmum. In sinu eius erat cubitus: et cubitus in latitudine: et definitio eius vsque ad labium eius et in circuitu palmi vnius. Hec quoque erat fossa altaris. 14 Et de sinu terre vsque ad crepidinem nouissimam duo cubiti· et latitudo cubiti vnius: et a crepidine minore vsque ad cre erepidinem maiorem quatuor cubiti: et latitudo cubiti vnius. 15 Ipse autem ariel quatuor cubitorum: et ab ariel vsque ad sursum cornua quatuor. 16 Et ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum equis lateribus. 17 Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis eius: et corona in circuitu eius dimidij cubiti: et sinus eius vnius cubiti per circuitum. Gradus autem eius versi ad orientem. 18 Et dixit ad me. Fili hominis: hec dicit dominus deus. Hij sunt ritus altaris in quacunque die fuerit fabricatum: vt offeratur super illud olocaustum et effundatur sanguis. 19 Et dabis sacerdotibus et leuitis qui sunt de semine sadoch qui accedunt ad me ait dominus deus: vt offerant michi vitulum de armento pro peccato. 20 Et assumens de sanguine eius pones super quatuor cornua eius et super quatuor angulos crepidinis et super coronam in circuitu: et mundabis illud et expiabis. 21 Et tolles vitulum qui oblatus fuerit pro peccato: et combures eum in separato loco domus extra sanctuarium. 22 Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: et expiabunt altare sicut expiauerunt in vitulo. 23 Cunque compleueris expians illud offeres vitulum de armento immaculatum: et arietem de grege immaculatum: 24 et offeres eos in conspectu domini. Et mittent sacerdotes super eos sal: et offerent eos in olocaustum domino. 25 Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: et vitulum de armento et arietem de pecoribus immaculatos offerent. 26 Septem diebus expiabunt altare et mun illud: et implebunt manum eius. 27 Expletis Expletis autem diebus in die octaua et vltra· facient sacerdotes super altare olocausta vestra· et que pro pace offerunt: et placatus ero vobis ait dominus deus.

44 conuerti me ad viam porte sanctuarij exterioris que respiciebat ad orientem: et erat clausa. 2 Et dixit dominus ad me. Porta hec clausa erit· et non aperietur: et vir non transibit per eam· quoniam dominus deus israhel ingressus est per eam: eritque clausa 3 principi. Princeps ipse sedebit in ea: vt comedat panem coram domino. Per viam porte vestibuli ingredietur: et per viam eius egredietur. 4 Et adduxit me per viam porte aquilonis in conspectu domus· et vidi: et ecce impleuit gloria domini domum domini. Et cecidi in faciem meam: 5 et dixit ad me dominus. Fili hominis pone cor tuum et vide oculis tuis: et auribus tuis audi omnia que ego loquor ad te: de vniuersis cerimonijs domus domini et de cunctis legibus eius. Et pones cor tuum in vijs templi per omnes exitus sanctuarij: 6 et dices ad exasperantem me domum israhel. Hec dicit dominus deus. Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus israhel: 7 eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde et incircumcisos carne vt sint in sanctuario meo et polluant domum meam: et offertis panes meos adipem et sanguinem: et dissoluistis pactum meum in omnibus sceleribus vestris: 8 et non seruastis precepta sanctuarij mei: et posuistis custodes obseruationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis. 9 Hec dicit dominus deus. Omnis alienigena incircumcisus corde et incircumcisus carne non ingredietur sanctuarium meum: omnis filius alienus qui est in medio filiorum israhel. 10 Sed et leuite qui longe recesserunt a me in errore filiorum israhel· et errauerunt a me post ydola sua· et portauerunt iniquitatem suam: 11 erunt in sanctuario meo editui et ianitores portarum domus: et ministri domus. Ipsi mactabunt olocausta et victimas populi: et ipsi stabunt in conspectu eorum vt ministrent eis. 12 Pro eo quod ministrauerunt illis in conspectu ydo suorum· et facti sunt domui israhel in offendiculum iniquitatis: idcirco leuaui manum meam super eos ait dominus deus: et portauerunt iniquitatem suam. 13 Et non appropinquabunt ad me vt sacerdotio fungantur michi: neque accedent ad omne sanctuarium meum iuxta sancta sanctorum: sed portabunt confusionem suam et scelera sua que fecerunt. 14 Et dabo eos ianitores domus et in omni ministerio eius: et vniuersis que fient in ea. 15 Sacerdotes autem et leuite filij sadoch qui custodierunt cerimonias sanctuarij mei cum errarent filij israhel a me: ipsi accedent ad me vt ministrent michi: et stabunt in conspectu meo: vt offerant michi adipem et sanguinem ait dominus deus. 16 Ipsi ingredientur sanctuarium meum: et ipsi accedent ad mensam meam: vt ministrent michi et custodiant cerimonias meas. 17 Cunque ingredientur portas atrij interioris vestibus lineis induentur: nec ascendet super eos quicquam laneum quando ministrant in portis atrij interioris et intrinsecus. 18 Vitte linee erunt in capitibus eorum: et feminalia linea ein lumbis eorum: et non accingentur in sudore. 19 Cunque egredientur atrium exterius ad populum exuent se vestimentis suis in quibus ministrauerant: et reponent ea in gazophilacio sanctuarij et vestient se vestimentis alijs: et non sanctificabunt populum in vestibus suis. 20 Caput autem suum non radent: neque comam nutrient: sed tondentes attondent capita sua. 21 Et vinum non bibet omnis sacerdos quando ingressus est atrium interius. 22 Et viduam et repudiatam non accipient vxores: sed virgines de semine domus israhel. Sed et viduam que fuerit vidua a sacerdote accipient: 23 et populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum: et inter mundum et immundum ostendent eis. 24 Et cum fuerit controuersia stabunt in iudicijs meis: et iudicabunt leges meas. Et precepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient: et sabbata mea sanctificabunt. 25 Et ad mortuum hominem non ingredientur: ne polluantur: nisi ad patrem et matrem et filium et filiam et fratrem et sororem que alterum virum non habuerit: in quibus contaminabuntur. 26 Et postquam fuerit emundatus septem dies numerabuntur ei: 27 et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius vt ministrent michi in sanctuario: offeret pro peccato suo ait dominus deus. 28 Non erit autem eis hereditas. Ego hereditas eorum: et possessionem non dabitis eis in israhel. Ego enim possessio eorum.

29 Victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent: et omne votum in
israhel ipsorum erit. 30 Et primitiua omnium primogenitorum et omnia
libamenta ex omnibus que offeruntur: sacerdotum erunt. Et primitiua
ciborum vestrorum dabitis sacerdoti: vt reponat benedictionem domui sue.
31 Omne morticinum et captum a bestia de auibus et de pecoribus non
comedent sacerdotes.

45 Cunque ceperitis terram diuidere sorAtito· separare primitias domino
sanctificatum de terra: longitudinem vigintiquinque milia: et
latitudinem decem milia. Sanctificatum erit in omni termino eius per
circuitum. 2 erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos
quadrifariam riam per circuitum: et quinquaginta cubitis in suburbana eius
per girum. 3 Et a mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque
milium: et latitudinem decem milium. in ipso erit templum sanctumque
sanctorum: 4 sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarij: qui
accedunt ad ministerium domini. Et erit eis locus in domos et in sanctuarium
sanctitatis. 5 Vigintiquinque autem milia longitudinis et decem milia
latitudinis erunt leuitis: qui ministrant domui. Ipsi possidebunt viginti
gazophilacia. 6 Et possessionem ciuitatis dabitis quinque milia latitudinis et
longitudinis vigintiquinque milia: secundum separationem sanctuarij omni
domui israhel. 7 Principi que hinc et inde in separationem sanctuarij et in
possessionem ciuitatis contra faciem separationis sanctuarij: et contra faciem
possessionis vrbis a latere maris vsque ad mare: et a latere orientis vsque ad
orientem. Longitudinis autem iuxta vnamquamque partem a termino
occidentali vsque ad terminum orientalem: 8 de terra erit ei possessio in israhel·
Et non depopulabuntur vltra principes populum meum: sed terram dabunt
domui israhel secundum tribus eorum. 9 Hec dicit dominus deus. Sufficiat
vobis principes israhel: iniquitatem et rapinas intermittite. et iudicium et
iusticiam facite. Separate confinia vestra a populo meo ait dominus deus.
10 Statera iusta et ephi iustum et batus iustus erit vobis. 11 Ephi et batus equalia
et vnius mensure erunt: vt capiant decimam partem chori batus: et decimam
partem chori ephi. Iuxta mensuram chori est equa libratio eorum. 12 Siclus
autem viginti o habet. Porro viginti sicli et viginti quinque sicli· et quindecim
sicli minam faciunt. 13 Et hec sunt primitie quas tolletis: sextam partem ephi de
choro frumenti: et sextam partem ephi de choro ordei. 14 Mensura que olei.
Batus olei· decima pars chori est: quia decem bati implent chorum. 15 Et
arietem vnum de grege ducentorum· de hijs que nutriuit israhel in sacrificium
et in olocaustum et in pacifica: ad expiandum pro eis ait dominus deus.
16 Omnis populus terre tenebitur primitijs hijs principi in israhel. 17 Et super
principem erunt olocausta et sacrificium et libamina in solemnitatibus et in
kalendis et in sabbatis: in vniuersis solemnitatibus domus israhel. Ipse faciet
pro peccato sacrificium et olocaustum et pacifica: ad expiandum pro domo
israhel. 18 Hec dicit dominus deus. In primo mense vna mensis sumes vitulum
de armento immaculatum: et expiabis sanctuarium. 19 Et tollet sacerdos de
sanguine quod erit pro peccato: et ponet in postibus domus et in quatuor
angulis crepidinis altaris: et in postibus porte atrij interioris. 20 Et sic facies in
septima mensis pro vnoquoque qui ignorauit et errore deceptus est: et expiabis
pro domo. 21 In primo mense quartadecima die mensis erit vobis pasche
solemnitas. Septem diebus azima comedentur. 22 Et faciet princeps in die illa
pro se· et pro vniuerso populo terre vitulum pro peccato. 23 Et in septem
dierum solemnitate faciet olocaustum domino: septem vitulos et septem
arietes immaculatos quotidie septem diebus: et pro peccato hircum caprarum:
24 et sacrificium ephi per vitulum· et ephi per arietem faciet: et olei hyn per
singula ephi. 25 Septimo mense quintadecima die mensis in solemnitate faciet
sicut supradicta sunt per septem dies: tam pro peccato que pro olocausto et in
sacrificio et in oleo.

46 Hec dicit dominus deus. Porta atrij interioris que respicit ad orientem
erit clausa sex diebus in quibus opus sit: die autem sabbati aperietur.
Sed et in die kalendarum aperietur: 2 et intrabit princeps per viam vestibuli
porte deforis: et stabit in limine porte. Et facient sacerdotes olocaustum eius et
pacifica eius: et adorabit super limen porte: et egredietur. Porta autem non
claudetur vsque ad vesperam. 3 Et adorabit populus terre ad ostium porte illius
in sabbatis et in kalendis coram domino. 4 Olocaustum autem hoc offeret
princeps domino in die sabbati: sex agnos immaculatos et arietem
immaculatum: 5 et sacrificium ephi per arietem. In agnis autem sacrificium
quod dederit manus eius: et olei hyn per singula ephi. 6 In die autem
kalendarum vitulum de armento imaculatum et sex agni et arietes immaculati
erunt: 7 et ephi per vitulum: ephi quoque per arietem faciet sacrificium. Agnis
autem sicut inuenerit manus eius: olei hyn per singula ephi. 8 Cumque
ingressurus est princeps· per viam vestibuli porte ingrediatur: et per eamdem
viam exeat. 9 Et cum intrabit populus terre in conspectu domini in
solemnitatibus: qui ingreditur per portam aquilonis vt adoret: egrediatur per
viam porte meridiane. Porro qui ingreditur per viam porte meridiane:
egrediatur per viam porte aquilonis. Non reuertetur per viam porte per quam
ingressus est: sed e regione illius egredietur. 10 Princeps autem in medio eorum
e Cum ingredientibus ingredietur: et cum egredientibus egredietur. 11 Et in
nundinis et solemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum· et ephi per
arietem: agnis autem erit sacrificium sicut inuenerit manus eius: et olei hyn per
singula ephi. 12 Cum autem fecerit princeps spontaneum olocaustum aut
pacifica voluntaria domino· aperietur ei porta que respicit ad orientem: et
faciet olocaustum suum et pacifica sua sicut fieri solet in die sabbati et
egredietur: claudeturque porta postquam exierit. 13 Et agnum eiusdem anni
immaculatum faciet olocaustum quotidie domino. Semper mane faciet illud.
14 Et faciet sacrificium super eo cathamane mane· sextam partem ephi: et de
oleo terciam partem hyn· vt misceatur simile. Sacrificium domino legitimum:
iuge atque peretuum. 15 Faciet agnum et sacrificium et oleum cathamane
mane olocaustum sempiternum. 16 Hec dicit dominus deus. Si dederit
princeps donum alicui de filijs suis: hereditas eius filiorum suorum erit:
possidebunt eam hereditarie. 17 Si autem dederit legatum de hereditate sua vni
seruorum suorum: erit illius vsque ad annum remissionis: et reuertetur ad
principem. Hereditas autem eius filijs eius erit. 18 Et non accipiet princeps de
hereditate populi per violentiam et de possessione eorum: sed de possessione
sua hereditatem dabit filijs suis: vt non dispergatur populus meus
vnusquisque a possessione sua. 19 Et introduxit me per ingressum qui erat ex
latere porte in gazophilacia sanctuarij ad sacerdotes qui respiciebant ad
aquilonem: et erat ibi locus vergens ad occidentem: 20 et dixit ad me. Iste est
locus vbi coquent sacerdotes pro peccato et pro delicto: vbi coquent
sacrificium: vt non efferant in atrio exteriori et sanctificetur populus. 21 Et
eduxit me in atrium exterius: et circunduxit me per quatuor angulos atrij. Et
ecce atriolum erat in angulo atrij: atriola singula per angulos atrij. 22 In quatuor
angulos atrij atriola disposita: quadraginta cubitorum per longum: et triginta
per latum. Mensure vnius quatuor erant. 23 Et paries per circuitum ambiens
quatuor atriola: et culine fabricate erant subter porticus per gyrum. 24 Et dixit
ad me. Hec est domus culinarum: in qua coquent ministri domus domini
victimas populi.

47 conuertit me ad portam domus: et ecce aque egrediebantur subter
limen domus ad orientem. Facies enim domus: respiciebat ad
orientem. Aque autem descendebant in latus templi dextrum: ad meridiem
altaris. 2 Et eduxit me per viam porte aquilonis: et conuertit me ad viam foras
portam exteriorem: viam que respiciebat ad orientem. Et ecce aque
redundantes a latere dextro 3 cum egrederetur vir ad orientem qui habebat
funiculum in manu sua: et mensus est mille cubitus: et transduxit me per
aquam vsque ad talos. 4 Rursumque mensus est mille: et transduxit me per
aquam vsque ad genua. 5 Et mensus est mille: et transduxit me per aquam
vsque ad renes. Et mensus est mille· torrentem quem non potui pertransire:
quoniam intumuerant aque profunde torrentis: qui non potest transuadari.
6 Et dixit ad me. Certe vidisti fili hominis. Et eduxit me: et conuertit ad ripam
torrentis. 7 Cumque me conuertissem: ecce in ripa torrentis ligna multa nimis
ex vtraque parte. 8 Et ait ad me. Aque iste que egrediuntur ad tumulos zabuli
orientalis et descendunt ad plana deserti· intrabunt mare: et exibunt et

sanabuntur aque. [9] Et omnis anima viuens que serpit quocumque venerit torrens viuet: et erunt pisces multi satis: postquam venerint illuc aque iste. Et sanabuntur et viuent omnia ad que venerit torrens: [10] et stabunt super illa piscatores. Ab engaddi vsque ad engallim siccatio sagenarum e Plurime species erunt piscium eius: sicut pisces maris magni multi nimie. [11] In litoribus autem eius et in palustribus non sanabuntur: quia in saliuas dabuntur. [12] Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum. Non defluet folium ex eo: et non deficiet fructus eius. Per singulos menses afferet primitiua: quia aque eius de sanctuario egredientur. Et erunt fructus eius in cibum: et folia eius ad medicinam. [13] Hec dicit dominus deus. Hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribus israhel: quia ioseph duplicem funiculum habet. [14] Possidebitis autem eam singuli eque vt frater suus: super quam leuaui manum meam vt darem patribus vestris. Et cadet terra hec vobis in possessionem. [15] Hic est autem terminus terre ad plagam septentrionalem a mari magno· via ethalon venientibus sedada [16] emath berotha· sabarim que est inter medium damasci et confinium emath domus thicon que est iuxta terminum auran: [17] et erit terminus a mari vsque ad atrium enon terminus damasci: et ab aquilone ad aquilonem terminus emath: plaga septentrionalis. [18] Porro plaga orientalis de medio auran et de medio damasci et de medio galaad et de medio terre israhel· iordanis disterminans: ad mare orientale meridiem plagam orientalem. [19] Plaga autem australis meridiana a thamar vsque ad aquas contradictionis cades: et torrens vsque ad mare magnum: et hec est plaga ad meridiem australis. [20] Et plaga maris: mare magnum a confinio per directum donec venias emath: hec est plaga maris. [21] Et diuidetis terram istam vobis per tribus israhel: [22] et mittetis eam in hereditatem vobis et aduenis qui accesserint ad vos qui genuerint filios in medio vestrum: et erunt vobis sicut indigene inter filios israhel. Vobiscum diuident possessionem in medio tribuum israhel. [23] In tribu autem quacunque fuerit aduena: ibi dabitis possessionem illi ait dominus deus.

48 Et hec nomina tribum. A finibus aquilonis iuxta viam ethalon pergentibus emath atrium enon terminus damasci· ab aquilone iuxta viam emath: et erit ei plaga orientalis mare dan vna. [2] Et a termino dan: a plaga orientali vsque ad plagam maris· asser vna. [3] Et super terminum asser: a plaga orientali vsque ad plagam maris neptalim vna. [4] Et super terminum neptalim: a plaga orientali vsque ad plagam maris manasse vna. [5] Et super terminum manasse: a plaga orientali vsque ad plagam maris effraym vna. [6] Et super terminum effraym: a plaga orientali vsque ad plagam maris ruben vna. [7] Et super terminum ruben: a plaga orientali vsque ad plagam maris iuda vna. [8] Et super terminum iuda: a plaga orientali vsque ad plagam maris erunt primitie quas separabitis vigintiquinque milibus latitudinis et longitudinis: sicuti singule partes a plaga orientali vsque ad plagam maris. Et erit sanctuarium in medio eius. [9] Primitie quas separabitis domino: longitudo vigintiquinque milibus: et latitudo decem milibus. [10] Hec autem erunt primitie sanctuarij sacerdotum: ad aquilonem longitudinis vigintiquinque milia: et ad mare latitudinis decem milia. Sed et ad orientem latitudinis decem milia: et ad meridiem vigintiquinque milia. Et erit sanctuarium domini in medio eius. [11] Sacerdotibus sanctuarium erit de filijs sadoch· qui custodierunt cerimonias meas: et non errauerunt cum errarent filij israhel: sicut errauerunt et leuite. [12] Et erunt primitie de primitiuis terre sanctum sanctorum: iuxta terminum leuitarum. [13] Sed et leuitis similiter iuxta fines sacerdotum vigintiquinque milia longitudinis: et latitudinis decem milia. Omnis longitudo viginti et quinque milium: et latitudo decem milium. [14] Et non venundabunt ex eo neque mutabunt: neque transferentur primitie terre: quia sanctificate sunt domino. [15] Quinque milia autem que supersunt in latitudine per viginti quinque milia: prophana erunt vrbis in habitaculum et in suburbana. Et erit ciuitas in medio eius: [16] et hee mensure eius. Ad plagam septentrionalem quingenta et quatuor et ad plagam meridianam quingenta et quatuor milia: et ad plagam orientalem quingenta et quatuor milia: a: et ad plagam occidentalem quingenta et quatuor milia. [17] Erunt autem suburbana ciuitatis ad aquilonem ducenta ducentaquinquaginta quinquaginta et ad meridiem ducentaquinet ad [18] orientem et ad mare ducentaquinquaginta. Quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarij decem milia in orientem· et decem milia in occidentem erunt sicut primitie sanctuarij: et erunt fruges eius in panes hijs qui seruiunt ciuitati. [19] Seruientes autem ciuitati operabuntur ex omnibus tribubus israhel. [20] Omnes primitie vigintiquinque milium per vigintiquinque milia in quadrum· separabuntur in primitias sanctuarij· et in possessionem ciuitatis. [21] Quod autem reliquum fuerit principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarij et possessionis ciuitatis eregione· vigintiquinque milium primitiarum vsque ad terminum orientalem: sed et a mari e regiouigintiquinque milium vsque ad terminum maris similiter in partibus principis erit. Et erunt primitie sanctuarij et sanctuarium templi in medio eius. [22] De possessione autem leuitarum et de possessione ciuitatis in terminum medio partium principis: erit in iuda et in terminum beniamin: et ad principem pertinebit. [23] Et reliquis tribubus plaga orientali vsque ad plagam occidentalem: beniamin vna. [24] Et contra terminum beniamin a plaga orientali vsque ad plagam plagam occidentalem: symeon vna. [25] Et super terminum symeonis a plaga orientali vsque ad plagam occidentalem: ysachar zabulon vna. vna. [26] Et super terminum ysachar a plaga vsque ad [27] orientali vsque ad plagam occidentalem: occidentalem: super terminum zabulon Et plaga orientali vsque ad plagam maris· gad vna. zabulon vna. a [28] Et super terminum gad ad plagam austri in meridie: et erit finis de thamar vsque ad aquas contradictionis cades: hereditas contra mare magnum. [29] Hec est terra quam mittetis sortem tribubus israhel: et hec partitiones eorum ait dominus deus. [30] Et hij egressus ciuitatis. plaga septentrionali quingenta et quatuor milia mensurabis: [31] et porte ciuitatis omnibus tribubus israhel. Porte tres a septentrione. Porta ruben vna: porta iuda vna: porta leui vna. [32] Et plagam orientalem quingenta et quatuor milia: et porte Porta ioseph vna: porta beniamin vna: dan vna: porta· dan vna. [33] Et ad pla vna. gam meridianam quingentaquatumetieris. or milia· metieris. Porta symeonis vna: porta ysachar vna: porta zabulon vna. [34] Et ad plagam occidentalem quingenta et quatuor milia: porte eorum tres. Porta gad vna: porta aser vna: porta neptalim vna. [35] Per circuitum decem et octo milia: et nomen ci ciuitatis ex illa die: dominus ibidem. ex

Incipit prologus in danielem prophetam.

Danielem prophetam iuxta septuaginta interpretes domini saluatoris ecclesie non legunt vtentes theodotionis editione: et hoc cur acciderit nescio. Siue enim quia sermo chaldaicus est· et quibusdam proprietatibus a nostro eloquio discrepat· noluerunt septuaginta easdem lingue lineas in translatione seruare: siue sub nomine eorum ab alio nescio quo non satis chaldeam linguam sciente editus est liber: siue aliud quid cause extiterit ignorans· hoc vnum affirmare possum: quod multum a veritate discordet: et recto iuditio repudiatus sit. Sciendum quippe danielem maxime et hesdram hebraicis quidem litteris sed chaldeo sermone conscriptos et vnam iheremie pericopen: iob· quoque cum arabica lingua plurimam habere societatem. Denique et ego adolescentulus post quintilliani et tullij lectionem ac flores rethoricos cum me in lingue huius pistrinum reclusissem: et multo sudore multoque tempore vix cepissem anhelantia stridentiaque verba resonare: et quasi per criptam· ambulans rarum desuper lumen aspicere· impegi nouissime in danielem: et tanto tedio affectus sum: vt desperatione subita omnem laborem veterem voluerim contemnere. Verum adhortante me quodam hebreo et illud michi crebrius sua lingua ingerente· labor improbus omnia vincit: qui michi videbar sciolus· inter eos cepi rursus discipulus esse chaldaycus. Et vt verum fatear: vsque ad presentem diem

magis possem sermonem chaldaicum legere et intelligere quam sonare. Hec idcirco refero vt difficultatem vobis danielis ostenderem: qui apud hebreos nec susanne habet historiam nec ymnum trium puerorum nec belis draconisque fabulas: quas nos quia in toto orbe disperse sunt veru ante posito easque iugulante subicimus ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Audiui ego quendam de preceptoribus iudeorum cum susanne derideret historiam· et a greco nescio quo diceret esse confictam· illud opponere· quod origenum quoque affricanus opposuit: et hymologias has apo thoy chynoy chise· et apo thoy prynoy pryse· de greco sermone descendere. Cuius rei nos intelligentiam nostris hanc possumus dare: vt verbi gratia dicamus ab arbore ilice dixisse eum ilico pereas: et a lentisco in lentem te comminuat angelus: vel non lente pereas· aut lentus id est flexibilis ducaris ad mortem: siue aliud quid ad arboris nomen conueniens. Deinde tantum fuisse ocij tribus pueris cauillabatur· vt in camino estuantis incendij metro luderent· et per ordinem ad laudem dei omnia elimenta prouocarent: aut quod miraculum diuineque aspirationis iudicium vel draconem interfectum offa picis vel sacerdotum belis machinas deprehensas: que magis prudentia sollertis viri quam prophetali essent spiritu perpetrata. Cum vero abacuc veniret· et de iudea in chaldeam raptum discoforum lectitaret: querebat exemplum vbi legissemus in toto veteri testamento quemquam sanctorum graui volasse corpore: et in puncto hore tanta terrarum spacia transisse. Cui cum quidam e nostris satis ad loquendum promptulus ezechielem adduxisset in medium· et diceret eum de chaldea in iudeam fuisse translatum· derisit hominem: et ex ipso volumine demonstrauit ezechielem in spiritu se vidisse transpositum. Denique apostolum nostrum videlicet vt eruditum virum et qui legem ab hebreis didicisset non fuisse ausum affirmare se raptum in corpore sed dixisse· siue in corpore siue extra corpus nescio deus scit. Hijs et talibus argumentis· apocriphas in libro ecclesie fabulas arguebat. Super qua re lectoris arbitrio iudicium derelinquens illud ammoneo non haberi danielem apud hebreos inter prophetas: sed inter eos qui agyographa conscripserunt. In tres siquidem partes omnis eis scriptura diuiditur: in legem in prophetas et in agyographa id est in quinque et octo et vndecim libros: de quo non est huius temporis disserere. Que autem ex hoc propheta· ymmo contra hunc librum porphirius obiciat testes sunt methodius eusebius appollinaris: qui multis versuum milibus eius vesanie respondentes nescio an curioso lectori satisfecerint. Vnde obsecro vos o paula et eustochium fundatis pro me ad dominum preces: vt quamdiu in hoc corpusculo sum scribam aliquid gratum vobis vtile ecclesie: dignum posteris. Presentium quippe iudicijs oblatrantium non satis moueor: qui in vtramque partem aut amore labuntur aut odio.

Daniel

Incipit daniel propheta.

1 Anno tercio regni ioachim regis iuda venit nabuchodonosor rex babilonis iherusalem et obsedit eam: [2] et tradidit dominus in manu eius ioachim regem iude et partem vasorum domus dei et asportauit ea in terram sennaar in domum dei sui: et vasa intulit in domum thesauri dei sui. [3] Et ait rex affanez preposito eunuchorum: vt introxtteatoetuleiheet de filijs israhel· et de semine regio et tyrannorum [4] pueros in quibus nulla esset macula decoros forma et eruditos omni sapientia cautos scientia et doctos disciplina: et qui possent stare in paladisciplina: tio regis: vt doceret eos litteras [5] et linet palatio qui possent stare in linguam regis: vt doceret eos litteras et lin chaldeorum. Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis et vino vnde bibebat ipse: vt enutriti tribus annis postea starent in conspectu regis. [6] Fuerunt ergo inter eos de filijs iude daniel ananias misahel et azarias. [7] Et imposuit eis prepositus eunuchorum nomina danieli balthazar: ananie sidrac misaheli misac et azarie abdenago. [8] Proposuit autem dauiel in corde suo ne pollueretur de mensa regis neque de vino potus eius: et rogauit eunuchorum prepositum ne contaminaretur. [9] Dedit autem deus danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum. [10] Et ait princeps eunuchorum ad danielem. Timeo ego dominum meum regem qui constituit vobis cibum et potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores pre ceteris adolescentibus coeuis vestris: condemnabitis caput meum regi. [11] Et dixit daniel ad malasser quem constituerat princeps eunuchorum super danielem ananiam misahelem et azariam. [12] Tempta nos obsecro seruos tuos diebus decem et dentur nobis legumina ad vescendum et aqua ad bidendum: [13] et contemplare vultus nostros et vultus puerorum qui vescuntur cibo regio: et sicut videris facias cum seruis tuis. [14] Qui audito sermone huiuscemodi temptauit eos diebus decem. [15] Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores et corpulentiores: pre omnibus pueris qui vescebantur cibo regio. [16] Porro malasar lasser tollebat cibaria et vinum potus eorum: dabatque eis legumina. [17] Pueris autem hijs dedit deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia: danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum. [18] Completis itaque diebus post quos dixerat rex vt introducerentur: introduxit eos prepositus eunuchorum in conspectu nabuchodonosor. [19] Cunque eis locutus fuisset rex: non sunt inuenti tales de vniuersis vt daniel ananias misahel et azarias. Et steterunt in conspectu regis: [20] et omne verbum sapientie et intellectus quod sciscitatus est ab eis inuenit in eis decuplum super cunctos ariolos et magos qui erant in vniuerso regno eius. [21] Fuit autem daniel vsque ad annum primum cyri regis.

2 In anno secundo regni nabuchodonosor vidit nabuchodonosor somnium: et conterritus est spiritus eius: et somnium eius fugit ab eo. [2] Precepit autem rex vt conuocarentur arioli et magi et malefici et chaldei: vt indicarent regi somnia sua. Qui cum venissent steterunt coram rege: [3] et dixit ad eos rex. Vidi somnium: et mente confusus ignoro quid viderim. [4] Responderuntque chaldei regi siriace. Rex in sempiternum viue. Dic somnium seruis tuis: et interpretationem eius indicabimus. [5] Et respondens rex ait chaldeis. Sermo recessit a me. Nisi indicaueritis michi somnium et coniecturam eius peribitis vos: et domus vestre publicabuntur. [6] Si autem somnium et coniecturam eius narraueritis premia et dona et honorem multum accipietis a me. Somnium igitur et interpretationem eius indicate michi. [7] Responderunt secundo atque dixerunt. Rex somnium dicat seruis suis: et interpretationem eius indicabimus. [8] Respondit rex et ait. Certe noui quod tempus redimitis: scientes quod recesserit a me sermo. [9] Si ergo somnium non indicaueritis michi vna est de vobis sententia: quod interpretationem quoque fallacem et deceptione plenam composueritis vt loquamini michi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite michi: vt sciam quod interpretationem quoque eius veram loquamini. [10] Respondentes ergo chaldei coram rege dixerunt. Non est homo super terram· qui sermonem tuum rex possit implere: sed neque regum quisquam magnus et potens verbum huiuscemodi sciscitatur ab omni ariolo et mago et chaldeo. [11] Sermo enim quem tu queris rex grauis est: nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis exceptis dijs quorum non est conuersatio cum hominibus. [12] Quo audito: rex in furore et in ira magna precepit vt perirent omnes sapientes babilonis. [13] Et egressa sententia· sapientes interficiebantur: querebanturque daniel et socij eius vt perirent. [14] Tunc daniel requisiuit de lege atque sententia ab arioch principe militie regis: qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes babilonis. [15] Et interrogauit eum qui a rege potestatem acceperat: quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset arioch danieli: [16] daniel ingressus rogauit regem vt

tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. 17 Et ingressus est domum suam· ananieque et misaheli et azarie socijs suis indicauit negocium 18 vt quererent misericordiam a facie dei celi super sacramento isto: et non perirent daniel et socij eius cum ceteris sapientibus babilonis. 19 Tunc dauieli misterium per visionem nocte reuelatum est. Et daniel benedixit deo celi 20 et locutus ait. Sit nomen domini benedictum a seculo et vsque in seculum: quia sapientia et fortitudo eius sunt: 21 et ipse mutat tempora et etates. Transfert regna atque constituit: dat sapientiam sapientibus: et scientiam intelligentibus disciplinam. 22 Ipse reuelat profunda et abscondita: et nouit in tenebris constituta: et lux cum eo est. 23 Tibi deus patrum nostrorum confiteor teque laudo quia sapientiam et fortitudinem dedisti michi: et nunc ostendisti michi que rogauimus te: quia sermonem regis aperuisti nobis. 24 Post hec daniel ingressus ad arioch quem constituerat rex vt perderet sapientes babilonis sic ei locutus est. Sapientes babilonis ne perdas. Introduc me in conspectu regis: et solutionem regi narrabo. 25 Tunc arioch festinus introduxit danielem ad regem: et dixit ei. Inueni hominem de filijs transmigrationis iude qui solutionem regi annunciet. 26 Respondit rex: et dixit danieli cuius nomen erat baltazar. Putasne vere potes michi indicare somnium quod vidi: et interpretationem ius? 27 Et respondens daniel coram rege ait. Misterium quod rex interrogat sapientes magi et arioli et aruspices nequeunt indicare regi: 28 sed est deus in celo reuelans misteria: qui indicauit tibi rex nabuchodonosor que ventura sunt nouissimis temporibus. Somnium tuum et visiones capitis tui in cubili tuo huiuscemodi sunt. 29 Tu rex cogitare cepisti in stratu tuo quid esset futurum post hec: et qui reuelat misteria ostendit tibi que ventura sunt. 30 Michi quoque non in sapientia que est in me plus quam in cunctis viuentibus sacramentum hoc reuelatum est: sed vt interpretatio regi manifesta fieret et cogitationes mentis tue scires. 31 Tu rex videbas: et ecce quasi statua vna grandis. Statua illa magna et statura sublimis stabat contra te: et intuitus eius erat terribilis. 32 Huius statue caput ex auro optimo erat: pectus autem et brachia de argento: porro venter et femora ex ere: 33 tibie autem ferree: pedum quedam pars erat ferrea quedam autem fictilis. 34 Videbas ita: donec abscisus est lapis de monte sine manibus et percussit statuam in pedibus eius ferreis et fictilibus: et comminuit eos. 35 Tunc contrita sunt pariter ferrum testa es argentum et aurum: et redacta quasi in fauillam estiue aree que rapta sunt vento: nullusque locus inuentus est eis. Lapis autem qui percusserat statuam factus est mons magnus: et impleuit vniuersam terram. 36 Hoc est somnium: interpretationem quoque eius dicemus coram te rex. 37 Tu rex regum es: et deus celi regnum et fortitudinem et imperium et gloriam dedit tibi: 38 et omnia in quibus habitant filij hominum et bestie agri volucres quoque celi dedit in manu tua: et subditione tua vniuersa constituit. Tu es ergo caput aureum. 39 Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: et regnum tercium aliud ereum quod imperabit vniuerse terre: 40 et regnum quartum erit velut ferreum. Quomodo ferrum comminuit et domat omnia: sic comminuet et conteret omnia hec. 41 Porro quia vidisti pedum et digitorum partem testeam figuli· et partem ferream: regnum diuisum erit quod tamen de plantario ferri orietur. Secundum quod vidisti ferrum mixtum teste ex luto· 42 et digitos pedum ex parte ferreos· et ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum: et ex parte contritum. 43 Quod autem vidisti ferrum mixtum teste ex luto: commiscebuntur quidem humano semine sed non adherebunt sibi: sicuti ferrum misceri non potest teste. 44 In diebus autem regnorum illorum suscitabit deus celi regnum quod in eternum non dissipabitur: et regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem et consumet vniuersa regna hec: et ipsum stabit in eternum. 45 Secundum quod vidisti quod de monte abscisus est lapis sine manibus et comminuit testam et ferrum et es et argentum et aurum: deus magnus ostendit regi que ventura sint postea: et verum est somnium et fidelis interpretatio eius. 46 Tunc rex nabuchodonosor cecidit in faciem suam et danielem adorauit: et hostias et incensum precepit vt sacrificarent ei 47 loquens ergo rex ait danieli. Vere deus vester deus deorum est et dominus regum: reuelans misteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum. 48 Tunc rex danielem in sublime extulit: et munera multa et magna dedit ei: et constituit eum principem super omnes prouincias babilonis et prefectum magistratuum super cunctos sapientes babilonis. 49 Daniel autem postulauit a rege: et constituit super opera prouincie babilonis sidrac misac et abdenago. Ipse autem daniel erat in foribus regis.

3 Nabuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta latitudine cubitorum sex: et statuit eam in campo duram prouincie babilonis. 2 Itaque nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas magistratus et iudices duces et tyrannos et prefectos omnesque principes regionum: vt conuenirent ad dedicationem statue quam erexerat nabuchodonosor rex. 3 Tunc congregati sunt satrape magistratus et iudices duces et tyranni et optimates qui erant in potestatibus constituti et vniuersi principes regionum: vt conuenirent ad dedicationem statue quam erexerat nabuchodonosor rex. Stabant autem in conspectu statue quam posuerat nabuchodonosor nosor rex: 4 et preco clamabat valenter. Vobis dicitur populis tribubus et linguis: 5 in hora qua audieritis sonitum tube et fistule et cythare sambuce et psalterij et symphonie et vniuersi generis musicorum: cadentes adorate statuam auream quam constituit nabuchodonosor rex. 6 Si quis autem non prostratus adoraverit: eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. 7 Post hec igitur statim vt audierunt omnes populi sonitum tube fistule et cythare sambuce et psalterij symphonie et omnis generis musicorum: cadentes omnes populi tribus et lingue adorauerant statuam auream quam constituerat nabuchodonosor rex. 8 Statimque in ipso tempore accedentes viri chaldei accusauerunt iudeos: 9 dixeruntque nabuchodonosor regi. Rex in eternum viue. 10 Tu rex posuisti decretum vt omnis homo qui audierit sonitum tube fistule et cythare sambuce et psalterij et symphonie et vniuersi generis musicorum prosternat se et adoret statuam auream: 11 si quis autem non procidens adoraverit mittatur in fornacem ignis ardentis. 12 Sunt ergo viri iudei quos constituisti super opera regionis babilonie sidrac misac et abdenago: viri isti contempserunt rex decretum tuum. Deos tuos non colunt: et statuam auream quam erexisti non adorant. 13 Tunc nabuchodonosor in furore et ira precepit vt adducerentur sidrac misac et abdenago. Qui confestim adducti sunt in conspectu regis: 14 pronunciansque nabuchodonosor rex ait eis. Verene sidrac misac et abdenago deos meos non colitis: et statuam auream quam constitui non adoratis? 15 Nunc ergo si estis parati quacumque hora audieritis sonitum tube fistule cythare sambuce et psalterij et symphonie omnisque generis musicorum prosternite vos et adorate statuam quam feci: quod si non adoraueritis: eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis. Et quis est deus qui eripiet vos de manu mea? 16 Respondentes sidrac misac et abdenago: dixerunt regi nabuchodonosor. Non oportet nos de hac re respondere tibi. 17 Ecce enim deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis: et de manibus tuis o rex liberare 18 Quod si noluerit· notum sit tibi rex· quia deos tuos non colimus· et statuam auream quam erexisti non adoramus. 19 Tunc nabuchodonosor repletus est furore· et aspectus faciei illius immutatus est super sidrac misac et abdenago: et precepit vt succenderetur fornax eptuplum quam succendi consueuerat: 20 et viris fortissimis de exercitu suo iussit vt ligatis pedibus sidrac misac et abdenago mitterent eos in fornacem ignis ardentis. 21 Et confestim viri illi vincti cum bracis suis et thyaris et calciamentis et vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis. 22 Nam iussio regis vrgebat. Fornax autem succensa erat nimis. Porro viros illos qui miserant sidrac misac et abdenago interfecit flamma ignis. 23 Viri autem hij tres id est sidrac misac et abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. Que sequuntur in hebreis voluminibus non repperi. 24 Et ambulabant in medio flamme: laudantes deum et benedicentes domino. 25 Stans autem azarias orauit sic. Aperiensque os suum in medio ignis ait. 26 Benedictus es domine deus patrum nostrorum et laudabile et gloriosum nomen tuum in secula: 27 quia iustus es in omnibus que fecisti nobis· et vniuersa opera tua vera et vie tue recte: et omnia iudicia tua vera. 28 Iudicia enim vera fecisti iuxta omnia que induxisti super nos et super ciuitatem sanctam patrum nostrorum iherusalem: quia in veritate et in iudicio induxisti omnia hec propter peccata nostra. 29 Peccauimus enim et inique egimus

recedentes a te et deliquimus in omnibus: [30] et precepta tua non audiuimus: nec obseruauimus nec fecimus sicut preceperas nobis vt bene nobis esset. [31] Omnia ergo que induxisti super nos et vniuersa que fecisti nobis vero iuditio fecisti: [32] et tradidisti nos in manibus inimicorum iniquorum et pessimorum preuaricatorumque: et regi iniusto et pessimo vltra omnem terram. [33] Et nunc non possumus aperire os. Confusio et obprobrium facti sumus seruis tuis: et hijs qui colebant te. [34] Ne quesumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum: et ne dissipes testamentum tuum [35] neque auferas misericordiam tuam a nobis propter abraham dilectum tuum et ysaac seruum tuum et israhel sanctum tuum: [36] quibus locutus es pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas celi et sicut harenam que est in litore maris: [37] quia domine imminuti sumus plus quam omnes gentes: sumusque humiles in vniuersa terra hodie propter peccata nostra. [38] Et non est in tempore hoc princeps et dux et propheta neque olocaustum neque sacrificium neque oblatio neque incensum neque locus primitiarum coram te· [39] vt possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur. [40] Sicut in olocausto arietum et thaurorum et sicut in milibus agnorum pinguium· sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te. [41] Et nunc sequimur te in toto corde et timemus te: et querimus faciem tuam. [42] Ne confundas nos: sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam et secundum multitudinem misericordie tue: [43] et erue nos in mirabilibus tuis et da gloriam nomini tuo domine: [44] et confundantur omnes qui ostendunt seruis tuis mala. Confundantur in omni potentia et robur eorum conteratur: [45] et sciant quia tu es dominus deus solus et gloriosus super orbem terrarum. [46] Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem napta et stuppa et pice et malleolis: [47] et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem: [48] et erupit incendit quos repperit iuxta fornacem de chaldeis. [49] Angelus autem domini descendit cum azaria et socijs eius in fornacem: et excussit flammam ignis de fornace [50] et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem: et non tetigit eos omnino ignis neque contristauit nec quicquam molestie intulit. [51] Tunc hij tres quasi ex vno ore laudabant et glorificabant et benedicebant deum in fornace dicentes. [52] Benedictus es domine deus patrum nostrorum: et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in secula. Et benedictum nomen glorie tue sanctum: et laudabile et superexaltatum in omnibus seculis. [53] Benedictus es in templo sancto glorie tue: et superlaudabilis et supergloriosus in secula. [54] Benedictus es in throno regni tui: et superlaudabilis et superexaltatus in secula. [55] Benedictus es qui intueris abissos et sedes super cherubin: et laudabilis et superexaltatus in secula. [56] Benedictus es in firmamento celi: et laudabilis et gloriosus in secula. [57] Benedicite omnia opera domini domino: laudate et superexaltate eum in secula. [58] Benedicite angeli domini domino: laudate et superexaltate eum in secula. [59] Benedicite celi domino: laudate et superexaltate eum in secula. [60] Benedicite aque omnes que super celo sunt domino: laudate et superexaltate eum in secula. [61] Benedicite omnes virtutes domini domino: laudate et superexaltate eum in secula. [62] Benedicite sol et luna domino: laudate et superexaltate eum iu secula. [63] Benedicite stelle celi domino: laudate et superexaltate eum in secula [64] Benedicite ymber et ros domino: laudate et superexaltate eum in secula. [65] Benedicite omnis spiritus dei domino: laudate et superexaltate eum in secula. [66] Benedicite ignis et estus domino: laudate et superexaltate eum in secula. [67] Benedicite frigus et estas domino: laudate et superexaltate eum in eum in secula. [68] Benedicite rores et pruina domino: laudate et superexaltate eum in secula. [69] Benedite gelu et frigus domino: laudate et superexaltate eum in secula. [70] Benedicite glacies et niues domino: laudate et superexaltate eum in secula. [71] Benedicite noctes et dies domino: laudate et superexaltate eum in secula. [72] Benedicite lux et tenebre domino: laudate et superexaltate eum in secula. [73] Benedicite fulgura et nubes domino: laudate et superexaltate eum in secula. [74] Benedicat terra dominum: laudet et superexaltet eum in secula. [75] Benedicite montes et colles domino: laudate et superexaltate eum in secula. [76] Benedicite vniuersa germinantia in terra domino: laudate et superexaltate eum in secula. [77] Benedicite fontes domino: laudate et superexaltate eum in secula. [78] Benedicite maria et flumina domino: laudate et superexaltate eum in secula. [79] Benedicite cete et omnia que mouentur in aquis domino: laudate et superexaltate eum in secula. [80] Benedicite omnes volucres celi domino: laudate et superexaltate eum in secula. [81] Benedicite omnes bestie et pecora domino: laudate et superexaltate eum in secula. [82] Benedicite hominum domino: laudate et superexal eum in secula. [83] Benedicat israhel dominum: laudet et superexaltet eum in secula. [84] Benedicite sacerdotes domini domino: laudate et superexaltate eum in secula. [85] Benedicite serui domini domino: laudate et superexaltate eum in secula. [86] Benedicite spiritus et anime iustorum domino: laudate et superexaltate eum in secula. [87] Benedicite sancti et humiles corde domino: laudate et superexaltate eum in secula. [88] Benedicite anania azaria misahel domino: laudate et superexaltate eum in secula: quia eruit nos de inferno et saluos fecit de manu mortis: et liberauit de medio ardentis flamme: et de medio ignis eruit nos. [89] Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius. [90] Benedicite omnes religiosi domino deo deorum: laudate et confitemini ei: quia in omnia secula misericordia eius. Huc vsque in hebreo non habetur et que posuimus de theodotionis editione translata sunt. [91] Tunc nabuchodonosor rex obstupuit et surrexit propere: et ait optimatibus suis. Nonne tres viros misimus in ignis medio compeditos? Qui respondentes regi dixerunt. Vere rex. [92] Respondit et ait. Ecce ego video viros quatuor solutos et ambulantes in medio ignis: et nichil corruptionis in eis est: et species quarti similis filio dei. [93] Tunc accessit nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis et ait. Sidrac misac et abdenago serui dei excelsi: egredimini et venite. Statimque egressi sunt sidrac misac et abdenago de medio ignis. [94] Et congregati satrape magistratus et iudices et potentes regis contemplabantur viros illos quoniam nichil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum: et capillus capitis eorum non esset adustus et saraballa eorum non fuissent immutata: et odor ignis non transisset per eos. [95] Et erumpens nabuchodonosor ait. Benedictus deus eorum sidrac videlicet misac et abdenago: qui misit angelum suum et eruit seruos suos qui crediderunt in eum: et verbum regis immutauerunt: et tradiderunt corpora sua ne seruirent et ne adorarent omnem deum excepto deo suo. [96] A me ergo positum est hoc decretum: vt omnis populus tribus et lingua quecumque locuta fuerit blasphemiam contra deum sidrac misac et abdenago dispereat: et domus eius vastetur. Neque enim est alius deus: qui possit ita saluare. [97] Tunc rex promouit sidrac misac et abdenago iu prouincia babilonis. [98] Nabuchodonosor rex omnibus populis gentibus et linguis qui habitant in vniuersa terra: pax vobis multiplicetur. [99] Signa et mirabilia fecit apud me deus excelsus. Placuit ergo michi predicare [100] eius signa quia magna sunt: et mirabilia eius quia fortia: et regnum eius regnum sempiternum: et potestas eius in generationem et generationem.

4 Ego nabuchodonosor quietus eram in domo mea et florens in palacio meo. [2] Somnium vidi quod perterruit me: et cogitaciones mee in stratu meo: et visiones capitis mei conturbauerunt me. [3] Et per me propositum est decretum vt introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes babilonis: et vt solucionem somnij indicarent michi. [4] Tunc ingrediebantur arioli magi chaldei et aruspices· et somnium narraui in conspectu eorum: et solutionem eius non indicauerunt michi· [5] donec collega ingressus est in conspectu meo daniel· cuius nomen balthazar secundum nomen dei mei· qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: et somnium coram ipso locutus sum. [6] Balthazar princeps ariolorum quem ego scio quod spiritum deorum sanctorum habeas in te· et omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum quas vidi· et solutionem eorum narra. [7] Visio capitis mei in cubili meo. Videbam: et ecce arbor in medio terre· et altitudo eius nimia. [8] Magna arbor et fortis: et proceritas eius contingens celum. Aspectus illius erat vsque ad terminos vniuerse terre. [9] Folia eius pulcerrima: et fructus eius nimius: et esca vniuersorum in ea. Subter eam habitabant animalia et bestie: et in ramis eius conuersabantur volucres celi: et ex ea vescebatur

omnis caro. [10] Videbam in visione capitis mei super stratum meum: et ecce vigil et sanctus de celo descendit: [11] clamauit fortiter· et sic ait. Succidite arborem et precidite ramos eius: excutite folia eius et dispergite fructus eius: fugiant bestie que subter eam sunt· et volucres de ramis eius. [12] Veruntamen germen radicum eius in terra sinite: et alligetur vinculo ferreo et ereo: in herbis que foris sunt et rore celi tinguatur: et cum feris pars eius in herba terre. [13] Cor eius ab humano commutetur: et cor fere detur ei: et septem tempora mutentur super eum. [14] In sententia vigilum decretum est: et sermo sanctorum et petitio: donec cognoscant viuentes quoniam dominatur excelsus in regno hominum· et cuicumque voluerit dabit illud: et humilimum hominem constituet super eum. [15] Hoc somnium vidi ego nabuchodonnosor rex. Tu ergo balthazar interpretationem narra festinus: quia omnes sapientes regni mei non queunt solucionem edicere michi. Tu autem potes: quia spiritus deorum sanctorum in te est. [16] Tunc daniel cuius nomen cepit intra semetipsum tacitus cogitare quasi vna hora: et cogitationes eius conturbabant eum. Respondens autem rex ait. Balthazar somnium et interpretatio eius non conturbent te. Respondit balcha et dixit. Domine mi: somnium hijs qui te oderunt: et interpretatio eius hostibus tuis sit. [17] Arborem quam vidisti sublimem atque robustam cuius altitudo pertingit ad celum· et aspectus illius in omnem terram· [18] et rami eius pulcerrimi· et fructus eius nimius· et esca omnium in ea· subter eam habitantes bestie agri· et in ramis eius commorantes aues celi: [19] tu es rex qui magnificatus es et inualuisti· et magnitudo tua creuit et peruenit vsque ad celum: et potestas tua in terminos vniuerse terre. [20] Quod autem vidit rex vigilem et sanctum descendere de celo et dicere· succidite arborem et dissipate illam· actamen germen radicum eius in terra dimittite· et vinciatur ferro et ere· in herbis foris et rore celi conspergatur· et cum feris sit pabulum eius donec septem tempora commutentur super eum: [21] hec est interpretatio sententie altissimi· que peruenit super dominum meum regem. [22] Eicient te ab hominibus et cum bestijs ferisque erit habitatio tua: et fenum vt bos comedes: et rore celi infunderis. Septem quoque tempora mutabuntur super te· donec scias quod dominetur excelsus super regnum hominum: et cuicumque voluerit det illud. [23] Quod autem precepit vt relinqueretur germen radicum eius id est arboris: regnum tuum tibi manebit postquam cognoueris potestatem esse celestem. [24] Quamobrem rex consilium meum placeat tibi· et peccata tua elemosinis redime: et iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet deus delictis tuis. [25] Omnia hec venerunt super nabuchodonosor regem. [26] Post finem mensium duodecim in aula babilonis deambulabat. [27] Responditque rex et ait. Nonne hec est babilon ciuitas magna quam ego edificaui in domum regni in robore fortitudinis mee: et in gloria decoris mei? [28] Cumque sermo adhuc esset in ore regis: vox de celo ruit. Tibi dicitur nabuchodonosor rex. Regnum tuum transibit a te [29] et ab hominibus eicient te: et cum bestijs et feris erit habitatio tua: fenum quasi bos comedes· et septem tempora mutabuntur super te: donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum· et cuicumque voluerit det illud. [30] Eadem hora sermo completus est super nabuchodonosor: et ex hominibus abiectus est et fenum vt bos comedit: et rore celi corpus eius infectum est: donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent· et vngues eius quasi auium. [31] Igitur post finem dierum ego nabuchodonosor oculos meos ad celum leuaui· et sensus meus redditus est michi: et altissimo benedixi· et viuentem in sempiternum laudaui et glorificaui: quia potestas eius potestas sempiterna· et regnum eius in generationem et generationem: [32] et omnes habitatores terre apud eum in nichilum reputati sunt. Iuxta voluntatem enim suam· facit tam in virtutibus celi quam in habitatoribus terre: et non est qui resistat manui eius et dicat ei quare fecisti. [33] In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me· et ad honorem regni mei decoremque perueni: et figura mea reuersa est ad me· et optimates mei et magistratus mei requisierunt me: et in regno meo restitutus sum: et magnificentia mea amplior addita est michi. [34] Nunc igitur ego nabuchodonosor· laudo et magnifico et glorifico regem celi: quia omnia opera eius vera· et vie eius iudicia: et gradientes in superbia potest humiliare.

5 althazar rex fecit grande conuiuium vium optimatibus suis mille: et vnusquisque secundum suam bibebat etatem. [2] Precepit ergo iam temulentus vt afferrentur vasa aurea et argentea· que asportauerat nabuchodonosor pater eius de templo quod fuit in iherusalem: vt biberent in eis rex et optimates eius· vxoresque eius et concubine. [3] Tunc allata sunt vasa aurea que asportauerat de templo quod fuerat in iherusalem: et biberunt in eis rex et optimates eius vxores et concubine illius. [4] Bibebant vinum: et laudabant deos suos aureos et argenteos et ereos ferreos lingneosque et lapideos. [5] In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum: in superficie parietis aule regie. Et rex aspiciebat articulos manus scribentis. [6] Tunc facies regis commutata est· et cogitaciones eius conturbabant eum: et compages renum eius soluebantur: et genua eius ad se inuicem collidebantur. [7] Exclamauit itaque rex fortiter: vt introducerent magos chaldeos et aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus babilonis. Quicunque legerit scripturam hanc et interpretationem eius manifestam michi fecerit· purpura vestietur: et torquem auream habebit in collo: et terrius in regno meo erit. [8] Tunc ingressi omnes sapientes regis non potuerunt nec scripturam legere: nec interpretationem eius indicare regi. [9] Vnde rex balthazar satis conturbatus est: et vultus illius immutatus est. Sed et optimates eius turbabantur. [10] Regina autem pro re que acciderat regi et optimatibus eius domum conuiuij ingressa est: et proloquens ait. Rex in eternum viue. Non te conturbent cogitationes tue: neque facies tua immutetur. [11] Est vir in regno tuo qui spiritum deorum sanctorum habet in se: et in diebus patris tui scientia et sapientia inuente sunt in eo. Nam et rex nabuchodonosor pater tuus principem magorum incantatorum chaldeorum et aruspicum constituit eum. Pater inquam tuus o rex: [12] quia spiritus amplior et prudentia intelligentiaque interpretatio somniorum· et ostensio secretorum· ac solutio ligatorum inuente sunt in eo· hoc est in daniele: cui rex posuit nomen balthazar. Nunc itaque daniel vocetur: et interpretationem narrabit. [13] Igitur introductus est daniel coram rege. Ad quem prefatus rex ait. Tu es daniel de filijs captiuitatis iude· quam adduxerat pater meus rex de iudea? [14] Audiui de te quoniam spiritum deorum habeas: et scientia intelligentiaque ac sapientia ampliores inuente sunt in te. [15] Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi· vt scripturam hanc legerent et interpretationem eius indicarent michi: et nequiuerunt sensum huius sermonis edicere. [16] Porro ergo audiui de te· quod possis obscura interpretari: et ligata dissoluere. Si ergo vales scripturam legere et interpretationem eius indicare michi· purpura vestieris: et torquem auream circa collum tuum habebis: et tercius in regno meo princeps eris. [17] Ad que respondens daniel ait coram rege. Munera tua sint tibi: et dona domus tue alteri da: scripturam autem legam tibi rex· et interpretationem eius ostendam tibi. [18] O rex deus altissimus regnum et magnificentiam gloriam et honorem dedit nabuchodonosor patri tuo: [19] et propter magnificentiam quam dederat ei· vniuersi populi tribus et lingue tremebant et metuebant eum. Quos volebat interficiebat· quos volebat percuciebat: quos volebat exaltabat: et quos volebat humiliabat. [20] Quando autem eleuatum est cor eius et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam· depositus est de solio regni sui: et gloria eius ablata est: [21] et a filijs hominum eiectus est. Sed et cor eius cum bestijs positum est: et cum onagris erat habitatio eius. Fenum que quoque vt bos comedebat· et rore celi corpus eius infectum est: donec cognosceret quod potestatem haberet altissimus in regno hominum: et quemcumque voluerit suscitabit super illud. [22] Tu quoque filius eius balthazar non humiliasti cor tuum cum scires hec omnia: [23] sed aduersum dominatorem celi eleuatus es. Et vasa domus eius allata sunt coram te: et tu et optimates tui et vxores tue et concubine tue vinum bibistis in eis. Deos quoque argenteos et aureos et ereos ferreos ligneosque et lapideos· qui non vident neque audiunt neque sentiunt laudasti: porro deum qui habet flatum tuum in manu sua· et omnes vias tuas non glorificasti· [24] idcirco ab eo missus est articulus manus que scripsit hoc quod exaratum est. [25] Hec est autem scriptura que digesta est. Mane thecel phares. [26] Et hec in sermonis. Mane: numerauit deus regnum tuum· et compleuit illud. [27] Thecel: appensum est in statera· et inuentum est minus habens. [28] Phares:

diuisum est regnum tuum· et datum est medis et persis. [29] Tunc iubente rege indutus est daniel purpura: et circumdata est torques aurea collo eius: et predicatum est de eo quod haberet potestatem tercius in regno. [30] Eadem nocte insectus est balthazar rex chaldeus: [31] et darius medus successit in regnum· annos natus sexaginta duos.

6 Placuit dario: et constituit supra regnum satrapas centumuiginti vt essent in toto regno suo [2] et super eos principes tres ex quibus daniel vnus erat vt satrape illis redderent rationem: et rex non sustineret molestiam. [3] Igitur daniel superabat omnes principes et satrapas: quia spiritus dei amplior erat in illo. [4] Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum. Vnde principes et satrape querebant occasionem vt inuenirent danieli ex latere regis: nullamque causam et suspirationem reperire potuerunt eo quod fidelis esset: et omnis culpa et suspitio non inueniretur in eo. [5] Dixerunt ergo viri illi. Non inueniemus danieli huic aliquam occasionem: nisi forte in lege dei sui. [6] Tunc principes et satrape surripuerunt regi: et sic locuti sunt ei. Dari rex in eternum viue. [7] Consilium inierunt cuncti principes regni tui· magistratus et satrape senatores et iudices vt decretum imperatorium exeat et edictum: vt omnis qui petierit aliquam petitionem a quocumque deo et homine vsque ad triginta dies nisi a te rex: mittatur in lacum leonum. [8] Nunc itaque rex confirma sententiam et scribe decretum vt non immutetur quod statutum est a medis et persis: nec preuaricari cuiquam liceat. [9] Porro rex darius proposuit edictum et statuit. [10] Quod cum daniel comperisset id est constitutam legem: ingressus est domum suam et fenestris apertis in cenaculo suo contra iherusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua et adorabat: confitebaturque coram deo suo sicut et ante facere consueuerat. [11] Viri ergo illi curiosius inquirentes inuenerunt danielem orantem et obsecrantem deum suum: [12] et accedentes locuti sunt regi super edicto. Rex numquid non constituisti vt omnis homo qui rogaret quemquam de dijs et hominibus vsque ad dies triginta nisi te rex mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex ait. Verus sermo iuxta decretum medorum atque persarum: quod preuaricari non licet. [13] Tunc respondentes dixerunt coram rege. Daniel de filijs captiuitatis ris iude non curauit de lege tua et edicto quod constituisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. [14] Quod verbum cum audisset rex satis contristatus est: et pro daniele posuit cor vt liberaret eum: et vsque ad occasum solis laborabat vt erueret illum. [15] Viri autem illi intelligen tes regem dixerunt ei. Scito rex quia lex medorum est atque persarum: vt omne decretum quod constituerit rex non liceat immutari. [16] Tunc rex precepit et adduxerunt danielem: et miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex danieli. Deus tuus quem colis semper: ipse liberabit te. [17] Allatusque est lapis vnus et positus est super hos laci: quem obsignauit rex anulo suo et anulo optimatum suorum: ne quid fieret contra Bani danielem. [18] Et abijt rex in domum suam et dormiuit incenatus: cibique non sunt allati coram eo: insuper et somnus recessit ab eo. [19] Tunc rex primo diluculo consurgens festinus ad lacum leonum perrexit: [20] appropinquansque lacui danielem voce lacrimabili inclamauit: et affatus est eum. Daniel serue dei viuentis: deus tuus cui tu seruis semper· putasne valuit te liberare a leonibus? [21] Et daniel regi respondens ait. Rex in eternum viue. [22] Deus misit angelum suum· et conclusit ora leonum et non nocuerunt michi: quia coram eo iusticia inuenta est in me. Sed et coram te rex delictum non feci. [23] Tunc vehementer rex gauisus est super eo: et danielem precepit educi de lacu. Eductusque est daniel delacu: et nulla lesio inuenta est in eo: quia credidit deo suo. [24] Iubente autem rege adducti sunt viri illi qui accusauerunt danielem: et in lacum leonum missi sunt ipsi et filij et vxores eorum: et non peruenerunt vsque ad pauimentum laci: donec arriperent eos leones et omnia ossa eorum comminuerunt. [25] Tunc darius rex scripsit vniuersis populis tribubus et linguis habitantibus in vniuersa terra. Pax vobis multiplicetur. [26] A me constitutum est decretum: vt in vniuerso imperio et regno meo tremiscant et paueant deum danielis. Ipse est enim deus viuens et eternus in secula: et regnum eius non dissipabitur: et potestas eius vsque in eternum. [27] Ipse liberator atque saluator faciens signa et mirabilia in celo et in terra: qui liberauit danielem de lacu leonum. [28] Porro daniel perseuerauit vsque ad regnum darij regnumque cyri perse.

7 Anno balthazar regis babilonis daniel somnium vidit. Visionem autem capitis eius in cubili suo: et somnium scribens breui sermone comprehendit: summatimque perstringens ait. [2] Videbam in visione mea nocte: et ecce quatuor venti celi pugnabant in mari magno: [3] et quatuor bestie grandes ascendebant de mari diuerse inter se. [4] Prima quasi leena: et alas habebat aquile. Aspiciebam donec euulse sunt ale eius et sublata est de terra: et super pedes quasi homo stetit: et cor eius datum est ei. [5] Et ecce bestia alia similis vrso in parte stetit: et tres ordines erant in ore eius et in dentibus eius: et sic dicebant ei. Surge: comede carnes plurimas. [6] Post hec aspiciebam: et ecce alia quasi pardus: et alas habebat auis quatuor super se. Et quatuor capita erant in bestia: et potestas data est ei. [7] Post hec aspiciebam in visione noctis: et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis. Dentes ferreos habebat magnos: comedens atque comminuens· et reliqua pedibus suis conculcans. Dissimilis autem erat ceteris bestijs quas videram ante eam: et habebat cornua decem. [8] Considerabam cornua: et ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: et tria de cornibus primis euulsa sunt a facie eius. Et ecce oculi e quasi oculi hominis in cornu isto: et os loquens ingentia. [9] Aspiciebam donec throni positi sunt: et antiquus dierum sedit. Vestimentum eius candidum quasi nix: capilli capitis eius quasi lana munda. Thronus eius flamme ignis: rote eius ignis accensus: [10] fluuius igneus rapidusque que egrediebatur a facie eius. Milia milium ministrabant ei: et decies milies centena milia assistebant ei. Iudicium sedit: et libri aperti sunt. [11] Aspiciebam propter vocem sermonum grandium quos cornu illud loquebatur. Et vidi quoniam interfecta esset bestia· et perisset corpus eius et traditum esset ad comburendum igni: [12] aliarumque bestiarum ablata esset potestas: et tempora vite constituta essent eis vsque ad tempus et tempus. [13] Aspiciebam ergo in visione noctis: et ecce cum nubibus celi quasi filius hominis veniebat· et vsque ad antiquum dierum peruenit: et in conspectu eius obtulerunt eum. [14] Et dedit ei potestatem et honorem et regnum: et omnes populi tribus et lingue ipsi seruient. Potestas eius potestas eterna que non auferetur: et regnum eius quod non corrumpetur. [15] Horruit spiritus meus. Ego daniel territus sum in hijs: et visiones capitis mei conturbauerunt me. [16] Accessi ad vnum de assistentibus: et veritatem querebam ab eo de omnibus hijs. Qui dixit michi interpretationem sermonum: et docuit me. [17] Hee quatuor bestie magne: quatuor regna consurgent de terra. [18] Suscipient autem regnum sancti dei altissimi: et obtinebunt regnum vsque in seculum et seculum seculorum. [19] Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta: que erat dissimilis valde ab omnibus et terribilis nimis. Dentes et vngues eius ferrei: comedebat et comminuebat: et reliqua pedibus suis conculcabat. [20] Et de cornibus decem que habebat in capite· et de alio quod ortum fuerat· ante quod ceciderant tria cornua: et de cornu illo quod habebat oculos et os loquens grandia: et maius erat ceteris. [21] Aspiciebam: et ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos et preualebat eis: [22] donec venit antiquus dierum et iudicium dedit sanctis excelsi: et tempus aduenit et regnum obtinuerunt sancti. [23] Et sic ait. Bestia quarta· regnum quartum erit in terra quod maius erit omnibus regnis: et deuorabit vniuersam terram: et conculcabit et comminuet eam. [24] Porro decem cornua· ipsius regni decem reges erunt: et alius consurget post eos et ipse potentior erit prioribus: et tres reges humiliabit. [25] Et sermones contra excelsum loquetur: et sanctos altissimi conteret. Et putabit quod possit mutare tempora et leges: et tradentur in manu eius vsque ad tempus et tempora et dimidium temporis. [26] Et iudicium sedebit vt auferatur potentia et conteratur et disperiat vsque in finem: [27] regnum autem et potestas et magnitudo regni que est subter omne celum detur populo sanctorum altissimi cuius regnum regnum sempiternum est: et omnes reges seruient ei et obedient. [28] Hucusque finis verbi. Ego daniel multum cogitationibus meis conturbabar: et facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conseruaui.

8 Anno tercio regni balthazar regis visio apparuit michi. Ego daniel post id
quod videram in principio [2] vidi in visione mea cum essem in susis castro
quod est in helam ciuitate: vidi autem in visione esse me super portam vlai: [3] et
leuaui oculos meos et vidi. Et ecce aries vnus stabat ante paludem habens
cornua excelsa: et vnum excelsius altero atque succrescens. Postea [4] vidi arietem
cornibus ventilantem contra occidentem et contra aquilonem et contra
meridiem: et omnes bestie non poterant resistere ei neque liberari de manu
eius: fecitque secundum voluntatem suam et magnificatus est. [5] Et ego
intelligebam. Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem
tocius terre: et non tangebat terram. Porro hircus habebat cornu insigne inter
oculos suos [6] et venit vsque ad arietem illum cornutum quem videram stantem
ante portam: et cucurrit ad eum impetu fortitudinis sue. [7] Cumque
appropinquasset prope arietem efferatus est in eum: et percussit arietem et
comminuit duo cornua eius et non poterat aries resistere ei. Cumque eum
misisset in terram conculcauit: nemo quibat liberare arietem de manu eius.
[8] Hircus autem caprarum magnus factus est nimis. Cumque creuisset fractum
est cornu magnum: et orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor
ventos celi. [9] De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum: et
factum est grande contra meridiem et contra orientem et contra fortitudinem.
[10] Et magnificatum est vsque ad fortitudinem celi: et deiecit de fortitudine et
de stellis et conculcauit eas: [11] et vsque ad principem fortitudinis magnificatus
est. Et ab eo tulit iuge sacrificium: et deiecit locum sanctificationis eius.
[12] Robur autem datum est contra iuge sacrificium propter peccata: et
prosternetur veritas in terra: et prosperabitur et faciet. [13] Et audiui vnum de
sanctis loquentem: et dixit vnus sanctus alteri nescio cui loquenti. Vsquequo
visio et iuge sacrificium et peccatum desolationis que facta est et sanctuarium
et fortitudo conculcabitur? [14] Et dixit ei. Vsque ad vesperam et mane duo milia
trecenti: et mundabitur sanctuarium. [15] Factum est autem cum viderem ego
daniel visionem et quererem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi
species viri. [16] Et audiui vocem viri inter vlai: et clamauit et ait. Gabriel fac
intelligere istum visionem. [17] Et venit: et stetit iuxta vbi ego stabam. Cunque
venisset: pauens corrui in faciem meam. Et ait ad me. Intellige fili hominis:
quoniam in tempore finis complebitur visio. [18] Cumque loqueretur ad me:
collapsus sum pronus in terram. Et tetigit me et statuit me in gradu meo:
[19] dixitque michi. Ego ostendam tibi que futura sint in nouissimo
maledictionis: quoniam habet tempus finem suum. [20] Aries quem vidisti
habere cornua: rex medorum est atque persarum. [21] Porro hircus caprarum rex
grecorum est: et cornu grande quod erat inter oculos eius ipse est rex primus.
[22] Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente
eius consurgent: sed non in fortitudine eius. [23] Et post regnum eorum cum
creuerint iniquitates· consurget rex impudens facie et intelligens
propositiones: [24] et roborabitur fortitudo eius sed non in viribus suis· et supra
quam credi potest vniuersa vastabit: et prosperabitur et faciet. Et interficiet
robustos et populum sanctorum [25] secundum voluntatem suam: et dirigetur
dolus in manu eius et cor suum magnificabit: et in copia rerum omnium
occidet plurimos. Et contra principem principum consurget: et sine manu
conteretur. [26] Et visio vespere et mane que dicta est vera est. Tu ergo visionem
signa: quia post multos dies erit. [27] Et ego daniel langui et egrotaui per dies.
Cumque surrexissem faciebam opera regis: et stupebam ad visionem: et non
erat qui interpretaretur.

9 In In anno primo darij filij assueri de semine medorum qui imperauit
super regnum chaldeorum [2] anno vno regni eius ego daniel intellexi in
libris numerum annorum de quo factus est sermo domini ad iheremiam
prophetam: vt complerentur desolationis iherusalem septuaginta anni. [3] Et
posui faciem meam ad dominum deum meum rogare et deprecari in ieiunijs
sacco et cinere: [4] et oraui dominum deum: et confessus sum et dixi. Obsecro
domine deus magne et terribilis custodiens pactum et misericordiam
diligentibus te et custodientibus mandata tua: [5] peccauimus iniquitatem
fecimus impie egimus: et recessimus et declinauimus a mandatis tuis ac
iudicijs. [6] Non obediuimus seruis tuis prophetis: qui locuti sunt in nomine tuo
regibus nostris principibus nostris patribus nostris omnique populo terre.
[7] Tibi domine iusticia: nobis autem confusio faciei sicut est hodie viro iuda et
habitatoribus iherusalem et omni israhel: hijs qui prope sunt et hijs qui procul
in vniuersis terris ad quas eiccisti eos propter iniquitates eorum in quibus
peccauerunt in te [8] domine. Nobis confusio faciei: regibus nostris principibus
nostris et patribus nostris qui peccauerunt. [9] Tibi autem domino deo nostro
misericordia et propiciatio quia recessimus a te: [10] et non audiuimus vocem
domini dei nostri vt ambularemus in lege eius quam posuit nobis per seruos
suos prophetas: [11] et omnis israhel preuaricati sunt legem tuam et
declinauerunt ne audirent vocem tuam: et stillauit super nos maledictio et
detestatio que scripta est in libro moysi serui dei quia peccauimus ei. [12] Et
statuit sermones suos quos locutus est super nos et super principes nostros qui
iudicauerunt nos: vt superinduceret in nos: malum magnum quale numquam
fuit sub omni celo· secundum quod factum est in iherusalem [13] sicut scriptum
est in lege moysi. Omne malum hoc venit super nos. Et non rogauimus faciem
tuam domine deus noster· vt reuerteremur ab iniquitatibus nostris: et
cogitaremus veritatem tuam. [14] Et vigilauit dominus super maliciam: et
adduxit eam super nos. Iustus dominus deus noster: in omnibus operibus suis
que fecit. Non enim audiuimus vocem eius. [15] Et nunc domine deus noster qui
eduxisti populum tuum de terra egipti in manu forti et fecisti tibi nomen
secundum diem hanc: peccauimus iniquitatem fecimus [16] domine in omnem
iusticiam tuam. Auertatur obsecro ira tua et furor tuus a ciuitate tua
iherusalem: et a monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra et iniquitates
patrum nostrorum iherusalem et populus tuus in opprobrium sunt omnibus
per circuitum nostrum. [17] Nunc ergo exaudi deus noster orationem serui tui et
preces eius: et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum quod desertum
est. Propter temetipsum [18] inclina deus meus aurem tuam et audi: aperi oculos
tuos et vide desolationem nostram: et ciuitatem super quam inuocatum est
nomen tuum. Neque enim in stificationibus iustificatonibus nostris
prosternimus preces ante faciem tuam: sed in miseracionibus tuis multis.
[19] Exaudi domine: placare domine: attende et fac. Ne moreris propter
temetipsum deus meus: quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem et
super populum tuum. [20] Cumque adhuc loquerer et orarem et confiterer
peccata mea et peccata populi mei israhel vt prosternerem preces meas in
conspectu dei mei pro monte sancto dei mei: [21] adhuc loquente me in oratione
mea· ecce vir gabrihel quem videram in visione principio cito volans tetigit me
in tempore sacrificij vesper tini: [22] et docuit me et locutus est michi. Dixitque.
Daniel: nunc egressus sum vt docerem te et intelligeres. [23] Ab exordio precum
tuarum egressus est sermo. Ego autem veni vt indicarem tibi: quia vir
desideriorum es. Tu autem animaduerte sermonem: et intellige visionem.
[24] Septuaginta ebdomades abbreuiate sunt super populum tuum· et super
vrbem sanctam tuam vt consummetur preuaricatio· et finem accipiat
peccatum· et deleatur iniquitas: et adducatur iusticia sempiterna et impleatur
visio et prophetia: et vngatur sanctus sanctorum. [25] Scito ergo et animaduerte:
ab exitu sermonis vt iterum edificetur iherusalem vsque ad cristum ducem
ebdomades septem et ebdomades sexaginta due erunt: et rursum edificabitur
platea et muri in angustia temporum. [26] Et post ebdomades sexaginta duas
occidetur cristus: et non erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatem
et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturoret turo: et turo: et finis
eius vastitas: et post finem belli statuta desolatio. [27] Confirmabit autem
pactum multis ebdomada vna: et Bani in dimidio ebdomadis deficiet hostia et
sacrificium. Et erit in templo abominatio desolationis: et vsque ad
consummationem et finem perseuerabit desolatio

10 Anno tercio regni cyri regis persarum verbum reuelatum est danieli
cognomento balthazar: et verbum verum et fortitudo magna:
intellexitque sermonem. Intelligentia enim est opus in visione. [2] In diebus illis
ego daniel lugebam trium ebdomadarum diebus: [3] panem desiderabilem non
comedi: et caro et vinum non introierunt in os meum. Sed neque vngento
vnctus sum: donec complerentur trium ebdomadarum dies. [4] Die autem

vicesima et quarta mensis primi eram iuxta fluuium magnum qui est tygris: [5] et leuaui oculos meos et vidi. Et ecce vir vnus vestitus lineis et renes eius accincti auro obrizo: [6] et corpus eius quasi crisolitus et facies eius velut species fulguris: et oculi eius vt lampas ardens: et brachia eius et que deorsum vsque ad pedes quasi species eris candentis: et vox sermonum eius vt vox multitudinis. [7] Vidi autem ego daniel solus visionem: porro viri qui erant mecum non viderunt: sed terror nimius irruit super eos et fugerunt in absconditum. [8] Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc: et non remansit in me fortitudo: sed et species mea immutata est in me: et emarcui nec habui quicque virium. [9] Et audiui vocem sermonum eius: et audiens iacebam consternatus super faciem meam: et vultus meus herebat terre. [10] Et ecce manus tetigit me: et erexit me super genua mea et super articulos manuum mearum. [11] Et dixit ad me. Daniel vir desideriorum intellige verba que ego loquor ad te: et sta in gradu tuo. Nunc enim sum missus ad te. Cunque dixisset michi sermonem istum steti tremens: [12] et ait ad me. Noli metuere daniel: quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conspectu dei tui· exaudita sunt verba tua: et ego veni propter sermones tuos. [13] Princeps autem regni persarum restitit michi viginti et vno diebus: et ecce michahel vnus de principibus primis venit in adiutorium meum: et ego remansi ibi iuxta regem persarum. [14] Veni autem vt docerem te que ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus: quoniam adhuc visio in dies. [15] Cunque loqueretur michi huiuscemodi verbis: deieci vultum meum ad terram· et tacui. [16] Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea: et aperiens os meum locutus sum: et dixi ad eum qui stabat contra me. Domine mi in visione tua dissolute sunt compages mee: et nichil in me remansit virium. [17] Et quomodo poterit seruus domini mei loqui cum domino meo? Nichil enim in me remansit virium: sed et halitus meus intercluditur. [18] Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis: et confortauit me [19] et dixit. Noli timere vir desideriorum: pax tibi: confortare et esto robustus. Cumque loqueretur mecum: conualui et dixi. Loquere domine mi: quia confortasti me. [20] Et ait. Nunquid scis quare venerim ad te? Et nunc reuertar vt prelier aduersum principem persarum. Cum enim egrederer apparuit princeps grecorum veniens. [21] Veruntamen annunciabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis: et nemo est adiutor meus in omnibus hijs: nisi michahel princeps vester.

11 Ego autem aut a primo anno darij medi stabam: vt confortaretur et roboraretur. [2] Et nunc veritatem annunciabo tibi. Ecce adhuc tres reges stabunt in perside: et quartus ditabitur opibus nimijs super omnes: et cum inualuerit diuitijs suis concitabit omnes aduersum regnum grecie. [3] Surget vero rex fortis et dominabitur potestate multa: et faciet quod placuerit ei. [4] Et cum steterit conteretur regnum eius: et diuidetur in quatuor ventos celi: sed non in posteros eius neque secundum potentiam illius qua dominatus est. Lacerabitur enim regnum eius etiam in externos: exceptis hijs. [5] Et confortabitur rex austri: et de principibus eius preualebit super eum. Et dominabitur ditione: multa enim dominatio eius. [6] Et post finem annorum federabuntur. Filiaque regis austri veniet ad regem aquilonis facere amiciciam: et non obtinebit fortitudinem brachij nec stabit semen eius: et tradetur ipsa et qui adduxerunt eam adolescentes eius· et qui confortabant eam in temporibus. [7] Et stabit de germine radicum eius plantatio. Et veniet cum exercitu et ingredietur prouintiam regis aquilonis· et abutetur eis: et obtinebit [8] insuper et deos eorum et sculptilia: vasa que preciosa auri et argenti captiua ducet in egiptum. Ipse preualebit aduersus regem aquilonis. [9] Et intrabit in regnum rex austri: et reuertetur ad terram suam. [10] Filij autem eius prouocabuntur: et congregabunt multitudinem exercituum plurimorum. Et veniat properans et inundans: et reuertetur et concitabitur: et congredietur cum robore eius. [11] Et prouocatus rex austri egredietur et pugnabit aduersus regem aquilonis: et preparabit multitudinem nimiam et dabitur multitudo in manus eius: [12] et capiet multitudinem et exaltabitur cor eius: et deiciet multa milia: sed non preualebit. [13] Conuertetur enim rex aquilonis: et preparabit multitudinem multo maiorem quam prius. Et in fine temporum annorumque veniet properans cum exercitu magno et opibus nimijs. [14] In temporibus illis multi consurgent aduersus I regem austri. Filij quoque preuaricatorum populi tui extollentur vt impleant visionem et corruent. [15] Et veniet rex aquilonis et comportabit aggerem: et capiet vrbes munitissimas: et brachia austri non sustinebunt. Et consurgent electi eius ad resistendum: et non erit fortitudo. [16] Et faciet veniens super eum iuxta placitum suum: et non erit qui stet contra faciem eius. Et stabit in terra inclita et consumetur in manu eius: [17] et ponet faciem suam vt veniat ad retinendum vniuersum regnum eius: et recta faciet cum eo. Et filiam feminarum dabit ei vt euertat illud: et non stabit nec illius erit. [18] Et conuertet faciem suam ad insulas et capiet multas: et cessare faciet principem opprobrij sui. Et opprobrium eius conuertetur in eum. [19] Et conuertet faciem suam ad imperium terre sue: et impinget et corruet: et non inuenietur. [20] Et stabit in loco eius vilissimus et indignus decore regio: et in paucis diebus conteretur non in furore nec in prelio. [21] Et stabit in loco eius despectus: et non tribuetur ei honor regius. Et veniet clam et obtinebit regnum in fraudulentia: [22] et brachia pugnantis expugnabuntur a facie eius: et conterentur. Insuper et dux federis. [23] Et post amicicias cum eo faciet dolum: et ascendet et superabit in modico populo: [24] abundantes et vberes vrbes ingredietur. Et faciet que non fecerunt patres eius: et patres patrum eius. Rapinas et predam et diuitias eorum dissipabit: et contra firmissimas cogitationes iniet: et hoc vsque ad tempus. [25] Et concitabitur fortitudo eius et cor eius aduersus regem austri: in exercitu magno. Et rex austri prouocabitur ad bellum multis auxilijs et fortibus nimis: et non stabunt: quia inibunt aduersus eum consilia. [26] Et comedentes panem cum eo conterent illum: exercitusque eius opprimetur: et cadent interfecti plurimi. [27] Duorum quoque regum cor erit vt male faciant: et ad mensam vnam loquentur mendacium et non perficient: quia adhuc finis in aliud tempus. [28] Et reuertetur in terram suam cum opibus multis: et cor eius aduersus testamentum sanctum: et faciet et reuertetur in terram suam. [29] Statuto tempore reuertetur: et veniet ad austrum: et non erit priori simile nouissimum. [30] Et venient super eum trieres et romani et percucietur: et reuertetur. Et indignabitur contra testamentum sanctuarij et faciet: reuerteturque et cogitabit aduersum eos qui dereliquerunt testamentum sanctuarij. [31] Et brachia ex eo sta et polluent sanctuarium fortitudinis et auferent iuge sacrificium: et dabunt abominationem in desolatione. [32] Et impij in testamentum similabunt fraudulenter: populus autem sciens deum suum obtinebit et faciet. [33] Et docti in populo docebunt plurimos: et ruent in gladio et in flamma et in captiuitate et in rapina dierum. [34] Cumque corruerint subleuabuntur auxilio paruulo: et applicabuntur eis plurimi fraudulenter. [35] Et de eruditis ruent vt conflentur et eligantur et dealbentur vsque ad tempus prefinitum: quia adhuc aliud tempus erit. [36] Et faciet iuxta voluntatem suam rex: et eleuabitur et magnificabitur aduersus omnem deum. Et aduersus deum deorum loquetur magnifica et dirigetur: donec compleatur iracundia. Perpetrata quippe est diffinitio. [37] Et deum patrum suorum non reputabit: et erit in concupiscentijs feminarum: nec quemquam deorum curabit quia aduersum vniuersa consurget. [38] Deum autem maozim in loco suo venerabitur: et deum quem ignorauerunt patres eius colet· auro et argento· et lapide precioso· rebusque preciosis. [39] Et faciet vt muniat maozim cum deo alieno quem non cognouit: et multiplicabit gloriam: et dabit eis potestatem in multis: et terram diuidet gratuito. [40] Et in tempore prefinito preliabitur aduersus eum rex austri: et quasi tempestas veniet contra illum rex aquilonis in curribus et in equitibus et in classe magna: et ingredietur terras et conteret et pertransiet. [41] Et introibit in terram gloriosam: et multi corruent. Hec autem sole saluabuntur de manu eius: edom et moab et principes filiorum ammon. [42] Et mittet manum suam in terras: et terra egipti non effugiet. [43] Et dominabitur thesaurorum auri et argenti: et in omnibus preciosis egipti. Per libias quoque et ethiopias transibit: [44] et fama turbabit eum ab oriente et ab aquilone: et veniet in multitudine magna vt conterat et interficiat plurimos. [45] Et figet tabernaculum suum apedno inter duo maria super montem inclitum et sanctum: et veniet vsque ad summitatem eius: et nemo auxiliabitur ei.

12 In tempore autem illo consurget michahel princeps magnus qui stat pro filijs populi tui: et veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse ceperunt vsque ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus: omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. 2 Et multi de hijs qui dormiunt in terre puluere euigilabunt: alij in vitam eternam: et alij in obprobrium vt videant semper. 3 Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iusticiam erudiunt multos· quasi stelle in perpetuas eternitates. 4 Tu autem daniel claude sermones: et signa librum vsque ad tempus statutum. Plurimi pertransibunt: et multiplex erit scientia. 5 Et vidi ego damiel. niel: et ecce quasi duo alij stabant· vnus hinc super ripam fluminis: et alius inde ex altera ripa fluminis. 6 Et dixi viro qui erat indutus lineis: qui stabat super aquas fluminis. Vsque quo finis horum mirabilium? 7 Et audiui virum qui indutus erat lineis qui stabat super aquas fluminis: cum eleuasset dexteram et sinistram suam in celum et iurasset per viuentem in eternum: quia in tempus et tempora et dimidium temporis. Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti: complebuntur vniuersa hec 8 Et ego audiui: et non intellexi. Et dixi. Domine mi quid erit post hec? 9 Et ait. Vade daniel: quia clausi sunt signatique sermones vsque ad prefinitum tempus. 10 Eligentur et dealbabuntur: et quasi ignis probabuntur multi. Et impie agent impij: neque intelligent omnes impij. Porro docti intelligent: 11 et a tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium et posita fuerit abominatio in desolationem: dies milleducentinonaginta. 12 Beatus qui exspectat: et peruenit ad dies milletrecentostrigintaquinque. 13 Tu autem daniel vade ad prefinitum: et requiesces et stabis in sorte tua in fine dierum. Hucusque danielem in hebraico volumine legimus: cetera que sequuntur vsque ad finem libri de theodocionis dotionis editione translata sunt.

13 Et erat vir habitans in babilone: et nomen eius 2 ioachim: et accepit vxorem nomine susannam filiam helchie pulcram nimis et timentem deum. 3 Parentes enim illius cum essent iusti erudierunt filiam suam secundum legem moysi. 4 Erat autem ioachim diues valde: et erat ei pomerium vicinum domui sue: et ad ipsum confluebant iudei eo quod esset honorabilior omnium. 5 Et constituti sunt duo iudices senes in illo anno: de quibus locutus est dominus quia egressa est iniquitas de babilone a senioribus iudicibus qui videbantur regere populum. 6 Isti frequentabant domum ioachim: et veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia. 7 Cum autem populus reuertisset per meridiem: ingrediebatur susanna et deambulabat in pomerio viri sui. 8 Et videbant eam senes quotidie ingredientem et deambulantem: et exarserunt in concupiscentiam eius. 9 Et euerterunt sensum suum: et declinauerunt oculos suos vt non viderent celum: neque recordarentur iudiciorum iustorum. 10 Erant ergo ambo vulnerati amore eius: nec indicauerunt sibi vicissim dolorem suum. 11 Erubescebant enim indicare sibi concupiscentiam suam: volentes concumbere cum ea. 12 Et obseruabant quotidie sollicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum: 13 eamus domum quia hora prandij est. Et egressi recesserunt a se. 14 Cumque reuertissent venerunt in vnum: et scissitantes ab inuicem causam confessi sunt concupiscentiam suam. Et tunc in comune statuerunt tempus: quando eam possent inuenire solam. 15 Factum est autem cum obseruarent diem aptum: ingressa est aliquando sicut heri et nudiustercius cum duabus solis puellis: voluitque lauari in pomerio. Estus quippe erat. 16 Et non erat ibi quisquam preter duos senes absconditos: et contemplantes eam. 17 Dixit ergo puellis. Afferte michi oleum et sinigmata: et ostia pomerij claudite vt lauer. 18 Et fecerunt sicut preceperat: clauseruntque ostia pomerij: et egresse sunt per posticam vt afferrent que iusserat. Nesciebantque senes intus esse absconditos. 19 Cum autem essent egresse puelle surrexerunt duo senes: et accurrerunt ad eam et dixerunt. 20 Ecce ostia pomerij clausa sunt et nemo nos videt: et in concupiscentiam tui sumus. Quamobrem assentire nobis: et commiscere nobiscum. 21 Quod si nolueris: dicemus contra te testimonium quod fuerit tecum iuuenis: et ob hanc causam emiseris puellas a te. 22 Ingemuit susanna et ait. Angustie michi sunt vndique. Si enim hoc egero mors michi est: si autem non egero non effugiam manus vestras. 23 Sed melius michi absque opere incidere in manus hominum: quam peccare in conspectu domini. 24 Et exclamauit voce magna susanna: exclamauerunt autem et senes aduersus eam. 25 Et cucurrit vnus ad ostia pomerij et aperuit. 26 Cum ergo audissent clamorem famuli domus in pomerio: irruerunt per posticam vt viderent quidnam esset. 27 Postquam autem senes locuti sunt erubuerunt serui vehementer: quia nunquam dictus fue sermo huiuscemodi de susanna. Et facta est dies crastina. 28 Cunque venisset populus ad virum eius ioachim: venerunt et duo presbiteri pleni iniqua cogitatione aduersus susannam vt interficerent eam. 29 Et dixerunt coram populo. Mittite ad susannam filiam helchie vxorem ioachim. Et statim miserunt. 30 Et venit cum parentibus et filijs et vniuersis cognatis suis. 31 Porro susanna erat delicata nimis et pulcra specie. 32 At iniqui illi iusserunt vt discooperiretur: erat enim cooperta: vt vel sic saciarentur decore eius. 33 Flebant igitur sui: et omnes qui nouerant eam. 34 Consurgentes autem duo presbiteri in medio populi: posuerunt manus suas super caput eius. 35 Que flens suspexit ad celum. Erat enim cor eius fiduciam habens in domino. 36 Et dixerunt presbiteri. Cum deambularemus in pomerio soli· ingressa est hec cum duabus puellis: et clausit ostia pomerij et dimisit a se puellas. 37 Venitque ad eam adolescens qui erat absconditus: et concubuit cum ea. 38 Porro nos cum essemus in angulo pomerij videntes iniquitatem cucurrimus ad eos: et vidimus eos pariter commisceri. 39 Et illum quidem non quiuimus comprehendere quia fortior nobis erat: et aperto ostio exiliuit. 40 Hanc autem cum apprehendissemus interrogauimus quisnam esset adolescens: et noluit indicare nobis. Huius rei testes sumus. 41 Credidit eis multitudo quasi senibus et iudicibus populi: et condemnauerunt eam ad mortem. 42 Exclamauit autem voce magna susanna et dixit. Deus eterne qui absconditorum es cognitor qui nosti omnia antequam fiant: 43 tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: et ecce morior cum nichil horum fecerim que isti maliciose composuerunt aduersum me. 44 Exaudiuit autem dominus vocem eius. 45 Cunque duceretur ad mortem: suscitauit dominus spiritum sanctum pueri iunioris cuius nomen daniel: 46 et exclamauit voce magna. Mundus ego sum a sanguine huius. 47 Et conuersus omnis populus ad eum dixit. Quis est iste sermo quem tu locutus es? 48 Qui cum staret in medio eorum ait. Sic fatui filij israhel non iudicantes neque quod verum est cognoscentes condemnastis filiam israhel. 49 Reuertimini ad iudicium: quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam. 50 Reuersus est ergo populus cum festinatione. Et dixerunt ei senes. Veni et sede in medio nostrum et indica nobis: quia tibi deus dedit honorem senectutis. 51 Et dixit ad eos daniel. Separate illos ab inuicem procul: et diudicabo eos. 52 Cum ergo diuisi essent alter ab altero· vocauit vnum de eis: et dixit ad eum. Inueterate dierum malorum· nunc venerunt peccata tua que operabaris prius: 53 iudicans iudicia iniusta· innocentes opprimens et dimittens noxios dicente domino: innocentem et iustum non interficies. 54 Nunc ergo si vidisti eam: dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait. Sub cino. 55 Dixit autem daniel. Recte mentitus es in caput tuum. Ecce enim angelus dei accepta sententia ab eo scindet te medium. 56 Et amoto eo iussit venire alium: et dixit ei. Semen chanaan et non iuda species decepit te: et concupiscentia subuertit cor tuum. 57 Sic faciebatis filiabus israhel: et ille timentes loquebantur vobis: sed non filia iuda sustinuit iniquitatem vestram. 58 Nunc ergo dic michi sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait. Sub prino. 59 Dixit autem ei daniel. Recte mentitus es et tu in caput tuum. Manet enim angelus dei gladium habens vt secet te medium: et interficiat vos. 60 Exclamauit itaque omnis cetus voce magna: et benedixerunt deum qui saluat sperantes in se. 61 Et consurrexerunt aduersus duos presbiteros. Conuicerat enim eos daniel ex ore suo· falsum dixisse testimonium. Feceruntque eis sicut male egerant aduersus proximam· 62 vt facerent secundum legem moysi: et interfecerunt eos. Et saluatus est sanguis innoxius in die illa. 63 Helchias autem et vxor eius laudauerunt deum pro filia sua susanna cum ioachim marito eius et cognatis omnibus: quia non est inuenta in ea res turpis. 64 Daniel autem factus est

magnus in conspectu populi a die illa et deinceps. 65 Et rex astiages appositus est ad patres suos: et suscepit cyrus perses regnum eius.

14 Erat autem daniel conuiua regis: et honoratus super omnes amicos eius. 2 Erat quoque ydolum apud babilonios nomine bel: et impendebantur in eo per dies singulos simile artabe duodecim: et oues quadraginta: vinique amphore sex. 3 Rex que colebat eum: et ibat per singulos dies adorare eum porro daniel adorabat deum suum. Dixitque ei rex. Quare non adoras bel? 4 Qui respondens ait ei. Quia non colo ydola manufacta sed viuentem deum: qui creauit celum et terram et habet potestatem omnis carnis. 5 Et dixit rex ad eum. Non videtur tibi esse bel viuens deus? An non vides quanta comedat et bibat quotidie? 6 Et ait daniel arridens. Ne erres rex. Iste est enim intrinsecus luteus· forinsecus ereus: neque comedit aliquando. 7 Et iratus rex vocauit sacerdotes eius: et ait eis. Nisi dixeritis michi quis est qui comedat impensas has moriemini. 8 Si autem ostenderitis quod bel comedat hec morietur daniel: quia blasphemauit in bel. Et dixit daniel regi. Fiat iuxta verbum tuum. 9 Erant autem sacerdotes bel septuaginta: exceptis vxoribus et paruulis et filijs. Et venit rex cum daniele in templum belis. 10 Et dixerunt sacerdotes belis. Ecce nos egredimur foras: et tu rex pone escas et vinum misce: et claude ostium et signa anulo tuo. 11 Et cum ingressus fueris mane nisi inueneris omnia comesta a bel morte moriemur: vel daniel qui mentitus est aduersum nos. 12 Confidebant autem quia fecerant sub mensa absconditum introitum: et per illum ingrediebantur semper et deuorabant ea. 13 Factum est igitur postquam egressi sunt illi et rex posuit cibos ante bel: precepit daniel pueris suis et attulerunt cinerem: et cribrauit per totum templum coram rege: et egressi clauserunt ostium: et signantes anulo regis abierunt. 14 Sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam et vxores et filij eorum: et comederunt omnia et biberunt. 15 Surrexit autem rex primo diluculo: et daniel cum eo. 16 Et ait rex. Salua ne sunt signacula daniel? Qui respondit. Salua rex. 17 Statimque cum aperuisset ostium: intuitus rex mensam exclamauit voce magna. Magnus es bel: et non est apud te dolus quisquam. 18 Et risit daniel: et tenuit regem ne ingrederetur intro et dixit. Ecce pauimentum: animaduerte cuius vestigia sunt hec. 19 Et dixit rex. Video vestigia virorum et mulierum et infantium. Et iratus est rex. 20 Tunc apprehendit sacerdotes et vxores et filios eorum: et ostenderunt ei abscondita ostiola per que ingrediebantur et consumebant que erant super mensam. 21 Occidit ergo illos rex: et bel tradidit in potestatem danielis: qui subuertit eum et templum eius. 22 Et erat draco magnus in loco illo: et colebant eum babilonij. 23 Et dixit rex danieli. Ecce nunc non potes dicere quia iste non sit deus viuens. Adoro ergo eum. 24 Dixitque daniel regi. Dominum deum meum adoro: quia ipse est deus viuens. Iste autem non est deus viuens. 25 Tu autem rex da michi potestatem: et interficiam draconem absque gladio et fuste. Et ait rex. Do tibi. 26 Tulit ergo daniel picem et adipem et pilos et coxit pariter: fecitque massas et dedit in os draconis: et diruptus est draco. Et dixit daniel. Ecce quem colebatis. 27 Quod cum audissent babilnoij indignati sunt vehementer: et congregati aduersum regem dixerunt. Iudeus factus est rex. Bel destruxit: draconem interfecit: et sacerdotes occidit. 28 Et dixerunt cum venissent ad regem. Trade nobis danielem: alioquin interficiemus te et domum tuam. 29 Vidit ergo rex quod irruerunt in eum vehementer: et necessitate compulsus tradidit eis danielem. 30 Qui miserunt eum in lacum leonum: et erat ibi diebus sex. 31 Porro in lacu erant leones septem:et et dabantur eis duo corpora quotidie et due oues: et tunc non data sunt eis vt deuorarent danielem. 32 Erat autem abbacur bacuc propheta in iudea: et ipse coxerat pulmentum et intriuerat panes in alueolo: et ibat in campum vt ferret messoribus. 33 Dixitque angelus domini ad abbacuc. Fer prandium quod habes in babilonem danieli: qui est in lacu leonum. 34 Et dixit abbacuc. Domine babilonem non vidi: et lacum nescio. 35 Et apprehendit eum angelus domini in vertice eius: et portauit eum eum capillo capitis sui: posuitque eum in babilonem super lacum in impetu spiritus sui 36 Et clamauit abbacuc dicens. Daniel serue dei: tolle prandium quod misit tibi deus. 37 Et ait daniel. Recordatus es mei deus: et non dereliquisti diligentes te. 38 Surgensque daniel comedit. Porro angelus domini restituit abbacuc confestim in loco suo. 39 Venit ergo rex die septimo vt lugeret danielem: et venit ad lacum et introspexit: et ecce daniel sedens in medio leonum. 40 Et exclamauit voce magna rex dicens. Magnus es domine deus danielis. Et extraxit eum. 41 Porro illos qui perditionis eius causa fuerant intromisit in lacum: et deuorati sunt in momento coram eo.

Incipit prologus in librum duodecim prophetarum.

Non idem ordo est duodecim prophetarum apud hebreos qui est apud nos. Vnde secundum id quod ibi legitur: hic quoque dispositi sunt. Osee commaticus est: et quasi per sententias loquens. Iohel planus in principijs in fine obscurior: et vsque ad malachiam habent singuli proprietates suas: quem esdram scribam legisque doctorem hebrei autumant. Et quia longum est nunc de omnibus dicere: hoc tantum vos o paula et eustochium ammonitas scire volo vnum librum esse duodecim prophetarum: et osee synchronon ysaie: malachiam vero aggei et zacharie fuisse temporibus. In quibus autem tempus non prefertur in titulo: sub illis eos regibus prophetasse sub quibus et hij qui ante eos habent titulos prophetauerunt.

Osee

Incipit osee propheta.

1 Verbum domini quod factum est ad osee filium beeri in diebus ozie ioathan achaz ezechie regum iuda: et in diebus iheroboam filij ioas regis israhel. 2 Principium loquendi dominum in osee. Et dixit dominus ad osee. Vade sume tibi vxorem fornicariam: et fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra a domino. 3 Et abijt et accepit gomer filiam de belaim: et concepit et peperit ei filium. 4 Et dixit dominus ad eum. Voca nomen eius ihezrahel. Quoniam adhuc modicum· et visitabo sanguinem ihezrahel super domum ichu: et quiescere faciam regnum domus israhel. 5 Et in illa die conteram arcum israhel: in valle ihezrahel. 6 Et concepit adhuc: et peperit filiam. Et dixit ei. Voca nomen eius absque misericordia. Quia non addam vltra misereri domui israhel: sed obliuione obliuiscar eorum. 7 Et domui iuda miserebor: et saluabo eos in domino deo suo: et non saluabo eos in arcu et gladio et in bello et in equis et in equitibus. 8 Et ablactauit eam que erat absque misericordia. Et concepit: et peperit filium. 9 Et dixit ei. Voca nomen eius non populus meus. Quia vos non populus meus: et ego non ero vester deus. 10 Et erit numerus filiorum israhel quasi arena maris que sine mensura est: et non numerabitur. Et erit in loco vbi dicetur eis non populus meus vos: dicetur eis filij dei viuentis. 11 Et congregabuntur filij iuda et filij israhel pariter· et ponent sibimet caput vnum: et ascendent de terra: quia magnus dies ihezrahel.

2 Dicite fratribus vestris populus meus: et sorori vestre misericordiam consecuta. [2] Iudicate matrem vestram iudicate: quoniam ipsa non vxor mea: et ego non vir eius. Auferat fornicationes suas a facie sua· et adulteria sua de medio vberum suorum: [3] ne forte exspoliem eam nudam et statuam eam secundum diem natiuitatis sue: et ponam eam quasi solitudinem· et statuam eam velut terram inuiam et interficiam eam siti: [4] et filiorum illius non miserebor· quoniam filij fornicationum sunt: [5] quia fornicata est mater eorum. Confusa est que concepit eos: quia dixit. Vadam post amatores meos qui dant panes michi: et aquas meas lanam meam et linum meum oleum meum et potum meum. [6] Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis: et sepiam eam maceria. Et semitas suas non inueniet: [7] et sequetur amatores suos et non apprehendet eos: et queret eos et non inueniet. Et dicet. Vadam et reuertar ad virum meum priorem: quia bene michi erat tunc magis quam nunc. [8] Et hec nesciuit: quia ego dedi ei frumentum et vinum et oleum et argentum multiplicaui ei et aurum: que fecerunt baal. [9] Idcirco conuertar et sumam frumentum meum in tempore suo et vinum meum in tempore suo: et liberabo lanam meam et linum meum que operiebant ignominiam eius. [10] Et nunc reuelabo stulticiam eius in oculis amatorum eius: et vir non eruet eam de manu mea. [11] Et cessare faciam omne gaudium eius: solemnitatem eius neomeniam eius sabbatum eius et omnia festa tempora eEt [12] corrumpam vineam eius et ficum de quibus dixit. Mercedes hee mee sunt: quas dederunt michi amatores mei. Et ponam eam in saltum: et comedit eam bestia agri. [13] Et visitabo super eam dies baalim quibus accendebat incensum et ornabatur in aure sua et monili suo: et ibat post amatores suos: et mei obliuiscebatur dicit dominus. [14] Propter hoc ecce ego lactabo eam: et ducam eam in solitudinem. Et loquar ad cor eius: [15] et dabo ei vinitores eius ex eodem loco: et vallem achor ad aperiendam spem. Et canet ibi iuxta dies iuuentutis sue: et iuxta dies ascensionis sue de terra egipti. [16] Et erit in die illo ait dominus vocabit me vir meus: et non vocabit me vltra baalim. [17] Et auferam nomina baalim de ore eius: et non recordabitur vltra nominis eorum. [18] Et percutiam eis fedus in die illa: cum bestia agri et cum volucre celi et cum reptili terre. Et arcum et gladium et bellum conteram de terra: et dormire eos faciam fiducialiter. [19] Et sponsabo te michi in sempiternum: et sponsabo te michi in iusticia et iudicio et in misericordia et miserationibus. [20] Et sponsabo te michi in fide: et scies quia ego dominus. [21] Et erit: in die illa exaudiam dicit dominus. Exaudiam celos et illi exaudient terram: [22] et terra exaudiet triticum et vinum et oleum: et hec exaudient ihezrahel. [23] Et seminabo eam michi in terram: et miserebor eius que fuit absque misericordia. [24] Et dicam non populo meo populus meus es tu: et ipse dicet deus meus es tu.

3 Et dixit dominus ad me. Adhuc de: vade: Et dilige mulierem dilectam amico et adulteram sicut diligit dominus filios israhel: et ipsi respectant ad deos alienos et diligunt vinacia vuarum. [2] Et fodi eam michi quindecim argenteis et choro ordei et dimidio choro ordei: [3] et dixi ad eam. Dies multos exspectabis me. Non fornicaberis et non eris viro: sed et ego exspectabo te. [4] Quia dies multos sedebunt filij israhel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari: et sine ephot et sine theraphin. [5] Et post hec reuertentur filij israhel: et querent dominum deum suum et dauid regem suum: et pauebunt ad dominum et ad bonum eius in nouissimo diebus.

4 Audite verbum domini filij israhel: quia iudicium domino cum habitatoribus terre. Non est enim veritas: et non est misericordia: et non est scientia dei in terra. [2] Maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundauerunt: et sanguis sanguinem tetigit. [3] Propter hoc lugebit terra: et infirmabitur omnis qui habitat in ea. In bestia agri et in volucre celi: sed et pisces maris congregabuntur. [4] Veruntamem vnusquisque non iudicet: et non arguatur vir. Populus enim tuus sicut hij: qui contradicunt sacerdoti. [5] Et corrues hodie: et corruet etiam propheta tecum. Nocte tacere feci matrem tuam. [6] Conticuit populus meus: eo quod non habuerit scientiam. Quia tu scientiam repulisti: repellam te ne sacerdotio fungaris michi. Et oblita es legis dei tui: obliuiscar filiorum tuorum et ego. [7] Secundum multitudinem eorum sic peccauerunt michi: gloriam eorum in ignominiam commutabo. [8] Peccata populi mei comedent: et ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum. [9] Et erit: sicut populus sic sacerdos. Et visitabo super eum vias eius: et cogitationes eius reddam ei. [10] Et comedent et non saturabuntur. Fornicati sunt et non cessauerunt: quoniam dominum reliquerunt in non custodiendo. [11] Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor. [12] Populus meus in lingno suo interrogauit: et baculus eius annunciauit ei. Spiritus enim fornicationum decepit eos: et fornicati sunt a deo suo. [13] Super capita montium sacrificabant: et super colles accendebant thimiama subtus quercum et populum et therebintum: quia bona erat vmbra eius. Ideo fornicabuntur filie vestre: et sponse vestre adultere erunt. [14] Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicate et super sponsas vestras cum adulterauerint: quoniam ipsi cum meretricibus versabantur: et cum effeminatis sacrificabant. Et populus non intelligens vapulabit. [15] Si fornicaris tu israhel: non delinquat saltem iuda. Et nolite ingredi in galgala: et ne ascenderitis in bethauen: neque iuraueritis viuit dominus. [16] Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit israhel. Nunc pascet eos dominus: quasi agnum in latitudine. [17] Particeps ydolorum effraim: dimitte eum. [18] Separatum est conuiuium eorum: fornicatione fornicati sunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores eius. [19] Ligauit eum spiritus in alis suis: et confundentur a sacrificijs suis.

5 Audite hoc sacerdotes et attendite domus israhel: et domus regis auscultate: quia vobis iudicium est. Quoniam laqueus facti estis speculationi: et sicut rethe expansum subter thabor: [2] et victimas declinastis in profundum. Et ego eruditor omnium eorum. [3] Ego scio effraim: et israhel non est absconditus a me. Quia nunc fornicatus est effraim: contaminatus est israhel. [4] Non dabunt cogitationes suas vt conuertantur ad deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum: et dominum non cognouerunt. [5] Et respondebit arrogantia israhel in facie eius: et israhel et effraim ruent in iniquitate sua. Ruet etiam iudas cum eis. [6] In gregibus suis et in armentis suis vadent ad querendum dominum: et non inuenient. Ablatus est ab eis. [7] In domino preuaricati sunt: quia filios alienos genuerunt. Nunc deuorabit eos mensis cum partibus suis. [8] Clangite bucina in gabaa: tuba in rama. Vlulate in bethauen: post tergum tuum beniamin. [9] Effraim in desolatione erit. In die correptionis in tribubus israhel ostendi fidem. [10] Facti sunt principes iuda quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam. [11] Calumniam patiens est ephraim fractus iudicio: quoniam cepit abire post sordem. [12] Et ego quasi tinea ephraim: et quasi putredo domui iuda. [13] Et vidit ephraim languorem suum: et iudas vinculum suum. Et abijt ephraim ad assur: et misit ad regem vltorem. Et ipse non poterit sanare vos: nec soluere poterit a vobis vinculum. [14] Quoniam ego quasi leena ephraim: et quasi catulus leonis domui iuda. Ego ego capiam et vadam: tollam et non est qui eruat. [15] Vadens reuertar ad locum meum: donec deficiatis· et queratis faciem meam.

6 In tribulacione sua mane consurgent ad me. Venite et reuertamur ad dominum: [2] quia ipse cepit et sanabit nos: percutiet et curabit nos. [3] Viuificabit nos post duos dies: in die tercia suscitabit nos. et viuemus in conspectu eius: sciemus sequemurque: vt cognoscamus dominum. Quasi diluculum preparatus est egressus eius: et veniet quasi ymber nobis temporaneus et serotinus terre. [4] Quid faciam tibi ephraim· quid faciam tibi iuda: Misericordia vestra quasi nubes matutina: et quasi ros mane pertransiens. [5] Propter hoc dolaui in prophetis: et occidi eos in verbis oris mei: et iudicia tua quasi lux egredientur. [6] Quia misericordiam volui et non sacrificium: et scientiam dei plus quam olocaustum. [7] Ipsi autem sicut adam transgressi sunt pactum: ibi preuaricati sunt in me. [8] Galaad ciuitas operantium ydolum supplantata sanguine: [9] et quasi fauces virorum latronum. Particeps sacerdotum in via interficientium: pergentes de sichem quia scelus operati sunt. [10] In domo israhel vidi horrendum. Ibi fornicationes ephraim: contaminatus est israhel. [11] Sed et iuda pone messem tibi: cum conuertero captiuitatem populi mei.

7 Cum sanare vellem israhel reuelata est iniquitas ephraim et malicia samarie: quia operati sunt mendacium. Et fur ingressus est spolians: latrunculus foris. 2 Et ne forte dicant in cordibus suis: omnem maliciam eorum me recordatum. Nunc circundederunt eos adinuentiones sue: coram facie mea facte sunt. 3 In malicia sua letificauerunt regem: et in mendacijs suis principes. 4 Omnes adulterantes: quasi clibanus succensus a coquente. Quieuit paululum ciuitas a commixtione fermenti: donec fermentaretur totum. 5 Dies regis nostri: ceperunt principes furere a vino. Extendit manum suam cum illusoribus: 6 quia applicuerunt quasi clibanum cor suum cum insidiaretur eis. Tota nocte dormiuit coquens eos: mane ipse succensus quasi ignis flamme. 7 Omnes calefacti sunt quasi clibanus: et deuorauerunt iudices suos. Omnes reges eorum ceciderunt non est qui clamet in eis ad me. 8 Ephraim in populis ipse commiscebatur. Ephraim factus est subcinericius panis: qui non reuersatur. 9 Comederunt alieni robur eius: et ipse nesciuit. Sed et cani effusi sunt in eo: et ipse ignorauit. 10 Et humiliabitur superbia israhel in facie eius. Nec reuersi sunt ad dominum deum suum: et non quesierunt eum in omnibus hijs. 11 Et factus est ephraim quasi columba seducta: non habens cor. Egiptum inuocabant: ad assirios abierunt. 12 Et cum profecti fuerint expandam super eos rethe meum: et quasi volucrem celi detraham eos. Cedam eos secundum auditionem cetus eorum. 13 Ve eis: quoniam recesserunt a me. Vastabuntur quia preuaricati sunt in me. Ego redemi eos: et ipsi locuti sunt contra me mendatia. 14 Et non clamauerunt ad me in corde suo: sed vlulabant in cubilibus suis. Super triticum et vinum ruminabant: et recesserunt a me. 15 Et ego erudiui eos: et confortaui brachia eorum: et in me cogitauerunt maliciam. 16 Reuersi sunt vt essent absque iugo: facti sunt quasi arcus dolosus. Cadent in gladio principes eorum: a furore lingue sue. Ista subsannatio eorum in terra egipti.

8 In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum domini: pro eo quod transgressi sunt fedus meum: et legem meam preuaricati sunt. 2 Me inuocabunt deus meus: cognouimus te israhel. 3 Proiecit israhel bonum inimicus persequetur eum. 4 Ipsi regnauerunt et non ex me: principes extiterunt et non cognoui. Aurum suum et argentum suum fecerunt sibi ydola: vt interirent. 5 Proiectus est vitulus tuus samaria. Iratus est furor meus in eis. Vsquequo non poterunt emundari? 6 Quia ex israhel et ipse est. Artifex fecit illum: et non est deus. Quoniam in aranearum telas erit vitulus samarie: 7 quia ventum seminabant: et turbinem metent. Culmus stans· non est in eo germen: non faciet farinam. Quod et fecerit: alieni comedent eam. 8 Deuoratus est israhel. Nunc factus est in nationibus quasi vas immundum: 9 quia ipsi ascenderunt ad assur. Onager solitarius sibi ephraim. Munera dederunt amatoribus suis: 10 sed et cum mercede conduxerunt nationes. Nunc congregabo eos: et quiescent paulisper ab onere regis et principum. 11 Quia multiplicauit ephraim altaria ad peccandum: facte sunt ei are in delictum. 12 Scribam ei multiplices leges meas: que velut aliene computate sunt. 13 Hostias offerent: immolabunt carnes et comedent: et dominus non suscipiet eas. Nunc recordabitur iniquitatis eorum: et visitabit peccata eorum. Ipsi in egiptum conuertentur. 14 Et oblitus est israhel factoris sui: et edificauit delubra: et iudas multiplicauit vrbes munitas. Et mittam ignem in ciuitates eius: et deuorabit edes illius.

9 Noli letari israhel: noli exultare sicut populi: quia fornicatus es a deo tuo. Dilexisti mercedem super omnes areas tritici. 2 Area et torcular non pascet eos: et vinum mentietur eis. 3 Non habitabunt in terra domini. Reuersus est ephraim in egiptum: et in assirijs pollutum comedit. 4 Non libabunt domino vinum: et non placebunt ei. Sacrificia eorum quasi panis lugentium. Omnes qui comedunt eum contaminabuntur: quia panis eorum anime ipsorum: non intrabit in domum domini. 5 Quid facietis in die solemni: in die festiuitatis domini? 6 Ecce enim profecti sunt a vastitate. Egiptus congregabit eos: memphis sepeliet eos. Desiderabile argentum eorum vrtica hereditabit: lappa in tabernaculis eorum. 7 Venerunt dies visitationis: venerunt dies retributionis. Scito israhel stultum prophetam: insanum virum spiritualem. Propter multitudinem iniquitatis tue: et multitudo amentie. 8 Speculator ephraim cum deo meo: propheta laqueus ruine factus est super omnes vias eius. Insania in domo dei eius. 9 Profunde peccauerunt: sicut in diebus gabaa. Recordabitur iniquitatis eorum: et visitabit peccata eorum. 10 Quasi vuam in deserto inueni israhel: quasi prima poma ficulnee in cacumine eius vidi patres eorum. Ipsi autem intrauerunt ad beelphegor: et abalienati sunt in confusionem et facti sunt abominabiles sicut ea que dilexerunt. 11 Ephraim quasi auis auolauit. Gloria eorum a partu: et ab vtero et a contemptu. 12 Quod et si enutrierint filios suos: absque liberis eos faciam in hominibus. Sed et ve eis: cum recessero ab eis. 13 Ephraim vt vidit: tyrus erat fundata in pulcritudine. Et ephraim educet ad interfectorem filios suos. 14 Da eis domine. Quid dabis eis? Da eis vuluam sine liberis: et vbera arentia. 15 Omnes nequi eorum in galgal: quia ibi exosos habui eos. Propter maliciam adinuentionum eorum: de domo mea eiciam eos. Non addam vt diligam eos. Omnes principes eorum recedentes. 16 Percussus est ephraim: radix eorum exsiccata est. Fructum nequaquam facient. Quod et si genuerint: interficiam amantissima vteri eorum. 17 Abiciet eos dominus deus meus quia non audierunt eum: et erunt vagi in nationibus.

10 Vitis frundosa israhel: fructus adequaU tus est ei. Secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria: iuxta vbertatem terre sue exuberauit simulacris. 2 Diuisum est cor eorum: nunc interibunt. Ipse confringet simulacra eorum: depopulabitur aras eorum. 3 Quia nunc dicent: non est rex nobis. Non enim timemus deum. Et rex quid faciet nobis? 4 Loquimini verba visionis inutilis: et ferietis fedus: et germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri. 5 Vaccas bethauen coluerunt habitatores samarie. Quia luxit super eum populus eius: et editui eius super eum exultauerunt in gloria eius: quia migrauit ab eo. 6 Siquidem et ipse in assur delatus est munus regi vltori. Confusio ephraim capiet: et confundetur israhel in voluntate sua. 7 Transire fecit samaria regem suum: quasi spumam super faciem aque. 8 Et disperdentur excelsa ydoli: peccatum israhel. Lappa et tribulus ascendet super aras eorum. Et dicent montibus operite nos: et collibus cadite super nos. 9 Ex diebus gabaa peccauit israhel. Ibi steterunt. Non comprehendet eos in gabaa: prelium super filijs iniquitatis. 10 Iuxta desiderium meum corripiam eos. Congregabuntur super eos populi: cum corripientur propter duas iniquitates suas. 11 Ephraim vitula docta diligere trituram: et ego transiui super pulcritudinem colli eius. Ascendam super ephraim. Arabit iudas: confringet sibi sulcos iacob. 12 Seminate vobis in iusticia: et metite in ore misericordie: innouate vobis nouale. Tempus autem requirendi dominum: cum venerit qui docebit vos iusticiam. 13 Arastis impietatem: iniquitatem messuistis: comedistis frugem mendacij. Quia confisus es in vijs tuis: et in multitudine fortium tuorum. 14 Consurget tumultus in populo tuo: et omnes munitiones tue vastabuntur sicut vastatus est salmana· a domo eius qui iudicauit baal: in die prelij matre super filios allisa. 15 Sic fecit vobis betel: a facie militie vequiciarum vestrarum.

11 Sicut mane transit· pertransit rex israhel: quia puer israhel et dilexi eum: et ex egipto vocaui filium meum. 2 Vocauerunt eos: sic abierunt a facie eorum. Baalim immolabant: et simulacris sacrificabant. 3 Et ego quasi nutricius ephraim. Portabam eos in brachijs meis: et nescierunt quod curarem eos. 4 In funiculis adam traham eos: in vinculis caritatis. Et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: et declinaui ad eum vt vesceretur. 5 Non reuertetur in terram egipti: et assur ipse rex eius: quoniam noluerunt conuerti. 6 Cepit gladius in ciuitatibus eius: et consumet electos eius: et comedet capita eorum. 7 Et populus meus pendebit ad reditum meum. Iugum autem imponetur eis simul: quod non auferetur. 8 Quomodo dabo te ephraim· protegam te israhel? Quomodo dabo te? Sicut adama ponam te: vt seboim. Conuersum est in me cor meum pariter: conturbata est penitudo mea. 9 Non faciam furorem ire mee. Non conuertar vt disperdam ephraim: quoniam deus ego et non homo. In medio tui sanctus: et non ingrediar ciuitatem. 10 Post dominum ambulabunt. Quasi leo rugiet: quia ipse rugiet et formidabunt filij maris. 11 Et auolabunt quasi auis ex egipto: et quasi columba de terra

assiriorum: et collocabo eos in domibus suis dicit dominus. [12] Circundedit me phraim in negociatione: et in dolo domus israhel. Iudas autem testis descendit cum deo: et cum sanctis fidelibus.

12 Ephraim pascit ventum: et sequitur estum. Tota die mendacium et vastitatem multiplicat. Et fedus cum assirijs inijt: et oleum in egiptum ferebat. [2] Iudicium ergo domini cum iuda: et visitatio super iacob. Iuxta vias eius et iuxta adinuentiones eius reddet ei. [3] In vtero subplantauit fratrem suum: et in fortitudine sua directus est cum angelo. [4] Et inualuit ad angelum: et confortatus est. Fleuit: et rogauit eum. In bethel inuenit eum: et ibi locutus est nobiscum. [5] Et dominus deus exercituum: dominus· memoriale eius. [6] Et tu ad dominum deum tuum conuerteris. Misericordiam et iudicium custodi: et spera in deo tuo semper. [7] Chanaan· in manu eius statera dolosa: calumniam dilexit. [8] Et dixit ephraim. Verumtamen diues effectus sum: inueni ydolum michi. Omnes labores mei non inuenient michi iniquitatem quam peccaui. [9] Et ego dominus deus tuus ex terra egipti. Adhuc sedere te faciam in tabernaculis: sicut in diebus festiuitatis. [10] Et locutus sum super prophetas: et ego visionem multiplicaui: et in manu prophetarum assimulatus sum. [11] Si galgal ydolum: tamen frustra errant in galgal bobus immolantes. Nam et altaria eorum quasi acerui super sulcos agri. [12] Fugit iacob in regionem syrie: et seruiuit israhel in vxore: et in vxore seruiuit. [13] In propheta autem eduxit dominus israhel de egipto: et in propheta seruatus est. [14] Ad iracundiam me prouocauit ephraim in amaritudinibus suis: et sanguis eius super eum veniet: et opprobrium eius restituet ei dominus suus.

13 Loquente ephraim horror inuasit israhel: et deliquit in baal et mortuus est. [2] Et nunc addiderunt ad peccandum: feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem ydolorum. Fr actura artificum totum est. Hijs ipsi dicunt. Immolate homines: vitulos adorantes. [3] Idcirco erunt quasi nubes matutina: et sicut ros matutinus preteriens. Sicut puluis turbine raptus ex area: et sicut fumus de fumario. [4] Ego autem dominus deus tuus ex terra egipti: et deum absque me nescies: et saluator non est preter me. [5] Ego cognoui te in deserto: in terra solitudinis. [6] Iuxta pascua sua adimpleti sunt: et saturati sunt. Et eleuauerunt cor suum: et obliti sunt mei. [7] Et ego ero eis quasi leena: sicut pardus in via assiriorum. [8] Occurram eis quasi vrsa raptis catulis: et dirumpam interiora iecoris eorum. Et consumam eos ibi quasi leo: bestia agri scindet eos. [9] Perditio tua israhel: tantummodo in me auxilium tuum. [10] Vbi est rex tuus? Maxime nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis. Et iudices tui de quibus dixisti: da michi regem et principes. [11] Dabo tibi regem in furore meo: et auferam in indignatione mea. [12] Colligata est iniquitas ephraim: absconditum peccatum eius. [13] Dolores parturientis venient ei. Ipse filius non sapiens. Nunc enim non stabit in contritione filiorum. [14] De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos. Ero mors tua o mors: morsus tuus ero inferne. Con Consolatio solatio abscondita est ab oculis meis: [15] quia ipse inter fratres diuidet. Adducet vrentem ventum dominus de deserto ascendentem: et siccabit venas eius· et desolabit fontem eius: et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.

14 Pereat samaria: quoniam ad amaritudinem concitauit deum suum. In gladiopereant. Paruuli eorum elidantur: et fete eius scindantur. [2] Conuertere israhel ad dominum deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua. [3] Tollite vobiscum verba: et conuertimini ad dominum: et dicite ei. Omnem aufer iniquitatem et accipe bonum: et reddemus vitulos labiorum nostrorum. [4] Assur non saluabit nos. Super equum ascendemus: nec dicemus vltra dij nostri opera manuum nostrarum: quia eius qui in te est misereberis populi. [5] Sanabo contritiones eorum: diligam eos spontanee: quia auersus est furor meus ab eis. [6] Ero quasi ros. Israhel germinabit sicut lilium: et erumpet radix eius vt libani. [7] Ibunt rami eius: et erit quasi si oliua gloria eius: et odor eius vt libani. [8] Conuertentur sedentes in vmbra eius: vie viuent tritico. Et germinabunt quasi vinea: memoriale eius sicut vinum libani. [9] Ephraim quid michi vltra ydola? Ego exaudiam et dirigam eum: ego vt abietem virentem: ex me fructus tuus inuentus est. [10] Quis sapiens et intelliget ista: intelligens et sciet hec? Quia recte vie Domini et iusti ambulabunt in eis: preuaricatores vero corruent Verbum domini quod fa domini est ad iohel fi in eis.

Iohel

Incipit iohel propheta.

1 est ad iohel filium fatuel. [2] Audite hec senes: et auribus percipite omnes habitatores terre. Si factum est istud in diebus vestris: aut in diebus patrum vestrorum. [3] Super hoc filijs vestris narrate: et filij vestri filijs suis: et filij eorum generationi altere. [4] Residuum eruce comedit locusta: et residuum locuste comedit brucus: et residuum bruci comedit rubigo. [5] Expergiscemini ebrij: flete et vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam perijt ab ore vestro. [6] Gens enim ascendet super terram meam: fortis et innumerabilis. Dentes eius vt dentes leonis: et molares eius vt catuli leonis. [7] Posuit vineam meam in desertum: et ficum meam decorticauit. Nudans spoliauit eam et proiecit: albi facti sunt rami eius. [8] Plange quasi virgo accincta sacco: super virum pubertatis tue. [9] Perijt sacrificium et libatio de domo domini: luxerunt sacerdotes ministri domini. [10] Depopulata est regio: luxit humus: quoniam deuastatum est triticum. Confusum est vinum: elanguit oleum. [11] Confusi sunt agricole: vlulauerunt vinitores super frumento vino et ordeo: quia perijt messis agri. [12] Vinea confusa est: et ficus elanguit. Malogranatum et palma et malum et omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium a filijs hominum. [13] Accingite vos et plangite sacerdotes: vlulate ministri altaris. Ingredimini: cubate in sacco ministri dei mei: quoniam interijt de domo dei vestri sacrificium et libatio. [14] Sanctificate ieiunium: vocate cetum: congregate senes omnes habitatores terre in domum dei vestri: et clamate ad dominum. [15] A a a diei: quia prope est dies domini: et quasi vastitas a potente veniet. [16] Nunquid non coram oculis vestris alimenta perierunt: de domo dei vestri leticia et exultatio? [17] Computruerunt iumenta in stercore suo. Demolita sunt horrea: dissipate sunt apothece: quoniam confusum est triticum. [18] Quid ingemuit animal: mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis. Sed et greges pecorum disperierunt. [19] Ad te clamabo domine: quia ignis comedit speciosa deserti: et flamma succendit omnia ligna regionis. [20] Sed et bestie agri quasi area sitiens ymbrem: suspexerant ad te. Quoniam exsiccati sunt fontes aquarum: et ignis deuorauit speciosa deserti.

2 Canite tuba in syon: vlulate in monte sancto meo. Conturbentur omnes habitatores terre quia venit dies domini: quia prope est [2] dies tenebrarum et caliginis: dies nubis et turbinis. Quasi mane expansum super montes: populus multus et fortis. Similis non fuit ei a principio: et post eum non erit vsque in annos generationis et generationis. [3] Ante faciem eius ignis vorans: et post eum exurens flamma. Quasi ortus voluptatis terra coram eo: et post eum solitudo deserti: neque est qui effugiat eum. [4] Quasi aspectus equorum aspectus eorum: et quasi equites sic current. [5] Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient: sicut sonitus flamme ignis deuorantis stipulam: velut populus fortis preparatus ad prelium. [6] A facie eius cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam. [7] Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum. Viri in vijs suis gradientur et non declinabunt a semitis

suis. [8] Vnusquisque fratrem suum non coartabit: singuli in calle suo ambulabunt. Sed et per fenestras cadent: et non demolientur. [9] Vrbem ingredientur: in muro current. Domos conscendent: per fenestras intrabunt quasi fur. [10] A facie eius contremuit terra: moti sunt celi. Sol et luna obtenebrati sunt: et stelle retraxerunt splendorem suum. [11] Et dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius: quia fortia et facientia verbum eius. Magnus enim dies domini: et terribilis valde. Et quis sustinebit eum? [12] Nunc ergo dicit dominus. Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio et fletu et in planctu: [13] et scindite corda vestra et non vestimenta vestra. Et conuertimini ad dominum deum vestrum: quia benignus et misericors est: patiens et multe misericordie et prestabilis super malicia. [14] Quis scit si conuertatur et ignoscat deus: et relinquat post se benedictionem? Sacrificium et libamen domino deo nostro. [15] Canite tuba in syon: sanctificate ieiunium vocate cetum: [16] congregate populum sanctificate ecclesiam: coadunate senes congregate paruulos et sugentes vbera. Egrediatur sponsus de cubili suo: et sponsa de thalamo suo. [17] Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri domini et dicent. Parce domine parce populo tuo: et ne des hereditatem tuam in opprobrium: vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis vbi est deus eorum? [18] Zelatus est dominus terram suam: et pepercit populo suo. [19] Et respondit dominus: et dixit populo suo. Ecce ego mittam vobis frumentum et vinum et oleum: et replebimini in eis: et non dabo vos vltra opprobrium in gentibus. [20] Et eum qui ab aquilone est procul faciam a vobis: et expellam eum in terram inuiam et desertam. Faciem eius contra mare orientale: et extremum eius vsque ad mare nouissimum: et ascendet fetor eius. Et ascendet putredo eius: quia superbe egit. [21] Noli timere terra: exulta et letare: quoniam magnificauit dominus vt faceret. [22] Nolite timere animalia regionis: quia germinauerunt speciosa deserti. Quia lignum attulit fructum suum: ficus et vinea dederunt virtutem suam. [23] Et filie syon exultate et letamini in domino deo vestro: quia dedit vobis doctorem iusticie: et descendere faciet dominus ad vos ymbrem matutinum et serotinum sicut in principio. [24] Et implebuntur aree frumento: et redundabunt torcularia vino et oleo. [25] Et reddam vobis annos quos comedit locusta brucus et rubigo et eruca: fortitudo mea magna quam misi in vos. [26] Et comedetis vescentes et saturabimini: et laudabitis nomen domini dei vestri qui fecit mirabilia vobiscum. Et non confundetur populus meus in sempiternum: [27] et scietis quia in medio israhel ego sum. Et ego dominus deus vester: et non est amplius: et non confundetur populus meus in eternum. [28] Et erit: post hec effundam de spiritu meo super omnem carnem: et prophetabunt filij vestri et filie vestre. Senes vestri somnia somniabunt: et iuuenes vestri visiones videbunt. [29] Sed et super seruos meos et ancil in diebus illis effundam spiritum meum: [30] et dabo prodigia in celo et in terra sanguinem et ignem et vaporem fumi. [31] Sol conuertetur in tenebras et luna in sanguinem: antequam veniat dies domini magnus et horribilis. [32] Et erit: omnis qui inuocauerit nomen domini saluus erit: quia in monte syon et in iherusalem erit saluatio sicut dixit dominus: et in residuis quos dominus vocauerit.

3 Quia via ecce in diebus illis et in tempore illo cum conuertero captiuitatem iuda et iherusalem· [2] congregabo omnes gentes: et deducam eas in vallem iosaphat et disceptabo cum eis ibi super populo meo et hereditate mea israhel quos disperserunt in nationibus: et terram meam diuiserunt [3] et super populum meum miserunt sortem. Et posuerunt puerum in prostibulum: et puellam vendiderunt pro vino vt biberent. [4] Verum quid michi et vobis tyrus et sydon et omnis terminus palestinorum? Nunquid vltionem vos reddetis michi? Et si vlciscemini vos contra me: cito velociter reddam vicissitudiuem vobis super caput vestrum. [5] Argentum enim meum et aurum tulistis: et desiderabilia mea et pulcerrima intulistis in delubra vestra. [6] Et filios iuda et filios iherusalem vendidistis filijs grecorum: vt longe faceretis eos de finibus suis. [7] Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos: et conuertam retributionem vestram in caput vestrum. [8] Et vendam filios vestros et filias vestras in manibus filiorum iuda: et venundabunt eos sabeis genti longique· quia dominus locutus est. [9] Clamate hec in gentibus: sanctificate bellum: suscitate robustos. Ascendant accedant: omnes viri bellatores. [10] Concidite aratra vestra in gladios: et ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat: quia ego fortis sum. [11] Erumpite et venite omnes gentes de circuitu: et congregamini. Ibi occumbere faciet dominus robustos tuos. [12] Consurgant et ascendant gentes in vallem iosaphat: quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu. [13] Mittite falces: quoniam maturauit messis. Venite et descendite: quia plenum est torcular. Exuberant torcularia: quia multiplicata est malicia eorum. [14] Populi populi in valle concisionis: quia iuxta est dies domini in valle concisionis. [15] Sol et luna obtenebrati sunt: et stelle retraxerunt splendorem suum. [16] Et dominus de syon rugiet: et de iherusalem dabit vocem suam. Et mouebuntur celi et terra: et dominus spes populi sui: et fortitudo filiorum israhel. [17] Et scietis quia ego dominus deus vester: habitans in syon in monte sancto meo. Et erit iherusalem sancta: et alieni non transibunt per eam amplius. [18] Et erit: in die illa stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lacte. Et per omnes riuos iuda ibunt aque: et fons de domo domini egredietur: et irrigabit torrentem spinarum. [19] Egiptus in desolationem erit: et ydumea in desertum perditionis: pro eo quod inique egerint in filios iuda et effuderit sanguinem innocentem in terra sua. [20] Et iudea in eternum habitabitur: et iherusalem in generationem et generationem. [21] Et mundabo sanguinem eorum quem non mundaueram: et dominus commorabitur in syon.

Amos

Incipit amos propheta.

1 Verba amos qui fuit Verba qui m cue: que vidit super cue: que vidit super israhel in ria diebus regis iuda et in die regis iuda ozie iheroboam filij regis iuda et in Dieioas regis israhel ante duos annos terEt tetmeremotus. [2] dixit. Dominus de syon rugiet: et de iherusalem dabit vocem suam. Et luxerunt speciosa pastorum: et exsiccamermus tus est vertex carmeli. [3] Hec dicit dominus. Super tribus sceleribus damasci et super quatuor non conuertam eum: eo quod tritue. rauerunt in plaustris ferreis galaad. [4] Et mittam ignem in domum azahel· et detegieuorauit domos benadab. [5] Et conteram benadab. vectem damasci· disperdam habitatorem de campo ydoli: et tenentem sceptrum de domo voluptatis: et transferetur populus syrie cinerem dicit dominus. [6] Hec dicit dominus. Super tribus Super tribus sceleribus gaze et super quatuor non conuertam eum: eo quod transtulerit captiuitatem perfectam vt concluderet eam in in ydumea. [7] Et mittam ignem in murum gaze· et deuorabit edes eius: [8] et disperdam habitatorem de azoto et tenentem sceptrum de ascalone: et conuertam manum meam super accaron et peribunt reliqui philistinorum dicit dominus. [9] Hec dicit dominus. Super tribus sceleribus tyri et super quatuor non conuertam eum: eo quod concluserunt captiuitatem perfectam in ydumea: et non sint recordati federis fratrum. [10] Et mittam ignem in murum tyri: et deuorabit edes eius. [11] Hec dicit dominus. Super Super tribus sceleribus edom et super quatuor non conuertam eum: eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum et violauerit misericordiam eius: et tenuerit vltra furorem suum· et indignationem suam seruauerit vsque in in finem. [12] Mittam ignem in theman: et deuorabit edes bosre. [13] Hec dicit dominus. Super Super tribus sceleribus filiorum ammon et super quatuor non

conuertam eum: eo quod dissecuerit pregnantes galaad· ad dilatandum terminum suum. [14] Et succendam ignem in muro rabbath et deuorabit edes eius: in vlulatu in die belli die commotionis. ibit turbine in die commotionis. [15] Et ibit et melchon captiuitatem: ipse principes cipes eius simul dicit dominus.

2 Hec dicit dominus. Super tribus sceleriIYbus moab et super quatuor non conuertam eum: eo quod incenderit ossa regis ydumee vsque ad cinerem. [2] Et mittam ignem in moab et deuorabit edes carioth: et morietur in sonitu moab in clangore tube: [3] et disperdam iudicem de medio eius: et omnes principes eius interficiam cum eo dicit dominus. [4] Hec dicit dominus. Hec dicit dominus. Super ciam tribus sceleribus iuda et super quatuor non conuertam eum: eo quod abiecerit legem domini: et mandata eius non custodierit. Deceperunt enim eos ydola sua: post que abierant patres eorum. [5] Et mittam ignem iudam: et deuorabit edes in iherusalem. [6] Hec dicit dominus. Super tribus sceleribus israhel et super quatuor non conuertam pro eo quod vendiderit pro argento iustum: et pauperem pro [7] Qui conterunt super puluerem terre capita pauperum et viam humilium declinant: et lius ac pater eius ierunt ad puellam vt violarent nomen sanctum meum: [8] et super vestimentis accubuerunt iuxta omne altare: et vinum damnatorum bibebant in domo dei sui. [9] Ego autem exterminaui amorreum a facie eorum: cuius altitudo cedrorum altitudo eius: et fortis ipse amorreum quasi quercus. Et contriui fructum eius desuper: et radices eius subter. [10] Ego sum qui ascendere vos feci de terra egipti: et eduxi vos in desertum quadraginta annis· vt possideretis terram amorrei: [11] et suscitaui de filijs vestris in prophetas et de iuuenibus vestris nazareos. Nunquid non ita est filij israhel dicit dominus? [12] Et propinabitis nazareis vinum: et prophetis mandabitis dicentes: ne prophetetis. [13] Ecce ego stridebo subter vos: sicut stridet plaustrum onustum feno. [14] Et peribit fuga a veloce: et fortis non obtinebit virtutem suam: et robustus non saluabit animam suam. [15] Et tenens arcum non stabit et velox pedibus suis non saluabitur: et ascensor equi non saluabit animam suam: [16] et robustus corde inter fortes nudus fugiet in die illa dicit dominus.

3 Audite verbum quod locutus est dominus super vos filij israhel: super omnem cognationem quam eduxi de terra egipti dicens. [2] Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terre: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. [3] Nunquid ambulabunt duo pariter: nisi conuenerit eis? [4] Nunquid rugiet leo in saltu: nisi habuerit predam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo: nisi aliquid apprehenderit? [5] Nunquid cadet auis in laqueum terre absque aucupe? Nunquid auferetur laqueus de terra: antequam quid ceperit? [6] Si clanget tuba in ciuitate: et populus non expauescet? Si erit malum in ciuitate: quod dominus non fecit? [7] Quia non faciet dominus deus verbum: nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas. [8] Leo rugiet: quis non timebit? Dominus deus locutus est· quis non prophetabit? [9] Auditum facite in edibus azoti: et in edibus terre egipti: et dicite. Congregamini super montes samarie: et videte insanias in medio eius multas: et calumniam patientes in penetralibus eius. [10] Et nescierunt facere rectum dicit dominus: thesaurizantes iniquitatem et rapinas in edibus suis. [11] Propterea hec dicit dominus deus. Tribulabitur et circuietur terra: et detrahetur ex te fortitudo tua: et diripientur edes tue. [12] Hec dicit dominus. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auricule: sic eruentur filij israhel qui habitant in samaria in plaga lectuli et in damasci grabato. [13] Audite et contestamini in domo iacob dicit dominus deus exercituum: [14] quia in die cum visitare cepero preuaricationes israhel super eum visitabo et super altaria bethel: et amputabuntur cornua altaris et cadent in terram. [15] Et percutiam domum hyemalem cum domo estiua: et peribunt domus eburnee: et dissipabuntur edes multe dicit dominus.

4 Audite verbum hoc vacce pingues que estis in monte samarie: que calumniam facitis egenis: et confringitis pauperes. Que dicicis dominis vestris: afferte et bibemus. [2] Iurauit dominus deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos et leuabunt vos in contis: et reliquias vestras in ollis feruentibus. [3] Et per aperturas exibitis altera contra alteram: et proiciemini in armon dicit dominus. [4] Venite ad bethel et impie agite: ad galgalam: et multiplicate preuaricaturonnem. Et offerte mane victimas vestras: tribus diebus decimas vestras. [5] Et sacrificate de fermento laudem: et vocate luntarias oblationes et annunciate. Sic enim voluistis filij israhel dicit dominus deus. [6] Vnde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris: et indigentiam panum in omnibus locis vestris: et non estis reuersi ad me dicit dominus. [7] Ego quoque prohibui a vobis ymbrem cum adhuc tres menses superessent vsque ad messem: et plui super vnam ciuitatem: et super alteram ciuitatem non plui. Pars vna compluta est: et pars super quam non plui aruit. [8] Et venerunt due et tres ciuitates ad vnam ciuitatem vt biberent aquam: et non sunt saciate: et non redistis ad me dicit dominus. [9] Percussi vos in vento vrente et in aurugine: multitudinem ortorum vestrorum et vinearum vestrarum oliueta vestra et ficeta vestra comedit eruca: et non redistis ad me dicit dominus. [10] Misi in vos mortem in via egipti: percussi in gladio iuuenes vestros vsque ad captiuitatem equorum vestrorum et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: et non redistis ad me dicit dominus. [11] Subuerti vos sicut subuertit deus sodomam et gomorram: et facti estis quasi torris raptus ab incendio: et non redistis ad me dicit dominus. [12] Quapropter hec faciam tibi israhel. Postquam autem hec fecero tibi: preparare in occursum dei tui israhel. [13] Quia ecce formans montes et creans ventum et annuncians homini eloquium suum: faciens matutinam nebulam et gradiens super excelsa terre: dominus· deus exercituum nomen eius.

5 Audite verbum istud: quod ego leuo vo super vos planctum. Domus israhel cecidit: et non adiciet vt resurgat. [2] Virgo israhel proiecta est in terram suam: non est qui suscitet eam. [3] Quia hec dicit dominus deus. Vrbs de qua egrediebantur mille relinquentur in ea centum: et de qua egrediebantur centum relinquentur in ea decem in domo israhel: [4] quia hec dicit dominus deus domui israhel. Querite me et viuetis: [5] et nolite querere belthel. In galgalam nolite intrare et in bersabee non transibitis: quia galgala captiua ducetur: et bethel erit inutilis. [6] Querite dominum et viuite: ne forte conburatur vt ignis domus ioseph: et deuorabit et non erit qui extinguat bethel. [7] Qui conuertitis in absinthium iudicium: et iusticiam in terra relinquitis: [8] facientem arcturum orionem et conuertentem in mane tenebras: et diem nocte mutantem. Qui vocat aquas maris et effundit eas super faciem terre: dominus nomen est eius. [9] Qui subridet vastitatem super robustum: et depopulationem super potentem affert. [10] Odio habuerunt corripientem in porta: et loquentem perfecte abominati sunt. [11] Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem et predam electam tollebatis ab eo: domos quadro lapide edificabitis: et non habitabitis in eis. Vineas plantabitis amantissimas et non bibetis vinum earum: [12] quia cognoui multa scelera vestra: et fortia peccata vestra. Hostes iusti accipientes munus: et pauperes deprimentes in porta. [13] Ideo prudens in tempore illo tacebit: quia tempus malum est. [14] Querite bonum et non malum vt viuatis: et erit dominus deus exercituum vobiscum sicut dixistis. [15] Odite malum et diligite bonum: et constituite in porta iudicium: si forte misereatur dominus deus exercituum reliquijs ioseph. [16] Propterea hec dicit dominus: deus exercituum dominator. In omnibus plateis planctus: et in cunctis que foris sunt dicetur ve ve. Et vocabunt agricolam ad luctum: et ad planctum eos qui sciunt plangere. [17] Et in omnibus vijs erit planctus: quia pertransibo in medio tui dicit dominus. [18] Ve desiderantibus diem domini. Vt quid eam vobis? Dies domini ista tenebre et non lux. [19] Quomodo si fugiat vir a facie leonis et occurrat ei vrsus: et grediatur domum et innitatur manu sua super parietem: et mordeat eum coluber. [20] Numquid non tenebre dies domini et non lux et caligo et non splendor in ea? [21] Odi et proieci festiuitates vestras: et non capiam odorem cetuum vestrorum. [22] Quod si obtuleritis michi olocaustomata et munera vestra non suscipiam: et vota pinguium vestrorum non respiciam. [23] Aufer a me tumultum carminum tuorum: et cantica lire tue non audiam. [24] Et reuelabitur quasi aqua iudicium: et iusticia quasi torrens fortis. [25] Nunquid hostias et sacrificium obtulistis michi in deserto quadraginta annis domus israhel? [26] Et

portastis tabernaculum molech deo vestro: et ymaginem ydolorum vestrorum· sidus dei vestri rempha: figuras quas fecistis vobis adorare eas. [27] Et migrare vos faciam trans damascum dixit dominus: deus exercituum nomen eius.

6 Ve vobis qui opulenti estis in syon confiditis in monte samarie: optimates capita populorum: ingredientes pompatice domum israhel. [2] Transite in chalanne et videte: et ite inde in emath magnam et descendite in geth palestinorum et ad optima quoque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est. [3] Qui separati estis in diem malum: et appropinquatis solio iniquitatis. [4] Qui dormitis in lectis eburneis: et lasciuitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege· et vitulos de medio armenti: [5] qui canitis ad vocem psalterij. Sicut dauid putauerunt se habere vasa cantici: [6] bibentes in phialis vinum· et optimo vngento delibuti: et nichil patiebantur super contritione ioseph. [7] Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium: et auferetur factio lasciuientium. [8] Iurauit dominus deus in anima sua: dicit dominus deus exercituum. Detestor ego superbiam iacob: et domos eius odi: et tradam ciuitatem cum habitatoribus suis. [9] Quod si reliqui fuerint decem viri in domo vna: et ipsi morientur. [10] Et tollet eum propinquus suus et comburet eum vt efferat ossa de domo: et dicet ei qui in penetralibus domus est. Nun adhuc est penes te? [11] Et respondebit. Finis est. Et dicet ei. Tace: et recorderis nominis domini. [12] Quia ecce dominus mandauit: et percutiet domum maiorem ruinis: et domum minorem scissionibus. [13] Nunquid currere queunt in petris equi: aut arari potest in bubalis? Quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium et fructum iusticie in absinthium: [14] qui letamini in nichili: qui dicitis. Nun non in fortitudine nostra assumsimus nobis cornua? [15] Ecce enim suscitabo super vos domus israhel dicit dominus deus exercituum gentem: et conteret vos ab introitu emath vsque ad torrentem deserti.

7 Hec michi dominus deus. Et ecce fictor locuste in principio germinantium serotini ymbris: et ecce serotinus post tonsorem gregis. [2] Et factum est cum consummasset comedere herbam terre dixi. Domine deus propitius esto obsecro. Quis suscitabit iacob quia paruulus est? [3] Misertus est dominus super hoc. Non erit dixit dominus. [4] Hec ostendit michi dominus deus. Et ecce vocabat iudicium ad ignem dominus deus: et deuorauit abissum multam et comedit simul partem. [5] Et dixi. Domine deus quiesce obsecro. Quis suscitabit iacob quia paruulus est? [6] Misertus est dominus super hoc. Sed et istud non erit dixit dominus deus. [7] Hec ostendit michi dominus deus. Et ecce dominus stans super murum litum: et in manu eius trulla cementarij. [8] Et dixit dominus ad me. Quid tu vides amos? Et dixi. Trullam cementarij. Et dixit dominus. Ecce ego ponam trullam in medio populi mei israhel. Non adiciam vltra super inducere eum: [9] et demolientur excelsa ydoli et sanctificationes israhel desolabuntur: et consurgam super domum iheroboam in gladio. [10] Et misit amasias sacerdos bethel ad iheroboam regem israhel dicens. Rebellauit contra te amos in medio domus israhel. Non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius. [11] Hec enim dicit amos. In gladio morietur iheroboam: et israhel captiuus migrabit de terra sua. [12] Et dixit amasias ad amos. Qui vides gradere: fuge in terram iuda et comede ibi panem et prophetabis ibi: [13] et in bethel non adicies vltra vt prophetes quia sanctificatio regis est et domus regni est. [14] Responditque amos: et dixit ad amasiam. Non sum propheta et non sum filius prophete: sed armentarius ego sum vellicans sicomoros. [15] Et tulit me dominus deus cum sequerer gregem: et dixit dominus ad me. Vade propheta ad populum meum israhel. [16] Et nunc audi verbum domini. Tu dicis non prophetabis super israhel: et non stillabis super domum ydoli. [17] Propter hoc hec dicit dominus. Vxor tua in ciuitate fornicabitur: et filij tui et filie tue mein gladio cadent: et humus tua funiculo mentietur. Et tu in terra polluta morieris: et israhel captiuus migrabit de terra sua.

8 Hec ostendit michi dominus deus. Et ecce vncinus [2] pomorum. Et dixit. Quid tu vides amos? Et dixi. Vncinum pomorum. Et dixit dominus ad me. Venit finis super populum meum israhel. Non adiciam vltra vt pertranseam eum. [3] Et stridebunt cardines templi in die illa dicit dominus deus. Multi morientur: in omni loco proicietur silentium. [4] Audite hoc qui conteritis pauperem: et deficere facitis egenos terre [5] dicentes. Quando transibit messis et venundabimus merces· et sabbatum et aperiemus frumentum: vt imminuamus mensuram et augeamus siclum et supponamus stateras dolosas: [6] vt possideamus in argento egenos et pauperes pro calciamentis et quisquialis frumenti vendamus? [7] Iurauit dominus in superbia iacob: si oblitus fuero vsque ad finem omnia opera eorum. [8] Nunquid super isto non commouebitur terra· et lugebit omnis habitator eius? Et ascendet quasi fluuius vniuersus: et eicietur et defluet quasi riuus egipti. [9] Et erit in die illa dicit dominus occidet sol meridie: et tenebrescere faciam terram in die luminis. [10] Et conuertam festiuitates vestras in luctum: et omnia cantica vestra in planctum. Et inducam super omne dorsum vestrum saccum: et super omne caput caluicium. Et ponam eam quasi luctum vnigeniti: et nouissima eius quasi diem amarum. [11] Ecce dies veniunt dicit dominus et emittam famem in terram: non famem panis neque sitim aque: sed audiendi verbum domini. [12] Et commouebuntur a mari vsque ad mare: et ab aquilone vsque ad orientem circuibunt querentes verbum domini: et non inuenient. [13] In die illa deficient virgines pulcre et adolescentes in siti [14] qui iurant in delicto samarie et dicunt. Viuit deus tuus dan: et viuit via bersabee. Et cadent: et non resurgent vltra.

9 Vidi dominum stantem super altare. Et dixit. Percute cardinem: et commoueantur superliminaria. Auaricia enim in capite omnium: et nouissimum eorum in gladio insticiam. Non erit fuga eis. Fugiet: et non saluabitur ex eis qui fugerit. [2] Si descenderint vsque ad infernum inde manus mea educet eos: et si ascenderint vsque in celum inde detraham eos. [3] Et si absconditi fuerint in vertice carmeli inde scrutans auferam eos: et si celauerint se ab oculis meis in profundum maris: ibi mandabo serpenti et mordebit eos. [4] Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis ibi mandabo gladio et occidet eos: et ponam oculos meos super eos in malum et non in bonum. [5] Et dominus deus exercituum qui tangit terram et tabescit: et lugebunt omnes habitantes in ea. Et ascendet sicut riuus omnis: et defluet sicut fluuius egipti. [6] Qui edificat in celo ascensionem suam: et fasciculum suum super terram fundabit. Qui vocat aquas maris: et effundit eas super faciem terre. Dominus nomen eius. [7] Nunquid non vt filij ethiopum vos estis michi filij israhel ait dominus? Nunquid non israhel ascendere feci de terra egipti: et palestinos de capadocia· et syros de cyrene? [8] Ecce oculi domini dei super regnum peccans: et conteram illud a facie terre. Veruntamen conterens non conteram domum iacob dicit dominus. [9] Ecce enim mandabo ego: et concutiam in omnibus gentibus domum israhel sicut concutitur triticum in cribro: et non cadet lapillus super terram. [10] In gladio morientur omnes peccatores populi mei: qui dicunt non appropinquabit: et non veniet super nos malum. [11] In die illa suscitabo tabernaculum dauid quod cecidit: et reedificabo aperturas murorum eius: et ea que corruerant instaurabo. Et reedificabo eum sicut in diebus antiquis: [12] vt possideant reliquias ydumee et omnes nationes: eo quod inuocatum sit nomen meum super eos dicit dominus faciens hec. [13] Ecce dies venient dicit dominus: et comprehendet arator messorem: et calcator vue mittentem semen. Et stillabunt montes dulcedinem: et omnes colles culti erunt. [14] Et conuertam captiuitatem populi mei israhel: et edificabunt ciuitates desertas et inhabitabunt: et plantabunt vineas et bibent vinum earum: et facient ortus et comedent fructus eorum. [15] Et plantabo eos super humum suam: et non euellam eos vltra de terra sua quam dedi eis dicit dominus deus tuus.

Abdias

Incipit abdias propheta.

1 Amos propheta· Incipit Abdias Visio abdie. Hec dicit dominus deus ad edom. Auditum audiuimus a a domino: et legatum ad misit. domino: Surgite: gentes misit. Sur legatum ad gite: et consurgamus eum in prelium. 2 Ecce paruulum dedi te in gentibus. Contemptibilis tu es valde. 3 Superbia cordis tui extulit te hanos habitantem in scissuris petrarum: exaltantem solium tuum. Qui dicis in corde tuo. Quis detrahet me in terram? 4 Si exaltatus fueris vt aquila: et si inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te dicit dominus. 5 Si fures introissent ad te si latrones per noctem: quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si viudemiatores introissent ad te· numquid saltem racemos reliquissent tibi? 6 Quomodo scrutati sunt esau? Inuestigauerunt abscondita eius. 7 Vsque ad terminum emiserunt te: omnes viri federis tui illustrent tibi. Inualuerunt aduersum te viri pacis tue. Qui comedunt tecum ponent insidias subter te. Non est prudentia in eo. 8 Numquid non in die illa dicit dominus perdam sapientes de ydumea: et prudentiam de monte esau? 9 Et timebunt fortes tui a meridie: vt intereat vir de monte esau: 10 propter interfectionem et propter iniquitatem in fratrem tuum iacob. Operiet te confusio: et peribis in eternum. 11 In die cum stares aduersus eum quando capiebant alieni exercitum eius et extranei ingrediebantur portas eius et super iherusalem mittebant sortem: tu quoque eras quasi vnus ex eis. 12 Et non despicies in die fratris tui: in die peregrinationis eius. Et non letaberis super filios iuda in die perditionis eorum: et non magnificabis os tuum in die angustie. 13 Neque ingredieris portam populi mei in die ruine eorum: neque despicies et tu in malis eius in die vastitatis illius. Et non emitteris aduersus exercitum eius in die vastitatis illius: 14 neque stabis in exitibus vt interficias eos qui fugerint. Et non concludes reliquos eius in die tribulationis: 15 quoniam iuxta est dies domini super omnes gentes. Sicut fecisti fiet tibi: retributionem tuam conuertam in caput tuum. 16 Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum· bibent omnes gentes iugiter: et bibent et absorbent: et erunt quasi non sint. 17 Et in monte syon erit saluatio: et erit sancta. Et possidebit domus iacob eos qui se possederant. 18 Et erit domus iacob ignis: et domus ioseph flamma: et domus esau stipula. Et succendentur in eis et deuorabunt eos: et non erunt reliquie domus esau: quia dominus locutus est. 19 Et hereditabunt hij qui ad austrum sunt montem esau: et qui in campestribus philistijm: et possidebunt regionem ephraim et regionem samarie. Et beniamin possidebit galaad: 20 et transmigratio exercitus huius filiorum israhel omnia loca chananeorum vsque ad sareptam: et transmigratio iherusalem que in bosforo est possidebit ciuitates austri. 21 Et ascendent saluatores in montem syon iudicare montem esau: et erit domino regnum.

Ionas

Incipit ionas propheta.

1 factum est verbum domini ad ionam filium amathi dicens. 2 Surge: et vade in niniuen ciuitatem grandem· et predica in ea· quia ascendit malicia eius coram me. 3 Et surrerit ionas: vt fugeret in tharsis a facie domini. Et descendit ioppen: et inuenit nauem euntem in tharsis. Et dedit naulum eius: et descendit in eam vt iret cum eis in tharsis a facie domini. 4 Dominus autem misit ventum magnum in mare: et facta est tempestas magna in mari: et nauis periclitabatur conteri. 5 Et timuerunt naute: et clamauerunt viri ad deum suum: et miserunt vasa que erant in naui in mare: vt alleuiaretur ab eis. Et ionas descendit ad interiora nauis: et dormiebat sopore graui. 6 Et accessit ad eum gubernator: et dixit ei. Quid tu sopore deprimeris? Surge inuoca deum tuum: si forte recogitet deus de nobis et non pereamus. 7 Et dixit vir ad collegam suum. Venite et mittamus sortes: et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: et cecidit ridit sors super ionam. 8 Et dixerunt ad Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis. Quod est opus tuum que terra tua: et quo vadis vel ex quo populo tu es? 9 Et dixit ad eos. Hebreus ego sum: et dominum deum celi ego timeo qui fecit mare et aridam. 10 Et timuerunt viri timore magno: et dixerunt ad eum. Quid hoc fecisti: Cognouerunt enim viri quod a facie domini fugeret· quia indicauerat eis ionas. 11 Et dixerunt ad eum. Quid faciemus tibi: et cessabit mare a nobis? Quia mare ibat et intumescebat. 12 Et dixit ad eos. Tollite me et mittite in mare: et cessabit mare a vobis. Scio enim ego: quoniam propter me tempestas hec grandis venit super vos. 13 Et remigabant viri vt reuerterentur ad aridam et non valebant: quia mare ibat et intumescebat super eos. 14 Et clamauerunt ad dominum: et dixerunt. Quesumus domine ne pereamus in anima viri istius: et ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu domine sicut voluisti fecisti. 15 Et tulerunt ionam et miserunt in mare: et stetit mare a feruore suo. 16 Et timuerunt viri timore magno dominum: et immolauerunt hostias domino: et veuerunt vota.

2 preparauit dominus piscem grandem: vt deglutiret ionam. Et erat ionas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus. 2 Et orauit ionas ad dominum deum suum de ventre piscis. 3 Et dixit. Clamaui de tribulatione mea ad dominum: et exaudiuit me. De ventre inferi clamaui: et exaudisti vocem meam. 4 Et proiecisti me in profundum in corde maris: et flumen circumdedit me. Omnes gurgites tui et fluctus tui super me transie 5 Et ego dixi. Abiectus sum a conspectu oculorum tuorum. Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. 6 Circumdederunt me aque vsque ad animam: abissus vallauit me: pelagus operuit caput meum. 7 Ad extrema montium descendi: terre vectes concluserunt me in eternum: et subleuabis de corruptione vitam meam domine deus meus. 8 Cum angustiaretur in me anima mea domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. 9 Qui custodiunt vanitates: frustra misericordiam suam derelinquunt. 10 Ego autem in voce laudis immolabo tibi quecumque voui reddam pro salute domino. 11 Et dixit dominus pisci: et euomuit ionam in aridam.

3 Et factum est verbum domini ad ionam secundo dicens. 2 Surge: et vade niniuem ciuitatem magnam: et predica in ea predicationem quam ego loquor ad te. 3 Et surrexit ionas: et abijt in niniuen iuxta verbum domini. Et niniue erat ciuitas magna itinere dierum trium. 4 Et cepit ionas introire ciuitatem itinere diei vnius: et clamauit et dixit. Adhuc quadraginta dies: et niniue subuertetur. 5 Et crediderunt viri niniuite in domino: et predicauerunt ieiunium: et vestiti sunt saccis a maiore vsque ad minorem. 6 Et peruenit

verbum ad regem niniue. Et surrexit de solio suo: et abiecit vestimentum suum a se et indutus est sacco et sedit in cinere: [7] et clamauit et dixit in niniue ex ore regis et principum eius dicens. Homines et iumenta et boues et pecora non gustent quicquam nec pascantur et aquam non bibant: [8] et operiantur saccis homines· et iumenta clament ad dominum in fortitudine: et conuertatur vir a via sua mala et ab iniquitate que est in manibus eorum. [9] Quis scit si conuertatur et ignoscat deus· et reuertatur a furore ire sue: et non peribimus? [10] Et vidit deus opera eorum quia conuersi sunt de via sua mala: et misertus est deus super maliciam quam locutus fuerat vt faceret eis: et non fecit.

4 afflictus afflictus est ionas afflictione magna: et iratus est [2] et orauit ad dominum: et dixit. Obsecro domine: nunquid non hoc est verbum meum cum adhuc essem in terra mea? Propter hoc preoccupaui vt fugerem in tharsis. Scio enim quia tu deus clemens et misericors es: patiens et multe miserationis et ignoscens super malicia. [3] Et nunc domine tolle queso animam meam a me: quia melior est michi mors quam vita. [4] Et dixit dominus. Putasne bene irascaris tu? [5] Et egressus est ionas de ciuitate: et sedit contra orientem ciuitatis. Et sibimet fecit vmbraculum ibi: et sedebat subter illud in vmbra: donec videret quid accideret ciuitati. [6] Et preparauit dominus deus ederam: et ascendit super caput ione vt esset vmbra super caput eius: et protegeret eum. Laborauerat enim. Et letatus est ionas super edera leticia magna. [7] Et parauit deus vermem ascensu diluculi in crastinum: et percussit ederam et exaruit. [8] Et cum ortus fuisset sol precepit dominus vento calido et vrenti: et percussit sol super caput ione: et estuabat. Et peti anime sue vt moreretur. Et dixit. Melius est michi mori quam viuere. [9] Et dixit dominus ad ionam. Putasne bene ira tu super ederam? Et dixit. Bene irascor ego vsque ad mortem. [10] Et dixit dominus. Tu doles super edera in qua non laborasti neque fecisti vt cresceret· que sub vna nocte nata est et sub vna nocte perijt: [11] et ego non parcam niniue ciuitati magne: in qua sunt plus quam centumuiginti milia hominum· qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam

Micheas

Incipit micheas propheta.

1 suam et iumenta multa? suam et iumenta multa? et domini quod factum est ad micheam Verbum domini quod factum est ad michyam moraad micheam moradiebus iezechie regum iuda: quod vidit super samariam et iherusalem. [2] Audite populi omnes· et attendat terra et plenitudo eius: et sit dominus deus vobis in testem: dominus de templo sancto suo. [3] Quia ecce dominus egredietur de loco suo: et descendet et calcabit super excelsa terre. [4] Et consumentur montes subtus eum: et valles scindentur sicut cera a facie ignis: sicut aque que decurrunt in preceps. [5] In scelere iacob omne istud: et in peccatis domus israhel. Quod scelus iacob Nonne samaria? Et que excelsa iude? Nonne iherusalem? [6] Et ponam samariam quasi aceruum lapidum in agro cum plantatur vinea: et detraham in vallem lapides eius. Et fundamenta eius reuelabo: [7] et omnia sculptilia eius concidentur. Et omnes mercedes eius igne comburentur: et omnia ydola eius ponam in perditionem quia de mercedibus meretricis congregata sunt: et vsque ad mercedem meretricis reuertentur. [8] Super hoc plangam et vlulabo: vadam spoliatus et nudus. Faciam planctum velut draconum: et luctum quasi strucionum. [9] Quia desperata est plaga eius: quia venit vsque ad iudam: tetigit portam populi mei vsque ad iherusalem. [10] In geth nolite annunciare: lacrimis ne ploretis. In domo pulueris puluere vos conspergite: [11] et transite vobis habitatio pulcra: confusa ignominia. Non est egressa que habitat in exitu. Planctum domus vicine accipiet ex vobis que stetit sibimet: [12] quia infirmata est in bonum que habitat in amaritudinibus. Quia descendit malum a domino in portam iherusalem: [13] tumultus quadrige stuporis habitanti lachis. Principium peccati est filie syon: quia in te inuenta sunt scelera israhel. [14] Propterea dabit emissarios super hereditatem geth: domus mendacij in deceptionem regibus israhel. [15] Adhuc heredem adducam tibi que habitas in maresa: vsque odollam veniet gloria israhel. [16] Decaluare et tondere super filios deliciarum tuarum: dilata caluicium tuum sicut aquila: quoniam captiui ducti sunt ex te.

2 Ve qui cogitatis inutile: et operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud: quoniam contra dominum est manus eorum. [2] Et concupierunt agros et violenter tulerunt et rapuerunt domos: et calumniabantur virum et domum eius: virum et hereditatem eius. [3] Idcirco hec dicit dominus. Ecce ego cogito super familiam istam malum vnde non auferetis colla vestra: et non ambulabitis superbi: quoniam tempus pessimum est. [4] In die illa sumetur super vos parabola: et cantabitur canticum cum suauitate dicentium. De populatione vastati sumus. Pars populi mei commutata est. Quomodo recedet a me· cum reuertatur qui regiones nostras diuidat. [5] Properter hoc non erit tibi mittens funiculum fortis in cetu domini israhel. [6] Ne loquamini loquentes. Non stillabit super istos: non comprehendet confusio [7] dicit domus iacob. Nunquid abreuiatus est spiritus domini: aut tales sunt cogitationes eius? Nonne verba mea bona sunt cum eo qui bona eo graditur? [8] Et econtrario populus meus in aduersarium consurrexit. De super tuniram pallium sustulistis et eos qui simpliciter conuertistis in bellum. siebant [9] Mulieres populi mei eiecistis domo deliciarum deliciarum suarum: a paruulis earum tulistis laudem meam in perpetuum. [10] Surgite et ite: quia non habetis hic requiem. Propter immundiciam eius corrumpetur putredine pessima. [11] Vtinam von essem vir habens spiritum: et mendacium potius loquerer. Stillabo tibi in vinum et in ebrietatem: et erit quem stillatur super populus iste. [12] Congregatione congregabo iacob totum te: in vnum conducam reliquias israhel. Pariter ponam illum gregem in ouili: quasi pecus in medio caularum. Tumultuabuntur a multitudine hominum. [13] Ascendet enim pandens iter ante eos. Diuidet et transibunt portam: et egredientur per eam. Et transibit rex eorum coram eis: et dominus in capite eorum.

3 Et dixi. Audite principes iacob: duces domus israhel. Nunquid non vestrum est scire iudicium· [2] qui odio habetis bonum et diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum de super eis et carnem eorum de super ossibus eorum? [3] Qui comederunt carnem populi mei· et pellem eorum desuper excoriauerunt: et ossa eorum confregerunt: et conciderunt sicut in lebete et quasi carnem in medio olle. [4] Tunc clamabunt ad dominum et non exaudiet eos: et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo: sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis. [5] Hec dicit dominus super prophetas qui seducunt populum meum: qui mordent dentibus suis et predicant pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quippiam: sanctificant super eum prelium. [6] Propterea nox vobis pro visione erit: et tenebre vobis pro diuinatione. Et occumbet sol super prophetas: et obtenebrabitur super eos dies. [7] Et confundentur qui vident visiones: et confundentur diuini. Et rient vultus suos omnes: quia non est [8] operient vultus suos omnes: quia non est responsum dei. Veruntamen ego repletus sum fortitudine spiritus domini· iudicio et virtute: vt annunciem iacob scelus suum: et israhel peccatum suum. [9] Audite hoc principes iacob et iudices domus israhel: qui abominamini iudicium· et omnia recta [10] Qui edificatis syon in sanguinibus: et iherusalem in iniquitate. [11] Principes eius in muneribus iudicabant: et sacerdotes eius in mercede docebant. Et prophete eius in pecunia diuinabant: et super dominum

requiescebant dicentes. Numquid non dominus in medio vestrum? Non venient super nos mala. 12 Propter hoc causa vestri syon quasi ager arabitur: et iheruquasi aceruus lapidum erit: et mons templi in excelsa siluarum.

4 Et Et nouissimo dierum erit mons domus domini preparatus in vertice montium: et sublimis super colles. Et fluent ad eum eum populi: 2 et gentes multe et dicent. Venite ascendamus ad montem domini: et ad domum dei iacob. Et docebit nos de e vijs suis: et ibimus in semitis eius. Quia de syon egredietur lex: et verbum domini de iherusalem. 3 Et iudicabit inter populos multos: et corripiet gentes fortes vsque in longinquum. Et concident gladios suos in vomeres: et hastas suas in ligones. Non sumet gens aduersum gentem et gladium: et non discent vltra belligerare. 4 Et sedebit vir vineam suam et subtus ficum suam: et non erit qui deterreat: quia os domini exercituum locutum est. 5 Quia omnes populi ambulabunt vnusquisque in nomine dei sui: nos autem ambulabimus in nomine domini dei nostri in eternum Et vltra. 6 In die illa dicit dominus congregabo claudicantem: et eam quam eieceram colligam: et quam afflixeram consolabor. 7 Et ponam claudicantem in reliquias: et eam que laborauerat in gentem robustam. Et regnabit dominus super eos in monte syon: ex hoc nunc et vsque in eternum. 8 Et tu turris gregis nebulosa filia syon vsque ad te veniet: et veniet: potestas prima regnum filie iherusalem. 9 Nunc quare merore contraheris? Nunquid rex non est tibi· aut consiliarius tuus perijt: quia comprehendit te dolor sicut parturientem? 10 Dole et satage filia syon quasi parturiens: quia nunc egredieris de ciuitate· et habitabis in regione: et venies vsque ad babilonem. Ibi liberaberis: ibi redimet te dominus de manu inimicorum tuorum. 11 Et nunc congregate sunt super te gentes multe: que dicunt lapidetur: et aspiciat in syon oculus noster. 12 Ipsi autem non cognouerunt cogitationes domini: et non intellexerunt consilium eius: quia congregauit eos quasi fenum aree. 13 Surge et tritura filia syon: quia cornu tuum ponam ferreum: et vngulas tuas ponam ereas. Et comminues populos multos: et insticies domino rapinas eorum: et fortitudinem eorum domino vniuerse terre.

5 Tunc vastaberis filia latronis. Obsidionem posuerunt super nos: in virga percutient maxillam iudicis israhel. 2 Et tu bethleem effrata: paruulus es in milibus iuda. Ex te michi egredietur qui sit dominator in israhel: et egressus eius ab inicio a diebus eternitatis. 3 Propter hoc dabit eos vsque ad tempus: in quo parturiens pariet. Reliquie fratrum eius conuertentur ad filios israhel. 4 Et stabit et pascet in fortitudine domini: in sublimitate nominis domini dei sui. Et conuertentur: quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terre. 5 Et erit. iste pax assirius cum venerit in terram nostram: et quando calcauerit in domibus nostris. Et suscitabimus super eum septem pastores: et octo primates homines. 6 Et pascent terram assur in gladio: et terram niemrod in lanceis eius. Et liberabit ab assur cum venerit in terram nostram: et cum calcauerit in finibus nostris. 7 Et erunt reliquie iacob in medio populorum multorum quasi ros a domino: et quasi stille super herbam que non exspectat virum: et non prestolatur filios hominu. minum. 8 Et erunt reliquie iacob in gentibus in medio populorum multorum quasi leo in iumentis siluarum: et quasi catulus leonis in gregibus pecorum. Qui cum transierit et conculcauerit et ceperit: non est qui eruat. 9 Et exaltabitur manus tua super hostes tuos: et omnes inimici tui interibunt. 10 Et erit in die illa dicit dominus: auferam equos tuos de medio tui: et disperdam quadrigas tuas. 11 Et perdam ciuitates terre tue: et destruam omnes munitiones tuas. Et auferam malificia de manu tua: et diuinationes non erunt in te. 12 Et perire faciam sculptilia tua: et statuas tuas de medio tui. Et non adorabis vltra opera manuum tuarum: 13 et euellam lucos tuos de medio tui. Et conteram ciuitates tuas: 14 et faciam in furore et indignatione vltionem in gentibus omnibus que non audierunt.

6 Audite que dominus loquitur. Surge contende iudicio aduersum montes: et audiant colles vocem tuam. 2 Audiant montes iudicium domini et fortia fundamenta terre: quia iudicium domini cum populo suo: et cum israhel diudicabitur. 3 Populus meus quid feci tibi: aut quid molestus fui tibi? Responde michi. 4 Quia eduxi te de terra egipti et de domo seruientium liberaui te: et misi ante faciem tuam moysen et aaron et mariam: 5 populus meus memento queso quid cogitauerit contra te balach rex moab: et quid responderit ei balaam filius beor de sethim vsque ad galgalam vt cognosceres iusticias domini. 6 Quid dignum offeram domino? Curuabo genu deo excelso? Nunquid offeram ei holocaustomata et vitulos anniculos? 7 Numquid placari potest dominus in milibus arietum: aut in multis milibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo: fructum ventris mei pro peccato anime mee? 8 Indicabo tibi o homo quid sit bonum: et quid dominus requirat a te. Vtique facere iudicium et diligere misericordiam: et sollicitum ambulare cum deo tuo. 9 Vox domini ad ciuitatem clamat: et salus erit timentibus nomen eius. Audite tribus. Et quis approbabit illud? 10 Adhuc ignis in domo impij: thesauri iniquitatis: et mensura minor· ire plena. 11 Nunquid iustificabo stateram impiam: et saccelli pondera dolosa? 12 In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate: et habitantes in ea loquebantur mendacium: et lingua eorum fraudulenta in ore eorum. 13 Et ego ergo cepi percutere te perditione: super peccatis tuis. 14 Tu comedes et non saturaberis: et humiliatio tua in medio tui. Et apprehendes et non saluabis: et quos saluaueris in gladium dabo. 15 Tu seminabis et non metes: tu calcabis oliuam et non vngeris oleo: et mustum et non bibes vinum. 16 Et custodisti precepta amri· et omne opus domus achab· et ambulasti in voluptatibus eorum vt darem te in perditionem: et habitantes in ea in sibilum: et obprobrium populi mei portabitis.

7 Ve michi: quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemie. Non est botrus ad comedendum: precoquas ficus desiderauit anima mea. 2 Perijt sanctus de terra: et rectus in hominibus non est. Omnes in sanguine insidiantur: vir fratrem suum ad mortem venatur. 3 Malum manuum suarum dicunt bonum. Princeps postulat: et iudex in reddendo est. Et magnus locutus est desiderium anime sue: et conturbauerunt eam. 4 Qui optimus in eis est quasi paliurus: et qui rectus quasi spina de sepe. Dies speculationis tue: visitatio tua venit. Nunc erit vastitas eorum. 5 Nolite credere amico: et nolite confidere in duce. Ab ea que dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui: 6 quia filius contumeliam facit patri: et filia consurget aduersus matrem suam: nurus aduersus socrum suam: et inimici hominis domestici eius. 7 Ego autem ad dominum aspiciam: exspectabo deum saluatorem meum. Audiet me deus meus. 8 Ne leteris inimica mea super me: quia recidi. Consurgam. Cum sedero in tenebris: dominus lux mea est. 9 Iram domini portabo quoniam peccaui ei: donec caulam meam iudicet· et faciat iudicium meum. Et educet me in lucem: videbo iusticiam eius. 10 Et aspiciet inimica mea: et operietur confusione: que dicit ad me. Vbi est dominus deus tuus? Oculi mei videbunt in eam. Nunc erit in conculcationem: vt lutum platearum. 11 Dies: vt edificentur macerie tue. In die illa longe fiet lex. 12 In die illa et vsque ad te veniet assur: et vsque ad ciuitates munitas: et a ciuitatibus munitis vsque ad flumen: et ad mare de mari· et ad montem de monte. 13 Et terra erit in desolationem propter habitatores suos: et propter fructum cogitationum eorum. 14 Pasce populum tuum in virga tua: gregem hereditatis tue: habitantes solos in saltu. In medio carmeli pascentur basan et galaad iuxta dies antiquos: 15 secundum dies egressionis tue de terra egipti. Ostendam ei mirabilia. 16 Videbunt gentes: et confundentur super omni fortitudine sua. Ponent manum super os: aures eorum surde e 17 Lingent puluerem sicut serpentes: velut reptilia terre proturbabuntur de edibus suis. Dominum deum nostrum desiderabunt: et timebunt te. 18 Quis deus similis tui qui aufers iniquitatem: et transis peccatum reliquiarum hereditatis tue? Non immittet vltra furorem suum: quoniam volens misericordiam est. 19 Reuertetur et miserebitur nostri. Deponet iniquitates nostras: et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra. 20 Dabis veritatem iacob· misericordiam abraham: que iurasti patribus nostris a diebus antiquis.

Naum

Incipit naum propheta.

1 Onus visionis naum hel chesei. [2] Deus emulet tor et vlciscens dominus: et habens furorem: vlciscens dominus in hostes suos: et irascens ipse inimicis suis. [3] Dominus patiens et magnus fortitudine: et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine vie eius: et nebule puluis pedum eius. [4] Increpans mare exsiccans illud: et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est basan et carmelus: et flos libani elanguit. [5] Montes commoti sunt ab eo: et colles desolati sunt. Et contremuit terra a facie eius: et orbis· et omnes habitantes in eo. [6] Ante faciem indignationis eius quis stabit: et quis resistet in ira furoris eius: Indignatio eius effusa est vt ignis: et petre dissolute sunt ab eo. [7] Bonus dominus et confortans in die tribulationis: et sciens sperantes in se. [8] Et in diluuio ptereunte consummationem faciet loci eius: et inimicos eius persequentur tenebre. [9] Quid cogitatis contra dominum? Consummationem ipse faciet. Non consurget duplex tribulatio [10] quia sicut spine se inuicem complectuntur: sic conuiuium eorum pariter potantium. Consummentur quasi stipula ariditate plena. [11] Ex te enim exibit cogitans contra dominum maliciam: mente pertractans preuaricationem [12] hec dicit dominus. Si perfecti fuerint et ita plures: sic quoque attondentur et pertransibit. Afflixi te: et non affligam te vltra. [13] Et nunc conteram eius de dorso tuo: et vincula tua dirumpam. [14] Et precipiet super te dominus. Non seminabitur ex nomine tuo amplius. De domo dei tui interficiam. Sculptile et conflatile ponam sepulcrum tuum: quia inhonoratus es. [15] Ecce super montes pedes euangelizantis: et annunciantis pacem. Celebra iuda festiuitates tuas et redde vota tua: quia non adiciet vltra vt pertranseat in te belial: vniuersis interijt.

2 Ascendit qui dispergat coram te: qui custodiat obsidionem. Contemplare viam: conforta lumbos: robora virtutem valde. [2] Quia reddidit dominus superbiam iacob: sicut superbiam israhel. Quia vastatores dissipauerunt eos: et propagines eorum corruperunt. [3] Clipeus fortium eius ignitus: viri exercitus in coccineis. Ignee habene currus in die preparationis eius: et agitatores consopiti sunt. [4] In itineribus conturbati sunt: quadrige collise sunt in plateis. Aspectus eorum quasi lampades: quasi fulgura discurrentia. [5] Recordabitur fortium suorum: ruent in itineribus suis. Velociter ascendent muros eius: et preparabitur vmbraculum. [6] Porte fluuiorum aperte sunt: et templum ad solum dirutum. [7] Et miles captiuus adductus est: et ancille eius minabantur gementes et columbe: murmurantes in cordibus suis. [8] Et niniue· quasi piscina aquarum aque eius: ipsi vero fugerunt. State state: et non est qui reuertatur. [9] Diripite argentum diripite aurum: et non est finis diuitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. [10] Dissipata et scissa et dilacerata: et cor tabescens et dissolutio geniculorum et defectio in cunctis renibus: et facies omnium sicut nigredo olle. [11] Vbi est habitaculum leonum: et pascua catulorum leonum? Ad quam iuit leo vt ingrederetur illuc: catulus leonis· et non est qui exterreat. [12] Leo cepit sufficienter catulis suis: et necauit leenis suis. Et impleuit preda speluncas suas: et cubile suum rapina. [13] Ecce ego ad te dicit dominus exercituum: et succendam vsque ad fumum quadrigas tuas: et leunculos tuos comedet gladius. Et exterminabo de terra predam tuam: et non audietur vltra vox nunciorum tuorum.

3 Ve ciuitas sanguinum: vniuersa mendacij: dilaceratione plena. Non recedat a te rapina. [2] Vox flagelli· et vox impetus rote· et equi frementis· et quadrige feruentis· et equitis ascendentis· [3] et micantis gladij· et fulgurantis haste· et multitudinis interfecte· et grauis ruine: nec est finis cadauerum. Et corruent in corporibus suis [4] propter multitudinem fornicationum meretricis speciose et grate et habentis maleficia: que vendidit gentes in fornicationibus suis: et familias in maleficijs suis. [5] Ecce ego ad te dicit dominus exercituum: et reuelabo pudenda da tua in facie tua: et ostendam in gentibus nuditatem tuam et regnis ignominiam tuam. [6] Et proiciam super te abominationes tuas: et contumelijs te afficiam: et ponam te in exemplum. [7] Et erit omnis qui viderit te resiliet a te: et dicet. Vastata est niniue. Quis commouebit super te caput: Vnde queram consolatorem tibi? [8] Nunquid melior es ab allexandria populorum: qui habitat in fluminibus: Aque in circuitu eius: cuius diuitie mare: aque muri eius. [9] Ethiopia fortitudo eius et egiptus: et non est finis. Affrica et libies fuerunt in auxilio tuo: [10] sed et ipsa in transmigratione ducta est in captiuitatem. Paruuli eius in corporibus suis tuas: et contumelijs te afficiam: elisi sunt in capite omnium viarum: et super inclitos eius miserunt sortem: et omnes optimates eius confixi sunt in compedibus. [11] Et tu ergo inebriaris et eris despecta: et queres tu auxilium ab inimico. [12] Omnes munitiones tue sicut ficus cum grossis suis: si connusse fuerint cadent in os comedentis. [13] Ecce populus tuus: mulieres in medio tui. Inimicis tuis ad apertionem pandentur porte terre tue: deuorabit ignis vectes tuos. [14] Aquam propter obsidionem hauri tibi: extrue munitiones tuas. Intra in lutum et calca: subigens tene laterem. [15] Ibi comedet te ignis: peribis gladio: deuorabit te vt brucus. Congregare ergo vt brucus: multiplicare vt locusta. [16] Plures fecisti negociationes tuas: quam stelle sint celi. Brucus expansus est: et auolauit. [17] Custodes tui quasi locusta: et paruuli tui quasi locuste locustarum: que consident in sepibus in die frigoris. Sol ortus est et auolauerunt: et non est cognitus locus earum vbi fuerint. [18] Dormitauerunt pastores tui rex assur: sepelientur principes tui. Latitauit populus tuus in montibus: et non est qui congreget. [19] Non est obscura contritio tua: pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam: compresserunt manum tuam super te. Quia super quem non transijt malicia tua semper?

Abbacuc

Incipit abbacuc propheta.

1 Onus quod vidit abbacuc propheta. [2] Vsquequo domine clamabo: et non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens: et non saluabis? [3] Quare ostendisti michi iniquitatem et laborem: videre predam et iniusticiam contra me? Et factum est iudicium: et contradictio potentior. [4] Propter hoc lacerata est lex: et non peruenit vsque ad finem iudicium. Quia impius preualet aduersus iustum: propterea egreditur iudicium peruersum. [5] Aspicite in gentibus et videte et ammiramini et obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris: quod nemo credet cum narrabitur. [6] Quia ecce ego suscitabo chaldeos gentem amaram et velocem ambulantem super latitudinem terre: vt possideat tabernacula non sua. [7] Horribilis et terribilis est: ex semetipsa iudicium num et

onus eius egredietur. [8] Leuiores pardis equi eius: et velociores lupis vespertinis: et diffundentur equites eius. Equites namque eius de longe venient: volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. [9] Omnes ad predam venient: facies eorum ventus vrens. Et congregabit quasi arenam captiuitatem: [10] et ipse de regibus triumphabit: et tyranni ridiculi eius erunt. Ipse super omnem munitionem ridebit: et comportabit aggerem· et capiet eam. [11] Tunc mutabitur spiritus: et pertransibit et corruet. Hec est fortitudo eius dei sui. [12] Numquid non tu a principio domine deus meus sancte meus: et non moriemur? Domine in iudicium posuisti eum: et fortem vt corriperes fundasti eum. [13] Mundi sunt oculi tui ne videas malum: et respicere ad iniquitatem non poteris. Quare non respicis super inique agentes: et taces deuorante impio iustiorem se? [14] Et facies homines quasi pisces maris: et quasi reptile non habens principem. [15] Totum in hamo subleuauit: traxit illud in sagena sua: et congregauit in rete suum. Super hoc letabitur et exultabit: [16] propterea immolabit sagene sue: et sacrificabit reti suo. Quia in ipsis incrassata est pars eius: et cibus eius electus. [17] Propter hoc ergo expandit sagenam suam: et semper interficere gentes non parcet.

2 Super custodiam meam stabo: et figam gradum super munitionem. Et contemplabor vt videam quid dicatur michi: et quid respondeam ad arguentem me. [2] Et respondit michi dominus· et dixit. Scribe visum et explana eum super tabulas: vt percurrat qui legerit eum. [3] Quia adhuc visus procul: et apparebit in finem et non mentietur. Si moram fecerit exspecta illum: quia veniens veniet et non tardabit. [4] Ecce qui incredulus est: non erit recta anima eius in semetipso. Iustus autem in fide sua viuet. [5] Et quomodo vinum potantem decipit: sic erit vir superbus et non decorabitur. Qui dilatauit quasi infernus animam suam: et ipsi quasi mors: et non adimpletur. Et congregauit ad se omnes gentes et coaceruauit ad se omnes populos. [6] Numquid non omnes isti super eum parabolam sument: et loquelam enigmatum eius: Et dicetur. Ve ei: qui multiplicat non sua. Vsquequo et aggrauat contra se densum lutum? [7] Numquid non repente consurgent qui mordeant te? Et suscitabuntur lacerantes te: et eris in rapinam eis. [8] Quia tu spoliasti gentes multas· spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis: propter sanguinem hominis et iniquitatem terre ciuitatis· et omnium habitantium in ea. [9] Ve qui congregat auariciam malam domui sue: vt sit in excelso nidus eius: et liberari se putat de manu mali. [10] Cogitasti confusionem domui tue: conscidisti populos multos: et peccauit anima tua. [11] Quia lapis de pariete clamabit et lignum quod inter iuncturas edificiorum est respondebit. [12] Ve qui edificat ciuitatem in sanguinibus: et preparat vrbem in iniquitate. [13] Numquid non hec sunt a domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igni: et gentes in vacuum et deficient. [14] Quia replebitur terra vt cognoscant gloriam domini: quasi aque operientes mare. [15] Ve qui potum dat amico suo· mittens fel suum: et inebrians vt aspiciat nuditatem eius. [16] Repletus est ignominia pro gloria. Bibe tu quoque: et consopire. Circumdabit te calix dextere domini: et vomitus ignominie super gloriam tuam. [17] Quia iniquitas libani operiet te: et vastitas animalium deterrebit eos: de sanguinibus hominis et iniquitate terre et ciuitatis: et omnium habitantium in ea. [18] Quid prodest sculptile quia sculpsit illud fictor suus conflatile et ymaginem falsam: quia sperauit in figmento fictor eius vt faceret simulacra muta? [19] Ve qui dicit ligno expergiscere: surge lapidi tacenti. Numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro et argento: et omnis spiritus non est in visceribus eius. [20] Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie eius omnis terra.

3 Oratio abbacuc prophete pro ignorationibus. [2] Domine audiui auditionem tuam: et timui. Domine opus tuum: in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies: cum iratus fueris misericordie recordaberis. [3] Deus ab austro veniet: et sanctus de monte pharan. Semper. Operuit celos gloria eius: et laudis eius plena est terra. [4] Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius: [5] ante faciem eius ibit mors. Egredietur dyabolus ante pedes eius: [6] stetit et mensus est terram. Aspexit et dissoluit gentes: et contriti sunt montes seculi. Incuruati sunt colles mundi: ab itineribus eternitatis eius. [7] Pro iniquitate vidi tentoria ethiopie: turbabuntur pelles terre madian. [8] Numquid in fluminibus iratus es domine: aut in fluminibus furor tuus: vel in mari indignatio tua? Qui ascendes super equos tuos: et quadrige tue saluatio. [9] Suscitans suscitabis arcum tuum: iuramenta tribubus que locutus es. Semper. Fluuios scindens terre: [10] viderunt te et doluerunt montes: gurges aquarum transijt. Dedit abissus vocem suam: altitudo manus suas leuauit. [11] Sol et luna steterunt in habitaculo suo: in luce sagittarum tuarum ibunt: in splendore fulgurantis haste tue. [12] In fremitu conculcabis terram: et in furore obstupefacies gentes. [13] Egressus est in salutem populi tui: in salutem cum cristo tuo. Percussisti caput de domo impij: denudasti fundamentum vsque ad collum. Semper. [14] Maledixisti sceptris eius: capiti bellatorum eius: venientibus vt turbo ad dispergendum me. Exultatio eorum: sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito. [15] Viam fecisti in mari equis tuis: in luto aquarum multarum. [16] Audiui et conturbatus est venter meus: a voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis: et subter me scateat. Vt requiescam in die tribulacionis: vt ascendam ad populum accinctum nostrum. [17] Ficus enim non florebit: et non erit germen in vineis. Mentietur opus oliue: et arua non afferent cibum. Abscidetur de ouili pecus: et non erit armentum in presepibus. [18] Ego autem in domino gaudebo: et exultabo in deo ihesu meo. [19] Deus dominus fortitudo mea: et ponet pedes meos quasi ceruorum. Et super excelsa mea deducet me victor: in psalmis canentem.

Sophonias

Incipit sophonias propheta.

1 Verbum domini quod factum est ad sophoniam filium chusi filij godolie filij amasie filij ezechie: in diebus iosie filij ammon regis iuda. [2] Congregans congregabo omnia a facie terre dicit dominus: [3] congregans hominem et pecus: congregans volatilia celi et pisces maris. Et ruine impiorum erunt: et disperdam homines a facie terre dicit dominus. [4] Et extendam manum meam super iudam et super omnes habitantes iherusalem: et disperdam de loco hoc reliquias baal et nomina edituorum cum sacerdotibus: [5] et eos qui adorant super tecta militiam celi· et adorant et iurant in domino et iurant in melchon: [6] et qui auertuntur de post tergum domini: et qui non quesierunt dominum: nec inuestigauerunt eum. [7] Silete a facie domini dei: quia iuxta est dies domini. Quia preparauit deus hostiam: sanctificauit vocatos suos. [8] Et erit: in die hostie domini visitabo super principes et super filios regum et super omnes qui induti sunt veste perigrina. [9] Et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa: qui complent domum domini dei sui: iniquitate et dolo. [10] Et erit in die illa dicit dominus vox clamoris a porta piscium et vlulatus a secunda: et contritio magna a collibus. [11] Vlulate habitatores pile. Con ticuit omnis populus chanaan: disperierunt omnes inuoluti argento. [12] Et erit: tempore illo scrutabor iherusalem in lucernis et visitabo super viros defixos in fecibus suis: qui dicunt in cordibus suis. Non faciet bene dominus: et non faciet male. [13] Et erit fortitudo eorum in direptionem: et domus eorum in desertum. Et edificabunt domos et non habitabunt: et plantabunt vineas et non bibent vinum earum. [14] Iuxta est dies

domini magnus: iuxta est et velox nimis. Vox diei domini amara: tribulabitur ibi fortis. [15] Dies ire dies illa· dies tribulacionis et angustie: dies calamitatis et miserie· dies tenebrarum et caliginis· dies nebule et turbinis: [16] dies tube et clangoris super ciuitates munitas et super angulos excelsos. [17] Et tribulabo homines: et ambulabunt vt ceci: quia domino peccauerunt. Et effundetur sanguis eorum sicut humus: et corpora eorum sicut stercora. [18] Sed et argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos: in die ire domini. In igne zeli eius deuorabitur omnis terra: quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

2 Conuenite congregamini gens non amabilis: [2] priusquam pariat iussio quasi puluerem transeuntem diem: antequam veniat super vos ira furoris domini. [3] Querite niat Querite dominum omnes mansueti terre: qui iudicium eius estis operati. Querite iustum querite mansuetum: si quo modo abscondamini in die furoris domini. [4] Quia gaza destructa erit: et ascalon in desertum. Azotum in meridie eicient: et accaron eradicabitur. [5] Ve qui habitatis funiculum maris: gens perditorum. Verbum domini super vos chanaan terra philistinorum: et disperdam te ita vt non sit inhabitator. [6] Et erit funiculus maris requies pastorum: et caule pecorum. [7] Et erit funiculus eius qui remanserit de domo iuda. Ibi pascentur in domibus ascalonis: ad vesperum requiescent. Quia visitauit eos dominus deus eorum: et auertet captiuitatem eorum. [8] Audiui opprobrium moab et blasphemias filiorum amon que exprobrauerunt populo meo: et magnificati sunt super terminos eorum. [9] Propterea viuo ego dicit dominus exercituum: deus israhel. Quia moab vt sodoma erit et filij ammon quasi gomorra: siccitas spinarum et acerui salis: et desertum vsque in eternum. Reliquie populi mei diripient illos: residui gentis mee possidebunt illos. [10] Hoc enim eis eueniet pro superbia sua: qua blasphemauerunt et magnificati sunt super populum domini exercituum. [11] Horribilis dominus super eos: et attenuabit omnes deos terre. Et adorabunt eum viri de loco suo: omnes insule gentium. [12] Sed et vos ethiopes: interfecti gladio meo eritis. [13] Et extendet manum suam super aquilonem: et perdet assur. et ponent speciosam in solitudinem et in inuium: et quasi desertum. [14] Et accubabunt in medio eius greges· omnes bestie gentium: et onocrotalus et hericius in liminibus eius morabuntur. Vox cantantis in fenestra: curuus in superliminari: quoniam attenuabo robur eius. [15] Hec est ciuitas gloriosa habitans in confidentia: que dicebat in corde suo. Ego sum: et extra me non est alia amplius. Quomodo facta est in desertum: cubile bestie? Omnis qui transit per eam sibilabit: et mouebit manum suam.

3 Ve prouocatrix et redempta ciuitas· columba. [2] Non audiuit vocem: et non suscepit disciplinam. In domino non est confisa: ad deum suum non appropinquauit. [3] Principes eius in medio eius: quasi leones rugientes. Iudices eius lupi vespere: non relinquebant in mane. [4] Prophete eius vesani: viri infideles. Sacerdotes eius polluerunt sanctum: iniuste egerunt contra legem. [5] Dominus iustus in medio eius: non faciet iniquitatem. Mane A N abscondetur. mane iudicium suum dabit in luce: et non Nesciuit autem iniquus confusionem. [6] Disperdidi gentes: et dissipati sunt anguli earum. Desertas feci vias eorum: dum non est qui transeat. Desolate sunt ciuitates eorum: non remanente viro neque vllo habitatore. [7] Dixi. Attamen timebis me· suscipies disciplinam. Et non peribit habitaculum eius: propter omnia in quibus visitaui eam. Verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas. [8] Quapropter exspecta me dicit dominus in die resurrectionis mee in futurum: quia iudicium meum vt congregem gentes et colligam regna. Et effundam super eos indignationem meam: omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra. [9] Quia tunc reddant populis labium electum: vt inuocent omnes nomen domini: et seruiant ei humero vno. [10] Vltra flumina ethiopie· inde supplices mei: filij dispersorum meorum deferet munus michi. [11] In die illa non confunderis super cunctis adinuentionibus tuis: quibus preuaricata es in me. Quia tunc auferam de medio tui magniloquos superbie tue: et non adicies exaltari amplius in monte sancto meo. [12] Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum: et sperabunt in nomine domini. [13] Reliquie israhel non facient iniquitatem nec loquentur mendacium: et non inuenietur in ore eorum lingua dolosa. Quoniam ipsi pascentur et accubabunt: et non erit qui exterreat. [14] Lauda filia syon: iubilato israhel. Letare et exulta israhel in omui corde filia iherusalem. [15] Abstulit dominus iudicium tuum: auertit inimicos tuos. Rex israhel dominus in medio tui: non timebis malum vltra. [16] In die illa dicetur iherusalem. Noli timere syon: non dissoluantur manus tue. [17] Dominus deus tuus in medio tui fortis: ipse saluabit. Gaudebit super te in leticia: silebit in dilectione tua: et exultabit super te in laude. [18] Nugas qui a lege recesserant congregabo quia ex te erant: vt non vltra habeas super eis opprobrium. [19] Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo: et saluabo claudicantem: et eam que eiecta fuerat congregabo. Et ponam eos in laudem et in nomen in omni terra confusionis eorum: [20] in tempore illo quo adducam vos: et in tempore quo congregabo vos. Dabo enim vos in nomen et in laudem omnibus populis terre: cum babel filium salathiel ducem iuda: et ad tempus domus domini edificande. Et factum cituum. Ponite corda vestra super vias ciati. Bibistis et non estis inebriati. Oqui mercedes congregauit: misit eas ercituum. Ponite corda vestra super vias bilis michi erit: et glorificabor dicit factum est minus. Et intulistis in domum:

Aggeus

Incipit aggeus propheta.

1 In anno secundo darij regis in mense sexto in die vna mensis factum est verbum domini in manu aggei prophete ad zorobabel filium salachiel ducem iuda: et ad ihesum filium iosedech sacerdotem magnum dicens. [2] Hec ait dominus exercituum dicens. Populus iste dicit. Nondum venit tempus domus domini edificande. [3] Et factum est verbum domini in manu aggei prophete dicens. [4] tempus vobis est vt habitetis in domibus laqueatis: et domus ista deserta? [5] Et nunc hec dicit dominus exercituum. Ponite corda vestra super vias vestras. [6] Seminastis multum: et intulistis parum. Comedistis: et non estis saciati. Bibistis: et non estis inebriati. Ouos: et non estis calefacti. Et qui mercedes congregauit: misit eas in sacculum pertusum. [7] Hec dicit dominus exercituum. Ponite corda vestra super vias vestras. [8] Ascendite in montem portate lignum: et edificate domum et acceptabilis michi erit: et glorificabor dicit dominus. [9] Respexistis ad amplius: et ecce factum est minus. Et intulistis in domum: et exsufflaui illud. Quam ob causam dicit dominus exercituum? Quia domus mea deserta est: et vos festinastis vnusquisque in domum suam. [10] Propter hoc super vos prohibiti sunt celi ne darent rorem: et terra prohibita est ne daret germen suum. [11] Et vocaui siccitatem super terram et super montes et super triticum et super vinum et super oleum quecumque profert humus: et super homines et super iumenta: et super omnem laborem manuum. [12] Et audiuit zorobabel filius salachiel et ihesus filius iosedech sacerdos magnus et omnes reliquie populi vocem dei sui et verba aggei prophete de sicut misit eum dominus deus eorum ad eos: et timuit omnis populus a facie domini. [13] Et xit aggeus nuncius domini· de nuncijs domini· populo dicens. Ego vobiscum dicit dominus. [14] Et suscitauit deus spiritum zorobabel filij salathiel ducis iuda et

spiritum ihesu filij iosedech sacerdotis magni et spiritum reliquorum de omni populo: et ingressi sunt et faciebant opus in domo domini exercituum dei sui.

2 In die vicesima et quarta mensis in sexto mense in anno secundo darij regis [2] in septimo mense vicesima et prima mensis: factum est verbum domini in manu aggei prophete dicens. [3] Loquere ad zorobabel filium salathiel ducem iuda et ad ihesum filium iosedech sacerdotem magnum: et ad reliquos populi dicens. [4] Quis in vobis est derelictus qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita est quasi non sit in oculis vestris? [5] Et nunc confortare zorobabel dicit dominus: et confortare ihesu fili iosedech sacerdos magne: et confortare omnis populus terre dicit dominus exercituum et facite: quoniam ego vobiscum sum: dicit dominus exercituum. [6] Verbum quod placui vobiscum cum egrederemini de terra egipti· et spiritus meus erit in medio vestrum. Nolite timere: [7] quia hec dicit dominus exercituum. Adhuc vnum modicum est: et ego commouebo celum et terram et mare et aridam. [8] Et mouebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus. Et implebo domum istam gloria: dicit dominus exercituum. [9] Meum est argentum et meum est aurum: dicit dominus exercituum. [10] Magna erit gloria domus istius nouissime plusquam prime: dicit dominus exercituum. Et in loco isto dabo pacem: dicit dominus exercituum. [11] In vicesima et quarta noni mensis in anno secundo darij regis: factum est verbum domini ad aggeum prophetam dicens. [12] Hec dicit dominus exercituum. Interroga sacerdotes legem dicens. [13] Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui et tetigerit de summitate eius panem aut pulmentum aut vinum aut oleum aut omnem cibum: nunquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes dixerunt. Non. [14] Et dixit aggeus. Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus hijs nunquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes: et dixerunt. Contaminabitur. [15] Et respondit aggeus et dixit. Sic populus iste et sic gens ista ante faciem meam dicit dominus: et sic omne opus manuum eorum: et omnia que obtulerunt michi contaminata erunt. [16] Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra antequam poneretur lapis super lapidem in templo domini: [17] cum accederetis ad aceruum viginti modiorum et fierent decem: et intraretis ad torcular vt exprimeretis quinquaginta lagenas et fiebant viginti. [18] Percussi vos vento vrente: et aurugine et grandine omnia opera manuum vestrarum: et non fuit in vobis qui reuerteretur ad me dicit dominus. [19] Ponite corda vestra ex die ista et in futurum a die vicesima et quarta noni mensis: a die qua fundamenta iacta sunt templi domini ponite super cor vestrum. [20] Nunquid iam semen in germine est? Et adhuc vinea et ficus et malogranatum et lignum oliue non floruit. Ex die ista benedicam. [21] Et factum est verbum domini secundo ad aggeum in vicesima et quarta mensis dicens. [22] Loquere ad zorobabel ducem iuda dicens. Ego mouebo celum pariter et terram: [23] et subuertam solium regnorum: et conteram fortitudinem regni gentium. Et subuertam quadrigam et ascensorem eius: et descendent equi et ascensores eorum: vir in gladio fratris sui. [24] In die illo dicit dominus exercituum assumam te zorobabel fili salatiel serue meus dicit dominus: et ponam te quasi signaculum: quia te elegi dicit dominus exercituum.

Zacharias

Incipit zacharias propheta.

1 mense octauo in anno secundo darij regis: factum est verbum domini ad zachariam filium barachie filij addo prophetam. [2] Iratus est dominus super patres vestros iracundia. [3] Et dices ad eos. Hec dicit dominus exercituum. Conuertimini ad me ait dominus exercituum: et conuertar ad vos dicit dominus exercituum. [4] Ne sitis sicut patres vestri ad quos clamabant prophete priores di centes hec dicit dominus exercituum· conuertimini de vijs vestris malis et cogitationibus vestris pessimis: et non audierunt neque attenderunt ad me dicit dominus. [5] vestri vbi sunt et prophete? in sempiternum viuent? [6] Verumtamen verba mea et legitima mea que mandaui seruis meis prophetis: nunquid non comprehenderunt patres vestros? Et conuersi sunt et dixerunt. Sicut cogitauit dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras et secundum adinuentiones nostras: fecit nobis. [7] In die vicesima et quarta vndecimi mensis sabbath in anno se darij: factum est verbum domini ad zachariam filium barachie filij addo prophetam dicens. [8] Vidi per noctem: et ecce vir ascendens super equum rufum· et ipse stabat inter mirteta que erant in profundo: et post eum equi rusi varij et albi. [9] Et dixi. Qui sunt isti domine mi: Et dixit ad me angelus domini qui loquebatur in me. Ego ostendam tibi quid sint hec. [10] Et respondit vir qui stabat inter mirteta et dixit. Isti sunt quos misit dominus: vt perambulent terram. [11] Et responderunt angelo domini qui stabat inter mirteta: et dixerunt. Perambulauimus terram: et ecce omnis terra habitatur et quiescit. [12] Et respondit angelus domini et dixit. Domine exercituum vum vsque quo tu non misereberis iherusalem et vrbium iuda quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est. [13] Et respondit dominus angelo qui loquebatur in me verba bona: verba consolatoria. [14] Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me. Clama dicens. Hec dicit dominus exercituum. Zelatus sum iherusalem et syon zelo magno. [15] Et ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum: ipsi vero adiurauerunt in malum. [16] Propterea hec dicit dominus. Reuertar ad iherusalem in misericordijs: et domus mea edificabitur in ea ait dominus exercituum: et per pendiculum extendetur super iherusalem. [17] Adhuc clama dicens. Hec dicit dominus exercituum. Adhuc affluent ciuitates mee bonis: et consolabitur adhuc dominus syon: et eliget adhuc iherusalem. [18] Et leuaui oculos meos et vidi: et ecce quatuor cornua. [19] Et dixi ad angelum qui loquebatur in me. Quid sunt hec? Et dixit ad me. Hec sunt cornua: que ventilauerunt iudam et israhel et iherusalem. [20] Et ostendit michi dominus quatuor fabros. [21] Et dixi. Quid isti veniunt facere? Qui ait dicens. Hec sunt cornua que ventilauerunt iudam per singulos viros: et nemo illorum leuauit caput suum. Et venerunt isti deterrere ea: vt deiciant cornua gentium que leuauerunt cornua super terram iuda: vt dispergerent eam.

2 t leuaui oculos meos et vidi: et ecce vir et in manu eius funiculus mensorum. [2] Et dixi. Quo tu vadis? Et dixit ad me. Vt metiar iudeam et iherusalem quanta sit latitudo eius: et quanta longitudo eius. [3] Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur: et alius angelus egrediebatur in occursum eius: [4] et dixit ad eum. Curre: loquere ad puerum istum dicens. Absque muro habitabitur iherusalem pre multitudine hominum et iumentorum in medio eius. [5] Et ego ero ei ait dominus murus ignis in circuitu: et in gloria ero in medio eius. [6] O o fugite de terra aquilonis dicit dominus: quoniam in quatuor ventos celi dispersi vos dicit dominus. [7] O syon fuge que habitas apud filiam babilonis: [8] quia hec dicit dominus exercituum. Post gloriam misit me ad gentes: que spoliauerunt vos. Qui enim tetigerit vos: tangit pupillam oculi mei. [9] Quia ecce ego leuo manum meam super eos: et erunt prede hijs qui seruiebant sibi: et cognoscetis quia dominus exercituum misit me. [10] Lauda et letare filia syon: quia ecce ego venio et habitabo in medio tui ait dominus. [11] Et applicabuntur gentes multe ad dominum in die illa: et erunt michi in populum. Et habitabo in medio tui: et scies quia dominus exercituum misit me ad te. [12] Et possidebit dominus iudam et partem suam in terra sanctificata: et eliget iherusalem. [13] Sileat omnis caro a facie domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

3 ostendit michi dominus ihesum sacerdotem magnum stantem coram angelo domini: et sathan stabat a dextris eius vt aduersaretur ei. [2] Et dixit dominus ad sathan. Increpet dominus in te. Sathan: et increpet dominus in te qui elegit iherusalem. Nunquid non iste torris est erutus de igne? [3] Et ihesus erat indutus vestibus sordidis: et stabat ante faciem angeli. [4] Qui respondit: et ait ad eos qui stabant coram se dicens. Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum. Ecce abstuli a te iniquitatem tuam: et indui te mutatorijs. [5] Et dixit. Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt cidarim super caput eius mundam: et induerunt eum vestibus. Et angelus domini stabat: [6] et contestabatur angelus domini ihesum dicens. [7] Hec dicit dominus exercituum. Si in vijs meis ambulaueris et custodiam meam custodieris: tu quoque iudicabis domum meam et custodies atria mea: et dabo tibi ambulantes de hijs qui nunc hic assistunt. [8] Audi ihesus sacerdos magne: tu et amici tui qui habitant coram te: quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam seruum meum orientem: [9] quia ecce lapis quem dedi coram ihesu: super lapidem vnum septem oculi sunt. Et ecce ego celabo sculpturam eius ait dominus exercituum: et auferam iniquitatem terre illius in die vna. [10] In die illa dicit dominus exercituum: vocabit vir amicum suum subter vineam et subter ficum.

4 Et reuersus et reuersus est angelus qui loquebatur in me: et suscitauit me quasi virum qui suscitatur de somno suo. [2] Et dixit ad me. Quid tu vides? Et dixi. Vidi: et ecce candelabrum aureum totum· et lampas eius super caput ipsius: et septem lucerne eius super illud: et septem infusoria lucernis que erant super caput eius: [3] et due oliue super illud: vna a dextris lampadis· et vna a sinistris eius. [4] Et respondi: et aio ad angelum qui loquebatur in me dicens. Quid sunt hec domine mi? [5] Et respondit angelus qui loquebatur in me: et dixit ad me. Nunquid nescis quid sunt hec? Et dixi. Non domine mi. [6] Et respondit: et ait ad me dicens. Hoc est verbum domini ad zorobabel dicens. Non in exercitu nec in robore: sed in spiritu meo dicit dominus exercituum. [7] Quis tu mons magne coram zorobabel in planum? Et educet lapidem primarium: et exequabit gratiam gratie eius. [8] Et factum est verbum domini ad me dicens. [9] Manus zorobabel fundauerunt domum istam: et manus eius perficient eam: et scietis quia dominus exercituum misit me ad vos. [10] Quis enim despexit dies paruos? Et letabuntur: et videbunt lapidem stagneum in manu zorobabel. Septem sunt isti oculi domini: qui discurrunt in vniuersam terram. [11] Et respondi: et dixi ad eum. Quid sunt due oliue iste ad dexteram candelabri et ad sinistram eius? [12] Et respondi secundo: et dixi ad eum. Quid sunt due spice oliuarum que sunt iuxta duo rostra aurea: in quibus sunt suffusoria ex auro? [13] Et ait ad me dicens. Nunquid nescis quid sunt hec? Et dixi. Non domine mi. [14] Et dixit. Isti sunt duo filij olei splendoris: qui assistunt dominatori vniuersi terre.

5 conuersus sum: et leuaui oculos meos et vidi: et ecce volumen volans. [2] Et dixit ad me. Quid tu vides? Et dixi. Ecce ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum: et latitudo eius decem cubitorum. [3] Et dixit ad me. Hec est maledictio que egredietur super faciem omnis terre: quia omnis fur sicut ibi scriptum est iudicabitur: et omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. [4] Educam illud dicit dominus exercituum· et veniet ad domum furis et ad domum iurantis in nomine meo mendaciter· et commorabitur in medio domus eius: et consumet eum et ligna eius et lapides eius. [5] Et egressus est angelus qui loquebatur in me: et dixit ad me. Leua oculos tuos et vide. Quid est hoc quod egreditur? [6] Et dixi. Quidnam est? Et ait. Hec est anfora egrediens. Et dixit. Hec est oculus eorum in vniuersa terra. [7] Et ecce talentum plumbi portabatur: et ecce mulier vna sedens in medio anfore. [8] Et dixit. Hec est impietas. Et proiecit eam in medio anfore: et misit massam plumbeam in os eius. [9] Et leuaui oculos meos et vidi: et ecce due mulieres egredientes: et spiritus in alis earum. Et habebant alas quasi alas milui: et leuauerunt anforam inter terram et celum. [10] Et dixi ad angelum qui loquebatur in me. Quo iste deferunt anforam? [11] Et dixit ad me. Vt edificetur ei domus in terra sennaar: et stabiliatur et ponatur ibi super basem suam.

6 Et conuersus sum: et leuaui ooculos meos et vidi: et ecce quatuor quadrige egredientes de medio duorum montium: et montes montes erei. [2] In quadriga prima equi· rufi: in quadriga secunda equi nigri [3] in quadriga tercia equi albi· et in quadriga quarta equi varij et fortes. [4] Et respondi: et dixi ad angelum qui loquebatur in me. Quid sunt hec domine mi? [5] Et respondit angelus: et ait ad me. Isti sunt quatuor venti celi: qui egrediuntur vt stent coram dominatore omnis terre. [6] In qua erant equi nigri egrediebantur in terram aquilonis: et albi egressi sunt post eos: et varij egressi sunt ad terram austri. [7] Qui autem erant robustissimi exierunt: et querebant ire et discurrere per o terram. Et dixit. Ite: et perambulate terram. Et perambulauerunt terram. [8] Et vocauit me: et locutus est ad me dicens. Ecce qui egrediuntur in terram aquilonis: requiescere fecerunt spiritum meum in terra aquilonis. [9] Et factum est verbum domini ad me dicens. [10] Sume a transmigratione ab oldai et a thobia et ab idaia et venies tu in die illa et intrabis domum iosye filij sophonie qui venerunt de babilone: [11] et sumes aurum et argentum et facies coronas et pones in capite ihesu filij iosedech sacerdotis magni: [12] et loqueris ad eum dicens. Hec ait dominus exercituum dicens. Ecce vir: oriens nomen eius. Et subter eum orietur: et edificabit templum domino: [13] et ipse extruet templum domino. Et ipse portabit gloriam: et sedebit et dominabitur super solio suo. Et erit sacerdos super solio suo: et consilium pacis erit inter illos duos. [14] Et corone erunt helem et thobie et idaie et hen filio sophonie: memoriale in templo domini. [15] Et qui procul sunt venient et edificabunt in templo domini: et scietis quia dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc: si auditu audieritis vocem domini dei vestri.

7 Et factum est in anno quarto darij regis: factum est verbum domini ad zachariam in quarta mensis noni qui est casleu. [2] Et miserunt ad domum dei sarasar et rogomelech et viri qui erant cum eis ad deprecandam faciem domini: [3] vt dicerent sacerdotibus domus domini exercituum et prophetis loquentes. Numquid flendum est michi in quinto mense: vel sanctificare me debeo sicut feci iam multis annis? [4] Et factum est verbum domini exercituum ad me dicens. [5] Loquere ad omnem populum terre: et ad sacerdotes dicens. Cum ieiunaretis et plangeretis in quinto et septimo per hos septuaginta annos: numquid ieiunium ieiunastis michi? [6] Et cum comedistis et bibistis: nunquid non vobis comedistis et vobismetipsis bibistis? [7] Nunquid non hec sunt verba que locutus est dominus in manu prophetarum priorum cum adhuc iherusalem habitaretur et esset opulenta: ipsa et vrbes in circuitu eius: et ad austrum et in campestribus habitaretur? [8] Et factum est verbum domini ad zachariam dicens. [9] Hec ait dominus exercituum dicens. Iudicium verum iudicate: et misericordiam et miserationes facite vnusquisque cum fratre suo. [10] Et viduam et pupillum et aduenam et pauperem nolite calumniari: et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. [11] Et noluerunt attendere et auerterunt scapulam recedentes: et aures suas aggrauauerunt ne audirent: [12] et cor suum posuerunt vt adamantem ne audirent legem et verba que misit dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum. Et facta est indignatio magna a domino exercituum. [13] Et factum est: sicut locutus sum et non audierunt: sic clamabunt et non exaudiam dicit dominus exercituum. [14] Et dispersi eos per omnia regna que nesciunt: et terra desolata est ab eis eo quod non esset transiens et reuertens: et posuerunt terram desiderabilem in desertum.

8 Et factum est verbum domini exercituum diCcens. [2] Hec dicit dominus exercituum. Zelatus sum syon zelo magno: et indignatione magna zelatus sum eam. [3] Hec dicit dominus exercituum: reuersus sum ad syon: et habitabo in medio iherusalem. Et vocabitur iherusalem ciuitas veritatis: et mons domini exercituum mons sanctificatus. [4] Hec ditit dominus exercituum. Adhuc habitabunt senes et anus in plateis iherusalem: et viri baculus in manu eius pre multitudine dierum. [5] Et platee ciuitatis complebuntur infantibus: et puellis ludentibus in plateis eius. [6] Hec dicit dominus exercituum. Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis: nunquid in oculis meis difficile erit dicit dominus exercituum? [7] Hec dicit dominus exercituum.

Ecce ego saluabo populum meum de terra orientis et de terra occasus solis: [8] et adducam eos et habitabunt in medio iherusalem: et erunt michi in populum et ego ero eis in deum in veritate et in iusticia. [9] Hec dicit dominus exercituum. Confortentur manus vestre qui auditis in hijs diebus sermones istos per os prophetarum: in die qua fundata est domus domini exercituum vt templum edificaretur. [10] Siquidem ante dies illos merces hominum non erat nec merces iumentorum erat: neque introeunti et exeunti erat pax pre tribulatione: et dimisi omnes homines vnumquenque contra proximum suum. [11] Nunc autem iuxta dies priores ego faciam reliquijs populi huius dicit dominus exercituum: [12] sed semen pacis erit. Vinea dabit fructum suum: et terra dabit germen suum. Et celi dabunt rorem suum: et possidere faciam reliquias populi huius vniuerso hec. [13] Et erit: sicut eratis maledictio in gentibus domus iuda et domus israhel: sic saluabo vos et eritis benedictio. Nolite timere. Confortentur manus vestre: [14] quia hec dicit dominus exercituum. Sicut cogitaui vt affligerem vos cum ad iracundiam prouocassent patres vestri me dicit dominus [15] et non sum misertus: sic conuersus cogitaui in diebus istis vt benefaciam domui iuda et iherusalem. Nolite timere. [16] Hec sunt ergo verba que facietis. Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Veritatem et iudicium pacis iudicate in portis vestris: [17] et vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: et iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hec sunt que odi dicit dominus. [18] Et factum est verbum domini exercituum ad me dicens. [19] Hec dicit dominus exercituum. Ieiunium quarti et ieiunium quinti et ieiunium septimi et ieiunium decimi erit domui iude in gaudium et in leticiam: et in solemnitates preclaras. Veritatem tantum et pacem diligite. [20] Hec dicit dominus exercituum. Vsquequo veniant populi et habitent in ciuitatibus multis: [21] et vadant habitatores vnus ad alterum dicentes. Eamus et deprecemur faciem domini: et queramus dominum exercituum. Vadam etiam ego. [22] Et venient populi multi et gentes robuste ad querendum dominum exercituum in iherusalem: et deprecandam faciem domini. [23] Hec dicit dominus exercituum. In diebus illis in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium: et apprehendent fimbriam viri iudei dicentes: ibimus vobiscum. Audiuimus enim quoniam deus vobiscum est.

9 verbi domini in terra adrach et damasci requiei eius: quia dominus est oculus hominis: et omnium tribuum israhel. [2] Emath quoque in terminis eius: et tyrus et sydon. Assumpserunt quippe sibi sapientiam valde. [3] Et edificauit tyrus munitionem suam: et coaceruauit argentum quasi humum: et aurum vt lutum platearum. [4] Et ecce dominus possidebit eam: et percutiet in mari fortitudinem eius: et hec igni deuorabitur. [5] Videbit ascalon et timebit: et gaza et dolebit nimis: et accaron quoniam confusa est spes eius. Et peribit rex de gaza: et ascalon non habitabitur. [6] Et sedebit separator in azoto: et disperdam superbiam philistinorum. [7] Et auferam sanguinem eius de ore eius: et abominationes eius de medio dentium eius. Et relinquetur etiam ipse deo nostro: et erit quasi dux in iuda: et accaron quasi iebuseus. [8] Et circumdabo domum meam ex hijs qui militant michi euntes et reuertentes: et non transibit super eos vltra exactor: quia nunc vidi in oculis meis. [9] Exulta satis filia syon: iubila filia iherusalem. Ecce rex tuus veniet tibi iustus et saluator: ipse pauper et ascendens super asinam: et super pullum filium asine. [10] Et disperdam quadrigam ephraim: ex et equum de iherusalem: et dissipa arcus belli. Et loquetur pacem gentibus: et potestas eius a mari vsque ad mare: et a fluminibus vsque ad fines terre. [11] Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu: in quo non est aqua. [12] Conuertimini ad munitionem iuncti spei. Hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi: [13] quoniam extendi michi iudam quasi arcum: impleui terram ephraim. Et suscitabo filios tuos syon super filios tuos grecia: et ponam te quasi gladium fortium. [14] Et dominus deus super eos videbitur: et exibit vt fulgur iaculum eius. Et dominus deus in tuba canet: et vadet in turbine austri. [15] Dominus exercituum protiget eos: et deuorabunt et subicient lapibus funde. Et bibentes inebriabuntur quasi a vino: et replebuntur vt phiale: et quasi cornua altaris. [16] Et saluabit eos dominus deus eorum in die illa vt gregem populi sui: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius. [17] Quid enim bonum eius est· et quid pulcrum eius: nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines:

10 Petite pluuiam a domino in tempore serotino: et dominus faciet niues et pluuiam ymbris: et dabit eis singulis herbam in agro. [2] Quia simulacra locuta sunt inutile: et diuini viderunt mendatium: et somniatores locuti sunt frustra et vane consolabantur. Idcirco adducti sunt quasi grex: affligentur quia non est pastor eis. [3] Super pastores iratus est furor meus: et super hircos visitabo. Quia visitauit dominus exercituum gregem suum domum iuda: et posuit eos quasi equum glorie sue in bello. [4] Ex ipso angulus· et ex ipso paxillus: ex ipso arcus prelij: et ex ipso egredietur omnis exactor simul. [5] Et erunt quasi fortes: conculcantes lutum viarum in prelio. Et bellabunt quia dominus cum eis: et confundentur ascensores equorum. [6] Et confortabo domum iuda: et domum ioseph saluabo. Et conuertam eos quia miserebor eorum: et erunt sicut fuerunt quando non proieceram eos. Ego enim dominus deus eorum: et exaudiam eos. [7] Et erunt quasi fortes ephraim: m: et letabitur cor eorum quasi a vino. Et filij eorum videbunt et letabuntur: et exultabit cor eorum in domino. [8] Sibilabo eis et congregabo illos: quia redemi eos. Et multiplicabo eos sicut ante fuerant multiplicati: [9] et seminabo eos in populis. Et de longe recordabuntur mei: et viuent cum filijs suis et reuertentur. [10] Et reducam eos de terra egipti: et de assirijs congregabo eos. Et ad terram galaad et libani adducam eos: et non inuenietur eis locus. [11] Et transijt in maris freto: et percutiet in mari fluctus: et confundentur omnia profunda fluminis. Et humiliabitur superbia assur: et sceptrum egipti recedet. [12] Confortabo eos in domino: et in nomine eius ambulabunt dicit dominus.

11 Aperi libane portas tuas: et rome comedat dat ignis cedros tuas. [2] Vlula abies quia cecidit cedrus: quoniam magnifici vastati sunt. Vlulate quercus basan: quoniam succisus est saltus munitus. [3] Vox vlulatus pastorum: quia vastata est magnificentia eorum. Vox rugitus leonum: quoniam vastata est superbia iordanis. [4] Hec dicit dominus deus meus. Pasce pecora occisionis: [5] que qui possederant occidebant et non dolebant: et vendebant ea dicentes. Benedictus dominus: diuites facti sumus. Et pastores eorum non parcebant eis: [6] et ego non parcam vltra super habitantes terram dicit dominus. Ecce ego tradam homines· vnumquemque in manu proximi sui· et in manu regis sui: et conscindent terram et non eruam de manu eorum: [7] et pascam pecus occisionis propter hoc o pauperes gregis. Et assumpsi michi duas virgas: vnam vocaui decorem et alteram vocaui funiculum: et paui gregem. [8] Et succidi tres pastores in mense vno: et contracta est anima mea in eis. Siquidem et anima eorum variauit in me. [9] Et dixi. Non pascam vos. Quod moritur moriatur: et quod succiditur succidatur: et reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui. [10] Et tuli virgam meam que vocabatur decus et abscondi eam: vt irritum facerem fedus meum quod percussi cum omnibus populis: [11] et in irritum deductum est in die illa. Et cognouerunt sic pauperes gregis qui custodiunt michi: quia verbum domini est. [12] Et dixi ad eos. Si bonum est in oculis vestris afferte mercedem meam: et si non· quiescite. Et appenderunt mercedem meam: triginta argenteos. [13] Et dixit dominus ad me. Proice illud ad statuarium. Decorum precium: quo appreciatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: et proieci illos in domo domini ad statuarium. [14] Et prescidi virgam meam secundam que appellabatur funiculus: vt dissoluerem germa inter iudam et israhel. [15] Et dixit dominus ad me. Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti. [16] Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra qui derelicta non visitabit· dispersum non queret: et contritum non sanabit et id quod stat non enutriet: et carnes pinguium comedet· et vngulas eorum dissoluet. [17] O pastor et ydolum: derelinquens gregem. Gladius super brachium eius: et super oculum dextrum eius. Brachium eius ariditate siccabitur: et oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.

12 Onus verbi domini super israhel. Dixit dominus extendens celum et fundans terram: et fingens spiritum hominis in eo. [2] Ecce ego ponam iherusalem superliminare crapule omnibus populis in circuitu: sed et iuda erit in obsidione contra iherusalem. [3] Et erit: in die illa ponam iherusalem lapidem

oneris cunctis populis. Omnes qui eleuabunt eam concisione lacerabuntur: et colligentur aduersus eam omnia regna terre. [4] In die illa dicit dominus percutiam omnem equum in et ascensorem eius in amentia. Et super domum iuda aperiam oculos meos: et omnem equum populorum percutiam cecitate. [5] Et dicent duces iuda in corde suo. confortentur michi habitatores iherusalem: in domino exercituum deo eorum. [6] In die illa ponam duces iuda sicut caminum ignis in iu lignis et sicut facem ignis in feno: et deuorabunt ad dextram et ad sinistram omnes populos in circuitu. Et habitabitur iherusalem rursus in loco suo in iherusalem: [7] et saluabit dominus tabernacula iuda sicut in principio: vt non magnifice glorietur domus dauid: et gloria habitantium iherusalem contra iudam. [8] In die illo proteget dominus habitatores iherusalem. Et erit qui offenderit ex eis in die illa quasi dauid: et domus dauid quasi dei: sicut angelus domini in conspectu eius. [9] Et erit in die illa queram conterere omnes gentes que veniunt contra iherusalem: [10] et effundam super domum dauid et super habitatores iherusalem spiritum gratie et precum. Et aspicient ad me quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super vnigenitum: et dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti. [11] In die illa magnus erit planctus in iherusalem sicut planctus adremmon: in campo magedon. [12] Et planget terra: familie et familie seorsum. Familie domus dauid seorsum: et mulieres eorum seorsum. [13] Familie domus nathan seorsum: et mulieres eorum seorsum. Familie domus leui seorsum: et mulieres eorum seorsum. Familie semei seorsum: et mulieres eorum seorsum. [14] Omnes familie relique: familie et familie seorsum: et mulieres eorum seorsum.

13 die illa erit fons patens domus dauid et habitantibus iherusalem: in ablutionem peccatoris et menstruate. [2] Et erit in die illa dicit dominus exercituum disperdam nomina ydolorum de terra: et non memorabuntur vltra. Et pseudo prophetas et spiritum immundum auferam de terra. [3] Et erit cum prophetauerit quispiam vltra: dicent ei pater eius et mater eius qui genuerunt eum. Non viues: quia mendacium locutus es in nomine domini. Et configent eum pater eius et mater eius genitores eius cum prophetauerit. [4] Et erit: in die illa confundentur prophete vnusquisque ex visione sua cum prophetauerint: nec operientur pallio saccino vt mentiantur. [5] Sed dicet: non sum propheta. Homo agricola ego sum: quoniam adam exemplum meum ab adolescentia mea. [6] Et dicetur ei. Quid sunt plage iste in medio manuum tuarum? Et dicet. Hijs plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. [7] Framea suscitare super pastorem meum: et super virum coherentem michi dicit dominus exercituum. Percute pastorem: et dispergentur oues. Et conuertam manum meam ad paruulos: [8] et erunt in omni terra dicit dominus. Partes due in ea dispergentur et deficient: et tercia pars relinquetur in ea. [9] Et ducam terciam partem per ignem: et vram eos sicut vritur argentum: et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum: et ego exaudiam eum. Et dicam· populus meus es: et ipse dicet· dominus deus meus.

14 Ecce dies veniunt dicit dominus: et diuidentur spolia tua in medio tui. [2] Et congregabo omnes gentes ad iherusalem in prelium: et capietur ciuitas et vastabuntur domus: et mulieres violabuntur. Et egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem: et reliquum populi non auferetur ex vrbe. [3] Et egredietur dominus et preliabitur contra gentes illas: sicut preliatus est in die certaminis. [4] Et stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum: qui est contra iherusalem ad orientem. Et scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad orientem et ad occidentem prerupto grandi valde. Et separabitur medium montis ad aquilonem: et medium eius ad meridiem. [5] Et fugietis ad vallem montium eorum: quoniam coniungetur vallis montium vsque ad proximum. Et fugietis sicut fugistis a facie terremotus in diebus ozie regis iuda. Et veniet dominus deus meus: omnesque sancti cum eo. [6] Et erit: in die illa non erit lux sed frigus et gelu. [7] Et erit dies vna que nota est domino: non dies neque nox: et in tempore vesperi erit lux. [8] Et erit: in die illa exibunt aque viue de iherusalem. Medium earum ad mare orientale: et medium earum ad mare no nouissimum. In estate et in hyeme erunt: [9] et erit dominus rex super omnem terram. In die illa erit dominus vnus: et erit nomen eius vnum. [10] Et reuertetur omnis terra vsque ad desertum: de colle remmon ad austrum iherusalem. Et exaltabitur et habitabit in loco suo a porta beniamin vsque ad locum porte prioris et vsque ad portam angulorum: et a turre ananehel vsque ad torcularia regis. [11] Et habitabunt in ea: et anathema non erit amplius. Sed sedebit iherusalem secura: [12] et hec erit plaga qua percutiet dominus omnes gentes que pugnauerunt aduersus iherusalem. Tabescet caro vniuscuiusque stantis super pedes suos: et oculi eius contabescent in foraminibus suis: et lingua eorum contabescet in ore suo. [13] In die illa erit tumultus domini magnus in eis: et apprehendet vir manum proximi sui: et conseretur manus eius super manum proximi sui. [14] Sed et iudas pugnabit aduersus iherusalem. Et congregabuntur diuicie omnium gentium in circuitu: aurum et argentum et vestes multe satis. [15] Et sic erit ruina equi et muli et cameli et asini et omnium iumentorum que fuerint in castris illis: sicut ruina hec. [16] Et omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus que venerunt contra iherusalem: ascendent ab anno in annum· vt adorent regem dominum exercituum· et celebrent festiuitates tabernaculorum. [17] Et erit qui non ascenderit de familijs terre ad iherusalem vt adorent regem dominum exercituum: non erit super eos ymber. [18] Quod et si familia egipti non ascenderit et non venerit: nec super eos erit. Sed erit ruina qua percutiet dominus omnes gentes: que non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. [19] Hoc erit peccatum egipti et hoc peccatum omnium gentium: que non ascenderit ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. [20] In die illa erit quod super frenum est equi sanctum domino: et erunt lebetes in domo domini quasi phyale coram altari. [21] Et erit omnis lebes in iherusalem et in iuda sanctificatus domino exercituum. Et venient omnes ymmolantes et sument ex eis: et coquent in eis. Et non erit mercator vltra in domo domini exercituum in die illo.

Malachias

Incipit malachias propheta.

1 Onus verbi domini ad israhel in manu malachie lachie prophete. [2] Di Dilexi lexi vos dicit dominus. Et dixistis. In quo dilexisti nos? Nonne frater erat esau iacob dicit dominus? Et dilexi iacob: [3] esau autem odio habui. Et posui seyr montes eius in solitudinem: et hereditatem eius in dracones deserti. [4] Quod si dixerit ydumea destructi sumus sed reuertentes edificabimus que destructa sunt: hec dicit dominus exercituum. Isti edificabunt et ego destruam. Et vocabuntur termini iniquitatis: et populus cui iratus est dominus vsque in eternum. [5] Et oculi vestri videbunt: et vos dicetis. Magnificetur dominus super terminum israhel. [6] Filius honorat patrem: et seruus dominum suum. Si ergo pater ego sum vbi est honor meus: et si dominus ego sum· vbi est timor meus dicit dominus exercituum? Ad vos o sacerdotes: qui despicitis nomen meum. Et dixistis. In quo despeximus nomen tuum? [7] Offertis super altare meum panem pollutum. Et dicitis. In quo polluimus te? In eo quod dicitis: mensa domini despecta est. [8] Si offeratis cecum ad immolandum: nonne malum est? Et si offeratis claudum et languidum: nonne malum est? Offer illud duci tuo: si placuerit ei· aut si susceperit faciem tuam dicit dominus exercituum. [9] Et nunc deprecamini vultum dei vt misereatur vestri: de manu enim vestra factum est hoc: si quo modo suscipiat facies vestras dicit dominus exercituum. [10] Quis est in vobis qui claudat ostia et incendit altare meum

gratuito? Non est michi voluntas in vobis dicit dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. [11] Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus dicit dominus exercituum. [12] Et vos polluistis illud in eo quod dicitis mensa domini contaminata est: et quod supponitur contemptibile est cum igne qui illud deuorat. [13] Et dixistis. Ecce de labore: et exsufflastis illud dicit dominus exercituum. Et intulistis de rapinis claudum et languidum: et intulistis munus. Numquid suscipiam illud de manu vestra dicit dominus? [14] Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum: et votum faciens immolat debile domino. Quia rex magnus ego dicit dominus exercituum: et nomen meum horribile in gentibus.

2 Et nunc ad vos mandatum hoc o sacerdotes. [2] Si nolueritis audire et si nolueitis ponere super cor vt detis gloriam nomini meo ait dominus exercituum: mittam in vos egestatem et maledicam benedictionibus vestris: et maledicam illis quoniam non posuistis super cor. [3] Ecce ego proiciam vobis brachium: et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum: et assumet vos secum. [4] Et scietis quia misi ad vos mandatum istud: vt esset pactum meum cum leui dicit dominus exercituum. [5] Pactum meum fuit cum eo vite et pacis: et dedi ei timorem et timuit me: et a facie nominis mei pauebat. [6] Lex veritatis fuit in ore eius: et iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace et in equitate ambulauit mecum: et multos auertit ab iniquitate. [7] Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam: et legem requirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. [8] Vos autem recessistis de via: et scandalizastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum leui: dicit dominus exercituum. [9] Propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis: sicut non seruastis vias meas: et accepistis faciem in lege. [10] Num quid non pater vnus omnium nostrum? Numquid non deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque nostrum fratrem suum: violans pactum patrum nostrorum? [11] Transgressus est iuda et abominatio facta est in israhel et in iherusalem: quia contaminauit iudas sanctificationem domini quam dilexit: et habuerunt filiam dei alieni. [12] Disperdat dominus virum qui fecerit hoc: magistrum et discipulum de tabernaculo iacob· et offerentem munus domino exercituum. [13] Et hoc rursum fecistis. Operiebatis lacrimis altare domini fletu et mugitu: ita vt non respiciam vltra ad sacrificium: nec accipiam placabile quid de manu vestra. [14] Et dixistis. Quam ob causam? Quia dominus testificatus est inter te et vxorem pubertatis tue: quam tu despexisti. Et hec particeps tua: et vxor federis tui. [15] Nonne vnus fecit: et residuum spiritus eius est? Et quid vnus querit· nisi semen dei? Custodite ergo spiritum vestrum: et vxorem adolescentie tue noli despicere. [16] Cum odio habueris dimitte: dicit dominus deus israhel. Operiet autem iniquitas vestimentum eius: dicit dominus exercituum. Cu stodite stodite spiritum vestrum: et nolite despicere. [17] laborare fecistis dominum in sermonibus vestris. Et dixistis. In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis. Omnis qui facit malum bonus est in conspectu domini: et tales ei placent. Aut certe: vbi est deus iudicij?

3 Ecce ego mittam angelum meum: et preparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos queritis: et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit: dicit dominus exercituum. [2] Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans: et quasi herba fullonum. [3] Et sedebit conflans et emundans argentum: et purgabit filios leui. Et colabit eos quasi aurum et quasi argentum: et erunt domino offerentes sacrificia in iusticia. [4] Et placebit domino sacrificium iuda et iherusalem sicut dies seculi: et sicut anni antiqui. [5] Et accedam ad vos in iudicio: et ero testis velox maleficis et adulteris et periuris: et qui calumniantur mercedem mercennarij? et humiliant viduas et pupillos et opprimunt peregrinum: nec timuerunt me dicit dominus exercituum. [6] Ego enim dominus et non mutor: et vos filij iacob non estis consumpti. [7] A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis: et non custodistis. Reuertimini ad me et reuertar ad vos: dicit dominus exercituum. Et dixistis. In quo reuertemur? [8] Si effiget homo deum: quia vos configitis me. Et dixistis? In quo configimus te? In decimis et in primitijs [9] et in penuria. Vos maledicti estis: et me vos configitis gens tota. [10] Inferte omnem decimam in horreum: et sit cibus in domo mea: et probate me super hoc dicit dominus. Si non aperuero vobis katharactas celi: et effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam. [11] Et increpabo pro vobis deuorantem: et non corrumpet fructum terre vestre: nec erit sterilis vinea in agro dicit dominus exercituum. [12] Et beatos vos dicent omnes gentes. Eritis enim vos terra desiderabilis dicit dominus exercituum. [13] Inualuerunt super me verba vestra dicit dominus. [14] Et dixistis. Quid locuti sumus contra te Dixistis. Vanus est qui seruit deo. Et quod emolumentum quia custodiuimus precepta eius: et quia ambulauimus tristes coram domino exercituum? [15] Ergo nunc beatos dicimus arrogantes. Siquidem edificanti sunt facientes impietates: et temptauerunt deum et salui facti sunt. [16] Tunc locuti sunt timentes deum: vnusquisque cum prorimo ximo ximo suo. Et attendit dominus et audiuit: et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus dominum et cogitantibus nomen eius. [17] Et erunt michi ait dominus exercituum in die qua ego faciam in peculium: et parcam eis sicut parcit vir filio suo seruienti sibi. [18] Et conuertemini et videbitis quid sit inter iustum et impium: et inter seruientem deo et non seruientem ei.

4 Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula. Et inflammabit eos dies veniens dicit dominus exercituum: que non derelinquet eis radicem et germen. [2] Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iusticie: et sanitas in pennis eius. Et egrediemini et saluetis sicut vituli de armento: [3] et calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die qua ego facio dicit dominus exercituum. [4] Mementote legis moysi serui mei: quam mandaui ei in oreb ad omnem israhel· precepta et iudicia. [5] Ecce ego mittam vobis helyam prophetam: antequam veniat dies domini magnus et horribilis. [6] Et conuertet cor patrum ad filios: et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam et percutiam terram anathemate.

Machabeorum I

Incipit liber primus machabeorum.

1 themate. in Machabeorum libri duo prenotant prelia· inter hebreorum duces gentemque persarum: et pugnam quoque sabbatorum· et nobiles machabei ducis triumphos: ex cuius nomine et libri ijdem sunt nuncupati. Hec quoque continet eciam inclita illa gesta fratrum: qui sub antiocho pro sacris legibus dira tormenta perpessi sunt. Quos mater pia dum diuersis supplicijs vrgerentur non solum non fleuit: sed et gaudens hortabatur ad gloriam passionis. factum est postquam E lippi rex macedo cussit alexander phialexander qui primus regnauit in grecia egressus de terra cethim darium regem persarum et medorum· [2] constituit prelia multa: et obtinuit omnium municiones: et interfecit reges terre. [3] Et pertransijt vsque ad fines fines terre: et accepit spolia multitudinis gentium: et siluit terra in conspectu eius. [4] Et congregauit virtutem et exercitum fortem nimis: et exaltatum est et eleuatum cor eius: [5] et obtinuit regiones gentium et tirannos et facti sunt illi in tributum. [6] Et post hec decidit in lectum: et cognouit quia moreretur. [7] Et vocauit pueros

suos nobiles qui secum erant nutriti a iuuentute sua: et diuisit illis regnum suum cum adhuc viueret. 8 Et regnauit alexander annis duodecim: et mortuus est. 9 Et obtinuerunt pueri eius regnum vnusquisque in loco suo: 10 et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius et filij eorum post eos annis multis: et multiplicata sunt mala in terra. 11 Et exijt ex eis radix peccati· antiochus illustris filius antiochi regis qui fuerat rome obses: et regnauit in anno centesimotricesimo et septimo regni grecorum. 12 In diebus illis exierunt ex israhel filij iniqui: et suaserunt multis dicentes. Eamus et disponamus testamentum cum gentibus que circa nos sunt: quia exquo recessimus ab eis inuenerunt nos multa mala. 13 Et bonus visus est sermo in oculis eorum. 14 Et destinauerunt aliqui de populo et abierunt ad regem: et dedit illis potestatem· vt facerent iusticiam gentium. 15 Et edificauerunt gymnasium in iherosolimis secundum leges nacionum· leges nacionum· 16 et fecerunt sibi prepucia: et recesserunt a testamento sancto· et iuncti sunt nationibus: et venundati sunt vt facerent malum. 17 Et paratum est regnum in conspectu antiochi: et cepit regnare in terra egipti: vt regnaret super duo regna. 18 Et intrauit in egiptum in multitudine graui in curribus et elephantis et equitibus: et copiosa nauium multitudine. 19 Et constituit bellum aduersus ptolomeum regem egipti: et veritus est ptolomeus a facie eius et fugit: et ceciderunt vulnerati multi. 20 Et comprehendit ciuitates munitas in terra egipti: et accepit spolia terre egipti. 21 Et conuertit antiochus postquam percussit egiptum in centesimo et quadragesimo et tercio anno et ascendit ad israhel: 22 et ascendit iherosolimis in multitudine graui. 23 Et intrauit in sanctificationem cum superbia: et accepit altare aureum et candelabrum luminis et vniuersa vasa eius et mensam proposicionis et libatoria et fialas et mortariola aurea et velum et coronas et ornamentum aureum quod in facie templi erat: et comminuit omnia. 24 Et accepit argentum et aurum et vasa concupiscibilia: et accepit thesauros occultos quos inuenit: et sublatis omnibus abijt in terram suam. 25 Et fecit cedem hominum: et locutus est in superbia magna. 26 Et factus est planctus magnus in israhel: et in omni loco eorum. 27 Et ingemuerunt principes et seniores: et iuuenes et virgines infirmati sunt: et speciositas mulierum immutata est. 28 Omnis maritus sumpsit lamentum: et que sedebant in thoro maritali lugebant. 29 Et commota est terra super habitantes in ea: et vniuersa domus iacob induit confusionem. 30 Et post duos annos dierum misit rex principem tributorum in ciuitates iuda: et venit iherusalem cum turba magna. 31 Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo: et crediderunt ei. 32 Et irruit super ciuitatem repente: et percussit eam plaga magna: et perdidit populum multum ex israhel. 33 Et accepit spolia ciuitatis: et succendit eam igni. Et destruxit domos eius et muros eius in circuitu: 34 et captiuas duxerunt mulieres et natos: et pecora possederunt. 35 Et edificauerunt ciuitatem dauid muro magno et firmo et turribus firmis: et facta est illis in arcem. 36 Et posuerunt illic gentem peccatricem viros iniquos: et conualuerunt in ea. Et posuerunt arma et escas: et congregauerunt spolia iherusalem ihrlm 37 et reposuerunt illic: et facti sunt in laqueum magnum. 38 Et factum est hoc ad insidias sanctificacioni et in diabolum magnum in israhel semper. 39 Et effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificacionis: et contaminauerunt sanctificationem. 40 Et fugerunt habitatores iherusalem propter eos: et facta est habitacio exterorum et facta est extera semini suo: et nati eius reliquerunt eam. 41 Sanctificacio eius desolata est sicut solitudo: dies festi eius conuersi sunt in luctum: sabbata eius in opprobrium· honores eius in nichilum. 42 Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius: et sublimitas eius conuersa est in luctum. 43 Et scripsit rex antiochus omni regno suo: vt esset omnis populus vnus. Et reliquerunt vnusquisque legem suam: 44 et consenserunt omnes gentes secundum verbum regis antiochi. 45 Et multi ex israhel consenserunt ei: et sacrificauerunt ydolis: et coinquinauerunt sabbatum. 46 Et misit rex antiochus libros per manus nunciorum in iherusalem et in omnes ciuitates iude· vt sequerentur leges gentium terre: 47 et prohiberent olocausta et sacrificia et placationes fieri in templo dei: 48 et prohiberent celebrari sabbatum et dies solemnes. 49 Et iussit coinquinari sancta: et sanctum populum israhel. 50 Et iussit edificari aras et templa et ydola et immolari carnes suillas et pecora communia: 51 et relinquere filios suos incircumcisos et coinquinari animas eorum in omnibus immundicijs et abominacionibus: ita vt obliuiscerentur legem et immutarent omnes iustificationes dei. 52 Et quicumque non fecissent secundum verbum regis antiochi morerentur. 53 Secundum omnia verba hec scripsit omni regno suo: et preposuit principes populo qui hec fieri cogerent. 54 Et iusserunt ciuitatibus iude sacrificare. 55 Et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerant legem domini: et fecerunt mala super terram: 56 et effugauerunt populum israhel in abditis et in absconditis fugitiuorum locis. 57 Die quintadecima mensis calleu· quinto et quadragesimo et centesimo anno edificauit rex antiochus abominandum ydolum desolacionis super altare dei: et per vniuersas ciuitates iude in circuitu edificauerunt aras: 58 et ante ianuas domorum et in plateis incendebant thura et sacrificabant. 59 Et libros legis dei combusserunt igni scindentes eos: 60 et apud quemcumque inueniebantur libri testamenti domini et quicumque obseruabat legem domini: secundum edictum regis trucidabant eum. 61 In virtute sua faciebant hec populo israhel: qui inueniebatur in omni mense in ciuitatibus. 62 Et quinta et vicesima die mensis sacrificabant super aram que erat contra altare: 63 et mulieres que circumcidebant filios suos trucidabantur secundum iussum regis antiochi. 64 Et suspendebant pueros a ceruicibus per vniuersas domos eorum: et eos qui circumciderant illos trucidabant. 65 Et multi de populo israhel diffinierunt apud se· vt non manducarent immunda: et elegerunt magis mori quam cibis coinquinari immundis: 66 et noluerunt infringere legem dei sanctam· et trucidati sunt. 67 Et facta est ira magna super populum valde.

2 In In diebus illis surrexit matathias filius iohannis filij simeonis sacerdos ex filijs ioarim ab iherusalem: et consedit in monte modin. 2 Et habebat filios quinque: iohannan qui cognominabatur gaddis· 3 et simonem qui cognominabatur thasi· 4 et iudam qui vocabatur machabeus: 5 et eleazarum qui cognominabatur abaron· et ionathan qui cognominabatur apphus. 6 Hij viderunt mala que fiebant in populo iuda et in iherusalem. 7 Et dixit matathias. Ve michi. Vt quid natus sum videre contritionem populi mei et contritionem ciuitatis sancte· et sedere illic cum datur in manibus inimicorum? 8 Sancta in manu extraneorum facta sunt: templum eius sicut homo ignobilis. 9 Vasa glorie eius captiua adducta sunt: trucidati sunt senes eius in plateis: et iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum. 10 Que gens non hereditauit regnum eius: et non obtinuit spolia eius? 11 Omnis compositio eius ablata est. Que erat libera· facta est ancilla. 12 Et ecce sancta nostra et pulcritudo nostra et claritas nostra desolata est: et coinquinauerunt eam gentes. 13 Quo ergo nobis adhuc viuere? 14 Et scidit vestimenta sua matathias et filij eius: et operuerunt se cilicijs: et planxerunt valde. 15 Et venerunt illuc qui missi erant a rege antiocho: vt cogerent eos qui confugerant in ciuitatem modin immolare et accendere thura: et a lege dei discedere. 16 Et multi de populo israhel consentientes accesserunt ad eos: sed matathias et filij eius constanter steterunt. 17 Et respondentes qui missi erant ab antiocho dixerunt matathie. Princeps et clarissimus et magnus es in hac ciuitate: et ornatus filijs et fratribus. 18 Ergo accede prior et fac iussum regis sicut fecerunt omnes gentes et viri iuda et qui remanserunt in iherusalem: et eris tu et filij tui inter amicos regis: et amplificatus auro et argento et muneribus multis. 19 Et respondit matathias: et dixit magna voce. Et si omnes gentes regi antiocho obediunt vt discedant vnusquisque a seruitute legis patrum suorum et consentiant mandatis eius: 20 ego et filij mei et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. 21 Propicius sit nobis deus: non est nobis vtile relinquere legem et iusticias dei. 22 Non audiemus verba regis antiochi: nec sacrificabimus transgredientes legis nostre mandata: vt eamus altera via. 23 Et vt cessauit loqui verba hec: accessit quidam iudeus in omnium oculis sacrificare ydolis super aram in ciuitate modin secundum iussum regis. 24 Et vidit matathias et doluit: et contremuerunt renes eius. Et accensus est furor eius secundum iudicium legis: et insiliens trucidauit eum super aram. 25 Sed et virum quem rex antiochus miserat qui cogebat immolari occidit in ipso tempore· et aram destruxit: 26 et zelatus est legem sicut fecit finees zambri filio salomi. 27 Et

exclamauit matathias voce magna in ciuitate dicens. Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum exeat post me. [28] Et fugit ipse et filij eius in montes: et reliquerunt quecumque habebant in ciuitate. [29] Tunc descenderunt multi querentes iudicium et iusticiam in desertum: [30] et sederunt ibi ipsi et filij eius et mulieres eorum et pecora eorum: quoniam indurauerunt super eos mala. [31] Et renunciatum est viris regis et exercitui qui erant in iherusalem ciuitate dauid: quoniam discessissent viri quidam qui dissipauerunt mandatum regis in loca occulta in deserto: et abissent post illos multi. [32] Et statim perrexerunt ad eos: et constituerunt aduersus eos prelium in die sabbatorum. [33] Et dixerunt ad eos. Resistitis et nunc adhuc? Exite: et facite secundum verbum regis antiochi· et viuetis. [34] Et dixerunt. Non exibimus: neque faciemus verbum regis vt polluamus diem sabbatorum. [35] Et concitauerunt aduersus eos prelium: [36] et non responderunt illis· nec lapidem miserunt in eos nec oppilauerunt loca occulta [37] dicentes. Moriamur omnes in simplicitate nostra: et testes erunt super nos celum et terra quod iniuste perditis nos. [38] Et intulerunt illis bellum sabbatis: et mortui sunt ipsi et vxores eorum et filij eorum et pecora eorum: vsque ad mille animas hominum. [39] Et cognouit matathias et amici eius: et luctum habuerunt super eos valde. [40] Et dixit vir proximo suo. Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt et non pugnauerimus aduersus rationibus gentes pro animabus nostris et iustificationibus nostris: cicius disperdent nos a terra. [41] Et cogitauerunt in die illa dicentes. Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum pugnemus aduersus eum: et non moriemur omnes sicut mortui sunt fratres nostri in occultis. [42] Tunc congregata est ad eos sinagoga iudeorum fortis viribus ex israhel: omnis voluntarius in lege [43] omnes qui fugiebant a malis additi sunt ad eos: et facti sunt illis ad firmamentum. [44] Et collegerunt exercitum: et percusserunt peccatores in ira sua et viros iniquos in indignacione sua: et ceteri fugerunt ad nationes vt euaderent. [45] Et circuiuit matathias et amici eius et destruxerunt aras: [46] et circumciderunt pueros incircumcisos quotquot inuenerunt in finibus israhel in fortitudine. [47] Et persecuti sunt filios superbie: et prosperatum est opus in manibus eorum. [48] Et obtinuerunt legem de manibus gentium et de manibus regum: et non dederunt cornu peccatori. [49] Et appropinquauerunt dies matathie moriendi: et dixit filijs suis. Nunc confortata est superbia et castigatio: et tempus euersionis et ira indignationis. [50] Nunc ergo o filij emulatores estote legis: et date animas vestras pro testamento patrum. [51] Et mementote operum patrum que fecerunt in generationibus suis: et accipietis gloriam magnam et nomen eternum. [52] Abraham nonne in temptatione inuentus est fidelis: et reputatum est ei ad iusticiam? [53] Ioseph in tempore angustie sue custodiuit mandatum: et factus est dominus egipti. [54] Finees pater noster zelando zelum dei accepit testamentum sacerdotij eterni. [55] Ihesus dum impleuit verbum factus est dux in israhel. [56] Caleph dum testificatur in ecclesia accepit hereditatem. [57] Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula. [58] Helias dum zelat zelum legis· receptus est in celum. [59] Ananias azarias et misahel credentes liberati sunt de flamma. [60] Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. [61] Et ita cogitate per generationem et generationem: quia omnes qui sperant in eum non infirmantur. [62] Et a verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus et vermis est. [63] Hodie extollitur et cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam: et cogitatio eius perit. [64] Vos ergo filij confortamini et viriliter agite in lege: quia cum feceritis que vobis precepta sunt in lege a domino deo vestro: in ipsa gloriosi eritis. [65] Et ecce simon frater vester scio quod vir consilij est. Ipsum audite semper: et ipse erit vobis pater. [66] Et iudas machabeus fortis viribus a iuuentute sua sit vobis princeps milicie: et ipse aget bellum populi. [67] Et adducetis ad vos omnes factores legis: et vindicate vindictam populi vestri. [68] Retribuite retributionem gentibus: et intendite in preceptum legis. [69] Et benedixit eos: et appositus est ad patres suos. [70] Et defunctus dus est centesimo et quadragesimosexto anno: et sepultus est a filijs suis in sepulcris patrum suorum in modin: et planxerunt eum omnis israhel planctu magno.

3 Et surrexit iudas qui vocabatur machabeus filius eius pro eo: [2] et adiuuabant eum omnes fratres eius et vniuersi qui se coniuxerant patri eius: et preliabantur prelium israhel cum leticia. [3] Et dilatauit gloriam populo suo: et induit se loricam sicut gigas et succinxit se arma bellica sua in prelijs: et protegebat castra gladio suo. [4] Similis factus est leoni in operibus suis: et sicut catulus leonis rugiens in venatione. [5] Et persecutus est iniquos perscrutans eos: et qui conturbabant populum suum· eos succendit flammis: [6] et repulsi sunt inimici eius pre timore eius. Et omnes operarij iniquitatis conturbati sunt: et directa est salus in manu eius. [7] Et exacerbabat reges multos: et letificabat iacob in operibus suis: et in seculum memoria eius in benedictione. [8] Et perambulabat ciuitates iuda et perdidit impios ex eis: et auertit iram ab israhel. [9] Et nominatus est vsque ad nouissimum Et et congregauit pereuntes. [10] Et congregauit appollonius gentes: et a samaria virtutem multam et magnam ad bellandum contra israhel. [11] Et cognouit iudas et exijt obuiam illi: et percussit et occidit illum et ceciderunt vulnerati multi et reliqui fugerunt: [12] et accepit spolia eorum. Et gladium appollonij abstulit iudas: et erat pugnans in eo omnibus diebus. [13] Et audiuit seron princeps exercitus sirie: quod congregauit iudas congregationem fidelium et ecclesiam secum. [14] Et ait. Faciam michi nomen et glorificabor in regno: et debellabo iudam et eos qui cum ipso sunt: qui spernebant verbum regis. [15] Et preparauit se: et ascenderunt cum eo castra impiorum fortes auxiliarij vt facerent vindictam in filios israhel. [16] Et appropinquauerunt vsque bethoron: et exiuit iudas obuiam illis cum paucis. [17] Vt autem viderunt exercitum venientem sibi obuiam: dixerunt iude. quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam· tam fortem? Et nos fatigati sumus ieiunio hodie. [18] Et ait iudas. Facile est concludi multos in manu paucorum: et non est differentia in conspectu dei celi liberare in multis et in paucis: [19] quoniam non in multitudine exercitus victoria belli: sed de celo fortitudo est. [20] Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superbia: vt disperdant nos et vxores nostras et filios nostros: et vt spolient nos. [21] Nos vero pugnabimus pro animabus nostris et legibus vostris· [22] et ipse dominus conteret eos ante faciem nostram. Vos autem ne timueritis eos. [23] Vt cessauit autem loqui insiluit in eos subito: et contritus est seron et exercitus eius in conspectu ipsius: [24] et persecutus est eum in descensu bethoron vsque in campum. Et ceciderunt ex eis octingenti viri: reliqui autem fugerunt in terram philistijm. [25] Et cecidit timor iude ac fratrum eius et formido super omnes gentes· in circuitu eorum: [26] et peruenit ad regem nomen eius: et de prelijs iude narrabant omnes gentes. [27] Vt audiuit autem rex antiochus sermones istos iratus est animo: et misit et congregauit exercitum vniuersi regni sui castra fortia valde. [28] Et aperuit erarium suum: et dedit stipendia exercitui in annum: et mandauit illis vt essent parati ad omnia. [29] Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis: et tributa regionis modica propter dissensionem et plagam quam fecit in terra: vt tolleret legitima que erant a primis diebus. [30] Et timuit ne non haberet et semel et bis in sumptus et donatiua que dederat ante larga manu: et abundauerat super reges qui ante eum fuerant. [31] Et consternatus erat animo valde: et cogitauit ire in persidem et accipere tributa regionum: et congregare argentum multum. [32] Et reliquit lisiam hominem nobilem de genere regali super negocia regia a flumine eufraten vsque ad flumen egipti: [33] et vt nutriret antiochum filium suum donec rediret. [34] Et tradidit ei medium exercitum et elephantos: et mandauit ei de omnibus que volebat et de inhabitantibus iudeam et iherusalem: [35] et vt mitteret ad eos exercitum ad conterendam et extirpandam virtutem israhel· et reliquias iherusalem· et auferendam memoriam eorum de loco: [36] et vt constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum: et sorte distribueret terram eorum. [37] Et rex assumpsit partem exercitus residui· et exiuit ab antiochia ciuitate regni sui anno centesimo et quadragesimoseptimo: et transfretauit eufraten flumen: et perambulabat superiores regiones. [38] Et elegit lisias ptholomeum filium dorimini et nichanorem et gorgiam viros potentes ex amicis regis: [39] et misit cum eis quadraginta milia virorum et septem milia equitum: vt venirent in terram iuda et disperderent eam secundum verbum regis. [40] Et processerunt vt irent cum vniuersa virtute et

venerunt et applicuerunt ammaum in terra campestri. 41 Et audierunt mercatores regionum nomen eorum: et acceperunt argentum et aurum multum valde et pueros· et venerunt in castra vt acciperent filios israhel in seruos: et additi sunt ad eos exercitus sirie et terre alienigenarum. 42 Et vidit iudas et fratres eius quia multiplicata sunt mala: et exercitus applicabat ad fines eorum: et cognouerunt verba regis que mandauit populo facere in interitum et consummationem. 43 Et dixerunt vnusquisque ad proximum suum. Erigamus deiectionem populi nostri: et pugnemus pro populo nostro et sanctis nostris. 44 Et congregatus est conuentus vt essent parati in prelium: et vt orarent et peterent misericordiam et miseraciones. 45 Et iherusalem non habitabatur: sed erat sicut desertum. Non erat qui ingrederetur et egrederetur de natis eius: et sanctum conculcabatur. Et filij alienigenarum erant in arce: ibi erat habitatio gentium. Et ablata est voluptas a iacob: et defecit ibi tibia et cithara. 46 Et congregati sunt et venerunt in masphat contra iherusalem· quia locus oracionis erat masphat ante in israhel. 47 Et ieiunauerunt illa die: et induerunt se cilicijs et cinerem imposuerunt capiti suo: et destituerunt vestimenta sua. 48 Et expanderunt libros legis de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulacrorum suorum: 49 et attulerunt ornamenta sacerdotalia et primicias et decimas: et suscitauerunt nazareos qui impleuerant dies: 50 et clamauerunt voce magna in celum dicentes. Quid faciemus istis: et quo eos ducemus? 51 Et sancta tua conculcata sunt et contaminata sunt: et sacerdotes tui facti sunt in luctum et in humilitatem. 52 Et ecce nationes conuenerunt aduersum nos: vt nos disperdant. Tu scis que cogitant in nos. 53 Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum: nisi tu deus adiuues nos? 54 Et tubis exclamauerunt voce magna. 55 Et post hec constituit iudas duces populi: tribunos et centuriones et pentacontarchos et decuriones. 56 Et dixit hijs qui edificabant domos et sponsabant vxores et plantabant vineas et formidolosis: vt redirent vnusquisque in domum suam secundum legem. 57 Et mouerunt castra: et collocauerunt ad austrum ammaum. 58 Et ait iudas. Accingimini et estote filij potentes· et estote parati in mane vt pugnetis aduersus nationes has que conuenerunt disperdere nos et sancta nostra: 59 quoniam melius est nos mori in bello: quam videre mala gentis nostre et sanctorum. 60 Sicut autem fuerit voluntas in celo sic fiat.

4 Et assumpsit gorgias quinque milia virorum: et mille equites electos. Et mouerunt castra nocte 2 vt applicarent ad castra iudeorum: et percuterent eos subito. Et filij qui erant ex arce erant illis duces. 3 Et audiuit iudas: et surrexit ipse et potentes percutere virtutem exercituum regis: que erant in ammaum. 4 Adhuc enim dispersus erat exercitus a castris. 5 Et venit gorgias in castra iude noctu: et neminem inuenit. Et querebat eos in montibus: quoniam dixit: fugiunt hij a nobis. 6 Et cum dies factus esset apparuit iudas in campo cum tribus milibus virorum tantum: qui tegumenta et gladios non habebant. 7 Et viderunt castra gentium valida: et loricatus et equitatus in circuitu eorum: et hij docti ad prelium. 8 Et ait iudas viris qui secum erant. Ne timueritis multitudinem eorum: et impetum eorum ne formidetis. 9 Mementote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro: cum sequeretur eos pharao cum exercitu multo. 10 Et nunc clamemus in celum et miserebitur nostri dominus: et memor erit testamenti patrum nostrorum et conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie: 11 et scient omnes gentes quia est deus qui redimat et liberet israhel. 12 Et leuauerunt alienigene oculos suos: et viderunt eos venientes exaduerso. 13 Et exierunt de castris in prelium: et tuba cecinerunt hij qui fuerant cum iuda. 14 Et congressi sunt: et contrite sunt gentes et fugerunt in campum. 15 Nouissimi autem ceciderunt in gladio: et persecuti sunt eos vsque gezeron et vsque in campos ydumee et azoti et iamnie: et ceciderunt ex illis vsque ad tria milia virorum. 16 Et reuersus est iudas: et exercitus eius sequens eum. 17 Dixitque ad populum. Non concupiscatis spolia quia bellum contra nos est: 18 et gorgias et exercitus eius prope nos in montibus: sed state nunc contra inimicos nostros et expugnate eos: et sumetis postea spolia securi. 19 Et adhuc loquente iuda hec: ecce apparuit pars quedam prospiciens de monte. 20 Et vidit gorgias quod in fugam conuersi sunt sui: et succensa sunt castra. Fumus enim qui videbatur declarabat quod factum est. 21 Quibus illi conspectis timuerunt valde: aspicientes simul et iudam· et exercitum in campo paratum ad prelium. 22 Et fugerunt omnes in campo alienigenarum: 23 et iudas reuersus est ad spolia castrorum. Et acceperunt aurum multum et argentum et iacinctum et purpuram marinam et opes magnas: 24 et conuersi ymnum canebant et benedicebant deum in celum quoniam bonus est: quoniam in seculum misericordia eius. 25 Et facta est salus magna in israhel in die illa. 26 Quicumque autem alienigenarum euaserunt: venerunt et nunciauerunt lisie vniuersa que acciderant. 27 Quibus ille auditis consternatus animo deficiebat: quod non qualia voluit talia contigerunt in israhel: et qualia mandauit rex. 28 Et sequenti anno congregauit lisias virorum electorum sexaginta milia et equitum quinque milia: vt debellaret eos. 29 Et venerunt in iudeam: et castra posuerunt in bethoron: et occurrit illis iudas cum decem milibus viris. 30 Et viderunt exercitum fortem: et orauit et dixit. Benedictus es saluator israhel qui contriuisti impetum potentis in manu serui tui dauid: et tradidisti castra alienigenarum in manu ionathe filij saul et armigeri eius. 31 Conclude exercitum istum in manu populi tui israhel: et confundantur in exercitu suo et equitibus. 32 Da illis formidinem: et tabefac audaciam virtutis eorum: et commoueantur contricione sua. 33 Deice illos gladio diligentium te: et collaudent te omnes qui nouerunt nomen tuum in ymnis. 34 Et commiserunt prelium: et ceciderunt de exercitu lisie quinque milia virorum. 35 Videns autem lisias suorum fugam· et iudeorum audaciam· et quod parati sunt aut viuere aut mori fortiter: abijt antiochiam et elegit milites: vt multiplicati rursus venirent in iudeam. 36 Dixit autem iudas et fratres eius. Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta et renouare. 37 Et congregatus est omnis exercitus: et ascenderunt in montem syon. 38 Et viderunt sanctificationem desertam et altare prophanatum· et portas exustas: et in atrijs virgulta nata sicut in saltu· vel in montibus: et pastoforia diruta. 39 Et sciderunt vestimenta sua et planxerunt planctu magno: et imposuerunt cinerem super caput suum· 40 et ceciderunt in faciem super terram: et exclamauerunt tubis signorum et clamauerunt in celum. 41 Tunc ordinauit iudas viros vt pugnarent aduersus eos qui erant in arce: donec emundarent sancta. 42 Et elegit sacerdotes sine macula voluntatem habentes in lege dei: 43 et mundauerunt sancta: et tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. 44 Et cogitauit de altari olocaustorum quod prophanatum erat: quid de eo faceret. 45 Et incidit illi consilium bonum vt destrueret illud: ne forte illis esset in opprobrium quia contaminauerunt illud gentes: et demoliti sunt illud. 46 Et reposuerunt lapides in montem domus in loco apto: quoadusque veniret propheta et responderet de eis. 47 Et acceperunt lapides integros secundum legem: et edificauerunt altare nouum secundum illud quod fuit prius: 48 et edificauerunt sancta: et que intra domum erant intrinsecus et edem: et atria sanctificauerunt. 49 Et fecerunt vasa sancta noua: et intulerunt candelabrum et altare incensorum et mensam in templum. 50 Et incensum posuerunt super altare: et accenderunt lucernas que super candelabrum erant: et lucebant in templo. 51 Et posuerunt super mensam panes: et appenderunt velamina: et consumauerunt omnia opera que fecerant. 52 Et ante matutinum surrexerunt quinta et vicesima die mensis noni· hic est mensis casleu centesimiquadragesimioctaui anni: 53 et obtulerunt sacrificium secundum legem super altare olocaustorum nouum quod fecerunt. 54 Secundum tempus et secundum diem in qua contaminauerunt illud gentes: in ipsa renouatum est in canticis et citharis et cineris et cimbalis. 55 Et cecidit omnis populus in faciem: et adorauerunt et benedixerunt in celum eum qui prosperauit eis. 56 Et fecerunt dedicacionem altaris diebus octo: et obtulerunt olocausta cum leticia: et salutaria laudis. 57 Et ornauerunt faciem templi coronis aureis et scutulis: et dedicauerunt portas et pastoforia: et imposuerunt eis ianuas. 58 Et facta est leticia in populo magna valde: et auersum est opprobrium gentium. 59 Et statuit iudas et fratres eius et vniuersa ecclesia israhel vt agatur dies dedicacionis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo: a quinta et vicesima die mensis casleu cum leticia et gaudio. 60 Et edificauerunt in tempore illo montem syon et per circuitum muros altos et turres firmas: nequando venirent gentes et conculcarent eum sicut antea fecerunt. 61 Et collocauit illic exercitum vt seruarent eum: et

muniuit eum ad custodiendam bethsuram: vt haberet populus municionem contra faciem ydumee.

5 Et factum est vt audierunt gentes in circuitu quia edificatum est altare et sanctuarium sicut prius irate sunt valde: [2] et cogitabant tollere genus iacob· qui erant inter eos: et ceperunt occidere de populo et persequi. [3] Et debellabat iudas filios esau in ydumea et eos qui erant in arabathane quia circumsedebant israhelitas: et percussit eos plaga magna. [4] Et recordatus est maliciam filiorum bean: qui erant populo in laqueum et in scandalum insidiantes ei in via. [5] Et conclusi sunt ab eo in turribus: et applicuit ad eos· et anathematizauit eos: et incendit turres eorum igni cum omnibus qui in eis erant. [6] Et transiuit ad filios ammon et inuenit manum fortem et populum copiosum: et timotheum ducem ipsorum. [7] Et commisit cum eis prelia multa et contriti sunt in conspectu eorum et percussit eos: [8] et cepit iazer ciuitatem et filias eius: et reuersus est in iudeam. [9] Et congregate sunt gentes que sunt in galaad aduersus israhelitas qui erant in finibus eorum vt tollerent eos: et fugerunt in datheman munitionem: [10] et miserunt litteras ad iudam et fratres eius dicentes. Congregate sunt aduersum nos gentes per circuitum vt nos auferant: [11] et parant venire et occupare munitionem in quam confugimus: et timotheus est dux exercitus eorum. [12] Nunc ergo veni et eripe nos de manibus eorum: quia cecidit multitudo de nobis. [13] Et omnes fratres nostri qui erant in locis tubin interfecti sunt: et captiuas duxerunt vxores eorum et natus et spolia: et peremerunt illic fere mille viros. [14] Et adhuc epistole legebantur: et ecce alij nuncij venerunt de galilea concissis tunicis nunciantes secundum verba hec: [15] dicentes conuenisse aduersum se· a ptholomaida et tyro· et sydone: et repleta est omnis galilea alienigenis: vt nos consumant. [16] Vt audiuit autem iudas et populus sermones istos: conuenit ecclesia magna cogitare quid facerent fratribus suis qui in tribulacione erant et expugnabantur ab eis. [17] Dixitque iudas symoni fratri suo. Elige tibi viros et vade et libera fratres tuos in galilea: ego autem et frater meus ionathas ibimus in galadithim. [18] Et reliquit iosephum filium zacharie et azariam duces populi cum residuo exercitu in iudea ad custodiam: [19] et precepit illis dicens. Preestote populo huic: et nolite bellum committere aduersum gentes donec reuertamur. [20] Et dati sunt symoni viri tria milia vt iret in galileam: iude autem octo milia in galadithim. [21] Et abijt symon in galileam: et commisit prelia multa cum gentibus. Et contrite sunt gentes a facie eius: et persecutus est eos vsque ad portam [22] ptholomaidis. Et ceciderunt de gentibus fere tria milia virorum: et accepit spolia eorum. [23] Et assumpsit eos qui erant in galilea et in arbatis cum vxoribus et natis et omnibus que erant illis: et adduxit in iudeam cum leticia magna. [24] Et iudas machabeus et ionathas et fratres eius transierunt iordanen: et abierunt viam trium dierum in desertum. [25] Et occurrerunt eis nabuthei et susceperunt eos pacifice: et narrauerunt eis omnia que acciderant fratribus eorum in galaditide: [26] et quia multi ex eis comprehensi sunt in barasa et bosor et in alimis et in casphor et mageth et carnaim. Hee omnes ciuitates munite et magne. [27] Sed et in ceteris ciuitatibus galaditidis tenentur comprehensi. Et in crastinum constituerunt admouere exercitum ciuitatibus hijs: et comprehendere et tollere eos in vna die. [28] Et conuertit iudas et exercitus eius viam in desertum bosor repente: et occupauit ciuitatem et occidit omnem masculum in ore gladij: et accepit omnia spolia eorum et succendit eam igni. [29] Et surrexerunt inde nocte: et ibant vsque ad municionem. [30] Et factum est diluculo cum eleuassent oculos suos: et ecce populus multus cuius non erat numerus: portantes scalas et machinas vt comprehenderent municionem et expugnarent [31] eos. Et vidit iudas quia cepit bellum: et clamor belli ascendit ad celum sicut tuba: et clamor magnus de ciuitate. [32] Et dixit exercitui suo. Pugnate hodie pro fratribus vestris. [33] Et venit tribus ordinibus post eos: et exclamauerunt tubis: et clamauerunt in oracione. [34] Et cognouerunt castra timothei quia machabeus est: et refugerunt a facie eius. Et percusserunt eos plaga magna: et ceciderunt ex eis in die illa fere octo milia virorum. [35] Et diuertit iudas in masphat et expugnauit et cepit eam: et occidit omnem masculum eius et sumpsit spolia eius: et succendit eam igni. [36] Inde perrexit et cepit casbon· et maged et bosor: et reliquas ciuitates galaditidis. [37] Post hec autem verba congregauit timotheus exercitum alium: et castra posuit contra raphon transtorrentem. [38] Et misit iudas speculari exercitum: et renunciauerunt ei dicentes· quia conuenerunt ad eum omnes gentes que in circuitu nostro sunt: exercitus multus nimis. [39] Et arabas conduxerunt in auxilium sibi: et castra posuerunt transtorrentem parati ad te venire in prelium. Et abijt iudas obuiam illis. [40] Et ait timotheus principibus exercitus sui. Cum appropinquauerit iudas et exercitus eius ad torrentem aque: si transierit ad nos prior· non poterimus sustinere eum: quia potens poterit aduersum nos. [41] Si vero timuerit transire et posuerit castra extra flumen: transfretemus ad eos: et poterimus aduersus illum. [42] Vt autem appropinquauit iudas ad torrentem aque statuit scribas populi secus torrentem: et mandauit eis dicens. Neminem hominum reliqueritis: sed veniant omnes in prelium. [43] Et transfretauit ad illos prior: et omnis populus post eum. Et contrite sunt omnes gentes a facie eorum: et proiecerunt arma sua: et fugerunt ad phanum quod erat in carnaim. [44] Et occupauit ipsam ciuitatem: et phanum succendit igni cum omnibus que erant in ipso. Et oppressa est carnaim: et non potuit sustinere contra faciem iude. [45] Et congregauit iudas vniuersos israhelitas qui erant in galadinde a minimo vsque ad maximum: et vxores eorum· et natos et exercitum magnum valde: vt venirent in terram iude. [46] Et venerunt vsque ephron: et hec ciuitas magna in ingressu posita munita valde. Et non erat declinare ab ea dextra vel sinistra: sed per mediam iter erat. [47] Et incluserunt se qui erant in ciuitate: et obstruxerunt portas lapidibus. Et misit ad eos iudas verbis pacificis [48] dicens. Transeamus per terram vestram vt eamus in terram nostram: et nemo vobis nocebit: tantum pedibus transibimus. Et nolebant eis aperire. [49] Et precepit iudas predicare in castris: vt applicarent vnusquisque in quo erat loco. [50] Et applicuerunt se viri virtutis: et oppugnauit ciuitatem illam tota die et tota nocte: et tradita est ciuitas in manu eius. [51] Et peremerunt omnem masculum in ore gladij: et eradicauit eam et accepit spolia eius: et transiuit per totam ciuitatem super interfectos. [52] Et transgressi sunt iordanen in campo magno contra faciem bethsan. [53] Et erat iudas congregans extremos: et exhortabatur populum· per totam viam donec venirent in terram iuda. [54] Et ascenderunt in montem syon· cum leticia et gaudio: et obtulerunt olocausta: quod nemo ex eis cecidisset donec reuerterentur in pace. [55] Et in diebus quibus erat iudas et ionathas in terra galaad· et symon frater eius in galilea· contra faciem ptholomaidis [56] audiuit iosephus zacharie filius et azarias princeps virtutis res bene gestas: et prelia que facta sunt: [57] et dixit. Faciamus· et ipsi nobis nomen: et eamus pugnare aduersus gentes que in circuitu nostro sunt. [58] Et precepit hijs qui erant in exercitu suo et abierunt iamniam: [59] et exiuit gorgias de ciuitate· et viri eius obuiam illis in pugnam. [60] Et fugati sunt iosephus et azarias vsque in fines iudee: et ceciderunt illa die de populo israhel ad duo milia viri. Et facta est plaga magna in populo: [61] non audierunt iudam et fratres eius: existimantes fortiter se facturos. [62] Ipsi autem non erant de semine virorum illorum: per quos salus facta est in israhel. [63] Et viri iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis israhel et gentium omnium: vbi audiebatur nomen eorum. [64] Et conuenerunt ad eos fausta acclamantes. [65] Et exiuit iudas et fratres eius et expugnabant filios esau in terra que ad austrum est: et percussit chebron et filias eius: et muros eius et turres eius succendit igne in circuitu. [66] Et mouit castra vt iret in terram alienigenarum: et perambulabat samariam. [67] In illa die ceciderunt sacerdotes in bello dum volunt fortiter facere: dum sine consilio exeunt in prelium. [68] Et declinauit iudas in azotum in terram alienigenarum: et diruit aras eorum et spolia deorum suorum succendit igni: et cepit spolia ciuitatum et reuersus est in terram iuda.

6 Et antiochus perambulauit superiores regiones. Et audiuit esse ciuitatem elimaidem in perside nobilissimam et copiosam in argento et auro: [2] templumque in ea locuplex valde. Et illic velamina aurea et lorice et scuta: que reliquit alexander philippi rex macedo qui regnauit primus in grecia. [3] Et venit et querebat capere ciuitatem et depredari eam: et non potuit quoniam innotuit sermo hijs qui erant in ciuitate. [4] Et insurrexerunt in prelium et fugit inde: et abijt cum tristicia magna: et reuersus est babiloniam. [5] Et venit qui nunciaret ei in perside: quia fugata sunt castra que erant in terra iuda: [6] et quia

abijt lisias cum virtute forti in primis et fugatus est a facie iudeorum: et inualuerunt armis et viribus et spolijs multis que ceperunt de castris que exciderunt: [7] et quia diruerunt abominacionem quam edificauerant super altare quod erat in iherusalem· et sanctificacionem sicut prius circumdederunt muris excelsis: sed et bethsuram ciuitatem suam. [8] Et factum est vt audiuit rex sermones istos expauit et commotus est valde: et decidit in lectum et incidit in languorem pre tristicia: quia non est factum sicut cogitabat. [9] Et erat illic dies multos: quia renouata est in eo tristicia magna: et arbitratus est se mori. [10] Et vocauit omnes amicos suos: et dixit illis. Recessit somnus ab oculis meis: et concidi et corrui corde pre solicitudine. [11] Et dixi in corde meo. In quantam tribulationem deueni: et in quibus fluctus tristicie in qua nunc sum: qui iocundus eram et dilectus in potestate mea. [12] Nunc vero reminiscor malorum que feci in iherusalem: vnde et abstuli omnia spolia aurea et argentea que erant in ea: et misi auferre habitantes iudeam sine causa. [13] Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala ista: et ecce pereo tristicia magna in terra aliena. [14] Et vocauit philippum vnum de amicis suis: et preposuit eum super vniuersum regnum suum. [15] Et dedit ei diadema· et stolam suam et annulum: vt adduceret antiochum filium suum et nutriret eum et regnaret. [16] Et mortuus est illic antiochus rex anno centesimoquadragesimonono. [17] Et cognouit lisias quoniam mortuus est rex: et constituit regnare antiochum filium eius quem nutriuit adolescentem: et vocauit nomen eius eupatorem. [18] Et hij qui erant in arce concluserant israhel in circuitu sanctorum: et querebant eis mala semper ad firmamentum gentium. [19] Et cogitauit iudas disperdere eos: et conuocauit vniuersum populum vt obsiderent eos. [20] Et conuenerunt simul: et obsederunt eos anno centesimoquinquagesimo: et fecerunt balistas et machinas. [21] Et exierunt quidam ex eis qui obsidebantur: et adiunxerunt se illis aliqui impijs ex israhel: [22] et abierunt ad regem et dixerunt. Quousque non facis iudicium: et vindicas fratres nostros? [23] Nos decreuimus seruire patri tuo et ambulare in preceptis eius et obsequi edictis eius: [24] et filij populi nostri propter hec alienabant se a nobis. Et quicumque inueniebantur ex nobis interficiebantur: et hereditates nostre diripiebantur. [25] Et non ad nos tantum extenderunt manum: sed et in omnes fines nostros. [26] Et ecce applicuerunt hodie ad arcem in iherusalem occupare eam: et munitionem in bethsuram munierunt. [27] Et nisi preueneris eos velocius maiora quam hec facient: et non poteris obtinere eos. [28] Et iratus est rex vt hec audiuit: et conuocauit omnes amicos suos· et principes exercitus sui: et eos qui super equites erant. [29] Sed et de regnis alijs et de insulis maritimis venerunt ad eum: exercitus conducticius. [30] Et erat numerus exercitus eius centummilia peditum et vigintimilia equitum: et elephanti trigintaduo· docti ad prelium. [31] Et venerunt per ydumeam et applicuerunt ad bethsuram: et pugnauerunt dies multos: et fecerunt machinas. Et exierunt et succenderunt eas igni: et pugnauerunt viriliter. [32] Et recessit iudas ab arce: et mouit castra ad bethzacharan contra castra regis. [33] Et surrexit rex ante lucem: et concitauit exercitus impetum contra viam bethzacharani. Et comparauerunt se exercitus in prelium: et tubis cecinerunt. [34] Et elephantis ostenderunt sanguinem vue et mori: ad acuendos eos in prelium. [35] Et diuiserunt bestias per legiones: et astiterunt singulis elephantis mille viri· in loricis concathenatis et galee eree in capitibus eorum: et quingenti equites ordinati vnicuique bestie electi erant. [36] Hij ante tempus vbicumque erat bestia ibi erant: et quocunque ibat ibant: et non discedebant ab ea. [37] Sed et turres lignee super eos firme protegentes. super singulas bestias: et super eas machine. Et super singulas viri virtutis trigintaduo qui pugnabant desuper: et intus magister bestie. [38] Et residuum equitatum hinc et inde statuit in duas partes: tubis exercitum commouere: et purgere constipatos in legionibus eius. [39] Et vt refulsit sol in clipeos aureos et ereos resplenduerunt montes ab eis: et resplenduerunt sicut lampades ignis. [40] Et distenta est pars exercitus regis per montes excelsos: et alij per loca humilia: et ibant caute et ordinate. [41] Et commouebantur omnes inhabitantes terram a voce multitudinis eorum: et incessu turbe et collisione armorum. Erat enim exercitus magnus valde et fortis. [42] Et appropiauit iudas et exercitus eius in prelium: et ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri. [43] Et vidit eleazar filius saura vnam de bestijs loricatam loricis regis: et erat eminens super ceteras bestias. Et visum est ei quod in ea esset rex: [44] et dedit se vt liberaret populum suum: et acquireret sibi nomen eternum. [45] Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis interficiens a dextris et a sinistris: et cadebant ab eo huc atque illuc. [46] Et iuit sub pedes elephantis et supposuit se ei: et occidit eum et cecidit in terram super ipsum: et mortuus est illic. [47] Et videntes virtutem regis et impetum exercitus eius· diuerterunt se ab eis. [48] Castra autem regis ascenderunt contra eos in iherusalem: et applicuerunt castra regis ad iudeam et montem syon. [49] Et fecit pacem cum hijs qui erant in bethsura· et exierunt de ciuitate quia non erant eis ibi alimenta conclusis: quia sabbata erant terre. [50] Et comprehendit rex bethsuram et constituit ibi custodiam seruare eam: [51] et conuertit castra ad locum sanctificationis dies multos. Et statuit illic balistas et machinas· et ignis iacula et tormenta ad lapides iactandos: et spicula· et scorpios· ad mittendas sagittas· et fundibula. [52] Fecerunt autem et ipsi machinas aduersus machinas eorum: et pugnauerunt dies multos. [53] Esce autem non erant in ciuitate eo quod septimus annus esset: et qui remanserant in iudea de gentibus consumpserant reliquias eorum que reposite fuerant. [54] Et remanserunt in sanctis viri pauci quoniam obtinuerat eos fames: et dispersi sunt vnusquisque in locum suum. [55] Et audiuit lisias quod philippus quem constituerat rex antiochus cum adhuc viueret vt nutriret antiochum filium suum et regnaret· [56] reuersus est a perside et media et exercitus qui abierat cum ipso: et quia querit suscipere regni negocia. [57] Et festinauit ire: et dicere ad regem et duces exercitus. Deficimus cotidie et esca nobis modica est: et locus quem obsidemus est munitus: et incumbit nobis ordinare de regno. [58] Nunc itaque demus dextras hominibus istis: et faciamus cum illis pacem et cum omni gente eorum: [59] et constituamus illis vt ambulent in legitimis suis sicut prius. Propter legitima enim ipsorum que despeximus irati sunt: et fecerunt omnia hec. [60] Et placuit sermo in conspectu regis et principum: et misit ad eos pacem facere et ceperunt illam: [61] et iurauit illis rex et principes et exierunt de municione. [62] Et intrauit rex montem syon et vidit municionem loci: et rupit cicius iuramentum quod iurauit: et mandauit destruere murum in giro. [63] Et discessit festinanter et reuersus est antiochiam: et inuenit philippum dominantem ciuitati: et pugnauit aduersus eum et occupauit ciuitatem.

7 centesimoquinquagesimo et primo exiuit demetrius seleuci filius ab vrbe roma: et ascendit cum paucis viris in ciuitatem maritimam: et regnauit illic. [2] Et factum est vt ingressus est domum regni patrum suorum exercitus antiochum et lisiam vt adducerent eos ad eum: [3] et res ei innotuit: et ait. Nolite michi ostendere faciem eorum. [4] Et occidit eos exercitus. Et sedit demetrius super sedem regni sui: [5] et venerunt ad eum viri iniqui et impij ex israhel· et alchimus dux eorum: qui volebat fieri sacerdos. [6] Et accusauerunt populum apud regem dicentes. Perdidit iudas et fratres eius amicos tuos et nos disperdidit de terra nostra. [7] Nunc ergo mitte virum cui credis vt eat et videat exterminium omne quod fecit nobis in regionibus regis: et punijt omnes amicos eius et adiutores eorum. [8] Et elegit rex ex amicis suis bachidem qui dominabatur trans flumen magnum in regno et fidelem regi: et misit eum [9] vt videret exterminium quod fecit iudas. Sed et alchimum impium constituit in sacerdotium: et mandauit ei facere vlcionem in filios israhel. [10] Et surrexerunt et venerunt cum exercitu magno in terram iuda: et miserunt nuncios et locuti sunt ad iudam et ad fratres eius verbis pacificis in dolo: [11] et non intenderunt sermonibus eorum. Viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno: [12] et conuenerunt ad alchimum et bachidem congregatio scribarum requirere que iusta sunt. [13] Et primi assidei qui erant in filijs israhel: et exquirebant ab eis pacem. [14] Dixerunt enim. Homo sacerdos de semine aaron venit: non decipiet nos. [15] Et locutus est cum eis verba pacifica: et iurauit illis dicens. Non inferemus vobis malum: neque amicis vestris. [16] Et crediderunt ei. Et comprehendit ex eis sexaginta viros: et occidit eos in vna die secundum verbum quod scriptum est. [17] Carnes sanctorum tuorum et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu iherusalem: et non erat qui sepeliret. [18] Et incubuit timor et tremor in omnem populum: quia dixerunt. Non est veritas et iudicium in eis. Transgressi sunt enim constitutum: et iusiurandum quod

iurauerunt. [19] Et mouit bachides castra ab iherusalem et applicuit in bethzecha: et misit et comprehendit multos ex eis qui a se refugerant: et quosdam de populo mactauit: et in puteum magnum proiecit. [20] Et commisit regionem alchimo: et reliquit cum eo auxilium in adiutorium ipsi. Et abijt bachides ad regem. [21] Et satis agebat alchimus pro principatu sacerdotij sui. [22] Et conuenerunt ad eum omnes qui perturbabant populum suum: et obtinuerunt terram iuda: et fecerunt plagam magnam in israhel. [23] Et vidit iudas omnia mala que fecit alchimus et qui cum eo erant filijs israhel plus multo quam gentes: [24] et exijt in omnes fines iudee in circuitu et fecit vindictam in viros desertores: et cessauerunt vltra exire in regione. [25] Vidit autem alchimus quod preualuit iudas et qui cum eo erant et cognouit quia non potest sustinere eos: et regressus est ad regem: et accusauit eos multis criminibus. [26] Et misit rex nichanorem vnum ex principibus suis nobilioribus· qui erat inimicicias exercens contra israhel: et mandauit ei euertere populum. [27] Et venit nichanor in iherusalem cum exercitu magno: et misit ad iudam et ad fratres eius cum dolo verbis pacificis [28] dicens. Non sit pugna inter me et vos. Veniam cum viris paucis: vt videam facies vestras cum pace. [29] Et venit ad iudam et salutauerunt se inuicem pacifice: et hostes parati erant rapere iudam. [30] Et innotuit sermo iude quoniam cum dolo venerat ad eum: et conterritus est ab eo: et amplius noluit videre faciem eius. [31] Et cognouit nichanor quoniam denudatum est consilium eius: et exiuit obuiam iude in pugnam iuxta capharsalama. [32] Et ceciderunt de nichanoris exercitu fere quinque milia viri: et fugerunt in ciuitatem dauid. [33] Et post hec verba ascendit nichanor in montem syon: et exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace: et demonstrare ei olocaustomata que offerebantur pro rege. [34] Et irridens spreuit eos et polluit: et locutus est superbe: [35] et iurauit cum ira dicens. Nisi traditus fuerit iudas et exercitus eius in manus meas: continuo cum regressus fuero in pace succendam domum istam. Et exijt cum ira magna. [36] Et intrauerunt sacerdotes et steterunt ante faciem altaris et templi: et flentes dixerunt. [37] Tu domine elegisti domum istam ad inuocandum nomen tuum in ea: vt esset domus oracionis et obsecracionis populo tuo. [38] Fac vindictam in homine isto· et exercitu eius: et cadant in gladio. Memento blasphemias eorum: et ne dederis eis vt permaneant. [39] Et exijt nichanor ab iherusalem et castra applicuit ad bethoron: et occurrit illi exercitus sirie. [40] Et iudas applicuit in adarsa cum tribusmilibus viris. Et orauit iudas et dixit. [41] Qui missi erant a rege sennacharib domine quia blasphemauerunt te· exijt angelus et percussit ex eis centumoctogintaquinque [42] sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie et sciant ceteri quia male locutus est super sancta tua: et iudica illum secundum maliciam illius. [43] Et commiserunt exercitus prelium terciadecima die mensis adar: et contrita sunt castra nichanoris: et cecidit ipse primus in prelio [44] vt autem vidit exercitus eius quia cecidisset nichanor proiecerunt arma sua et fugerunt: [45] et persecuti sunt eos viam vnius diei ab adazer vsquequo veniatur in gazara: et tubis cecinerunt post eos cum significationibus. [46] Et exierunt de omnibus castellis iudee in circuitu: et ventilabant eos cornibus: et conuertebantur iterum ad eos. Et ceciderunt omnes gladio: et non est relictus ex eis nec vnus. [47] Et acceperunt spolia eorum in predam: et caput nichanoris amputauerunt et dexteram eius quam extenderat superbe: et attulerunt et suspenderunt contra iherusalem. [48] Et letatus est populus valde: et egerunt diem illam in leticia magna. [49] Et constituit agi omnibus annis diem istam terciadecima die mensis adar: [50] et siluit terra iuda dies paucos.

8 Et audiuit iudas nomen romanorum quia sunt potentes viribus et acquiescunt ad omnia que postulantur ab eis: et quicumque accesserunt ad eos statuerunt cum eis amicicias: et quia sunt potentes viribus. [2] Et audierunt prelia eorum et virtutes bonas quas faciunt in galacia: quia obtinuerunt eos et duxerunt sub tributum. [3] Et quanta fecerunt in regione hispanie: et quod in potestatem redegerunt metalla argenti et auri que illic sunt: et possederunt omnem locum consilio suo et patientia: [4] loca que longe erant valde ab eis et reges qui superuenerant eis ab extremis terre contriuerunt: et percusserunt eos plaga magna. Ceteri autem dant eis tributum omnibus annis. [5] Et philippum persen siciorum regem et ceteros qui aduersus eos arma tulerant contriuerunt in bello: et obtinuerunt eos. [6] Et antiochum magnum regem asie qui eis pugnam intulerat habens centumuiginti elephantes et equitatum et currus et exercitum magnum valde contritum ab eis: [7] et quia ceperunt eum viuum et statuerunt ei vt daret ipse et qui regnauerunt post ipsum tributum magnum: et daret obsides et constitutum. [8] Et regionem medorum et medos et lidos de optimis regionibus eorum: et acceptas eas ab eis dederunt eumeni regi. [9] Et quia qui erant apud elladam voluerunt ire et tollere eos: et innotuit sermo hijs [10] et miserunt ad eos ducem vnum et pugnauerunt contra illos et ceciderunt ex eis multi: et captiuas duxerunt vxores eorum et filios et diripuerunt eos et terram eorum possederunt: et destruxerunt muros eorum: et in seruitutem illos redegerunt vsque in hunc diem. [11] Et residua regna et insulas que aliquando restiterant illis exterminauerunt: et in potestatem redegerunt. [12] Cum amicis autem suis et qui in ipsis requiem habebant conseruauerunt amiciciam: et obtinuerunt regna que erant proxima et que erant longe: quia quicumque audiebant nomen eorum timebant eos. [13] Quibus vero vellent auxilio esse vt regnarent regnabant. Quos autem vellent regno deturbabant: et exaltati sunt valde. [14] Et in omnibus istis nemo portabat diadema: nec induebatur purpura: vt magnificaretur in ea. [15] Et quia curiam fecerunt sibi: et cottidie consulebant trecentosuiginti consilium agentes semper de multitudine: vt que digna sunt gerant. [16] Et committunt vni homini magistratum suum per singulos annos dominari vniuerse terre sue: et omnes obediunt vni: et non est inuidia neque zelus inter eos. [17] Et elegit iudas eupolemum filium iohannis filij iacob et iasonem filium eleazari et misit eos romam constituere cum illis amiciciam et societatem: [18] et vt auferrent ab eis iugum grecorum: quia viderunt quod in seruitutem premerent regnum israhel. [19] Et abierunt romam viam multam valde: et introierunt curiam et dixerunt. [20] Iudas machabeus et fratres eius et populus iudeorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem et pacem: et conscribere nos socios et amicos vestros. [21] Et placuit sermo in conspectu eorum. [22] Et hoc rescriptum quod rescripserunt in tabulis ereis: et miserunt in iherusalem vt esset apud eos ibi memoriale pacis et societatis. [23] Bene sit romanis et genti iudeorum in mari et in terra ineternum: gladiusque et hostis procul sit ab eis. [24] Quod si in bellum romanis prius aut o socijs eorum in omni dominatione eorum: [25] auxilium feret gens iudeorum prout tempus dictauerit corde pleno. [26] Et preliantibus non dabunt neque subministrabunt triticum arma pecuniam naues sicut placuit romanis: et custodient mandata eorum nichil ab eis accipientes. [27] Similiter autem et si genti iudeorum prius acciderit bellum adiuuabunt romani ex animo prout eis tempus permiserit: [28] et adiuuantibus non dabitur triticum arma pecunia naues sicut placuit romanis: et custodient mandata eorum absque dolo. [29] Secundum hec verba constituerunt romani populo iudeorum. [30] Quod si post hec verba hij aut illi addere aut demere ad hec aliquid voluerint facient ex proposito suo: et quecumque addiderint vel dempserint rata erunt. [31] Sed et de malis que demetrius rex fecit in eos scripsimus ei dicentes. Quare grauasti iugum tuum super amicos nostros et socios iudeos? [32] Si ergo iterum adierint nos aduersum te faciemus illis iudicium: et pugnabimus tecum mari terraque.

9 In terra vt audiuit demetrius quia cecidit nichanor et exercitus eius in prelio: apposuit bachidem et alchimum rursum mittere in iudeam: et dexterum cornu cum illis. [2] Et abierunt viam que ducit in galgalam: et castra posuerunt in masaloth que est in arbellis et occupauerunt eam: et peremerunt animas hominum multas. In mense primo anni centesimi et [3] quinquagesimi et secundi applicuerunt exercitum ad iherusalem: [4] et surrexerunt et abierunt abierunt in berea berea vigintimilia virorum et duomilia equitum. [5] Et iudas posuerat castra in laisa: et tria milia viri electi cum eo. [6] viderunt multitudinem exercitus sunt et quia multi sunt et timuerunt valde: multi subtraxerunt castris: remanserunt ex eis nisi octingenti viri. [7] Et vidit iudas quod exercitus suus bellum perurgebat eum: et confractus est corde quia non habebat tempus congregandi eos: et dissolutus est. [8] Et dixit hijs qui residui erant. Surgamus et poterimus auertebant eum sed pauci sumus. et eamus ad aduersarios nostros:

poterimus pugnare aduersus eos. [9] Et auertebant dicentes. Non liberemus animas nostras modo et reuertamur ad fratres nostros: et tunc pugnabimus aduersus eos. Nos autem pauci inferamus [10] Et ait iudas. Absit istam rem facere: vt fugiamus ab eis. Et si appropiauit tempus nostrum moriamur in virtute propter fratres nostros: et non inferamus crimen glorie nostre. [11] Et mouit exercitus de castris: et steterunt illis obuiam. Et diuisi sunt equites partes: et fundibularij et sagittarij preibant exercitum: primi certaminis omnes potentes. [12] Bachides autem dextro cornu: et proximauit legio ex duabus partibus: clamabant tubis. [13] Exclamauerunt autem hij qui erant parte iude eciam ipsi: et commota exercituum: et commissum est prelium a mane vsque ad vesperam. [14] Et vidit quod firmior est et qui in sinistro secuti a suum: suorum est et pars exercitus bachidis in dextris: et conuenerunt cum ipso omnes constantes et corde· [15] et contrita est dextra pars ab eis: et persecutus est eos vsque ad montem azoti. [16] cornu erant viderunt Et quod contritum est dextrum cornu: et secuti sunt post iudam et eos qui cum ipso erant tergo. [17] Et ingrauatum est prelium: et recide ceciderunt vulnerati multi ex hijs et ex illis. [18] Et iudas recidit: et ceteri fugerunt. [19] Et ionathas et simon tulerunt iudam fratrem gnitudinis Multa suum: et sepelierunt eum in sepulcro patrum suorum in ciuitate modin. [20] Et fleuerunt eum omnis populus israhel planctu magno: et lugebant dies multos: [21] et dixerunt. Quomodo recidit potens qui saluum faciebat populum israhel: [22] Et cetera verba bellorum iude et virtutum quas fecit et magnitudinis eius non sunt descripta. post Multa enim erant valde. [23] Et factum est obitum iude emerserunt iniqui in omnibus finibus exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem. [24] In diebus illis facta est fames magna valde: et tradidit se bachidi omnis regio eorum cum ipsis. [25] Et elegit bachides viros impios et constituit eos dominos regionis: [26] et exquirebant et perscrutabantur amicos iude· et adducebant eos ad bachidem: et vindicabat in illos et illudebat. [27] Et facta est tribulatio magna in israhel: qualis non fuit ex die qua non est visus propheta in israhel. [28] Et congregati sunt omnes amici iude: et dixerunt ionathe. [29] Ex quo frater tuus iudas defunctus est: vir similis ei non est qui exeat contra inimicos. bachidem et eos qui inimici sunt gentis nostre. [30] Nunc itaque te hodie eligimus esse pro eo nobis in principem et ducem: ad bellandum bellum nostrum. [31] Et suscepit ionathas tempore illo principatum: et surrexit loco iude fratris sui. [32] Et cognouit bachides: et querebat eum occidere. [33] Et cognouit ionathas et simon frater eius et omnes qui cum eo erant: et fugerunt in desertum thecue: et consederunt ad aquam lacus asphar. [34] Et cognouit bachides: die sabbatorum venit ipse et omnis exercitus eius transiordanem. [35] Et ionathas misit fratrem suum ducem populi: et rogauit nabutheos amicos suos vt comodarent illis apparatum suum: qui erat copiosus. [36] Et exierunt filij iambri ex madaba et comprehenderunt iohannem et omnia que habebat: et abierunt habentes ea. [37] Post hec verba renunciatum est ionathe et symoni fratri eius: quia filij iambri faciunt nuptias magnas et ducunt sponsam ex madaba fisiam vnius de magnis principibus chanaan cum ambitione magna. [38] Et recordati sunt sanguinis iohannis fratris sui: et ascenderunt et absconderunt se sub tegimento montis. [39] Et eleuauerunt oculos suos et viderunt: et ecce tumultus et apparatus multus· et sponsus processit et amici eius: et fratres eius obuiam illis cum tympanis et musicis et armis multis. [40] Et surrexerunt ad eos ex insidijs et occiderunt eos: et ceciderunt vulnerati multi: et residui fugerunt in montes. Et acceperunt omnia spolia eorum: [41] et conuerse sunt nuptie in luctum: et vox musicorum ipsorum in lamentum. [42] Et vindicaueruut vindictam sanguinis fratris sui: et reuersi sunt ad ripam iordanis. [43] Et audiuit bachides: et venit die sabbatorum vsque ad oram iordanis in virtute magna. [44] Et dixit ad suos ionathas. Surgamus: et pugnemus contra inimicos nostros. Non est enim hodie sicut heri et nudiustercius. [45] Ecce enim bellum exaduerso: aqua vero iordanis hinc et inde et ripe et paludes et saltus: et non est locus diuertendi. [46] Nunc ergo clamate in celum: vt liberemini de manu inimicorum vestrorum. Et commissum est bellum. [47] Et extendit ionathas manum suam percutere bachidem: et diuertit ab eo retro. [48] Et dissilijt ionathas et eo erant in iordanem: et transnatauerunt ad eos iordanem. [49] Et ceciderunt de parte bachidis die illa mille viri: et reuersi sunt in iherusalem. [50] Et edificauerunt ciuitates munitas in iudea: munitionem que erat in iherichо· et in ammaum· et in bethoron· et bethel et thamnata et phara et thopo muris excelsis et portis et seris. [51] Et posuit custodiam in eis: vt inimicicias exercerent in israhel. [52] Et muniuit ciuitatem bethsuram et gazaram· et arcem et posuit in eis auxilia et apparatum escarum: [53] et accepit filios principum regionis obsides: et posuit eos in arce in iherusalem in custodiam. [54] Et anno centesimo quinquagesimotercio mense secundo precepit alchimus destrui muros domus sancte interioris: et destrui opera prophetarum. Et cepit destruere. [55] In tempore illo percussus est alchimus et impedita sunt opera illius: et occlusum est os eius et dissolutus est paralisi: nec vltra potuit loqui verbum et mandare de domo sua. [56] Et mortuus est alchimus in tempore illo cum tormento magno. [57] Et vidit bachides quoniam mortuus est alchimus: et reuersus est ad regem: et siluit terra annis duobus. [58] Et cogitauerunt omnes iniqui dicentes. Ecce ionathas et qui cum eo sunt in silentio habitant confidenter. Nunc ergo adducamus bachidem: et conprehendet eos omnes vna nocte. [59] Et abierunt: et consilium ei dederunt. [60] Et surrexit vt veniret cum exercitu multo. Et misit occulte epistolas socijs suis qui erant in iudea vt comprehenderent ionathan· et eos qui cum eo erant: sed non potuerunt quia innotuit eis consilium eorum. [61] Et apprehendit de viris regionis qui principes erant milicie quinquagintas quaginta quaginta viros: et occidit eos. [62] Et secessit ionathas et symon et qui cum eo erant in bethbesem que est in deserto: et extruxit diruta eius: et firmauerunt eam. [63] Et cognouit bachides et congregauit vniuersam multitudinem suam: et hijs qui de iudea erant denunciauit. [64] Et venit et castra posuit desuper bethbesse: et oppugnauit eam dies multos: et fecit machinas. [65] Et reliquit ionathas symonem fratrem suum in ciuitate et exiuit in regionem: et venit cum numero [66] et percussit odaren et fratres eius et filios phaseron tabernaculis ipsorum: et cepit cedere et crescereim re in re in virtutibus. [67] Simon vero et qui cum ipso erant exierunt de ciuitate et succenderunt machinas: [68] et pugnauerunt contra bachidem: et contritus est ab eis. Et afflixerunt eum valde: quoniam consilium eius et congressus eius erat inanis. [69] Et iratus contra viros iniquos qui ei consilium dederant vt veniret in regionem ipsorum· multos ex eis occidit. Ipse autem cogitauit cum reliquis abire in regionem suam. [70] Et cognouit ionathas et misit ad eum legatos· componere pacem cum ipso: et reddere ei captiuitatem. [71] Et libenter accepit: et fecit secundum verba eius: et iurauit se nichil facturum ei mali omnibus diebus vite eius. [72] Et reddidit ei captiuitatem quam prius erat predatus de terra iuda. Et conuersus abijt in terram suam: et non apposuit amplius venire in fines eius: [73] Et cessauit gladius ex israhel. Et habitauit ionathas in magmas: et cepit ionathas ibi iudicare populum: et exterminauit impios ex israhel.

10 Et anno centesimosexagesimo ascendit alexander antiochi filius qui cognominatus est nobilis et occupauit ptolomaidam: et receperunt eum: et regnauit illic. [2] Et audiuit demetrius rex et congregauit exercitum copiosum valde: et exiuit obuiam illi in prelium. [3] Et misit demetrius epistolam ad ionathan· verbis pacificis: vt magnificaret eum [4] Dixit enim. Anticipemus facere pacem cum eo: priusquam faciat cum alexandro aduersum nos. [5] Recordabitur enim omnium malorum que fecimus in eum· et in fratrem eius: et in gentem eius. [6] Et dedit ei potestatem congregandi exercitum· et fabricare arma: et esse ipsum socium eius: et obsides qui erant in arce iussit tradi ei. [7] Et venit ionathas in iherusalem: et legit epistolas in auditu omnis populi· et eorum qui in arce erant. [8] Et timuerunt timore magno: quoniam audierunt quod dedit ei rex potestatem congregandi exercitum. [9] Et traditi sunt ionathe obsides: et reddidit eos parentibus suis. [10] Et habitauit ionathas in iherusalem: et cepit edificare· et innouare ciuitatem. [11] Et dixit facientibus opera vt extruerent muros et montem syon· in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: et ita fecerunt. [12] Et fugerunt alienigene qui erant in munitionibus quas bachides edificauerat: [13] et reliquit vnusquisque locum et abijt in terram suam: [14] tantum in bethsura remanserunt aliqui ex hijs qui reliquerant legem et precepta dei. Erat enim hec eis ad refugium. [15] Et audiuit alexander rex promissa que promisit demetrius ionathe: et narrauerunt ei

prelia et virtutes quas ipse fecit et fratres eius· et labores quos laborauerunt. 16 Et ait. Nunquid inueniemus aliquem virum talem? Et nunc faciemus eum amicum et socium nostrum. 17 Et scripsit epistolam: et misit ei secundum hec verba dicens. 18 Rex alexander· fratri ionathe salutem. 19 Audiuimus de te quod vir potens sis viribus: et aptus es vt sis amicus noster. 20 Et nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tue: et vt amicus voceris regis. Et misit ei purpuram et coronam auream: vt que nostra sunt sentias nobiscum: et conserues amicicias ad nos. 21 Et induit se ionathas stola sancta septimo mense· anno centesimosexagesimo in die solemni scenophegie. Et congregauit exercitum: et fecit arma copiosa. 22 Et audiuit demetrius verba ista: et contristatus est nimis. Et ait. 23 Quid hoc fecimus: quod preoccupauit nos alexander apprehendere amiciciam iudeorum ad munimen sui? 24 Scribam et ego illi verba deprecatoria et dignitates et dona: vt sit mecum in adiutorium. 25 Et scripsit ei in hec verba. Rex demetrius· genti iudeorum salutem. 26 Quoniam seruastis ad nos pactum et mansistis in amicicia nostra: et non accessistis ad inimicos nostros: audiuimus et gauisi sumus. 27 Et nunc perseuerate adhuc conseruare ad nos fidem: et retribuemus vobis bona pro hijs que fecistis nobiscum: 28 et remittemus vobis prestationes multas et dabimus vobis donationes. 29 Et nunc absoluo vos et omnes iudeos a tributis: et precia salis indulgeo: et coronas remitto. Et tercias seminis· 30 et dimidiam partem fructus ligni quod est portionis mee relinquo vobis ex hodierno die et deinceps: ne accipiatur a terra iuda· et a tribus ciuitatibus que addite sunt illi ex samaria et galilea: ex hodierna die et in totum tempus. 31 Et iherusalem sit sancta et libera cum finibus suis: et decime et tributa ipsius sint. 32 Remitto eciam potestatem arcis que est in iherusalem et do eam summo sacerdoti: vt constituat in ea viros quoscumque ipse elegerit qui custodiant eam. 33 Et omnem animam iudeorum que captiua est a terra iuda in omni regno meo relinquo liberam gratis: vt omnes a tributis soluantur eciam pecorum suorum. 34 Et omnes dies solemnes et sabbata· et neomenie et dies decreti· et tres dies ante diem solemnem· et tres dies post diem solemnem sint omnes immunitatis et remissionis omnibus iudeis qui sunt in regno meo. 35 Et nemo habebit potestatem agere aliquid: et mouere negocia aduersus aliquem illorum in omni causa. 36 Et vt ascribantur ex iudeis in exercitu regis ad trigintamilia virorum. Et dabuntur illis copie vt oportet omnibus exercitibus regis: et ex eis ordinabuntur qui sint in municionibus regis magni. 37 Et ex hijs constituentur supra negotia regni que aguntur ex fide: et principes sint ex eis et ambulent legibus suis: sicut precepit rex in terra iuda. 38 Et tres ciuitates que addite sunt iudee ex regione samarie cum iudea reputentur vt sint sub vno: et non obediant aliene potestati nisi summo summo sacerdoti: 39 ptolomaida et confines eius quas dedi donum sanctis qui sunt in iherusalem ad necessarios sumptus sanctorum. 40 Et ego debo singulis annis quindecim milia siclorum argenti de rationibus regis que me contingunt: 41 et omne quod reliquum fuerit quod non reddiderant qui super negotia erant annis prioribus: ex hoc dabunt in opera domus. 42 Et super hec quinque milia siclorum argenti que accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos: et hec ad sacerdotes pertineant qui ministerio funguntur. 43 Et quicumque confugerint in templum quod est iherosolimis et in omnibus finibus eius obnoxij regi in omni negotio dimittantur: et vniuersa que sunt eis in regno meo libera habeant. 44 Et ad edificanda vel restauranda opera sanctorum sumptus dabuntur de ratione regis: 45 et ad extruendos muros in iherusalem· et comminuendos in circuitu sumptus dabuntur de ratione regis: et ad construendos muros in iudea. 46 Vt audiuit autem ionathas et populus sermones istos· non crediderunt eis nec receperunt eos: quia recordati sunt malicie magne quam fecerat in israhel: et tribulauerat eos valde. 47 Et complacuit eis in alexandrum: quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis: et ipsi auxilium ferebant omnibus diebus. 48 Et congregauit rex alexander exercitum magnum: et admouit castra contra demetrium. 49 Et commiserunt serunt prelium reges et fugit exercitus demetrij: et insecutus est eum alexander: et incubuit super eos. 50 Et inualuit prelium nimis· donec occidit sol: et recidit dementrius in illa die. 51 Et misit alexander ad ptolomeum regem egipti legatos· secundum hec verba dicens. 52 Quoniam regressus sum in regnum meum et sedi in sede patrum meorum et obtinui principatum et contriui demetrium· et possedi regionem nostram· 53 et commisi pugnam cum eo et contritus est ipse et castra eius a nobis et sedemus in sede regni eius: 54 et nunc statuamus adinuicem amiciciam et da michi filiam tuam vxorem: et ero gener tuus: et dabo tibi dona et ipsi dignitatem. 55 Et respondit rex ptolomeus dicens. Felix dies in qua reuersus es ad terram patrum tuorum: et sedisti in sede regni eorum. 56 Et nunc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre michi ptolomaidam vt videamus inuicem nos: et spondeam tibi sicut dixisti. 57 Et exiuit ptoloneus de egipto ipse et cleopatra filia eius: et venit ptolomaidam anno centesimo sexagesimosecundo. 58 Et occurrit ei alexander rex. Et dedit ei cleopatram filiam suam: et fecit nuptias eius ptolomaide· sicut reges in magna gloria. 59 Et scripsit alexander rex ionathe: vt veniret obuiam sibi. 60 Et abijt cum gloria ptolomaidam et occurrit ibi duobus regibus: et dedit argentum multum et aurum et dona: et inuenit gratiam in conspectu eorum. 61 Et conuenerunt aduersus eum viri pestilentes ex israhel viri iniqui interpellantes aduersus eum: et non intendit ad eos rex. 62 Et iussit spoliari ionathan vestibus suis: et indui eum purpura. Et ita fecerunt. Et collocauit eum rex sedere secum: 63 dixitque principibus suis. Exite cum eo in medium ciuitatis: et predicate vt nemo aduersus eum interpellet de vllo negotio: nec quisquam ei molestus sit de vlla ratione. 64 Et factum est vt viderunt qui interpellabant gloriam eius que predicabatur· et opertum eum purpura: fugerunt omnes. 65 Et magnificauit eum rex: et scripsit eum inter primos amicos: et posuit eum ducem et participem principatus. 66 Et reuersus est ionathas in iherusalem: cum pace et leticia. 67 In anno centesimo sexagesimoquinto venit demetrius filius demetrij a creta in terram patrum suorum. 68 Et audiuit alexander rex et contristatus est valde: et reuersus est antiochiam. 69 Et constituit demetrius rex appolonium ducem qui preerat celesyrie: et congregauit exercitum magnum et accessit ad iamniam: et misit ad ionathan summum sacerdotem 70 dicens. Tu solus resistis nobis. Ego autem factus sum in derisum et in opprobrium: propterea quia tu potestatem aduersum nos exerces in montibus. 71 Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis descende ad nos in campum et comparemus illic inuicem: quia mecum est virtus bellorum. 72 Interroga et disce quis sum ego et ceteri qui auxilio sunt michi: qui et dicunt quia non potest stare pes vester· ante faciem nostram: quia bis in fugam conuersi sunt patres tui in terram suam. 73 Et nunc quomodo poteris sustinere equitatum et exercitum tantum in campo vbi non est lapis neque saxum: neque locus fugiendi? 74 Vt audiuit autem ionathas sermones appollonij: motus est animo. Et elegit decem milia virorum: et exijt ab iherusalem: et occurrit ei symon frater eius in adiutorium. 75 Et applicuerunt castra in ioppen. Et exclusit eum a ciuitate: quia custodia appollonij ioppe erat: et oppugnauit eam. 76 Et exterriti qui erant in ciuitate aperuerunt ei: et obtinuit ionathas ioppen. 77 Et audiuit appollonius: et admouit tria milia equitum· et exercitum multum. 78 Et abijt in azotum tanquam iter faciens: et statim exijt in campum: eo quod haberet multitudinem equitum et confideret in eis. Et insecutus est eum ionathas in azotum: et commiserunt prelium. 79 Et reliquit appollonius in castris mille equites post eos occulte. 80 Et cognouit ionathas quoniam insidie sunt post se: et circuierunt castra eius: et iecerunt iacula in populum a mane vsque ad vesperam. 81 Populus autem stabat sicut precepit ionathas: et laborauerunt equi eorum. 82 Et eiecit symon exercitum suum: et commisit contra legionem. Equites enim fatigati erant. Et contriti sunt ab eo: et fugerunt. 83 Et qui dispersi sunt per campum fugerunt in azotum: et intrauerunt in bethdagon ydolum suum: vt ibi se liberarent. 84 Et succendit ionathas azotum et ciuitates que erant in circuitu eius: et accepit spolia eorum: et templum dagon et omnes qui fugerunt in illud succendit igni. 85 Et fuerunt qui ceciderunt gladio cum hijs qui succensi sunt: fere octo milia virorum. 86 Et mouit inde ionathas castra: et applicuit ea aschalonam et exierunt de ciuitate obuiam illi in magna gloria. 87 Et reuersus est ionathas in iherusalem cum suis habentibus spolia multa. 88 Et factum est vt audiuit alexander rex sermones istos: addidit adhuc

glorificare ionathan. [89] Et misit ei fibulam auream: sicut consuetudo est dari cognatis regum. Et dedit ei accharon et omnes fines eius in possessionem.

11 Et egipti congregauit exercitum sicut arenam que est circa oram maris· et naues multas: et querebat obtinere regnum alexandri dolo: et addere illud regno suo. [2] Et exijt in syriam verbis pacificis: et aperiebantur ei ciuitates· et occurrebant ei: quia mandauerat alexander rex exire ei obuiam· eo quod socer suus esset. [3] Cum autem introiret ciuitatem ptolomeus: ponebat custodias militum in singulis ciuitatibus. [4] Et vt appropiauit azoto ostenderunt ei templum dagon succensum igni: et azotum et cetera eius demolita et corpora proiecta: et eorum qui cesi erant in bello tumulos· quos fecerant secus viam. [5] Et narrauerunt regi quia hec fecit ionathas: vt inuidiam facerent ei. Et tacuit rex. [6] Et occurrit ionathas regi in ioppen cum gloria: et inuicem se salutauerunt: et dormierunt illic. [7] Et abijt ionathas cum rege vsque ad fluuium qui vocabatur eleutherus et reuersus est in iherusalem. [8] Rex autem ptolomeus obtinuit dominium ciuitatum vsque sileutiam maritimam: et cogitabat in alexandrum consilia mala. [9] Et misit legatos ad demetrium dicens. Veni componamus inter nos pactum et dabo tibi filiam meam quam habet alexander: et regnabis in regno patris tui. [10] Penitet enim me: quod dederim illi filiam meam. Quesiuit enim me occidere. [11] Et vituperauit eum: propterea quod concupierat regnum eius. [12] Et abstulit filiam suam et dedit eam demetrio: et alienauit se ab alexandro: et manifestate sunt inimicicie eius. [13] Et intrauit ptolomeus antiochiam: et imposuit duo diademata capiti suo· egipti et asie. [14] Alexander autem rex erat in cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis illis. [15] Et audiuit alexander: et venit ad eum in bellum. Et produxit ptolomeus rex exercitum: et occurrit ei in manu valida: et fugauit eum. [16] Et fugit alexander in arabiam: vt ibi protegeretur. Rex autem ptolomeus exaltatus est: [17] et abstulit zabdihel arabs caput alexandri: et misit ptolomeo. [18] Et rex ptolomeus mortuus est in die tercia: et qui erant in munitionibus perierunt ab hijs qui erant intra castra. [19] Et regnauit demetrius anno centesimoseptuagesimoseptimo. [20] In diebus illis congregauit ionathas eos qui erant in iudea· vt expugnarent arcem que est in iherusalem: et fecerunt contra eam machinas multas. [21] Et abierunt quidam qui oderant gentem suam viri iniqui ad regem demetrium: et renunciauerunt ei quod ionathas obsideret arcem. [22] Et vt audiuit iratus est· et statim venit ptolomaidam: et scripsit ionathe ne obsideret arcem: sed occurreret sibi ad colloquium festinato. [23] Vt audiuit autem ionathas iussit obsideri. Et elegit de senioribus israhel et de sacerdotibus: et dedit se periculo. [24] Et accepit aurum et argentum et vestem et alia xenia multa: et abijt ad regem ptolomaidam: et inuenit gratiam in conspectu eius. [25] Et interpellabant aduersus eum· quidam iniqui ex gente sua. [26] Et fecit ei rex: sicut fecerant ei qui ante eum fuerant. Et exaltauit eum in conspectu omuium amicorum suorum: [27] et statuit ei principatum sacerdotij· et quecumque alia habuit prius preciosa: et fecit eum principem amicorum. [28] Et amicorum. Et postulauit ionathas a rege vt immunem faceret iudeam et tres toparchias idest samariam et confines eius: et promisit ei talenta trecenta. [29] Et consensit rex: et scripsit ionathe epistolas de hijs omnibus hunc modum continentes. [30] Rex demetrius fratri ionathe salutem et genti iudeorum. [31] Exemplum epistole quam scripsimus lastheni parenti nostro de vobis misimus ad vos: vt sciretis. [32] Rex demetrius lastheni parenti salutem. [33] Genti iudeorum amicis nostris et conseruantibus que iusta sunt apud nos decreuimus benefacere propter benignitatem ipsorum quam erga nos habent. [34] Statuimus ergo illis omnes fines iudee· et tres ciuitates liddam et ramathe que addite sunt iudee et samariam· et omnes confines earum sequestrari omnibus sacrificantibus in iherosolimis: pro hijs que ab eis prius rex accipiebat per singulos annos: et pro fructibus terre et pomorum. [35] Et alia que ad nos pertinebant decimarum et tributorum· ex hoc tempore remittimus eis· et areas salinarum et coronas que nobis deferebantur [36] omnia ipsis concedimus: et nichil horum irritum erit ex hoc et in omne tempus. [37] Nunc ergo curate facere horum exemplum: et detur ionathe et ponatur in monte sancto et in loco celebri. [38] Et videns demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo et nichil ei resistit dimisit totum exercitum suum vnumquemque in locum suum· excepto peregrino exercitu quem traxit ab insulis gentium: et inimici erant ei omnes exercitus patrum eius. [39] Triphon autem erat quidam partium alexandri prius: et vidit quoniam omnis exercitus murmurauit contra demetrium: et iuit ad emalchuel arabum qui nutriebat antiochum filium alexandri: [40] et assidebat ei vt traderet eum ipsi: vt regnaret in loco patris sui. Et enunciauit ei quanta fecit demetrius: et inimicicias exercituum eius aduersus illum. Et mansit ibi diebus multis. [41] Et misit ionathas ad demetrium regem vt eiceret eos qui in arce erant in iherusalem· et qui in presidijs erant: quia impugnabant israhel. [42] Et misit demetrius ad ionathan dicens. Non hoc tantum faciam tibi et genti tue: sed gloria illustrabo te et gentem tuam cum fuerit oportunum. [43] Nunc ergo recte feceris si miseris in auxilium michi viros: quia discessit omnis exercitus meus. [44] Et misit ei ionathas tria milia virorum fortium anthiochiam. Et venerunt ad regem: et delectatus est rex in aduentu eorum. [45] Et conuenerunt qui erant in ciuitate· centum viginti milia virorum: et volebant interficere regem. [46] Et fugit rex in aulam et occupauerunt qui erant de ciuitate itinera ciuitatis: et ceperunt pugnare. [47] Et vocauit rex iudeos in auxilium: et conuenerunt omnes simul ad eum. Et dispersi sunt omnes per ciuitatem: [48] et occiderunt in illa die centum milia hominum. Et succenderunt ciuitatem: et ceperunt spolia multa in illa die: et liberauerunt regem. [49] Et viderunt qui erant de ciuitate quod obtinuissent iudei ciuitatem sicut volebant: et infirmati sunt mente sua: et clamauerunt ad regem cum precibus dicentes. [50] Da nobis dextras: et cessent iudei oppugnare nos· et ciuitatem. [51] Et proiecerunt arma sua et fecerunt pacem. Et glorificati sunt iudei in conspectu regis et in conspectu regis et in conspectu omnium qui erant in regno eius: et nominati sunt in regno. Et regerssi sunt in iherusalem: habentes spolia multa. [52] Et sedit demetrius rex in sede regni sui: et siluit terra in conspectu eius. [53] Et mentitus est omnia quecumque dixit: et abalienauit se a ionatha et non retribuit ei secundum beneficia que sibi tribuerat: et vexabat eum valde. [54] Post hec autem reuersus est triphon et antiochus cum eo puer adolescens: et regnauit et imposuit sibi diadema. [55] Et congregati sunt ad eum omnes exercitus quos disperserat demetrius: et pugnauerunt contra eum: et fugit et terga vertit. [56] Et accepit triphon bestias: et obtinuit antiochiam. [57] Et scripsit antiochus adolescens ionathe dicens. Constituo tibi sacerdotium: et constituo te super quatuor ciuitates: vt sis de amicis regis. [58] Et misit illi vasa aurea in ministerium et dedit ei potestatem bibendi in auro et esse in purpura: et habere fibulam auream. [59] Et simonen monem fratrem eius constituit ducem a terminis tyri· vsque ad fines egipti. [60] Et exijt ionathas et perambulabat trans flumen ciuitates: et congregatus est ad eum omnis exercitus sirie in auxilium. Et venit aschalonem: et occurrerunt ei honorifice de ciuitate. [61] Et abijt inde gazam et concluserunt se qui erant gaze· et obsedit eam: et succendit que erant in circuitu ciuitatis: et predatus est eam. [62] Et rogauerunt gazenses ionathan et dedit illis dextram: et accepit filios eorum obsides· et misit illos in iherusalem: et perambulauit regionem vsque damascum. [63] Et audiuit ionathas quod preuaricati sunt principes demetrij in cades que est in galilea cum exercitu multo volentes eum remouere a negocio regni: [64] et occurrit illis: fratrem autem suum simonem reliquit intra prouinciam. [65] Et applicuit simon ad bethsuram· et expugnabat eam diebus multis: et conclusit eos. [66] Et postulauerunt ab eo dextras accipere: et dedit illis. Et eiecit eos inde et cepit ciuitatem: et posuit in ea presidium. [67] Et ionathas et castra eius applicuerunt ad aquam genesar: et ante lucem vigilauerunt in campo asor. [68] Et ecce castra alienigenarum occurrebant in campo: et tendebant ei insidias in Insidie vero exsurrexerunt de locis suis: montibus: ipse autem occurrit ex aduerso. montibus: [69] Insidie vero exsurrexerunt de locis suis: et commiserunt prelium. [70] Et fugerunt qui erant ex parte ionathe omnes: et nemo relictus est ex eis nisi mathatias filius absolomi: et iudas filius calphi: princeps milicie exercitus. [71] Et scidit ionathas vestimenta sua: et posuit terram in capite suo: et orauit. [72] Et reuersus est ionathas ad eos in prelium: et conuertit eos in fugam: et pugnauerunt. [73] Et viderunt qui fugiebant partis illius· et reuersi sunt ad eum: et insequebantur cum eo omnes vsque cades ad castra sua: et peruenerunt vsque illuc. [74] Et

ceciderunt de alienigenis in die illa tria milia virorum: et reuersus est ionathas in iherusalem.

12 Et vidit ionathas quia tempus eum iuuat: et elegit viros: et misit eos romam stature et renouare cum eis amiciciam. [2] Et ad spartiatas et ad alia loca misit epistolas secundum eandem formam. [3] Et abierunt romam: et intrauerunt curiam et dixerunt. Ionathas summus sacerdos et gens iudeorum miserunt nos: vt renouemus amiciciam et societatem secundum pristinum. [4] Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca: vt deducerent eos in terram iuda cum pace. [5] Et hoc est exemplum epistolarum quas scripsit ionathas spartiatis. [6] Ionathas summus sacerdos· et seniores gentis· et sacerdotes· et reliquus populus iudeorum· spartiatis fratribus salutem. [7] Iam pridem misse erant epistole ad oniam summum sacerdotem a dario qui regnabat apud vos: quoniam estis fratres nostri: sicut scriptum continet quod subiectum est. [8] Et suscepit onias virum qui missus fuerat cum honore: et accepit epistolas in quibus significabatur de societate et de amicicia. [9] Nos enim cum nullo horum indigeremus· habentes solatio sanctos libros qui sunt in manibus nostris: [10] maluimus mittere ad vos renouare fraternitatem et amiciciam: ne forte alieni efficiant a vobis. Multa enim tempora transierunt exquo misistis ad nos. [11] Nos ergo in omni tempore sine intermissione· in diebus solemnibus et ceteris quibus oportet· memores sumus vestri in sacrificijs que offerimus· et in obseruationibus: sicut phas est et decet· meminisse fratrum. [12] Letamur itaque de gloria vestra. [13] Nos autem circumdederunt multe tribulationes· et multa prelia: et impugnauerunt nos reges qui sunt in circuitu nostro. [14] Noluimus ergo vobis molesti esse: neque ceteris socijs et amicis nostris in hijs prelijs. [15] Habuimus enim de celo auxilium: et liberati sumus nos: et humiliati sunt inimici nostri. [16] Elegimus itaque numenium antiochi filium et antipatrem iasonis filium: et misimus ad romanos renouare cum eis amiciciam et societatem pristinam. [17] Mandauimus itaque eis vt veniant eciam ad vos et salutent vos: et reddant vobis epistolas nostras· de innouacione fraternitatis nostre. [18] Et nunc benefacietis: respondentes nobis ad hec. [19] Et hoc rescriptum epistolarum: quod misit onias. [20] Rex spartiatarum onias· ionathe sacerdoti magno salutem. [21] Inuentum est in scriptura de spartiatis et iudeis quoniam sunt fratres: et quia sunt de genere abraham. [22] Et nunc exquo hec cognouimus: benefacitis scribentes nobis de pace vestra. [23] Sed et nos rescripsimus vobis. Pecora nostra et possessiones nostre vestre sunt: et vestre nostre. Mandauimus itaque hec nunciari vobis. [24] Et audiuit ionathas quoniam egressi sunt principes demetrij cum exercitu multo supra quam prius· pugnare aduersus eum: [25] et exijt ab iherusalem: et occurrit eis in amathite regione. Non enim dederat eis spacium vt ingrederentur regionem eius. [26] Et misit speculatores in castra eorum: et reuersi renunciauerunt quod constituerunt superuenire re illic nocte. [27] Cum occidisset autem sol· precepit ionathas suis vigilare: et esse in armis paratos ad pugnam tota nocte. Et posuit custodes per circuitum castrorum. [28] Et audierunt aduersarij quod paratus est ionathas cum suis in bello: et timuerunt et formidauerunt in corde suo: et accenderunt focos in castris suis. [29] Ionathas autem et qui cum eo erant non cognouerunt vsque mane. Viderunt autem lumina ardentia: [30] et secutus est eos ionathas: et non comprehendit eos. Transierunt enim flumen eleutherum. [31] Et diuertit ionathas ad arabes qui vocabantur zabadei: et percussit eos· et accepit spolia eorum. [32] Et iunxit· et venit damascum: et perambulabat omnem regionem illam. [33] Simon autem exijt· et venit vsque aschalonem et ad proxima presidia: et declinauit in ioppen: et occupauit eam. [34] Audiuit enim quod vellent presidium tradere partibus demetrij: et posuit ibi custodes: vt custodirent eam. [35] Et reuersus est ionathas et conuocauit seniores populi: et cogitauit cum eis edificare presidia in iudea: [36] et edificare muros in iherusalem· et exaltare altitudine magna inter medium arcis et ciuitatis· vt separaret eam a ciuitate· vt esset ipsa singulariter: et neque vendant neque emant. [37] Et conuenerunt vt edificarent ciuitatem: et cecidit murus qui erat super torrentem· ab ortu solis: et reparauit eum qui vocatur caphetheta. [38] Et simon edificauit adiada in sephela· et muuiuit eam: et imposuit portas et seras. [39] Et cum cogitasset triphon regnare asye· et assumere diadema· et extendere manum in antiochum regem: [40] timens ne forte non permitteret eum ionathas sed pugnaret aduersus eum: querebat comprehendere eum et occidere. et Et exsurgens abijt in bethasan: [41] et exijt ionathas obuiam cum quadraginta milibus virorum electorum in prelium: et venit bethasan. [42] Et vidit triphon quia venit ionathas cum exercitu multo vt extenderet in eum manus· et timuit. [43] Et excepit eum cum honore: et commendauit eum omnibus amicis suis: et dedit ei munera. Et precepit exercitibus suis vt obedirent ei sicut sibi. [44] Et dixit ionathe. Vt quid vexasti vniuersum populum: cum nobis bellum non sit? [45] Et nunc remitte eos in domos suas. Elige autem viros paucos qui tecum sint: et veni mecum ptolomaidam· et tradam eam tibi: et reliqua presidia· et exercitum· et vniuersos prepositos negocij: et conuersus abibo. Propterea enim veni. [46] Et credidit ei: et fecit sicut dixit et dimisit exercitum: et abierunt in terram iuda. [47] Retinuit autem secum tria milia virorum: ex quibus remisit in galileam duo milia: mille autem venerunt cum eo. [48] Vt autem intrauit ptolomaidam ionathas· clauserunt portas ciuitatis ptolomenses: et comprehenderuut eum: et omnes qui cum eo intrauerunt· gladio interfecerunt. [49] Et misit triphon exercitum et equites in galileam et in campum magnum: vt perderent omnes socios ionathe. [50] At illi cum cognouissent quia comprehensus est ionathas et perijt· et omnes qui cum eo erant: hortati sunt semetipsos· et exierunt parati in prelium. [51] Et videntes hij qui insecuti fuerant quia pro anima res est illis· reuersi sunt: [52] illi autem venerunt omnes cum pace in terram iuda. Et planxerunt ionathan: et eos qui cum ipso erant valde. Et luxit israhel luctu magno. [53] Et quesierunt omnes gentes qui erant in circuitu eorum conterere eos. Dixerunt enim. [54] Non habent principem et adiuuantem: nunc ergo expugnemus illos: et tollamus de hominibus memoriam eorum.

13 vt audiuit simon quod congregauit triphon exercitum copiosum· vt veniret in terram iuda et attereret eam: [2] videns quia in tremore populus est et in timore· ascendit iherusalem et congregauit populum: [3] et adhortans dixit. Vos scitis quanta ego et fratres mei· et domus patris mei fecimus pro legibus et pro sanctis prelia: et angustias quales vidimus. [4] Horum gracia perierunt fratres mei omnes propter israhel: et relictus sum ego solus. [5] Et nunc non michi contingat parcere anime mee: in omni tempore tribulationis. Non enim melior sum fratribus meis. [6] Vindicabo itaque gentem meam et sancta· natosque nostros et vxores: quia congregate sunt vniuerse gentes conterere nos inimicicie gratia. [7] Et accensus est spiritus populi simul· vt audiuit sermones istos: [8] et responderunt voce magna dicentes. Tu es dux noster loco iude· et ionathe fratris tui. [9] Pugna prelium nostrum: et omnia quecumque dixeris nobis faciemus. [10] Et congregans omnes viros bellatores accelerauit consummare vniuersos muros iherusalem: et muniuit eam in gyro. [11] Et misit ionathan filium absolomi: et cum eo exercitum nouum in ioppen: et eiectis hijs qui erant in arce· remansit illic ipse. [12] Et mouit triphon a ptolomaida cum exercitu multo vt veniret in terram iuda: et ionathas cum eo in custodia. [13] Simon autem applicuit in addus contra faciem campi. [14] Et vt cognouit triphon quia surrexit simon loco fratris sui ionathe· et quia commissurus esset cum eo prelium: misit ad eum legatos [15] dicens. Pro argento quod debebat frater tuus ionathas in racione regis propter negocia que habuit: detinuimus eum. [16] Et nunc mitte argenti talenta centum et duos filios eius obsides: vt non dimissus fugiat a nobis: et remittemus eum. [17] Et cognouit simon quia cum dolo loqueretur secum. Iussit tamen dari argentum et pueros: ne inimiciciam magnam sumeret ad populum israhel dicentem: [18] quia non misit ei argentum et pueros· propterea perijt. [19] Et misit pueros et centum talenta. Et mentitus est: et non dimisit ionathan. [20] Et post hec venit triphon regionem vt contereret eam: et gyrauerunt per viam que ducit ador. Et simon et castra eius· ambulabant in omnem locum qnocumque ibant. [21] Qui autem in arce erant· miserunt ad triphonem legatos· vt festinaret venire per desertum: et mitteret illis alimonias. [22] Et parauit triphon omnem equitatum: vt veniret illa nocte. Erat autem nix multa valde: et non venit in galadithim. [23] Et cum apropinquasset baschaman: occidit ionathan et filios eius illic. [24] Et conuertit triphon: et abijt in terram suam. [25] Et misit simon et accepit ossa ionathe fratris

sui: et sepeliuit ea in modin ciuitate patrum eius. 26 Et planxerunt eum omnis israhel· planctu magno: et luxerunt eum dies multos. 27 Et edificauit simon super sepulcrum patris sui et fratrum suorum edificium altum visu· lapide polito retro et ante: 28 et statuit septem piramidas vnam contra vnam: patri et matri· et quatuor fratribus. 29 Et hijs circumposuit columnas magnas: et super columnas arma· ad memoriam eternam: et iuxta arma naues sculptas: que viderentur ab hominibus nauigantibus mare. 30 Hoc est sepulcrum quod fecit in modin vsque in hunc diem. 31 Triphon autem cum iter faceret cum antiocho rege adolenscente· dolo occidit eum: 32 et regnauit in loco eius. Et imposuit sibi diadema asye: et fecit plagam magnam in terra. 33 Et edificauit simon presidia iudee: muniens eam turribus excelsis· et muris magnis et portis et seris: et posuit alimenta in municionibus. 34 Et elegit simon viros et misit ad demetrium regem· vt faceret remissionem regioni: quia actus omnes triphonis per direptionem fuerant gesti. 35 Et demetrius rex ad verba ista respondit ei: et scripsit epistolam talem. 36 Rex demetrius simoni summo sacerdoti et amico regum· et senioribus et genti iudeorum· salutem. 37 Coronam auream· et bahen quam misistis suscepimus: et parati sumus facere vobiscum pacem magnam: et scribere prepositis regis remittere vobis que indulsimus. 38 Quecumque enim constituimus vobis constant. Municiones quas edificastis vobis sint. 39 Remittimus quoque ignorantias et peccata vsque in hodiernum diem et coronam quam debebatis. Et si quid aliud erat tributarium in iherusalem: iam non sit tributarium. 40 Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nos conscribantur: et sit inter nos pax. 41 Anno centesimo septuagesimo ablatum est iugum gentium ab israhel. 42 Et cepit populus israhel scribere in tabulis et gestis publicis: anno primo sub simone summo sacerdote· magno duce· et principe iudeorum. 43 In diebus illis applicuit simon ad gazam· et circundedit eam castris· et fecit machinas: et applicuit ad ciuitatem· et percussit turrem vnam: et comprehendit eam. 44 Et qui eruperant erant intra machinam et ciuitatem: et factus est motus magnus in ciuitate. 45 Et ascenderunt qui erant in ciuitate cum vxoribus et filijs supra murum scissis tunicis suis: et clamauerunt voce magna postulantes a simone dextras sibi dari: 46 et dixerunt. Non nobis reddas secundum malicias nostras· sed secundum misericordias tuas: 47 et seruiemus tibi. Et flexus simon· non debellauit eos: eiecit tamen eos de ciuitate· et emundauit edes in quibus fuerant simulachra: et tunc intrauit in eam cum ymnis bene dicens dominum. 48 Et eiecta ab ea omni immundicia collocauit in ea viros legem· facerent: et muniuit eam: et fecit sibi bi habitacionem. 49 Qui autem erant in arce iherusalem prohibebantur egredi et ingredi regionem· et emere ac vendere: et esurierunt valde: et multi ex eis fame perierunt. 50 Et clamauerunt ad simonem vt dextras trans acciperent: et dedit illis. Et eiecit eos inde: et mundauit arcem a contaminacionibus. 51 Et intrauerunt in eam· tercia et vicesima die secundi mensis· anno centesimo septuagesimo primo cum laude et ramis palmarum· et cytharis et cimbalis et nablis et ymnis et canticis: quia contritus est inimicus magnus ex israhel. 52 Et constituit vt omnibus annis agerentur dies hij cum leticia. 53 Et muniuit montem templi qui erat secus arcem: et habitauit ibi ipse et qui cum eo erant. 54 Et vidit simon iohannem filium suum quod fortis prelij vir esset: et posuit eum ducem virtutum vniuersarum: et habitauit in gazaris.

14 Anno Anno centesimo septuagesimosecundo congregauit rex demetrius exercitum suum: et abijt in mediam ad contrahenda sibi auxilia: vt expugnaret triphonem. 2 Et audiuit arsaces rex persidis et medie quia intrauit demetrius confines suos: et misit vnum de principibus suis vt comprehenderet eum viuum: et adduceret eum ad se. 3 Et abijt et percussit castra demetrij· et comprehendit eum: et duxit eum ad arsacem: et posuit eum in custodiam. 4 Et siluit omnis terra iuda omnibus diebus simonis: et quesiuit bona genti sue: et placuit illis potestas eius· et gloria eius omnibus diebus. 5 Et cum omni gloria sua accepit ioppen in portum: et fecit introitum in insulis maris. 6 Et dilatauit fines gentis sue: et obtinuit regionem. 7 Et congregauit captiuitatem multam: et dominatus est gazare· et bechsure· et arci· et abstulit immundicias ex ea: et non erat qui resisteret ei. 8 Et vnusquisque colebat terram suam cum pace: et terra iuda dabat fructus suos: et ligna camporum fructum suum. 9 Seniores in plateis sedebant omnes· et de bonis terre tractabant: et iuuenes induebant se gloriam et stolas belli. 10 Et ciuitatibus tribuebat alimonias: et constituebat eas vt essent vasa municionis: quo adusque nominatum est nomen glorie eius vsque ad extremum terre. 11 Fecit pacem super terram: et letatus est israhel leticia magna. 12 Et sedit vnusquisque sub vite sua· et sub ficulnea sua: et non erat qui eos terreret. 13 Defecit impugnans eos super terram: reges contriti sunt in diebus illis. 14 Et confirmauit omnes humiles populi sui: et legem exquesiuit: et abstulit omnem iniquum et malum. 15 Sancta glorificauit: et multiplicauit vasa sanctorum. 16 Et auditum est rome quia defunctus esset ionathas et vsque in spartiatas: et contristati sunt valde. 17 Vt audierunt autem quod simon frater eius factus esset summus sacerdos loco eius· et ipse obtineret omnem regionem et ciuitates in ea: 18 scripserunt ad eum tabulis ereis vt renouarent amicicias et societatem: quam fecerant cum iuda et cum ionatha fratribus eius. 19 Et lecte sunt in conspectu ecclesie in iherusalem. Et hoc exemplum epistolarum quas spartiate miserunt. 20 Spartianorum principes et ciuitates· simoni sacerdoti magno: et senioribus et sacerdotibus· et reliquo populo iudeorum fratribus salutem. 21 legati qui missi sunt ad populum nostrum nunciauerunt nobis de vestra gloria et honore· et leticia: et gauisi sumus in introitu eorum. 22 Et scripsimus que ab eis erant dicta in concilijs populi sic. Numenius antiochi· et antipater iasonis filius legati iudeorum venerunt ad nos: renouantes nobiscum amiciciam pristinam. 23 Et placuit populo excipere viros gloriose: et ponere exemplum sermonum eorum· in segregatis populi libris: vt sit ad memoriam populo spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus simoni magno sacerdoti. 24 Post hoc autem misit simon numenium romam habentem clipeum magnum aureum pondus minarum mille: ad statuendam cum eis societatem. Cum autem audisset populus romanus 25 sermones istos· dixerunt. Quam gratiarum actionem reddemus simoni· et filijs eius? 26 Restituit enim ipse fratres suos: et expugnauit inimicos israhel ab eis. Et statuerunt ei libertatem: et descripserunt in tabulis ereis: et posuerunt in titulis in montem syon. 27 Et hoc est exemplum scripture. Octauadecima die mensis ebul· anno centesimo septuagesimosecundo· anno tercio· sub simone sacerdote magno in assaramel 28 in conuentu magno sacerdotum et populi et principum· et gentis et seniorum regionis· nota facta sunt hec: quoniam frequenter facta sunt prelia in regione nostra. 29 Simon autem matathie filius ex filijs iarib· et fratres eius dederunt se periculo: et restiterunt aduersarijs gentis sue vt starent sancta ipsorum et lex: et gloria magna glorificauerunt gentem suam. 30 Et congregauit ionathas gentem suam: et factus est illis sacerdos magnus: et appositus est ad populum suum. 31 Et voluerunt inimici eorum calcare sancta: et atterere regionem ipsorum: et extendere manus in saucta sanctorum. 32 Tunc restitit simon et pugnauit pro gente sua: et erogauit pecunias multas· et armauit viros virtutis gentis sue· et dedit illis stipendia. 33 Et muniuit ciuitates iudee et bethsuram que erat in finibus iudee· vbi erant arma hostium antea: et posuit illic presidium viros iudeos. 34 Et ioppen muniuit que erat ad mare: et gazaram que est in finibus azoti: in qua hostes antea habitabant. Et collocauit illic iudeos: et quecumque apta erant ad correptionem eorum posuit in eis. 35 Et vidit populus actum simonis et gloriam quam cogitabat facere genti sue· et posuerunt eum ducem suum et principem sacerdotum eo quod ipse fecerit hec omnia: et iusticiam et fidem quam conseruauit genti sue: et exquesiuit omni modo exaltare populum suum. 36 Et in diebus eius prosperatum est in manibus eius· vt tollerentur gentes de regione ipsorum: et que in ciuitate dauid erant in iherusalem in arce de qua procedebant et contaminabant omnia que in circuitu sanctorum sunt: et inferebant plagam magnam castitati. 37 Et collocauit in ea viros iudeos ad tutamentum regionis et ciuitatis: et exaltauit muros in iherusalem. 38 Et rex demetrius statuit illi summum sacerdotium. 39 Secundum hec fecit eum amicum suum: et glorificauit eum gloria magna. 40 Audiuit enim quod appellati sunt iudei a romanis amici et socij et fratres: et quia susceperunt legatos simonis gloriose: 41 et quia iudei et sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum et summum sacerdotem in eternum donec surgat propheta fidelis: 42 et vt sit super eos dux: et vt cura esset illi pro

sanctis· et vt constitueret prepositos super opera eorum et super regionem· et super arma et super presidia· [43] et cura sit illi de sanctis: et vt audiatur ab omnibus· et scribantur in nomine eius omnes circumscriptiones in regione: et vt operiatur purpura et auro: [44] et ne liceat vlli ex populo et ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum· et contradicere hijs que ab eo dicuntur aut conuocare conuentum in regione sine ipso: et vestiri purpura· et vti fibula aurea. [45] Qui autem fecerit contra hec· aut irritum fecerit aliquid horum: reus erit. [46] Et complacuit omni populo statuere simonem: et facere secundum verba ista. [47] Et suscepit simon et placuit ei vt summo sacerdotio fungeretur: et esset dux et princeps gentis iudeorum et sacerdotum: et preesset omnibus. [48] Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis ereis: et ponere eas in peribulo sanctorum in loco celebri. [49] Exemplum autem eorum ponere in erario: vt habeat simon et filij eius.

15 Et misit rex antiochus filius demetrij epistolas ab insulis maris simoni sacerdoti et principi gentis iudeorum et vniuerse genti: [2] et erant continentes hunc modum. Rex antiochus simoni sacerdoti magno: et genti iudeorum salutem. [3] Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum: volo autem vindicare regnum et restituere illud sicut erat antea electum: feci multitudinem exercitus· et feci naues bellicas. [4] Volo autem procedere per regionem vt vlciscar in eos qui corruperunt regionem nostram: et qui desolauerunt ciuitates multas in regno meo. [5] Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes quas remiserunt tibi ante me omnes reges· et quecunque alia dona remiserunt tibi: [6] et permitto tibi facere percussuram proprij nummismatis in regione tua. [7] Iherusalem autem sanctam esse et liberam: et omnia arma que fabricata sunt et presidia que construxisti que tenes· maneant tibi. [8] Et omne debitum regis et que futura sunt regi ex hoc et in totum tempus remittuntur tibi. [9] Cum autem obtinuerimus regnum nostrum· glorificabimus te et gentem tuam· et templum gloria magna: ita vt manifestetur gloria vestra in vniuersa terra. [10] Anno centesimo septuagesimoquarto exijt antiochus in terram patrum suorum: et conuenerunt ad eum omnes exercitus: ita vt pauci relicti essent cum triphone. [11] Et insecutus est eum antiochus rex: et venit doram fugiens per maritimam. [12] Sciebat enim quod congregata sunt mala in eum: et reliquit eum exercitus. [13] Et applicuit antiochus super doram cum centum viginti milibus virorum belligeratorum: et octo milibus equitum. [14] Et circuiuit ciuitatem: et naues a mari accesserunt et vexabant ciuitatem a terra et mari: et neminem sinebant ingredi vel egredi. [15] Venit autem numenius et qui cum eo fuerant ab vrbe roma habentes epistolas regibus et regionibus scriptas: in quibus continebantur hec. [16] Lucius consul romanorum· ptolomeo regi salutem. [17] Legati iudeorum venerunt ad nos amici nostri renouantes pristinam amiciciam et societatem: missi a simone principe sacerdotum et populo iudeorum. [18] Attulerunt autem clipeum aureum minarum mille. [19] Placuit itaque nobis scribere regibus et regionibus vt non inferant illis mala: neque impugnent eos et ciuitates eorum· et regiones eorum: et vt non ferant auxilium pugnantibus aduersus eos. [20] Visum est autem nobis accipere ab eis clipeum. [21] Si qui ergo pestilentes fugerint de regione ipsorum ad vos· tradite eos simoni principi sacerdotum: vt vindicet in eos secundum legem suam. [22] Hec eadem scripta sunt demetrio regi· et attalo et arabe· et arsaci· [23] et in omnes regiones: et samsame· sicione· et spartanis· et delo· et mido· et sicione· et carie· et samum· et panphiliam· et liciam· et alacarnasum· et rodum· et faselida· et choo· et siden et arado· et gortinam· et gnidum· et ciprum· et cirenen. [24] Exemplum autem eorum scripserunt simoni principi sacerdotum: et populo iudeorum. [25] Antiochus autem rex applicuit castra in doram secundo: admouens ei semper manus et machinas faciens: et conclusit triphonem ne procederet. [26] Et misit ad eum simon duo milia virorum electorum in auxilium: et argentum et aurum et vasa copiosa· [27] et noluit ea accipere: sed irrupit omnia que pactus est cum eo antea· et alienauit se ab eo. [28] Et misit ad eum anthenobium vnum de amicis suis: vt tractaret cum ipso dicens. Vos tenetis ioppen et gazaram et arcem que est in ierulim ciuitates regni mei: [29] fines earum desolastis et fecistis plagam magnam in terra: et dominati estis per loca multa in regno meo. [30] Nunc ergo tradite ciuitates quas occupastis: et tributa locorum in quibus dominati estis extra fines iudee. [31] Sinautem date pro illis quingenta talenta argenti: et exterminij quod exterminastis· et tributorum ciuitatum· alia talenta quingenta. Sinautem veniemus: et expugnabimus vos. [32] Et venit anchenobius amicus regis in ierulin· et vidit gloriam simonis et claritatem in auro et argento et apparatum copiosum· et obstupuit: et retulit ei verba regis. [33] Et respondit ei simon: et dixit ei. Neque alienam terram sumpsimus· neque alienam detinemus: sed hereditatem patrum nostrorum· que iniuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est. [34] Nos vero tempus habentes vendicamus hereditatem patrum nostrorum. [35] Nam de ioppe· et gazara· que expostulas: ipsi faciebant in populo plagam magnam· et in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei anchenobius verbum. [36] Reuersus autem cum ira ad regem renunciauit ei verba ista: et gloriam simonis et vniuersa que vidit: et iratus est rex ira magna. [37] Triphon autem fugit naui in ortosaida. [38] Et constituit rex cendebeum ducem maritimum: et exercitum peditum et equitum dedit illi. [39] Et mandauit illi mouere castra contra faciem iudee: et mandauit ei edificare cedronem· et obstruere portas ciuitatis: et debellare populum. Rex autem persequebatur triphonem. [40] Et peruenit cendebeus iamniam· et cepit irritare plebem· et conculcare iudeam· et captiuare populum· et inficere: et edificare cedronem. [41] Et collocauit illic equites et exercitum: vt egressi perambularent viam iudee sicut constituit ei rex.

16 Et Et ascendit iohannes de gazaris: et nunciauit simoni patri suo que fecit cendebeus in populo ipsorum. [2] Et vocauit simon duos filios suos seniores iudam et iohannem: et ait illis. Ego et fratres mei et domus patris mei expugnauimus hostes israhel ab adolescentia vsque in hunc diem: et prosperatum est in manibus nostris liberare israhel aliquotiens. [3] Nunc autem senui: sed estote loco meo et fratris mei: et egressi pugnate pro gente nostra. Auxilium vero de celo vobiscum sit. [4] Et elegit de regione viginti milia virorum belligeratorum et equites: et profecti sunt ad cendebeum· et dormierunt in modin. [5] Et surrexerunt mane: et abierunt in campum. Et ecce exercitus copiosus in obuiam illis peditum et equitum: et fluuius torrens erat inter medium ipsorum. [6] Et admouit castra contra faciem eorum ipse et populus eius: et vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem: et transfretauit primus. Et viderunt eum viri· et transierunt post eum. [7] Et diuisit populum: et equites in medio peditum. Erat autem equitatus aduersariorum copiosus nimis. [8] Et exclamauerunt sacris tubis: et in fugam conuersus est cendebeus et castra eius· et ceciderunt ex eis multi vulnerati: residui autem in municionem fugerunt. [9] Tunc vulneratus est iudas frater iohannis. Iohannes autem insecutus est eos donec venit cedronam quam edificauit: [10] et fugerunt vsque ad turres que erant in agris azoti: et succendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo milia virorum: et reuersus est in iudeam in pace. [11] Et ptolomeus filius abobi constitutus erat dux in campo iericho: et habebat argentum et aurum multum. [12] Erat enim gener· summi sacerdotis. [13] Et exaltatum est cor eius: et volebat obtinere regionem: et cogitabat dolum aduersus simonem et filios eius vt tolleret eos. [14] Simon autem perambulans ciuitates que erant in regione iudee· et sollicitudinem gerens earum descendit in iericho· ipse et mathatias filius eius et iudas: anno centesimo septuagesimoseptimo mense vndecimo. Hic est mensis sabbath. [15] Et suscepit eos filius abobi in munitiunculam que vocatur doch· cum dolo quam edificauit: et fecit eis conuiuium magnum: et abscondit illic viros. [16] Et cum inebriatus esset simon et filij eius· surrexit ptolomeus cum suis· et sumpserunt arma sua: et intrauerunt in conuiuium· et occiderunt eum et duos filios eius: et quosdam pueros eius. [17] Et fecit deceptionem magnam in israhel: et reddidit mala pro bonis. [18] Et scripsit hec prolo et misit regi: vt mitteret ei exercitum in auxilium: et traderet ei regionem et ciuitates eorum et tributa. [19] Et misit alios in gazaram tollere iohannem: et tribunis misit epistolas vt venirent ad se: et daret eis argentum et aurum et dona. [20] Et alios misit occupare iherusalem· et montem templi. [21] Et percurrens quidam nunciauit iohanni in gazara quia pe perijt pater eius et fratres eius: et quia sit te quoque interfici. [22] Vt audiuit autem vehementer expauit: et comprehendit viros qui venerant perdere eum: et occidit eos. Cognouit enim

quia querebant eum perdere. 23 Et cetera sermonum iohannis et bellorum eius· et bonarum virtutum quibus fortiter gessit et edificij murorum quos estruxit et rerum gestarum eius: 24 ecce hec scripta sunt in libro dierum sacerdotij eius: exquo factus est factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

Machabeorum II

Incipit secundus liber machabeorum.

1 Fratribus qui sunt per egiptum iudeis salutem dicunt fratres qui sunt in iherosolimis iudei· et qui in regione iudea: et pacem bonam. 2 Benefaciat vobis deus· et meminerit testamenti sui· quod locutus est ad abraham· et ysaac et iacob seruorum suorum fidelium: 3 et det vobis cor omnibus vt colatis eum: et faciatis eius voluntatem corde magno et anima volenti. 4 Adaproeriat periat cor vestrum in lege sua et in preceptis suis: et faciat pacem. 5 Exaudiat orationes ones vestras· et reconciliet vobis: nec nos deserat in tempore malo. 6 Et nunc hic sumus orantes pro vobis. 7 Regnante demetrio anno centesimo septuagesimonono nos iudei scripsimus vobis intripulatione bulatione et impetu que superuenit nobis in istis annis: exquo recessit iason a sancta terra· et a regno. 8 Portam succenderunt: et effuderunt sanguinem innocentem. Et orauimus ad dominum et exauditi sumus: et obtulimus sacrificium et similaginem: et accendimus lucernas et proposuimus proposuimus panes. 9 Et nunc frequentate dies scenophegie mensis calleu. 10 Anno centesimo octogesimooctauo· populus qui est iherosolimis et in iudea senatusque et iudas: aristobolo magistro ptolomei regis qui est de genere cristorum sacerdotum et hijs qui in egipto sunt iudeis: salutem et sanitatem. 11 De magnis periculis a deo liberati magnifice gratias agimus agimus ipsi: vtpote qui aduersus talem regem dimicauimus. 12 Ipse enim ebullire fecit de perside eos qui pugnauerunt contra nos· et sanctam ciuitatem. 13 Nam cum in perside esset dux ipse et cum ipso immensus exercitus: cecidit in templo nanee: consilio deceptus sacerdotum nanee. 14 Etenim in ea habitaturus venit ad locum antiochus et amici eius: et vt acciperet pecunias multas dotis nomine. 15 Cumque proposuissent eas sacerdotes nanee et ipse cum paucis ingressus est. esset intra ambitum phani: clauserunt templum. 16 Cum autem intrasset antiochus apertoque occulto aditu templi mittentes lapides percusserunt ducem et eos qui cum eo erant: et diuiserunt membratim: et capitibus amputatis foras proiecerunt. 17 Per omnia benedictus deus: qui tradidit impios. 18 Facturi igitur quinta et vicesima die mensis casleu purificationem templi· necessarium duximus significare vobis: vt et vos quoque agatis diem scenophegie· et diem ignis: qui datus est quando neemias edificato templo et altari obtulit sacrificia. 19 Nam cum in persidem ducerentur patres nostri: sacerdotes qui tunc cultores dei erant acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle vbi erat puteus altus et siccus: et in eo contutati sunt eum· ita vt omnibus ignotus esset locus. 20 Cum autem preterissent anni multi· et placuit deo vt mitteretur neemias a rege persidis: nepotes sacerdotum illorum qui absconderant misit ad requirendum ignem: et sicut narrauerunt nobis non inuenerunt ignem sed aquam crassam. 21 Et iussit eos haurire· et afferre sibi: et sacrificia que imposita erant iussit sacerdos neemias aspergi ipsa aqua: et ligna· et que erant super posita. 22 Vtque hoc factum est· et tempus affuit quo sol refulsit qui prius erat in nubilo: accensus est ignis magnus ita vt omnes mirarentur. 23 Orationem autem faciebant omnes sacerdotes dum consummaretur sacrificium ionatha inchoante: ceteris autem respondentibus. 24 Et neemie erat oratio hunc habens modum. Domine deus omnium creator terribilis et fortis iustus et misericors qui solus es bonus rex: 25 solus prestans solus iustus et omnipotens et eternus· qui liberas israhel de omni malo: qui fecisti patres electos et sanctificasti eos: 26 accipe sacrificium pro vniuerso populo tuo israhel· et custodi partem tuam et sanctifica. 27 Congrega dispersionem nostram: libera eos qui seruiunt gentibus· et contemptos et abominatos respice: vt sciant gentes quia tu es deus noster. 28 Afflige opprimentes nos: et contumeliam facientes in superbia. 29 Constitue populum tuum in loco sancto tuo: sicut dixit moyses. 30 Sacerdotes autem psallebant ymnos: vsque quo consumptum esset sacrificium. 31 Cum autem consumptum fuisset sacrificium: ex residua aqua neemias iussit lapides maiores perfundi. 32 Quod vt factum est· ex eis flamma accensa est: sed ex lumine quod refulsit ab altari consumpta est. 33 Vt vero manifestata est res: renunciatum est regi persarum quod in loco in quo ignem absconderant hij qui translati fuerant sacerdotes· aqua apparuit: de qua neemias et qui cum eo erant purificauerunt sacrificia. 34 Considerans autem rex rem et diligenter examinans· fecit ei templum: vt probaret quod factum erat. 35 Et cum probasset: sacerdotibus do donauit multa bona et alia atque alia munera: et accipiens manu sua tribuebat eis. 36 Appellauit autem neemias hunc locum nepthar· quod interpretatur purificacion. Vocatur autem apud plures nephi.

2 Inuenitur autem in descripcionibus ieremie prophete· quod iussit eos ignem accipere qui transmigrabantur vt significatum est: et vt mandauit transmigratis. 2 Et dedit illis legem ne obliuiscerentur precepta domini: et vt non exerrarent mentibus videntes simulacra aurea et argentea· et ornamenta eorum: 3 et alia huiuscemodi dicens hortabatur· ne legem amouerent a corde suo. 4 Erat autem in ipsa scriptura: quomodo tabernaculum et archam iussit propheta diuino responso ad se facto comitari secum· vsque quo exiuit in montem: in quo moyses ascendit et vidit dei hereditatem. 5 Et veniens ibi ieremias inuenit locum spelunce: et tabernaculum et archam et altare incensi intulit illuc: et ostium obstruxit. 6 Et accesserunt quidam simul qui sequebantur vt notarent sibi locum: et non potuerunt inuenire. 7 Vt autem cognouit ieremias: culpans illos dixit· quod ignotus erit locus donec congreget deus congregationem populi: et propicius fiat. 8 Et tunc dominus ostendet hec: et apparebit maiestas domini: et nubes erit sicut et moysi manifestabatur: et sicut cum salomon petijt vt locus sanctificaretur magno deo manifestabat hec. 9 Magnifice etenim sapientiam tractabat: et vt sapientiam habens obtulit sacrificium dedicationis et consummationis templi. 10 Sicut et moyses orabat ad dominum: et descendit ignis de celo et consumpsit olocaustum: 11 et dixit moyses eo quod non sit comestum quod erat pro peccato· et consumptum est. 12 Similiter et salomon octo diebus celebrauit dedicationem. 13 Inferebantur autem in descriptionibus et commentarijs neemie hec eadem: et qualiter construens bibliothecam congregauit de regionibus libros· et prophetarum et dauid: et epistolas regum et de donarijs. 14 Similiter autem et iudas ea que didicerat per bellum quod nobis acciderat congregauit omnia: et sunt apud nos. 15 Si ergo desideratis hec: mittite qui perferant vobis. 16 Acturi itaque purificacionem scripsimus vobis. Bene ergo facietis: si egeritis hos dies. 17 Deus autem qui liberauit populum suum et reddidit hereditatem omnibus· et regnum et sacerdotium et sanctificationem 18 sicud promisit in lege: speramus quod cito nostri miserebitur: et congregabit de sub celo in locum sanctum. 19 Eripuit enim nos de magnis periculis: et locum purgauit. 20 De iuda vero machabeo et de fratribus eius· et de templi magni purificatione· et de are dedicatione: 21 sed et de prelijs que pertinent ad antiochum nobilem· et filium eius eupatorem: 22 et deilluminacionibus que de celo sunt ad eos qui pro iudeis fortiter fecerunt: ita vt vniuersam regionem cum pauci essent vindicarent et barbaram multitudinem fugarent: 23 et famosissimum toto orbe templum recuperarent· et ciuitatem liberarent: vt leges que abolende erant restituerentur· domino cum omni tranquillitate propicio facto illis: 24 itemque ab iasone cyreneo· quinque libris comprehensa temptauimus nos vno

volumine breuiare. [25] Considerantes enim multitudinem librorum et difficultatem volentibus aggredi narraciones historiarum· propter multitudinem rerrum [26] curauimus volentibus quidem legere vt esset animi oblectacio: studiosis vero vt facile possint memorie commendare: omnibus autem legentibus vtilitas conferatur. [27] Et nobis quidem ipsis qui hoc opus breuiandi causa suscepimus non facilem laborem: ymmo vero negocium plenum vigiliarum et sudoris assum psimus. [28] Sicut hij qui preparant conuiuium· et querunt aliorum voluntati parere: propter multorum gratiam libenter laborem sustinemus: [29] veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes: ipsi autem secundum datam formam breuitati studentes. [30] Sicut enim noue domus architecto de vniuersa structura curandum est· ei vero qui pingere curat que apta sunt ad ornatum exquirenda sunt: ita estimandum est et in nobis. [31] Etenim intellectum colligere et ordinare sermonem· et curiosius partes singulas quasque disquirere historie congruit auctori: [32] breuitatem vero dictionis sectari· et executiones rerum vitare breuianti concedendum est. [33] Hinc ergo narracionem incipiemus: de prefacione tantum dixisse sufficiat. Stultum etenim est ante historiam effluere: in ipsa autem historia succingi.

3 Igitur cum sancta ciuitas habitaretur in omni pace: leges autem adhuc optime custodirentur propter onie pontificis dispositionem et pietatem et animos odio habentes mala: [2] fiebat vt et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent· et templum maximis muneribus illustrarent: [3] ita vt seleucus asye rex de redditibus suis prestaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. [4] Simon autem de tribu beniamin prepositus templi constitutus: contendebat obsistente sibi principe sacerdotum iniquum aliquid in ciuitate moliri. [5] Sed cum vincere oniam non posset· venit ad appollonium tharsee filium qui illo tempore erat dux celessyrie et phenicis: [6] et nunciauit ei pecunijs innumerabilibus plenum esse erarium iherosolimis· et communes copias immensas esse que non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile sub potestate regis cadere vniuersa. [7] Cumque retulisset ad regem appollonius de pecunijs que delate erant: ille accitum heliodorum qui erat super negocia eius misit cum mandatis: vt predictam pecuniam transportaret. [8] Statimque heliodorus iter est aggressus: specie quidem quasi per celessyriam et phenicen ciuitates esset peragraturus: re autem vera regis propositum perfecturus. [9] Sed cum venisset iherosolimam· et benigne a summo sacerdote in ciuitate esset exceptus· narrauit de dato indicio pecuniarum: et cuius rei gratia adesset aperuit. Interrogabat autem si vere hec ita essent. [10] Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hec et victualia viduarum et pupillorum: [11] quedam vero esse hircani thobie viri valde eminentis· in hijs qui detulerat impius simon: vniuersa autem argenti talenta esse quadringenta· et auri ducenta: [12] decipi vero eos qui credidissent loco et templo quod per vniuersum mundum honoratur· pro sui veneracione et sanctitate· omnino impossibile esse. [13] At ille pro hijs que habebat in mandatis a rege: dicebat omni genere regi ea esse deferenda. [14] Constituta autem die intrabat de hijs heliodorus ordinaturus. Non modica vero per vniuersam ciuitatem erat trepidatio. [15] Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt se: et inuocabant de celo eum qui de depositis legem posuit: vt hijs qui deposuerant ea salua custodiret. [16] Iam vero qui videret summi sacerdotis vultum: mente vul vulnerabatur. Facies enim et color immutatus· declarabat internum animi dolorem. [17] Circumfusa enim erat mesticia quedam viro· et horror corporis: per quem manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebatur. [18] Alij eciam gregatim de domibus confluebant publica supplicacione obsecrantes: pro eo quod incon temptum locus esset venturus. [19] Accincteque mulieres cilicijs pectus per plateas confluebant: sed et virgines que concluse erant procurrebant ad oniam: alie autem ad muros: quedam vero per fenestras aspiciebant: [20] vniuerse autem protendentes manus in celum· deprecabantur. [21] Erat enim misera commixte multitudinis et magni sacerdotis in agone constituti expectatio. [22] Et hij quidem inuocabant omnipotentem deum: vt credita sibi hijs qui crediderant cum omni integritate conseruarentur. [23] Heliodorus autem quod decreuerat perficiebat· eodem loco ipse cum satellitibus circa erarium presens: [24] sed spiritus omnipotentis dei magnam fecit sue ostensionis euidentiam: ita vt omnes qui ausi fuerant parere ei· ruentes dei virtute· in dissolutionem et formidinem conuerterentur. [25] Apparuit enim illis quidam equus· terribilem habens sessorem· optimis operimentis adornatus: isque cum impetu heliodoro priores calces elisit. Qui autem ei sedebat videbatur arma habere aurea. [26] Alij eciam apparuerunt duo iuuenes virtute decori· optimi gloria· speciosique amictu: qui circunsteterunt eum et ex vtraque parte flagellabant: sine intermissione multis plagis verberantes. [27] Subito autem heliodorus concidit in terram: eumque multa caligine circumfusum rapuerunt: atque in sella gestatoria positum eiecerunt. [28] Et is qui cum multis cursoribus et satellitibus predictum ingressus est erarium· portabatur nullo sibi auxilium ferente: manifesta dei cognita virtute. [29] Et ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus: atque omni spe et salute priuatus. [30] Hij autem dominum benedicebant· quia magnificabat locum suum: et templum quod pauloante timore ac tumultu erat plenum: apparente omnipotente domino gaudio et leticia impletum est. [31] Tunc vero ex amicis heliodori quidam rogabant confestim oniam vt inuocaret altissimum: vt vitam donaret ei qui in supremo spiritu erat constitutus. [32] Considerans autem summus sacerdos ne forte rex suspicaretur maliciam aliquam ex iudeis circa heliodorum consummatam: obtulit pro salute viri hostiam salutarem. [33] Cunque summus sacerdos exoraret: ijdem iuuenes eisdem vestibus amicti astantes heliodoro dixerunt. Onie sacerdoti gratias age. Nam propter eum tibi dominus vitam donauit. [34] Tu autem a deo flagellatus: nuncia omnibus magnalia dei et potestatem. Et hijs dictis non comparuerunt. [35] Heliodorus autem hostia deo oblata· et votis magnis promissis ei· qui viuere illi concessit: et onie gratias agens: recepto exercitu repedabat ad regem. [36] Testabatur autem omnibus ea que sub oculis suis viderat opera magni dei. [37] Cum autem rex interrogasset heliodorum quis esset aptus adhuc semel iherosolimam mitti ait. [38] Si quem habes hostem aut regni tui insidiatorem mitte illuc: et flagellatum eum recipies· si tamen euaserit: eo quod in loco sit vere dei quedam virtus. [39] Nam ipse qui habet in celis habitacionem visitator et adiutor est loci illius: et venientes ad malefaciendum percutit ac perdit. [40] Igitur de heliodoro et erarij custodia ita se res habet.

4 Simon autem predictus pecuniarum et patrie delator male loquebatur de onia: tanquam ipse heliodorum instigasset ad hec· et ipse fuisset incentor malorum: [2] prouisoremque ciuitatis ac defensorem gentis sue· et emulatorem legis dei· audebat insidiatorem regni dicere. [3] Sed cum inimicicie intantum procederent vt eciam per quosdam simonis necessarios homicidia fierent: [4] considerans onias periculum contencionis· et appollonium insanire· vtpote ducem celessyrie· et phenicis ad augendam maliciam simonis: ad regem se contulit· [5] non vt ciuium accusator· sed communem vtilitatem aput semetipsum vniuerse multitudinis considerans. [6] Videbat enim sine regali prouidentia impossibile esse pacem rebus dari: nec simonem posse cessare a stulticia sua. [7] Sed post seleuci vite excessum cum suscepisset regnum antiochus qui nobilis appellabatur· ambiebat iason frater onie summum sacerdotium: [8] adito rege· promittens ei argenti talenta trecentaseraginta: centa sexaginta: et ex redditibus alijs talenta octoginta. [9] Super hoc promittebat et alia centumquinquaginta: si potestati eius concederetur gimnasium et ephebiam sibi constituere: et eos qui in iherosolimis erant antiochenos scribere. [10] Quod cum rex annuisset et obtinuisset principatum· statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cepit: [11] et amotis hijs que humanitatis causa iudeis a regibus fuerant constituta· per iohannem patrem eupolemi· qui aput romanos de amicicia et societate functus est legatione legittima: ciuium iura destituens praua instituta sanctiebat. [12] Et enim ausus est sub ipsa arce gimnasium constituere: et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. [13] Erat autem hoc non inicium sed incrementum quoddam· et profectus gentilis et alienigene conuersacionis· propter impij et non sacerdotis iasonis nepharium et innauditum scelus: [14] ita vt sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent: sed contempto templo et sacrificijs neglectis festinarent participes fieri palestre· et prebitionis eius iniuste· et in exercitijs disci: [15] et patrios quidem honores nichil habentes: grecas glorias

optimas arbitrabantur. [16] Quarum gratia periculosa eos contencio habebat: et eorum instituta emulabantur: ac per omnia hijs consises esse cupiebant· quos hostes et premptores habuerant. [17] In leges enim diuinas impie agere impune non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit. [18] Cum autem quinquennalis agon· tyro celebraretur· et rex presens esset: [19] misit iason facinorosus ab iherosolimis viros peccatores portantes argenti didragmas trecentas in sacrificium herculis: quas postulauerunt hij qui apportauerant ne in sacrificijs erogarentur quia non oporteret: sed in alios sumptus eas deputari. [20] Sed hec oblata sunt quidem ab eo qui miserat in sacrificium herculis: propter presentes autem date sunt in fabricam nauium triremium. [21] Misso autem in egiptum appollonio nesthei filio propter primatus pto phylometoris regis· cum cognouisset antiochus alienum se a negocijs regni effectum: proprijs vtilitatibus consulens· profectus inde venit ioppen: et inde iherosolimam. [22] Et magnifice a iasone et ciuitate susceptus· cum facularum luminibus et laudibus ingressus est: et inde in phenicen exercitum conuertit. [23] Et post triennij tempus misit iason menelaum supradicti simonis fratrem portantem pecunias regi: et de negotijs necessarijs responsa per laturum [24] At ille commendatus regi cum magnificasset faciem potestatis eius· in semetipsum retorsit summum sacerdotium: supponens iasoni talenta argenti trecenta. [25] Acceptis que a rege mandatis venit· nichil quidem habens dignum sacerdotio: animos vero crudelis tyranni: et fere belue iram gerens. [26] Et iason quidem qui proprium fratrem captiuauerat: ipse deceptus profugus in ammanitem expulsus est regionem. [27] Menelaus autem principatum quidem obtinuit: de pecunijs vero regi promissis nichil agebat: cum exactionem faceret sostratus qui arce erat prepositus. [28] Nam ad hunc exactio vectigalium pertinebat: quamobcausam vtrique ad regem sunt euocati. [29] Et menelaus motus est a sacerdotio succedente lysimacho fratre suo: sostratus autem prelatus est ciprijs. [30] Et cum hec agerentur contigit tharsenses et mallotas seditionem mouere: eo quod antiochi regis concubine dono essent date. [31] Festinanter itaque rex venit sedare illos: relicto suffecto vno ex comitibus suis andronico. [32] Ratus autem menelaus accepisse se tempus oportunum· aurea quedam vasa e templo furatus donauit andronico: et alia vendiderat tyro et per vicinas ciuitates. [33] Quod cum certissime cognouisset onias· arguebat eum: ipse in loco tuto se continens antiochie secus daphnen. [34] Vnde menelaus accedens ad andronicum· rogabat vt oniam interficeret. Qui cum venisset ad oniam· et datis dextris cum iureiurando quamuis esset ei suspectus suasisset de asilo procedere: statim eum peremit non veritus iusticiam. [35] Ob quam causam non solum iudei· sed eciam alie quoque nationes indignabantur: et moleste ferebant de tanti viri iniusta. [36] Sed regressum regem de cilicie locis adierunt iudei apud antiochiam· simul greci: conquerentes de iniqua onie. [37] Contristatus itaque antiochus animo propter oniam: et flexus ad misericordiam lacrimas fudit: recordatus defuncti sobrietatem et modestiam. [38] Accensisque In animis andronicum purpura exutum per totam ciuitatem iubet circunduci: et in eodem loco in quo in oniam [39] In nationes indignabant: et moleste fenationes impietatem commiserat· sacrilegum vita priuari: domino illi condignam retribuente penam. Multis autem sacrilegijs in templo a lysimacho commissis menelai lysimacho commissis consilio et diuulgata fama congregata est multitudo aduersum lysimachum: multo iam auro exportato. [40] Turbis autem insurgentibus animis repletis: lysimachus armatis fere tribus milibus· iniquis manibus vti cepit: duce quodam tyranno etate pariter et demencia prouecto. [41] Sed vt intellexerunt conatum lysimachi· alij lapides· alij fustes validos arripuere: quidam vero cinerem in lysimachum iecere. [42] Et multi et quidam vulnerati: quidam autem et prostrati: omnes vero in fugam conuersi sunt. Ipsum etiam sacrilegum secus erarium interfecerunt. [43] hijs ergo cepit iudicium aduersus menelaum agitari. [44] Et cum rex tyrum: ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri a senioribus. [45] cum menelaus· promisit multas pecunias dare ad suadendum regi. [46] Itaque in quodam atrio quasi refrigerandi gratia regem adijt· et deduxit sententia: [47] et menelaum quidem vniuerse malicie reum criminibus absoluit: ros autem quos etiam iherosolimorum si apud scitas causam dixissent innocentes iudicarentur· hos morte damnauit. [48] Cito ergo iniustam penam dederunt: qui pro ciuitate et populo et sacris vasis causam prosecuti sunt. [49] Quamobrem tyrij quoque indignati: erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt. [50] Menelaus propter eorum qui in potentia erant auariciam permanebat in potestate: crescens malicia ad insidias ciuium.

5 tempore antiochus secundam profectionem parauit in egiptum. [2] Contigit autem per vniuersam iherosolimorum ciuitatem· videri diebus quadraginta aera equites discurrentes aureas stolas habentes et hastas· quasi cohortes armatas: [3] et cursus equorum ordines digestos· et congressiones fieri cominus et scutorum motus et galeatorum multitudinem gladijs districtis: et telorum iactus· et aureorum armorum splendorem· omnisque generis loricarum. [4] Quapropter omnes rogabant in bonum monstra conuerti. [5] Sed cum falsus rumor exisset· tanquam vita excessisset antiochus: assumptis iason non minus mille viris· aggressus est ciuitatem repente: et ciuibus ad murum conuolantibus ad vltimum apprehensa ciuitate menelaus fugit in arcem. [6] Iason vero non parcebat in cede ciuibus suis: nec cogitabat prosperitatem aduersum cognatos malum esse maximum: arbitrans ostium et non ciuium se trophea capturum. [7] Et principatum quidem non obtinuit: finem vero insidiarum suarum confusionem accepit: et profugus iterum abijt in [8] Ad vltimum in exitium sui conclusus ab aretha arabum tyranno· fugiens de ciuitate in ciuitatem omnibus odiosus· vt refuga legum et execrabilis· vt patrie et ciuium hostis· in egiptum extrusus est: [9] et qui multos de patria sua expulerat· peregre perijt lacedemonas profectus· quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: [10] et qui insepultos multos abiecerat· ipse et illamentatus et insepultus abicitur: sepultura neque peregrina vsus: neque patrio sepulcro participans. [11] Hijs itaque gestis suspicatus est rex societatem deserturos iudeos: et ob hoc profectus ex egipto efferatis animis· ciuitatem quidem armis cepit. [12] Iussit autem militibus interficere· nec parcere occursantibus: et per domos ascendentes trucidare. [13] Fiebant ergo cedes iuuenum· ac seniorum: mulierum et natorum exterminia: virginumque et paruulorum neces. [14] Erant autem toto triduo· octoginta milia interfecti: quadraginta milia vincti: non minus autem venundati. [15] Sed nec ista sufficiunt. Ausus est etiam intrare templum vniuersa terra sanctius menelao ductore: qui legum et patrie fuit proditor. [16] Et scelestis manibus sumens sancta vasa que ab alijs regibus et ciuitatibus erant posita ad ornatum loci et gloriam: contrectabat indigne et contaminabat. [17] Ita alienatus mente antiochus non considerabat quod propter peccata habitantium ciuitatem modicum deus fuerat iratus: propter quod et accidit circa locum despectio. [18] Alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse inuolutos: sicut heliodorus qui missus est a seleuco rege ad expoliandum erarium: etiam hic statim aduenies flagellatus et repulsus vtique fuisset ab audacia. [19] Verum non propter locum gentem: sed propter gentem locum deus elegit. [20] Ideoque et ipse locus particeps factus est populi malorum: postea autem fiet socius bonorum: et qui derelictus in ira dei omnipotentis est· iterum in magni domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur. [21] Igitur antiochus mille octingentis ablatis de templo talentis velociter antiochiam regressus est: existimans se pre superbia terram ad nauigandum: pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. [22] Reliquit autem et prepositos ad affligendam gentem: iherosolimis quidem philippum genere frigem· moribus crudeliorem eoipso a quo constitutus est: [23] in garizim autem andronicum et menelaum qui grauius quam ceteri imminebant ciuibus. [24] Cunque appositus esset contra iudeos misit odiosum principem appollonium cum exercitu viginti et duobus milibus: precipiens ei omnes perfecte etatis interficere: mulieres ac iuuenes vendere. [25] Qui cum venisset iherosolimam pacem simulans quieuit vsque ad diem sanctum sabbati: et tunc feriatis iudeis arma capere suis precepit. [26] Omnesque simul qui ad spectaculum processerant trucidauit: et ciuitatem cum armatis discurrens ingentem multitudinem peremit. [27] Iudas autem machabeus qui decimus fuerat secesserat in desertum locum: ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: et feni cibo vescentes demorabantur ne participes essent coinquinacionis.

6 Sed Sed non post multum tempus misit rex senem quemdam antiocenum qui compelleret iudeos vt se transferrent a patrijs et dei legibus: [2] contaminare etiam quod in iherosolimis erat templum· et cognominaret iouis olimpij: et in garizim prout erant hij qui locum inhabitabant iouis hospitalis. [3] Pessima autem et vniuersis grauis erat malorum incursio. [4] Nam templum luxuria et commessationibus erat plenum· et scortantium cum meritricibus: sacratisque edibus mulieres se vltro ingerebant: introferentes ea que non licebat. [5] Altare etiam plenum erat illicitis: que legibus prohibebantur. [6] Neque autem sabbata custodiebantur: neque dies solemnes patrij seruabantur: nec simpliciter se quisquam iudeum confitebatur. [7] Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia: et cum liberi sacra celebrarentur: cogebantur edera coronati libero circuire. [8] Decretum autem exiuit in proximas ciuitates gentilium suggerentibus ptolomeis: vt pari modo et ipsi aduersus iudeos agerent vt sacrificarent: [9] eos autem qui nollent transire ad instituta gentilium interficerent. Erat ergo videre miseriam. [10] Due enim mulieres delate sunt natos suos circumcidisse: quarum ad vbera infantibus suspensis cum publice per ciuitatem circunduxissent: per muros precipitauerunt. [11] Alij vero ad proximas coeuntes speluncas· et latenter sabbati diem celebrantes· cum indicati essent philippo flammis succensi sunt: eo quod verebantur propter religionem et obseruantiam· manu sibimet auxilium ferre. [12] Obsecro autem eos qui hunc librum lecturi sunt· ne abhorrescant propter aduersos casus: sed reputent ea que acciderunt non ad interitum: sed ad correctionem esse generis nostri. [13] Et enim multo tempore non sinere peccatoribus ex sentencia agere: sed statim vltiones adhibere· magni beneficij est indicium. [14] Non enim sicut in alijs nacionibus dominus patienter expectat vt eas cum iudicij dies aduenerit in plenitudine peccatorum puniat: [15] ita et in nobis statuit vt peccatis nostris in finem deuolutis ita demum in nos vindicet: [16] propter quod nunquam quidem a nobis misericordiam suam amouet: corripiens vero in aduersis populum suum non derelinquit. [17] Sed hec nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis: iam autem veniendum est ad narrationem. [18] Igitur eleazarus vnus de primoribus scribarum vir etate prouectus· et vultu decorus· aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare: [19] at ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens: voluntarie preibat ad supplicium. [20] Intuens autem quomodo oporteret accedere: patienter sustinens destinauit non admittere illicita: propter vite amorem. [21] Hij autem qui astabant iniqua miseracione commoti propter antiquam viri amiciciam· tollentes eum secreto rogabant afferri carnes quibus vesci ei licebat: vt simularetur manducasse sicut rex imperauerat de sacrificij carnibus: [22] vt hoc facto a morte liberaretur: et propter veterem viri amiciciam hanc in eo facerent humanitatem. [23] At ille cogitare cepit etatis ac senectutis sue eminentiam dignam· et ingenite nobilitatis caniciem· atque a puero optime conuersationis actus: et secundum sancte et a deo condite legis constituta respondit cito dicens: premitti se velle in infernum. [24] Non enim etatem nostram dignum est inquit fingere· vt multi adolescentes arbitrantes eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: [25] et ipsi propter meam simulationem et propter modicum corruptibilis vite tempus decipiantur: et per hoc maculam atque execrationem mee senectuti conquiram. [26] Nam et si in presenti tempore supplicijs hominum eripiar: sed mauum omnipotentis nec viuus nec defunctus effugiam. [27] Quamobrem fortiter vitam excedendo· senectute quidem dignus apparebo: [28] adolescentibus autem exemplum forte relinquam: si prompto animo ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. Hijs dictis: confestim IH III deie pulisiiu dere contra fas carnes ad supplicium trahebatur. [29] Hij autem qui eum ducebant et pauloante fuerant mitiores in iram conuersi sunt propter sermones ab eo dictos: quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. [30] Sed cum plagis perimeretur: ingemuit et dixit. Domine qui habes sanctam scientiam· manifeste tu scis: quia cum a morte possem liberari duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hec patior. [31] Et iste quidem hoc modo vita decessit: non solum iuuenibus· sed et memoriam vniuerse genti memoriam mortis sue ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens.

7 Contigit Contigit autem septem fratres vna cum matre apprehensos compelli a rege edere contra fas carnes porcinas: flagris et taureis cruciatos. [2] Vnus autem ex illis qui erat primus sic ait. Quid queris: et quid vis discere a nobis Parati sumus mori magis: quam patrias dei leges preuaricari. [3] Iratus itaque rex iussit sartagines· et ollas eneas succendi: quibus statim succensis· [4] iussit ei qui prior fuerat locutus· amputari linguam: et cute capitis abstracta summas quoque manus et pedes ei prescidi: ceteris eius fratribus et matre inspicientibus. [5] Et cum iam per omnia inutilis factus esset· iussit ignem admoueri: et adhuc suspirantem torreri in sartagine· in qua cum diu cruciaretur: ceteri vna cum matre inuicem se hortabantur mori fortiter [6] dicentes. Dominus deus aspiciet veritatem· et consolabitur in nobis: quemadmodum in protestatione cantici declarauit moyses: et in seruis suis consolabitur. [7] Mortuo itaque illo primo hoc modo sequentem deducebant ad illudendum: et cute capitis eius cum capillis abstracta· interrogabant si manducaret priusquam toto corpore per membra singula puniretur. [8] At ille respondens patria voce dixit. Non faciam. Propter quod et iste sequenti loco primi tormenta suscepit: [9] et in vltimo spiritu constitutus sic ait. Tu quidem scelestissime in presenti vita nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus eterne vite resurrectione suscitabit. [10] Post hunc tercius illuditur: et linguam postulatus cito protulit· et manus constanter extendit: [11] et cum fiducia ait. Ecelo ista possideo: sed propter dei leges nunc hec ipsa despicio: quoniam ab ipso me ea recepturum spero. [12] Ita vt rex et qui cum ipso erant mirarentur adolescentis animum: et tamquam nichil duceret cruciatus. [13] Et hoc itaque defuncto: quartum vexabant sicut similiter torquentes. [14] Et cum iam esset ad mortem sic ait. Pocius est ab hominibus morti datos spem exspectare a deo· iterum ab ipso resuscitandos. Tibi enim resurrectio ad vitam non erit. [15] Et cum admouissent quintum vexabant eum: at ille respiciens in eum [16] dixit. Potestatem inter homines habens cum sis corruptibilis facis quod vis. Noli autem putare genus nostrum a deo esse derelictum. [17] Tu autem patienter sustine: et videbis magnam potestatem ipsius qualiter te et semen tuum torquebit. [18] Post hunc ducebant sextum: et is mori incipiens sic ait. Noli frustra errare. Nos enim propter nosmetipsos hoc patimur peccantes in deum nostrum: et digna ammiratione facta sunt in nobis. [19] Tu autem ne existimes tibi impune futurum: quod contra deum pugnare temptaueris. [20] Supra modum autem mater mirabilis et bonorum memoria digna· que pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens· bono animo ferebat pro spem quam in deum habebat: [21] singulos illorum hortabatur voce patria fortiter repleta sapientia: et feminee cogitacioni masculinum animum inserens [22] dixit ad eos. Nescio qualiter in vtero meo apparuistis. Neque enim ego spiritum et animam donaui vobis et vitam: et singulorum membra non ego ipsa conxgi. [23] Sedenim mundi creator qui formauit hominis natiuitatem· quique omnium inuenit originem: et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam: sicut nunc vosmetipsos dispicitis propter leges eius. [24] Antiochus autem contemni se arbitratus· simul et exprobrantis voce despecta: cum adhuc adolescentior superesset· non solum verbis hortabatur sed et cum iuramento affirmabat diuitem se et beatum facturum: et translatum a patrijs legibus amicum habiturum· et res necessarias ei prebiturum. [25] Sed ad hec cum adolescens nequaquam inclinaretur: vocauit rex matrem et suadebat ei vt adolescenti fieret in salutem. [26] Cum autem multis eam verbis esset hortatus: promisit suasuram se filio suo. [27] Itaque inclinata ad illum irridens crudelem tyrannum: ait patria voce. Fili mi miserere mei que te in vtero nouem mensibus portaui: et lac triennio dedi et alui: et in etatem istam perduxi. [28] Peto nate vt aspicias ad celum et terram· et ad omnia que in eis sunt: et intelligas quia ex nichilo fecit illa deus et hominum genus: [29] ita fiet vt non timeas carnificem istum· sed dignus fratribus tuis effectus particeps suscipe mortem: vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. [30] Cum hec illa adhuc diceret: ait adolescens. Quem sustinetis? Non obedio precepto regis: sed precepto legis que data est nobis per moysen. [31] Tu vero qui

inuentor omnis malicie factus es in hebreos· non effugies manum dei. [32] Nos enim pro peccatis nostris hec patimur. [33] Et si nobis propter increpationem et correptionem dominus deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur seruis suis. [34] Tu autem o sceleste et omnium hominum flagitiosissime noli frustra extolli vanis spebus: in seruos eius inflammatus. [35] Nondum enim omnipotentis dei et omnia inspicientis iudicium effugisti. [36] Nam fratres mei modico nunc dolore sustentato sub testamento eterne vite effecti sunt: tu vero iudicio dei iustas superbie tue penas exsolues. [37] Ego autem sicut et fratres mei animam et corpus meum trado pro patrijs legibus inuocans deum maturius genti nostre propicium fieri: teque cum tormentis et verberibus confiteri quod ipse est deus solus. [38] In me vero et in fratrimeis desinet omnipotentis ira: super omne genus nostrum iuste superducta est. [39] Tunc rex accensus ira· in hunc super omnes crudelius deseuit: indigne ferens se derisum. [40] Et hic itaque mundus obijt: per omnia in domino confidens. [41] Nouissime autem post filios et mater consumpta est. [42] Igitur de sacrificijs et de nimijs crudelitatibus satis dictum est.

8 Iudas vero machabeus· et qui cum illo erant iutroibant latenter in castella: et conuocantes cognatos et amicos· et eos qui permanserant in iudaismo assumentes· eduxerunt ad se sex milia viros. [2] Et inuocabant dominum vt respiceret in populum qui ab omnibus calcabatur· et misereretur templo quod contaminabatur ab impijs. [3] Misereretur etiam exterminio ciuitatis que esset illico complananda et vocem sanguinis ad se clamantis audiret: [4] memoraretur quoque iniquissimas mortes paruulorum innocentium· et blasphemias nomini suo illatas: et indignaretur super hijs. [5] At machabeus congregata multitudine intollerabilis gentibus efficiebatur. Ira enim domini in misericordiam conuersa est. [6] Et superueniens castellis et ciuitatibus improuisus succendebat eas: et oportuna loca occupans· non paucas hostium strages dabat. [7] Maxime autem noctibus ad huiuscemodi excursus ferebatur: et fama virtutis eius vbique diffundebatur. [8] Videns autem philippus paulatim virum ad profectum venire· ac frequentius res ei cedere prospere ad ptolomeum ducem celessyrie et phenicis scripsit: vt auxilium ferret regis negocijs. [9] At ille velociter misit nichanorem patrocli de primoribus amicum: datis ei de permixtis gentibus· armatis non minus viginti milibus vt vniuersum iudeorum genus deleret: adiuncto ei· et gorgia viro militari· et in bellicis rebus experientissimo. [10] Constituit autem nichanor regi vt tributum quod romanis erat dandum duo milia talentorum de captiuitate iudeorum suppleret. [11] Statim que ad maritimas ciuitates misit conuocans ad coemptionem iudaicorum mancipiorum: promittens se nonaginta mancipia talento distracturum: non respiciens ad vindictam que eum ab omnipotente esset consecutura. [12] Iudas autem vbi conperit: indicauit hijs qui secum erant iudeis nichanoris aduentum. [13] Ex quibus quidam formidantes· et non credentes dei iusticie in fugam vertebantur: [14] alij vero si qui de hijs supererant veniebant: simulque dominum deprecabantur vt eriperet eos de impio nichanore qui eos priusquam in cominus veniret vendiderat. [15] Et si non propter eos: propter testamentum quod erat ad patres eorum: et propter inuocationem sancti et magnifici nominis eius super ipsos. [16] Conuocatis autem machabeus septem milibus qui cum ipso erant· rogabat ne hostibus reconciliarentur: neque metuerent inique venientium aduersum se hostium multitudinem: sed fortiter contenderent [17] ante oculos habentes contumeliam que loco sancto ab hijs iniuste esset illata: itemque et ludibrio habite ciuitatis iniuriam: adhuc etiam veterum instituta conuulsa. [18] Nam illi quidem armis confidunt· ait simul et audacia: nos autem in omnipotente domino qui potest et venientes aduersum nos et vniuersum mundum vno nutu delere confidimus. [19] Ammonuit autem eos et de auxilijs dei que facta sunt erga parentes: et quod sub sennacherib centumoctogintaquinque milia perierunt: [20] et de templo quod eis aduersus galathas fuit in babilonia: vt omnes vbi ad rem ventum est macedonibus socijs hesitantibus. ipsi sex milia soli peremerunt centumuiginti milia propter auxilium illis datum de celo: et beneficia pro hijs plurima consecuti sunt. [21] Hijs verbis constantes effecti sunt: et pro legibus et patria mori parati. [22] Constituit itaque fratres suos duces vtrique ordini· simonem et iosephum et ionathan subiectis vnicuique millenis et quingentenis: [23] ad hoc etiam ab ezra lecto illis sancto libro et dato signo adiutorij dei: in prima acie ipse dux commisit cum nichanore. [24] Et facto sibi adiutore omnipotente· interfecerunt super nouem milia hominum: maiorem autem partem exercitus nichanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt. [25] Pecunijs vero eorum qui ad emptionem ipsorum venerant sublatis· ipsos vsquequaque persecuti sunt: [26] sed reuersi sunt hora conclusi. si. Nam erat ante sabbatum: quamobcausam non perseuerauerunt insequentes. [27] Arma autem ipsorum et spolia congregantes sabbatum agebant benedicentes dominum: qui liberauit eos in isto die· misericordie inicium stillans in eos. [28] Post sabbatum vero debilibus et orphanis et viduis diuiserunt spolia: et residua ipsi cum suis habuere. [29] Hijs itaque gestis et communiter ab omnibus facta obsecratione: misericordem dominum postulabant vt in finem seruis suis reconciliaretur. [30] Et ex hijs qui cum timotheo et bachide erant contra se contendentes super vigintimilia interfecerunt: et munitiones excelsas obtinuerunt· et plures predas diuiserunt: equam portionem debilibus pupillis et viduis· sed et senioribus facientes. [31] Et cum arma eorum diligenter collegissent: omnia composuerunt in locis oportunis. Residua vero spolia iherosolimam detulerunt: [32] et philarcen qui cum timotheo erat interfecerunt virum scelestum: qui in multis iudeos afflixerat. [33] Et cum epicinia agerent in iherosolimis eos qui sacras ianuas incenderunt: id est calisthenen cum in quoddam domicilium refugisset incenderunt: digna ei mercede pro impietatibus suis reddita. [34] Facinorosissimus autem nichanor qui mille negociantes ad iudeorum venditionem adduxerat [35] humiliatus auxilio domini ab hijs quos nullos existimauerat: deposita veste glorie per mediterraneam fugiens solus venit antiochiam: summam infelicitatem de interitu sui exercitus consecutus. [36] Et qui promiserat romanis se tributum restituere de captiuitate iherosolimorum: predicabat nunc protectorem deum habere iudeos· et ob ipsum inuulnerabiles esse: eo quod sequerentur leges ab ipso constitutas.

9 Eodem tempore antiochus inhoneste reuertebatur de pside. [2] Intrauerat enim in eam que dicitur persipolis et temptauit expoliare templum et ciuitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente in fugam versi sunt: et ita contigit vt antiochus post fugam turpiter rediret. [3] Et cum venisset circa egtathanan: recognouit que erga nichanorem et timotheum gesta sunt. [4] Elatus autem in ira· arbitrabatur se iniuriam illorum qui se fugauerant posse in iudeos retorquere: ideoque iussit agitari currum suum sine intermissione agens iter· celesti eum iudicio purgente: eo quod ita superbe locutus est se venturum iherosolimam· et congeriem sepulcri iudeorum eam facturum. [5] Sed qui vniuersa conspicit dominus deus israhel: percussit eum insanabili et inuisibili plaga. Vt enim finiuit hunc ipsum sermonem: apprehendit eum dolor dirus viscerum et amara internorum tormenta. [6] Et Etquidem satis iuste: quippe qui multis et nouis cruciatibus aliorum torserat viscera: licet ille nullo modo a sua malicia cessaret. [7] Super hoc autem superbia repletus ignem spirans animo in iudeos· et precipiens accelerari negocium· contigit illum impetu euntem de curru cadere: et graui corporis collisione membra vexari. [8] Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare supra humanum modum superbia repletus· et montium altitudines in statera appendere: nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur· manifestam dei virtutem in semetipso contestans: [9] ita vt de corpore impij vermes scaturirent: ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent: odore etiam illius et fetore exercitus grauaretur. [10] Et qui paulo ante sydera celi contingere se arbitrabatur: eum nemo poterat propter intolerantiam fetoris portare. [11] Hinc igitur cepit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire diuina ammonitus plaga: per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. [12] Et cum nec ipse iam fetorem suum ferre posset: ita ait. Iustum est subditum esse deo: et mortalem non paria deo sentire. [13] Orabat autem hic scelestus dominum a quo non esset misericordiam consecuturus: [14] et ciuitatem ad quam festinans veniebat· vt eam ad solum deduceret ac sepulcrum congestorum faceret· nunc optat liberam reddere: [15] et iudeos quos nec sepultura quidem se dignos habiturum· sed auibus ac feris diripiendos traditurum· et cum paruulis exterminaturum

dixerat equales nunc atheniensibus facturum pollicetur: [16] templum etiam sanctum quod prius exspoliauerat· optimis donis ornaturum: et sancta vasa multiplicaturum· et pertinentes ad sacrificia sumptus· de redditibus suis prestaturum: [17] super hec et iudeum se futurum: et omnem locum terre perambulaturum· et predicaturum dei potestatem. [18] Sed non cessantibus doloribus: superuenerat enim in eum iustum dei iudicium: desperans scripsit ad iudeos in hunc modum deprecationis epistolam hec continentem. [19] Optimis ciuibus iudeis: plurimam salutem et bene valere· et esse felices: rex et princeps antiochus. [20] Si bene valetis et filij vestri et ex sentencia vobis cuncta sunt: maximas agimus gratias. [21] Et ego in infirmitate constitutus· vestri autem memor benigne reuersus de persidis locis et infirmitate graui apprehensus necessarium duxi pro communi vtilitate curam habere: [22] non desperans memetipsum: sed spem multam habens effugiendi infirmitatem. [23] Respiciens autem quod et pater meus quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum ostendit qui post se susciperet principatum· [24] vt si quid contrarium accideret aut difficile nunciaretur· scientes hij qui in regionibus erant cui esset rerum summa derelicta non turbarentur: [25] ad hec considerans de proximo potentes quosque et vicinos· temporibus insidiantes et euentum expectantes· designaui filium meum antiochum regem quem sepe recurrens in superiora regna multis vestrum commendabam: et scripsi ad eum que subiecta sunt. [26] Oro itaque vos et peto memores beneficiorum publice et priuatim: vt vnusquisque conseruet fidem ad me et ad filium meum. [27] Confido enim eum modeste et humane acturum et sequentem propositum meum: et communem vobis fore. [28] Igitur homicida et blasphemus pessime percussus: et vt ipse alios tractauerat· peregre in montibus miserabili obitu vita functus est. [29] Transferebat autem corpus philippus collactaneus eius: qui metuens filium antiochi ad ptolomeum philomethora in egiptum abijt.

10 Machabeus autem et qui cum eo erant domino se protegente templum quidem et ciuitatem recepit: [2] aras autem quas alienigene per plateas struxerant: iteque delubra demolitus est. [3] Et purgato templo aliud altare fecerunt: et de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium: et incensum et lucernas· et panes propositionis posuerunt. [4] Quibus gestis rogabant dominum prostrati in terram: ne amplius talibus malis inciderent. Sed et si quando peccassent· vt ab ipso mitius corriperentur: et non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. [5] Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat: contigit eadem die purificationem fieri vicesima et quinta mensis qui fuit calleu. [6] Et cum leticia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum: recordantes· quod ante modicum temporis diem solennem tabernaculorum in montibus et in speluncis more bestiarum egerant: [7] propter quod tirsos et ramos virides et palmas preferebant ei· qui prosperauit mundare locum suum. [8] Et decreuerunt communi precepto et decreto vniuerse genti iudeorum omnibus annis agere dies istos. [9] Et antiochi quidem qui appellatus est nobilis· vite excessus ita se habuit. [10] Nunc autem de eupatore antiochi impij filio que gesta sunt narrabimus: breuiantes mala que in bellis gesta sunt. [11] Hic enim suscepto regno constituit super negocia regni lisiam quendam phenicis et sirie milicie principem. [12] Nam ptolomeus qui dicebatur macer· iusti tenax erga iudeos esse constituit: et precipue propter iniquitatem que facta erat in eos: et pacifice agere cum eis. [13] Sed ob hoc accusatus ab amicis apud eupatorem: cum frequenter proditor audiret eo quod cyprum creditam sibi a philometore deseruisset· et ad antiochum nobilem translatus· etiam ab eo recessisset: veneno vitam finiuit. [14] Gorgias autem cum esset dux locorum assumptis aduenis frequenter iudeos debellabat: [15] vero qui tenebant oportunas munitiones fugatos ab iherosolimis suscipiebant: et bellare temptabant. [16] Hij vero qui erant cum machabeo per orationes dominum rogantes vt esset sibi adiutor· impetum fecerunt in munitiones ydumeorum: [17] multaque vi insistentes loca obtinuerunt· occurrentes interemerunt: et omnes simul non minus a vigintiquinque milibus trucidauerunt. [18] Quidam autem cum confugissent in duas turres valde munitas· omnem apparatum ad repugnandum habentes: [19] machabeus ad eexpugnationem relicto simone et iosepho itemque zacheo· eisque qui cum ipsis erant satis multis: ipse ad eas que amplius perurgebant pugnas conuersus [20] Hij vero qui cum simone erant cupiditate ducti a quibusdam qui in turribus erant suasi sunt pecunia: et septuaginta milibus acceptis dimiserunt quosdam effugere. [21] Cum autem machabeo nunciatum esset quod factum est: principibus populi congregatis· accusauit quod pecunia fratres vendidissent· aduersarijs eorum dimissis. [22] Hos igitur proditores factos interfecit: et confestim duas turres occupauit. [23] Armis autem ac manibus omnia prospere didragmis dimiserunt agendo munitionibus plusquam viginti milia peremit. [24] Et timotheus qui prius a iudeis fuerat superatus conuocato exercitu peregrine multitudinis et congregato equitatu asiano aduenit: quasi iudeam capturus. [25] Machabeus autem et qui cum ipso erant appropinquante illo deprecabantur dominum caput terra aspergentes· lumbosque cilicijs precincti· [26] ad altaris crepidinem prouoluti: vt sibi propicius inimicis autem eorum esset inimicus: et aduersarijs aduersaretur sicut lex dicit. [27] Et ita post orationem sumptis armis longius de ciuitate procedentes: et proximi hostibus effecti resederunt. [28] Primo autem solis ortu vtrique isti quidem victorie et prosperitatis sponsorem cum virtute dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. [29] Sed cum vehemens pugna esset apparuerunt aduersarijs de celo viri quinque in equis· frenis aureis decori ducatum iudeis prestantes: [30] ex quibus duo machabeum medium habentes armis suis circumseptum incolumen conseruabant: in aduersarios autem tela et fulmina iaciebant· ex quo et cecitate confusi et repleti perturbationecadebant. [31] Interfecti sunt autem timilia quingenti· et equites sexcenti. [32] Timotheus vero confugit in gazaram presidium munitum cui preerat cereas: [33] machabeus autem et qui cum eo erant letantes obsederunt presidium diebus quatuor. [34] At hij qui intus erant loci firmitate confisi supra modum maledicebant· et sermones nephandos iactabant: [35] sed cum dies quinta illucesceret viginti iuuenes ex hijs qui cum machabeo erant accensi animis propter blasphemiam viriliter accesserunt ad murum· et feroci animo incedentes ascendebant: [36] sed et alij similiter ascendentes turres portasque succendere aggressi sunt· atque ipsos maledicos viuos concremare. [37] Per continuum autem biduum· presidio vastato timotheum occultantem se in quodam repertum loco peremerunt: et fratrem illius ceream et appollofanem occiderunt. [38] Quibus gestis: in ymnis et confessionibus benedicebant dominum qui magna fecit in israhel: et victoriam dedit illis.

11 Sed paruo post tempore lisias prona curator regis et propinquus ac negociorum prepositus grauiter ferens de hijs que acciderant: [2] congregatis octomilibus et equitatu vniuerso niebat veniebat aduersum iudeos· existimans se ciuitatem quidem raptam gentibus habitaculum facturum: [3] templum vero in pecunie questum sicut cetera delubra gentiumhabiturum: et per singulos annos venale sacerdotium· [4] nusquam recogitans dei potestatem: sed mente effrenatus· in multitudine peditum et in milibus equitum· et in octoginta elephantis confidebat. [5] Ingressus autem iudeam et appropians bethsure que erat in angusto loco ab iherosolima interuallo quinque stadiorum: illud presidium expugnabat. [6] Vt autem machabeus et qui eo erant cognouerunt expugnari presidia: cum fletu et lacrimis rogabant dominum· et omnis turba simul: vt bonum angelum mitteret ad salutem israhel. [7] Et ipse primus machabeus sumptis armis ceteros adhortatus est simul secum periculum subire: et ferre auxilium fratribus suis. [8] Cumque pariter prompto animo procederent iherosolimis. apparuit precedens eos eques in veste candida: armis aureis hastam vibrans. [9] Tunc omnes simul benedixerunt misericordem dominum: et conualuerunt animis: non solum homines sed et bestias ferocissimas et muros ferreos parati penetrare. [10] Ibant igitur prompti: de celo habentes adiutorem et miserantem super eos dominum. [11] Leonum autem more impetu irruentes in hostes prostrauerunt ex eis vndecim milia peditum et equitum mille sexcentos: [12] vniuersos autem in fugam verterunt: plures autem ex eis vulnerati nudi euaserunt. Sed et ipse lisias turpiter fugiens euasit. [13] Et quia non insensatus erat: secum ipse reputans factam erga se diminutionem· et intelligens inuictos esse hebreos dei omnipotentis auxilio nitentes· misit ad eos· [14] promisitque se

consensurum omnibus que iusta sunt: et regem compulsurum amicum fieri. 15 Annuit autem machabeus precibus lisie: in omnibus vtilitati consulens. Et quecumque machabeus scripsit lisie de iudeis: ea rex concessit. 16 Nam erant scripte iudeis epistole a lisia siquidem hunc modum continentes. Lisias: populo iudeorum salutem. 17 Iohannes et abessalon qui missi fuerant a vobis tra tradentes dentes scripta postulabant: vt ea que per illos significabantur implerem. 18 Quecunque igitur regi potuerunt perferri exposui: et que res permittebat consensi. 19 Si igitur in negocijs fidem conseruaueritis· et deinceps bonorum vobis causa esse temptabo: 20 de ceteris autem per singula verba mandaui et istis et hijs qui a me missi sunt colloqui vobiscum. 21 Bene valete. Anno centesimoquadragesimooctauo mensis die dioscori vicesima et quarta. 22 Regis autem epistola ista continebat. Rex antiochus: lisie fratri salutem. 23 Patre nostro inter deos translato nos volentes eos qui sunt in regno nostro sine tumultu agere et rebus suis adhibere diligentiam: 24 audiuimus iudeos non consensisse patri meo vt transferrentur ad ritum grecorum· sed tenere velle suum institutum: ac propterea postulare a nobis concedi· sibi legitima sua. 25 Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse: statuentes iudicauimus templum restitui illis: vt agerent secundum suorum maiorum consuetudinem. 26 Bene igitur feceris si miseris ad eos et dextram dederis: vt cognita nostra voluntate bono animo sint: et vtilitatibus proprijs deseruiant. 27 Ad iudeos vero regis epistola talis erat. Rex antiochus: senatui iudeorum· et ceteris iudeis salutem. 28 Si valetis sic estis vt volumus: sed et ipsi bene valemus. 29 Adijt nos menelaus dicens: velle vos descendere ad vestros qui sunt aput nos. 30 Hijs igitur qui commeant vsque ad diem tricesimum mensis xandici damus dextras securitatis: 31 vt iudaicis vtantur cibis et legibus suis sicut et prius: et nemo eorum vllo modo molestiam patiatur de hijs que per ignorantiam gesta sunt. 32 Misimus autem et menelaum qui vos alloquatur. 33 Valete. Anno centesimoquadragesimooctauo xandici mensis quindecima die. 34 Miserunt autem etiam romani epistolam ita se habentem. Quintusmemmius et titusmanilius legati romanorum: populo iudeorum salutem. 35 De hijs que lisias cognatus regis concessit vobis· et nos concessimus: 36 de quibus autem ad regem iudicauit referendum· confestim aliquem mittite cite diligentius inter vos conferentes: vt decernamus sicut congruit vobis. Nos enim antiochiam accedimus. 37 Ideoque festinate rescribere: vt nos quoque sciamus cuius estis voluntatis. 38 Bene valete. Anno centesimoquadragesimooctauo quintadecima die mensis xandici.

12 Hijs factis pactionibus lisias pergebat ad regem: iudei autem agriculture operam dabant. 2 Sed hij qui resederant timotheus et appollonius gennei filius· sed et ieronimus et demophon· super hos et nichanor cypriarches non sinebant eos in silentio agere et quiete. 3 Ioppite vero tale quoddam flagitium perpe trarunt. Rogauerunt iudeos cum quibus habitabant ascendere scaphas quas parauerant cum vxoribus et filijs: quasi nullis inimicicijs inter eos subiacentibus. 4 Secundum commune itaque decretum ciuitatis· et ipsis acquiescentibus pacisque causa nichil suspectum habentibus: cum in altum processissent submerserunt non minus ducentos· 5 Quam crudelitatem iudas in sue gentis homines factam vt cognouit· precepit viris qui erant cum ipso· et inuocato iusto iudice deo 6 venit aduersus interfectores fratrum: et portum quidem nocte succendit: scaphas exussit: eos autem qui ab igne refugerant gladio peremit. 7 Et cum hec ita egisset discessit quasi iterum reuersurus: et vniuersos ioppitas eradicaturus. 8 Sed cum cognouisset et eos qui erant iamnie velle pari modo facere habitantibus secum iudeis: 9 iamnitis quoque noctem superuenit· et portum cum nauibus succendit: ita vt lumen ignis appareret iherosolimis stadijs ducentis quadraginta. 10 Inde cum iam abijssent nouem stadijs et iter facerent ad timotheum: commiserunt cum eo arabes quinque milia viri· et equites quingenti 11 Cunque pugna valida fieret et auxilio dei prospere cessisset: residui victi arabes petebant a iuda dextras sibi dari promittentes se pascua daturos: et in ceteris profuturos. 12 Iudas autem arbitratus vere in multis eos vtiles promisit sit pacem: dextrisque acceptis discessere· ad tabernacula sua. 13 Aggressus est autem et ciuitatem quamdam firmam· pontibus murisque circumseptam que a turbis habitabatur gentium promiscuarum: cui nomen chasphin. 14 Hij vero qui intus erant confidentes in stabilitate murorum et apparatu alimoniarum remissius agebant: maledictis lacescentes iudam ac blasphemantes: et loquentes que fas non est. 15 Machabeus autem inuocato magno mundi principe qui sine arietibus et machi temporibus ihesu precipitauit iericho· irruit ferociter muris: 16 et capta ciuitate per domini voluntatem innumerabiles cedes fecit: ita vt adiacens stagnum stadiorum duorum latitudinis sanguine interfectorum fluere videretur. 17 Inde discesserunt stadia septingentaquinquaginta et venerunt in characha ad eos qui dicuntur tibianei iudeos: 18 et timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt: nulloque negocio perfecto regressus est· relicto in quodam loco firmissimo presidio. 19 Dositheus autem et sosipater qui erant duces cum machabeo peremerunt a timotheo relictos in presidio decem milia viros. 20 At machabeus ordina milia viros. At machabeus ordinacolutae tis circum se sex milibus et constitutis per cohortes: aduersus timotheum processit habentem secum· centumuiginti milia peditum: equitumque duo milia quingentos. 21 Cognito autem iude aduentu timotheus premisit mulieres· et filios et reliquum apparatum in presidium quod carmon dicitur. Erat enim inexpugnabile et accessu difficile: propter locorum angustias. 22 Cumque cohors iude prima apparuisset· timor hostibus incussus est ex presentia dei qui vniuersa conspicit: et in fugam versi sunt alius ab alio: ita vt magis a suis deicerentur· et gladiorum suorum ictibus debilitarentur. 23 Iudas autem vehementer instabat puniens prophanos et prostrauit ex eis triginta milia virorum. 24 Ipse vero timotheus incidit in partes dosithei et sosipatris: et multis precibus postulabat vt viuus dimitteretur: eo quod multorum ex iudeis parentes haberet ac fratres quos morte eius decipi eueniret. 25 Et cum fidem dedisset restituturum se eos secundum constitutum: illesum eum dimiserunt propter fratrum salutem. 26 Iudas autem regressus est a carmon interfectis· vigintiquinque milibus. 27 Post horum fugam et necem mouit exercitum ad effron ciuitatem munitam in qua multitudo diuersarum gentium habitabat: et robusti iuuenes pro muris consistentes fortiter repugnabant. In hac autem machine multe: et telorum erant apparatus. 28 Sed cum omnipotentem inuocassent· qui potestate vires hostium confringit ceperunt ciuitatem: et ex eis qui intus erant vigintiquinque milia prostrauerunt. 29 Inde ad ciuitatem scitarum abierunt: que ab iherosolimis sexcentis stadijs aberat. 30 Contestantibus autem hijs qui apud scitopolitas erant iudeis· quod benigne ab eis haberentur: et temporibus infelicitatis· quod modeste secum egerint: 31 gratias agentes eis· et exhortati etiam de cetero erga genus suum benignius esse venerunt iherosolimam· die solemni septimanarum instante. 32 Et post pentecosten abierunt contra gorgiam prepositum ydumee. 33 Exiuit autem cum peditibus tribus milibus: et equitibus quadringentis. 34 Quibus congressis contigit paucos ruere iudeorum· 35 dositheus vero quidem de bachinoris eques vir fortis gorgiam tenebat: et cum vellet illum capere viuum· eques quidam de tracibus irruit in eum· humerumque eius amputauit: atque ita gorgias effugit in marisa. 36 At illis qui cum hesdrin erant diucius pugnantibus et fatigatis inuocauit dominum iudas adiutorem et ducem belli fieri: 37 incipiens voce patria· et cum ymnis clamorem extollens· fugam gorgie militibus incussit. 38 Iudas autem collecto exercitu venit in ciuitatem odollam. Et cum septima dies superueniret: secundum consuetudinem purificati in eodem loco sabbatum egerunt. 39 Et sequenti die venit cum suis iudas vt corpora prostratorum tolleret: et cum parentibus poneret in sepulcris paternis. 40 Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donarijs ydolorum que aput iamniam fuerunt: a quibus lex prohibet iudeos. Omnibus ergo manifestum factum est: ob hanc causam eos corruisse. 41 Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium domini: qui occulta fecerat manifesta. 42 Atque ita ad preces conuersi rogauerunt: vt id quod factum erat delictum obliuioni traderetur. At vero fortissimus iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato: sub oculis videntes que facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt. 43 Et facta collatione duodecim milia dragmas argenti misit iherosolimam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium: bene et religiose de resurrectione cogitans.

44 Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret: superfluum videretur et vanum orare pro mortuis. 45 Et quia considerabat quod hij qui cum pietate dormitionem acceperant: optimam haberent repositam gratiam. 46 Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare: vt a peccatis soluantur.

13 Anno centesimoquadragesimonono cognouit iudas antiochum eupatoris venire cum multitudine aduersus iudeam: 2 et cum eo lisiam procuratorem et prepositum negociorum secum habentem peditum centumdecem milia· et equitum quinque milia· et elephantes vigintiduos: currus cum falcibus trecentos. 3 Commiscuit autem se illis et menelaus et cum multa fallacia deprecabatur antiochum non pro patrie salute: sed sperans se constitui in principatum. 4 Sed rex regum suscitauit animos antiochi in peccatorem: et suggerente lisia hunc esse causam omnium malorum: iussit vt eis est consuetudo apprehensum in eodem loco necari. 5 Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum: aggestum vndique habens cineris. Hec prospectum habebat in preceps. 6 Inde in cinerem deici iussit sacrilegum: omnibus eum propellentibus ad interitum. 7 Et tali lege preuaricatorem legis contigit mori: nec terre dari menelaum. 8 Et Etquidem satis iuste. Nam quia multa erga aram dei delicta commisit cuius ignis et cinis erat sanctus: ipse in cineris morte damnatus est. 9 Sed rex mente effrenatus veniebat nequiorem se patre suo iudeis ostensurus. 10 Quibus iudas cognitis precepit populo vt die ac nocte dominum inuocarent quo sicut semper et nunc adiuuaret eos: 11 quippe qui lege et patria sanctoque templo priuari vererentur: ac populum qui nuper paululum respirasset· ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi. 12 Omnibus itaque simul id facientibus et petentibus a domino misericordiam cum fletu et ieiunijs per triduum continuum prostratis: hortatus est eos iudas vt se prepararent. 13 Ipse vero cum senioribus cogitauit· priusquam rex admoueret exercitum ad iudeam et obtineret ciuitatem exire: et domini iudicio committere exitum rei· 14 dans itaque potestatem omnium deo mundi creatori· et hortatus suos vt fortiter dimicarent: et vsque ad mortem pro legibus· templo· ciuitate· patria· et ciuibus starent· circa modin exercitum constituit. 15 Et dato signo suis dei victorie· iuuenibus fortissimis electis nocte aggressus aulam regiam in castris interfecit viros quatuordecim milia: et maximum elephantorum cum hijs qui supperpositi fuerant. 16 Summoque metu ac perturbatione hostium castra replentes: rebusque prospere gestis abierunt. 17 Hoc autem factum est die illucescente: adiuuante eum domini protectione. 18 Sed rex accepto gustu audacie iudeorum arte difficultatem locorum temptabat: 19 et bethsure quod erat iudeorum presidium munitum castra ammouebat· sed fugabatur· impingebatur· minorabatur· 20 Hijs autem qui intus erant iudas necessaria mittebat. 21 Enunciauit autem misteria hostibus rodochus quidam de iudaico exercitu: qui requisitus comprehensus est et conclusus· 22 Iterum rex sermonem habuit ad eos qui erant in bethsuris: dextram dedit· accepit· abijt· 23 commisit cum iuda: superatus est. Vt autem cognouit rebellasse philippum antiochie qui relictus erat super negocia· mente consternatus iudeos deprecans· subditusque eis iurat de omnibus quibus iustum visum est: et reconciliatus obtulit sacrificium· honorauit templum et munera posuit: 24 machabeum amplexatus est: et fecit eum a ptolomaide vsque ad gerrenos ducem et principem. 25 Vt autem venit prolomaidam grauiter ferebant ptolomenses amicicie conuentionem indignantes: ne forte fedus irrumperent. 26 Tunc ascendit lisias tribunal: et exposuit rationem· et populum sedauit: reuersusque est antiochiam. Et hoc modo regis profectio et reditus processit.

14 Sed post triennij tempus cognouit iudas et qui cum eo erant demetrium seleuci cum multitudine valida et manibus per portum tripolis ascendisse ad loca o portuna: 2 et tenuisse regiones aduersus antiochum et eius ducem lisiam. 3 Alchimus autem quidam qui summus sacerdos fuerat· sed voluntarie coinquinatus est in temporibus modo commixtionis· considerans nullo considerans nullo sibi esse salutem neque accessum ad altare: 4 venit ad regem demetrium centesimoquinqnagesimo moquinquagesimo anno offerens ei coronam auream et palmam: super hec et talos qui templi esse videbantur. Et ipsa quidam die siluit. 5 Tempus autem oportunum dementie sue nactus: et conuocatus a demetrio ad consilium· et interrogatus quibus rebus et consilijs iudei vterentur: 6 respondit. Ipsi qui dicuntur assidei iudeorum quibus preest iudas machabeus bella nutriunt et seditiones mouent: nec paciuntur regnum esse quietum. 7 Nam et ego defraudatus parentum gloria· dico autem summo sacerdocio huc veni: 8 primo quidem vtilitatibus regis fidem seruans: secundo autem etiam ciuibus consulens. Nam illorum prauitate vniuersum genus nostrum non minime vexatur. 9 Sed oro hijs singilis o rex cognitis: et regioni· et generi secundum humanitatem tuam promulgatam omnibus prospice. 10 Nam quamdiu superest iudas: impossibile est pacem esse negocijs. 11 Talibus autem ab hoc dictis: et ceteri amici hostiliter se habentes aduersus iudam· inflammauerunt demetrium. 12 Qui statim nichanorem prepositum elephantorum ducem misit in iudeam· 13 datis mandatis vt ipsum quidem iudam caperet viuum: eos vero qui cum illo erant dispergeret: et constitueret alchimum maximi templi summum sacerdotem. 14 Tunc gentes que de iudea fugerant iudam· segregatim se nichanori miscebant: miserias et clades iudeorum· prosperitates rerum suarum existimantes. 15 Audito itaque iudei nichanoris aduentu· et conuentu nationum: conspersi terra rogabant eum qui populum suum constituit in eternum custodiret: quique suam portionem signis euidentibus protegit. 16 Imperante autem duce statim inde mouerunt: conueneruntque ad castellum dessau. 17 Symon vero frater iude commiserat cum nichanore: sed conterritus est repentino aduentu aduersariorum. 18 Nichanortamen tamen audiens virtutem comitum iude et animi magnitudinem quam pro patrie certaminibus habebant: sanguine iudicium facere metuebat. 19 Quamobrem premisit possidonium et theodotum· et mathiam· vt darent dextras· atque acciperent: 20 et cum diu de hijs consilium ageretur· et ipse dux ad multitudinem retulisset: omnium vna fuit sentencia amicicijs annuere. 21 Itaque diem constituerunt qua secreto inter se agerent: et singulis selle prolate sunt et posite. 22 Precepit autem iudas armatos esse locis oportunis: ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur. Et congruum colloquium fecerunt. 23 Morabatur autem nichanor iherosolimis: nichilque inique agebat: gregesque turbarum que congregate fuerant dimisit. 24 Habebat autem iudam semper carum ex animo: et erat viro inclinatus. 25 Rogauitque eum ducere vxorem: filiosque procreare. Nuptias fecit: quiete egit: communiterque viuebant. 26 Alchimus autem videns caritatem illorum ad inuicem et conuentiones: venit ad demetrium et dicebat nichanorem rebus alienis assentire: iudamque regni insidiatorem successorem· sibi destinasse. 27 Itaque rex exasperatus et pessimis huius criminationibus irritatus scripsit nichanori dicens: grauiter quidem se ferre de amicicie conuentione: iubere tamen machabeum citius vinctum mittere antiochiam. 28 Quibus cognitis nichanor consternabatur: et grauiter ferebat si ea que conuenerant irrita faceret nichil lesus a viro: 29 sed quia regi resistere non poterat oportunitatem obseruabat qua preceptum perficeret. 30 At machabeus videns secum austerius agere nichanorem· et consuetum occursum feroci exhibentem: intelligens non ex bono esse austeritatem istam: paucis suorum congregatis occultauit se a nichanore. 31 Quod cum ille cognouit fortiter se a viro preuentum: venit ad maximum et sanctissimum templum: et sacerdotibus solitas hostias offerentibus· iussit sibi tradi virum. 32 Quibus cum iuramento dicentibus nescire se vbi esset qui querebatur: extendens manum ad templum 33 iurauit dicens. Nisi iudam vinctum michi tradideritis istud dei fanum in planiciem deducam· et altare effodiam: et templum hoc liberopatri consecrabo. 34 Et hijs dictis abijt. Sacerdotes autem protendentes manus in celum inuocabant eum qui semper propugnator esset gentis ipsorum· hec dicentes. 35 Tu domine vniuersorum qui nullius indiges: voluisti templum habitationis tue fieri in nobis. 36 Et nunc sancte sanctorum omnium domine conserua ineternum impollutam domum istam: que nuper mundata est. 37 Razias autem quidam de senioribus ab iherosolimis delatus est nichanori vir amator ciuitatis· et bene audens: qui pro affectu pater iudeorum appellabatur. 38 Hic multis temporibus continentie propositum tenuit in iudaismo: corpusque et animam tradere contentus pro perseuerantia. 39 Volens

autem nichanor manifestare odium quod habebat in iudeos misit milites quingentos: vt eum comprehenderent. [40] Putabat enim si illum decepisset: sese cladem iudeis maximam illaturum. [41] Turbis autem irruere domum eius et ianuam disrumpere· atque ignem ammouere cupientibus· cum iam comprehenderetur gladio se pecijt: [42] eligens nobiliter mori pocius· quam subditus fieri peccatoribus: et contra natales suos iniurijs indignis agi. [43] Sed cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset· et turbe inter ostia irrumperent recurrens audacter ad murum· precipitauit semetipsum viriliter in turbas: [44] quibus velociter locum dantibus casui eius· venit per mediam ceruicem. [45] Et cum adhuc spiraret accensus animo surrexit: et cum sanguis eius magno fluxu defluere· et grauissimis vulneribus esset saucius· cursu turbam pertransijt: [46] et stans supra quamdam petram perruptam· et iam exsanguis effectus: complexus in testina sua vtrisque manibus proiecit super turbas inuocans dominatorem vite ac spiritus: vt hec illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est.

15 Nichanor autem vt comperit iudam esse in locis samarie: cogitauit cum omni impetu die sabbati committere bellum. [2] Iudeis vero qui illum per necessitatem sequebatur dicentibus· ne ita ferociter et barbare feceris· sed honorem tribue diei sanctificationis· et honora eum qui vniuersa conspicit: at [3] ille infelix interrogauit si est potens in celo qui imperauit agi diem sabbatorum: [4] et respondentibus illis· est dominus viuus ipse in celo potens qui iussit agi septimam diem: [5] at ille ait. Et ego potens sum super terram: qui impero sumi arma et negocia regis impleri. Tamen non obtinuit vt consilium perficeret. [6] Et nichanor quidem cum summa erectus cogitauerat commune tropheum statuere de iuda. [7] Machabeus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi a domino affuturum· [8] et hortabatur suos ne formidarent ad aduentum nationum· sed in mente haberent adiutoria sibi facta de celo: et nunc sperarent ab omnipotente· sibi affuturam victoriam. [9] Et allocutus eos de lege· et prophetis: amouens etiam certamina que fecerant prius: promptiores constituit eos. [10] Et ita animis eorum erectis: simul ostendebat gentium fallaciam· et iuramentorum preuaricationem. [11] Singulos autem illorum armauit non clipei et haste munitione· sed sermonibus optimis et exhortationibus: exposito digno fide somnio: per quod vniuersos letificauit. [12] Erat autem huiusmodi visus. Oniam qui fuerat summus sacerdos virum bonum et benignum verecundum visu· modestum moribus· et eloquio decorum· et qui a puero in virtutibus exercitatus sit· manus protendentem: orare pro omni populo iudeorum. [13] Post hoc apparuisse et alium virum etate et gloria mirabilem: et magni decoris habitudinem circa illum. [14] Respondentem vero oniam dixisse. Hic est fratrum amator et populi israhel: hic est qui multum orat pro populo et vniuersa sancta ciuitate ieremias propheta dei. [15] Extendisse autem ieremiam dextram: et dedisse iude gladium aureum dicentem. [16] Accipe sanctum gladium munus a deo: in quo deicies aduersarios populi mei israhel. [17] Exhortati itaque iude sermonibus bonis valde· de quibus extolli posset impetus· et animi iuuenum confortari: statuerunt dimicare et confligere fortiter vt virtus de negocijs iudicaret: eo quod ciuitas sancta et templum periclitarentur. [18] Erat enim pro vxoribus et filijs· itemque pro fratribus et cognatis minor sollicitudo: maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi: [19] sed et eos qui in ciuitate erant non minima sollicitudo habebat pro hijs qui congressuri erant. [20] Et iam cum omnes sperarent iudicium futurum hostesque adessent atque exercitus erat ordinatus· bestie equitesque oportuno loco compositi: [21] considerans machabeus aduentum multitudinis et apparatum varium armorum· ac ferocitatem bestiarum extendens manus in celum· prodigia facientem dominum inuocauit: qui non secundum armorum potentiam· sed prout ipsi placet dat dignis victoriam. [22] Dixit autem inuocans hoc modo. Tu domine qui misisti angelum tuum sub ezechia rege iude· et interfecisti de castris sennacherib centumoctoginta quinque milia: [23] et tunc dominator celorum mitte angelum tuum bonum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachij tui: [24] vt metuant qui cum blasphemia veniunt aduersus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita porauit: [25] nichanor autem et qui cum ipso erant cum tubis et canticis admouebant. [26] Iudas vero et qui cum eo erant inuocato deo per orationes congressi sunt: [27] manu quidem pugnantes. sed et dominum cordibus orantes prostrauerunt minus runt non minus triginta quinque trigintaquinque milia presentia dei magnifice delectati. [28] Cunque cessassent et cum gaudio redirent: cognouerunt nichanorem ruisse cum armis suis. [29] Facto itaque clamore et perturbatione suscitata: patria voce omnipotentem dominum benedicebant. [30] Precepit autem iudas qui per omnia corpore et animo mori pro ciuibus paratus erat: caput nichanoris et manum cum humero abscisam iherosolimam perferri. [31] Quo cum peruenisset conuocatis contribulibus et sacerdotibus ad altare: accersijt et eos qui in arce erant. [32] Et ostenso capite nichanoris et manu nepharia quam extenderat contra domum sanctam omnipotentis dei: magnifire gloriatus est. [33] Linguam etiam impij nichanoris precisam iussit particulatim auibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi. [34] Omnes igitur celi benedixerunt dominum dicentes: benedictus qui locum suum incontaminatum seruauit. [35] Suspendit autem nichanoris caput in summa arce: vt euidens esset et manifestum signum auxilij dei. [36] Itaque omnes communi consilio decreuerunt nullo modo diem istum absque celebritate preterire: rire: [37] habere autem celebritatem terciadecima die mensis adar: que dicitur voce siriaca pridie mardochei die. [38] Agitur hijs erga nichanorem gestis: et ex illis temporibus ab hebreis ciuitate possessa· ego quoque in hijs faciam finem sermonis. [39] Et si quidem bene et vt historie competit hoc et ipse velim: si autem minus digne: concedendum est michi. [40] Sicut enim vinum semper bibere aut semper aquam· contrarium est: alternis autem vti delectabile: ita legentibus si semper exactus sit sermo non erit gratus: ergo erit consummatus. hinc

Incipit epistola beati ieronimi presbiteri ad damasum papam in quatuor euangelistas.

Beatissimo pape damaso ieronimus. Nouum opus me facere cogis ex toto veteri: vt post exemplaria scripturarum toto orbe dispersa quasi quidam arbiter sedeam: et quia inter se variant que sint illa que cum greca consentiant veritate decernam. Pius labor sed periculosa presumptio· iudicare de ceteris· ipsum ab omnibus iudicandum: senis mutare linguam: et canescentem mundum ad initia retrahere paruulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus cum in manus volumen assumpserit· et a saliua quam semel inbibit viderit discrepare quod lectitat· non statim erumpat in vocem me falsarium me clamans esse sacrilegum: qui audeam aliquid in veteribus libris addere· mutare· corrigere Aduersus quam inuidiam duplex causa me consolatur: quod et tu qui summus sacerdos es fieri iubes: et verum non esse quod variat· etiam maledicorum testimonio comprobatur. Si enim latinis exemplaribus fides est adhibenda· respondeant quibus tot sunt exemplaria pene quot codices. Sin autem veritas est querenda de pluribus: cur non ad grecam originem reuertentes ea que vel a viciosis interpretibus male edita vel a presumptoribus imperitis emendata peruersius· vel a librarijs dormitantibus aut addita sunt aut mutata corrigimus: Neque vero ego de veteri disputo testamento: quod a septuaginta senioribus in grecam linguam versum tercio gradu ad nos vsque peruenit. Non quero quid aquila quid symmachus sapiant: quare theodotion inter nouos et veteres medius incedat. Sit illa vera interpretatio: quam apostoli probauerunt. De nouo nunc loquor testamento quod grecum esse non dubium est: excepto apostolo matheo qui primus in iudea euangelium cristi hebraicis litteris edidit. Hoc certe cum in nostro sermone discordat· et diuersos riuulorum tramites ducit: vno de fonte querendus est. Pretermitto eos codices quos a luciano et esycio nuncupatores paucorum hominum asserit peruersa contentio: quibus vtique nec in veteri instrumento post septuaginta interpretes emendare quid licuit· nec in nouo profuit emendasse:

cum multarum gentium linguis scriptura ante translata doceat falsa esse que addita sunt. Igitur hec presens prefaciuncula pollicetur quatuor tantum euangelia· quorum ordo est iste· matheus· marcus· lucas· iohannes· codicum grecorum emendata collatione sed veterum: que ne multum a lectionis latine consuetudine discreparent· ita calamo imperauimus: vt hijs tantum que sensum videbantur mutare· correctis· reliqua manere pateremur vt fuerant. Canones quoque quos eusebius cesariensis episcopus allexandrinum secutus ammonium in decem numeros ordinauit: sicut in greco habentur expressimus. Quod si quis decuriosis voluerit nosse que in euangelijs vel eadem vel vicina vel sola sint· eorum distinctione cognoscet. Magnus siquidem hic in nostris codicibus error inoleuit: dum quod in eadem re alius euangelia plus dixit· in alio quia minus putauerint addiderunt: vel dum eundem sensum alius aliter expressit· ille qui vnum e quatuor primum legerat· ad eius exemplum ceteros quoque estimauerit emendandos· vnde accidit· vt aput nos mixta sunt omnia: et in marco plura luce atque mathei: rursum in matheo iohannis et marci: et in ceteris reliquorum que in alijs propria sunt inueniantur. Cum itaque canones legeris qui subiecti sunt: confusionis errore sublato· et similia omnium scies: et singulis sua queque restitues. In canone primo concordant quatuor: matheus· marcus· lucas· iohannes. In secundo tres: matheus· marcus· lucas. In tercio tres: matheus· lucas· iohannes. In quarto tres: matheus· marcus· iohannes. In quinto duo: matheus· lucas. In sexto duo: matheus· marcus. In septimo duo: matheus· iohannes. In octauo duo: lucas· marcus. In nono duo: lucas· iohannes. In decimo· propria vnusquisque que non habentur in alijs ediderunt. Singulis vero euangelijs ab vno incipiens vsque ad finem librorum dispar numerus accrescit. Hic nigro colore prescriptus sub se habet alium ex minio discolorem numerum: qui ad decem vsque procedens indicat: prior numerus in quo sit canone requirendus. Cum ergo aperto codice verbi gratia illud siue illud capitulum scire volueris cuius canonis sit· statim ex subiecto numero doceberis: et recurrens ad principia in quibus canonum est distincta congeries· eodemque statim canone ex titulo frontis inuento: illum quem querebas numerum eiusdem euangelij qui et ipse ex inscriptione signatur inuenies: atque e vicino ceterorum tramitibus inspectis· quos numeros eregione habeant adnotabis: et cum scieris recurres ad volumina singulorum: et sine mora repertis numeris quos ante signaueras· repperies et loca· in quibus vel eadem vel vicina dixerunt. Opto vt in cristo valeas et memineris mei papa beatissime.

Incipit argumentum in euangelium secundum matheum.

Matheus ex iudea sicut in ordine primus ponitur· ita euangelium in iudea primus scripsit: cuius vocatio ad dominum ex publicanis actibus fuit: duorum in generatione cristi principia presumens: vnius· cuius prima circumcisio in carne: alterius· cuius secundum cor electio fuit. Ex vtrisque enim patribus cristus. Sicque quaterdenario numero triformiter posito· principium a credendi fide in electionis tempus porrigens· et ex electione vsque in transmigrationis diem dirigens· atque a transmigrationis die vsque in cristum definiens· decursam aduentus domini ostendit generationem et numero satisfaciens et tempori: vt et se quod esset ostenderet: et dei in se opus monstrans· etiam in hijs quorum genus posuit cristi operantis a principio testimonium non negaret. Quarum omnium rerum· tempus· ordo· numerus· dispositio· vel ratio· quod fidei necessarium est· deus cristus est: qui factus est ex muliere· factus sub lege· natus ex virgine· passus in carne· omnia in cruce fixit: vt triumphans ea in semetipso resurgens in corpore· et patris nomen in patribus filio· et filij nomen patri restituens in filijs: sine principio sine fine ostendens vnum se cum patre esse quia vnus est. In quo euangelio vtile est desiderantibus deum· sic prima vel media vel perfecta cognoscere· vt et vocationem apostoli et opus euangelij et dilectionem dei in carne nascentis per vniuersa legentes intelligant: atque id in eo in quo apprehensi sunt· et apprehendere appetunt recognoscant. Nobis enim hoc studio argumenti fuit et fidem facte rei tradere: et operantis dei intelligendam diligenter esse dispositionem querentibus non tacere.

Matheus

Incipit euangelium secundum matheum.

1 Liber generationis ihesu filij dauid: filij abraham. [2] Abraham genuit ysaac autem genuit iacob. Iacob autem genuit iudam et fratres eius: [3] iudas autem genuit phares et zara de thamar. Phares autem genuit esrom: esrom autem genuit aram. [4] Aram autem genuit aminadab: aminadab autem genuit naason. Naason autem genuit salomon: [5] salomon autem genuit boor de raab. Boor autem genuit obeth ex ruth: obeth autem genuit iesse. Iesse autem genuit dauid regem: [6] dauid autem rex genuit salomonem ex ea que fuit vrie. [7] Salomon autem genuit roboam: roboam autem genuit abyam. Abyas autem genuit asa: [8] asa autem genuit iosaphat. Iosaphat autem genuit ioram: ioram autem genuit oziam. [9] Ozias autem genuit ioathan: ioathan autem genuit achar. Achar autem genuit ezechiam: [10] ezechias autem genuit manassen: Manasses autem genuit ammon. Ammon autem genuit iosyam: [11] Iosias autem genuit iechoniam et fratres eius in transmigratione babilonis. [12] Et post transmigrationem babilonis iechonias genuit salathiel: salathiel autem genuit zorobabel. [13] Zorobabel autem genuit abiud: abiud autem genuit eliachim. Eliachim autem genuit azor: [14] azor autem genuit sadoch. Sadoch autem genuit achim: achim autem genuit eliud. [15] Eliud autem genuit eleazar: eleazar autem genuit matthan. Matthan autem genuit iacob: [16] iacob autem genuit ioseph virum marie: de qua natus est ihesus: qui vocatur cristr. cristus. [17] Omnes itaque generationes ab abraham vsque ad dauid· generationes quatuordecim: et a dauid vsque ad transmigrationem babilonis· generationes quattuordecim: et a transmigratione babilonis vsque ad cristum· generationes quatuordecim. [18] Cristi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ihesu maria ioseph: antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. [19] Ioseph autem vir eius cum esset iustus· et nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam· [20] hec autem eo cogitante: ecce angelus domini apparuit in somnis ioseph dicens. Ioseph fili dauid: noli timere accipere mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est: de spiritu sancto est. [21] Pariet autem filium: et vocabis nomen eius ihesum. Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. [22] Hoc autem totum factum est: vt adimpleretur quod dictum esset a domino per prophetam dicentem. [23] Ecce virgo in vtero habebit et pariet filium: et vocabitur nomen eius emanuel: quod est interpretatum nobiscum deus. [24] Exurgens autem ioseph a somno fecit sicut precepit ei angelus domini: et accepit coniugem suam. [25] Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: et vocauit nomen eius ihesum.

2 Cum natus esset ihesus in bethleem iude in diebus herodis regis: ecce magi ab oriente venerunt iherosolimam [2] dicentes. Vbi est qui natus est rex iudeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente: et venimus adorare eum.

[3] Au. diens diens autem herodes rex turbatus est: et omnis iherosolima cum illo. [4] Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi: sciscitabatur ab eis vbi cristus nasceretur. [5] At illi dixerunt ei. In bethleem iude. Sic enim scriptum est per prophetam. [6] Et tu bethleem terra iuda: nequaquam minima es in principibus iuda. Ex te enim exiet dux qui regat populum meum israhel. [7] Tunc herodes clam vocatis magis diligenter didicit ab eis tempus stelle que e I apparuit eis: [8] et mittens illos in bethleem· dixit. Ite et interrogate diligenter de puero· et cum inueneritis renunciate michi: vt et ego veniens adorem eum. [9] Qui cum audissent regem abierunt. Et ecce stella quam viderant in oriente· antecedebat eos: vsque dum veniens staret supra vbi erat puer. [10] Videntes autem stellam: gauisi sunt gaudio magno valde. [11] Et intrantes domum inuenerunt puerum cum maria matre eius: et procedentes adorauerunt eum: et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera· aurum· thus· et mirram. [12] Et responso accepto in somnis ne redirent ad herodem: per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. [13] Qui cum recessissent: ecce angelus domini apparuit in somnis ioseph dicens. Surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in egiptum: et esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim: vt herodes querat puerum ad perdendum eum. [14] Qui consurgens accepit puerum· et matrem eius nocte: et secessit in egiptum. [15] Et erat ibi vsque ad obitum herodis: vt adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem. Ex egipto vocaui filium meum. [16] Tunc herodes videns quoniam illusus esset a magis iratus est valde: et mittens occidit omnes pueros qui erant in bethleem et in omnibus finibus eius a bimatu et infra: secundum tempus quod exquisierat a magis. [17] Tunc adimpletum est: quod dictum est per ieremiam prophetam dicentem. [18] Vox in rama audita est· ploratus et vlulatus multus: rachel plorans filios suos: et noluit consolari quia non sunt. [19] Defuucto autem herode: ecce angelus domini apparuit in somnis ioseph in egipto [20] dicens. Surge et accipe puerum et matrem eius: et vade in terram israhel. Defuncti sunt enim qui querebant animam pueri. [21] Qui consurgens accepit puerum et matrem eius: et venit in terram israhel. [22] Audiens autem quod archelaus regnaret in iudea pro herode patre suo timuit illo ire: et ammonitus in somnis secessit in partes galilee. [23] Et veniens habitauit in ciuitate que vocatur nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per prophetas. quoniam nazareus vocabitur.

3 In diebus autem illis venit iohannes baptista: predicans in deserto iudee [2] et dicens· penitenciam agite. Appropinquabit enim regnum celorum· [3] hic est enim: de quo dictum est per ysiam prophetam dicentem. Vox clamantis in deserto: parate viam domini: rectas facite semitas eius. [4] Ipse autem iohannes habebat vestimentum de pilis camelorum: et zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius erat locuste et mel siluestre. [5] Tunc exibat ad eum iherosolima et omnis iudea· et omnis regio circa iordanen: [6] et baptizabantur ab eo in iordane confitentes peccata sua. [7] Videns autem multos phariseorum et saduceorum venientes ad baptismum suum: dixit eis progenies viperarum: quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? [8] Facite ergo fructum dignum penitentie. [9] Et ne velitis dicere intra vos: patrem habemus abraham. Dico enim vobis: quoniam potens est deus de lapidibus istis suscitare filios abrahe. [10] Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor qui non facit fructum bonum excidetur: et in ignem mittetur. [11] Ego quidem baptizo vos in aqua in penitentiam: qui autem post me venturus est· fortior me est: cuius non sum dignus calciamenta portare. Ipse vos baptizabit in spiritu sancto· et igni. [12] Cuius ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam: et congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili. [13] Tunc venit ihesus a galilea in iordanen ad iohannem: vt baptizaretur ab eo. [14] Iohannes autem prohibebat eum dicens. Ego a te debeo baptizari: et tu venis ad me? [15] Respondens autem ihesus dixit ei. Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iusticiam. Tunc dimisit eum. [16] Baptizatus autem ihesus confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei celi: et vidit spiritum dei descendentem sicut columbam et venientem super se. [17] Et ecce vox de celis dicens. Hic est filius meus dilectus: in quo michi complacui.

4 Tunc ihesus ductus est in desertum a spiritu· vt temptaretur a dyabolo: [2] et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus: postea esurijt. [3] Et accedens temptator dixit ei. Si filius dei es: dic vt lapides isti panes fiant. [4] Qui respondens dixit. Scriptum est. Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit ab ore dei. [5] Tunc assumpsit eum dyabolus in sanctam ciuitatem: et statuit eum supra pinnaculum templi: [6] et dixit ei. Si filius dei es: mitte te deorsum. Scriptum est enim: quia angelis suis mandauit de te· et in manibus tollent te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. [7] Ait illi ihesus rursum. Scriptum est. Non temptabis dominum deum tuum. [8] Iterum assumpsit eum dyabolus in montem excelsum valde: et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum: [9] et dixit ei. Hec omnia tibi dabo: si cadens adoraueris me. [10] Tunc dicit ei ihesus. Vade sathana. Scriptum est enim. Dominum deum tuum adorabis: et illi soli seruies. [11] Tunc reliquit eum dyabolus: et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei. [12] Cum autem audisset ihesus quod iohannes traditus esset secessit in galileam: [13] et relicta ciuitate nazareth· venit et habitauit in ciuitate capharnaum maritima· in finibus zabulon et neptalim: [14] vt adimpleretur quod dictum est per ysaiam prophetam. [15] Terra zabulon et terra neptalim· via maris trans iordanen galilee gentium· [16] populus qui ambulabat in tenebris· vidit lucem magnam: et sedentibus in regione vmbre mortis lux orta est eis. [17] Exinde cepit ihesus predicare et dicere. Penitentiam agite. Appropinquabit enim regnum celorum. [18] Ambulans autem iuxta mare galilee vidit duos fratres simonem qui vocatur petrus et andream fratrem eius: mittentes rete in mare. Erant enim piscatores. [19] Et ait illis. Venite post me: et faciam vos fieri piscatores hominum. [20] At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. [21] Et procedens inde vidit alios duos fratres· iacobum zebedei et iohannem fratrem eius in naui cum zebedeo patre eorum reficientes retia sua: et vocauit eos. [22] Illi autem statim relictis retibus et patre: secuti sunt eum. [23] Et circuibat ihesus totam galileam docens in synagogis eorum: et predicans euangelium regni: et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo. [24] Et abijt opinio eius in totam syriam: et obtulerunt ei omnes male habentes varijs languoribus et tormentis comprehensos· et qui demonia habebant· et lunaticos et paraliticos et curauit eos: [25] et secuti sunt eum turbe multe de galilea· et decapoli· et de iherosolimis· et de iudea· et de trans iordanen.

5 Videns autem ihesus turbas ascendit in montem: et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius: [2] et aperiens os suum docebat eos dicens. [3] Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum celorum. [4] Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. [5] Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. [6] Beati qui esuriunt et sitiunt iusticiam: quoniam ipsi saturabuntur. [7] Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. [8] Beati mundo corde: quoniam ipsi deum videbunt. [9] Beati pacifici: quoniam filij dei vocabuntur. [10] Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam: quoniam ipsorum est regnum celorum. [11] Beati estis cum maledixerint vobis· et persecuti vos fuerint et dixerunt omne malum aduersum vos mentientes propter me. [12] Gaudete et exultate: quoniam merces vestra copiosa est in celis. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos. [13] Vos estis sal terre. Quod si sal euanuerit: in quo salietur? Ad nichilum valet vltra· nisi vt mittatur foras: et conculcetur ab hominibus. [14] Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: [15] neque accendant lucernam· et ponunt eam sub modio sed super candelabrum: vt luceat omnibus qui in domo sunt. [16] Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona: et glorificent patrem vestrum qui in celis est. [17] Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas. Non veni soluere: sed adimplere. [18] Amen quippe dico vobis: donec transeat celum et terra· iota vnum aut vnus apex non preteribit a lege: donec omnia fiant. [19] Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis· et docuerit sic homines minimus vocabitur· in regno celorum: qui autem fecerit et docuerit: hic magnus vocabitur in regno celorum. [20] Dico autem vobis: quia nisi abundauerit iusticia vestra plusquam scribarum et phariseorum: non intra in regnum celorum. [21] Audistis quia dictum est antiquis non occides: qui autem occiderit reus erit iudicio. [22] Ego autem dico vobis: quia omnis qui

irascitur fratri suo reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha: reus concilio. Qui autem dixerit fatue: reus erit gehenne ignis. [23] Si ergo offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: [24] relinque ibi munus tuum ante altare: et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum. [25] Esto consentiens aduersario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici: et iudex tradat te ministro· et in carcerem mittaris. [26] Amen dico tibi: non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem. [27] Audistis quia dictum est antiquis: non mechaberis. [28] Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: iam mechatus est eam in corde suo. [29] Quod si oculus tuus dexter scandalisat te: erue eum et proice abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum: quam totum corpus tuum mittatur in iehennam ignis. [30] Et si dextra manus tua scandalisat te: abscide eam et proice abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum: quam totum corpus tuum eat in hennam. [31] Dictum est autem quicumque dimiserit vxorem suam det ei libellum repudij. [32] Ego autem dico vobis: quia omnis qui dimiserit vxorem suam· excepta fornicationis causa· facit eam mechari: et qui dimissam duxerit adulterat. [33] Iterum audistis quia dictum est antiquis non periurabis: red des autem domino iuramenta tua. [34] Ego autem dico vobis non iurare omnino: neque per celum· quia tronus dei est: [35] neque per terram· quia scabellum est pedum eius: neque per iherosolimam· quia ciuitas est magni regis. [36] Neque per caput tuum iuraueris: quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. [37] Sit autem sermo vester: est est· non non: quod autem hijs abundantius est a malo est. [38] Audistis quia dictum est: oculum pro oculo· dentem pro dente. [39] Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam prebe illi et alteram: [40] et ei qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere dimitte et pallium: [41] et quicunque te angariauerit mille passus: vade cum illo et alia duo. [42] Qui autem petit a te da ei: et volenti mutuare a te ne auertaris. [43] Audistis quia dictum est: diliges proximum tuum· et odio habebis inimicum tuum. [44] Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros: benefacite hijs qui oderunt vos· et orate pro persequentibus et calumniantibus vos: [45] vt sitis filij patris vestri qui in celis est· qui solem suum oriri facit super bonos et malos: et pluit super iustos et iniustos. [46] Si enim diligitis eos qui vos diligunt: quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? [47] Et si salutaueritis fratres vestros tantum: quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? [48] Estote ergo vos perfecti: sicut et pater vester celestis perfectus est.

6 Attendite ne iusticiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in celis est. [2] Cum ergo facis elemosinam noli ante te tuba canere: sicut ypocrite faciunt in synagogis et in vicis vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. [3] Te autem faciente elemosinam: nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua: [4] vt sit elemosina tua in abscondito: et pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. [5] Et cum oratis: non eritis ypocrite qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare: vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. [6] Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum: et clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: et pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. [7] Orantes autem nolite multum loqui: sicut ethnici faciunt· putant enim: quod in multiloquio suo exaudiantur. [8] Nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater vester quid opus sit vobis: antequam petatis eum. [9] Sic ergo vos orabitis. Pater noster qui es in celis sanctificetur nomen tuum. [10] Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua: sicut in celo et in terra. [11] Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. [12] Et dimitte nobis debita nostra: sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. [13] Et ne nos inducas in temptationem: sed libera nos a malo. [14] Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis pater vester celestis delicta vestra. [15] Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. [16] Cum autem ieiunatis: nolite fieri sicut ypocrite tristes. Exterminant enim facies suas: vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis: quia receperunt mercedem suam. [17] Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum et faciem tuam laua: [18] ne videaris hominibus ieiunans sed patri tuo qui est in absconso: et pater tuus qui videt in absconso reddet tibi. [19] Nolite thesaurizare vobis thesauros in terram: vbi erugo et tinea demolitur: et vbi fures effodunt et furantur. [20] Thesaurizate autem vobis thesauros in celo: vbi nec erugo nec tinea demolitur: et vbi fures non effodiunt nec furantur. [21] Vbi est thesaurus tuus: ibi est et cor tuum. [22] Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. [23] Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebre sunt· ipse tenebre quante erunt? [24] Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit et alterum diliget: aut vnum sustinebit et alterum contemnet. Non potestis deo seruire et mammone. [25] Ideo dico vobis: ne solliciti sitis anime vestre quid manducetis: neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: et corpus plus quam vestimentum? [26] Respicite volatilia celi que non serunt neque metunt· neque congregant in horrea: et pater vester celestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? [27] Quis autem vestrum cogitans potest adicere ad staturam suam cubitum vnum? [28] Et de vestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt. Non laborant neque nent. [29] Dico autem vobis: quoniam nec salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum existis. [30] Si enim fenum agri quod hodie est et cras in clibanum mittitur deus sic vescit: quanto magis vos minime fidei? [31] Nolite ergo solliciti esse dicentes quid manducabimus aut quid bibemus: aut quo operiemur. [32] Hec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester quia hijs omnibus indigetis. [33] Querite ergo primum regnum dei et iusticiam eius: et hec omnia adicientur vobis. [34] Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malicia sua.

7 Nolite iudicare et non iudicabimini: nolite condemnare et non condemnabimini: [2] in quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini: et in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis. [3] Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: et trabem in oculo tuo non vides? [4] Aut quomodo dicis fratri tuo frater sine· eiciam festucam de oculo tuo: et ecce trabs est in oculo tuo? [5] Ypocrita eice primum trabem de oculo tuo: et tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui. [6] Nolite dare sanctum canibus· neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis: et conuersi dirumpant vos. [7] Petite et dabitur vobis: querite et inuenietis: pulsate et aperietur vobis. [8] Omnis enim qui petit accipit: et qui querit inuenit: et pulsanti aperietur. [9] Aut quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus panem: numquid lapidem porriget ei? [10] Aut si piscem petierit: numquid serpentem porriget ei? [11] Si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester qui in celis est dabit bona petentibus se? [12] Omnia ergo quecunque vultis vt faciant vobis homines: et vos facite illis. Hec est enim lex et prophete. [13] Intrate per angustam portam: quia lata porta et spaciosa via est que ducit ad perditionem: et multi sunt qui intrant per eam. [14] Quam angusta porta et arta via est que ducit ad vitam: et pauci sunt qui inueniunt eam. [15] Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus sunt lupi rapaces. [16] A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas: aut de tribulis ficus? [17] Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. [18] Non potest autem arbor mala bonos fructus facere: neque arbor bona malos fructus facere. [19] Omnis arbor que non facit fructum bonum excidetur: et in ignem mittetur. [20] Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. [21] Non omnis qui dicit michi domine domine intrabit in regnum celorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in celis est: ipse intrabit in regnum celorum. [22] Multi dicent michi in illa die domine domine nonne in nomine tuo prophetauimus et in nomine tuo demonia eiecimus· et in tuo nomine virtutes multas fecimus: [23] et tunc confitebor illis quia numquam noui vos. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. [24] Omnis ergo qui audit verba mea hec· et facit ea· assimilabitur viro sapienti qui edificauit domum suam super petram: [25] et descendit pluuia et venerunt flumina· et flauerunt venti et irruerunt in domum illam: et non cecidit. Fundata enim erat supra petram. [26] Et omnis qui

audit verba mea hec· et non facit ea· similis erit viro stulto qui edificauit domum suam supra harenam: [27] et descendit pluuia et venerunt flumina et flauerunt venti et irruerunt in domum illam· et cecidit: et fuit ruina eius magna. [28] Et factum est cum consummasset ihesus verba hec: ammirabantur turbe super doctrina eius. [29] Erat enim docens eos sicut potestatem habens: et non sicut scribe eorum et pharisei.

8 Cum autem descendisset de monte· secute sunt eum turbe multe: [2] et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens. Domine: si vis potes me muudare. [3] Et extendens manum ihesus: tetigit eum dicens. Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius. [4] Et ait illi ihesus. Vide nemini dixeris: sed vade ostende te sacerdoti: et offer munus tuum quod precepit moyses in testimonium illis. [5] Cum autem introisset capharnaum accessit ad eum centurio: rogans eum [6] et dicens domine: puer meus iacet in domo paraliticus: et male torquetur. [7] Et ait illi ihesus. Ego veniam: et curabo eum. [8] Et respondens centurio ait. Domine: non sum dignus vt intres subtectum meum: sed tantum dic verbo· et sanabitur puer meus. [9] Nam et ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites: et dico huic vade et vadit· et alij veni et venit: et seruo meo fac hoc et facit. [10] Audiens autem ihesus miratus est: et sequentibus se dixit. Amen dico vobis: non inueni tantam fidem in israhel. [11] Dico autem vobis: quod multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum abraham et ysaac et iacob· in reguo celorum: [12] filij autem regni eicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus et stri dor dentium. [13] Et dixit ihesus centurioni. Vade: et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora. [14] Et cum venisset ihesus in domum petri vidit socrum eius iacentem et febricitantem: [15] et tetigit manum eius et dimisit eam febris: et surrexit et ministrabat ei. [16] Vespere autem facto· obtulerunt ei multos demonia habentes: et eiciebat spiritus verbo· et omnes male habentes curauit: [17] vt adimpleretur quod dictum est per ysaiam prophetam dicentem. Ipse infirmitates nostras accepit: et egrotationes nostras portauit. [18] Videns autem ihesus turbas multas circum se: iussit discipulos ire trans fretum. [19] Et accedens vnus scriba ait illi. Magister: sequar te quocunque ieris. [20] Et dicit ei ihesus. Vulpes foueas habent et volucres celi nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. [21] Alius autem de discipulis eius ait illi· domine: permitte me primum ire et sepelire patrem meum. [22] Ihesus autem ait illi. Sequere me: et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. [23] Et ascendente eo in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius: [24] et ecce motus magnus factus est in mari: ita vt nanicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat. [25] Et ac cesserunt ad eum discipuli eius: et suscitauerunt eum dicentes. Domine· salua nos: perimus. [26] Et dicit eis ihesus. Quid timidi estis modice fidei? Tunc surgens imperauit ventis et mari: et facta est tranquillitas magna. [27] Porro homines mirati sunt dicentes. Qualis est hic: quia venti et mare obediunt ei. [28] Et cum venisset ihesus trans fretum in regionem gerasenorum· occurrerunt ei duo habentes demonia de monumentis exeuntes· seui nimis: ita vt nemo posset transire per viam illam. [29] Et ecce clamauerunt dicentes. Quid nobis et tibi ihesu fili dei? Venisti huc ante tempus torquere nos. [30] Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum pascens. [31] Demones autem rogabant eum dicentes. Si eicis nos hinc: mitte nos in gregem porcorum. [32] Et ait illis. Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecce magno impetu abijt totus grex per preceps in mare: et mortui sunt in aquis. [33] Pastores autem fugerunt: et venientes in ciuitatem· nunciauerunt hec omnia: et de hijs qui demonia habuerant. [34] Et ecce tota ciuitas exijt obuiam ihesu: et viso eo· rogabant eum vt transiret a finibus eorum.

9 Et ascendens ihesus in nauiculam transfretauit: et venit in ciuitatem suam. [2] Et ecce offerebant ei paraliticum iacentem in lecto. Et videns ihesus fidem illorum: dixit paralitico. Confide fili. Remittuntur tibi peccata tua. [3] Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se. Hic blasphemat. [4] Et cum vidisset ihesus cogitationes eorum dixit. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? [5] Quid est facilius dicere dimittuntur tibi peccata: an dicere surge et ambula? [6] Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra: tunc ait paralitico. Surge tolle lectum tuum: et vade in domum tuam. [7] Et surrexit: et abijt in domum suam. [8] Videntes autem turbe timuerunt: et glorificauerunt deum qui dedit potestatem talem hominibus. [9] Et cum transiret inde ihesus: vidit hominem sedentem in theloneo matheum nomine. Et ait illi. Sequere me. Et surgens secutus est eum. [10] Et factum est discumbente eo in domo: ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum ihesu· et discipulis eius. [11] Et videntes pharisei dicebant discipulis eius. Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester? [12] At ihesus audiens ait. Non est opus valentibus medicus: sed male habentibus. [13] Euntes autem discite quid est· misericordiam volo: et non sacrificium. Non enim veni vocare iustos sed peccatores. [14] Tunc accesserunt ad eum discipuli iohannis dicentes. Quare nos et pharisei ieiunamus frequenter: discipuli autem tui non ieiunant? [15] Et ait illis ihesus. Nunquid possunt filij sponsi lugere quam diu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: et tunc ieiunabunt. [16] Nemo autem immittit commissuram pani rudis in vestimentum vetus. Tollit enim plenitudinem eius a vestimento: et peior scissura fit. [17] Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres. Alioquin rumpuntur vtres: et vinum effunditur: et vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt: et ambo conseruantur. [18] Hec illo loquente ad eos· ecce princeps vnus accessit et adorabat eum dicens. Domine: filia mea michi defuncta est: sed veni impone manum tuam super eam et viuet. [19] Et surgens ihesus sequebatur eum: et discipuli eius. [20] Et ecce mulier que sanguinis flu lluxum patiebatur duodecim annis accessit xum retro: et tetigit fimbriam vestimenti eius. [21] Dicebat enim intra se. Si tetigero tantum vestimentum eius salua ero. [22] At ihesus conuersus: et videns eam dixit: Confide filia. Fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. [23] Et cum venisset ihesus in domum principis· et vidisset tibicines et turbam tumultuantem dicebat. [24] Recedite: non est enim mortua puella· sed dormit. Et deridebant eum. [25] Et cum eiecta esset turba intrauit: et tenuit manum eius et dixit. Puella surge. [26] Et surrexit puella: et exijt fama hec in vniuersam terram. [27] Et transeunte inde ihesu: secuti sunt eum duo ceci clamantes et dicentes. Miserere nostri fili dauid. [28] Cum autem venisset domum· accesserunt ad eum ceci: et dicit eis ihesus. Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei. Vtique domine. [29] Tunc tetigit oculos eorum dicens. Secundum fidem vestram fiat vobis. [30] Et aperti sunt oculi eorum. Et comminatus est eis ihesus dicens. Videte ne quis sciat. [31] Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa. [32] Egressis autem illis ecce obtulerunt ei hominem mutum demonium habentem: [33] et eiecto demonio locutus est mutus: et mirate sunt turbe dicentes. Nunquam apparuit sic in israhel. [34] Pharisei autem dicebant. In principe demoniorum eicit demones. [35] Et circuibat ihesus omnes ciuitates et castella: docens in synagogis eorum et predicans euangelium regni: et curans omnem languorem et omnem infirmitatem. [36] Videns autem turbas misertus est eis: quia erant et iacentes sicut oues non habentes pastorem. [37] Tunc dicit discipulis suis. Messis quidem multa: operarij autem pauci. [38] Rogate ergo dominum messis: vt mittat operarios in messem suam.

10 Et conuocatis duodecim discipulis suis· dedit illis potestatem spirituum immundorum vt eicerent eos: et curarent omnem languorem· et omnem infirmitatem. [2] Duodecim autem discipulorum nomina sunt hec. Primus simon dicitur petrus et andreas frater eius: [3] iacobus philippus et barcholomeus iacobus zebedei· et iohannes frater eius: dei· bartholomeus thomas et matheus publicanus: et iacobus alphei et thadeus· [4] simon chananeus· et iudas scariothis: qui et tradidit eum. [5] Hos duodecim misit ihesus: precipiens eis et dicens. In viam gentium ne abieritis: et in ciuitates samaritanorum ne intraueritis: [6] sed potius ite ad oues que perierunt domus israhel. [7] Euntes autem predicate dicentes: quia appropinquauit regnum celorum. [8] Infirmos curate· mortuos suscitate· leprosos mundate: demones eicite: gratis accepistis· gratis date. [9] Nolite possidere aurum· neque argentum: neque pecuniam in zonis vestris. [10] Non peram in via: neque duas tunicas· neque calciamenta: neque virgam. Dignus enim est operarius cibo suo. [11] In quamcunque autem ciuitatem aut castellum intraueritis. interrogate quis in ea

dignus sit: et ibi manete donec exeatis. 12 Intrantes autem in domum· salutate eam dicentes. Pax huic domui. 13 Et si quidem fuerit digna· veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna: pax vestra reuertetur ad vos. 14 Et quicunque non receperit vos· neque audierit vestros: exeuntes foras de domo vel ciuitate excutite puluerem de pedibus vestris. 15 Amen dico vobis: tolerabilius erit terre zodomorum et gomorreorum illi die in iudicij quam illi ciuitati. 16 Ecce ego mitto vos: sicut oues in medio luporum. Estote Et ergo prudentes sicut serpentes: et simplices sicut columbe. 17 Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs: et in synagogis suis flagellabunt vos: 18 et ad presides et ad reges ducemini propter me· in testimonium illis et gentibus. 19 Cum autem tradent vos: nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. 20 Non enim vos estis qui loquimini: sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. 21 Tradet autem frater fratrem in mortem· et pater filium: et insurgent filij in parentes: et morte eos afficient: 22 et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseueraauerit vsque in finem: hic saluus erit. 23 Cum autem persequentur vos in ciuitate ista: fugite in aliam. Amen dico vobis: non consummabitis ciuitates israhel: donec veniat filius hominis. 24 Non est discipulus super magistrum: nec seruus super dominum suum. 25 Sufficit discipulo vt sit sicut magister eius: et seruo sicut dominus eius. Si patrenfamilias beelzebub vocauerunt: quantomagis domesticos eius? 26 Ne ergo timueritis eos. Nichil enim est opertum quod non reuelabitur: et occultum quod non sciatur. 27 Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine: et quod in aure auditis predicate super tecta. 28 Et nolite timere eos qui occidunt corpus· animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. 29 Nonne duo passeres asse veneunt? Et vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. 30 Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. 31 Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. 32 Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus: confitebor et ego eum coram patre meo qui in celis est. 33 Qui autem negauerit me coram hominibus: negabo et ego coram patre meo qui in celis est. 34 Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere in terram sed gladium. 35 Veni enim separare hominem aduersus patrem suum· et filiam aduersus matrem suam: et nurum aduersus socrum suam: 36 et inimici hominis domestici eius. 37 Qui amat patrem aut matrem plusquam me: non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me: non est me dignus. 38 Et qui non accipit crucem suam et sequitur me: non est me dignus. 39 Qui inuenit animam suam· perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me· inueniet eam. 40 Qui recipit vos me recipit: et qui me recipit recipit eum qui me misit. 41 Qui recipit prophetam in nomine prophete: mercedem prophete accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti: mercedem iusti accipiet. 42 Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aque frigide tantum in nomine discipuli: amen dico vobis: non perdet mercedem suam.

11 Et Et factum est cum consummasset ihesus precipiens duodecim discipulis suis: transijt inde vt doceret et predicaret in ciuitatibus eorum. 2 Iohannes autem cum audisset in vinculis opera cristi: mittens duos de discipulis suis· 3 ait illi. Tu es qui venturus es an alium expectamus? 4 Et respondens ihesus ait illis. Euntes renunciate iohanni que audistis et vidistis. 5 Ceci vident· claudi ambulant· leprosi mundantur: surdi audiunt· mortui resurgunt· pauperes euangelizantur: 6 et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. 7 Illis autem abeuntibus: cepit ihesus dicere ad turbas de iohanne. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? 8 Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. 9 Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis: et plusquam prophetam. 10 Hic est enim de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam: qui preparabit viam tuam ante te. 11 Amen dico vobis: non surrexit inter natos vobis: non surrexit inter natos mulierum maior iohanne baptista. Qui autem minor est in regno celorum maior est illo. 12 A diebus autem iohannis baptiste vsque nunc regnum celorum vim patitur: et violenti rapiunt illud. 13 Omnes enim prophete et lex vsque ad iohannem prophetauerunt: 14 et si vultis recipere· ipse est helias qui venturus est. 15 Qui habet aures audiendi audiat. 16 Cui autem similem est estimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro: qui clamantes coequalibus 17 dicunt. Cecinimus vobis et non saltastis: lamentauimus non saltastis: lamentauimus et non planxistis. 18 Venit enim iohannes non planxistis. Venit enim iohannes neque manducans neque bibens: et dicunt neque manducans neque demonium habet. 19 Venit filius hominis manducans et bibens: et dicunt ecce homo vorax et potator vini publicanorum et peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia a filijs suis. 20 Tunc cepit exprobrare ciuitatibus in quibus facte sunt plurime virtutes eius: quia non egissent penitentiam. 21 Ve tibi corozaim· ve tibi bethsaida: quia si in tyro et sydone essent virtutes que facte sunt in vobis: olim in cilicio et cinere penitentiam egissent. 22 Veruntamen dico vobis: tyro et sydoni remissius erit in die iudicij quam vobis. 23 Et tu capharnaum· numquid vsque in celum exaltaberis? Vsque in infernum descendes. Quia si in sodomis facte fuissent virtutes que facte sunt in te: forte mansissent vsque in hanc diem. 24 dico vobis: quia terre sodomorum remissius erit in die iudicij quam tibi. 25 In illo tempore respondens ihesus dixit. Confitebor tibi pater domine celi et terre: quia abscondisti hec a sapientibus et prudentibus: et reuelasti ea paruulis. 26 Ita pater: quoniam sic fuit placitum ante te. 27 Omnia michi tradita sunt a patre meo. Et nemo nouit filium nisi pater: meo. Et nemo nouit nisi pater: mulierum maior iohanne baptista. Qui autem minor est in regno celorum maior est illo. A diebus autem iohannis baptiomnes neque patrem quis nouit nisi et cui voluerit filius reuelare. 28 Venite ad me qui laboratis et ste vsque nunc regnum celorum vim patitur: omnes qui laboratis et onerati estis: et ego reficiam 29 vos. Tollite iugum meum super vos: et discite a me quia mitis sum et humilis corde: et inuenietis requiem animabus vestris. 30 Iugum enim meum suaue est: et onus meum leue.

12 In illo tempore abijt ihesus per sata sabbato: discipuli autem eius esurientes ceperunt vellere spicas et manducare. 2 Pharisei autem videntes· dixe ei. Ecce discipuli tui faciunt: quod non licet eis facere sabbatis. 3 At ille dixit eis. Non legistis quid fecerit dauid quando esurijt et qui cum eo erant· 4 quomodo intrauit in domum dei· et panes propositionis comedit· quos non licebat ei edere neque hijs qui cum eo erant: nisi solis sacerdotibus? 5 Aut non legistis in lege· quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant: et sine crimine sunt? 6 Dico autem vobis: quia templo maior est hic. 7 Si autem sciretis quid est misericordiam volo et non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes. 8 Dominus est enim filius hominis: etiam sabbati. 9 Et cum inde transisset: venit in synagogam eorum. 10 Et ecce homo manum habens aridam: et interrogabant eum dicentes. Si licet sabbatis curare? Vt accusarent eum. 11 Ipse autem dixit illis. Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnam? et si reciderit hec sabbatis in foueam: nonne Et tenebit et leuabit eam? 12 Quantomagis melior est homo oue. Itaque licet sabbatis benefacere. 13 Tunc ait homini. Extende manum tuam. Et extendit: et restituta est sanitati sicut altera. 14 Exeuntes autem pharisei· consilium faciebant aduersus eum: quomodo perderent eum. 15 Ihesus autem sciens recessit inde: et secuti sunt eum multi: et curauit eos omnes. 16 Et precepit eis· ne manifestum eum facerent: 17 vt adimpleretur quod dictum est per ysaiam prophetam dicentem. 18 Ecce puer meus quem elegi: dilectus meus in quo bene complacuit anime mee. Ponam spiritum meum super eum: et iudicium gentibus nunciabit. 19 Non contendet neque clamabit: neque audiet aliquis in plateis vocem eius. 20 Arundinem quassatam non confringet· et linum fumigans non extinguet: donec eiciat ad victoriam iudicium: 21 et in nomine eius gentes sperabunt. 22 Tunc oblatus est ei demonium habens cecus et mutus: et curauit eum ita vt loqueretur et videret. 23 Et stupebant omnes turbe: et dicebant. Nunquid hic est filius dauid? 24 Pharisei autem audientes dixerunt. Hic non eicit demones: nisi beelzebub principe demoniorum. 25 Ihesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis. Omne regnum diuisum contra se desolabitur: et omnis ciuitas vel domus diuisa contra se non stabit. 26 Et si sathanas sathanan eicit: aduersus

se diuisus est. Quomodo ergo stabit regnum eius? [27] Et si ego in beelzebub eicio demones: filij vestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices erunt vestri. [28] Si autem ego in spiritu dei eicio demones: igitur peruenit in vos regnum dei. [29] Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis et vasa eius diripere: nisi prius alligauerit fortem? Et tunc domum illius diripiet. [30] Qui non est mecum contra me est: et qui non congregat mecum spargit? [31] Ideo dico vobis: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemie non remittetur. [32] Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis· remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum non remittetur ei: neque in hoc seculo. neque in futuro. [33] Aut facite arborem bonam et fructum eius bonum: aut facite arborem malam: et fructum eius malum. Siquidem ex fructu· arbor agnoscitur. [34] Progenies viperarum: quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis· os loquitur. [35] Bonus homo de bono thesauro profert bona: et malus homo de malo thesauro profert mala. [36] Dico autem vobis: quoniam omne verbum ociosum quod locuti fuerint homines: reddent rationem de eo in die iudicij. [37] Ex verbis enim tuis iustificaberis: et ex verbis tuis condemnaberis. [38] Tunc responderunt ei quidam de scribis et phariseis dicentes. Magister: volumus a te signum videre. [39] Qui respondens ait illis. Generatio mala et adultera signum querit: et signum non dabitur ei nisi signum ione prophete. [40] Sicut enim fuit ionas in ventre ceci tribus diebus et tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terre tribus diebus et tribus noctibus. [41] Viri niniuite surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam: quia penitentiam egerunt in preditione ione. Et ecce plusquam iona hic. [42] Regina austri surget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam: quia venit a finibus terre audire sapientiam salomonis. Et ecce plusquam salomon hic. [43] Cum autem immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida· querens requiem et non inuenit. [44] Tunc dicit. Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem scopis mundatam et ornatam. [45] Tunc et assumit septem alios spiritus secum nequiores se· et intrantes habitant ibi: et fiunt nouissima hominis illius· peiora prioribus. Sic erit et generationi huic pessime. [46] Adhuc eo loquente ad turbas: ecce mater eius et fratres stabant foris· querentes loqui ei. [47] Dixit autem ei quidam. Ecce mater tua et fratres tui foris stant· querentes te. [48] At ipse respondens dicenti sibi ait. Que est mater mea: et qui sunt fratres mei? [49] Et extendens manum in discipulos suos dixit. Ecce mater mea et fratres mei. [50] Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei· qui in celis est: ipse meus frater soror et mater est.

13 In In illo die exiens ihesus de domo sedebat secus mare· [2] et congregate sunt ad eum turbe multe· ita vt in nauiculam ascendens sederet: et omnis turba stabat in litore: [3] et locutus est eis multa in parabolis dicens. Ecce exijt qui seminat seminare. [4] Et dum seminat quedam ceciderunt secus viam: et venerunt volucres et comederunt ea. [5] Alia autem ceciderunt in petrosa vbi non habebant terram multam: et continuo exorta sunt quia non habebant altitudinem terre. [6] Sole autem orto estuauerunt· et quia non habebant radicem aruerunt. [7] Alia autem ceciderunt in spinas: et creuerunt spine et suffocauerunt ea. [8] Alia autem ceciderunt in terram bonam: et dabunt fructum· aliud centesimum· aliud sexagesimum: aliud tricesimum. [9] Qui habet aures audiendi audiat. [10] Et accedentes discipuli dixerunt ei. Quare in parabolis loqueris eis? [11] Qui respondens ait illis. Quia vobis datum est nosse misteria regni celorum: illis autem non est datum. [12] Qui enim habet dabitur ei et abundabit. Qui autem non habet: et quod habet auferetur ab eo. [13] Ideo in parabolis loquor eis· quia videntes non vident· et audientes non audiunt neque intelligunt: [14] et adimpletur in eis prophetia ysaie dicentis. Auditu audietis et non intelligetis: et videntes videbitis et non videbitis. [15] Incrassatum est enim cor populi huius et auribus grauiter audierunt· et oculos suos clauserunt: nequando videant oculis et auribus audiant· et corde intelligant: et conuertantur et sanem eos. [16] Vestri autem beati oculi quia vident: et aures vestre quia audiunt. [17] Amen quippe dico vobis: quia multi prophete et iusti cupierunt videre que videtis et non viderunt: et audire que auditis· et non audierunt. [18] Vos ergo audite parabolam seminantis. [19] Omnis qui audit verbum regni et non intelligit· venit malus et rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est. [20] Qui autem super petrosa seminatus est: hic est qui verbum audit· et continuo cum gaudio accipit illud. [21] Non habet autem in se radicem: sed est temporalis. Facta autem tribulatione et persecutione propter verbum: continuo scandalizabitur. [22] Qui autem est seminatus in spinis: hic est qui verbum dei audit· et sollicitudo seculi istius et fallacia diuiciarum suffocat verbum: et sine fructu efficitur. [23] Qui vero in terram bonam seminatus est: hic est qui audit verbum et intelligit et fructum affert: et facit aliud quidem centesimum· et aliud autem sexagesimum. aliud vero tricesimum. [24] Aliam parabolam proposuit illis dicens. Simile factum est regnum celorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. [25] Cum autem dormirent homines: venit inimicus eius et superseminauit zizania in medio tritici· et abijt. [26] Cum autem creuisset herba et fructum fecisset: tunc apparuerunt et zizania. [27] Accedentes autem serui patrisfamilias· dixerunt ei. Domine· nonne bonum semen seminasti in agro tuo: vnde ergo habet zizania? [28] Et ait illis. Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei. Vis imus et colligimus ea? [29] Et ait. Non. Ne forte colligentes zizania eradicetis simul et triticum. [30] Sinite vtraque crescere vsque ad messem: et in tempore messis dicam messoribus. Colligite primum zizania· et alligate ea fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. [31] Aliam parabolam proposuit eis dicens. Simile est regnum celorum grano synapis: quod accipiens homo seminauit in agro suo: [32] quod minimum quidem est omnibus seminibus. Cum autem creuerit maius est omnibus oleribus: et fit arbor ita vt volucres celi veniant et habitent in ramis eius. [33] Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum celorum fermento· quod acceptum mulier abscondit in farine satis tribus: donec fermentatum est totum. [34] Hec omnia locutus est ihesus in parabolis ad turbas: et sine parabolis non loquebatur eis· [35] vt impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meum: eructuabo abscondita a constitutione mundi. [36] Tunc dimissis turbis venit in domum: et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes. Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. [37] Qui respondens ait. Qui seminat bonum semen· est filius hominis. [38] Ager autem est mundus. Bonum vero semen. Hij sunt filij regni. Zizania autem filij sunt nequam. [39] Inimicus autem qui seminauit ea· est dyabolus. Messis vero consummatio seculi est. Messores autem angeli sunt. [40] Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur: sic erit in consummatione seculi. [41] Mittet filius hominis angelos suos· et colligent de regno eius omnia scandala· et eos qui faciunt iniquitatem: [42] et mittent eos in caminum ignis· ibi erit fletus et stridor dentium. [43] Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat. [44] Simile est regnum celorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo abscondit· et pre gaudio illius vadit et vendit vniuersa que habet: et emit agrum illum. [45] Iterum simile est regnum celorum homini negociatori: querenti bonas margaritas. [46] Inuenta autem vna preciosa margarita: abijt et vendidit omnia que habuit et emit eam. [47] Iterum simile est regnum celorum sagene misse in mare: et ex omni genere piscium congreganti. [48] Quam cum impleta esset educentes et secus litus sedentes· elegerunt bonos in vasa: malos autem foras miserunt. [49] Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli· et separabunt malos de medio iustorum· [50] et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium. [51] Intellexistis hec omnia? Dicunt ei. Etiam. [52] Ait illis. Ideo omnis scriba doctus in regno celorum similis est homini patrifamilias: qui profert de thesauro suo noua et vetera. [53] Et factum est cum consummasset ihesus parabolas istas· transijt inde. [54] Et veniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorum: ita vt mirarentur et dicerent. Vnde huic sapientia hec et virtutes? [55] Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur maria et fratres eius iacobus et ioseph· et simon et iudas: [56] et sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? [57] Et sic scandalizabantur in eo. Ihesus autem dixit eis. Non est propheta sine honore nisi in patria sua· et in domo sua. [58] Et non fecit ibi virtutes multas: propter incredulitatem illorum.

14 In illo tempore audiuit herodes tetrarcha famam ihesu: [2] et ait pueris suis. Hic est iohannes baptista: ipse surrexit a mortuis: et ideo virtutes operantur in eo. [3] Herodes enim tenuit iohannem et alligauit eum: et posuit in carcerem propter herodiadem vxorem fratris sui. [4] Dicebat enim illi iohannes. Non licet tibi habere eam. [5] Et volens illum occidere timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant. [6] Die autem natalis herodis· saltauit filia herodiadis in medio: et placuit herodi. [7] Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare: quodcunque postulasset ab eo. [8] At illa premonita a matre sua da michi inquit hic in disco: caput iohannis baptiste. [9] Et contristatus est rex: propter iuramentum autem et eos qui pariter recumbebant iussit dari. [10] Misitque et decollauit iohannem in carcere. [11] Et allatum est caput eius in disco· et datum est puelle: et illa attulit matri sue. [12] Et accedentes discipuli eius tulerunt corpus et sepelierunt illud: et venientes nunciauerunt ihesu. [13] Quod cum audisset ihesus secessit inde in nauiculam: in locum desertum seorsum. Et cum audissent turbe secute sunt eum pedestres de ciuitatibus. [14] Et exiens vidit turbam multam· et misertus est eis: et curauit languidos eorum. [15] Vespere autem facto· accesserunt ad eum discipuli eius dicentes. Desertus est locus· et hora iam preterijt dimittet turbas: vt euntes in castella emant sibi escas. [16] Ihesus autem dixit eis. Non habent necesse ire: date illis vos manducare. [17] Responderunt ei. Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces. [18] Qui ait eis. Afferte michi illos huc. [19] Et cum iussisset turbam discumbere super fenum: acceptis quinque panibus et duobus piscibus· aspiciens in celum benedixit et fregit. et dedit discipulis panes: discipuli autem turbis. [20] Et manducauerunt panes: et saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. [21] Manducantium autem fuit numerus quinque milia virorum: exceptis mulieribus et paruulis. [22] Et statim iussit discipulos ascendere in nauiculam: et precedere eum transfretum donec dimitteret turbas. [23] Et dimissa turba· ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. [24] Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. Erat enim contrarius ventus. [25] Quarta autem vigilia noctis· venit ad eos ambulans super mare. [26] Et videntes eum super mare ambulantem· turbati sunt dicentes: quia fantasma est. Et pre timore clamauerunt. [27] Statimque ihesus locutus est eis dicens. Habete fiduciam: ego sum: nolite timere. [28] Respondens autem petrus dixit. Domine si tu es· iube me venire ad te super aquas. [29] At ipse ait. Veni. Et descendens petrus de nauicula ambulabat super aquam vt veniret ad ihesum. [30] Videns vero ventum validum timuit. Et cum cepisset mergi: clamauit dicens. Domine saluum me fac. [31] Et continuo ihesus extendens manum apprehendit eum: et ait illi. Modice fidei quare dubitasti? [32] Et cum ascendisset in nauiculam: cessauit ventus. [33] Qui autem in nauicula erant: venerunt et adorauerunt eum dicentes. Vere filius dei es. [34] Et cum transfretassent: venerunt in terram genesar. [35] Et cum cognouissent eum viri loci illius· miserunt in vniuersam regionem illam· et obtulerunt ei omnes male habentes: [36] et rogabant eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunque tetigerunt· salui facti sunt.

15 Tunc accesserunt ad eum ab iherosolimis scribe et pharisei dicentes. [2] Quare discipuli tui transgrediuntur tradiciones seniorum? Non enim lauant manus suas cum panem manducant. [3] Ipse autem respondens· ait illis. Quare et vos transgredimini mandatum dei propter traditionem vestram? Nam deus dixit. [4] Honora patrem et matrem· et qui maledixerit patri vel matri· morte moriatur. [5] Vos autem dicitis· quicunque dixerit patri vel matri· munus quodcunque est ex me tibi proderit· [6] et non honorificabit patrem suum aut matrem suam: et irritum fecistis mandatum dei propter traditionem vestram. [7] Ypocrite: bene prophetauit de vobis ysaias dicens. [8] Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est a me. [9] Sine causa autem colunt me docentes doctrinas et mandata hominum. [10] Et conuocatis ad se turbis· dixit eis· Audite et intelligite. [11] Non quod intrat in os coinquinat hominem. sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem. [12] nat hominem. Tuuc accedentes discipuli eius dixerunt ei. Scis quia pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt? [13] At ille respondens ait. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus celestis eradicabitur. [14] Sinite illos: ceci sunt· et duces cecorum. Cecus autem si ceco ducatum prestet: ambo in foueam cadunt. [15] Respondens autem petrus· dixit ei. Edissere nobis parabolam istam. [16] At ille dixit. Adhuc et vos sine intellectu estis? [17] Non intelligitis· quia omne quod in os intrat in ventrem vadit· et in secessum emittitur? [18] Que autem procedunt de ore de corde exeunt: et ea coinquinant hominem. [19] De corde enim exeunt male cogitationes: homicidia· adulteria· fornicationes· furta· falsa testimonia· blasphemie. [20] Hec sunt que coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem. [21] Et egressus inde· secessit in partes tyri et sydonis. [22] Et ecce mulier chananea a finibus illius egressa· clamauit dicens ei. Miserere mei domine fili dauid: filia mea male a demonio vexatur. [23] Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius· rogabant eum dicentes. Dimitte eam: quia clamat post nos. [24] Ipse autem respondens ait. Non sum missus· nisi ad oues que perierunt domus israhel. [25] At illa venit· et adorauit eum dicens. Domine adiuua me. [26] Qui respondens ait. Non est bonum sumere panem filiorum: et mittere canibus. [27] At illa dixit. Etiam domine. Nam et catelli edunt de micis· que cadunt de mensa dominorum suorum. [28] Tunc respondens ihesus· ait illi. O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. [29] Et cum transisset inde ihesus· venit secus mare galilee: et ascendens in montem sedebat ibi. [30] Et accesserunt ad eum turbe multe· habentes secum mutos· cecos· claudos· debiles· et alios multos: et proiecerunt eos ad pedes eius: et curauit eos· [31] ita vt turbe mirarentur videntes mutos loquentes· claudos ambulantes· cecos videntes: et magnificabant deum israhel. [32] Ihesus autem conuocatis discipulis suis dixit. Misereor turbe: quia triduo iam perseuerant mecum· et non habent quod manducent. Et dimittere eos ieiunos nolo: ne deficiant in via. [33] Et dicunt ei discipuli. Vnde ergo nobis in deserto panes tantos· vt saturemus turbam tantam? [34] Et ait illis ihesus. Quot panes habetis? At illi dixerunt. Septem. Et paucos pisciculos. [35] Et precepit turbe· vt discumberent super terram. [36] Et accipiens septem panes et pisces· et gracias agens fregit et dedit discipulis suis: et discipuli dederunt populo. [37] Et comederunt omnes et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis· tulerunt septem sportas plenas. [38] Erant autem qui manducauerunt quatuor milia hominum: extra paruulos et mulieres. [39] Et dimissa turba ascendit in nauiculam: et venit in fines magedan.

16 Et accesserunt ad eum pharisei et saducei temptantes: et rogauerunt eum vt signum de celo ostenderet eis. [2] At ille respondens· ait illis. Facto vespere dicitis serenum erit: rubicundum est enim celum. [3] Et mane· hodie tempestas: rutilat enim triste celum. [4] Faciem ergo celi diudicare nostis: signa autem temporum non potestis. Generatio mala et adultera signum querit: et signum non dabitur ei nisi signum ione. Et relictis illis abijt. [5] Et cum venissent discipuli eius trans fretum: obliti sunt panes accipere. [6] Qui dixit illis. Intuemini et cauete a fermento phariseorum et saduceorum. [7] At illi cogitabant inter se dicentes. Quia panes non accepimus. [8] Sciens autem ihesus· dixit. Quid cogitatis inter vos modice fidei: quia panes non habetis? [9] Nondum intelligitis neque recordamini quinque panum· quinque milia hominum: et quot cophinos sumpsistis? [10] Neque septem panum et quatuor milia hominum· et quot sportas sumpsistis? [11] Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis: cauete a fermento phariseorum et saduceorum? [12] Tunc intellexerunt quia non dixerit cauendum a fermento panum: sed a doctrina phariseorum et saduceorum. [13] Venit autem ihesus in partes cesaree philippi: et interrogabat discipulos suos dicens. Quem dicunt homines esse filium hominis? [14] At illi dixerunt. Alij iohannem baptistam· alij heliam· alij vero iheremiam: aut vnum ex prophetis. [15] Dicit illis ihesus. Vos autem quem me esse dicitis? [16] Respondens simon petrus dixit. Tu es cristus filius dei viui. [17] Respondens autem ihesus dixit ei. Beatus es simon bar iona: quia caro et sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus qui in celis est. [18] Ego dico tibi· quia tu es petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam: et porte inferi non preualebunt aduersus eam. [19] Et tibi dabo claues regni celorum. Et quodcunque ligaueris super terram erit ligatum et in celis: et quodcunque solueris super terram erit solutum in celis. [20] Tunc precepit discipulis suis vt

nemini dicerent: quia ipse esset ihesus cristus. 21 Exinde cepit ihesus ostendere discipulis suis· quia oporteret eum ire iherosolimam· et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum: et occidi et tercia die resurgere. 22 Et assumens eum petrus· cepit increpare illum dicens. Absit a te domine: nou erit tibi hoc. 23 Qui conuersus dixit. Vade post me sathanas scandalum es michi: quia non sapis ea que dei sunt· sed ea que sunt hominum. 24 Tunc ihesus dixit discipulis suis. Si quis vult post me venire abneget semetipsum: et tollat crucem suam et sequatur me. 25 Qui enim voluerit animam suam saluam facere: perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me: inueniet eam. 26 Quid enim prodest homini si mundum vniuersum lucretur: anime vero sue detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? 27 Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: et tunc reddet vnicuique secundum opera eius. 28 Amen dico vobis: sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem· donec videant filium minis venientem in regno suo.

17 Et post Et petrum dies sex assumpsit ihesus fratrem eius: et ducit illos in montem excelsum seorsum: 2 et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. 3 Et ecce apparuerunt illis moyses et helias· cum eo loquentes. 4 Respondens autem petrus· dixit ad ihesum. Domine· bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum· et moysi vnum· et helie vnum. 5 Adhuc eo loquente: ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens. Hic est filius meus dilectus in quo michi bene complacui: ipsum audite. 6 Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam: et timuerunt valde. 7 Et accessit ihesus et tetigit eos: dixitque eis. Surgite et nolite timere. 8 Leuantes autem oculos suos· neminem viderunt: nisi solum ihesum. 9 Et descendentibus illis de monte: precepit ihesus dicens. Nemini dixeritis visionem: donec filius hominis a mortuis resurgat. 10 Et interrogauerunt eum discipuli dicentes. Quid ergo scribe dicunt quod heliam oporteat primum venire? 11 At ille respondens ait eis. Helias quidem venturus est: et restituet omnia. 12 Dico autem vobis· quia helias iam venit· et non cognouerunt eum: sed fecerunt in eo quecunque voluerunt. Sic et filius hominis passurus est ab eis. 13 Tunc intellexerunt discipuli quia de iohanne baptista dixisset eis. 14 Et cum venisset ad turbam: accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum dicens. Domine miserere filio meo quia lunaticus est: et male patitur. Nam sepe cadit in ignem: et crebro in aquam. 15 Et obtuli eum discipulis tuis: et non potuerunt curare eum. 16 Respondens ihesus dixit. O generatio incredula et peruersa· quousque ero vobiscum? Vsquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. 17 Et increpauit illum ihesus: et exijt ab eo demonium· et curatus est puer ex illa hora. 18 Tunc accesserunt discipuli ad ihesum secreto et dixerunt. Dicit Quare nos non potuimus eicere illum? 19 Dicit illis. Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis: si habueritis fidem sicut granum sinapis· dicetis monti huic transi hinc et transibit: et nichil impossibile erit vobis. 20 Hoc autem genus non eicitur· nisi per orationem et ieiunium. 21 Conuersantibus autem eis in galilea· dixit illis ihesus. Filius hominis tradendus est in manus hominum: 22 et occident eum: et tercia die resurget. Et contristati sunt vehementer. 23 Et cum venissent capharnaum: accesserunt qui didragmam accipiebant ad petrum· et dixerunt ei. Magister vester· non soluit didragmam. 24 Ait. Etiam. Et cum intrasset in domum: preuenit eum ihesus dicens. Quid tibi videtur simon? Reges terre a quibus accipiunt tributum vel censum: a filijs suis an ab alienis? 25 Et ille dixit. Ab alienis. Dixit illi ihesus. Ergo liberi sunt filij. 26 Vt autem non scandalizemus eos· vade ad mare et mitte hamum: et eum piscem qui primus ascenderit tolle· et aperto ore eius inuenies staterem: illum sumens da eis pro me et te.

18 In illa hora accesserunt discipuli ad ihesum· dicentes. Quisputas maior est in regno celorum? 2 Et aduocans ihesus paruulum: statuit eum in medio eorum· 3 et dixit. Amen dico vobis: nisi conuersi fueritis et efficiamini sicut paruuli· non intrabitis in regnum celorum. 4 Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste: hic est maior in regno celorum. 5 Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo: me suscipit. 6 Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt: expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius: et dimergatur in profundum maris. 7 Ve mundo ab scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala. Verumtamen ve homini per quem scandalum venit. 8 Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te: abscide eum et proice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum: quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem eternum. 9 Et si oculus tuus scandalizat te: erue eum et proice abs te. Bonum tibi est vnum oculum habentem in vitam intrare: quam duos oculos habentem mitti in iehennam ignis. 10 Videte ne condemnatis vnum ex hijs pusillis. Dico enim vobis: quia angeli eorum in celis semper vident faciem patris mei qui in celis est. 11 Venit enim filius hominis saluare quod perierat. 12 Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oues et errauerit vna ex eis: nonne relinquit nonagintanouem in montibus et vadit querere eam que errauit? 13 Et si contigerit vt inueniat eam: amen dico vobis· quia gaudet super eam magis quam super nonagintanouem que non errauerunt. 14 Sic non est voluntas ante patrem vestrum qui in celis est: vt pereat vnus de pusillis istis. 15 Si autem peccauerit in te frater tuus: vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit: lucratus eris fratrem tuum. 16 Si autem non te audierit· adhibe tecum adhuc vnum vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. 17 Quod si non audierit eos: dic ecclesie. Si autem ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus et publicanus. 18 Amen dico vobis: quecunque alligaueritis super terram erunt ligata et in celo: et quecunque solueritis super terram erunt soluta et in celo. 19 Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque pecierint: fiet illis a patre meo qui in ce celis est. 20 Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo: ibi sum in medio eorum. 21 Tunc accedens petrus ad eum dixit. Domine· quotiens peccabit in me frater meus: et dimittam ei vsque es? 22 Dicit illi ihesus. Non dico tibi vsque sed vsque septuagies septies. 23 Ideo assimilatum est regnum celorum homini regi: qui voluit rationem ponere cum seruis suis. 24 Et cum cepisset rationem ponere: oblatus est ei vnus qui debebat ei decem milia talenta. 25 Cum autem non haberet vnde redderet: iussit eum dominus eius venundari· et vxorem eius et filios. et omnia que habebat: et reddi. 26 Procidens autem seruus ille· orabat eum dicens. Patientiam habe in me: et omnia reddam tibi. 27 Misertus autem dominus serui illius· dimisit eum: et debitum dimisit ei. 28 Egressus autem seruus ille: inuenit vnum de conseruis suis· qui debebat ei centum denarios: et tenens· suffocabat eum di dicens. Redde quod debes. 29 Et procidens conseruus eius· rogabat eum dicens. Patientiam habe in me: et omnia reddam tibi. 30 Ille autem noluit: sed abijt et misit eum in carcerem· donec redderet debitum. 31 Videntes autem conserui eius que fiebant· contristati sunt valde: et venerunt et narrauerunt domino suo omnia que facta fuerant. 32 Tunc vocauit illum dominus suus: et ait illi. Serue nequam: omne debitum dimisi tibi· quoniam rogasti me. 33 Nonne ergo oportuit et te misereri conserui tui· sicut et ego tui misertus sum? 34 Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus: quo adusque redderet vniuersum debitum. 35 Sic et pater meus celestis faciet vobis: si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

19 Et factum est cum consummasset ihesus sermones istos migrauit a galilea: et venit in fines iudee trans iordanen· 2 et secute sunt eum turbe multe: et curauit eos ibi. 3 Et accesserunt ad eum pharisei temptantes eum et dicentes. Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa? 4 Qui respondens ait eis. Non legistis quia qui fecit homines ab inicio masculum et feminam fecit eos? Et dixit. 5 Propter hoc dimittet homo patrem et matrem· et adherebit vxori sue: et erunt duo in carne vna. 6 Itaque iam non sunt duo· sed vna caro. Quod deus coniunxit: homo non separet. 7 Dicunt illi. Quid ergo moyses mandauit dari libellum repudij et dimittere? 8 Ait illis. Quoniam moyses ad duriciam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab inicio autem non fuit sic. 9 Dico autem vobis: quia quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit: mechatur. Et qui dimissam duxerit mechatur. 10 Dicunt ei discipuli eius. Si ita est causa hominis

cum vxore: non expedit nubere. 11 Qui dixit. Non omnes capiunt verbum istud: sed quibus datum est. 12 Sunt enim eunuchi qui de matris vtero signati sunt: et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi qui se ipsos crastrauerunt propter regnum celorum. Qui potest capere capiat. 13 Tunc oblati sunt ei paruuli: vt manus eis imponeret et oraret. Discipuli autem increpabant eos. 14 Ihesus vero ait eis. Sinite paruulos· et nolite eos prohibere ad me venire· talium est enim regnum celorum. 15 Et cum imposuisset eis manus: abijt inde. 16 Et ecce vnus accedens ait illi. Magister bone: quid boni faciam vt habeam vitam eternam? 17 Qui dixit ei. Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus deus. Si autem vis ad vitam ingredi: serua mandata. 18 Dicit illi. Que? Ihesus autem dixit. Non homicidium facias· non adulterabis· non facies furtum· non falsum testimonium dices: 19 honora patrem et matrem· diliges proximum tuum sicut te ipsum. 20 Dicit illi adolescens. Omnia hec custodiui: quid adhuc michi deest? 21 Ait illi ihesus. Si vis perfectus esse· vade vende que habes et da pauperibus· et habebis thesaurum in celo: et veni sequere me. 22 Cum audisset autem adolescens verbum: abijt tristis. Erat enim habens multas possessiones. 23 Ihesus autem dixit discipulis suis. Amen dico vobis: quia diues difficile intrabit in regnum celorum. 24 Et iterum dico vobis. Facilius est camelum per foramen acus transire: quam diuitem intrare in regnum celorum. 25 Auditis autem hijs discipuli mirabantur valde dicentes. Quis ergo poterit saluus esse? 26 Aspiciens autem ihesus· dixit illis. Apud homines hoc impossibile est: apud deum autem omnia possibilia sunt. 27 Tunc respondens petrus· dixit ei. Ecce nos reliquimus omnia: et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? 28 Ihesus autem dixit illis. Amen dico vobis: quod vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue· sedebitis et vos super sedes duodecim· iudicantes duodecim tribus israhel. 29 Et omnis qui reliquit domum vel fratres aut sorores· aut patrem aut matrem aut vxorem aut filios aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet· et vitam eternam possidebit. 30 Multi autem erunt primi nouissimi: et nouissimi primi.

20 Simile est regnum celorum homini patrifamilias: qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. 2 Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno: misit eos in vineam suam. 3 Et egressus circa horam terciam: vidit alios stantes in foro ociosos· 4 et illis dixit. Ite et vos in vineam· et quod iustum fuerit dabo vobis. 5 Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam et nonam horam: et fecit similiter. 6 Circa vndecimam vero exijt: et inuenit alios stantes· et dicit illis. Quid hic statis tota die ociosi? 7 Dicunt ei. Quia nemo nos conduxit. Dicit illis. Ite et vos in vineam. 8 Cum sero autem factum esset. dicit dominus vinee procuratori suo. Voca operarios et redde illis mercedem: incipiens a nouissimis vsque ad primos. 9 Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant: acceperunt singulos denarios. 10 Venientes autem et primi· arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios. 11 Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias 12 dicentes. Hij nouissimi vna hora fecerunt: et pares illos nobis fecisti qui portauimus pondus diei et estus? 13 At ille respondens vni eorum dixit. Amice· non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecum? 14 Tolle quod tuum est et vade. Volo autem et huic nouissimo dare· sicut et tibi. 15 Aut non licet michi quod volo facere? An oculus tuus nequam est· quia ego bonus sum? 16 Sic erunt nouissimi primi: et primi nouissimi. Multi enim sunt vocati: pauci vero electi. 17 Et ascendens ihesus iherosolimam: assumpsit duodecim discipulos secreto· et ait illis. 18 Ecce ascendimus iherosolimam· et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis: et condemnabunt eum morte: 19 et tradent eum gentibus ad deludendum et flagellandum: et crucifigen dum: et tercia die resurget. 20 Tunc accessit ad eum mater filiorum zebedei cum filijs suis: adorans et petens aliquid ab eo. 21 Qui dixit ei. Quid vis? Ait illi. Dic vt sedeant hij duo filij mei vnus ad dexteram tuam· et vnus ad sinistram in regno tuo. 22 Re Respondens autem ihesus dixit. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei. Possumus. 23 Ait illis. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam et sinistram non est meum dare vobis: sed quibus paratum est a patre meo. 24 Et audientes decem· indignati sunt de duobus fratribus. 25 Ihesus autem vocauit eos ad se· et ait. Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui maiores sunt potestatem exercent inter eos? 26 Non ita erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri: sit vester minister. 27 Et qui voluerit inter vos primus esse: erit vester seruus. 28 Sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare: et dare animam suam redemptionem pro multis. 29 Et egredientibus illis ab iericho: secuta est eum turba multa. 30 Et ecce duo ceci sedentes secus viam· audierunt quia ihesus transiret: et clamauerunt dicentes. Domine: miserere nostri· fili dauid. 31 Turba autem increpabat eos vt tacerent. At illi magis clamabant dicentes. Domine: miserere nostri· fili dauid. 32 Et stetit ihesus: et vocauit eos et ait. Quid vultis vt faciam vobis? 33 Domine vt aperiantur oculi nostri. 34 Misertus autem eorum ihesus: tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt: et secuti sunt eum.

21 Et appropinquassent cum iherosolimis et venissent bethfage ad montem oliueti: tunc ihesus misit duos discipulos 2 dicens eis. Ite in castellum quod contra vos est: et statim inuenietis asinam alligatam et pullum cum ea: soluite et adducite michi. 3 Et si quis vobis aliquid dixerit· dicite quia dominus hijs opus habet: et confestim dimittet eos. 4 Hoc autem factum est: vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem. 5 Dicite filie syon: ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam· et pullum filium subiugalis. 6 Euntes autem discipuli fecerunt sicut precepit illis ihesus. 7 Et adduxerunt asinam et pullum et imposuerunt super eos vestimenta sua: et eum desuper sedere fecerunt. 8 Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cedebant ramos de arboribus: et sternebant in via. 9 Turbe autem que precedebant et que sequebantur· clamabant dicentes. Osanna filio dauid: benedictus qui venit in nomine domini: osanna in altissimis. 10 Et cum intrasset iherosolimam: commota est vniuersa ciuitas dicens. Quis est hic? 11 Populi autem dicebant. Hic est ihesus propheta· a nazareth galilee. 12 Et intrauit ihesus in templum dei· et eiciebat omnes vendentes et ementes in templo: et mensas nummulariorum· et cathedras vendentium columbas euertit: 13 et dicit eis. Scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. 14 Et accesserunt ad eum ceci et claudi in templo: et sanauit eos. 15 Videntes autem principes sacerdotum et scribe mirabilia que fecit: et pueros clamantes in templo et dicentes· osanna filio dauid: indignati sunt· 16 et dixerunt ei. Audis quid isti dicunt? Ihesus autem dixit eis. Vtique. Nunquam legistis quia ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem? 17 Et relictis illis abijt foras extra ciuitatem in bethaniam: ibique mansit. 18 Mane autem reuertens in ciuitatem· esurijt. 19 Et videns fici arborem vnam secus viam venit ad eam· et nichil inuenit in ea nisi folia tantum: et ait illi. Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. 20 Et videntes discipuli· mirati sunt dicentes. Quomodo continuo aruit? 21 Respondens autem ihesus. Ait eis. Amen dico vobis: si habueritis fidem et non hesitaueritis· non solum de ficulnea facietis: sed et si monti huic dixeritis tolle et iacta te in mare· fiet. 22 Et omnia quecunque pecieritis in oratione credentes accipietis. 23 Et cum venisset in templum: accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum et seniores populi dicentes. In qua potestate hec facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? 24 Respondens ihesus· dixit eis. Interrogabo vos et ego vnum sennonem: quem si dixeritis michi et ego vobis dicam in qua potestate hec facio. 25 Baptismum iohannis vnde erat. e celo· an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes. 26 Si dixerimus e celo: dicet nobis. Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus ex hominibus: timemus turbam. Omnes enim habebant iohannem sicut prophetam. 27 Et respondentes ihesu· dixerunt. Nescimus. Ait illis et ipse. Nec ego dico vobis in qua potestate hec facio. 28 Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios: et accedens ad primum dixit. Fili· vade hodie operari in vineam meam. 29 Ille autem respondens ait. Nolo. Postea autem penitentia motus abijt. 30 Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens ait. Eo domine. Et non iuit. 31 Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt. Primus. Dicit illis ihesus. Amen dico vobis: quia publicani et

meretrices precedunt vos in regno dei. 32 Venit autem ad vos iohannes in via iusticie: et non credidistis ei. Publicani autem et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec penitentiam habuistis postea· vt crederetis ei. 33 Aliam parabolam audite. Homo erat paterfamilias qui plantauit vineam: et sepem circundedit ei· et fodit in ea torcular: et edificauit turrim· et locauit eam agricolis: et peregre profectus est. 34 Cum autem tempus fructuum appropinquasset: misit seruos suos ad agricolas vt acciperent fructus eius. 35 Et agricole apprehensis seruis eius· alium ceciderunt· alium occiderunt: alium vero lapidauerunt. 36 Iterum misit alios seruos plures prioribus: et fecerunt illis similiter. 37 Nouissime autem misit ad eos filium suum dicens: verebuntur filium meum. 38 Agricole autem videntes filium· dixerunt intra se. Hic est heres: venite occidamus eum· et habebimus hereditatem eius. 39 Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam· et occiderunt. 40 Cum ergo venerit dominus vinee· quid faciet agricolis illis? 41 Aiunt illi. Malos male perdet: et vineam locabit alijs agricolis· qui reddant ei fructum temporibus suis. 42 Dicit illis ihesus. Nunquam legistis in scripturis· lapidem quem reprobauerunt edificantes· hic est factus in caput anguli? A domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris. 43 Ideo dico vobis: quia auferetur a vobis regnum dei· et dabitur genti facienti fructus eius. 44 Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem vero ceciderit· conterit eum. 45 Et cum audissent principes sacerdotum et pharisei parabolas eius: cognouerunt quod de ipsis diceret. 46 Et querentes eum tenere timuerunt turbas: quomodo sicut prophetam eum habebant

22 Et respondens ihesus dixit iterum in parabolis eis dicens. 2 Simile factum est regnum celorum homini regi: qui fecit nuptias filio suo. 3 Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: et nolebant venire. 4 Iterum misit alios seruos dicens. Dicite inuitatis. Ecce prandium meum paraui· tauri mei et altilia occisa· et omnia parata: venite ad nuptias. 5 Illi autem neglexerunt: et abierunt alius in villam suam· alius vero ad negociationem suam. 6 Reliqui vero tenuerunt seruos eius: et contumelia affectos occiderunt. 7 Rex autem cum audisset iratus est: et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos· et ciuitatem illorum succendit. 8 Tunc ait seruis suis. Nuptie quidem parate sunt: sed qui inuitati erant non fuerunt digni. 9 Ite ergo ad exitus viarum: et quoscunque inueneritis· vocate ad nuptias. 10 Et egressi serui eius in vias congregauerunt omnes quos inuenerunt malos et bonos: et implete sunt nuptie discumbentium. 11 Intrauit autem rex vt videret discumbentes: et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. 12 Et ait illi. Amice: quomodo huc intrasti· non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. 13 Tunc dixit rex ministris. Ligatis manibus et pedibus eius· mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. 14 Multi enim sunt vocati: pauci vero electi. 15 Tunc abeuntes pharisei consilium inierunt: vt caperent eum in sermone. 16 Et mittunt ei discipulos suos· cum herodianis dicentes. Magister· scimus quia verax es et viam dei in veritate doces: et non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. 17 Dic ergo nobis: quid tibi videtur. Licet censum dare cesari· aut non? 18 Cognita autem ihesus nequitia eorum ait. Quid me temptatis ypocrite? 19 Ostendite michi nummisma census. At illi obtulerunt ei denarium. 20 Et ait illis ihesus. Cuius est ymago hec et superscriptio? 21 Dicunt ei. Cesaris. Tunc ait illis. Reddite ergo que sunt cesaris cesari: et que sunt dei deo. 22 Et audientes mirati sunt: et relicto eo abierunt. 23 In illo die accesserunt ad eum sadducei qui dicunt non esse resurrectionem: et interrogauerunt eum 24 dicentes. Magister: moyses dixit. Si quis mortuus fuerit non habens filium· vt ducat frater eius vxorem illius· et suscitet semen fratri suo. 25 Erant autem apud nos septem fratres· et primus vxore ducta defunctus est: et non habens semen reliquit vxorem suam fratri suo. 26 Similiter secundus et tercius: vsque ad septimum. 27 Nouissime autem omnium· et mulier defuncta est. 28 In resurrectione ergo cuius erit de septem vxor? Omnes enim habuerunt eam. 29 Respondens autem ihesus· ait illis. Erratis nescientes scripturas: neque virtutem dei. 30 In resurrectione enim neque nubent· neque nubentur: sed sunt sicut angeli dei in celo. 31 De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a deo dicente vobis? 32 Ego sum deus abraham: et deus ysaac· et deus iacob. Non est deus mortuorum: sed viuentium. 33 Et audientes turbe mirabantur in doctrina eius. 34 Pharisei autem audientes quod silentium imposuisset sadduceis· conuenerunt in vnum: 35 et interrogauit eum vnus ex eis legisdoctor temptans eum. 36 Magister· quod est mandatum magnum in lege? 37 Ait illi ihesus. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua· et in tota mente tua. 38 Hoc est maximum· et primum mandatum. 39 Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum· sicut teipsum. 40 In hijs duobus mandatis· vniuersa lex pendet et prophete. 41 Congregatis autem phariseis· iuterrogauit eos ihesus 42 dicens. Quid vobis videtur de cristo cuius filius est? Dicunt ei. Dauid. 43 Ait illis. Quomodo ergo dauid in spiritu vocat eum dominum dicens: 44 dixit dominus domino meo· sede a dextris meis. Donec ponam inimicos tuos· scabellum pedum tuorum? 45 Si ergo dauid vocat eum dominum: quomodo filius eius est? 46 Et nemo poterat respondere ei verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

23 Tunc ihesus locutus est ad turbas· et ad discipulos suos 2 dicens. Super cathedram moysi· sederunt scribe et pharisei. 3 Omnia ergo quecunque dixerint vobis· seruate et facite. Secundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim· et non faciunt. 4 Alligant autem onera grauia et importabilia· et imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. 5 Omnia vero opera sua faciunt· vt videantur ab hominibus. Dilatant enim philacteria sua: et magnificant fimbrias. 6 Amant autem primos recubitus in cenis· et primas cathedras in synagogis 7 et salutationes in foro: et vocari ab hominibus rabbi. 8 Vos autem nolite vocari rabbi. Vnus est enim magister vester: omnes autem vos fratres estis. 9 Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester qui in celis est. 10 Nec vocemini magistri: quia magister vester· vnus est cristus. 11 Qui maior est vestrum· erit minister vester. 12 Qui autem se exaltauerit humiliabitur: et qui se humiliauerit exaltabitur. 13 Ve autem vobis scribe et pharisei ypocrite: quia clauditis regnum celorum ante homines. Vos enim non intratis: nec introeuntes sinitis intrare. 14 Ve vobis scribe et pharisei ypocrite qui comeditis domus viduarum· orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium. 15 Ve vobis scribe et pharisei ypocrite: quia circuitis mare et aridam· vt faciatis vnum proselitum: et cum fuerit factus· facitis eum filium iehenne duplo quam vos. 16 Ve vobis duces ceci· qui dicitis quicunque iurauerit per templum nichil est: qui autem iurauerit in auro templi debitor est. 17 Stulti et ceci: quid enim maius est· aurum an templum quod sanctificat autem? 18 Et quicunque iurauerit in altari· nichil est. Quicunque autem iurauerit in dono quod est super illud· debet. 19 Ceci· quid enim maius est· donum· an altare quod significat donum? 20 Qui ergo iurat in altari: iurat in eo· et in omnibus que super illud sunt. 21 Et quicunque iurauerit in templo: iurat in illo et in eo qui habitat in ipso. 22 Et qui iurat in celo: iurat in throno dei· et in eo qui sedet super eum. 23 Ve autem vobis scribe et pharisei ypocrite· qui decimatis mentam et anetum et cyminum: et reliquistis que grauiora sunt legis· iudicium et misericordiam et fidem. Hec oportuit facere· et illa non omittere. 24 Duces ceci excolantes culicem: camelum autem glutientes. 25 Ve vobis scribe et pharisei ypocrite· mundatis quod de foris est calicis et parabsidis: intus autem pleni estis rapina et immundicia. 26 Pharisee cece· munda prius quod intus est calicis et parabsidis: vt fiat et id quod de foris est mundum. 27 Ve vobis scribe et pharisei ypocrite· quia similes estis sepulcris dealbatis· que a foris parent hominibus speciosa: intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. 28 Sic et vos a foris quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis ypocrisi et iniquitate. 29 Ve vobis scribe et pharisei ypocrite· qui edificatis sepulcra prophetarum: et ornatis monumenta iustorum· 30 et dicitis. Si fuissemus in diebus patrum nostrorum· non essemus socij eorum in sanguine prophetarum. 31 Itaque testimonio estis vobismetipsis· quia filij estis eorum qui prophetas occiderunt. 32 Et vos implete mensuram patrum vestrorum. 33 Serpentes et genimina viperarum· quomodo fugietis a iudicio gehenne? 34 Ideo dico vobis. Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas: et ex illis occidetis et crucifigetis· et ex eis flagellabitis in synagogis vestris: et

persequimini de ciuitate in ciuitatem: [35] vt veniat super vos mnis sanguis iustus qui effusus est super terram. A sanguine abel iusti· vsque ad sanguinem zacharie filij barachie: quem occidistis inter templum et altare. [36] Amen dico vobis· venient hec omnia super generationem istam. [37] Iherusalem iherusalem· que occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt: quotiens volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas· et noluisti. [38] Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. [39] Dico enim vobis: non me videbitis amodo donec dicatis. Benedictus qui venit in nomine domini.

24 Et egressus ihesus de templo ibat. Et accesserunt discipuli eius vt ostenderent ei edificationes templi. [2] Ipse autem respondens· dixit illis. Videtis hec omnia? Amen dico vobis: non relinquetur hic lapis super lapidem· qui non destruatur. [3] Sedenti autem eo super montem oliueti· accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes. Dic nobis quando hec erunt: et quod signum aduentus tui· et consummationis seculi? [4] Et respondens ihesus dixit eis. Videte ne quis vos seducat. [5] Multi enim venient in nomine meo dicentes· ego sum cristus: et multos seducent. [6] Audituri enim estis prelia et opiniones preliorum: videte ne turbemini. Oportet enim hec fieri: sed nondum est finis. [7] Consurget enim gens in gentem· et regnum in regnum: et erunt pestilentie et fames· et terre motus per loca. [8] Hec autem omnia· inicia sunt dolorum. [9] Tunc tradent vos in tribulationem· et occident vos: et eritis odio omnibus gentibus· propter nomen meum. [10] Et tunc scandalizabuntur multi· et inuicem tradent: et odio habebunt inuicem. [11] Et multi pseudo prophete surgent· et seducent multos: [12] et quomodo abundabit iniquitas· refrigescet caritas multorum. [13] Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. [14] Et predicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe· in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio. [15] Cum ergo videritis abominationem desolationis· que dicta est a daniele propheta stantem in loco sancto: qui legit intelligat. [16] Tunc qui in iudea sunt fugiant ad montes: [17] et qui in tecto non descendant tollere aliquid de domo sua: [18] et qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam. [19] Ve autem pregnantibus et nutrientibus in illis diebus. [20] Orate autem· vt non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato. [21] Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab inicio mundi vsque modo· neque fiet. [22] Et nisi breuiati fuissent dies illi· non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. [23] Tunc si quis vobis dixerit· ecce hic est cristus aut ecce illic: nolite credere. [24] Surgent enim pseudo cristi et pseudo prophete· et dabunt signa magna et prodigia: ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. [25] Ecce predixi vobis. [26] Si ergo dixerint vobis ecce in deserto est· nolite exire: ecce in penetrabilibus· nolite credere. [27] Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret vsque in occidentem: ita erit et aduentus filij hominis. [28] Vbicunque fuerit corpus: illuc congregabuntur et aquile. [29] Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur: et luna non dabit lumen suum· et stelle cadent de celo· et virtutes celorum commouebuntur: [30] et tunc parebit signum filij hominis in celo. Et tunc plangent omnes tribus terre: et videbunt filium hominis venientem in nubibus celi cum virtute multa et maiestate. [31] Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna: et congregabunt electos eius a quatuor ventis· a summis celorum vsque ad terminos eorum. [32] Ab arbore autem fici discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit et folia nata· scitis quia prope est estas. [33] Ita et vos cum videritis hec omnia· scitote quia prope est in ianuis. [34] Amen dico vobis: quia non preteribit generatio hec donec omnia fiant. [35] Celum et terra transibunt: verba vero mea non preteribunt. [36] De die autem illa et hora nemo scit· neque angeli celorum: nisi pater solus. [37] Sicut autem in diebus noe· ita erit et aduentus filij hominis. [38] Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes et bibentes· nubentes et nuptui tradentes· vsque ad eum diem quo intrauit in arcam noe: [39] et non cognouerunt donec venit diluuium et tulit omnes: ita erit et aduentus filij hominis. [40] Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur et vnus relinquetur. [41] Due molentes in mola: vna assumetur et vna relinquetur. Duo in lecto: vnus assumetur et vnus relinquetur. [42] Vigilate ergo quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. [43] Illud autem scitote: quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset· vigilaret vtique et non sineret perfodi domum suam. [44] Ideo et vos estote parati: quia qua nescitis hora filius hominis venturus est. [45] Quisputas est fidelis seruus et prudens· quem constituit dominus suus supra familiam suam: vt det illis cibum in tempore. [46] Beatus ille seruus: quem cum venerit dominus eius inuenerit sic facientem. [47] Amen dico vobis: quoniam super omnia bona sua constituet eum. [48] Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo· moram facit dominus meus venire: [49] et ceperit percutere conseruos suos: manducet autem et bibat cum ebriosis: [50] veniet dominus serui illius in die qua non sperat· et hora qua ignorat: [51] et diuidet eum· partemque eius ponet cum ypocritis: illic erit fletus et stridor dentium.

25 Tunc simile erit regnum celorum decem virginibus: que accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso et sponse. [2] Quinque autem ex eis erant fatue: et quinque prudentes. [3] Sed quinque fatue acceptis lampadibus: non sumpserunt oleum secum. [4] Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. [5] Moram autem faciente sponso: dormitauerunt omnes et dormierunt. [6] Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit exite obuiam ei. [7] Tunc surrexerunt omnes virgines ille: et ornauerunt lampades suas. [8] Fatue autem sapientibus dixerunt. Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostre extinguuntur. [9] Responderunt prudentes dicentes. Ne forte non sufficiat nobis et vobis: ite potius ad vendentes et emite vobis. [10] Dum autem irent emere venit sponsus: et que parate erant intrauerunt cum eo ad nuptias: et clausa est ianua. [11] Nouissime vero veniunt et relique virgines dicentes. Domine domine· aperi nobis. [12] At ille respondens ait. Amen dico vobis: nescio vos. [13] Vigilate itaque: quia nescitis diem neque horam. [14] Sicut enim homo peregre proficiscens vocauit seruos suos: et tradidit illis bona sua. [15] Et vni dedit quinque talenta· alij autem duo· alij vero vnum: vnicuique secundam propriam virtutem: et profectus est statim. [16] Abijt autem qui quinque talenta acceperat: et operatus est in eis et lucratus est alia [17] Similiter qui duo. acceperat lucratus est alia duo. [18] Qui autem vnum acceperat abiens fodit in terram: et abscondit pecuniam domini sui. [19] Post multum vero temporis venit dominus seruorum illorum: et posuit rationem cum eis. [20] Et accedens qui quinque talenta acceperat: obtulit alia quinque talenta dicens. Domine quinque talenta tradidisti michi: ecce alia quinque superlucratus sum. [21] Ait illi dominus eius: Euge serue bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis· super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. [22] Accessit autem et qui duo talenta acceperat· et ait. Domine duo talenta tradidisti michi: ecce alia duo lucratus sum. [23] Ait illi dominus eius. Euge serue bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis· super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. [24] Accedens autem et qui vnum talentum acceperat ait. Domine scio quia homo durus es: metis vbi non seminasti· et congregas vbi non sparsisti: [25] et timens abij et abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. [26] Respondens autem dominus eius· dixit ei. Serue male et piger: sciebas quia meto vbi non semino· et congrego vbi non sparsi. [27] Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs: et veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura. [28] Tollite itaque ab eo talentum: et date ei qui habet decem talenta. [29] Omni enim habenti dabitur et abundabit: ei non habet· quod habere auferetur eo: [30] et inutilem seruum eicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium. [31] Cum autem venerit filius hominis in maiestate et omnes angeli cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis sue· [32] et congregabuntur ante eum omnes gentes: et separabit eos abinuicem· sicut pastor segregat oues ab hedis. [33] Et statuet oues quidem a dextris suis: hedos autem a sinistris. [34] Tunc dicet rex hijs qui a dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. [35] Esuriui enim· et dedistis michi manducare. Sitiui et dedistis michi bibere· Hospes eram· et collegistis me. [36] Nudus et operuistis me. Infirmus· et visitastis me. In carcere eram· et venistis ad [37] Tunc respondebunt ei iusti dicentes. Domine· quando te vidimus esurientem et pauimus: sitientem· et dedimus tibi potum? [38] Quando autem te vidimus hospitem et collegimus te: aut nudum et cooperuimus te? [39] Aut quando te

vidimus infirmum aut in carcere: et venimus ad te? 40 Et respondens rex dicet illis. Amen dico vobis: quamdiu fecistis vni de hijs fratribus meis minimis· michi fecistis. 41 Tunc dicet et hijs qui a sinistris erunt: discedite a discedite me maledicti in ignem eternum. qui paratus est dyabolo et angelis eius. 42 Esuriui et non dedistis michi manducare. Sitiui: et non dedistis michi potum. 43 Hospes eram: et non collegistis me. Nudus: et non operuistis me. Infirmus et in carcere: et non visitastis me. 44 Tunc respondebunt ei et ipsi dicentes. Domine: quando te vidimus esurientem aut sitientem· aut hospitem· aut nudum· aut infirmum aut in carcere: et non ministrauimus tibi? 45 Tunc respondebit illis dicens. Amen dico vobis: quamdiu non fecistis vni de minoribus hijs nec michi fecistis. 46 Et ibunt supplicium in supplicium hij eternum: autem vitam iusti Et ternum: iusti autem in vitam eternam. in eternam. cum consummasset

26 Et factum est cum consummasset ihesus sermones hos omnes· diihesus dixit xit discipulis suis. 2 Scitis quia post biduum pasca fiet: et filius hominis tradetur vt crucifigatur? 3 Tunc congregati sunt principes sacerdotum· et seniores populi in atrium principis sacerdotum· qui dicebatur cayphas: 4 et consilium fecerunt vt ihesum dolo tenerent et occiderent. 5 Dicebant autem. Non in die festo. Ne forte tumultus fieret in populo. 6 Cum autem esset ihesus in bethania in domo simonis leprosi· 7 accessit ad eum mulier habens alabastrum preciosi: et effudit super caput ipsius recumbentis. 8 Videntes discipuli· indignati sunt dicentes. Vt quid perditio hec? 9 Potuit enim istud venundari multo: et dare pauperibus. 10 Sciens autem ihesus ait illis. Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum· operata est in me. 11 Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper hoc habetis. 12 Mittens enim hec vngentum in corpus meum: ad sepeliendum me fecit. 13 Amen dico vobis: vbicunque predicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo· dicetur et quod hec fecit in memoriam eius. 14 Tunc abijt vnus de duodecim qui dicitur iudas ad principes sacerdotum: 15 et ait illis. Quid vultis michi dare· et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta· argenteos. 16 Et exinde querebat oportunitatem vt eum traderet. 17 Prima autem die azimorum accesserunt discipuli ad ihesum dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere pasca? 18 At ihesus dixit. Ite in ciuitatem ad quendam: et dicite ei. Magister Magister dicit: tempus meum prope est: apud te facio pasca cum discipulis meis. 19 Et fecerunt discipuli sicut constituit illis ihesus: et parauerunt pasca. 20 Vespere autem facto· discumbebat cum duodecim discipulis suis. 21 Et edentibus illis dixit. Amen dico vobis: quia vnus vestrum me traditurus est. 22 Et contristati valde· ceperunt singuli dicere. Nunquid ego sum domine? 23 At ipse respondens ait. Qui intingit mecum manum in parabside· hic me tradet. 24 Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo: ve autem homini illi· per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei· si natus non fuisset homo ille. 25 Respondens autem iudas qui tradidit eum dixit. Nunquid ego sum rabbi? Ait illi. Tu dixisti. 26 Cenantibus autem eis· accepit ihesus panem et benedixit· ac fregit: deditque discipulis suis et ait. Accipite et comedite: hoc est corpus meum. 27 Et accipiens calicem gratias egit: et dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes. 28 Hic est enim sanguis meus noui testamenti: qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 29 Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum· cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei. 30 Et ymno dicto· exierunt in montem olivueti. 31 Tunc dicit illis ihesus. Omnes vos scandalum paciemini in me in ista nocte. Scriptum est enim. Percutiam pastorem: et dispergentur oues gregis. 32 Postque autem resurrexero: precedam vos in galileam. 33 Respondens autem petrus ait illi. Et si omnes scandalizati fuerint in te: ego nunquam scandalizabor· 34 ait illis ihesus. Amen dico tibi: quia in hac nocte antequam gallus cantet· ter me negabis. 35 Ait illi petrus. Etiam si oportuerit me mori tecum: non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. 36 Tunc venit ihesus cum illis in villam que dicitur gethsemani. Et dixit discipulis suis. Sedete hic: donec vadam illuc et orem. 37 Et assumpto petro et duobus filijs zebedei: cepit contristari et mestus esse. 38 Tunc ait illis. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Sustinete hic· et vigilate mecum. 39 Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans et dicens. Mi pater: si possibile est transeat a me calix iste. Veruntamem non sicut ego volo· sed sicut tu. 40 Et venit ad discipulos suos et inuenit eos dormientes: et dicit petro. Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? 41 Vigilate et orate: vt non intretis in temptationem. Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma. 42 Iterum secundo abijt· et orauit dicens. Pater mi· si non potest hic calix transire nisi bibam illum: fiat voluntas tua. 43 Et venit iterum: et inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati. 44 Et relictis illis: iterum abijt et orauit tercio eundem sermonem dicens. 45 Tunc venit ad discipulos suos· et dicit illis. Dormite iam et requiescite. Ecce appropinquabit hora: et filius hominis tradetur in manus peccatorum. 46 Surgite eamus. Ecce appropinquabit qui me tradet. 47 Adhuc ipso loquente· ecce iudas vnus de duodecim venit: et cum eo turba multa cum gladijs et fustibus· missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. 48 Qui autem tradidit eum· dedit illis signum dicens. Quemcunque osculatus fuero ipse est: tenete eum. 49 Et confestim accedens ad ihesum dixit. Aue rabbi. Et osculatus est eum. 50 Dixitque illi ihesus. Amice ad quid venisti? Tunc accesserunt et manus iniecerunt in ihesum: et tenuerunt eum. 51 Et ecce vnus ex hijs qui erant cum ihesu· extendens manum exemit gladium suum: et percutiens seruum principis sacerdotum amputauit auriculam eius. 52 Tunc ait illi ihesus. Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium· gladio peribunt. 53 An putas quia non possum rogare patrem meum: et exhibebit michi modo plusquam duodecim legiones angelorum? 54 Quomodo ergo implebuntur scripture? Quia sic oportet fieri. 55 In illa hora dixit ihesus turbis. Tanquam ad latronem existis cum gladijs et fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo· et non me tenuistis. 56 Hoc autem totum factum est: vt implerentur scripture prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. 57 At illi tenentes ihesum· duxerunt ad caiphan principem sacerdotum: vbi scribe et seniores conuenerant. 58 Petrus autem sequebatur eum a longe: vsque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro sedebat cum ministris· vt videret finem. 59 Principes autem sacerdotum et omne concilium querebant falsum testimonium contra ihesum· vt eum morti traderent 60 et non inuenerunt: cum multi falsi testes accessissent. Nouissime autem venerunt duo falsi testes· 61 et dixerunt. Hic dixit. Possum destruere templum dei: et post triduum reedificare illud. 62 Et surgens princeps sacerdotum ait illi. Nichil respondes ad ea que isti aduersum te testificantur? 63 Ihesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi. Adiuro te per deum viuum· vt dicas nobis si tu es cristus filius dei. 64 Dicit illi ihesus. Tu dixisti. Veruntamen dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis dei· et venientem in nubibus celi. 65 Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens. Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. 66 Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt. Reus est mortis. 67 Tunc expuerunt in faciem eius: et colaphis eum ceciderunt. Alij autem palmas in faciem ei dederunt 68 dicentes: prophetiza nobis criste. Quis est qui te percussit? 69 Petrus vero sedebat foris in atrio: et accessit ad eum vna ancilla dicens. Et tu cum ihesu galileo eras. 70 At ille negauit coram omnibus dicens: nescio quid dicis. 71 Exeunte autem illo ianuam· vidit eum alia ancilla: et ait hijs qui erant ibi. Et hic erat cum ihesu nazareno. 72 Et iterum negauit cum iuramento: quia non noui hominem. 73 Et post pusillum accesserunt qui stabant: et dixerunt petro. Vere· et tu ex illis es. Nam et loquela tua manifestum te facit. 74 Tunc cepit detestari et iurare: quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. 75 Et recordatus est petrus verbi ihesu quod dixerat: priusquam gallus cantet· ter me negabis. Et egressus foras· fleuit amare.

27 Mane autem facto· consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi aduersus ihesum: vt eum morti traderent. 2 Et vinctum adduxerunt eum: et tradiderunt pontio pilato presidi. 3 Tunc videns iudas qui eum tradidit quod damnatus esset: penitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus 4 dicens. Peccaui· tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt. Quid ad nos? Tu videris. 5 Et proiectis

argenteis in templo: recessit et abiens laqueo se suspendit. [6] Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt. Non licet eos mittere in carbonan: quia precium sanguinis est. [7] Consilio autem inito· emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum: [8] propter hoc vocatus est ager ille acheldemach: hoc est ager sanguinis· vsque in hodiernum diem. [9] Tunc impletum est quod dictum est per iheremiam prophetam dicentem. Et acceperunt triginta argenteos· precium appreciati quem appreciauerunt a filijs israhel: [10] et dederunt eos in agrum figuli· sicut constituit michi dominus. [11] Ihesus autem stetit ante presidem: et interrogauit eum preses dicens. Tu es rex iudeorum? Dicit illi ihesus. Tu dicis. [12] Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus· nichil respondit. [13] Tunc dicit illi pilatus. Non audis· quanta aduersum te dicunt testimonia? [14] Et non respondit ei ad vllum verbum: ita vt miraretur preses vehementer. [15] Per diem autem solemnem consueuerat preses dimittere populo vnum vinctum quem voluisset. [16] Habebat autem tunc vinctum insignem qui dicebatur barrabas. [17] Congregatis ergo illis dixit pilatus. Quem vultis dimittam vobis: barraban an ihesum qui dicitur cristus? [18] Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. [19] Sedente autem illo pro tribunali: misit ad eum vxor eius dicens. Nichil tibi et iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum. [20] Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis vt peterent barraban: ihesum vero perderent. [21] Respondens autem preses· ait illis. Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt· barraban. [22] Dicit illis pilatus. Quid igitur faciam de ihesu qui dicitur cristus? [23] Dicunt omnes. Crucifigatur. Ait illis preses. Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes. Crucifigatur. [24] Videns autem pilatus quia nichil proficeret sed magis tumultus fieret: accepta aqua lauit manus coram populo dicens. Innocens ego sum a sanguine huius iusti: vos videritis. [25] respondens vniuersus populus dixit. Sanguis eius super nos· et super filios nostros. [26] Tunc dimisit illis barraban: ihesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. [27] Tunc milites presidis suscipientes ihesum in pretorium· congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: [28] et exuentes eum clamidem coccineam circundederunt ei: [29] et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius: et arundinem in dextera eius: et genu flexo ante eum illudebant ei dicentes. Aue· rex iudeorum. [30] Et expuentes in eum: acceperunt arundinem et percutiebant caput eius. [31] Et postquam illuserunt ei exuerunt eum clamide· et induerunt eum vestimentis eius: et duxerunt eum vt crucifigerent. [32] Exeuntes autem inuenerunt hominem cyreneum nomine simonem. Hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius. [33] Et venerunt in locum qui dicitur golgatha: quod est caluarie locus. [34] Et dederuut ei vinum bibere· cum felle mixtum. Et cum gustasset· noluit bibere. [35] Postquam autem crucifixerunt eum· diuiserunt vestimenta eius sortem mittentes: [36] et sedentes seruabant eum. [37] Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: hic est rex iudeorum. [38] Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: vnus a dextris· et vnus a sinistris. [39] Pretereuntes autem blasphemabant eum: mouentes capita sua [40] et dicentes. Vah qui destruis templum dei et in triduo illud reedificas. Salua temetipsum: si filius dei es descende de cruce. [41] Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus dicebant. [42] Alios saluos fecit: seipsum non potest saluum facere. Si rex israhel est descendat nunc de cruce: et credimus ei. [43] Confidit in deo: liberet nunc eum si vult. Dixit enim quia dei filius sum. [44] Idipsum autem et latrones qui crucifixi erant cum eo· improperabunt ei. [45] A sexta autem hora tenebre facte sunt super vniuersam terram: vsque ad horam nonam. [46] Et circa horam nonam clamauit voce magna dicens. Heli· heli· lamazabattani. Hoc est. Deus meus· deus meus: vt quid dereliquisti me? [47] Quidam autem illic stantes et audientes· dicebant. Heliam vocat iste. [48] Et continuo currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto: et imposuit arundini· et dabat ei bibere. [49] Ceteri vero dicebant. Sine· videamus an veniat helias liberans eum. [50] Ihesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum. [51] Et ecce velum templi scissum est in duas partes· a summo vsque deorsum. Et terra mota est· et petre scisse sunt· [52] et monumenta aperta sunt: et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. [53] Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem: et apparuerunt multis. [54] Centurio autem et qui cum eo erant custodientes ihesum: viso terre motu et hijs que fiebant· timuerunt valde dicentes. Vere· filius dei erat iste. [55] Erant ibi autem mulieres multe alonge· que secute erant ihesum a galilea ministrantes ei: [56] inter quas erat maria magdalene et maria iacobi· et ioseph mater: et mater filiorum zebedei. [57] Cum autem sero factum esset· venit quidam homo diues ab arimathia nomine ioseph: qui et ipse discipulus erat ihesu. [58] Hic accessit ad pilatum· et petijt corpus ihesu. Tunc pilatus iussit reddi corpus. [59] Et accepto corpore ioseph inuoluit illud in syndone munda: [60] et posuit illud in monumento suo nouo· quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti et abijt. [61] Erat autem ibi maria magdalene· et altera maria: sedentes contra sepulcrum. [62] Altera autem die que est post parasceuen: conuenerunt principes sacerdotum et pharisei ad pilatum [63] dicentes. Domine recordati sumus· quia seductor ille dixit adhuc viuens· post tres dies resurgam. [64] Iube ergo custodiri sepulcrum vsque in diem tercium: ne forte veniant discipuli eius et furentur eum· et dicant plebi surrexit a mortuis: et erit nouissimus error peior priore. [65] Ait illis pilatus. Habetis custodiam: ite custodite sicut scitis. [66] Illi autem abeuntes· munierunt sepulcrum: signantes lapidem cum custodibus.

28 Vespere autem sabbati que lucescit in prima venit magdalene et altera maria videre sepulcrum. [2] Et ecce terre motus factus est magnus. Angelus enim domini descendit de celo: et accedens reuoluit lapidem: et sedebat super eum. [3] Erat autem aspectus eius sicut fulgur: et vestimentum eius sicut nix. [4] Pre timore autem eius exterriti sunt custodes: et facti sunt velut mortui. [5] Respondens autem angelus· dixit mulieribus. Nolite timere vos. Scio enim quod ihesum qui crucifixus est queritis. [6] Non est hic· surrexit enim· sicut dixit. Venite et videte locum: vbi positus erat dominus. [7] Et cito euntes dicite discipulis eius quia surrexit: et ecce precedet vos in galileam. Ibi eum videbitis: ecce predixi vobis. [8] Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno: currentes nunciare discipulis eius. [9] Et ecce ihesus occurrit illis dicens. Auete. Ille autem accesserunt et tenuerunt pedes eius: et adorauerunt eum. [10] Tunc ait illis ihesus. Nolite timere· ite nunciate fratribus meis vt eant in galileam: ibi me videbunt. [11] Que cum abissent: ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem et nunciauerunt principibus sacerdotum omnia que facta fuerant. [12] Et congregati cum senioribus consilio accepto· pecuniam copiosam dederunt militibus [13] dicentes. Dicite quia discipuli eius nocte venerunt· et furati sunt eum nobis dormientibus. [14] Et si hoc auditum fuerit a preside: nos suadebimus ei et securos vos faciemus. [15] At illi accepta pecunia· fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud iudeos· vsque in hodiernum diem. [16] Vndecim autem discipuli abierunt in galileam: in montem vbi constituerat illis ihesus. [17] Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. [18] Et accedens ihesus· locutus est eis dicens. Data est michi omnis potestas· in celo et in terra. [19] Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine patris et filij et spiritus sancti: [20] docentes eos seruare omnia quecunque mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus· vsque ad consummationem seculi.

Incipit prologus in euangelium secundum marcum.

Marcus euangelista dei electus· et petri in baptismate filius· atque in diuino sermone discipulus· sacerdotium in israhel agens· secundum carnem leuita ad fidem cristi conuersus· euangelium in ytalia scripsit: ostendens in eo quid et generi suo deberet et cristo. Nam inicium principij in voce prophetice exclamationis instituens ordinem leuitice electionis ostendit: vt predicans predestinatum iohannem filium zacharie in voce angeli annunciantis emissum:

non solum verbum carnem factum sed et corpus domini in omnia per verbum diuine vocis animatum· in inicio euangelice predicationis ostenderet: vt quis hec legens sciret cui inicium carnis in domino: et ihesu aduenientis habitaculum caro deberet agnoscere: atque in se verbum vocis quod in consonantibus perdiderat inueniret. Denique et perfecti euangelij opus intrans et a baptismo domini predicare deum inchoans non laborauit natiuitatem carnis quam in prioribus viderat dicere: sed tocius exprimens positionem deserti numerum ieiunij temptationem dyaboli· congregationem bestiarum· et ministerium protulit angelorum: vt instituens nos ad intelligendum singula· in breui compingens· nec auctoritatem facte rei demeret· et proficiendi operis plenitudinem non negaret. Denique amputasse sibi post fidem pollicem dicitur· vt sacerdotio reprobus haberetur: sed tantum consentiens fidei predestinata potuit electio: vt nec sic in opere verbi perderet quod prius meruerat in genere. Nam allexandrie episcopus fuit. Cuius per singula opus fuit scire et euangelij in se dicta disponere: et disciplinam legis in se agnoscere: et diuinam in carne domini intelligere naturam. Que in nos primum requiri· debinc inquisita volumus agnosci habentes mercedem exhortationis: quoniam qui plantat et qui rigat vnum sunt: qui autem incrementum prestat deus est.

Marcus

Incipit euangelium secundum marcum.

1 Inicium euangelij ihesu cristi filij dei: [2] sicut scriptum est in ysaia propheta. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam: qui preparabit viam tuam ante te. [3] Vox clamantis in deserto. Parate viam domini: rectas facite semitas eius. [4] Fuit in deserto iohannes baptizans et predicans baptismum penitentie: in remissionem peccatorum. [5] Et egrediebatur ad eum omnis iudee regio et iherosolimite vniuersi et baptizantur ab illo in iordanis flumine confitentes peccata sua. [6] Et erat iohannes vestitus pilis camelorum et zona pellicea circa lumbos eius: et locustas et mel siluestre edebat: [7] et predicabat dicens. Veniet fortior me post me: cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamentorum eius. [8] Ego baptizaui vos aqua: ille vero baptizabit vos spiritu sancto. [9] Et factum est in diebus illis: venit ihesus a nazareth galilee et baptizatus est a iohanne in iordane. [10] Et statim ascendens de aqua· vidit celos apertos: et spiritum sanctum tanquam columbam descendentem et manentem in ipso. [11] Et vox facta est de celis. Tu es filius meus dilectus: in te complacui. [12] Et statim spiritus expulit eum in desertum. [13] Et erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus: et temptabatur a sathana. Erat que cum bestijs: et angeli ministrabant ei. [14] Postquam autem traditus est iohannes: venit ihesus in galileam predicans euangelium regni dei [15] et dicens. Quoniam impletum est tempus: et appropinquauit regnum dei. Penitemini: et credite euangelio. [16] Et preteriens secus mare galilee: vidit simonem et andream fratrem eius mittentes retia in mare. Erant enim piscatores. [17] Et dixit eis ihesus. Venite post me: et faciam vos fieri piscatores hominum. [18] Et protinus relictis retibus secuti sunt eum. [19] Et progressus inde pusillum vidit iacobum zebedei et iohannem fratrem eius et ipsos componentes retia in naui: [20] et statim vocauit illos. Et relicto patre suo zebedeo in naui cum mercennarijs: secuti sunt eum. [21] Et ingrediuntur capharnaum: et statim sabbatis ingressus in sinagogam docebat eos. [22] Et stupebant super doctrina eius. Erat enim docens eos quasi potestatem habens: et non sicut scribe. [23] Et erat in sinagoga eorum homo in spiritu immundo: et exclamauit [24] dicens. Quid nobis et tibi ihesu nazarene? Venisti perdere nos. Scio qui sis: sanctus dei. [25] Et conminatus est ei ihesus dicens. Obmutesce: et exi de homine. [26] Et discerpens eum spiritus immundus· et exclamans voce magna: exijt ab eo. [27] Et mirati sunt omnes: ita vt conquirerent inter se dicentes. Quid nam est hoc? Que nam doctrina hec noua? Quia in potestate spiritibus immundis imperat: et obediunt ei. [28] Et processit rumor eius statim in omnem regionem galilee. [29] Et protinus egredientes de sinagoga: venerunt in domum simonis et andree cum iacobo et iohanne. [30] Decumbebat autem socrus simonis febricitans: et statim dicunt ei de illa. [31] Et accedens eleuauit eam apprehensa manu eius: et continuo dimisit eam febris: et ministrabat eis. [32] Vespere autem facto cum occidisset sol afferebant ad eum omnes male habentes· et demonia habentes: [33] et erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. [34] Et curauit multos qui vexabantur varijs languoribus: et demonia multa eiciebat: et non sinebat ea loqui quoniam sciebant eum. [35] Et diluculo valde surgens egressus abijt in desertum locum: ibique orabat. [36] Et prosecutus est eum simou: et qui cum illo erant. [37] Et cum inuenissent eum dixerunt ei: quia omnes querunt te. [38] Et ait illis. Eamus in proximos vicos et ciuitates: vt et ibi predicem. Ad hoc enim veni. [39] Et erat predicans in sinagogis eorum et in omni galilea: et demonia eiciens. [40] Et venit ad eum leprosus deprecans eum: et genu flexo dixit. Si vis potes me mundare. [41] Ihesus autem misertus eius extendit manum suam: et tangens eum ait illi. Volo. Mundare. [42] Et cum dixisset statim discessit ab eo lepra: et mundatus est. [43] Et comminatus est ei statimque eiecit illum: [44] et dicit ei. Vide nemini dixeris: sed vade ostende te principi sacerdotum: et offer pro emundatione tua· que precepit moyses in testimonium illis. [45] Et egressus cepit predicare et diffamare sermonem: ita vt iam non posset manifeste introire in ciuitatem sed foris in desertis locis esse: et conueniebant ad eum vndique.

2 At iterum intrauit capharnaum post dies: [2] et auditum est quod in domo esset et conuenerunt multi ita vt non caperet neque ad ianuam: et loquebatur eis verbum. [3] Et venerunt ad eum ferentes paraliticum: qui a quatuor portabatur. [4] Et cum non possent offerre eum illi pre turba nudauerunt tectum vbi erat: et patefacientes submiserunt grabatum in quo paraliticus iacebat. [5] Cum autem vidisset ihesus fidem illorum: ait paralitico. Fili dimittuntur tibi peccata tua. [6] Erant autem illic quidam de scribis sedentes: et cogitantes in cordibus suis. [7] Quid hic sic loquitur? Blasphemat. Quis potest dimittere peccata: nisi solus deus? [8] Quo statim cognito ihesus spiritu suo quia sic cogitarent intra se: dicit illis. Quid ista cogitatis in cordibus vestris? [9] Quid est facilius dicere paralitico dimittuntur tibi peccata: an dicere surge tolle grabatum tuum et ambula? [10] Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimitendi peccata: ait paralitico. [11] Tibi dico surge: tolle grabatum tuum: et vade in domum tuam. [12] Et statim surrexit ille: et sublato grabato abijt inde coram hominibus ita vt mirarentur omnes et honorificarent deum dicentes: quia nunquam sic vidimus. [13] Et egressus est rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum: et docebat eos. [14] Et cum preteriret vidit leui alphei sedentem ad theloneum: et ait illi. Sequere me. Et surgens secutus est eum. [15] Et factum est cum accumberet in domo illius: multi publicani et peccatores simul discumbebant cum ihesu et discipulis eius. Erant enim multi qui et sequebantur eum. [16] Et scribe et pharisei videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus: dixerunt discipulis eius. Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester? [17] Hoc audito ihesus ait illis. Non necesse habent sani medico: sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos: sed peccatores. [18] Et erant ieiunantes: discipuli iohannis Et erant discipuli pharisei iunantes: et veniunt et dicunt illi. Quare discipuli iohannis et phariseorum ieiunant: tui autem discipuli non ieiunant? [19] Et ait illis ihesus. Nunquid possunt filij nuptiarum quamdiu sponsus est cum illis ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum non possunt ieiunare. [20] Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: et tunc ieiunabunt in illis diebus. [21] Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri. Alioquin aufert supplementum nouum a veteri: et maior scissura fit. [22] Et nemo mittit vinum

nouum in vtres veteres: alioquin dirumpet vinum vtres: et vinum effundetur: et vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mitti debet. 23 Et factum est iterum cum sabbatis ambularet per sata: et discipuli eius ceperunt pregredi et vellere spicas. 24 Pharisei autem dicebant ei. Ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis: quod non licet. 25 Et ait illis. Nunquam legistis quid fecerit dauid quando necessitatem habuit et esurijt ipse et qui cum eo erant: 26 quomodo introiuit domum dei sub abiathar principe sacerdotum et panes propositionis non licebat manducare nisi solis sacerdotibus et dedit eis et qui cum eo erant? 27 Et dicebat eis. Sabbatum propter hominem factum est: et non homo propter sabbatum. 28 Itaque dominus est filius hominis etiam sabbati.

3 introiuit iterum in sinagogam: et erat ibi homo habens manum aridam. 2 Et obseruabant eum si sabbatis curaret: vt accusarent illum. 3 Et ait homini habenti manum aridam. Surge in medium. 4 Et dicit eis. Licet sabbatis benefacere an male: animam saluam facere an perdere? At illi tacebant. 5 Et circumspiciens illos cum ira: contristatus super cordis cecitatem eorum dicit homini. Extende manum tuam. Et extendit: et restituta est manus illi. 6 Exeuntes autem pharisei statim cum herodianis concilium faciebant aduersus eum: quomodo eum perderent. 7 Ihesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: et multa turba A galilea et iudea secuta est eum: 8 et ab iherosolimis et ab ydumea et trans et qui circa tyrum et sydonem· multitudo magna audientes que faciebat venerunt ad eum. 9 Et dixit ihesus discipulis suis: vt in nauicula sibi deseruiret propter turbam ne comprimerent eum. 10 Multos enim sanabat: ita vt irruerent in eum vt illum tangerent quotquot habebant plagas. 11 Et spiritus immundi cum illum videbant procidebant ei: et clamabant dicentes. 12 Tu es filius dei. Et vehementer comminabatur eis: ne manifestarent illum. 13 Et ascendens in montem vocauit ad se quos voluit ipse: et venerunt ad eum. 14 Et fecit vt essent duodecim cum illo: et vt mitteret eos predicare. 15 Et dedit illis potestatem curandi infirmitates: et eiciendi demonia. 16 Et imposuit simoni nomen petrus. 17 Et iacobum zebedei et iohannem fratrem iacobi: et imposuit eis nomina boanerges quod est filius tonitrui. 18 Et andream et philippum et bartholomeum et matheum: et thomam et iacobum alphei et thadeum et simonem chananeum: 19 et iudam scarioth qui tradidit illum. 20 Et veniunt ad domum. Et conuenit iterum turba: ita vt non possent neque panem manducare. 21 Et cum audissent sui: exierunt tenere eum. Dicebant enim: quoniam in furorem versus est. 22 Et scribe qui ab iherosolimis descenderant dicebant quoniam beelzebub habet: et quia in principe demoniorum eicit demonia. 23 Et conuocatis eis: in parabolis dicebat illis. Quomodo potest sathanas sathanam eicere? 24 Et si regnum in se diuidatur: non potest regnum illud stare. 25 Et si domus super semetipsam dispertiatur: non potest domus illa stare. 26 Et si sathanas consurrexerit in semetipsum dispertitus est: et non poterit stare sed finem habet. 27 Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere nisi prius fortem alliget: et tunc domum eius diripiet. 28 Amen dico vobis: quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata et blasphemie quibus blasphemauerunt. 29 Qui autem blasphemauerit in spiritum sanctum non habebit remissionem in eternum: sed reus erit eterni delicti: 30 quoniam dicebant spiritum immundum habet. 31 Et veniunt mater eius et fratres: et foris stantes miserunt ad eum vocantes eum. 32 Et sedebat circa eum turba: et dicunt ei. Ecce mater tua et fratres tui foris querunt te. 33 Et respondens eis ait. Que est mater mea et fratres circuitu mei? 34 Et circumspiciens eos qui in eius sedebant ait. Ecce mater mea et fratres mei. 35 Qui enim fecerit voluntatem dei: hic frater meus et soror mea et mater est.

4 Et iterum cepit docere ad mare: et cepit mare: et Vcongregata est ad eum turba multa ita vt in nauim ascendens sederet in mari: et omnis turba circa mare super erant: terram 2 et docebat eos in parabolis multa: et dicebat illis in doctrina sua. 3 Audite. Ecce exijt seminans ad seminandum. 4 Et dum seminat: aliud cecidit circa viam et venerunt volucres celi et comederunt illud. 5 Aliud vero cecidit super petrosa vbi non habuit terram multam: et statim exortum est quoniam non habebat altitudinem terre: 6 et quando exortus est sol exestuauit et eo quod non habebat radicem exaruit. 7 Et aliud cecidit in spinas: et ascenderunt spine et suffocauerunt illud: et fructum non dedit. 8 Et aliud cecidit in terram bonam et dabat fructum ascendentem et crescentem: et afferebat vnum triginta et vnum sexaginta: et vnum centum. 9 Et dicebat. Qui habet aures audiendi audiat. 10 Et cum esset singularis: interrogauerunt eum hij qui cum eo erant duodecim parabolam. 11 Et dicebat eis. Vobis datum est nosse misterium regni dei: illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt· 12 vt videntes videant et non videant· et audientes audiant et non intelligant: ne quando conuertantur et dimittantur eis peccata. 13 Et ait illis. Nescitis parabolam hanc? Et quomodo omnes parabolas cognoscetis? 14 Qui seminat· verbum seminat. 15 Hij autem sunt qui circa viam vbi seminatur verbum: et cum audierint confestim venit sathanas et aufert quod seminatum est in corde eorum. 16 Et hij sunt similiter qui supra petram seminantur: qui cum audierint verbum statim cum gaudio accipiunt illud 17 et non habent radicem in se sed temperales sunt: deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum confestim scandalizantur. 18 Et alij sunt qui in spinis seminantur. Hij sunt qui verbum audiunt: 19 et erumne seculi et deceptio diuitiarum et circa reliqua concupiscentie introeuntes suffocant verbum: et sine fructu efficitur. 20 Et hij sunt qui super terram bonam seminati sunt: qui audiunt verbum et suscipiunt: et fructificant vnum triginta vnum sexaginta et vnum centum. 21 Et dicebat illis. Numquid venit lucerna vt sub modio ponatur aut sub lecto? Nonne vt super candelabrum ponatur? 22 Non est enim aliquid absconditum quod non manifestetur: nec factum est occultum quod non veniat in palam. 23 Si quis habet aures audiendi audiat. 24 Et dicebat illis. Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis. 25 Qui enim habet dabitur illi: et qui non habet: etiam quod habet auferetur ab eo. 26 Et dicebat. Sic est regnum dei: quemadmodum si homo iaceat sementem in terram 27 et dormiat: et exsurgat nocte et die et semen germinet et increscat dum nescit ille. 28 Vltro enim terra fructificat: primum herbam deinde spicam: deinde plenum frumentum in spica. 29 Et cum se produxerit fructus statim mittit falcem: quoniam adest messis. 30 Et dicebat. Cui assimilabimus regnum dei: aut cui parabole comparabimus illud? 31 Sicut granum synapis quod cum seminatum fuerit in terra minus est omnibus seminibus que sunt in terra: 32 et cum natum fuerit ascendit in arborem· et fit maius omnibus oleribus: et facit ramos magnos ita vt possint sub vmbra eius aues celi habitare. 33 Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum prout poterant audire: 34 sine parabola autem non loquebatur eis. Seorsum autem discipulis disserebat omnia. 35 Et ait illis in illa die cum sero esset factum. Transeamus contra. 36 Et dimittentes turbam assumunt eum ita vt erat in naui: et alie naues erant cum illo. 37 Et facta est procella magna venti: et fluctus mittebat in nauim: ita vt impleretur nauis. 38 Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: et excitant eum et dicunt illi. Magister: non ad te pertinet quia perimus? 39 Et exsurgens comminatus est vento: et dixit mari. Tace: obmutesce. Et cessauit ventus: et facta est tranquillitas magna. 40 Et ait illis. Quid timidi estis? Necdum habetis fidem. Et timuerunt timore magno: et dicebant ad alterutrum. Quis putas est iste: quia ventus et mare obediunt ei.

5 Et venerunt trans fretum maris in regionem gerasenorum. 2 Et exeunti ei de naui statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo: 3 qui domicilium habebat in monumentis. Et neque cathenis iam quisquam poterat eum ligare: 4 quoniam sepe compedibus et cathenis vinctus· dirupisset cathenas et compedes comminuisset: et nemo poterat eum domare. 5 Et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat clamans: et concidens se lapidibus. 6 Videns autem ihesum a longe cucurrit et adorauit eum: 7 et clamans voce magna dixit. Quid michi et tibi ihesu fili dei altissimi? Adiuro te per deum ne me torqueas. 8 Dicebat enim illi. Exi spiritus immunde ab homine isto. 9 Et interrogabat eum. Quod tibi nomen est? Et dicit ei. Legio michi nomen est: quia multi sumus. 10 Et deprecabatur eum multum: ne se expelleret extra regionem. 11 Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens in agris: 12 et deprecabantur eum spiritus dicentes. Mitte nos in porcos: vt in eos introeamus. 13 Et concessit eis statim ihesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: et magno impetu grex precipitatus est in mari

ad duo milia: et suffocati sunt in mari. [14] Qui autem pascebant eos fugerunt: et nunciauerunt in ciuitatem et in agros. Et egressi sunt videre quid esset facti: [15] et venerunt ad ihesum: et vident illum qui a demonio vexabatur sedentem vestitum et sane mentis· et timuerunt. [16] Et narrauerunt illis qui viderant qualiter factum esset ei qui demonium habuerat: et de porcis. [17] Et rogare ceperunt eum: vt discederet de finibus eorum. [18] Cunque ascenderet nauim: cepit illum deprecari qui a demonio vexatus fuerat vt esset cum illo [19] et non admisit eum: sed ait illi. Vade in domum tuam ad tuos: et annuncia illis quanta tibi dominus fecerit: et misertus sit tui. [20] Et abijt et cepit predicare in decapoli· quanta sibi fecisset ihesus: et omnes mirabantur. [21] Et cum ascendisset ihesus in nauim rursum trans fretum conuenit turba multa ad eum: et erat circa mare. [22] Et venit quidam de archisinagogis nomine iayrus: et videns eum procidit ad pedes eius: [23] et deprecabatur eum multum dicens· quoniam filia mea in extremis est. Veni impone manum tuam super eam: vt salua sit et viuat. [24] Et abijt cum illo: et sequebatur eum turba multa: et comprimebant eum. [25] Et mulier que erat in profluuio sanguinis annis duodecim [26] et fuerat multa perpessa a compluribus medicis: et erogauerat omnia sua· nec quicquam profecerat: sed magis deterius habebat. [27] Cum audisset de ihesu venit in turba retro: et tetigit vestimentum eius. [28] Dicebat enim: quia si vel vestimentum eius tetigero salua ero. [29] Et confestim siccatus est fons sanguinis eius: et sensit corpore· quia sanata esset a plaga. [30] Et statim ihesus in semetipso cognoscens virtutem que exierat de illo: conuersus ad turbam aiebat. Quis tetigit vestimenta mea? [31] Et dicebant ei discipuli sui. Vides turbam comprimentem te· et dicis quis me tetigit? [32] Et circumspiciebat videre eam que hoc fecerat. [33] Mulier vero timens et tremens sciens quod factum esset in se: venit et procidit ante eum et dixit ei omnem veritatem. [34] Ille autem dixit ei. Filia fides tua te saluam fecit: vade in pace: et esto sana a plaga tua. [35] Adhuc eo loquente veniunt nuncij ad archisynagogum dicentes: quia filia tua mortua est. Quid vltra vexas magistrum? [36] Ihesus autem audito verbo quod dicebatur: ait archisynagogo. Noli timere: tantummodo crede. [37] Et non admisit quenquam se sequi: nisi petrum et iacobum et iohannem fratrem iacobi. [38] Et veniunt in domum archisynagogi. Et vidit tumultum et flentes et eiulantes multum: [39] et ingressus ait illis. Quid turbamini et ploratis? Puella non est mortua sed dormit. [40] Et irridebant eum. Ipse vero eiectis omnibus assumit patrem et matrem puelle· et qui secum erant: et ingrediuntur vbi puella erat iacens: [41] et tenens manum puelle ait illi. Thabithacumi: quod est interpretatum· puella tibi dico surge. [42] Et confestim surrexit puella: et ambulabat. Erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno. [43] Et precepit illis vehementer· vt nemo id sciret: et dixit dare illi manducare.

6 Et egressus inde abijt in patriam suam: et sequebantur eum discipuli sui. [2] Et facto sabbato cepit in synagoga docere: et multi audientes· ammirabantur in doctrina eius dicentes. Vnde huic hec omnia? Et que est sapientia que data est illi: et virtutes tales que per manus eius efficiuntur? [3] Nonne hic est faber filius marie: frater iacobi et ioseph et iude et simonis? Nonne et sorores eius hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. [4] Et dicebat illis ihesus: quia non est propheta sine honore nisi in patria sua et in domo sua et in cognatione sua. [5] Et non poterat ibi virtutem vllam facere nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: [6] et mirabatur propter incredulitatem eorum: et circuibat castella in circuitu docens. [7] Et vocauit duodecim: et cepit eos mittere binos: et dabat illis potestatem spirituum immundorum. [8] Et precepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantum: non peram non panem neque in zona es [9] sed calciatos sandalijs: et ne induens rentur duabus tunicis. [10] Et dicebat eis. Quocunque introieritis in domum illic manete donec exeatis inde: [11] et quicunque non receperint vos nec audierint vos: exeuntes inde excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis. [12] Et exeuntes predicabant vt penitentiam agerent: [13] et demonia multa eiciebant: et vngebant oleo multos egros et sanabantur. [14] Et audiuit rex herodes: manifestum enim factum est nomen eius: et dicebat. Quia iohannes baptista resurrexit a mortuis: et propterea virtutes operantur in illo. [15] Alij autem dicebant quia helias est: alij vero dicebant quia propheta est quasi vnus ex prophetis. [16] Quo audito herodes ait. Quem ego decollaui iohannem hic a mortuis resurrexit. [17] Ipse enim herodes misit ac tenuit iohannem et vinxit eum in carcerem propter herodiadem vxorem philippi fratris sui: quia duxerat eam. [18] Dicebat enim iohannes herodi. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. [19] Herodias autem insidiabatur illi: et volebat occidere eum nec poterat. [20] Herodes autem metuebat iohannem sciens eum virum iustum et sanctum et custodiebat eum: et audito eo multa faciebat: et libenter eum audiebat. [21] Et cum dies oportunus accidisset: herodes natalis sui cenam fecit principibus et tribunis et primis galilee. [22] Cunque introisset filia ipsius herodiadis· et saltasset et placuisset herodi simulque recumbentibus: rex ait puelle. Pete a me quod vis: et dabo tibi. [23] Et iurauit illi: quia quicquid petieris dabo tibi: licet dimidium regni mei. [24] Que cum exisset: dixit matri sue. Quid petam? At illa dixit. Caput iohannis baptiste. [25] Cunque introisset statim cum festinatione ad regem: petiuit dicens. Volo: vt protinus des michi in disco caput iohannis baptiste. [26] Et contristatus est rex. Propter iusiurandum et propter simul discumbentes noluit eam contristare: [27] sed misso spiculatore precepit afferri caput eius in disco: et decollauit eum in carcere. [28] Et attulit caput eius in disco: et dedit illud puelle: et puella dedit matri sue. [29] Quo audito discipuli eius venerunt et tulerunt corpus eius: et posuerunt illud in monumento. [30] Et conuenientes apostoli ad ihesum: renunciauerunt ei omnia que egerant et docuerant. [31] Et ait illis. Venite seorsum in desertum locum: et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et rediebant multi: et nec spacium manducandi habebant. [32] Et ascendentes in nauim abierunt in desertum locum seorsum. [33] Et viderunt eos abeuntes: et cognouerunt multi: et pedestres de omnibus ciuitatibus cucurrerunt illuc et preuenerunt eos. [34] Et exiens vidit turbam multam ihesus: et misertus est super eos quia erant sicut oues non habentes pastorem: et cepit illos docere multa. [35] Et cum iam hora multa fieret: accesserunt discipuli eius dicentes. Desertus locus est hic: et iam hora preterijt. [36] Dimitte illos: vt euntes in proximas villas et vicos emant sibi cibos quos manducent. [37] Et respondens ait illis. Date illis manducare. Et dixerunt ei. Euntes emamus ducentis denarijs panes: et dabimus illis manducare. [38] Et dicit eis. Quot panes habetis? Ite et videte. Et cum cognouissent dicunt. Quinque. Et duos pisces. [39] Et precepit illis vt accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fenum. [40] Et discumbuerunt in partes: per centenos et quinquagenos. [41] Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus: intuens in celum benedixit et fregit panes et dedit discipulis suis vt ponerent ante eos: et duos pisces diuisit omnibus. [42] Et manducauerunt omnes: et saturati sunt. [43] Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos: et de piscibus. [44] Erant autem qui manducauerunt quinque milia virorum. [45] Et statim coegit discipulos suos ascendere nauim vt precederent eum trans fretum ad bethsaydam: dum ipse dimitteret populum. [46] Et cum dimisisset eos: abijt in montem orare. [47] Et cum sero esset erat nauis in medio mari: et ipse solus in terra. [48] Et videns eos laborantes in remigando· erat enim ventus contrarius eis: et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: et volebat preterire eos. [49] At illi vt viderunt eum ambulantem supra mare putauerunt fantasma esse: et exclamauerunt. [50] Omnes enim viderunt eum: et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis: et dixit eis. Confidite. Ego sum: nolite timere. [51] Et ascendit ad illos in nauim: et cessauit ventus. Et plus magis intra se stupebant. [52] Non enim intellexerunt de panibus. Erat enim cor eorum obcecatum. [53] Et cum transfretassent venerunt in terram genesareth: et applicuerunt. [54] Cumque egressi essent de naui continuo cognouerunt eum: [55] et percurrentes vniuersam regionem illam ceperant in grabatis eos qui se male habebant circumferre vbi audiebant eum esse. [56] Et quocumque introiebat in vicos vel in villas aut ciuitates: in plateis ponebant infirmos· et deprecabantur eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: et quotquot tangebant eum salui fiebant.

7 Et conueniunt ad eum pharisei et quidam de scribis: venientes ab iherosolimis. [2] Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus id est non lotis manducare panes: vituperauerunt. [3] Pharisei enim et

omnes iudei nisi crebro lauerint manus non manducant tenentes traditionem seniorum: [4] et a foro nisi baptizentur non comedunt: et alia multa sunt que tradita sunt illis seruare· baptismata calicum et vrceorum et eramentorum et lectorum. [5] Et interrogabant eum pharisei et scribe. Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum: sed communibus manibus manducant panem? [6] At ille respondens dixit eis. Bene prophetauit ysaias de vobis ypocritis: sicut scriptum est. Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est a me. [7] Inuanum autem me colunt docentes doctrinas et precepta hominum. [8] Relinquentes enim mandatum dei tenetis traditiones hominum: baptismata vrceorum et calicum et similia hijs facitis multa. [9] Et dicebat. Bene irritum fecistis preceptum dei: vt tradi vestram seruetis. [10] Moyses enim dixit. Honora patrem tuum et matrem tuam: et qui maledixerit patri vel matri morte moriatur. [11] Vos autem dicitis. Si dixerit homo patri aut matri corban quod est donum quodcunque ex me tibi profuerit: [12] et vltra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri: [13] rescindentes verbum dei per traditionem vestram quam tradidistis. Et multa similia huius facitis. [14] Et aduocans iterum turbam dicebat illis. Audite me omnes et intelligite. [15] Nichil est extra hominem introiens in eum quod possit eum coinquinare: sed que de homine procedunt illa sunt que communicant hominem. [16] Si quis habet aures audiendi audiat. [17] Et cum introisset in domum a turba: interrogabant eum discipuli eius parabolam. [18] Et ait illis. Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum communicare [19] quia non intrat in cor eius: sed in ventrem vadit et in secessum exit purgans omnes escas? [20] Dicebat autem: quoniam illa que de homine exeunt illa communicant hominem. [21] Abintus enim de corde hominum male cogitationes procedunt: adulteria· fornicationes· homicidia· [22] furta· auaricie· nequicie· dolus· impudicicie· oculus malus: blasphemia· superbia· stulticia. [23] Omnia hec mala abintus procedunt: et communicant hominem. [24] Et inde surgens abijt in fines tyri et sydonis: et ingressus domum neminem voluit scire: et non potuit latere. [25] Mulier enim statim vt audiuit de eo cuius filia habebat spiritum immundum intrauit: et procidit ad pedes eius. [26] Erat enim mulier gentilis: syrophenissa genere. Et rogabat eum vt demonium eiceret de filia eius. [27] Qui dixit illi. Sine prius saturari filios. Non est enim bonum sumere panem filiorum: et mittere canibus. [28] At illa respondit: et dixit illi. Vtique domine. Nam et catelli comedunt sub mensa de micis pueorum. [29] Et ait illi. Propter hunc sermonem vade: exijt demonium de filia tua. [30] Et cum abijsset domum inuenit puellam iacentem supra lectum: et demonium exijsse. [31] Et iterum exiens de finibus tyri venit per ad mare galilee inter medios fines decapoleos. [32] Et adducunt ei surdum et mutum. Et deprecabantur eum vt imponat illi manum. [33] Et apprehendens de turba seorsum misit digitos suos in auriculas eius: et expuens tetigit linguam eius: [34] et suspiciens in celum ingemuit· et illi. Effeta: quod est adaperire. [35] Et statim aperte sunt aures eius: et solutum est vinculum lingue eius: et loquebatur recte. [36] Et precepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis precipiebat tanto magis plus predicabant: [37] et eo amplius ammirabannec tur· dicentes. Bene omnia fecit: et surdos fecit audire: et mutos loqui.

8 In diebus illis iterum cum turba multa esset Nec nec haberent quod manducarent: conuocatis in discipulis ait illis. [2] Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me nec habent quod manducent: [3] et si dimisero eos ieiunos in domum suam deficient in via. Quidam enim ex eis delonge venerunt. [4] Et responderunt ei discipuli sui. Vnde illos poterit quis hic saturare panibus in solitudine? [5] Et interrogauit eos. Quot panes habetis? Qui dixerunt. Septem. [6] Et precipit turbe discumbere super terram. Et accipiens septem panes gratias agens fregit: et dabat discipulis suis vt apponerent: et apposuerunt turbe. [7] Et habebant pisciculos paucos: et ipsos benedixit: et iussit apponi. [8] Et manducauerunt et saturati sunt: et sustulerunt quod superauerat de fragmentis septem sportas. [9] Erant autem qui manducauerant quasi quatuor milia· et dimisit eos. [10] Et statim ascendens nauim cum discipulis suis: venit in partes dalmanutha. [11] Et exierunt pharisei et ceperunt conquirere cum eo: ab illo signum celo: temptantes eum. [12] Et ingemiscens spiritu ait. Quid generatio ista signum querit? Amen dico vobis: si dabitur generationi isti signum. [13] Et dimittens eos ascendit iterum nauim: et abijt trans fretum. [14] Et obliti sunt panem sumere: et nisi vnum panem non habebant secum in naui. [15] Et precipiebat eis dicens. Videte et rum: et fermento herodis. [16] Et cogitabant ad alterutrum dicentes: quia panes non habemus. [17] Quo cognito: ait illis ihesus. Quid cogitatis quia panes non habetis? Nondum cognoscitis nec intelligitis? Adhuc cecatum habetis cor vestrum. [18] Oculos habentes non videtis: et aures habentes non auditis. Nec recordamini [19] quando quinque panes fregi in quinque milia: et quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei. Duodecim. [20] Quando et septem panes in quatuor milia: quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei. Septem. [21] Et dicebat eis. Quomodo nondum intelligitis? [22] Et veniunt bethsayda: et adducunt ei cecum: et rogabant eum vt illum tangeret. [23] Et apprehensa manu ceci eduxit eum extra vicum: et expuens in oculos eius impositis manibus suis: interrogauit eum si quid videret. [24] Et aspiciens ait. Video homines velut arbores ambulantes. [25] Deinde iterum imposuit manus super oculos eius et cepit videre: et restitutus est: ita vt clare videret omnia. [26] Et misit illum in domum suam dicens. Vade in domum tuam: et si in vicum introieris nemini dixeris. [27] Et ingressus est ihesus et discipuli eius castella cesaree philippi: et in via interrogabat discipulos suos dicens eis. Quem me dicunt esse homines? [28] Qui responderunt illi dicentes. Iohannem baptistam: alij helyam: alij vero quasi vnum de prophetis. [29] Tunc dicit illis. Vos vero quem me esse dicitis? Respondens petrus ait ei. Tu es cristus. [30] Et comminatus est eis: ne cui dicerent de illo. [31] Et cepit docere eos quoniam oportet filium hominis pati multa et reprobari a senioribus et a summis sacerdotibus et scribis et occidi: et post tres dies resurgere. [32] Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum petrus: cepit increpare eum. [33] Qui conuersus et videns discipulos suos: comminatus est petro dicens. Vade retro me sathana: quoniam non sapis que dei sunt sed que sunt hominum. [34] Et conuocata turba cum discipulis suis: dixit eis. Si quis vult me sequi deneget semetipsum: et tollat crucem suam et sequatur me. [35] Qui enim voluerit animam suam saluam facere perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me et euangelium: saluam faciet eam. [36] Quid enim proderit homini si lucretur mundum totum: et detrimentum anime sue faciat? [37] Aut quid homo communicationis dabit pro anima sua. [38] Qui enim me confusus fuerit et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice: et filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. t [39] Et dicebat illis. Amen dico voA bis: quia sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem: donec videant regnum dei veniens in virtute.

9 Et post dies sex assumpsit ihesus petrum et iacobum et iohannem: et ducit illos in montem excelsum solos: et transfiguratus est coram ipsis. [2] Et vestimenta eius facta sunt splendentia et candida nimis velut nix: qualia fullo non potest super terram candida facere. [3] Et apparuit illis helyas cum moyse: et erant loquentes cum ihesu. [4] Et respondens petrus ait ihesu. Rabbi bonum est nos hic esse: et faciamus tria tabernacula: tibi vnum· et moysi vnum· et helye vnum. [5] Non enim sciebat quid diceret. Erant enim timore exterriti. [6] Et facta est nubes obumbrans eos: et venit vox de nube dicens. Hic est filius meus carissimus: audite illum. [7] Et statim circumspicientes: neminem amplius viderunt nisi ihesum tantum secum. [8] Et descendentibus illis de monte precepit illis ne cuiquam quod vidissent narrarent: nisi cum filius hominis a mortuis resurrexerit. [9] Et verbum continuerunt apud se: conquirentes quid esset cum a mortuis resurrexerit. [10] Et interrogabant eum dicentes. Quid ergo dicunt pharisei et scribe quia helyam oporteat venire primum? [11] Qui respondens ait illis. Helyas cum venerit primo restituet omnia: et quomodo scriptum est in filium hominis: vt multa patiatur et contemnatur. [12] Sed dico vobis: quia et helyas venit: et fecerunt illi quecunque voluerunt sicut scriptum est de eo. [13] Et veniens ad discipulos suos vidit turbam magnam cirra eos: et scribas conquirentes cum illis. [14] Et confestim omnis populus videns ihesum stupefactus est et expauerunt: et accurrentes salutabant eum. [15] Et interrogauit eos. Quid inter vos conquiritis? [16] Et respondens vnus de turba dixit. Magister

attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: [17] qui vbicunque eum apprehenderit allidit illum: et spumat et stridet dentibus et arescit. Et dixi discipulis tuis vt eicerent illum: et non potuerunt. [18] Qui respondens eis dixit. O generatio incredula: quam diu apud vos ero? Quam diu vos patiar? Afferte illum ad me. [19] Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum statim spiritus conturbauit illum: et elisus in terram volutabatur spumans. [20] Et interrogauit patrem eius. Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait. Ab infantia. [21] Et frequenter eum in ignem et in aquam misit: vt eum perderet. Sed si quid potes· adiuua nos: misertus nostri. [22] Ihesus autem ait illi. Si potes credere omnia possibilia credenti? [23] Et continuo exclamans pater pueri cum lacrimis aiebat. Credo domine: adiuua incredulitatem meam. [24] Et cum vidisset ihesus concurrentem turbam: comminatus est spiritui immundo dicens illi. Surde et mute spiritus· ego precipio tibi exi ab eo: et amplius ne introeas in eum. [25] Et exclamans et multum discerpens eum exijt ab eo: et factus est sicut mortuus: ita vt multi dicerent quia mortuus est. [26] Ihesus autem tenens manum eius eleuauit eum: et surrexit. [27] Et cum introisset in domum: discipuli eius secreto interrogabant eum. Quare nos non potuimus eicere eum? [28] Et dixit illis. Hoc genus in nullo potest exire: nisi in oratione et ieiunio. [29] Et inde profecti pretergradiebantur galileam: nec volebat quenque scire. [30] Docebat autem discipulos suos: et dicebat illis quoniam filius hominis tradetur in manus hominum· et occident eum: et occisus tercia die resurget. [31] At illi ignorabant verbum: et timebant interrogare eum. [32] Et venerunt capharnaum. Qui cum domi essent interrogabat eos. Quid in via tractabatis? [33] At illi tacebant. Siquidem in via inter se disputauerant: quis eorum maior esset. [34] Et residens vocauit duodecim: et ait illis. Si quis vult primus esse: erit omnium nouissimus et omnium minister. [35] Et accipiens puerum statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset ait illis. [36] Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo me recipit: et quicunque me susceperit non me suscipit: sed eum qui me misit. [37] Respondit illi iohannes dicens. Magister vidimus quemdam in nomine tuo eicientem demonia qui non sequitur nos: et prohibuimus eum. [38] Ihesus autem ait nolite prohibere eum. Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo: et possit cito male loqui de me. [39] Qui enim non est aduersum vos: pro vobis est. [40] Quisquis enim potum dederit vobis calicem aque in nomine meo quia cristi estis: amen dico vobis non perdet mercedem suam. [41] Et quisquis scandalizauerit vnum ex hijs pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circundaretur mola asinaria collo eius et in mare mitteretur. [42] Et si scandalizauerit te manus tua: abscide illam. Bonum est tibi debilem introire in vitam· quam duas manus habentem· ire in gehennam in ignem inextinguibilem: [43] vbi vermis eorum non moritur: et ignis non extinguitur. [44] Et si pes tuus te scandalizat: amputa illum. Bonum est tibi claudum introire in vitam eternam· quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: [45] vbi vermis eorum non moritur: et ignis non extinguitur. [46] Quod si oculus tuus scandalizat te: eice eum. Bonum est tibi luscum introire in regnum dei· quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: [47] vbi vermis eorum non moritur: et ignis non extinguitur. [48] Omnis enim igne salietur: et omnis victima sale salietur. [49] Bonum est sal. Quod si sal insulsum fuerit in quo illud condietis? Habete in vobis sal: et pacem habete inter vos.

10 Et inde exsurgens venit in fines iudee vltra iordanen Et conueniunt iterum turbe ad eum: et sicut consueuerat iterum docebat illos. [2] Et accedentes pharisei interrogabant eum si licet viro vxorem dimittere: temptantes eum. [3] At ille respondens dixit eis. Quid vobis precepit moyses? [4] Qui dixerunt. Moyses permisit libellum repudij scribere et dimittere. [5] Quibus respondens ihesus ait. Ad duriciam cordis vestri scripsit vobis preceptum istud. [6] Ab inicio autem creature masculum et feminam fecit eos deus. [7] Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem: et adherebit ad vxorem suam: [8] et erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo: sed vna caro. [9] Quod ergo deus coniunxit: homo non separet. [10] Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogauerunt eum. [11] Et ait illis. Quicunque dimiserit vxorem suam· et aliam duxerit: adulterium committit super eam. [12] Et si vxor dimiserit virum suum et alij nupserit· mechatur. [13] Et offerebant illi paruulos vt tangeret illos: discipuli autem comminabantur offerentibus. [14] Quos cum videret ihesus: indigne tulit. Et ait illis. Sinite paruulos venire ad me: et ne prohibueritis eos. Talium est enim regnum dei. [15] Amen dico vobis: quisquis non receperit regnum dei velut paruulus non intrabit in illud. [16] Et complexans eos et imponens super illos: benedicebat eos. [17] Et cum ingressus esset in via: procurrens quidam genu flexo ante eum· rogabat eum dicens. Magister bone: quid faciam vt vitam eternam percipiam? [18] Ihesus autem dixit ei. Quid me dicis bonum? Nemo bonus: nisi vnus deus. [19] Precepta nosti: ne adulteres· ne occidas· ne fureris· ne falsum testimonium dixeris· ne fraudem feceris: honora patrem tuum et matrem. [20] At ille respondens ait illi. Magister hec omnia obseruaui a iuuentute mea. [21] Ihesus autem intuitus eum· dilexit eum: et dixit ei. Vnum tibi deest. Vade: quecunque habes vende et da pauperibus et habebis thesaurum in celo: et veni sequere me. [22] Qui contristatus in verbo: abijt merens. Erat enim habens multas possessiones. [23] Et circumspiciens ihesus: ait discipulis suis. Quam difficile qui pecunias habent in regnum dei introibunt. [24] Discipuli autem obstupescebant in verbis eius. At ihesus rursus respondens ait illis. Filioli: quam difficile est confidentes in pecunijs in regnum dei introire. [25] Facilius est camelum per foramen acus transire: quam diuitem intrare in regnum dei. [26] Qui magis ammirabantur dicentes ad semetipsos. Et quis potest saluus fieri? [27] Et intuens ihesus illos ait illis. Apud homines impossibile est: sed non apud deum. Omnia enim possibilia sunt apud deum. [28] Et cepit ei petrus dicere. Ecce nos dimisimus omnia: et secuti sumus te. [29] Respondens ihesus ait. Amen dico vobis: nemo est qui reliquerit domum aut fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut filios aut agros propter me et propter euangelium [30] qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc: domos et fratres et sorores et matres et filios et agros cum persecutionibus: et in seculo futuro vitam eternam. [31] Multi autem erunt primi nouissimi: et nouissimi primi. [32] Erant autem in via ascendentes iherosolimam: et precedebat illos ihesus. Et stupebant: et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim: cepit illis dicere que essent ei ventura. [33] Quia ecce ascendimus iherosolimam: et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et senioribus: et damnabunt eum morte. Et tradent eum gentibus [34] et illudent ei: et conspuent eum et flagellabunt eum· et interficient eum: et tercia die resurget. [35] Et accedunt ad eum iacobus et iohannes filij zebedei dicentes. Magister: volumus vt quodcunque petierimus facias nobis. [36] At ille dixit eis. Quid vultis vt faciam vobis? [37] Et dixerunt. Da nobis: vt vnus ad dexteram tuam· et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. [38] Ihesus autem ait eis. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibo· aut baptismo quo ego baptizor baptizari? [39] At illi dixerunt ei. Possumus. Ihesus autem ait eis. Calicem quidem quem ego bibo biberis et baptismo quo ego baptizor baptizabimini: [40] sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis: sed quibus paratum est. [41] Et audientes decem indignati sunt de iacobo et iohanne. [42] Ihesus autem vocans eos· ait illis. Scitis quia hij qui videntur principari gentibus dominantur eis: et principes eorum potestatem habent ipsorum? [43] Non ita est autem in vobis: sed quicumque voluerit fieri maior erit vester minister: [44] et quicumque voluerit in vobis primus esse: erit omnium seruus. [45] Nam et filius hominis non venit vt ministraretur ei· sed vt ministraret: et daret animam suam redemptionem pro multis. [46] Et veniunt iericho. Et proficiscente eo de iericho· et discipulis eis et plurima multitudine: filius thimei barthimeus cecus· sedebat iuxta viam mendicans. [47] Qui cum audisset quia ihesus nazarenus est: cepit clamare et dicere. Ihesu fili dauid: miserere mei. [48] Et comminabantur illi multi· vt taceret. At ille multo magis clamabat: fili dauid miserere mei. [49] Et stans ihesus: precepit illum vocari. Et vocant cecum: dicentes ei. Animequior esto. Surge: vocat te. [50] Qui proiecto vestimento suo· exiliens venit ad eum. [51] Et respondens ihesus dixit illi. Quid tibi vis faciam? Cecus autem dixit ei. Rabboni vt videam. [52] Ihesus autem ait illi. Vade. Fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit: et sequebatur eum in via.

11 cum appropinquarent iherosolime et bethanie ad montem oliuarum mittit duos ex discipulis suis: 2 et ait illis. Ite in castellum quod contra vos est: et statim introeuntes illuc· inuenietis pullum ligatum· super quem nemo adhuc hominum sedit. Soluite illum: et adducite. 3 Et si quis vobis dixerit quid facitis: dicite quia domino necessarius est: et etcontinuo illum dimittet huc. 4 Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum· ante ianuam foris in biuio: et soluunt eum. 5 Et quidam de illic stantibus dicebant illis. Quid facitis soluentes pullum? 6 Qui dixerunt eis sicut preceperat il ihesus: et dimiserunt eis. 7 Et duxerunt pullum ad ihesum: et imponunt illi vestimenta sua et sedit super eum. 8 Multi vestimenta sua strauerunt in via. Alij autem frondes cedebant de arboribus: et sternebant in via. 9 Et qui preibant· et qui sequebantur clamabant dicentes. Osanna benedictus qui venit in nomine domini: 10 benedictum quod venit regnum patris nostri dauid: osanna in excelsis. 11 Et introiuit iherosolimam in templum: et circumspectis omnibus cum iam vespera esset hora: exijt in bethaniam cum duodecim. 12 Et alia die cum exirent a bethania esurijt. 13 Cunque vidissent alonge ficum habentem folia: venit si quid forte inueniret in ea. Et cum venisset ad eam: nichil inuenit preter folia. Non enim erat tempus ficorum. 14 Et respondens dixit ei. Iam non amplius ineternum ex te quisquam fructum manducet. Et audiebant discipuli eius: 15 et veniunt iherosolimam. Et cum introisset in templum cepit eicere vendentes et ementes in templo: et mensas nummulariorum et kathedras vendentium columbas euertit. 16 Et non sinebat vt quisquam transferret vas per templum: 17 et docebat dicens eis. Nonne scriptum est quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum. 18 Quo audito: principes sacerdotum et scribe querebant quomodo eum perderent. Timebant enim eum: quoniam vniuersa turba ammirabatur super doctrina eius. 19 Et cum vespera facta esset: egrediebatur de ciuitate. 20 Et cum mane transirent: viderunt ficum aridam factam a radicibus. 21 Et recordatus petrus dixit ei. Rabbi: ecce ficus cui maledixisti aruit. 22 Et respondens ihesus ait illis. Habete fidem dei. 23 Amen dico vobis: quia quicunque dixerit huic monti tollere· et mittere in mare· et non hesitauerit in corde suo sed crediderit quia quodcunque dixerit fiat: fiet ei. 24 Propterea dico vobis: omnia quecunque orantes petitis credite quia accipietis: et euenient vobis. 25 Et cum stabitis ad orandum· dimittite si quid habetis aduersus aliquem: vt et pater vester qui in celis est dimittat vobis peccata vestra 26 quod si vos non dimiseritis: nec pater vester qui in celis est dimittet vobis peccata vestra. 27 Et veniunt rursus iherosolimam. Et cum ambularet in templo accedunt ad eum summi sacerdotes· et scribe et seniores: 28 et dicunt ei. In qua potestate hec facis: et quis tibi dedit hanc potestatem vt ista facias? 29 Ihesus autem respondens ait illis. Interrogabo vos et ego vnum verbum· et respondete michi: et dicam vobis in qua potestate hec faciam. 30 Baptismum iohannis de celo erat an ex hominibus? Respondete michi. 31 At illi cogitabant secum dicentes. Si dixerimus de celo: dicet nobis. Quare ergo non credidistis ei? 32 Si dixerimus ex hominibus: timemus populum. Omnes enim habebant iohannem quia vere propheta esset. 33 Et respondentes dicunt ihesu. Nescimus. Et respondens ihesus ait illis. Neque ego dico vobis· in qua potestate hec faciam.

12 Et cepit illis in parabolis loqui. Vineam pastinauit homo: et circundedit sepem et fodit lacum· et edificauit turrim· et locauit eam agricolis: et peregre profectus est. 2 Et misit ad agricolas in tempore seruum: vt ab agricolis acciperet de fructu vinee. 3 Qui apprehensum eum ceciderunt: et dimiserunt vacuum. 4 Et iterum misit ad illos alium seruum: et illum in capite vulnerauerunt: et contumelijs affecerunt. 5 Et rursum alium misit: et illum occiderunt: et plures alios quosdam cedentes: alios vero occidentes. 6 Adhuc ergo vnum habens filium carissimum· et illum misit ad eos nouissimum dicens: quia reuerebuntur filium meum. 7 Coloni autem dixerunt ad inuicem. Venite occidamus eum: et nostra erit hereditas. 8 Et apprehendentes eum occiderunt: et eiecerunt extra vineam. 9 Quid ergo faciet dominus vinee? Veniet et perdet colonos: et dabit vineam alijs. 10 Nec scripturam hanc legistis lapidem quem reprobauerunt edificantes· hic factus est in caput anguli: 11 a domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris? 12 Et querebant eum tenere: et timuerunt turbam. Cognouerunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt. 13 Et mittunt ad eum quosdam ex phariseis et herodianis: vt eum caperent in verbo. 14 Qui venientes dicunt ei. Magister: scimus quia verax es et non curas quenquam. Nec enim vides in faciem hominum: sed in veritate viam dei doces. Licet dari tributum cesari: an non dabimus? 15 Qui sciens versutiam illorum· ait illis. aitillis. Quid me temptatis? Afferte michi det narium vt videam. 16 At illi attulerunt ei. Et ait illis. Cuius est ymago hec et inscriptio? Dicunt ei. Cesaris. 17 Respondens autem ihesus dixit illis. Reddite igitur que sunt cesaris cesari: et que sunt dei deo. Et mirabantur super eo. 18 Et venerunt ad eum sadducei qui dicunt resurrectionem non esse: et interrogabant eum dicentes. 19 Magister: moyses nobis scripsit vt si cuius frater mortuus fuerit et dimiserit vxorem· et filios non reliquerit: accipiat frater eius vxorem ipsius· et resuscitet semen fratri suo. 20 Septem ergo fratres erant: et primus accepit vxorem: et mortuus est non relicto semine. 21 Et secundus accepit eam et mortuus est: et nec iste reliquit semen. Et tercius similiter. 22 Et acceperunt eam similiter septem: et non reliquerunt semen. Nouissima omnium defuncta est et mulier. 23 In resurrectione ergo cum resurrexerint: cuius de hijs erit vxor? Septem enim habuerunt eam vxorem. 24 Et respondens ihesus ait illis. Nonne ideo erratis: non scientes scripturas neque virtutem dei? 25 Cum enim a mortuis resurrexerint neque nubent neque nubentur: sed sunt sicut angeli dei in celis. 26 De mortuis autem quod resurgant non legistis in libro moysi super rubum quomodo dixerit illi deus inquiens: ego sum deus abraham et deus ysaac et deus iacob. 27 Non est deus mortuorum sed viuorum. Vos ergo multum erratis. 28 Et accessit vnus de scribis· qui audierat illos conquirentes: et videns quoniam bene illis responderit· interrogauit eum quod esset primum omnium mandatum. 29 Ihesus autem respondit ei: quia primum omnium mandatum est. Audi israhel dominus deus tuus deus vnus est: 30 et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo· et ex tota anima tua· et ex tota mente tua: et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. 31 Secundum autem simile est illi. Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Maius horum aliud mandatum non est. 32 Et ait illi scriba. Bene magister in veritate dixisti: quia vnus est deus et non est alius preter eum. 33 Et vt diligatur ex toto corde· et ex toto intellectu· et ex tota anima· et ex tota fortitudine: et diligere proximum tanquam seipsum· maius est omnibus olocaustomatibus· et sacrificijs. 34 Ihesus autem videns quod sapienter respondisset: dixit illi. Non es longe a regno dei. Et nemo iam audebat eum interrogare. 35 Et respondens ihesus dicebat docens in templo. Quomodo dicunt scribe cristum filium esse dauid? 36 Ipse enim dauid dicit in spiritu sancto. Dixit dominus domino meo sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos· scabellum pedum tuorum. 37 Ipse ergo dauid dicit eum dominum: et vnde est filius eius? Et multa turba eum libenter audiuit. 38 Et dicebat eis in doctrina sua. Cauete a scribis: qui volunt in stolis ambulare et salutari in foro· 39 et in primis cathedris sedere in synagogis: et primos discubitus in cenis. 40 Qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixe orationis: hij accipient prolixius iudicium. 41 Et sedens ihesus contra gazophilacium aspiciebat quomodo turba iactaret es in gazophilacium: et multi diuites iactabant multa. 42 Cum venisset autem vidua vna pauper: misit duo minuta quod est quadrans. 43 Et conuocans discipulos suos ait illis. Amen dico vobis: quoniam vidua hec pauper plus omnibus misit· qui miserunt in gazophilacium. 44 Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt: hec vero de penuria sua omnia que habuit misit totum victum suum.

13 Et Et cum egrederetur de templo: ait illi vnus ex discipulis suis. Magister: aspice quales lapides· et quales structure. 2 Et respondens ihesus ait illi. Vides has omnes magnas edificationes? Non relinquetur lapis super lapidem dem qui non destruatur. 3 Et cum sederet in monte oliuarum contra templum: interrogabant eum separatim petrus et iacobus et iohannes et andreas. 4 Dic nobis quando ista fient: et quod signum erit quando hec omnia incipient consummari. 5 Et respondens ihesus cepit dicere illis. Videte ne quis

vos seducat. [6] Multi enim venient in nomine meo dicentes quia ego sum: et multos seducent. [7] Cum audieritis autem bella· et opiniones bellorum: ne timueritis. Oportet enim fieri: sed nondum finis. [8] Exsurget enim gens contra gentem· et regnum super regnum: et erunt terremotus per loca et fames. Inicium dolorum hec. [9] Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in concilijs· et in synagogis vapulabitis: et ante presides et reges stabitis propter me in testimonium illis. [10] Et in omnes gentes primum oportet predicari euangelium. [11] Et cum duxerint vos tradentes· nolite precogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora id loquimini. Non enim vos estis loquentes: sed spiritus sanctus. [12] Tradet autem frater fratrem in mortem· et pater filium: et consurgent filij in parentes: et morte afficient eos. [13] Et eritis odio omnibus: propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem: hic saluus erit. [14] Cum autem videritis abominationem desolationis stantem vbi non debet: qui legit intelligat. Tunc qui in iudea sunt fugiant in montes: [15] et qui super tectum ne descendat in domum· nec introeat vt tollat quid de domo sua: [16] et qui in agro erit· non reuertatur retro· tollere vestimentum suum. [17] Ve autem pregnantibus et nutrientibus in illis diebus. [18] Orate vero: vt hyeme non fiant. [19] Erunt enim dies illi tribulationes tales quales non fuerunt ab inicio creature quam condidit deus vsque nunc: neque fient. [20] Et nisi breuiasset dominus dies: non fuisset salua omnis caro. Sed propter electos quos elegit breuiauit dies. [21] Et tunc si quis vobis dixerit ecce hic est cristus· ecce illic: ne credideritis. [22] Exsurgent enim pseudo cristi et pseudo prophete: et dabunt signa et portenta ad seducendos si fieri potest etiam electos. [23] Vos ergo videte. Ecce predixi vobis omnia. [24] Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur: et luna non dabit splendorem suum. [25] Et stelle celi erunt decidentes: et virtutes que sunt in celis mouebuntur. [26] Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa et gloria. [27] Et tunc mittet angelos suos: et congregabit electos suos a quatuor ventis a summo terre vsque ad summum celi. [28] A ficu autem discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit et nata fuerint folia: cognoscitis quia in proximo sit estas. [29] Sic et vos cum videritis hec fieri: scitote quod in proximo sit in ostijs. [30] Amen dico vobis: quoniam non transibit generatio hec· donec omnia ista fiant. [31] Celum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt. [32] De die autem illo vel hora nemo scit· neque angeli in celo neque filius: nisi pater. [33] Videte· vigilate· et orate. Nescitis enim quando tempus sit. [34] Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam: et dedit seruis suis potestatem cuiusque operis: et ianitori precepit vt vigilet. [35] Vigilate ergo. Nescitis enim quando dominus domus veniat: sero· an media nocte· an gallicantu· an mane: [36] ne cum venerit repente· inueniat vos dormientes. [37] Quod autem vobis dico omnibus dico: vigilate.

14 Erat autem pascha et azima post biduum: et querebant summi sacerdotes et scribe quomodo eum dolo tenerent et occiderent. [2] Dicebant enim. Non in die festo: ne forte tumultus fieret in populo. [3] Et cum esset bethanie in domo simonis leprosi et recumberet: venit mulier habens alabastrum vngenti nardi spicati preciosi: et fracto alabastro effudit super caput eius. [4] Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos: et dicentes. Vt quid perditio ista vngenti facta est? [5] Poterat enim vngentum istud venundari plus quam trecentis denarijs: et dari pauperibus. Et fremebant in eam. [6] Ihesus autem dixit. Sinite eam. Quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. [7] Semper enim pauperes habetis vobiscum: et cum volueritis potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. [8] Quod habuit hec fecit: preuenit vngere corpus meum in sepulturam. [9] Amen dico vobis: vbicumque predicatum fuerit euangelium istud in vniuerso mundo: et quod fecit hec narrabitur in memoriam eius. [10] Et iudas scariothis vnus de duodecim abijt ad summos sacerdotes: vt proderet eum illis. [11] Qui audientes gauisi sunt: et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et querebat quomodo illum oportune traderet. [12] Et primo die azimorum quando pascha immolabant: dicunt ei discipuli. Quo vis eamus et paremus tibi vt manduces pascha? [13] Et mittit duos ex discipulis suis: et dicit eis. Ite in ciuitatem: et occurret vobis homo lagenam aque baiulans. Sequimini eum: [14] et quocunque introierit dicite domino domus: quia magister dicit. Vbi est refectio mea: vbi pascha cum discipulis meis manducem? [15] Et ipse vobis demonstrabit cenaculum grande stratum: et illic parate nobis. [16] Et abierunt discipuli eius et venerunt in ciuitatem: et inuenerunt sicut dixerat illis: et parauerunt pascha. [17] Vespere autem facto· venit cum duodecim. [18] Et discumbentibus eis et manducantibus ait ihesus. Amen dico vobis: quia vnus ex vobis tradet me qui manducat mecum. [19] At illi ceperunt contristari et dicere Numquid ego? [20] Qui ait illis. Vnus ex duodecim: qui intingit mecum manum in cathino. [21] Et filius quidem hominis vadit· sicut scriptum est de eo. Ve autem homini illi: per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei: si non esset natus homo ille. [22] Et manducantibus illis· accepit ihesus panem: et benedicens fregit: et dedit eis et ait. Sumite: hoc est corpus meum. [23] Et accepto calice: gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes. [24] Et ait illi. Hic est sanguis meus noui testamenti: qui pro multis effundetur. [25] Amen dico vobis: quod iam non bibam de genimine vitis· vsque in diem illum cum illud bibam nouum in regno dei. [26] Et ymno dicto: exierunt in montem oliuarum. [27] Et ait eis ihesus. Omnes scandalizabimini in nocte ista: quia scriptum est: percutiam pastorem et dispergentur oues. [28] Sed postea quam resurrexero: precedam vos in galileam. [29] Petrus autem ait illi. Et si omnes scandalizati fuerint: sed non ego. [30] Et ait illi ihesus. Amen dico tibi: quia tu hodie in nocte hac priusquam gallus bis vocem dederit· ter me es negaturus. [31] At ille amplius loquebatur. Et si oportuerit me simul commori tibi: non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant. [32] Et veniunt in predium cui nomen gethsemani: et ait discipulis suis. Sedete hic donec orem. [33] Et assumit petrum et iacobum et iohannem secum: et cepit pauere et tedere. [34] Et ait illis. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Sustinete hic et vigilate. [35] Et cum processisset paululum· procidit super terram: et orabat vt si fieri posset transiret ab eo hora: [36] et dixit. Abba pater: omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc a me. Sed non quod ego volo: sed quod tu. [37] Et venit: et inuenit eos dormientes. Et ait petro. Simon dormis? Non potuisti vna hora vigilare? [38] Vigilate et orate: vt non intretis in temptationem. Spiritus quidem promptus est: caro vero infirma. [39] Et iterum abiens orauit: eundem sermonem dicens. [40] Et reuersus denuo: inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati: et ignorabant quid responderent ei. [41] Et venit tercio: et ait illis. Dormite iam: et requiescite. Sufficit. Venit hora: ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. [42] Surgite eamus. Ecce qui me tradet prope est. [43] Et adhuc eo loquente· venit iudas scarioth vnus de duodecim: et cum eo turba multa· cum gladijs et lignis a summis sacerdotibus et scribis et senioribus. [44] Dederat autem traditor eis signum dicens. Quemcunque osculatus fuero ipse est tenete eum: et ducite caute. [45] Et cum venisset: statim accedens ad eum ait. Rabbi. Et osculatus est eum. [46] At illi manus iniecerunt in ihesum et tenuerunt eum. [47] Vnus autem quidam de circumstantibus educens gladium percussit seruum summi sacerdotis: et amputauit illi auriculam. [48] Et respondens ihesus ait illis. Tanquam ad latronem existis cum gladijs et lignis comprehendere me. [49] Quotidie eram apud vos in templo docens: et non me tenuistis. Sed vt impleantur scripture. [50] Tunc discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt. [51] Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: et tenuerunt eum. [52] At ille reiecta sindone nudus profugit ab eis. [53] Et adduxerunt ihesum ad summum sacerdotem: et conuenerunt omnes sacerdotes et scribe et seniores. [54] Petrus autem alonge secutus est eum vsque intro in atrium summi sacerdotis: et sedebat cum ministris ad ignem: et calefaciebat se. [55] Summi vero sacerdotes et omne concilium querebant aduersus ihesum testimonium· vt eum morti traderent: nec inueniebant. [56] Multi autem testimonium falsum dicebant aduersus eum: et conuenientia testimonia non erant. [57] Et quidam surgentes: falsum testimonium ferebant aduersus eum dicentes. [58] Quoniam nos audiuimus eum dicentem. Ego dissoluam templum hoc manufactum: et post triduum aliud non manufactum edificabo. [59] Et non erat conueniens testimonium illorum. [60] Exsurgens autem summus sacerdos in medium interrogauit ihesum dicens. Non respondes quicquam ad ea que tibi obiciuntur ab hijs? [61] Ille autem tacebat: et nichil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum: et

dixit ei. Tu es cristus filius dei benedicti? [62] Ihesus autem dixit illi. Ego sum. Et videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis dei: et venientem cum nubibus celi. [63] Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua ait. Quid adhuc desideramus testes? [64] Audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. [65] Et ceperunt quidam conspuere eum et velare faciem eius: et colaphis eum cedere et dicere ei: prophetiza. Et ministri alapis eum cedebant. [66] Et cum esset petrus in atrio deorsum· venit vna ex ancillis summi sacerdotis: [67] et cum vidisset petrum calefacientem se: aspiciens illum ait. Et tu cum ihesu nazareno eras. [68] At ille negauit dicens. Neque scio: neque noui quid dicas. Et exijt foras ante atrium: et gallus cantauit. [69] Rursus autem cum vidisset illum ancilla cepit dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. [70] At ille iterum negauit. Et post pusillum rursus qui astabant dicebant petro. Vere ex illis es: nam et galileus es. [71] Ille autem cepit anathematizare et iurare: quia nescio hominem istum quem dicitis. [72] Et statim gallus iterum cantauit. Et recordatus est petrus verbi quod dixerat ei ihesus: priusquam gallus cantet bis· ter me negabis. Et cepit flere.

15 Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus et scribis et vniuerso concilio: vincientes ihesum duxerunt et tradiderunt pilato. [2] Et interrogauit eum pilatus. Tu es rex iudeorum? At ille respondens ait illi. Tu dicis. [3] Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. [4] Pilatus autem rursum interrogauit eum dicens. Non respondes quicquam? Vide in quantis te accusant. [5] Ihesus autem amplius nichil respondit: ita vt miraretur pilatus. [6] Per diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis quemcunque petissent. [7] Erat autem qui dicebatur barrabas· qui cum seditiosis erat vinctus qui in seditione fecerat homicidium. [8] Et cum ascendisset turba: cepit rogare sicut semper faciebat illis. [9] Pilatus autem respondit eis et dixit. Vultis dimittam vobis regem iudeorum? [10] Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. [11] Pontifices autem concitauerunt turbam: vt magis barraban dimitteret eis. [12] Pilatus autem iterum respondens ait illis. Quid ergo vultis faciam regi iudeorum? [13] At illi iterum clamauerunt. Crucifige eum. [14] Pilatus vero dicebat illis. Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: crucifige eum. [15] Pilatus autem volens populo satisfacere dimisit illis barraban: et tradidit ihesum flagellis cesum vt crucifigeretur. [16] Milites autem duxerunt eum in atrium pretorij et conuocant totam cohortem: [17] et induunt eum purpura· et imponunt ei plectentes spineam coronam: [18] et ceperunt salutare Aue rex rex iudeorum. [19] Et percutiebant caput eius arundine: et conspuebant eum: et ponentes genua adorabant eum. [20] Et postquam illuserunt ei exuerunt illum purpura: et induerunt eum vestimentis suis: et educunt illum vt crucifigerent eum. [21] Et angariauerunt pretereuntem quempiam simonem cyreneum venientem de villa· patrem allexandri et vt tolleret crucem eius. [22] Et perducunt illum in golgatha locum: quod est interpretatum caluarie locus. [23] Et dabant ei bibere mirratum vinum: et non accepit. [24] Et crucifigentes eum diuiserunt vestimenta eius: mittentes sortem super eis quis quid tolleret. [25] Erat hora tercia: et crucifixerunt autem prus: rex Et eum. [26] Et erat titulus cause eius inscriptus: rex iudeorum. [27] Et cum cum eo crucifigunt duos latrones: vnum a dextris et alium nistris eius. [28] Et impleta scriptura que diest turba: dicit. Et cum iniquis reputatus est. [29] Et pretereuntes blasphemabant eum: mouentes cepit sua et dicentes. Vah qui destruis templum dei: et in tribus diebus reedifiras. [30] Saluum fac temetipsum descendens de cruce. [31] Similiter et summi sacerdotes illudentes ad alterutrum cum scribis dicebant. rebant. Alios saluos fecit: seipsum non potest saluum facere. [32] Cristus rex israhel· descendat nunc de cruce: vt videamus et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant conuiciabantur ei. [33] Et facta hora sexta: tenebre facte sunt per totam terram vsque in horam nonam. [34] Et hora nona exclamauit ihesus voce magna dicens. Heloy· heloy Quod est interpretatum. Deus meus· deus meus: vt quid me [35] Et quidam de circumstantibus audientes dicebant. Ecce heliam vocat. [36] Currens autem vnus et implens spongiam aceto· circumponensque calamo: potum dabat si cum eo crucifigunt dulatrones: sinistris ei dicens. Sinite: videamus si veniat helias ad deponendum eum. [37] Ihesus autem emissa iudeorum. magna expirauit. [38] Et velum templi scissum est in duo: summo vsque deorsum. [39] Videns quid autem centurio qui ex exaduerso stabat· quia sic clamans expirasset: ait. Vere homo hic filius dei erat. [40] Erant autem et mulieres de longe aspicientes: inter quas erat maria magdalene· et maria iacobi bi et ioseph mater· et salome: [41] et cum esset in galilea sequebantur eum et ministrabant ei: et alie etalie multe que simul cum eo ascenderant iherosolimam. [42] Et cum iam sero esset factum· quia erat parasceue quod est ante sabbatum· [43] venit ioseph ab arimathia nobilis decurio: qui et ipse erat expectans regnum dei. Et audacter introiuit ad pilatum: et petijt corpus ihesu. [44] Pilatus autem mirabatur si iam obisset. Et accersito centurione: interrogauit eum si iam mortuus esset. [45] Et cum cognouisset a centurione: donauit corpus ioseph. [46] Ioseph autem mercatus sindonem· et deponens eum inuoluit sindone: et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra: et aduoluit lapidem ad ostium monumenti. [47] Maria magdalene et maria ioseph aspiciebant vbi poneretur.

16 Et transisset sabbatum: maria magdalene et maria iacobi et salome emerunt aromata: vt venientes vngerent ihesum. [2] Et valde mane vna sabbatorum· veniunt ad monumentum: orto iam sole. [3] Et dicebant ad inuicem. Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? [4] Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. [5] Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida: et obstupuerunt. [6] Qui dicit illis. Nolite expauescere. Ihesum queritis nazarenum· crucifixum: surrexit: non est hic. Ecce locus: vbi posuerunt eum. [7] Sed ite dicite discipulis eius et petro: quia precedet vos in galileam. Ibi eum videbitis: sicut dixit vobis. [8] At ille exeuntes fugerunt de monumento. Inuaserat enim eas tremor et pauor: et nemini quicquam dixerunt. Timebant enim. [9] Surgens autem ihesus mane prima sabbati apparuit primo marie magdalene: de qua eiecerat septem demonia. [10] Illa vadens nunciauit hijs· qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus: [11] et illi audientes quia viueret et visus esset ab ea: non crediderunt. [12] Post hec autem duobus ex hijs ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in villam: [13] et illi euntes nunciauerunt ceteris: nec illis crediderunt. [14] Nouissime autem recumbentibus illis vndecim apparuit: et exprobrauit incredulitatem eorum et duriciam cordis: quia hijs qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. [15] Et dixit eis. Euntes in mundum vniuersum: predicate euangelium omni creature. [16] Qui crediderit et baptizatus fuerit· saluus erit: qui vero non crediderit· condemnabitur. [17] Signa autem eos qui crediderint hec sequentur. In nomine meo demonia eicient: linguis loquentur nouis: [18] serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint: non eis nocebit. Super egros manus imponent: et bene habebunt. [19] Et dominus quidem ihesus postquam locutus est eis· assumptus est in celum: et sedet a dextris dei. [20] Illi autem profecti predicauerunt vbique: domino cooperante et sermonem confirmante: sequentibus signis.

Incipit prefatio beati ieronimi presbiteri in euangelium secundum lucam.

Lucas sirus· natione anthiocensis· arte medicus· discipulus apostolorum· postea paulum secutus vsque ad confessionem eius seruiens domino sine crimine: nam neque vxorem vnquam habuit neque filios: septuaginta et quatuor annorum obijt in bithinia· plenus spiritu sancto. Qui cum iam scripta essent euangelia· per matheum quidem in iudea· per marcum autem in italia: sancto instigante spiritu in achaie partibus hoc scripsit euangelium: significans etiam ipse in principio ante suum alia esse descripta. Cui extra ea que ordo euangelice dispositionis exposcit· ea maxime necessitas laboris fuit: vt primum grecis fidelibus omni prophetatione venturi in carnem dei cristi manifestata humanitate ne iudaicis fabulis attenti: in solo legis desiderio tenerentur: vel ne

hereticis fabulis et stultis solicitationibus seducti exciderent a veritate elaboraret: debinc· vt in principio euangelij iohannis natiuitate presumpta· cui euangelium scriberet et in quo electus scriberet indicaret: contestans in se completa esse· que essent ab alijs inchoata. Cui ideo post baptismum filij dei a perfectione generationis in cristo implete· repetende a principio natiuitatis humane potestas permissa est: vt requirentibus demonstraret in quo apprehendens erat per nathan filium dauid introitu recurrentis in deum generationis admisso· indisparabilis dei predicans in hominibus cristum suum· perfecti opus hominis redire in se per filium faceret: qui per dauid patrem venientibus iter prebebat in cristo. Cui luce non immerito etiam scribendorum actuum apostolorum potestas in ministerio datur: vt deo in deum pleno et filio perditionis extincto· oratione ab apostolis facta· sorte domini electionis numerus compleretur: sicque paulus consummationem apostolicis actibus daret· quem diu contra stimulum recalcitrantem dominus elegisset. Quod et legentibus ac requirentibus deum· et si per singula expediri a nobis vtile fuerat: sciens tamen quod operantem agricolam oporteat de suis fructibus edere· vitauimus publicam curiositatem: ne non tam volentibus deum demonstrare videremur· quam fastidientibus prodidisse.

Lucas

Incipit euangelium secundum lucam.

1 Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narraciones que in nobis comEDplete sunt rerum· [2] sicut tradinobis qui ab inicio ipsi viderunt· et ministri fuerunt sermonis: [3] visum est et michi assecuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere optime theophile: [4] vt cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem. [5] Vit in diebus herodis re quidam se completa esse· que essent ab alijs inchoa gis iudee sacerdos quidam gis nomine zacharias de vita. vice abia· et vxor illi de filiabus aaron: et nomen eius elizabeth. [6] Erant autem iusti ambo ante deum: incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus domini sine querela. [7] Et non erat illis filius· eo quod esset elizabeth sterilis: et ambo processissent in diebus suis. [8] Factum est autem cum sacerdotio fungeretur zacharias in ordine vicis sue ante deum: [9] secundum consuetudinem sacerdotij sorte exijt vt incensum poneret ingressus in templum domini. [10] Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. [11] Apparuit autem illi angelus domini: stans a dextris altaris incensi. [12] Et zacharias turbatus est videns: et timor irruit super eum. [13] Ait autem ad illum angelus. Ne timeas zacharia: quoniam exaudita est deprecatio tua. Et vxor tua elizabeth pariet tibi filium· et vocabis nomen eius iohannem: [14] et erit gaudium tibi et exultatio: et multi in natiuitate eius gaudebunt. [15] Erit enim magnus coram domino: et vinum et siceram non bibet. Et spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris sue: [16] et multos filiorum israhel conuertet ad dominum deum ipsorum. [17] Et ipse precedet ante ipsum in spiritu et virtute helie: vt conuertat corda patrum in filios· et incredibiles ad prudentiam iustorum: parare domino plebem perfectam. [18] Et dixit zacharias ad angelum. Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex: et vxor mea processit in diebus suis. [19] Et respondens angelus dixit ei. Ego sum gabriel qui asto ante deum: et missus sum loqui ad te: et hec tibi euangelizare. [20] Et ecce eris tacens et non poteris loqui vsque in diem quo hec fiant: pro eo quod non credidisti verbis meis· que implebuntur in tempore suo. [21] Et erat plebs expectans zachariam: et mirabantur quod tardaret ipse in templo. [22] Egressus autem non poterat loqui adillos. Et cognouerunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis: et permansit mutus. [23] Et factum est vt impleti sunt dies officij eius: abijt in domum suam. [24] Post hos autem dies concepit elizabeth vxor eius: et occultabat se mensibus quinque dicens. [25] Quia sic fecit michi dominus· in diebus quibus respexit auferre obprobrium meum inter homines. [26] In mense autem sexto missus est angelus gabriel a deo in ciuitatem galilee cui nomen nazareth· [27] ad virginem desponsatam viro cui nomen erat ioseph· de domo dauid: et nomen virginis maria. [28] Et ingressus angelus ad eam dixit. Aue gratia plena: dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. [29] Que cum audisset· turbata est in sennone eius: et cogitabat qualis esset ista salutatio. [30] Et ait angelus ei. Ne timeas maria: inuenisti enim gratiam apud deum. [31] Ecce concipies in vtero et paries filium: et vocabis nomen eius ihesum. [32] Hic erit magnus: et filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus deus sedem dauid patris eius: et regnabit in domo iacob in eternum: [33] et regni eius non erit finis. [34] Dixit autem maria ad angelum. Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco? [35] Et respondens angelus dixit ei. Spiritus sanctus superueniet in te: et virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum: vocabitur filius dei. [36] Et ecce elizabeth cognata tua: et ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi que vocatur sterilis? [37] Quia non erit impossibile apud deum omne verbum. [38] Dixit autem maria. Ecce ancilla domini: fiat michi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus. [39] Exsurgens autem maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione in ciuitatem iuda: [40] et intrauit in domum zacharie: et salutauit elizabeth. [41] Et factum est vt audiuit salutationem marie elizabeth: exultauit infans in vtero eius. Et repleta est spiritu sancto elizabeth: [42] et exclamauit voce magna et dixit. Benedicta tu inter mulieres: et benedictus fructus ventris tui. [43] Et vnde hoc michi: vt veniat mater domini mei ad me? [44] Ecce enim vt facta est vox salutationis tue in auribus meis: exultauit in gaudio infans in vtero meo. [45] Et beata que credidit: quoniam perficientur ea que dicta sunt ei a domino. [46] Et ait maria. Magnificat anima mea dominum: [47] et exultauit spiritus meus in deo salutari meo: [48] quia respexit humilitatem ancille sue. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: [49] quia fecit michi magna: qui potens est: et sanctum nomen eius. [50] Et misericordia eius in progenie et progenies: timentibus eum. [51] Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sue. [52] Deposuit potentes de sede: et exaltauit humiles. [53] Esurientes impleuit bonis: et diuites dimisit inanes. [54] Suscepit israhel puerum suum memorari misericordie sue: [55] sicut locutus est ad patres nostros· abraham et semini eius in secula. [56] Mansit autem maria cum illa quasi mensibus tribus: et reuersa est in domum suam. [57] Elisabeth autem impletum est tempus pariendi: et peperit filium. [58] Et audierunt vicini et cognati eius· quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa: et congratulabantur ei. [59] Et factum est in die octaua venerunt circumcidere puerum: et vocabant eum nomine patris sui zachariam. [60] Et respondens mater eius dixit. Nequaquam: sed vocabitur iohannes. [61] Et dixerunt ad illam. Quia nemo est in cognatione tua· qui vocetur hoc nomine. [62] Innuebant autem patri eius: quem vellet vocari eum. [63] Et postulans pugillarem scripsit dicens: iohannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. [64] Apertum est autem ilico os eius et lingua eius: et loquebatur benedicens deum. [65] Et factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana iudee· diuulgabantur omnia verba hec: [66] et posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes. Quisputas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo. [67] Et zacharias pater eius repletus est spiritu sancto: et prophetauit dicens. [68] Benedictus dominus deus israhel: quia visitauit et fecit redemptionem plebis sue. [69] Et erexit cornu salutis nobis in domo dauid pueri sui: [70] sicut locutus est per os sanctorum· a seculo sunt prophetarum eius: [71] salutem ex inimicis nostris· et de manu omnium qui oderunt nos: [72] ad faciendam misericordiam cum patribus nostris· et memorari testamenti sui sancti: [73] iusiurandum quod iurauit ad abraham patrem nostrum· daturum se nobis: [74] vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati· seruiamus illi:

75 in sanctitate et iusticia coram ipso· omnibus diebus nostris. 76 Et tu puer propheta altissimi vocaberis. Preibis enim ante faciem domini parare vias eius: 77 ad dandam scientiam salutis plebi eius· in remissionem peccatorum eorum: 78 per viscera misericordie dei nostri· in quibus visitauit nos oriens ex alto: 79 illuminare hijs qui in tenebris et in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. 80 Puer autem crescebat et confortabatur spiritu: et erat in desertis vsque in diem ostensionis sue ad israhel.

2 Factum est autem in diebus illis· exijt edictum a cesare augusto: vt describeretur vniuersus orbis. 2 Hec descriptio prima facta est a preside syrie cyrino. 3 Et ibant omnes vt profiterentur: singuli in suam ciuitatem. 4 Ascendit autem et ioseph a galilea de ciuitate nazareth in iudeam ciuitatem dauid que vocatur bethleem· eo quod esset de domo et familia dauid: 5 vt profiteretur cum maria desponsata sibi vxore pregnante. 6 Factum est autem cum essent ibi: impleti sunt dies vt pareret. 7 Et peperit filium suum primogenitum: et pannis eum inuoluit· et reclinauit eum in presepio: quia non erat ei locus in diuersorio. 8 Et pastores erant in regione eadem vigilantes: et custodientes vigilias noctis super gregem suum. 9 Et ecce angelus domini stetit iuxta illos: et claritas dei circumfulsit illos: et timuerunt timore magno. 10 Et dixit illis angelus. Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo: 11 quia natus est vobis hodie saluator qui est cristus dominus· in ciuitate dauid. 12 Et hoc vobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolutum: et positum in presepio. 13 Et subito facta est cum angelo multitudo militie celestis: laudantium deum et dicentium. 14 Gloria in altissimis deo: et in terra pax hominibus bone voluntatis. 15 Et factum est vt discesserunt ab eis angeli in celum: pastores loquebantur adinuicem. Transeamus vsque bethleem: et videamus hoc verbum quod factum est quod fecit dominus et ostendit nobis. 16 Et venerunt festinantes: et inuenerunt mariam et ioseph· et infantem positum in presepio. 17 Videntes autem cognouerunt de verbo: quod dictum erat illis de puero hoc. 18 Et omnes qui audierant mirati sunt: et de hijs que dicta erant a pastoribus ad ipsos. 19 Maria autem conseruabat omnia verba hec: conferens in corde suo. 20 Et reuersi sunt pastores glorificantes et laudantes deum in omnibus que audierant et viderant: sicut dictum est ad illos. 21 Et postquam consummati sunt dies octo· vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius ihesus. Quod vocatum est ab angelo priusquam in vtero conciperetur. 22 Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem moysi moysitulerunt illum in iherusalem· vt sisterent eum domino: 23 sicut scriptum est in lege domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam· sanctum domino vocabitur. 24 Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini: par turturum aut duos pullos columbarum. 25 Et ecce homo erat in iherusalem cui nomen symeon. Et homo iste iustus et timoratus expectans consolationem israhel: et spiritus sanctus erat in eo. 26 Et responsum acceperat a spiritu sancto· non visurum se mortem: nisi prius videret cristum domini. 27 Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum ihesum parentes eius· vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: 28 et ipse accepit eum in vlnas suas: et benedixit deum et dixit. 29 Nunc dimittis seruum tuum domine secundum verbum tuum in pace: 30 quia viderunt oculi mei salutare tuum: 31 quod parasti ante faciem omnium populorum: 32 lumen ad reuelationem gentium: et gloriam plebis tue israhel. 33 Et erat pater eius et mater mirantes super hijs que dicebantur de illo. 34 Et benedixit illis symeon: et dixit ad mariam matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam· et in resurrectionem multorum in israhel: et in signum cui contradicetur. 35 Et tuam ipsius animam pertransibit gladius: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. 36 Et erat anna prophetissa filia fanuel de tribu aser: hec processerat in diebus multis: et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. 37 Et hec vidua vsque ad annos octogitaquatuor: que non discedebat de templo· ieiunijs et obsecrationibus seruiens nocte ac die. 38 Et hec ipsa hora superueniens confitebatur domino: et loquebatur de ipso· omnibus qui expectabant redemptionem iherusalem. 39 Et vt perfecerunt omnia secundum legem domini: reuersi sunt in galileam· in ciuitatem suam nazareth. 40 Puer autem crescebat et confortabatur· plenus sapientia: et gratia dei erat in illo. 41 Et ibant parentes eius per omnes annos in iherusalem in die solemni pasche. 42 Et cum factus esset annorum duodecim· ascendentibus illis in iherosolimam secundum consuetudinem diei festi· 43 consummatisque diebus cum redirent· remansit puer ihesus in iherusalem: et non cognouerunt parentes eius. 44 Existimantes autem illum esse in comitatu: venerunt iter diei: et requirebant eum inter cognatos et notos. 45 Et non inuenientes regressi sunt in iherusalem: requirentes eum. 46 Et factum est post triduum· inuenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum: audientem illos· et interrogantem eos. 47 Stupebant autem omnes qui eum audiebant· super prudentia et responsis eius. 48 Et videntes ammiraci sunt. Et dixit mater eius ad illum. Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego· dolentes querebamus te. 49 Et ait ad illos. Quid est quod me querebetiea rebatis? Nesciebatis quia in hijs que patris mei sunt oportet me esse? 50 Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. 51 Et descendit cum eis: et venit nazareth: et erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hec in corde suo. 52 Et ihesus proficiebat sapientia et etate et gratia apud deum et homines.

3 Anno autem quintodecimo imperij Ityberij cesaris· procurante poncio pilato iudeam: tetrarcha autem galilee herode. philippo fratre eius ituree et traconitidis regionis: et lysania abiline tetrarcha· 2 sub principibus sacerdotum anna et caypha: factum est verbum domini super iohannem zacharie filium in deserto. 3 Et venit in omnem regionem iordanis predicans baptismum penitentie in remissionem peccatorum: 4 sicut scriptum est in libro sermonum ysaie prophete. Vox clamantis in deserto parate viam domini: rectas facite semitas eius. 5 Omnis vallis implebitur: et omnis mons et collis humiliabitur. Et erunt praua in directa et aspera in vias planas: 6 et videbit omnis caro salutare dei. 7 Dicebat ergo ad turbas que exiebant vt baptizarentur ab ipso. Genimina viperarum: quis ostendit vobis fugere a ventura ira? 8 Facite ergo fructus dignos penitentie: et ne ceperitis dicere patrem habemus abraham. Dico enim vobis: quia potens est deus de lapidibus istis suscitare filios abrahe. 9 Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur: et in ignem mittetur. 10 Et interrogabant eum turbe dicentes. Quid ergo faciemus? 11 Respondens autem dicebat illis. Qui habet duas tunicas det non habenti: et qui habet escas similiter faciat. 12 Venerunt autem et publicani vt baptizarentur: et dixerunt ad illum. Magister· quid faciemus? 13 At ille dixit ad illos. Nichil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis. 14 Interrogabant autem eum et milites dicentes. Quid faciemus et nos? Et ait illis. Neminem concutiatis neque calumniam faciatis: et contenti estote stipendijs vestris. 15 Existimante autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de iohanne· ne forte ipse esset cristus: 16 respondit iohannes dicens omnibus. Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior· cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius: ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni. 17 Cuius ventilabrum in manu eius: et purgabit aream suam· et congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili. 18 Multa quidem et alia exhortans euangelizabat populo. 19 Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de herodiade vxore fratris sui· et de omni malis que fecit herodes: 20 adiecit et hoc super omnia: et inclusit iohannem in carcerem. 21 Factum est autem cum baptizaretur omnis populus· et ihesu baptizato et orante apertum est celum: 22 et descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: et vox de celo facta est. Tu es filius meus dilectus: in te complacuit michi. 23 Et ipse ihesus erat incipiens quasi annorum triginta vt putabatur filius ioseph· qui fuit hely· qui fuit mathath· 24 qui fuit leui· qui fuit melchi· qui fuit ianne· qui fuit ioseph· 25 qui fuit mathathie· qui fuit amos· qui fuit naum· qui fuit helli· qui fuit nagge· 26 qui fuit maach· qui fuit mathathie· qui fuit semei· qui fuit ioseph· qui fuit iuda· 27 qui fuit iohanna· qui fuit resa· qui fuit zorobabel· qui fuit salathiel· qui fuit neri· 28 qui fuit melchi· qui fuit addi· qui fuit chosan· qui fuit helmadan· qui fuit her· 29 qui fuit ihesu· qui fuit heliezer· qui fuit iorim· qui fuit matthath· qui fuit leui 30 qui fuit symeon· qui fuit iuda· qui fuit ioseph· qui fuit iona· qui fuit heliachim· 31 qui fuit melcha· qui fuit menna· qui fuit mathata· qui fuit nathan· qui fuit dauid· 32 qui fuit iesse· qui fuit obeth· qui fuit booz· qui fuit

salmon· qui fuit naason· [33] qui fuit aminadab· qui fuit aran· qui fuit esron· phares· qui fuit iude· [34] qui fuit qui fuit iacob· ysaac· qui fuit abrahe· qui fuit thare· qui fuit nachor· [35] qui fuit seruch· qui fuit ragau· qui fuit phalech· qui fuit heber· qui fuit sale· [36] qui fuit chaynan· qui fuit arphaxat· qui fuit sem· qui fuit noe· qui fuit lamech· [37] qui fuit mathusale· qui fuit enoch· qui fuit iareth· qui fuit malaleel· qui fuit chaynan· [38] qui fuit enos· qui fuit seth· qui fuit adam· qui fuit dei.

4 Ihesus autem plenus spiritu sancto regressus est a iordane: et agebatur in spiritu in deserto [2] diebus quadraginta: et temptabatur a dyabolo. Et nichil manducauit in diebus illis: et consummatis illis esurijt. [3] Dixit autem illi dyabolus. Si filius dei es? dic lapidi huic vt panis fiat. [4] Et respondit ad illum ihesus. Scriptum est· quia non in pane solo viuit homo: sed in omni verbo dei. [5] Et duxit in illum dyabolus: et ostendit illi omnia regna orbis terre in momento temporis: [6] et ait illi. Tibi dabo potestatem hanc vniuersam· et gloriam illorum: quia michi tradita sunt· et cui volo do illa. [7] Tu ergo procidens si adoraueris coram me? erunt tua omnia. [8] Et respondens ihesus dixit illi. Scriptum est. Dominum deum tuum adorabis: et illi soli seruies. [9] Et duxit illum in iherusalem· et statuit eum super pinnam templi: et dixit illi. Si filius dei es? Mites? te hinc deorsum. [10] Scriptum est enim· quod angelis suis mandauit de te· vt conseruent te: [11] et quia in manibus tollent te· ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. [12] Et respondens ihesus ait illi. Dictum est. Non temptabis dominum deum tuum. [13] Et consummata omni temptatione: dyabolus recessit ab illo vsque ad tempus. [14] Et regressus est ihesus in virtute spiritus in galileam: et fama exijt per vniuersam regionem de illo. [15] Et ipse docebat in synagogis eorum: et magnificabatur ab omnibus. [16] Et venit nazareth vbi erat nutritus: et intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam: et surrexit legere. [17] Et traditus est illi liber ysaye prophete. Et vt reuoluit librum: inuenit locum vbi scriptum erat. [18] Spiritus domini super me propter quod vnxit me euangelizare pauperibus misit me: sanare contritos corde· [19] predicare captiuis remissionem· et cecis visum: dimittere confractos in remissionem: predicare annum domini acceptum: et diem retributionis. [20] Et cum plicuisset librum: reddidit ministro et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. [21] Cepit autem dicere ad eos: quia hodie impleta est hec scriptura in auribus vestris. [22] Et omnes testimonium illi dabant: et mirabantur in verbis gratie· que procedebant de ore ipsius: et dicebant. Nonne hic est filius ioseph? [23] Et ait illis. Vtique dicetis michi hanc similitudinem. Medice cura teipsum. Quanta audiuimus facta in capharnaum: fac et hic in patria tua. [24] Ait autem. Amen dico vobis quia nemo propheta acceptus est in patria sua. [25] In veritate dico vobis: multe vidue erant in israhel in diebus helie quando clausum est celum annis tribus et mensibus sex· cum facta esset fames magna in omni terra: [26] et ad nullam illarum missus est helias· nisi in sarepta sydonie· ad mulierem viduam. [27] Et multi leprosi erant in israhel sub helyseo propheta: et nemo eorum mundatus est nisi naaman syrus. [28] Et repleti sunt omnes in synagoga ira hec audientes. [29] Et surrexerunt et eiecerunt illum extra ciuitatem: et duxerunt illum vsque ad supercilium montis· super quem ciuitas illorum erat edificata: vt precipitarent eum. [30] Ipse autem transiens· per medium illorum ibat. [31] Et descendit in capharnaum ciuitatem galilee: ibique docebat illos sabbatis. [32] Et stupebant in doctrina eius: quia in potestate erat sermo ipsius. [33] Et in synagoga erat homo habens demonium immundum: et exclamauit voce magna [34] dicens. Sine: quid nobis· et tibi ihesu nazarene? Venisti perdere nos. Scio te qui sis: sanctus dei. [35] Et increpauit illum ihesus dicens. Obmutesce: et exi ab eo. Et cum proiecisset illum demonium in medium exijt ab illo: nichilque illum nocuit. [36] Et factus est pauor in omnibus: et colloquebantur adinuicem dicentes. Quod est hoc verbum: quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus et exeunt? [37] Et diuulgabatur fama de illo· in omnem locum regionis. [38] Surgens autem ihesus de synagoga· introiuit in domum simonis. Socrus autem simonis tenebatur magnis febribus: et rogauerunt illum pro ea. [39] Et stans super illam imperauit febri et dimisit illam: et continuo surgens ministrauit illis. [40] Cum sol autem occidisset omnes qui habebant infirmos varijs languoribus· ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens curabat eos. [41] Exiebant autem demonia a multis clamantia et dicentia: quia tu es filius dei. Et increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse cristum. [42] Facta autem die egressus ibat in desertum locum: et turbe requirebant eum et venerunt vsque ad ipsum: et detinebant illum ne discederet ab eis. [43] Quibus ille ait. Quia et alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum dei: quia ideo missus sum. [44] Et erat predicans in synagogis galilee.

5 Factum est autem cum turbe irruerent in eum vt audirent verbum dei: et ipse stabat secus stagnum genezareth. [2] Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant et lauabant retia. [3] Ascendens autem in vnam nauim que erat simonis: rogauit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. [4] Vt cessauit autem loqui: dixit ad simonem. Duc in altum: et laxate retia vestra in capturam. [5] Et respondens simon dixit illi. Preceptor per totam noctem laborantes nichil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. [6] Et cum hoc fecissent: concluserunt piscium multitudinem copiosam. tur Rumpeta autem rete eorum. [7] Et annuerunt socijs qui erant in alia naui: vt venirent et adiuuarent eos. Et venerunt et impleuerunt ambas nauiculas: ita vt mergerentur. [8] Quod cum videret simon petrus: procidit ad genua ihesu dicens. Exi a me: quia homo peccator sum domine. [9] Stupor enim circumderat eum· et omnes qui cum illo erant: in captura piscium quam ceperant. [10] Similiter autem iacobum et iohannem filios zebedei: qui erant socij simonis. Et ait ad simonem ihesus. Noli timere: ex hoc iam homines capiens. [11] Et subductis ad terram nauibus: relictis omnibus secuti sunt illum. [12] Et factum est esset in vna ciuitatum: et ecce vir plenus lepra· et videns ihesum· procidens in faciem suam: rogauit eum dicens. Domine: si vis potes me mundare. [13] Et extendens manum: tetigit eum dicens. Volo. Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. [14] Et ipse precepit illi vt nemini diceret: sed vade ostende te sacerdoti: et offer pro emundatione tua sicut precepit moyses in testimonium illis. [15] Perambulabat autem magis sermo de illo: et conueniebant turbe multe vt audiet curarentur ab infirmitatibus suis. [16] Ipse autem secedebat in desertum et orabat. [17] Et factum est in vna dierum: et ipse sedebat docens. Et erant pharisei sedentes et legis doctores qui venerant ex mni castello galilee et iudee· et iherusalem: et virtus domini erat ad sanandum eos. [18] Et ecce viri portantes lecto hominem erat paraliticus: et querebant inferet ponere ante eum. [19] Et non inuenientes qua parte illum inferrent pre turba: ascenderunt supra tectum· et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante ihesum. [20] Quorum fidem vt vidit dixit. Homo: remittuntur tibi peccata tua. [21] Et ceperunt cogitare scribe et pharisei dicentes. Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata: nisi solus deus? [22] Vt cognouit autem ihesus cogitationes eorum: respondens dixit ad los. Quid cogitatis in cordibus vestris? [23] Quid est facilius dicere dimittuntur tibi peccata: an dicere surge et ambula? [24] Vt autem quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi pccata: ait paralitico. Tibi dico surge: tolle lectum tuum: et vade in domum tuam. [25] Et confestim consurgens coram illis tulit lectum in quo iacebat: et abijt in domum suam magnificans deum. [26] stupor apprehendit omnes: et magnificabant deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia vidimus mirabilia hodie. [27] post hec exijt: et vidit publicanum nomine leui sedentem ad theloneum: et ait illi. Sequere me. [28] Et relictis omnibus: surgens secutus est eum. [29] Et fecit ei conuiuium magnum leui in domo sua: et erat turba multa publicanorum· et aliqui cum illis erant discumbentes. [30] Et murmurabant pharisei et scribe eorum: dicentes ad discipulos eius. Quare peccatoribus manducatis et bibitis? [31] Et respondens ihesus dixit ad illos non egent qui sani sunt medico: sed qui male habent. [32] Non veni vocare iustos: sed peccatores ad penitentiam. [33] At illi dixerunt ad eum. Quare discipuli iohannis ieiunant frequenter et obsecrationes faciunt· similiter et phariseorum: tui autem edunt et bibunt? [34] Quibus ipse ait? Nunquid potestis filios sponsi dum cum illis est sponsus facere ieiunare? [35] Venient autem dies: et cum ablatus fuerit ab illis sponsus· tunc ieiunabunt in illis diebus. [36] Dicebat autem et similitudinem ad illos. Quia nemo commissuram a nouo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin et

nouum rumpit: et veteri non conuenit commissura nouo. [37] Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpit vinum nouum vtres: et vinum effundetur et vtres peribunt. [38] Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est: et vtraque conseruantur. [39] Et nemo bibens vetus statim vult nouum: dicit enim vetus melius

6 est autem in sabbato secundo primo· cum transiret per sata vellebant discipuli eius spicas: et manducabant confricantes manibus. [2] Quidam autem phariseorum dicebant illis. Quid facitis quod non licet in sabbatis? [3] Et respondens ihesus ad eos dixit. Nec hoc legistis quod fecit dauid· cum esurisset ipse et qui cum illo erant: [4] quomodo intrauit in domum dei· et panes propositionis sumpsit et manducauit· et dedit hijs qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus? [5] Et dicebat illis: quia dominus est filius hominis etiam sabbati. [6] Factum est autem et in alio sabbato: vt intraret in synagogam et doceret. Et erat ibi homo: et manus eius dextra erat arida. [7] Obseruabant autem scribe et pharisei si in sabbato curaret: vt inuenirent vnde accusarent eum. [8] Ipse vero sciebat cogitationes eorum: et ait homini qui habebat manum aridam. Surge: et sta in medium. Et surgens stetit. [9] Ait autem ad illos ihesus. Interrogo vos si licet sabbatis benefacere an male: animam saluam facere an perdere? [10] Et circumspectis omnibus dixit homini. Extende manum tuam. Et extendit: et restituta est manus eius. [11] Ipsi autem repleti sunt insipientia: et colloquebantur ad inuicem· quidnam facerent ihesu. [12] Factum est autem in illis diebus exijt in montem orare: et erat pernoctans in oratione dei. [13] Et cum dies factus esset vocauit discipulos suos: et elegit duodecim ex ipsis quos et nominauit: [14] simonem quem cognominauit petrum et andream fratrem eius: iacobum et iohannem· philippum et bartholomeum· [15] matheum et thomam iacobum alphei et simonem qui vocatur zelotes [16] et iudam iacobi: et iudam scarioth qui fuit proditor. [17] Et descendens cum illis stetit in loco campestri et turba discipulorum eius: et multitudo copiosa plebis ab omni iudea et iherusalem et maritima tyri et sydonis· [18] qui venerant vt audirent eum: et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis curabantur. [19] Et omnis turba querebat eum tangere: quia virtus de illo exiebat et sanabat omnes. [20] Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat. Beati pauperes: quia vestrum est regnum dei. [21] Beati qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis. [22] Beati eritis cum vos oderint homines et cum separauerint vos nomen et exprobrauerint: et eiecerint vestrum tanquam malum propter filium hominis. [23] Gaudete in illa die et exultate: ecce enim merces vestra multa est in celo. Secundum hec enim faciebant prophetis patres eorum. [24] Verumtamen ve vobis diuitibus: qui habetis consolationem vestram. [25] Ve vobis qui saturati estis: quia esurietis. Ve vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis et flebitis. [26] Ve cum bene vobis dixerint omnes homines. Secundum hec enim faciebant prophetis patres eorum. [27] Sed vobis dico qui auditis. Diligite inimicos vestros: benefacite hijs qui vos oderunt. [28] Benedicite maledicentibus vos: orate pro calumniantibus vos. [29] Ei qui te percutit in maxillam· prebe et alteram: et ab eo qui aufert tibi vestimentum· etiam tunicam noli prohibere. [30] Omni autem petenti te tribue: et qui aufert que gunt. tua sunt ne repetas. [31] Et prout vultis vt faciant vobis homines: et vos facite illis similiter. [32] Et si diligitis eos qui vos diligunt: que vobis est gratia? Nam et peccatores diligentes se diligunt. [33] Et si benefeceritis hijs qui vobis benefaciunt: que vobis est gratia? Siquidem et peccatores hoc faciunt. [34] Et si mutuum dederitis hijs a quibus speratis recipere: que gratia est vobis? Nam et peccatores peccatoribus fenerantur: vt recipiant equalia. [35] Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite et mutuum date· nichil inde sperantes: et erit merces vestra multa: et eritis filij altissimi: quia ipse benignus est super ingratos et malos. [36] Estote ergo misericordes: sicut et pater vester misericors est. [37] Nolite iudicare: non iudicabimini. condemnare: non condemnabimini. Dimittite: et dimittemini. [38] Date: dabitur vobis. Mensuram bonam et confertam· et coagitatam et super effluentem DA dabunt in sinum vestrum. Eadem vero mensura qua mensi fueritis: remetietur vobis. [39] Dicebat autem illis et similitudinem. Nunquid potest cecus cecum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? [40] Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit: si sit sicut magister eius. [41] Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem que in oculo tuo est non consideras? [42] Aut quomodo potes dicere fratri tuo· frater· sine eiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non vides? Ypocrita eice primum trabem de oculo tuo: et tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui. [43] Non est enim arbor bona que facit fructus malos: neque arbor mala faciens fructum bonum. [44] Vnaqueque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant vuam. [45] Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. [46] Quid autem vocatis me domine domine: et non facitis que dico? [47] Omnis qui venit ad me· et audit sermones meos· et facit eos: ostendam vobis cui similis sit. [48] Similis est homini edificanti domum qui sedit in altum: et posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta illisum est flumen domui illi: et non potuit eam mouere. Fundata enim erat supra petram. [49] Qui autem audit et non facit similis est homini edificanti domum suam supra terram sine fundamento: in quam illisus est fluuius· et continuo cecidit: et facta est ruina domus illius magna.

7 Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis: intrauit capharnaum. [2] Centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat moriturus: qui illi erat preciosus. [3] Et cum audisset de ihesu· misit ad eum seniores iudeorum: rogans eum vt veniret· et saluaret seruum eius. [4] At illi cum venissent ad ihesum rogabant eum sollicite dicentes ei: quia dignus est vt hoc illi prestes. [5] Diligit enim gentem nostram: et synagogam ipse edificauit nobis. [6] Ihesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longe esset a domo: misit ad eum centurio amicos dicens. Domine: noli vexari. Non enim sum dignus vt sub tectum meum intres: [7] propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus vt venirem ad te: sed dic verbo et sanabitur puer meus. [8] Nam et ego homo sum sub potestate constitutus· habens sub me milites: et dico huic vade et vadit· et alio veni et venit: et seruo meo fac hoc et facit. [9] Quo audito ihesus miratus est: et conuersus sequentibus se turbis dixit. Amen dico vobis: nec in israhel tantam fidem inueni. [10] Et reuersi qui missi fuerant domum: inuenerunt seruum qui languerat sanum. [11] Et factum est deinceps ibat ihesus in ciuitatem que vocatur naym: et ibant cum eo discipuli eius et turba copiosa. [12] Cum autem appropinquaret porte ciuitatis: ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris sue. Et hec vidua erat: et turba ciuitatis multa cum illa. [13] Quam cum vidisset dominus: misericordia motus super eam dixit illi. Noli flere. [14] Et accessit: et tetigit loculum. Hij autem qui portabant steterunt. Et ait. Adolescens· tibi dico surge. [15] Et resedit qui erat mortuus: et cepit loqui: et dedit illum matri sue. [16] Accepit autem omnes timor: et magnificabant deum dicentes. Quia propheta magnus surrexit in nobis: et quia deus visitauit plebem suam. [17] Et exijt hic sermo in vniuersam iudeam de eo: et omnem circa regionem. [18] Et nunciauerunt iohanni discipuli eius de omnibus hijs. [19] Et conuocauit duos de discipulis suis iohannes: et misit ad ihesum dicens. Tu es qui venturus es· an alium expectamus? [20] Cum autem venissent ad eum viri dixerunt. Iohannes baptista misit nos ad te dicens. Tu es qui venturus es an alium expectamus [21] In ipsa autem hora multos curauit a languoribus suis et plagis· et spiritibus malis: et cecis multis donauit visum. [22] Et respondens dixit illis. Euntes renunciate iohanni que audistis et vidistis. Quia ceci vident claudi ambulant· leprosi mundantur: surdi audiunt· mortui resurgent· pauperes euangelizantur: [23] et beatus est quicumque non fuerat scandalizatus in me. [24] Et cum discessissent nuncij iohannis: cepit de iohanne dicere ad turbas. Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? [25] Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste preciosa sunt et delicijs· in domibus regum sunt. [26] Sed quid existis videre? Prophetam? Vtique dico vobis: et plus quam prophetam? [27] Hic est de quo scriptum est. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam: qui preparabit viam tuam ante te. [28] Dico enim vobis: maior inter natos mulierum propheta iohanne baptista nemo est. Qui autem minor est in regno dei maior est illo. [29] Et omnis populus audiens· et publicani iustificauerunt deum: baptizati

baptisio iohannis. [30] Pharisei autem et legisperiti· consilium dei spreuerunt in semetipsos: non baptizati ab eo. [31] Ait autem dominus. Cui ergo similes dicam homines generacionis huius: et cui similes sunt? [32] Similes sunt pueris sedentibus in foro: et loquentibus ad inuicem et dicentibus. Cantauimus vobis tibijs et non saltastis: lamentauimus et non plorastis. [33] Venit autem iohannes baptista neque manducans panem neque bibens vinum: et dicitis. Demonium habet. [34] Venit filius hominis manducans et bibens: et dicitis. Ecce homo deuorator: et bibens vinum amicus publicanorum et peccatorum. [35] Et iustificata est sapientia· ab omnibus filijs suis. [36] Rogabat autem illum quidam de phariseis vt manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisei discubuit. [37] Et ecce mulier que erat in ciuitate peccatrix· vt cognouit quod accubuit in domo pharisei attulit alabastrum vngenti: [38] et stans retro secus pedes eius lacrimis cepit rigare pedes eius· et capillis capitis sui tergebat: et osculabatur pedes eius et vngento vngebat. [39] Videns autem phariseus qui vocauerat eum: ait intra se dicens. Hic si esset propheta: sciret vtique que et qualis est mulier que tangit eum: quia peccatrix est. [40] Et respondens ihesus dixit ad illum. Simon: habeo tibi aliquid dicere. At ille ait. Magister dic. [41] Duo debitores erant cuidam feneratori: vnus debebat denarios quingentos: et alius quinquaginta. [42] Non habentibus illis vnde redderent: donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? [43] Respondens simon dixit. Estimo: quia is cui plus donauit. At ille dixit ei. Recte iudicasti. [44] Et conuersus ad mulierem· dixit simoni. Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam: aquam pedibus meis non dedisti: hec autem lacrimis rigauit pedes meos· et capillis suis tersit. [45] Osculum michi non dedisti: hec autem exquo intraui non cessauit osculari pedes meos. [46] Oleo caput meum non vnxisti: hec autem vngento vnxit pedes meos. [47] Propter quod dico tibi. Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur minus diligit. [48] Dixit autem ad illam. Remittuntur tibi peccata. [49] Et ceperunt qui simul accumbebant dicere intra se. Quis est hic qui etiam peccata dimittit? [50] Dixit autem ad mulierem. Fides tua te saluam fecit. Vade in pace.

8 factum est deinceps· et ipse iter faciebat per ciuitates et castella predicans et euangelizans regnum dei: et duodecim cum illo· [2] et mulieres alique· que erant curate a spiritibus malignis et infirmitatibus: maria que vocatur magdalene· de qua septem demonia exierant· [3] et iohanna vxor chuze procuratoris herodis· et susanna et alie multe que ministrabant ei de facultatibus suis. [4] Cum autem turba plurima conuenirent et de ciuitatibus properarent ad eum: dixit per similitudinem. [5] Exijt qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat aliud cecidit secus viam· et conculcatum est: et volucres celi comederunt illud. [6] Et aliud cecidit supra petram· et natum aruit: quia non habebat humorem. [7] Et aliud cecidit inter spinas: et simul exorte spine suffocauerunt illud. [8] Et aliud cecidit in terram bonam: et ortum fecit fructum centuplum. Hec dicens clamabat. Qui habet aures audiendi audiat. [9] Interrogabant autem eum discipuli eius: que esset hec parabola. [10] Quibus ipse dixit. Vobis datum est nosse misterium regni dei: ceteris autem in parabolis: vt videntes non videant· et audientes non intelligant. [11] Est autem hec parabola. Semen est verbum dei. [12] Qui autem secus viam· hij sunt qui audiunt: deinde venit dyabolus et tollit verbum de corde eorum· ne credentes salui fiant. [13] Nam qui supra petram: qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum. Et hij radices non habent: quia ad tempus credunt· et in tempore temptationis recedunt. [14] Quod autem in spinas cecidit: hij sunt qui audierunt et a sollicitudinibus et diuitijs et voluptatibus vite euntes suffocantur: et non referunt fructum. [15] Quod autem in bonam terram: hij sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent: et fructum afferunt in pacientia. [16] Nemo autem lucernam accendens operit eam vase· aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit: vt intrantes videant lumen. [17] Non est enim occultum quod non manifestetur: nec absconditum quod non cognoscatur· et in palam veniat. [18] Videte ergo quid audiatis. Qui enim habet dabitur illi: et quicunque non habet: etiam quod putat se habere auferetur ab illo. [19] Venerunt autem ad illum mater et fratres eius: et non poterant adire ad eum pre turba. [20] Et nunciatum est illi. Mater tua et fratres tui stant foris: volentes te videre. [21] Qui respondens dixit ad eos. Mater mea et fratres mei hij sunt: qui verbum dei audiunt et faciunt. [22] Factum est autem in vna dierum: et ipse ascendit in nauiculam· et discipuli eius: et ait ad illos. Transfretemus trans stangnum. Et ascenderunt. [23] Et nauigantibus illis obdormiuit: et descendit procella venti in stangnum: et compellebantur et periclitabantur. [24] Accedentes autem suscitauerunt eum dicentes. Preceptor perimus. At ille surgens increpauit ventum et tempestatem aque et cessauit: et facta est tranquillitas. [25] Dixit autem illis. Vbi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt ad inuicem dicentes. Quisputas hic est? Quia et ventis et mari imperat· et obediunt ei. [26] Et nauigauerunt ad regionem gerasenorum· que est contra galileam. [27] Et cum de naui egressus esset ad terram occurrit illi vir quidam qui habebat demonium iam temporibus multis: et vestimento non induebatur: neque in domo manebat sed in monumentis. [28] Is vt vidit ihesum procidit ante illum: et exclamans voce magna dixit. Quid michi et tibi est ihesu fili dei altissimi? Obsecro te: ne me torqueas. [29] Precipiebat enim spiritui immundo: vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum: et vinciebatur cathenis et compedibus custoditus: et ruptis vinculis agebatur a demonio in deserta. [30] Interrogauit autem illum ihesus dicens. Quod tibi nomen est? At ille dixit. Legio. Quia intrauerant demonia multa in eum. [31] Et rogauerunt illum: ne imperaret illis vt in abissum irent. [32] Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: et rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. [33] Exierunt ergo demonia ab homine: et intrauerunt in porcos: et impetu abijt grex per preceps in stangnum: et suffocatus est. [34] Quod vt viderunt factum qui pascebant fugerunt: et nunciauerunt in ciuitatem et in villas. [35] Exierunt autem videre quod factum est: et venerunt ad ihesum· et inuenerunt hominem sedentem a quo demonia exierant vestitum· ac sana mente ad pedes eius: et timuerunt. [36] Nunciauerunt autem illis et qui viderant: quomodo sanus factus esset a legione. [37] Et rogauerunt illum omnis multitudo gerasenorum· vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens nauim reuersus est. [38] Et rogabat illum vir· a quo demonia exierant vt cum eo esset. Dimisit autem eum ihesus dicens. [39] Redi in domum tuam: et narra quanta tibi fecit deus. Et abijt per vniuersam ciuitatem predicans: quanta illi fecisset ihesus. [40] Factum est autem cum redis ihesus: excepit illum turba. Erant autem omnes expectantes eum. [41] Et ecce venit vir cui nomen iairus et ipse princeps synagoge erat: et cecidit ad pedes ihesu· rogans eum vt intraret in domum eius: [42] quia vnica filia erat ei fere annorum duodecim· et hec moriebatur. Et contigit dum iret: a turbis comprimebatur. [43] Et mulier quedam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim: que in medicos erogauerat omnem substantiam suam· nec ab vllo potuit curari. [44] Accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti eius: et confestim stetit fluxus sanguinis eius. [45] Et ait ihesus. Quis est qui me tetigit? Neganti autem omnibus: dixit petrus et qui cum illo erant. Preceptor· turbe te comprimunt et affligunt: et dicis quis me tetigit? [46] Et dixit ihesus. Tetigit me aliquis. Nam et ego noui virtutem de me exisse. [47] Videns autem mulier quia non latuit· tremens venit et procidit ante pedes eius: et ob quam causam tetigerit eum indicauit coram omni populo: et quemadmodum confestim sanata sit. [48] At ipse dixit ei. Filia· fides tua te saluam fecit. Vade in pace. [49] Adhuc illo loquente· venit quidam ad principem synagoge dicens ei quia mortua est filia tua: noli vexari illum. [50] Ihesus autem audito hoc verbo: respondit patri puelle. Noli timere. Crede tantum: et salua erit. [51] Et cum venisset domum· non permisit intrare secum quenquam nisi petrum et iacobum et iohannem: et patrem et matrem puelle. [52] Flebant autem omnes: et plangebant illam. At ille dixit. Nolite flere. Non est mortua puella sed dormit. [53] Et deride eum: scientes quia mortua esset. [54] Ipse autem tenens manum eius clamauit dicens. Puella surge. [55] Et reuersus est spiritus eius: et surrexit continuo. Et iussit illi dare manducare. [56] Et stupuerunt parentes eius: quibus precepit ne alicui dicerent quod factum erat.

9 Conuocatis autem ihesus duodecim apostolis· dedit illis virtutem et potestatem super omnia demonia: et vt languores curarent. [2] Et misit illos predicare regnum dei: et sanare infirmos. [3] Et ait ad illos. Nichil tuleritis in via

neque virgam neque peram· neque panem neque pecuniam: neque duas tunicas habeatis. [4] Et in quamcunque domum intraueritis ibi manete: et inde ne exeatis. [5] Et quicunque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. [6] Egressi autem circuibant per castella: euangelizantes et curantes vbique. [7] Audiuit autem herodes tetrarcha omnia que fiebant ab eo· et hesitabat eo quod diceretur [8] a quibusdam quia iohannes surrexit a mortuis:a a quibusdam vero quia helyas apparuit: ab alijs autem quia propheta vnus de antiquis surrexit. [9] Et ait herodes. Iohannem ego decollaui. Quis est autem iste de quo ego talia audio? Et querebat videre eum. [10] Et reuersi apostoli narrauerunt illi quecunque fecerunt: et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum· qui est bethsaide. [11] Quod cum cognouissent turbe secuti sunt illum: et excepit illos et loquebatur illis de regno dei: et eos qui cura indigebant sanabat. [12] Dies autem ceperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi. Dimitte turbas: vt euntes in castella villasque que circa sunt diuertant et inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus. [13] Ait autem ad illos. Vos date illis manducare. At illi dixerunt. Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces: nisi forte nos eamus· et emamus in omnem hanc turbam escas. [14] Erant autem fere viri quinque milia. Ait autem ad discipulos suos. Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos: [15] et ita fecerunt. Et discubuerunt omnes. [16] Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus respexit in celum et benedixit illis: et fregit et distribuit discipulis suis: vt ponerent ante turbas. [17] Et manducauerunt omnes: et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim. [18] Et factum est cum solus esset orans· erant cum illo et discipuli: et interrogauit illos dicens. Quem me dicunt esse turbe? [19] At illi responderunt et dixerunt iohannem baptistam: alij autem helyam: alij vero quia vnus propheta de prioribus surrexit. [20] Dixit autem illis. Vos autem quem me esse dicitis? Respondens simon petrus dixit. Cristum dei. [21] At ille increpans illos precepit ne cui dicerent hoc: [22] dicens· quia oportet filium hominis multa pati et reprobari a senioribus et principibus sacerdotum· et scribis et occindi· et tercia die resurgere. [23] Dicebat autem ad omnes. Si quis vult post me venire· abneget semetipsum: et tollat crucem suam quotidie: et sequatur me. [24] Qui enim voluerit animam suam saluam facere perdet illam. Nam qui perdiderit animam suam propter me: saluam faciet illam. [25] Quid enim proficit homo si lucretur vniuersum mundum: se autem ipsum perdat et detrimentum sui faciat? [26] Nam qui me erubuerit et meos sermones: hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua et patris et sanctorum angelorum. [27] Dico autem vobis: vere sunt aliqui hic stantes· qui non gustabant mortem donec videant regnum dei. [28] Factum est autem post hec verba fere dies octo: et assumpsit petrum et iacobum et iohannem: et ascendit in montem vt oraret. [29] Et factum est dum oraret: species vultus eius altera· et vestitus eius albus et fulgens. [30] Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem moyses et helyas [31] visi in maiestate: et dicebant excessum eius· quem completurus erat in iherusalem. [32] Petrus vero et qui cum illo grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius: et duos viros qui stabant cum illo. [33] Et factum est cum discederent ab illo: ait petrus ad ihesum. Preceptor bonum est nos hic esse: et faciamus tria tabernacula: vnum tibi· et vnum moysi· et vnum helye. Nesciens quid diceret. [34] Hec autem illo loquente· facta est nubes et obumbrauit eos: et timuerunt eos: intrantibus illis in nubem. [35] Et vox facta est de nube dicens. Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. [36] Et dum fieret vox inuentus est ihesus solus· et ipsi tacuerunt: et nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex hijs que viderant. [37] Factum est autem in sequenti die descendentibus illis de monte: occurrit illis turba multa. [38] Et ecce vir de turba exclamauit dicens. Magister obsecro te: respice in filium meum quia vnicus est michi. [39] Et ecce spiritus apprehendit eum· et subito clamat: et elidit et dissipat eum cum spuma: et vix discedit dilanians eum. [40] Et rogaui discipulos tuos vt eicerent illum: et non potuerunt. [41] Respondens autem ihesus dixit. O generacio infidelis et peruersa: vsque quo ero apud vos et pauos? Adduc huc filium tuum. [42] Et cum accederet: elisit illum demonium et dissipauit. [43] Et increpauit ihesus spiritum immundum et sanauit puerum: et reddidit illum patri eius. [44] Stupebant autem omnes magnitudine dei: omnibusque mirantibus in omnibus que faciebat· dixit ad discipulos suos. Ponite vos in cordibus vestris sermones istos. Filius enim hominis· futurum est vt tradatur in manus hominum. [45] At illi ignorabant istud: et erat velatum ante eos vt non sentirent illud: et timebant eum interrogare de hoc verbo. [46] Intrauit cogitatio in eos: quis eorum maior esset. [47] At ihesus videns cogitationes cordis illorum apprehendit puerum: et statuit illum secus se: [48] et ait illis. Quicunque susceperit puerum istum in nomine meo me recipit. Et quicunque me receperit: recipit eum qui me misit. qui minor est inter omnes vos: hic mest. [49] Respondens autem iohannes dixit. Preceptor vidimus quendam in nomine tuo eicientem demonia: et prohibuimus eum· quia non sequitur nobiscum. [50] Et ait ad ihesus. Nolite prohibere. Qui enim non est aduersum vos pro vobis est. [51] Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius: et ipse faciem suam firmauit vt iret iherusalem. [52] Et misit nuncios ante conspectum suum: et euntes intrauerunt in ciuitatem ciuisamaritanorum vt pararent illi. [53] Et receperunt eum: quia facies eius euntis iherusalem. [54] Cum vidissent autem discipuli eius iacobus et iohannes dixerunt. Domine vis dicimus vt ignis descendat de celo: et consumat illos? [55] conuersus increpauit illos dicens. Nescitis cuius spiritus estis. [56] Filius ho cuius Filius hominis non venit animas perdere sed saluare. Et abierunt in aliud castellum. [57] Factum est autem ambulantibus illis in via: dixit quidam ad illum. Sequar te quocunque ieris. [58] Dixit illi ihesus. Vulpes foueas habent· et volucres celi nidos: filius autem hominis hominis non habet vbi caput suum reclinet. [59] Ait autem ad alterum. Sequere me. Ille autem dixit. Domine: permitte michi primum ire· et sepelire patrem meum. [60] Dixit que ei ihesus. Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade et annuncia regnum dei. [61] Et ait alter. Sequar te domine: sed permitte michi primum renunciare hijs qui domi sunt. [62] Ait ad illum ihesus. Nemo mittens manum suam ad aratrum et aspiciens retro· aptus est regno dei.

10 Post hec autem designauit dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem ciui et locum quo erat ipse venturus. [2] Et dicebat illis. Messis quidem multa: operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis: vt mittat operarios in messem. [3] Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. [4] Nolite portare sacculum neque peram neque calciamenta: et neminem per viam salutaueritis. [5] Inquan In quancunque domum intraueritis· primum dicite pax huic domui: [6] et si ibi fuerit filius pacis· requiescet super illum pax vestra: sin autem sinautem ad vos reuertetur. [7] In eadem autem domo manete: edentes et bibentes que apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. [8] Et in quamcunque ciuitatem intraueritis et susceperint vos manducate que apponuntur vobis: [9] et curate infirmos qui in illa sunt: et dicite illis appropinquabit in vos regnum dei. [10] In quamcunque autem ciuitatem intraueritis et non susceperint vos: exeuntes in plateas eius dicite. [11] Etiam puluerem qui adhesit nobis de ciuitate vestra extergimus in vos. Tamen hoc scitote quia appropinquabit regnum dei. [12] Dico vobis: quia sodomis in die illa remissius erit quam illi ciuitati. [13] Ve tibi corozaym ve tibi bethsayda: quia si in tyro et sydone facte fuissent virtutes que facte sunt in vobis olim in cilicio et cinere sedentes peniterent. [14] Verumtamen tyro et sydoni remissius erit in iudicio quam vobis. [15] Et tu capharnaum vsque ad celum exaltata: vsque ad infernum demergeris. [16] Qui vos audit me audit: et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit: spernit eum qui me misit. [17] Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes. Domine: etiam demonia subiciuntur nobis in nomine tuo. [18] Et ait illis. Videbam sathanan sicut fulgur de celo cadentem. [19] Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et supra omnem virtutem inimici: et nichil vobis nocebit. [20] Verumtamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus vobis subiciuntur. Gaudete autem: quod nomina vestra scripta sunt in celis. [21] In ipsa hora exultauit in spiritu sancto et dixit. Confiteor tibi domine pater celi et terre: quod abscondisti hec a sapientibus et prudentibus: et reuelasti ea paruulis. Etiam pater: quoniam sic placuit ante te. [22] Omnia michi tradita sunt a patre meo. Et nemo scit quis sit

filius nisi pater: et quis sit pater nisi filius: et cui voluerit filius reuelare. 23 Et conuersus ad discipulos suos dixit. Beati oculi qui vident que vos videtis. 24 Dico enim vobis: quod multi prophete et reges voluerunt videre que vos videtis et non viderunt: et audire que auditis et non audierunt. 25 Et ecce quidam legisperitus surrexit temptans illum et dicens. Magister: quid faciendo vitam eternam possidebo? 26 At ille dixit ad eum. In lege quid scriptum est? Quomodo legis? 27 Ille respondens dixit. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua· et ex omnibus viribus tuis et ex omni mente tua: et proximum tuum sicut teipsum. 28 Dixitque illi. Recte respondisti. Hoc fac et viues. 29 Ille autem volens iustificare seipsum dixit ad ihesum. Et quis est meus proximus? 30 Suscipiens autem ihesus dixit. Homo quidam descendebat ab iherusalim in ihericho et incidit in latrones: qui etiam despoliauerunt eum: et plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. 31 Accidit vt sacerdos quidam descenderet eadem via: et viso illo preteriuit. 32 Similiter et leuita: cum esset secus locum et videret eum pertransijt. 33 Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum: et videns eum misericordia motus est. 34 Et appropians alligauit vulnera eius· infundens oleum et vinum: et imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum: et curam eius egit. 35 Et altera die protulit duos denarios: et dedit stabulario et ait. Curam illius habe: et quodcunque supererogaueris· ego cum rediero reddam tibi. 36 Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi· qui incidit in latrones? 37 At ille dixit. Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi ihesus. Vade: et tu fac similiter. 38 Factum est autem dum irent· et ipse intrauit in quoddam castellum: et mulier quedam martha nomine excepit illum in domum suam: 39 et huic erat soror nomine maria. Que etiam sedens secus pedes domini audiebat verbum illius: 40 martha autem satagebat circa frequens ministerium. Que stetit et ait. Domine: non est tibi cure quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. 41 Et respondens dixit illi dominus. Martha martha sollicita es: et turbaris erga plurima. 42 Porro vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit: que non auferetur ab ea.

11 Et Et factum est cum esset in quodam loco orans: vt dixit vnus loco orans: vt cessauit dixit vnus ex ex discipulis eius ad eum. Domine doce nos orare: sicut docuit iohannes discipulos suos. 2 Et ait illis. Cum oratis dicite. Pater sanctificetur nomen tuum: aduenias regnum tuum: 3 panem nostrum quotidianum da nobis hodie: 4 et dimitte nobis peccata nostra siquidem et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inducas in temptationem. 5 Et ait ad illos. Quis vestrum habebit amicum et ibit ad illum media nocte et dicet illi amice commoda michi tres panes· 6 quoniam amicus meus venit de via ad me· et non habeo quod ponam ante illum: 7 et ille deintus respondens dicit· noli michi molestus esse· iam ostium clausum est· et pueri mei mecum sunt in cubili· non possum surgere et dare tibi? 8 Et ille si perseuerauerit pulsans: dico vobis· et si non dabit illi surgens· eo quod amicus eius sit: propter improbitatem tamen eius surget· et dabit illi quotquot habet necessarios. 9 Et dico ego vobis. Petite et dabitur vobis: querite et inuenietis: pulsate et aperietur vobis. 10 Omnis enim qui petit accipit: et qui querit inuenit: et pulsanti aperietur. 11 Quis autem ex vobis patrem petit panem: nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem: pro pisce serpentem dabit illi? 12 Aut si petierit ouum: nunquid porriget illi scorpionem? 13 Si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester celestis de celo dabit bonum spiritum petentibus se. 14 Et erat eiciens demonium et illud erat mutum: et cum eiecisset demonium locutus est mutus: et ammirate sunt turbe. 15 Quidam autem re ex eis dixerunt. In beelzebub principe demoniorum eicit demonia. 16 Et alij temptantes: signum querebant ab eo. 17 Ipse autem vt vidit cogitationes eorum dixit eis. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur: et domus supra domum cadet. 18 Si autem et sachanas in seipsum diuisus est· quomodo stabit regnum eius: quia dicitis in beelzebub eicere me demonia? 19 Si autem ego in beelzebub eicio demonia: filij vestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. 20 Porro si in digito dei eicio demonia: profecto peruenit in vos regnum dei. 21 Cum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt ea que possidet. 22 Si autem fortior eo superueniens vicerit eum: vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat: et spolia eius distribuet. 23 Qui non est mecum contra me est: et qui non colligit mecum dispergit. 24 Cum immundus spiritus exierit de homine perambulat per loca inaquosa· querens requiem: et non inueniens dicit. Reuertar in domum meam vnde exiui. 25 Et cum venerit inuenit eam scopis mundatam. 26 Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se: et ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. 27 Factum est autem cum hec diceret: extollens vocem quedam mulier de turba dixit illi. Beatus venter qui te portauit: et vbera que suxisti. 28 At ille dixit. Quinymmo beati qui audiunt verbum dei: et custodiunt illud. 29 Turbis concurrentibus cepit dicere. Generatio hec generatio nequam est: signum querit et signum non dabitur ei nisi signum ione. 30 Nam sicut fuit ionas signum niniuitis: ita erit filius hominis generationi isti. 31 Regina austri surget in iudicio· cum viris generationis huius et condemnabit illos: quia venit a finibus terre audire sapientiam salomonis. Et ecce plus quam salomon hic. 32 Viri niniuite surgent in iudicio cum generatione hac et condemnabunt illam: quia penitentiam egerunt in predicatione ione. Et ecce plus quam iona hic. 33 Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit neque sub modio sed supra candelabrum: vt qui ingrediuntur lumen videant. 34 Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex· totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit: etiam corpus tuum tenebrosum erit. 35 Vide ergo ne lumen quod in te est tenebre sint. 36 Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit· non habens aliquam partem tenebrarum: erit lucidum totum. Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te. 37 Et cum loqueretur: rogauit illum quidam phariseus vt pranderet apud se. Ihesus autem ingressus recubuit. 38 Phariseus autem cepit intra se reputans dicere: quare non baptizatus esset ante prandium. 39 Et ait dominus ad illum. Nunc vos pharisei quod de foris est calicis· et cathini mundatis: quod autem intus est vestrum· plenum est rapina et iniquitate. 40 Stulti: nonne qui fecit quod de foris est· etiam id quod de intus est fecit? 41 Verumtamen quod superest date elimosinam: et ecce omnia mundata sunt vobis. 42 Sed ve vobis phariseis qui decimatis mentam et rutam et omne olus: et preteritis iudicium et caritatem dei. Hec autem oportuit facere: et illa non omittere. 43 Ve vobis phariseis: quia diligitis primas cathedras in synagogis· et salutationes in foro. 44 Ve vobis quia estis vt monumenta que non apparent· et homines ambulantes supra· nesciunt. 45 Respondens autem quidam ex legisperitis ait illi. Magister: hec dicens etiam contumeliam nobis facis. 46 At ille ait. Et vobis legisperitis ve: quia oneratis homines oneribus que portare non possunt: et ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. 47 Ve vobis edificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. 48 Sed profecto testificamini quod consentitis operibus opatrum vestrorum: ipsi eos occiderunt: vos autem edificatis eorum sepulcra. 49 Propterea et sapientia dixit. Mittam ad illos prophetas et et ex illis occident et persequentur: 50 vt inquiratur sanguis omnium prophetarum· effusus est a constitutione mundi generatione ista: 51 a sanguine abel vsque ad sanguinem zacharie· qui perijt inter altare et edem. Ita dico vobis: requiretur ab hac generatione. 52 Ve vobis legisperitis qui tulistis clauem scientie: ipsi non introistis· et eos qui introibant prohibuistis. 53 Cum autem hec ad illos diceret· ceperunt pharisei et legisperiti grauiter insistere: et os eius opprimere de multis 54 insidiantes ei: et querentes aliquid capere de ore eius· vt accusarent eum.

12 Multis turbis concurrentibus ita vt se inuicem conculcarent: cepit dicere ad discipulos suos. Attendite fermento phariseorum quod est ypocrisis. 2 Nichil enim opertum est quod non reueletur: neque absconditum quod non sciatur. 3 Quoniam que in tenebris dixistis· in lumine dicentur: et quod in aure locuti estis in cubiculis: predicabitur in tectis. 4 Dico vobis amicis meis ne terreamini ab hijs qui occidunt corpus: et post hec non habent amplius quid faciant. 5 Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum: qui postquam occiderit· habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis: hunc timete. 6 Nonne quinque passeres veneunt dipondio: et vnus ex illis non est in obliuione coram deo? 7 Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. ergo timere: multis passeribus pluris estis. 8 Dico autem vobis: omnis confessus

fuerit me coram hominibus: et filius hominis confitebitur illum coram angelis dei. [9] Qui autem negauerit me coram hominibus: negabitur coram angelis dei. [10] Et omnis qui dicit verbum in filium hominis remittetur ei: ei autem qui in spiritum sanctum blasphemauerit non remittetur. [11] Cum autem inducerent vos in synagogas· et ad magistratus et potestates: nolite solliciti esse· qualiter aut quid respondeatis aut quid dicatis. [12] Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora· quid oporteat vos dicere. [13] Ait autem ei quidam de turba. Magister dic fratri meo: vt diuidat mecum hereditatem. [14] At ille dixit ei. Homo: quis me constituit iudicem aut diuisorem supra vos? [15] Dixitque ad illos. Videte et cauete ab omni auaricia: quia non in abundancia cuiusquam vita est ex hijs que possidet. [16] Dixit autem similitudinem ad illos dicens. Hominis quidam diuitis vberes fructus ager attulit: [17] et gitabat intra dicens. Quid faciam: quod non habeo quo congregem fructus meEt [18] dixit. faciam. Destruam horrea mea· et maiora faciam: et illuc congregabo omnia que nata sunt michi et bona mea: [19] et dicam anime mee. Anima· habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce· comede· bibe: epulare. [20] Dixit autem illi deus. Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te. Que autem parasti cuius erunt? [21] Sic est qui sibi thesaurizat: et non est in deum diues. [22] Dixitque ad discipulos suos. Ideo dico vobis. Nolite solliciti esse anime vestre quid manducetis: neque corpori quid induamini. [23] Anima plus est quam esca: et corpus quam vestimentum. [24] Considerate coruos· Considerate coruos· quia non seminant neque metunt quibus non est cellarium neque horreum: et deus pascit illos. ma Quantoma vos pluris estis illis? [25] Quis autem vestrum cogitando potest adicere ad staturam suam cubitum vnum? [26] Si ergo neque quod minimum est potestis: quid de ceteris solliciti estis? [27] Considerate lilia quomodo crescunt. Non laborant neque nent. Dico autem vobis: nec salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. [28] Si autem fenum quod hodie est in agro· et cras in clibanum mittitur deus sic vestit: quantomagis vos pusille fidei? [29] Et vos nolite querere quid manducetis· aut quid bibatis: et nolite in sublime tolli. [30] Hec autem omnia gentes mundi querunt. Pater autem vester scit quoniam hijs indigetis. [31] Verumtamen querite primum regnum dei et iusticiam eius: et hec omnia adicientur vobis. [32] Nolite timere pusillus grex: quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. [33] Vendite que possidetis et date elemosinam. Facite vobis sacculos qui non veterescunt: thesaurum non deficientem in celis: fur non appropiat· neque tinea corrumpit. [34] Vbi enim thesaurus vester est: ibi et cor vestrum erit. [35] Sint lumbi vestri precincti et lucerne ardentes: [36] et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur a nuptijs: vt cum venerit et pulsauerit confestim aperiant ei. [37] Beati serui illi: quos cum venerit dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis: quod precinget se et faciet illos discumbere: et transiens ministrabit illis. [38] Et si venerit in secunda vigilia: et si in tercia vigilia venerit et ita inuenerit: beati sunt serui illi. [39] Hoc autem scitote: quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret vigilaret vtique: et non sineret perfodi domum suam. [40] Et vos estote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet. [41] Ait autem petrus. Domine: ad nos dicis hanc parabolam an et ad omnes? [42] Dixit autem dominus. Quis putas Quisputas est fidelis dispensator et prudens: quem constituit dominus supra familiam suam vt det illis intempore tritici mensuram? [43] Beatus ille seruus: quem cum venerit dominus inuenerit ita facientem. [44] Vere dico vobis: quoniam supra omnia que possidet constituet illum. [45] Quod si dixerit seruus ille in corde suo· moram facit dominus meus venire: et ceperit percutere seruos et ancillas et edere· et bibere· et inebriari: [46] veniet dominus serui illius in die qua non sperat et hora qua nescit et diuidet eum: partemque eius cum infidelibus ponet. [47] Ille autem seruus qui cognouit voluntatem domini sui· et non preparauit· et non fecit secundum voluntatem eius vapulabit multis: [48] qui autem non cognouerit et fecit digna plagis vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est· multum queretur ab eo: et cui commendauerunt multum: plus petent ab eo. [49] Ignem veni mittere in terram: et quid volo nisi vt accendatur? [50] Baptismum autem habeo baptizari· et quomodo coartor vsque dum perficiatur? [51] Putatis quia pacem veni mittere in terram? Non dico vobis: sed separationem. [52] Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi: tres in duos et duo in tres [53] diuidentur: pater in filium· et filius in patrem suum: mater in filiam· et filia in matrem: socrus in nurum suam et nurus in socrum suam. [54] Dicebat autem ad turbas. Cum videritis nubem orientem ab occasu statim dicitis nimbus venit et ita fit: [55] et cum austrum flantem dicitis· quia estus erit et fit. [56] Ypocrite faciem celi et terre nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? [57] Quid autem et a vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? [58] Cum autem vadis cum aduersario tuo ad principem in via· da operam liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem· et iudex tradat te exactori: et exactor mittat te in carcerem. [59] Dico tibi: non exies inde donec etiam nouissimum minutum reddas·

13 Aderant autem quidam ipso in tempore nunciantes illi de galileis: quorum sanguinem pilatus miscuit cum sacrificijs eorum. [2] Et respondens dixit illis. Putatis quod hij galilei pre omnibus galileis peccatores fuerint quia talia passi sunt? [3] Non dico vobis: sed nisi penitentiam habueritis omnes similiter peribitis [4] sicut illi decem et octo supra quos cecidit turris in syloe et occidit eos. Putatis quia et ipsi debitores fuerint preter omnes homines habitantes in iherusalem? [5] Non dico vobis: sed si non penitentiam habueritis omnes similiter peribitis. [6] Dicebat autem et similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua: et venit querens fructum in illa· et non inuenit. [7] Dixit autem ad cultorem vinee. Ecce anni tres sunt ex quo venio querens fructum in ficulnea hac: et non inuenio. Succide ergo illam. Vt quid etiam terram occupat? [8] At ille respondens dixit illi. Domine: dimitte illam et hoc anno vsque dum fodiam circa illam et mittam stercora. [9] Et siquidem fecerit fructum: sinautem sin autem in futurum succides eam. [10] Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. [11] Et ecce mulier que habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo: et erat inclinata: nec omnino poterat sursum respicere. [12] Quam cum videret ihesus vocauit eam ad se: et ait illi. Mulier: dimissa es ab infirmitate tua. [13] Et imposuit illi manus: et confestim erecta est: et glorificabat deum. [14] Respondens archisynagogus· indignans quia sabbatis curasset ihesus: dicebat turbe. Sex dies sunt in quibus oportet operari. In hijs ergo venite et curamini: et non in die sabbati. [15] Respondens ad illum dominus dixit. Ypocrite vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum a presepio et ad [16] Hanc autem filiam abrahe quam alligauit sathanas ecce decem octo annis: non oportuit solui vinculo isto die sabbati? [17] Et cum hec diceret erubescebant omnes aduersarij eius: et omnis populus gaudebat in vniuersis que gloriose fiebant ab eo. [18] Dicebat ergo. Cui simile est regnum dei: et cui simile estimabo illud? [19] Simile est grano sinapis· quod acceptum homo misit in ortum suum et creuit: et factum est in arborem magnam: et volucres celi requieuerunt in ramis eius. [20] Et iterum dixit. Cui simile estimabo regnum dei? [21] Simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farine sata tria: donec fermentaretur totum. [22] Et ibat per ciuitates et castella docens: et iter faciens in iherusalem. [23] Ait autem illi quidam. Domine: si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos. [24] Contendite intrare per angustam portam: quia multi dico vobis querunt intrare· et non poterunt. [25] Cum autem intrauerit paterfamilias et clauserit ostium et incipietis foris stare· et pulsare ostium dicentes domine aperi nobis: et respondens dicet vobis. Nescio vos vnde sitis. [26] Tunc incipietis dicere. Manducauimus coram te et bibimus: et in plateis nostris docuisti. [27] Et dicet vobis. Nescio vos vnde sitis. Discedite a me omnes operarij iniquitatis. [28] Ibi erit fletus et stridor dentium: cum videritis abraham et ysaac et iacob et omnes prophetas in regno dei: vos autem expelli foras. [29] Et venient ab oriente et occidente et aquilone et austro: et accumbent in regno dei. [30] Et ecce sunt nouissimi qui erunt primi: et sunt primi qui erunt nouissimi. [31] In ipsa die accesserunt quidam phariseorum dicentes illi. Exi et vade hinc: quia herodes vult te occidere. [32] Et ait illis. Ite et dicite vulpi illi. Ecce eicio demonia et sanitates perficio hodie et cras: et tercia die consummor. [33] Verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti ambulare: quia non capit prophetam perire extra iherusalem. [34] Iherusalem iherusalem que occidis prophetas et lapidas eos qui mittuntur ad te. Quotiens volui congregare filios tuos quemadmodum auis nidum suum sub pennis: et noluisti. [35] Ecce

relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis: quia non videbitis me donec veniat cum dicetis: benedictus qui venit in nomine domini.

14 Et factum est cum introisset ihesus in domum cuiusdam principis phariseorum sabbato manducare panem: et ipsi obseruabant eum. 2 Et ecce quidam ydropicus erat ante illum. 3 Et respondens ihesus: dixit ad legisperitos et phariseos dicens. Si licet sabbato curare? 4 At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum: ac dimisit. 5 Et respondens ad illos dixit. Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet: et non continuo extrahet illum die sabbati? 6 Et non poterant ad hec respondere illi. 7 Dicebat autem et ad inuitatos parabolam· intendens quomodo primos accubitus eligerent: dicens ad illos. 8 Cum inuitatus fueris ad nuptias· non discumbas in primo loco· ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo: 9 et veniens is qui te et illum vocauit· dicat tibi da huic locum: et tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. 10 Sed cum vocatus fueris vade recumbe in nouissimo loco: vt cum venerit qui te inuitauit dicat tibi. Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: 11 quia omnis qui se exaltat humiliabitur: et qui se humiliat exaltabitur. 12 Dicebat autem et ei qui se inuitauerat. Cum facis prandium aut cenam· noli vocare amicos tuos· neque fratres tuos neque cognatos· neque vicinos diuites: ne forte et ipsi te reinuitent: et fiat tibi retributio. 13 Sed cum facis conuiuium voca pauperes debiles claudos et cecos 14 et beatus eris: quia non habent retribuere tibi. Retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum. 15 Hec cum audisset quidam de simul discumbentibus dixit illi. Beatus qui manducabit panem in regno dei. 16 At ipse dixit ei. Homo quidam fecit cenam magnam: et vocauit multos. 17 Et misit seruum suum hora cene dicere inuitatis vt venirent: quia iam parata sunt omnia. 18 Et ceperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei. Villam emi: et necesse habeo exire et videre illam. Rogo te: habe me excusatum. 19 Et alter dixit. Iuga boum emi quinque: et eo probare illa. Rogo te: habe me excusatum. 20 Et alius dixit. Vxorem duxi: et ideo non possum venire. 21 Et reuersus seruus nunciauit hec domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo. Exi cito in plateas et vicos ciuitatis: et pauperes ac debiles et cecos et claudos introduc huc. 22 Et ait seruus. Domine: factum est vt imperasti· et adhuc locus est. 23 Et ait dominus seruo. Exi in vias et sepes et compelle intrare: vt impleatur domus mea. 24 Dico autem vobis: quod nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit cenam meam. 25 Ibant autem turbe multe cum eo: et conuersus dixit ad illos. 26 Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem· et vxorem et filios et fratres et sorores· adhuc autem et animam suam: non potest meus esse discipulus. 27 Et qui non baiulat crucem suam et venit post me: non potest meus esse discipulus. 28 Quis enim ex vobis volens turrim edificare non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt· si habeat ad perficiendumene 29 ne postea quam posuerit fundamen et non potuerit perficere· omnes qui vident incipiant illudere ei 30 dicentes· quia hic homo cepit edificare et non potuit consummare? 31 Aut quis rex iturus commitmete bellum aduersus alium regem: non sedens prius cogitat si posset cum decem milibus occurrere ei· qui cum viginti milibus venit ad se? 32 Alioquin adhuc illo longe agente: legationem mittens rogat ea que pacis sunt. 33 Sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus que possidet: non potest meus esse discipulus. 34 Bonum est sal. Si autem sal quoque euanuerit: in quo condietur? 35 Neque in terram neque in sterquilinium vtile est: sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi audiat.

15 Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores: vt audirent illum. 2 Et murmurabant pharisei et scribe dicentes: quia hic peccatores recipit et manducat cum illis. 3 Quis ad illos parabolam istam dicens. 4 Et ait ex vobis homo qui habet centum oues: et si perdiderit vnam ex illis· nonne dimittit nonagintanouem in deserto et vadit ad illam que perierat donec inueniat eam? 5 Et cum inuenerit eam· imponit in humeros suos gaudens: 6 et veniens domum conuocat amicos et vicinos dicens illis. Congratulamini michi: quia inueni ouem meam que perierat. 7 Dico vobis: ita gaudium erit in celo super vno peccatore penitentiam agente: quam supra iustis qui non indigent penitentia. 8 Aut que mulier habens dragmas decem: si perdiderit dragmam vnam· nonne accendit lucernam et euertit domum et querit diligenter· donec inueniat eam? 9 Et cum inuenerit: conuocat amicas et vicinas dicens. Congratulamini michi: quia inueni dragmam quam perdideram. 10 Ita dico vobis: gaudium erit coram angelis dei super vno peccatore penitentiam agente. 11 Ait autem. Homo quidam habuit duos filios: 12 et dixit adolescentior ex illis patri. Pater: da michi portionem substantie que me contigit. Et diuisit illis substantiam. 13 Et non post multos dies· congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam: et ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose. 14 Et postquam omnia consummasset: facta est fames valida in regione illa: et ipse cepit egere. 15 Et abijt et adhesit vni ciuium regionis illius: et misit illum in villam suam vt pasceret porcos. 16 Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant: et nemo illi dabat. 17 In se reuersus dixit. Quanti mercennarij domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo. 18 Surgam et ibo ad patrem meum: et dicam ei pater: peccaui in celum et coram te: 19 iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercennarijs tuis. 20 Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset· vidit illum pater ipsius: et misericordia motus est: et accurrens cecidit super collum eius· et osculatus est eum. 21 Dixitque ei filius. Pater: peccaui in celum et coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. 22 Dixit autem pater ad seruos suos. Cito proferte stolam primam· et induite illum: et date anulum in manum eius: et calciamenta in pedes eius. 23 Et adducite vitulum saginatum et occidite· et manducemus et epulemur: 24 quia hic filius meus mortuus fuerat et reuixit: perierat et inuentus est. Et ceperunt epulari. 25 Erat autem filius eius senior in agro. Et cum veniret et appropinquaret domui· audiuit symphoniam et chorum: 26 et vocauit vnum de seruis: et interrogauit quid hec essent. 27 Isque dixit illi. Frater tuus venit: et occidit pater tuus vitulum saginatum: quia saluum illum recepit. 28 Indignatus est autem: et nolebat introire. Pater ergo illius egressus cepit rogare illum. 29 At ille respondens dixit patri suo. Ecce tot annis seruio tibi: et nun mandatum tuum preteriui: et nunquam dedisti michi hedum vt cum amicis meis epularer. 30 Sed postquam filius tuus hic qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus venit: occidisti illi vitulum saginatum. 31 At ipse dixit illi. Fili tu semper mecum es: et omnia mea tua sunt. 32 Epulari autem et gaudere oportebat: quia frater tuus hic mortuus erat et reuixit: perierat et inuentus est.

16 Dicebat autem et ad discipulos suos. Homo quidam erat dives qui habebat villicum: et hic diffamatus est apud illum: quasi dissipasset bona ipsius. 2 Et vocauit illum: et ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicatio tue. Iam enim non poteris villicare. 3 Ait autem villicus intra se. Quid faciam: quia dominus meus aufert a me villicationem? Fodere non valeo: mendicare erubesco. 4 Scio quid faciam: vt cum amotus fuero a villicatione: recipiant me in domos suas. 5 Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui: dicebat primo. Quantum debes domino meo? 6 At ille dixit. Centum cados olei. Dixit que illi. Accipe cautionem tuam: et sede cito scribe quinquaginta. 7 Deinde alio dixit. Tu vero quantum debes? Qui ait. Centum choros tritici. Ait illi. Accipe litteras tuas: et scribe octoginta. 8 Et laudauit dominus villicum iniquitatis quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatio sua sunt. 9 Et ego vobis dico. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis recipiant vos in eterna tabernacula. 10 Qui fidelis est in minimo et in maiori fidelis est: et qui in modico iniquus est· et in maiori iniquus est. 11 Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est quis credet vobis? 12 Et si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est quis dabit vobis? 13 Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odiet· et alterum diliget: aut vni adherebit et alterum contemnet. Non potestis deo seruire et mammone. 14 Audiebant autem omnia hec pharisei qui erant auari: et deridebant illum. 15 Et ait illis. Vos estis qui iustificastis vos coram hominibus: deus autem nouit corda vestra. Quia quod hominibus altum est: abominatio est ante deum. 16 Lex et prophete vsque ad iohannem: ex eo regnum dei euangelizatur: et omnis in illud vim

facit. 17 Facilius est autem celum et terram preterire: quam de lege vnum apicem cadere. 18 Omnis qui dimittit vxorem suam· et alteram ducit mechatur: et qui dimissam a viro ducit mechatur. 19 Homo quidam erat dives qui induebatur purpura et bisso: et epulabatur quotidie splendide. 20 Et erat quidam mendicus nomine lazarus: qui iacebat Ad ianuam eius vlceribus plenus· 21 cupiens saturari de micis que cadebant de mensa diuitis: et nemo illi dabat. Sed et canes veniebant: et lingebant vlcera eius. 22 Factum est autem vt moreretur mendicus: et portaretur ab angelis in sinum abrahe. Mortuus est autem et dives: et pultus est in inferno. 23 Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis: vidit abraham a longe· et lazarum in sinu e sinu ius: 24 et ipse clamans dixit. Pater abraham miserere mei: et mitte lazarum vt intiguat extremum digiti sui in aquam· vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. 25 Et dixit illi abraham. Fili recordare quia recepisti bona in vita tua: et lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur: tu vero cruciaris. 26 Et in hijs omnibus inter nos et vos cahos magnum firmatum est: vt hij qui volunt hinc transire ad vos non possunt: neque inde huc transmeare. 27 Et ait. Rogo ergo te pater: vt mittas eum in domum patris mei. 28 Habeo enim quinque fratres: vt testetur illis ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29 Et ait illi abraham. Habent moysen et prophetas: audiant illos. 30 At ille dixit. Non pater abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos penitentiam agent. 31 Ait autem illi. Si moysen et prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.

17 Et discipsos suos ait. Impossibile est vt non veniant scandala. Ve autem illi per quem veniunt. 2 Vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius· et proiciatur in mare: quam vt scandalizet vnum de pusillis istis. 3 Attendite vobis. Si peccauerit in te frater tuus· increpa illum: et si penitentiam egerit dimitte illi. 4 Et si septies in die peccauerit in te: et septies in die conuersus fuerit ad te dicens· penitet me: dimitte illi. 5 Et dixerunt apostoli domino. Adauge nobis fidem. 6 Dixit autem dominus. Si habueritis fidem sicut granum sinapis: diceretis huic arbori moro eradicare et transplantare in mare: et obediret vobis. 7 Quis autem vestrum habens seruum arantem aut pascentem boues qui regresso de agro dicat illi statim transi recumbe: 8 et non dicit· para quod cenem et precinge te et ministra michi donec manducem et bibam· et post hec tu manducabis et bibes? 9 Numquid gratiam habet seruo illi: quia fecit que ei imperauerat? 10 Non puto. Sic et vos cum feceritis omnia que precepta sunt vobis dicite: serui inutiles sumus. Quod debuimus facere fecimus. 11 Et factum est dum iret in iherusalem: transiebat per mediam samariam et galileam. 12 Et cum ingrederetur quoddam castellum: occurrerunt ei decem viri leprosi. Qui steterunt a longe: 13 et leuauerunt vocem dicentes. Ihesu preceptor: miserere nostri. 14 Quos vt vidit dixit. Ite: ostendite vos sacerdotibus. Et factum est dum irent: mundati sunt. 15 Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est: regressus est cum magna voce magnificans deum. 16 Et cecidit in faciem ante pedes eius: gratias agens. Et hic erat samaritanus. 17 Respondens autem ihesus dixit. Nonne decem mundati sunt? Et nouem vbi sunt? 18 Non est inuentus qui rediret· et daret gloriam deo: nisi hic alienigena. 19 Et ait illi. Surge vade: quia fides tua te saluum fecit. 20 Interrogatus autem a phariseis quando venit regnum dei: respondens eis dixit. Non veniet regnum dei cum obseruatione: 21 neque dicent ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum dei intra vos est. 22 Et ait ad discipulos suos. Venient dies quando desideretis videre vnum diem filij hominis: et non videbitis. 23 Et dicent vobis. Ecce hic et ecce illic. Nolite ire: neque sectemini. 24 Nam sicut fulgur choruscans de sub celo in ea que sub celo sunt fulget: ita erit filius hominis in die sua. 25 Primum autem oportet illum multa pati: et reprobari a generatione hac. 26 Et sicut factum est in diebus noe: ita erit et in diebus filij hominis. 27 Edebant et bibebant· vxores ducebant· et dabantur ad nuptias· vsque in diem qua intrauit noe in arcam: et venit diluuium et perdidit omnes. 28 Similiter sicut factum est in diebus loth. Edebant et bibebant et vendebant plantabant et edificabant: 29 qua die autem exijt loth a zodomis· pluit ignem et suphur de celo: et omnes perdidit. 30 Secundum hec erit qua die filius hominis reuelabitur. 31 In illa hora qui fuerit in tecto· et vasa eius in domo ne descendet tollere illa: et qui in agro: similiter non redeat retro. 32 Memores estote vxoris loth. 33 Quicunque quesierit animam suam saluam facere perdet illam. Et quicumque perdiderit illam: viuificabit eam. 34 Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur et alter relinquetur. 35 Due erunt molentes in vnum: vna assumetur et altera relinquetur. Duo in agro: vnus assumetur: et alter relinquetur. 36 Respondentes dicunt illi. Vbi domine? 37 Qui dixit illis. Vbicumque fuerit corpus illuc congregabuntur et aquile.

18 Dicebat autem et parabolam ad illos: quoniam oportet semper orare et non deficere: 2 dicens. Iudex quidam erat in quadam ciuitate: qui deum non timebat et hominem non reuerebatur. 3 Vidua autem quedam erat in ciuitate illa: et veniebat ad eum dicens. Vindica me de aduersario meo. 4 Et nolebat per multum tempus. Post hec autem dixit intra se. Et si deum non timeo nec hominem reuereor: 5 tamen quia molesta est michi hec vidua vindicabo illam: ne in nouissimo veniens suggillet me. 6 Ait autem dominus. Audite quid iudex iniquitatis dicit. 7 Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte: et patientiam habebit in illis? 8 Dico vobis: quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen filius hominis veniens: putas inueniet fidem in terra? 9 Dixit autem et ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti et aspernabantur ceteros parabolam istam. 10 Duo homines ascendebant in templum vt orarent: vnus phariseus et alter publicanus. 11 Phariseus stans· hec apud se orabat. Deus gratias ago tibi: quia non sum sicut ceteri hominum· raptores· iniusti· adulteri: velut etiam hic publicanus. 12 Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium que possideo. 13 Et publicanus alonge stans nolebat nec oculos ad celum leuare: sed percutiebat pectus suum dicens. Deus propicius esto michi peccatori. 14 Dico vobis: descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat humiliabitur: et qui se humiliat exaltabitur. 15 Afferebant autem ad illum et infantes: vt eos tangeret. Quod cum viderent discipuli increpabant illos. 16 Ihesus autem conuocans illos dixit. Sinite pueros venire ad me: et nolite vetare eos. Talium est enim regnum dei. 17 Amen dico vobis: quicumque non acceperit regnum dei sicut puer· non intrabat in illud. 18 Et interrogauit eum quidam princeps dicens. Magister bone: quid faciens vitam eternam possidebo? 19 Dixit autem ei ihesus. Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus deus. 20 Mandata nosti. Non occides: non mechaberis· non furtum facies· non falsum testimonium dices: honora patrem tuum et matrem. 21 Qui ait. omnia Hec ait. A custodiui a iuuentute mea. 22 Quo audi ait ei. Adhuc vnum tibi deest. Omnia quecunque habes vende et da pauperibus: et habebis thesaurum in celo: et veni sequere me. 23 Hijs ille auditis contristatus est: quia dives erat valde. 24 Videns autem ihesus illum tristem factum dixit. Quam difficile qui pecunias habent in regnum dei intrabunt. 25 Facilius est enim camelum per foramen acus transire: quam diuitem intrare in regnum dei. 26 Et dixerunt qui audiebant. Et quis potest saluus fieri? 27 Ait illis. Que impossibilia sunt apud homines: possibilia sunt apud deum. 28 Ait autem petrus. Ecce nos dimisimus omnia: et secuti sumus te. 29 Qui dixit eis. Amen dico vobis: nemo est qui reliquit domum aut parentes aut fratres aut vxorem aut filios propter regnum dei 30 et non recipiat multo plura in hoc tempore: et in seculo venturo vitam eternam. 31 Assumpsit autem ihesus duodecim: et ait illis. Ecce ascendimus iherosolimam: et consummabuntur omnia que scripta sunt per prophetas de filio hominis. 32 Tradetur enim gentibus· et illudetur et flagellabitur· et conspuetur: 33 et postquam flagellauerint occident eum: et die tercia resurget. 34 Et ipsi nichil horum intellexerunt. Et erat verbum istud absconditum ab eis: et non intelligebant que dicebantur. 35 Factum est autem cum appropinquaret iericho: cecus quidam sedebat secus viam mendicans. 36 Et cum audiret turbam pretereuntem: interrogabat quid hoc esset. 37 Dixerunt autem ei: quod ihesus nazarenus transiret. 38 Et clamauit dicens. Ihesu fili dauid: miserere mei. 39 Et qui preibant increpabant eum vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat: fili dauid miserere mei. 40 Stans autem ihesus: iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset: interrogauit illum 41 dicens. Quid tibi vis. faciam? At ille dixit. Domine vt videam. 42 Et ihesus dixit ei.

Respice. Fides tua te saluum fecit. 43 Et confestim vidit: et sequebatur illum magnificans deum. Et omnis plebs laudem vt vidit dedit Et deo.

19 ingressus perambulabat iericho. 2 Et ecce vir nomine zacheus: et hic erat publicanorum: et ipse diues. 3 Et querebat videre ihesum quis esset: non poterat pre turba: quia statura pusillus erat. 4 Et precurrens ascendit in arborem sicomorum vt videret eum: quia inde erat transiturus. 5 Et cum venisset ad locum: suspiciens ihesus vidit illum: et dixit ad eum. Zachee festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. 6 Et festinans descendit: et excepit illum gaudens. 7 Et cum viderent omnes murmurabant dicentes: quod ad hominem peccatorem diuertisset. 8 Stans autem zacheus dixit ad ihesum. Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus: et si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum. 9 Ait ihesus ad eum. Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod ipse filius sit abrahe. 10 Venit enim filius hominis querere et saluum facere quod perierat. 11 Hec illis audientibus adiciens dixit parabolam: eo quod esset prope iherusalem· et quia existimarent quod confestim regnum dei manifestaretur. 12 Dixit ergo. Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum: et reuerti. 13 Vocatis autem decem seruis suis· dedit eis decem mnas: et ait ad illos. Negociamini dum venio. 14 Ciues autem eius oderant eum: et miserunt legationem post illum dicentes. Nolumus hunc regnare super nos. 15 Et factum est vt rediret accepto regno: et iussit vocari seruos quibus dedit pecuniam: vt sciret quantum quisque negociatus esset. 16 Venit autem primus dicens· domine: mna tua decem mnas acquisiuit. 17 Et ait illi. Euge bone serue: quia in modico fuisti fidelis: eris potestatem habens supra decem ciuitates. 18 Et alter venit dicens. Domine: mna tua fecit quinque mnas. 19 Et huic ait. Et tu esto super quinque ciuitates. 20 Et alter venit dicens. Domine ecce mna tua: quam habui repositam in sudario. 21 Timui enim te quia homo austeris es: tollis quod non posuisti· et metis quod non seminasti. 22 Dixit ei. De ore tuo te iudico serue nequam. Sciebas quod ego homo austeris sum tollens quod non posui: et metens quod non seminaui. 23 Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam: et ego veniens cum vsuris vtique exegissem illud. 24 Et astantibus dixit. Auferte ab illo mnam: et date illi qui decem mnas habet. 25 Et dixerunt ei. Domine: habet decem mnas. 26 Dico autem vobis: quia omni habenti dabitur et abundabit: ab eo autem qui non habet· et quod habet· auferetur ab eo. 27 Verumtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se adducite huc: et interficite ante me. 28 Et hijs dictis precedebat ascendens iherosolimam. 29 Et factum est cum appropinquasset ad bethphage et bethaniam· ad montem qui vocatur oliueti: misit duos discipulos suos 30 dicens. Ite in castellum quod contra vos est. In quod introeuntes· inuenietis pullum asine alligatum: cui nemo vnquam hominum sedit. Soluite illum: et adducite. 31 Et si quis vos interrogauerit quare soluitis: sic dicetis ei. Quia dominus operam eius desiderat. 32 Abierunt autem qui missi erant: et inuenerunt sicut dixit illis stantem pullum. 33 Soluentibus autem illis pullum: dixerunt domini eius ad illos. Quid soluitis pullum? 34 At illi dixerunt. Quia dominus eum necessarium habet. 35 Et duxerunt illum ad ihesum. Et iactantes vestimenta sua supra pullum: imposuerunt ihesum. 36 Eunte autem illo substernebant vestimenta sua in via. 37 Et cum appropinquaret iam ad descensum montis oliueti: ceperunt omnes turbe descendentium gaudentes laudare deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus 38 dicentes. Benedictus qui venit rex in nomine domini: pax in celo et gloria in excelsis. 39 Et quidam phariseorum de turbis dixerunt ad illum. Magister increpa discipulos tuos. 40 Quibus ipse ait. Dico vobis: quia si hij tacuerint lapides clamabunt. 41 Et vt appropinquauit: videns ciuitatem fleuit super illam dicens. 42 Quia si cognouisses et tu. Et quidem in hac die tua que ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. 43 Quia venient dies in te· et circundabunt te inimici tui vallo: et circundabunt te· et coangustabunt te vndique: 44 et ad terram prosternent te· et filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoueris tempus visitaturonis tationis tationis tue. 45 Et ingressus in templum cepit eicere vendentes et ementes: 46 dicens illis. Scriptum est: quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. 47 Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum et scribe et principes plebis· querebant illum perdere: 48 et non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

20 Et Et factum est in vna dierum te docenUte illo populum in templo et euangelizante: conuenerunt principes sacerdotum et scribe cum senioribus: 2 et aiunt dicentes ad illum. Dic nobis in qua potestate hec facis. Aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? 3 Respondens autem ihesus dixit ad illos. Interrogabo vos et ego vnum verbum. Respondete michi. 4 Baptismum iohannis de celo erat: an ex hominibus? 5 At illi cogitabant inter se dicentes. Quia si dixerimus de celo dicet. Quare ergo non credidistis illi? 6 Si autem dixerimus ex hominibus: plebs vniuersa lapidabit nos. Certi sunt enim iohannem prophetam esse. 7 Et responderunt se nescire vnde esset. 8 Et ihesus ait illis. Neque ego dico vobis: in qua potestate hec facio. 9 Cepit autem dicere ad plebem parabolam hanc. Homo plantauit vineam et locauit eam colonis: et ipse peregre fuit multis temporibus. 10 Et in tempore misit ad cultores seruum: vt de fructu vinee darent illi. Qui cesum dimiserunt eum inanem. 11 Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cedentes· et afficientes contumelia: dimiserunt inanem. 12 Et addidit tercium mittere: qui et illum vulnerantes eiecerunt. 13 Dixit autem dominus vinee. Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint verebuntur. 14 Quem cum vidissent coloni: cogitauerunt intra se dicentes. Hic est heres. Occidamus illum: vt nostra fiat hereditas. 15 Et eiectum illum extra vineam occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vinee? 16 Veniet et perdet colonos istos: et dabit vineam alijs. Quo audito dixerunt illi. Absit. 17 Ille autem aspiciens eos ait. Quid est ergo hoc quod scriptum est· lapidem quem reprobauerunt edificantes hic factus est in caput anguli? 18 Omnis qui ciderit supra illum lapidem conquassabitur: supra quem autem ciderit· comminuet illum. 19 Et querebant principes sacerdotum et scribe mittere in illum manus illa hora: et timuerunt populum. Cognouerunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc. 20 Et obseruantes miserunt insidiatores qui se iustos simularent· vt caperent eum in sermone: vt traderent illum principatui et potestati presidis. 21 Et interrogauerunt eum dicentes. Magister scimus quia recte dicis et doces: et non accipis personam: sed viam dei in veritate doces. 22 Licet nobis dare tributum cesari an non? 23 Considerans autem dolum illorum dixit ad eos. Quid me temptatis? 24 Ostendite michi denarium. Cuius habet ymaginem et inscriptionem? Respondentes dixerunt. Cesaris. 25 Et ait illis. Reddite ergo que sunt cesaris cesari: et que sunt dei deo. 26 Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: et mirati in responso eius tacuerunt. 27 Accesserunt autem quidam saduceorum· qui negant esse resurrectionem: et interrogauerunt eum 28 dicentes. Magister· moyses scripsit nobis: si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorem· et hic sine liberis fuerit vt accipiat eam frater eius vxorem· et suscitet semen fratri suo. 29 Septem ergo fratres erant: et primus accepit vxorem et mortuus est sine filijs. 30 Et sequens accepit illam: et ipse mortuus est sine filio. 31 Et tercius accepit illam: similiter et omnes septem et non reliquerunt semen: et mortui sunt. 32 Nouissime omnium mortua est et mulier. 33 In resurrectione ergo cuius eorum erit vxor? Siquidem septem habuerunt eam vxorem. 34 Et ait illis ihesus. Filij huius seculi nubunt· et traduntur ad nuptias: 35 illi vero qui digni habebuntur seculo illo· et resurrectione ex mortuis neque nubent neque ducent vxores: 36 neque vltra mori poterunt. Equales enim angelis sunt: et filij sunt dei· cum sint filij resurrectionis. 37 Quia vero resurgant mortui· et moyses ostendit secus rubum: sicut dicit dominum deum abraham et deum ysaac· et deum iacob. 38 Deus autem non est mortuorum sed viuorum. Omnes quidam Et enim viuunt ei. 39 Respondentes autem quidam scribarum dixerunt ei. Magister bene dixisti. 40 Et amplius non audebant eum quicquam interrogare. 41 Dixit autem ad illos. Quomodo dicunt cristum filium dauid esse: 42 et ipse dauid dicit in libro psalmorum. Dixit dominus domino meo sede a dextris meis· 43 donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? 44 Dauid ergo dominum illum vocat: et quomodo filius eius est? 45 Audiente autem omni populo dixit discipulis

suis. 46 Attendite a scribis qui volunt ambulare in stolis· et amant salutationes in foro: et primas kathedras in synagogis: et primos discubitus in conuiuijs. 47 Qui deuorant domos viduarum: simulantes longam orationem. Hij accipient damnationem maiorem.

21 Respiciens autem vidit eos qui mite mittebant munera sua in gazophilacium diuites. 2 Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem era minuta duo. 3 Et dixit. Vere dico vobis: quia vidua hec pauper plus quam omnes misit. 4 Nam omnes hij ex abundanti sibi miserunt in munera dei: hec autem ex eo quod deest illi omnem victum suum quem habuit misit. 5 Et quibusdam dicentibus de templo quod bonis lapidibus et donis ornatum esset· dixit. 6 Hec que videtis: venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. 7 Interrogauerunt autem illum dicentes. Preceptor quando hec erunt: et quod signum cum fieri incipient? 8 Qui dixit. Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo dicentes quia ego sum: et tempus appropinquauit. Nolite ire post eos 9 cum autem audieritis prelia et seditiones· nolite terreri. Oportet primum hec fieri: sed nondum statim finis. 10 Tunc dicebat illis. Surget gens contra gentem et regnum aduer regnum: 11 et terremotus magni erunt per loca· et pestilentie et fames: terroresque de celo· et signa magna erunt. 12 Sed ante hec omnia inicient vobis manus suas: et persequentur tradentes in synagogas et custodias: trahentes ad reges et presides propter nomen meum. 13 Contiget autem vobis in testimonium. 14 Ponite ergo in cordibus vestris non premeditari quemadmodum respondeatis. 15 Ego enim dabo vobis os et sapientiam: cui non poterunt resistere et contradicere omnes aduersarij vestri. 16 Trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis: et morte afficient ex vobis. 17 Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. 18 Et capillus de capite vestro non peribit. 19 In patientia vestra possidebitis animas vestras. 20 Cum autem videritis circundari ab exercitu iherusalem: tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. 21 Tunc qui in iudea sunt fugiant ad montes: et qui in medio eius discedant· et qui in regionibus non intrent in eam: 22 quia dies vltionis hij sunt vt impleantur omnia que scripta sunt. 23 Ve autem pregnantibus et nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram: et ira populo huic. 24 Et cadent in ore gladij: et captiui ducentur in omnes gentes. Et iherusalem calcabitur a gentibus: donec impleantur tempora nationum. 25 Et erunt signa in sole et luna et stellis: et in terris pressura gentium pre confusione sonitus maris et fluctuum: 26 arescentibus hominibus pre timore et expectatione que superuenient vniuerso orbi. Nam virtu celorum mouebuntur. 27 Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna et maiestate. 28 Hijs autem fieri incipientibus· respicite et leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. 29 Et dixit illis similitudinem. Videte ficulneam et omnes arbores: 30 cum producunt iam ex se fructum scitis quoniam prope est estas. 31 Ita et vos cum videritis hec fieri: scitote quoniam prope est regnum dei. 32 Amen dico vobis: quia non preteribit generatio hec donec omnia fiant. 33 Celum et terra transibunt· verba autem mea non transibunt. 34 Attendite autem vobis ne forte grauentur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vite: et superueniat in vos repentina dies illa. 35 Tanquam laqueus enim superueniet in omnes: qui sedent super faciem omnis terre. 36 Vigilate ergo omni tempore orantes: vt digni habeamini fugere ista omnia que futura sunt: et stare ante filium hominis. 37 Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur oliueti. 38 Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

22 Appropinquabat autem dies festus azimorum qui dicitur pascha. 2 Et querebant principes sacerdotum et scribe quomodo eum interficerent: timebant vero plebem. 3 Intrauit autem sathanas in iudam qui cognominabatur scarioth· vnum de duodecim: 4 et abijt et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus quemadmodum illum traderet eis. 5 Et gauisi sunt: et pacti sunt pecuniam illi dare. 6 Et spopondit. Et querebat oportunitatem: vt traderet illum sine turbis. 7 Venit autem dies azimorum: in qua necesse erat occidi pascha. 8 Et misit petrum et iohannem dicens. Euntes parate nobis pascha: vt manducemus. 9 At illi dixerunt. Vbi vis paremus? 10 Et dixit ad eos. Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo amphoram aque portans: sequimini eum in domum in quam intrat: 11 et dicetis patrifamilias domus. Dicit tibi magister. Vbi est diuersorium vbi pascha cum discipulis meis manducem? 12 Et ipse ostendet vobis cenaculum magnum stratum: et autem sicut ibi parate. 13 Euntes autem inuenerunt dixit illis: et parauerunt pascha. 14 Et cum facta esset hora discubuit: et duodecim cum eo. 15 Et ait illis. Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum: antequam patiar. 16 Dico enim vobis: quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno dei. 17 Et accepto calice gratias egit et dixit. Accipite et diuidite inter vos. 18 Dico enim vobis: quia non bibam de generatione vitis donec regnum dei veniat. 19 Et accepto pane gratias egit et fregit: et dedit eis dicens. Hoc est corpus meum: quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. 20 Similiter et calicem: postquam cenauit dicens. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo: qui pro vobis detur. 21 Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. 22 Et quidem filius hominis secundum quod definitum est vadit. Verumtamen ve homini per quem tradetur. 23 Et ipsi ceperunt querere inter se: quis esset ex eis qui hoc facturus esset. 24 Facta est autem et contentio inter eos: quis eorum videretur esse maior. 25 Dixit autem eis. Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. 26 Vos autem non sic. Sed qui maior est in vobis fiat sicut iunior: et qui precessor est sicut ministrator. 27 Nam quis maior est? Qui recumbit: an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. 28 Vos estis qui permansistis mecum in temprationibus meis. 29 Et ego dispono vobis sicut disposuit michi pater meus regnum: 30 vt edatis et bibatis super mensam meam regno meo: et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus israhel. 31 Ait autem dominus simoni. Simon: ecce sathanas expetiuit vos· vt cribraret sicut triticum. 32 Ego autem rogaui pro te: vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus: confirma fratres tuos. 33 Qui dixit ei. Domine: tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. 34 Et ille dixit. Dico tibi petre: non cantabit hodie gallus· donec ter abneges nosse me. Et dixit eis. 35 Quando misi vos sine sacculo et pera et calciamentis: nunquid aliquid defuit vobis? 36 At illi dixerunt. Nichil. Dixit ergo eis. Sed nunc qui habet sacculum tollat: similiter et peram. Et qui non habet: vendat tunicam suam et emat gladium. 37 Dico enim vobis: quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me: et quia cum iniquis deputatus est. Etenim ea que sunt de me finem habent. 38 At illi dixerunt. Domine: ecce duo gladij hic. At ille dixit eis. Satis est. 39 Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliuarum. Secuti sunt illum et discipuli. 40 Et cum peruenisset ad locum: dixit illis. Orate: ne intretis in temptationem. 41 Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: et positis genibus orabat 42 dicens. Pater: si vis transser calicem istum a me. Verumtamen non mea voluntas: sed tua fiat. 43 Apparuit autem illi angelus de celo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. 44 Et factus est sudor eius· sicut gutte sanguinis decurrentis in terram. 45 Et cum surrexisset ab oratione et venisset ad discipulos suos: inuenit eos dormientes pre tristicia. 46 Et ait illis. Quid dormitis? Surgite orate: ne intretis in temptationem. 47 Adhuc eo loquente: ecce turba· et qui vocabatur iudas vnus de duodecim antecedebat eos: et appropinquauit ihesu· vt oscularetur eum. 48 Ihesus autem dixit illi. Iuda· osculo filium hominis tradis? 49 Videntes autem hij qui circa ipsum erant quod futurum erat: dixerunt ei. Domine: si percutimus in gladio? 50 Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum: et amputauit auriculam eius dexteram. 51 Respondens autem ihesus ait. Sinite. Vsque huc. Et cum tetigisset auriculam eius· sanauit eum. 52 Dixit autem ihesus ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum et magistratus templi et seniores. Quasi ad latronem existis cum gladijs et fustibus. 53 Cum quotidie vobiscum fuerim in templo: non extendistis manus in me. Sed hec est hora vestra: et potestas tenebrarum. 54 Comprehendentes autem eum· duxerunt ad domum principis sacerdotum: petrus vero sequebatur alonge. 55 Accenso autem igne in medio

atrij· et circumsedentibus illis: erat petrus in medio eorum. 56 Quem cum vidisset ancilla quedam sedentem ad lumen: et cum fuisset intuita dixit. Et hic cum illo erat. 57 At ille negauit eum dicens. Mulier: non noui illum. 58 Et post pusillum alius videns eum dixit. Et tu de illis es. Petrus vero ait. O homo non sum. 59 Et interuallo facto quasi hore vnius: alius quidam affirmabat dicens. Vere et hic cum illo erat: nam et galileus est. 60 Et ait petrus. Homo: nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantauit gallus. 61 Et conuersus dominus respexit petrum. Et recordatus est petrus verbi domini sicut dixerat: quia priusquam gallus cantet· ter me negabis. 62 Et egressus foras petrus fleuit amare. 63 Et viri qui tenebant illum· illudebant ei cedentes. 64 Et velauerunt eum: et percutiebant faciem eius: et interrogauerunt eum dicentes. Prophetiza. Quis est qui te percussit? 65 Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. 66 Et vt factus est dies· conuenerunt seniores plebis et principes sacerdotum et scribe: et duxerunt illum in consilium suum dicentes. Si tu es cristus· dic nobis. 67 Et ait illis. Si vobis dixero non credetis michi: 68 si autem et interrogauero non respondebitis michi: neque dimittetis. 69 Ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris virtutis dei. 70 Dixerunt autem omnes. Tu ergo es filius dei? Qui ait. Vos dicitis: quia ego sum. 71 At illi dixerunt. Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audiuimus de ore eius.

23 Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad pilatum. 2 Ceperunt autem accusare illum dicentes. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram: et prohibentem tributa dari cesari: et dicentem se cristum regem esse. 3 Pilatus autem interrogauit eum dicens. Tu es rex iudeorum? At ille respondens ait. Tu dicis. 4 Ait autem pilatus ad principes sacerdotum et turbas. Nichil inuenio cause in hoc homine. 5 At illi inualescebant dicentes. Commouit populum docens per vniuersam iudeam· incipiens a galilea vsque huc. 6 Pilatus autem audiens galileam· interrogauit si homo galileus esset. 7 Et vt cognouit quod de herodis potestate esset remisit eum ad herodem: qui et ipse iherosolimis erat illis diebus. 8 Herodes autem viso ihesu: gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum eo quod audiret multa de eo: et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. 9 Interrogabat autem illum multis sermonibus: at ipse nichil illi respondebat. 10 Stabant autem principes sacerdotum et scribe constanter accusantes eum. 11 Spreuit autem illum herodes cum exercitu suo: et illusit indutum veste alba: et remisit ad pilatum. 12 Et facti sunt amici herodes et pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad inuicem. 13 Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum et magistratibus et plebe: 14 dixit ad illos. Obtulistis michi hunc hominem· quasi auertentem populum: et ecce ego coram vobis interrogans· nullam causam inuenio in homine isto: ex hijs in quibus eum accusatis. 15 Sed neque herodes. Nam remisi vos ad illum: et ecce nichil dignum morte actum est ei. 16 Emendatum ergo illum dimittam. 17 Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum vnum. 18 Exclamauit autem simul vniuersa turba dicens. Tolle hunc: et dimitte nobis barraban. 19 Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate et homicidium missus in carcerem. 20 Iterum autem pilatus locutus est ad eos: volens dimittere ihesum. 21 At illi succlamabant dicentes. Crucifige: crucifige eum. 22 Ille autem tercio dixit ad illos. Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum et dimittam. 23 At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur: et inualescebant voces eorum. 24 Et pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. 25 Dimisit autem illis eum· qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem quem petebant: ihesum vero tradidit voluntati eorum. 26 Et cum ducerent eum apprehenderunt simonem quendam cyrenensem venientem de villa: et imposuerunt illi crucem portare post ihesum. 27 Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum: que plangebant et lamentabantur eum. 28 Conuersus autem ad illas ihesus dixit. Filie iherusalem nolite flere super me: sed super vosipsas flete· et super filios vestros. 29 Quoniam ecce venient dies in quibus dicent. Beate steriles· et ventres qui non genuerunt: et vbera que non lactauerunt. 30 Tunc incipient dicere montibus cadite super nos: et collibus operite nos. 31 Quia si in viridi ligno hec faciunt: in arido quid fiet? 32 Ducebantur autem et alij duo nequam cum eo: vt interficerentur. 33 Et post venerunt in locum qui vocatur caluarie· ibi crucifixerunt eum: et latrones: vnum a dextris· et alterum a sinistris. 34 Ihesus autem dicebat. Pater dimitte illis. Non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes vero vestimenta eius miserunt sortes. 35 Et stabat populus expectans: et deridebant eum principes cum eis dicentes. Alios saluos fecit: se saluum faciat· si hic est cristus dei electus. 36 Illudebant autem ei et milites accedentes: et acetum offerentes ei 37 dicentes. Si tu es rex iudeorum saluum te fac. 38 Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris grecis et latinis et hebraicis: hic est rex iudeorum. 39 Vnus autem de hijs qui pendebant latronibus blasphemabat eum dicens. Si tu es cristus: saluum fac teipsum et nos. 40 Respondens autem alter increpabat eum dicens. Neque tu times deum: qui in eadem damnatione es. 41 Et nos quidem iuste: nam digna factis recipimus. Hic vero nichil mali gessit. 42 Et dicebat ad ihesum. Domine: memento mei cum veneris in regnum tuum. 43 Et dixit illi ihesus. Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso. 44 Erat autem fere hora sexta: et tenebre facte sunt in vniuersam terram vsque in horam nouam. 45 Et obscuratus est sol: et velum templi scissum est medium. 46 Et clamans voce magna ihesus ait. Pater: in manus tuas commendo spiritum meum. Et hec dicens expirauit. 47 Videns autem centurio quod factum fuerat: glorificauit deum dicens. Vere hic homo iustus erat. 48 Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud· et videbant que fiebant: pertucientes pectora sua reuertebantur. 49 Stabant autem omnes noti eius alonge: et mulieres que secute eum erant a galilea hec videntes. 50 Et ecce vir nomine ioseph qui erat decurio· vir bonus et iustus: 51 hic non consenserat consilio et actibus eorum· ab arimathia ciuitate iudee: qui expectabat et ipse regnum dei. 52 Hic accessit ad pilatum et petijt corpus ihesu: 53 et depositum inuoluit syndone: et posuit eum in monumento exciso: in quo nondum quisque positus fuerat. 54 dies erat parasceues: et sabbatum illucescebat. 55 Subsecute autem mulieres que cum eo venerant de galilea viderunt monumentum: et quemadmodum positum erat corpus eius: 56 et reuertentes parauerunt aromata et vnguenta: et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

24 Vna autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes que parauerant aromata: 2 et inuenerunt lapidem reuolutum a monumento: 3 et ingresse non inuenerunt corpus domini ihesu. 4 Et factum est dum mente consternate essent de isto: ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5 Cum timerent autem et declinarent vultum in terram: dixerunt ad illas. Quid queritis viuentem cum mortuis? 6 Non est hic: sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis· cum adhuc in galilea esset 7 dicens. Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum: et crucifigi· et die tercia resurgere. 8 Et recordate sunt verborum eius: 9 et regresse a monumento nunciauerunt hec omnia illis vndecim: et ceteris omnibus. 10 Erat autem maria magdalene· et iohanna· et maria iacobi· et cetere que cum eis erant: que dicebant ad apostolos hec. 11 Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista: et non crediderunt illis. 12 Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: et procumbens vidit lintheamina sola posita: et abijt secum mirans quod factum fuerat. 13 Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab iherusalem nomine emmaus: 14 et ipsi loquebantur ad inuicem de hijs bus que acciderant. 15 Et factum est dum fabularentur et secum quererent: et ipse ihesus appropinquans ibat cum illis. 16 Oculi autem illorum tenebantur· ne eum agnoscerent. 17 Et ait ad illos. Qui sunt hij sermones quos confertis ad inuicem ambulantes: et estis tristes? 18 Et respondens vnus cui nomen cleophas: dixit ei. Tu solus peregrinus es in iherusalem et non cognouisti que facta sunt in illa hijs diebus? 19 Quibus ille dixit. Que? Et dixerunt. De ihesu nazareno qui fuit vir propheta: potens in opere et sermoue· coram deo et omni populo. 20 Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis: et crucifixerunt eum. 21 Nos autem sperabamus: quia ipse esset redempturus israhel. Et nunc super hec omnia tercia dies est hodie: quod hec facta sunt. 22 Sed et mulieres quedam ex nostris terruerunt nos· que ante lucem fuerunt ad monumentum: 23 et non inuento corpore eius·

venerunt dicentes se etiam visionem angelorum vidisse: qui dicunt eum viuere. [24] Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: et ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt: ipsum vero non inuenerunt. [25] Et ipse dixit ad eos. O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus que locuti sunt prophete. [26] Nonne hec oportuit pati cristum: et ita intrare in gloriam suam? [27] Et incipiens a moyse et omnibus prophetis: interpretabatur illis in omnibus scripturis que de ipso erant. [28] Et appropinquauerunt castello quo ibant: et ipse se finxit longius ire. [29] Et coegerunt illum dicentes. Mane nobiscum quoniam aduesperascit: et inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. [30] Et factum est dum recumberet cum eis accepit panem: et benedixit ac fregit: et porrigebat illis. [31] Et aperti sunt oculi eorum: et cognouerunt eum: et ipse euanuit ex oculis eorum. [32] Et dixerunt ad inuicem. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis· dum loqueretur in via: et aperiret nobis scripturas? [33] Et surgentes eadem hora regressi sunt in iherusalem: et inuenerunt congregatos vndecim· et eos qui cum illis erant [34] dicentes quod surrexit dominus vere: et apparuit simoni. [35] Et ipsi narrabant que gesta erant in via: et quomodo cognouerunt eum in fractione panis. [36] Dum autem hec locuntur: stetit ihesus in medio eorum et dixit. Pax vobis. Ego sum: nolite timere. [37] Conturbati vero et conterriti· existimabant se spiritum videre. [38] Et dixit eis. Quid turbati estis: et cogitationes ascendunt in corda vestra? [39] Videte manus meas et pedes: quia ego ipse sum. Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet· sicut me videtis habere. [40] Et cum hoc dixisset: ostendit eis manus et pedes. [41] Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus pre gaudio· dixit. Habetis hic aliquid quod manducetur? [42] At illi obtulerunt ei partem piscis assi: et fauum mellis. [43] Et cum manducasset coram eis: sumens reliquias dedit eis. [44] Et dixit ad eos. Hec sunt verba que locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia que scripta sunt in lege moysi et prophetis et psalmis de me. [45] Tunc aperuit illis sensum· vt intelligerent scripturas: [46] et dixit eis. Quoniam sic scriptum est· et sic oportebat cristum pati et resurgere a mortuis tercia die: [47] et predicare in nomine eius tentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes: incipientibus ab iherosolima. [48] Vos autem testes estis horum. [49] Et ego mittam autem promissum patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate· quoadusque induamini virtute ex alto. [50] Eduxit autem eos foras in bechaniam: et eleuatis suis benedixit eis. [51] Et factum est dum manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis recessit ab eis: et Et ferebain celum. [52] Et regressi in iherusalem cum gaudio magno: [53] et erant semper in templo laudantes benedicentes deum

Incipit prologus in euangelium secundum iohannem.

Hic est iohannes euangelista vnus ex discipulis domini: qui virgo a deo electus est: quem de nuptijs volentem nubere vocauit deus. Cui virginitatis in hoc duplex testimonium datur in euangelio: quia et pre ceteris dilectus a deo dicitur: et huic matrem suam de cruce commendauit dominus· vt virginem virgo seruaret. Denique manifestans in euangelio quod erat ipse incorruptibilis verbi opus inchoans: solus verbum carnem factum esse· nec lumen a tenebris comprehensum fuisse testatur: primum signum ponens quod in nuptijs fecit dominus ostendens quod ipse erat: vt legentibus demonstraret quod vbi dominus inuitatus sit deficere nuptiarum vinum debeat: et veteribus immutatis· noua omnia que a cristo instituuntur appareant. Hoc autem euangelium scripsit in asia· postea quam in pathmos insula apocalipsim scripserat: vt cui in principio canonis incorruptibile principium prenotatur in genesi: ei etiam incorruptibilis finis per virginem apocalipsi redderetur dicente cristo ego sum alpha et o. Et hic est iohannes: qui sciens superuenisse diem recessus sui. Conuocatis discipulis suis in epheso· per multa signorum experimenta promens cristum descendens in defossum sepulture sue locum facta oratione· positus est ad patres suos: tam extraneus dolore mortis quam a corruptione carnis inuenitur alienus. Tamen post omnes euangelium scripsit: et hoc virgini debebatur. Quorum tamen vel scriptorum temporis dispositio· vel librorum ordinatio ideo a nobis per singula non exponitur: vt sciendi desiderio collato et querentibus fructus laboris: et deo magisterij doctrina seruetur.

Iohannes

Incipit euangelium secundum iohannem.

1 In principio erat verbum: et verbum apud deum: et deus erat verbum. [2] Hoc erat in principio apud deum. [3] Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nichil. Quod factum est [4] in ipso vita erat: et vita erat lux hominum: [5] et lux in tenebris lucet· et tenebre eam non comprehenderunt. [6] Fuit homo missus a deo: cui nomen erat iohannes. [7] Hic venit in testimonium vt monium perhiberet de lumine: vt omnes crederent per illum. [8] Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. [9] Erat lux vera: que illuminat omnem nem hominem venientem in hunc mundum. [10] In mundo do erat: et mundus per ipsum factus est: et mundus eum non cognouit. [11] In propria venit: et sui. eum non receperunt. [12] Quotquot autem receperunt eum· dedit eis potestatem filios dei fieri: hijs qui credunt in nomine eius. [13] Qui non ex sanguinibus neque ex volun tate carnis· neque ex voluntate viri: sed suis deo nati sunt. [14] Et verbum caro factum est: et habitauit in nobis. Et vidimus gloriam gloriam eius· gloriam quasi vnigeniti a patre: plenum gratie et veritatis. [15] Iohannes testimonium perhibet de ipso· et clamat mar dicens. Hic erat quem dixi: qui post me venturus est· ante me factus est: quia prior me erat. [16] Et de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia: [17] quia lex per moysen data est: gratia et veritas per ihesum cristum facta est. [18] Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius qui est in sinu patris: ipse enarrauit. [19] Et hoc est testimonium iohannis: quando miserunt iudei ab iherosolimis sacerdotes et leuitas ad eum vt interrogarent eum. Tu qui es? [20] Et confessus est: et non negauit. Et confessus est: quia non sum ego cristus. [21] Et interrogauerunt eum. Quid ergo? Helias es tu? Et dixit. Non sum. Propheta es tu? Et respondit. Non. [22] Dixerunt ergo ei. Quis es vt responsum demus hijs qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? [23] Ait. Ego vox clamantis in deserto dirigite viam domini: sicut dixit ysaias propheta. [24] Et qui missi fuerant erant ex phariseis. [25] Et interrogauerunt eum: et dixerunt ei. Quid ergo baptizas si tu non es cristus: neque helias neque propheta? [26] Respondit eis iohannes dicens. Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. [27] Ipse est qui post me venturus est qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calciamenti. [28] Hec in bethania facta sunt trans iordanen: vbi erat iohannes baptizans. [29] Altera die vidit iohannes ihesum venientem ad se: et ait. Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccata mundi. [30] Hic est de quo dixi. Post me venit vir qui ante me factus est quia prior me erat: [31] et ego nesciebam eum. Sed vt manifestetur in israhel: propterea veni ego in aqua baptizans. [32] Et testimonium perhibuit iohannes dicens. Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de celo: et mansit super eum. [33] Et ego

nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua: ille michi dixit. Super quem videris spiritum descendentem· et manentem super eum: hic est qui baptizat in spiritu sancto. [34] Et ego vidi et testimonium quia hic est filius dei. [35] Altera die iterum stabat iohannes: et ex discipulis eius duo. [36] Et respiciens ihesum ambulantem dixit. Ecce agnus dei. [37] Et audierunt duo discipuli loquentem: et secuti sunt ihesum. [38] Conuersus autem ihesus· et videns eos sequentes se: dicit eis. Quid queritis? Qui dixerunt ei. Rabbi quod dicitur interpretatum magister: vbi habitas? [39] Dicit eis. Venite et videte. Venerunt et viderunt vbi maneret: et apud eum manserunt die illo. Hora autem erat quasi decima. [40] Erat autem andreas frater simonis petri· vnus ex duobus qui audierat iohanne: et secuti fuerant eum. [41] Inuenit hic primum fratrem suum simonem: et dicit ei. Inuenimus messiam: quod est interpretatum cristus. [42] Et adduxit eum ad ihesum. Intuitus autem eum ihesus dixit. Tu es simon filius iohanna: tu vocaberis cephas: quod interpretatur petrus. [43] In crastinum voluit exire in galileam: et inuenit philippum. Et dicit ei ihesus. Sequere me. [44] Erat autem philippus a bethsayda ciuitate andree et petri. [45] Inuenit philippus nathanahel: et dicit ei. Quem scripsit moyses In lege et prophete: inuenimus ihesum filium ioseph a nazareth. [46] Et dixit ei nathanahel. A nazareth potest aliquid boni esse. Dicit ei philippus. Veni et vide. [47] Vidit ihesus nathanahel venientem ad se: et dicit de eo. Ecce vere israhelita: quo dolus non est. [48] Dicit ei nathanahel. Vnde me nosti? Respondit ihesus et dixit ei. Priusque te philippus vocaret cum esses sub ficu vidi te. [49] Respondit ei nathanahel et ait. Rabbi: tu es filius dei: tu es rex israhel. [50] Respondit ihesus: et credis: dixit ei. Quia dixi tibi vidi te sub ficu credis: maius hijs videbis. [51] Et dicit ei. Amen amen dico vobis: videbitis celum apertum: et angelos dei ascendentes et descendentes supra filium hominis.

2 Et die tercia nuptie facte sunt in chana galilee: et erat mater ihesu ibi. [2] Vocatus est autem et ihesus et discipuli eius ad nuptias. [3] Et deficiente vino: dicit mater ihesu ad eum. Vinum non habent. [4] Et dicit ei ihesus. Quid michi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea. [5] Dicit mater eius ministris. Quodcunque dixerit vobis facite. [6] Erant autem ibi lapidee ydrie sex posite secundum purificationem iudeorum: capientes singule metretas binas vel ternas. [7] Dicit eis ihesus. Implete ydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. [8] Et dicit eis ihesus. Haurite nunc: et ferte architriclino. Et tulerunt. [9] Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam et non sciebat vnde esset: ministri autem sciebant qui haurierant aquam: vocat sponsum architriclinus [10] et dicit ei. Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est: tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. [11] Hoc fecit inicium signorum ihesus in chana galilee: et manifestauit gloriam suam: et crediderunt in eum discipuli eius. [12] Post hoc descendit capharnaum ipse et mater eius· et fratres eius· et discipuli eius· et ibi manserunt non multis diebus. [13] Et prope erat pascha iudeorum: et ascendit ihesus iherosolimam: [14] et inuenit in templo vendentes boues et oues et columbas· et nummularios sedentes. [15] Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo: oues quoque et boues· et nummulariorum effudit es: et mensas subuertit. [16] Et hijs qui columbas vendebant dixit. Auferte ista hinc: et nolite facere domum patris mei domum negociationis. [17] Recordati sunt vero discipuli eius· quia scriptum est: zelus domus tue comedit me. [18] Responderunt ergo iudei et dixerunt ei. Quod signum ostendis nobis quia hec facis? [19] Respondit ihesus: et dixit eis. Soluite templum hoc: et in tribus diebus excitabo illud. [20] Dixerunt ergo iudei. Quadraginta et sex annis edificatum est templum hoc· et tu in tribus diebus excitabis illud? [21] Ille autem dicebat de templo corporis sui. [22] Cum ergo resurrexisset a mortuis· recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat: et crediderunt scripture: et sermonni quem dixit ihesus. [23] Cum autem esset iherosolimis in pascha in die festo: multi crediderunt in nomine eius videntes signa eius que faciebat. [24] Ipse autem ihesus non credebat semetipsum eis· eo quod ipse nosset omnes: [25] et quia opus ei non erat· aut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

3 Erat autem homo ex phariseis· nycodemus nomine: princeps iudeorum. [2] Hic venit ad ihesum nocte: et dixit ei. Rabbi: scimus quia a deo venisti magister. Nemo enim potest hec signa facere que tu facis: nisi fuerit deus cum eo. [3] Respondit ihesus: et dixit ei. Amen amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit denuo: non potest videre regnum dei. [4] Dicit ad eum nycodemus. Quomodo potest homo nasci cum sit senex? quid potest in ventrem matris sue iterato introire et renasci? [5] Respondit ihesus. Amen amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto: non potest introire in regnum dei. [6] Quod natum est ex carne caro est: et quod natum est ex spiritu spiritus est. [7] Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. [8] Spiritus vbi vult spirat: et vocem eius audis: sed nescis vnde veniat aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. [9] Respondit nycodemus: et dixit ei. Quomodo possunt hec fieri? [10] Respondit ihesus: et dixit ei. Tu es magister in israhel et hec ignoras? [11] Amen amen dico tibi: quia quod scimus loquimur· et quod vidimus testamur: et testimonium nostrum non accipitis. [12] Si terrena dixi vobis et non creditis: quomodo si dixero vobis celestia credetis? [13] Et nemo ascendit in celum nisi qui descendit de celo: filius hominis qui est in celo. [14] Et sicut moyses exaltauit serpentem in desetto· ita exaltari oportet filium hominis: [15] vt omnis qui credit in ipso non pereat: sed habeat vitam eternam. [16] Sic enim deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat: sed habeat vitam eternam. [17] Non enim misit deus filium suum in mundum vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum. [18] Qui credit in eum non iudicatur. Qui autem non credit iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij dei. [19] Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum: et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera. [20] Omnis enim qui male agit odit lucem: et non venit ad lucem: vt non arguantur opera eius. [21] Qui autem facit veritatem venit ad lucem vt manifestentur opera eius: quia a deo sunt facta. [22] Post hec venit ihesus et discipuli eius in iudeam terram: et illic morabatur cum eis et baptizabat. [23] Erat autem et iohannes baptizans in enon iuxta salim: quia aque multe erant illic· et veniebant et baptizabantur. [24] Nondum enim missus fuerat iohannes in carcerem. [25] Facta est autem questio ex discipulis iohannis cum iudeis de purificatione. [26] Et venerunt ad iohannem: et dixerunt ei. Rabbi: qui erat tecum trans iordanen· cui tu testimonium perhibuisti: ecce hic baptizat: et omnes veniunt ad eum. [27] Respondit iohannes et dixit. Non potest homo accipere quicquam: nisi fuerit ei datum de celo. [28] Ipsi vos michi testimonium perhibetis quod dixerim· non sum ego cristus: sed quia missus sum ante illum. [29] Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi qui stat et audit eum· gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. [30] Illum oportet crescere: me autem minui. [31] Qui desursum venit super omnes est. Qui est de terra de terra est et de terra loquitur: qui de celo venit super omnes est. [32] Et vidit et audiuit hoc testatur: et testimonium eius nemo accipit. [33] Qui autem acceperit eius testimonium signauit: quia deus verax est. [34] Quem enim misit deus· verba dei loquitur. Non enim ad mensuram dat deus spiritum. [35] Pater diligit filium: et omnia dedit dedit in manu eius. [36] Qui credit In filium filium habet vitam eternam: qui autem vm incredulus est filio· non videbit vitam: sed ira manet super eum.

4 Vt ergo cognouit ihesus quia audierunt pharisei quia ihesus plures discipulos discipulos facit et baptizat quam iohannes: [2] quamquam ihesus non baptizaret sed discipuli eius: [3] reliquit r iudeam et abijt iterum in galileam. [4] Oportebat autem eum transire per [5] Venit ciuitatem samarie qui dicitur sychar: iuxta predium quod dedit iacob ioseph filio suo. [6] Erat autem ibi iacob. Ihesus autem fatigatus ex itinere· sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. [7] Venit mulier de samaria haurire aquam. Dicit ei ihesus. Da michi bibere. [8] Discipuli enim eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent. [9] Dicit ergo ei mulier illa samaritana. Quomodo tu iudeus cum sis bibere a me poscis: que sum mulier samaritana? Non enim coutuntur iudei samaritanis. [10] Respondit ihesus: et dixit ei. Si scires donum dei· et quis est qui dicit tibi da michi bibere: tu forsitan petisses ab eo: et dedisset tibi aquam viuam. [11] Dicit ei mulier. Domine: neque in quo haurias habes: et puteus altus est. Vnde ergo

habes aquam viuam? 12 Nunquid tu maior es patre nostro iacob qui dedit nobis puteum: et ipse ex eo bibit· et filij eius· et pecora eius? 13 Respondit ihesus: et dixit ei. Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei· non sitiet in eternum: 14 sed aqua quam ego dabo ei· fiet in eo fons aque salientis in vitam eternam. 15 Dicit ad eum mulier. Domine da michi hanc aquam: vt non sitiam neque veniam huc haurire. 16 Dicit ei ihesus. Vade voca virum tuum: et veni huc. 17 Respondit mulier et dixit. Non habeo virum. Dicit ei ihesus. Bene dixisti: quia non habeo virum. 18 Quinque enim viros habuisti: et nunc quem habes non est tuus vir. Hoc vere dixisti. 19 Dicit ei mulier. Domine: video quia propheta es tu. 20 Patres nostri in monte hoc adorauerunt: et vos dicitis quia iherosolimis est locus vbi adorare oportet. 21 Dicit ei ihesus. Mulier crede michi: quia veniet hora quando neque in monte hoc· neque in iherosolimis adorabitis patrem. 22 Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus: quia salus ex iudeis est. 23 Sed venit hora et nunc est: quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. Nam et pater tales querit: qui adorent eum. 24 Spiritus est deus: et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare. 25 Dicit ei mulier. Scio quia messias venit: qui dicitur cristus cum ergo venerit: ille nobis annunciabit omnia. 26 Dicit ei ihesus. Ego sum: qui loquor tecum. 27 Et continuo venerunt discipuli eius: et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: quid queris aut quid loqueris cum ea. 28 Reliquit ergo ydriam suam mulier: et abijt in ciuitatem: et dicit illis hominibus. 29 Venite et videte hominem qui dixit michi omnia quecunque feci. Nunquid ipse est cristus? 30 Exierunt de ciuitate: et veniebant ad eum. 31 Interea rogabant eum discipuli dicentes. Rabbi manduca. 32 Ille autem dixit eis. Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. 33 Dicebant ergo discipuli ad inuicem. Nunquid aliquis attulit ei manducare? 34 Dicit ei ihesus. Meus cibus est· vt faciam voluntatem eius qui misit me: vt perficiam opus eius. 35 Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt et messis venit? Ecce dico vobis: leuate oculos vestros et videte regiones: quia albe sunt iam ad messem. 36 Et qui metit mercedem accipit et congregat fructum in vitam eternam: vt et qui seminat simul gaudeat et qui metit. 37 In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat: et alius est qui metit. 38 Ego misi vos metere: quod vos non laborastis. Alij laborauerunt: et vos in labores eorum introistis. 39 Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit michi omnia quecunque feci. 40 Cum venis ergo ad illum samaritani· rogauerunt eum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 41 Et multo plures crediderunt propter sermonem eius. 42 Et mulieri dicebant: pyn XDIumuuptmupugnggnugrg michi omnia quecunque feci. Cum venis T v LE DI D D S n E seeeriutequa n E D n I X d i I reemee Ipsi enim audiuimus et scimus: quia rem non habet. quia non propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiuimus et scimus: quia hic est vere saluator mundi. 43 Post duos autem dies exijt inde: et abijt in galileam. 44 Ipse enim ihesus testimonium perhibuit: quia propheta in sua patria honorem non habet. 45 Cum ergo venisset in galileam exceperunt eum galilei: cum omnia vidissent que fecerat iherosolimis in die festo. Et ipsi enim venerant ad diem festum. 46 Venit ergo iterum in chana galilee: vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus cuius filius infirmabatur capharnaum. 47 Hic cum audisset quia ihesus aduenirit a iudea in galileam abijt ad eum: et rogabat eum· vt descenderet et sanaret filium eius. Incipiebat enim mori. 48 Dixit ergo ihesus ad eum. Nisi signa et prodigia videritis non creditis. 49 Dicit ad eum regulus. Domine: descende prius moriatur filius meus. 50 Dicit ei ihesus. Vade: filius tuus viuit. Credidit homo sermoni quem dixit ei ihesus: et ibat. 51 Iam autem eo descendente serui occurrerunt ei: et nunciauerunt dicentes: quia filius eius viueret. 52 Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: quia heri hora septima reliquit eum febris. 53 Cognouit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei ihesus filius tuus viuit: et credidit ipse: et domus eius tota. 54 Hoc iterum secundum signum fecit ihesus: cum venisset a iudea in galileam.

5 Post hec erat dies festus iudeorum: et ascendit ihesus iherosolimam. 2 Est autem iherosolimis probatica piscina que cognominatur hebraice bethsaida: quinque porticus habens. 3 In hijs iacebat multitudo magna languentium cecorum et claudorum aridorum: exspectantium aque motum. 4 Angelus autem domini descendebat secundum tempus in piscinam: et mouebatur aqua. Et qui primus descendisset in piscinam post motionem aque: sanus fiebat a quacunque detinebatur infirmitate. 5 Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua. 6 Hunc cum vidisset ihesus iacentem: et cognouisset quia iam multum tempus haberet dicit ei. Vis sanus fieri? 7 Respondit ei languidus. Domine: hominem non habeo vt cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam. Dum venio enim ego: alius ante me descendit. 8 Dicit ei ihesus. Surge: tolle grabatum tuum et ambula. 9 Et statim sanus factus est homo ille: et sustulit grabatum suum et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo 10 dicebant ergo iudei illi qui sanatus fuerat. Sabbatum est: non licet tibi tollere grabatum tuum. 11 Respondit eis. Qui me sanum fecit ille michi dixit: tolle grabatum tuum et ambula. 12 Interrogauerunt ergo eum. Quis est ille homo: qui dixit tibi tolle grabatum tuum et ambula? 13 Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat quis esset. Ihesus enim declinauit a turba constituta in loco. 14 Postea inuenit eum ihesus in templo: et dixit illi. Ecce sanus factus es: iam noli peccare· ne deterius tibi aliquid contingat. 15 Abijt ille homo: et nunciauit iudeis quia ihesus esset: qui fecit eum sanum. 16 Propterea persequebantur iudei ihesum: quia hec faciebat in sabbato. 17 Ihesus autem respondit eis. Pater meus vsque modo operatur: et ego operor. 18 Propterea ergo magis querebant eum iudei interficere: quia non solum soluebat sabbatum: sed et patrem suum dicebat deum equalem se faciens deo. Respondit itaque ihesus: et dixit eis. 19 Amen amen dico vobis: non potest filius a se facere quicquam: nisi quod viderit patrem facientem. Quecumque enim ille fecerit: hec et filius similiter facit. 20 Pater enim diligit filium· et omnia demonstrat ei· que ipse facit: et maiora hijs demonstrabit ei opera· vt vos miremini. 21 Sicut enim pater suscitat mortuos et viuificat: sic et filius quos vult viuificat. 22 Neque enim pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio: 23 vt omnes honorificent filium· sicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium: non honorificat patrem qui misit illum. 24 Amen amen dico vobis: quia qui verbum meum audit et credit ei qui misit me: habet vitam eternam. Et in iudicium non venit: sed transiet a morte in vitam. 25 Amen amen dico vobis: quia venit hora et nunc est quando mortui audient vocem filij dei: et qui audierint viuent. 26 Sicut enim pater habet vitam in semetipso: sic dedit et filio habere vitam in semetipso. 27 Et potestatem dedit ei et iudicium facere: quia filius hominis est. 28 Nolite mirari hoc: quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij dei: 29 et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vite: qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij. 30 Non possum ego a meipso facere quicquam. Sicut audio iudico: et iudicium meum iustum est: quia non quero voluntatem meam· sed voluntatem eius qui misit me. 31 Si ego testimonium perhibeo de me testimonium meum non est verum. 32 Alius est qui testimonium perhibet de me: et scio quia verum est testimonium eius quod perhibet de me. 33 Vos misistis ad iohannem: et testimonium perhibuit veritati. 34 Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hec dico: vt vos salui sitis. 35 Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. 36 Ego autem habeo testimonium maius iohanne. Opera enim que dedit michi pater vt perficiam ea: ipsa opera que ego facio facio testimonium perhibent de me: quia pater misit me. 37 Et qui misit me pater ipse testimonium perhibuit de me. Neque vocem eius vnquam audistis: neque speciem eius vidistis. 38 Et verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille huic vos non creditis. 39 Scrutamini scripturas: quia vos putatis in ipsis vitam eternam habere. Et ille sunt qui testimonium perhibent de me: 40 et non vultis venire ad me vt vitam habeatis. 41 Claritatem ab hominibus non accipio: 42 sed cognoui vos: quia dilectionem dei non habetis in vobis. 43 Ego veni in nomine patris mei: et non accepistis me. Si alius venerit in nomine suo: illum accipietis. 44 Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab inuicem accipitis: et gloriam

que a solo deo est non queritis? [45] Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud patrem. Est qui accusat vos: moyses in quo vos speratis. [46] Si enim crederetis moysi: crederetis forsitan et michi. De me eni ille scripsit. [47] Si autem illius litteris non creditis: quomodo meis verbis creditis?

6 Post hec abijt ihesus trans mare galilee: quod est tyberiadis. [2] Et sequebatur eum multitudo magna: quia videbant signa que faciebat super hijs qui infirmabantur. [3] Subijt ergo in montem ihesus: et ibi sedebat cum discipulis suis. [4] Erat autem proximum pascha: dies festus iudeorum. [5] Cum subleuasset ergo oculos ihesus: et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum: dicit ad philippum. Vnde ememus panes vt manducent hij? [6] Hoc autem dicebat temptans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus. [7] Respondit ei pphilippus. Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis: vt vnusquisque modicum quid accipiat. [8] Dicit ei vnus ex discipulis eius andreas frater simonis petri. [9] Est puer vnus hic: qui habet quinque panes ordeaceos et duos pisces. Sed hec quid sunt inter tantos? [10] Dicit ergo ihesus. Facite homines discumbere. Erat autem fenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri· numero quasi quinque milia. [11] Accepit ergo ihesus panes: et cum gratias egisset distribuit discumbentibus. Similiter et ex piscibus quantum volebant. [12] Vt autem impleti sunt: dixit discipulis suis. Colligite que superauerant fragmenta ne pereant. [13] Collegerunt ergo: et impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis et duobus piscibus: que superfuerunt hijs qui manducauerant. [14] Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat signum dicebant. Quia hic est vere propheta: qui venturus est in mundum. [15] Ihesus ergo cum cognouisset quia venturi essent vt raperent eum et facerent eum regem: fugit iterum in montem ipse solus. [16] Vt autem sero factum est: descenderunt discipuli eius ad mare. [17] Et cum ascendissent nauim: venerunt trans mare in capharnaum. Et tenebre iam facte erant: et non venerat ad eos ihesus. [18] Mare autem vento magno flante exsurgebat. [19] Cum remigassent ergo quasi stadia vigintiquinque aut triginta: viderunt ihesum ambulantem supra mare· et proximum naui fieri: et timuerunt. [20] Ille autem dicit eis. Ego sum: nolite timere. [21] Voluerunt ergo accipere eum in nauim: et statim nauis fuit ad terram quam ibant. [22] Altera die turba que stabat trans mare· vidit quia nauicula alia non erat ibi nisi vna: et quia non introisset cum discipulis suis ihesus in nauim: sed soli discipuli eius abiissent. [23] Alie vero superuenerunt naues a tyberiade iuxta locum vbi manducauerant panem: gracias agentes deo. [24] Cum ergo vidisset turba quia ihesus non esset ibi neque discipuli eius ascenderunt in nauiculas: et venerunt capharnaum querentes ihesum. [25] Et cum inuenissent eum trans mare: dixerunt ei. Rabbi· quando huc venisti? [26] Respondit eis ihesus: et dixit. Amen amen dico vobis: queritis me non quia vidistis signa. sed quia manducastis ex panibus: et saturati estis. [27] Operamini non cibum qui perit: sed qui permanet in vitam eternam: quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit deus. [28] Dixerunt ergo ad eum. Quid faciemus: vt operemur opera dei? [29] Respondit ihesus: et dixit eis. Hoc est opus dei: vt credatis in eum quem misit ille. [30] Dixerunt ergo ei. Quod ergo tu facis signum: vt videamus? et credamus tibi? Quid operaris? [31] Patres nostri manducauerunt manna in deserto: sicut scriptum est. Panem de celo dedit eis manducare. [32] Dixit ergo eis ihesus. Amen amen dico vobis: non moyses dedit vobis panem de celo: sed pater meus dat vobis panem de celo verum. [33] Panis enim dei est qui de celo descendit: et ad est dat vitam mundo. [34] Dixerunt ergo ad eum. Domine semper da nobis panem hunc. [35] Dixit autem eis ihesus. Ego sum panis vite. Qui venit ad me non esuriet: et qui credidit in me non sitiet vnquam. [36] Sed dixi vobis: quia et vidistis me: et non credidistis. [37] Omne quod dat michi pater ad me veniet: et eum qui venit ad me non eiciam foras: [38] quia descendi de celo non vt faciam voluntatem meam sed voluntatem eius qui misit me. [39] Hec est enim voluntas eius qui misit me patris: vt omne quod dedit michi non perdam ex eo: sed resuscitem illud in nouissimo die. [40] Hec enim voluntas patris mei qui misit me: vt omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam eternam: et ego resuscitabo eum in nouissimo die. [41] Murmurabant ergo iudei de illo· quia dixisset ego sum panis viuus: qui de celo descendi. [42] Et dicebant. Nonne hic est filius ioseph cuius nos nouimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic· quia de celo descendi? [43] Respondit ergo ihesus: et dixit eis. Nolite murmurare in inuicem. [44] Nemo potest venire ad me: nisi pater qui misit me traxerit eum: et ego resuscitabo eum in nouissimo die. e. [45] Est scriptum in prophetis. Erunt omnes docibiles dei. Omnis qui audiuit a patre et didicit venit ad me. [46] Non quia patrem vidit quisquam: nisi is qui est a deo: hic vidit patrem. [47] Amen amen dico vobis: qui credit in me habet vitam eternam. [48] Ego sum panis vite. [49] Patres vestri manducauerunt manna in deserto: et mortui sunt. [50] Hic est panis de celo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur. [51] Ego sum panis viuus: qui de celo descendi. [52] Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in eternum. Et panis quem ego dabo caro mea est: pro mundi vita. [53] litigabant ergo iudei ad inuicem dicentes. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? [54] Dixit ergo eis ihesus. Amen amen dico vobis: nisi manducaueritis carnem filij hominis et biberitis eius sanguinem: non habebitis vitam in vobis. [55] Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem· habet vitam eternam· et ego resuscitabo eum in nouissimo die. [56] Caro enim mea vere est cibus: et sanguis meus vere est potus. [57] Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem: in me manet· et ego in illo. [58] Sicut misit me viuens pater et e viuo propter patrem: et qui manducat me: et ipse viuet propter me. [59] Hic est panis qui de celo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna: et mortui sunt. Qui manducat hunc panem: viuet in eternum. [60] Hec dixit in synagoga docens· in capharnaum. [61] Multi ergo audientes ex discipulis eius. Dixerunt durus est hic sermo. Et quis potest eum audire? [62] Sciens autem ihesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius: dixit eis. Hoc vos scandalizat? [63] Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? [64] Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quinque. Verba que ego locutus sum vobis: spiritus et vita sunt. [65] Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab inicio ihesus qui essent non credentes: et quis traditurus esset eum. [66] Et dicebat. Propterea dixi vobis: quia nemo potest venire ad me: nisi fuerit ei datum a patre meo. [67] Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: et iam non cum illo ambulabant. [68] Dixit ergo ihesus ad duodecim. Numquid et vos vultis abire? [69] Respondit ergo ei symon petrus. Domine: ad quem ibimus? Verba vite eterne habes. [70] Et nos credidimus et cognouimus: quia tu es cristus filius dei. [71] Respondit eis ihesus. Nonne ego vos duodecim elegi: et ex vobis vnus dyabolus est? [72] Dicebat autem de iuda symonis scariothis. Hic enim erat traditurus eum cum esset vnus ex duodecim.

7 Post hec autem ambulabat ihesus in Cgalileam. Non enim volebat in iudeam ambulare: quia querebant eum iudei interficere. [2] Erat autem in proximo dies festus iudeorum scenophegia. [3] Dixerunt autem ad eum fratres eius. Transi hinc et vade in iudeam: vt et discipuli tui videant opera tua que facis. [4] Nemo quippe in occulto quid facit: et querit ipse in palam esse. Si hec facit: manifesta te ipsum mun do. [5] Neque enim fratres eius credebant in eum. [6] Dicit ergo eis ihesus. Tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum. [7] Non potest mundus odisse vos. Me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo: quia opera eius mala sunt. [8] Vos ascendite ad diem festum hunc. Ego non ascendam ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. [9] Hec cum dixisset: ipse mansit in galilea. [10] Vt autem ascenderunt fratres eius· tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste: sed quasi in occulto. [11] Iudei ergo querebant eum in die festo: et dicebant. Vbi est ille? [12] Et murmur multus de eo erat in turba. Quidam enim dicebant quia bonus est: alij dicebant non· sed seducit turbas. [13] Nemo tamen palam loquebatur de illo: propter metum iudeorum. [14] Iam autem die festo mediante: ascendit ihesus in templum et docebat. [15] Et mirabantur iudei dicentes. Quomodo hic litteras scit cum non didicerit? [16] Respondit eis ihesus: et dixit. Mea doctrina non est mea: sed eius qui misit me. [17] Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina· vtrum ex deo sit: an ego a meipso loquar. [18] Qui a semetipso loquitur gloriam propriam querit. Qui autem querit gloriam eius qui misit eum· hic verax est: et iniusticia in illo non est. [19] Nonne moyses dedit vobis legem? Et nemo ex vobis facit

legem. [20] Quid me queritis interficere? Respondit turba et dixit. Demonium habes. Quis te querit interficere? [21] Respondit ihesus: et dixit eis. Vnum opus feci: et omnes miramini. [22] Propterea moyses dedit vobis circumcisionem: non quia ex moyse est: sed ex patribus. Et in sabbato circumciditis hominem. [23] Si circumcisionem accipit homo sabbato vt non soluatur lex moysi: michi indignamini quia totum hominem sanum feci in in sabbato. [24] Nolite iudicare secundum faciem: sed iustum iudicium iudicare. [25] Di faciem: rebant ergo quidam ex iherosolimis. Nonne hic est quem querunt interficere? [26] Ecce palam loquitur: et nichil ei dicunt. Nunquid vere cognouerunt principes quia hic est cristus? [27] Sed hunc scimus vnde sit· cristus autem cum venerit: nemo scit vnde sit. [28] Clamabat ergo ihesus in templo docens et dicens. Et me scitis· et vnde sim scitis: et a meipso non veni: sed est verus qui misit me quem vos nescitis. [29] Ego scio eum: et si dixero quia nescio eum: ero similis vobis mendax. Sed scio eum: quia ab ipso sum: et ipse me misit. [30] Querebant ergo eum apprehendere: et nemo misit in illum manus: quia nondum venerat hora eius. [31] De turba autem multi crediderunt in eum. Et dicera signa faciet quam que hic facit? [32] Audierunt pharisei turbam murmurantem turbam de illo hec: et miserunt principes et pharisei ministros vt apprehenderent ihesum. [33] Dixit ergo eis ihesus. Adhuc modicum tempus vobiscum sum: et vado ad eum qui me misit. [34] Queretis me et non inuenietis: et vbi sum ego vos non potestis venire. [35] Dixerunt ergo iudei ad seinueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est· et docturus gentes? [36] Quis est hic sermo quem dixit· queretis me et non inuenietis: et vbi sum ego vos non potestis venire: [37] In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat ihesus: et clamabat dicens. Si quis [38] in me sicut dicit scriptura: flumina de ventre eius fluent aque viue. [39] Hoc auspiritu tem dixit de spiritu: quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat datus: quia ihesus nondum erat glorificatus. [40] Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius dicebant. Hic est vere propheta. [41] Alij dicebant. Hic est cristus. Quidam autem dicebant. Nunquid a galilea venit cristus? [42] Nonne scriptura dicit: quia ex semine dauid· et de bethleem castello vbi erat dauid venit cristus? [43] Dissensio itaque facta est in turba propter eum. [44] Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. [45] Venerunt ergo templo ministri ad pontifices et phariseos: et dixerunt eis illi. Quare non adduxistis eum? [46] derunt ministri. Nunquid sic locutus est [47] ergo eis pharisei. Nunquid et vos seducti estis? [48] Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum: aut ex phariseis? [49] Sed Sed turba hec que non nouit legem: maledicti sunt. [50] Dixit nycodemus ad eos: ille qui venit ad eum nocte: qui vnus erat ex ipsis. [51] Nunquid lex nostra iudicat hominem: nisi prius audierit ab ipso et cum cognouerit quid faciat? [52] Responderunt: et dixerunt ei. Nunquid et tu galileus es? Scrutare scripturas et vide: quia a galilea propheta non surgit. [53] Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.

8 Ihesus autem perrexit in montem oliueti: [2] et diluculo iterum venit templum omnis populus venit ad eum: et sedens docebat eos. [3] Adducunt autem scribe et pharisei mulierem deprehensam in adulterio: et Statuerunt eam in medio: [4] et dixerunt ei. Magister: hec mulier modo deprehensa est in adulterio. [5] In lege autem moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? [6] Hoc autem dicebant temptantes eum: vt possent accusare eum. Ihesus autem inclinans se deorsum: digito scribebat in terra. [7] Cum ergo perseuerarent interrogantes: erexit se et dixit eis. Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat. [8] Et iterum se inclinans scribebat in terram. [9] Audientes autem hec vnus post vnum exibant incipientes a senioribus: et remansit solus ihesus: et mulier in medio stans. [10] Erigens autem se ihesus: dixit ei. Mulier: vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? [11] Que dixit. Nemo domine. Dixit autem ihesus. Nec ego te condemnabo. Vade: et iam amplius noli peccare. [12] Iterum ergo locutus est eis ihesus dicens. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vite. [13] Dixerunt ergo ei pharisei. Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. [14] Respondit ihesus: et dixit eis. Et si ego testimonium perhibeo de meipso· verum est testimonium meum: quia scio vnde veni et quo vado. Vos autem nescitis vnde venio: aut quo vado. [15] Vos autem secundum carnem iudicatis: ego non iudico quenquam. [16] Et si iudico ego· iudicium meum verum est: quia solus non sum· sed et ego et qui misit me pater [17] Et in lege vestra scriptum est: quia duorum hominum testimonium verum est. [18] Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso: et testimonium perhibet de me qui misit me pater. [19] Dicebant ergo ei. Vbi est pater tuus? Respondit ihesus. Neque me scitis: neque patrem meum. Si me sciretis: forsitan et patrem meum sciretis. [20] Hec verba locutus est ihesus in gazophilacio: docens in templo. Et nemo apprehendit eum: quia necdum venerat hora eius. [21] Dixit ergo iterum eis ihesus. Ego vado: et queretis me: et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado· vos non potestis venire. [22] Dicebant ergo iudei. Nunquid interficiet semetipsum: quia dicit quo ego vado vos non potestis venire? [23] Et dicebat eis. Vos de deorsum estis ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis· ego non sum de hoc mundo. [24] Dixi ergo vobis: quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum: moriemini in peccato vestro. [25] Dicebant ergo ei. Tu quis es? Dicit eis ihesus. principi qui et loquor vobis. [26] Multa habeo de vobis loqui et iudicare: sed qui me misit verax est: et ego que audiui ab eo hec loquor in mundo. [27] Et non cognouerunt: quia patrem eius dicebat deum. [28] Dixit ergo eis ihesus. Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum: et a meipso facio nichil: sed sic docuit me pater hec loquor. [29] Et qui me misit mecum est: et non reliquit me solum: quia ego que placita sunt ei facio semper. [30] Hec illo loquente: multi crediderunt in eum. [31] Dicebat ergo ihesus ad eos· qui crediderunt ei iudeos. Si vos manseritis in sermone meo· vere discipuli mei eritis: [32] et cognoscetis veritatem: et veritas liberabit vos. [33] Responderunt ei. Semen abrahe sumus: et nemini seruiuimus vnquam. Quomodo tu dicis liberi eritis? [34] Respondit eis ihesus. Amen amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati. [35] Seruus autem non manet in domo in eternum: filius manet in eternum. [36] Si ergo vos filius liberauerit: vere liberi eritis. [37] Scio quia filij abrahe estis: sed queritis me interficere: quia sermo meus non capit in vobis. [38] Ego quod vidi apud patrem loquor: et vos que vidistis apud patrem vestrum facitis. [39] Responderunt et dixerunt ei. Pater noster abraham est. Dicit eis ihesus. Si filij abrahe estis: opera abrahe facite. [40] Nunc autem queritis me interficere: hominem qui veritatem vobis locutus sum: quam audiui a deo. Hoc abraham non fecit. [41] Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei. Nos ex fornicatione non sumus nati. Vnum patrem habemus deum. [42] Dixit ergo eis ihesus. Si deus pater vester esset. Diligeretis vtique me. Ego enim ex deo processi et veni. Neque enim a meipso veni: sed ille me misit. [43] Quare loquelam meam non cognoscitis Quia non potestis audire sermonem meum. [44] Vos ex patre dyabolo estis: et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab inicio: et in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium· ex proprijs loquitur: quia mendax est et pater eius. [45] Ego autem quia veritatem dico: non creditis michi. [46] Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico: quare vos non creditis michi? [47] Qui est ex deo: verba dei audit. Propterea vos non auditis: quia ex deo non estis. [48] Responderunt ergo iudei: et dixerunt ei. Nonne bene dicimus nos· quia samaritanus es tu· et demonium habes? [49] Respondit ihesus. Ego demonium non habeo: sed honorifico patrem meum: et vos inhonorastis me. [50] Ego autem non quero gloriam meam. Est qui querat et iudicet. [51] Amen amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit mortem non videbit in eternum. [52] Dixerunt ergo iudei. Nunc cognouimus: quia demonium habes. Abraham mortuus est et prophete: et tu dicis si quis sermonem meum seruauerit non gustabit mortem in eternum? [53] Numquid tu maior es patre nostro abraham qui mortuus est? Et prophete mortui sunt. Quem teipsum facis? [54] Respondit ihesus. Si ego glorifico meipsum: gloria mea nichil Est pater meus qui glorificat me: quem vos dicitis quia deus noster est [55] et non cognouistis eum. Ego autem noui eum. Et si dixero quia non scio eum: ero similis vobis mendax. Sed scio eum: et sermonem eius seruo. [56] Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: et vidit: et gauisus est. [57] Dixerunt ergo iudei ad eum. Quinquaginta annos nondum habes: et abraham vidisti? [58] Dixit eis ihesus. Amen amen dico vobis:

antequam abraham fieret ego sum. [59] Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum. Ihesus autem abscondit se: et exiuit de templo.

9 Et preteriens ihesus vidit hominem cecum a natiuitate: [2] et interrogauerunt eum discipuli eius. Rabbi· quis peccauit· hic aut parentes eius: vt cecus nasceretur? [3] Respondit ihesus. Neque hic peccauit neque parentes eius: sed vt manifestentur opera dei in illo. [4] Me oportet operari opera eius qui misit me· donec dies est. Venit nox: quando nemo potest operari. [5] Quamdiu sum in mundo· lux sum mundi. [6] Hoc cum dixisset exspuit in terram· et fecit lutum ex sputo: et liniuit lutum super oculos eius: [7] et dixit ei. Vade laua in natatoria syloe: quod interpretatur missus. Abijt ergo et lauit: et venit videns. [8] Itaque vicini et qui viderant eum prius quia mendicus erat dicebant. Nonne hic est qui sedebat et mendicabat? Alij dicebant quia hic est: [9] alij autem nequaquam: sed similis est eius. Ille vero dicebat: quia ego sum. [10] Dicebant ergo ei. Quomodo aperti sunt tibi oculi? [11] Respondit. Ille homo qui dicitur ihesus lutum fecit: et vnxit oculos meos: et dixit michi. Vade ad natatoriam syloe: et laua. Et abij: et laui· et video. [12] Et dixerunt ei. Vbi est ille? Ait. Nescio. [13] Adducunt eum ad phariseos qui cecus fuerat. [14] Erat autem sabbatum quando lutum fecit ihesus: et aperuit oculos eius. [15] Iterum ergo interrogabant eum pharisei quomodo vidisset. Ille autem dixit eis. lutum michi posuit super oculos: et laui et video. [16] Dicebant ergo ex phariseis quidam. Non est hic homo a deo: qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant. Quomodo potest homo hec signa facere? Et cisma erat inter eos. [17] Dicunt ergo ceco iterum. Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: quia propheta est. [18] Non crediderunt ergo iudei de illo quia inonia cecus fuisset et vidisset: donec vocauerunt parentes eius qui viderat: [19] et interrogauerunt eos dicentes. Hic est filius vester: quem vos dicitis quia cecus natus est? Quomodo ergo nunc videt? [20] Responderunt eis parentes eius: et dixerunt. Scimus quia hic est filius noster: et quia cecus natus est. [21] Quomodo autem nunc videat nescimus: aut quis eius aperuit oculos nos nescimus. Ipsum interrogate. Etatem habet: ipse de se loquatur. [22] Hec dixerunt parentes eius: qui timebant iudeos. Iam enim conspirauerant iudei: vt si quis eum confiteretur esse cristum extra synagogam fieret. [23] Propterea parentes eius dixerunt· quia etatem habet: ipsum interrogate. [24] Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat cecus: et dixerunt ei. Da gloriam deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. [25] Dixit ergo eis ille. Si peccator est nescio: vnum scio: quia cecus cum essem· modo video. [26] Dixerunt ergo illi. Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? [27] Respondit eis. Dixi vobis iam: et audistis. Quid iterum vultis audire? Numquid et vos vultis discipuli eius fieri? [28] Maledixerunt ergo ei: et dixerunt. Tu discipulus illius sis: nos autem moysi discipuli sumus. [29] Nos scimus quia moysi locutus est deus: hunc autem nescimus vnde sit. [30] Respondit ille homo: et dixit eis. In hoc enim mirabile est quia vos nescitis vnde sit: et aperuit meos oculos. [31] Scimus quia peccatores deus non audit: sed si quis dei cultor est et voluntatem eius facit: hunc exaudit. [32] A seculo non est auditum: quia quis aperuit oculos ceci nati. [33] Nisi esset hic a deo: non poterat facere quicquam. [34] Responderunt: et dixerunt ei. In peccatis natus es totus: et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. [35] Audiuit ihesus quia eiecerunt eum foras: et cum inuenisset eum dixit ei. Tu credis in filium dei? [36] Respondit ille et dixit. Quis est domine vt credam in eum? [37] Et dixit ei ihesus. Et vidisti eum: et qui loquitur tecum ipse est. [38] At ille ait. Credo domine. Et procidens adorauit eum. [39] Et dixit ei ihesus. In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident videant: et qui vident ceci fiant. [40] Et audierunt quidam ex phariseis qui cum ipso erant: et dixerunt ei. et nos ceci sumus? [41] Dixit eis ihesus. Si ceci essetis non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis quia videmus: peccatum vestrum manet.

10 Amen amen dico vobis: qui non intrat per hostium in ouile sed ascendit aliunde: ille fur est et latro. [2] Qui intrat per hostium· pastor est ouium. [3] Huic e hostiarius aperit: et oues vocem eius audiunt. Et proprias oues vocat nominatim: et educit eas. [4] Et cum proprias oues emiserit ante eas vadit: et oues illum sequuntur: quia sciunt vocem eius. [5] Alienum autem non sequuntur· sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. [6] Hoc prouerbium dixit eis ihesus. Illi non cognouerunt quid loqueretur eis. [7] Dixit ergo eis iterum ihesus. Amen amen dico vobis: quia ego sum hostium ouium. [8] Omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones: sed non audierunt eos oues. [9] Ego sum hostium. Per me si quis introierit saluabitur: et ingredietur et egredietur: et pascua inueniet. [10] Fur non venit: nisi vt furetur et mactet et perdat. Ego veni vt vitam habeant: et abundantius habeant. [11] Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. [12] Mercennarius et qui non est pastor cuius non sunt oues proprie· videt lupum venientem et dimittit oues et fugit: et lupus rapit· et dispergit oues. [13] Mercennaautem fugit quia mercennarius est: et non pertinet ad eum de ouibus. [14] Ego sum pastor bonus: et cognosco meas: et cognoscunt me mee. [15] Sicut nouit me pater· et ego agnosco patrem: et animam o meam pono pro ouibus meis. [16] Et alias oues habeo que non sunt ex hoc ouili: et illas oportet me adducere et vocem meam audient: et fiet vnum ouile et vnus pastor. [17] Propterea me pater diligit: quia ego pono animam meam: vt iterum sumam eam. [18] Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam: et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi patre meo. [19] Dissensio iterum facta est inter iudeos· propter sermones hos. [20] Dicebant multi ex ipsis. Demonium habet et insanit. Quid eum auditis? [21] Alij dicebant. Hec verba non sunt demonium habentis. Nunquid demonium cecorum oculos aperire? [22] Facta sunt autem encenia in iherosolimis: et hyems erat. [23] Et ambulabat ihesus in templo in porticu salomonis. [24] Circumdederunt ergo eum iudei: et dicebant ei. Quousque animam nostram tollis? Si tu es cristus: dic nobis palam. [25] Respondit eis ihesus. Loquor vobis: et non creditis. Opera quam que ego facio in nomine patris mei: hec testimonium perhibent de me. [26] Sed vos non creditis: quia non Sed vos non creditis: estis ex ouibus meis. [27] Oues mee vocem meam audiunt: et ego cognosco eas: et sequuntur me. [28] Et ego vitam eternam do eis: et non peribunt in eternum: et non rapiet eas quisquam de manu mea. [29] Pater meus quod dedit michi maius omnibus est: et nemo potest rapere de manu patris mei. [30] Ego et pater vnum sumus. [31] Sustulerunt lapides iudei· vt lapidarent eum. [32] Respondit eis ihesus. Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo. Propter quod eorum opus me lapidatis? [33] Responderunt ei iudei. De bono opere non lapidamus te· sed de blasphemia: et quia tu homo cum sis: facis teipsum deum. [34] Respondit eis ihesus. Nonne scriptum est in lege vestra quia ego dixi dij estis? [35] Si illos dixit deos ad quos sermo dei factus est· et non potest solui scriptura: [36] quem pater sanctificauit et misit in mundum vos dicitis quia blasphemas quia dixi filius dei sum? [37] Si non facio opera patris mei: nolite credere michi. [38] Si autem facio: et si michi non vultis credere operibus credite: vt cognoscatis et credatis· quia in me est pater· et ego in patre. [39] Querebant ergo eum apprehendere: et exiuit de manibus eorum. [40] Et abijt iterum trans iordanen in eum locum vbi erat iohannes baptizans primum: et mansit illic. [41] Et multi venerunt ad eum et dicebant: quia iohannes quidem signum fecit nullum. [42] Omnia autem quecumque dixit iohannes de hoc vera erant: et multi crediderunt in eum.

11 Erat autem quidam languens lazarus a bethania: de castello marie et marthe sororum eius. [2] Maria autem erat que vnxit dominum vnguento· et extersit pedes eius capillis suis: cuius frater lazarus infirmabatur. [3] Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes. Domine: ecce quem amas infirmatur. [4] Audiens autem ihesus: dixit eis. Infirmitas hec non est ad mortem· sed pro gloria dei: vt glorificetur filius dei per eam. [5] Diligebat autem ihesus martham: et sororem eius mariam et lazarum. [6] Vt ergo audiuit quia infirmabatur: tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. [7] Deinde post hec dicit discipulis suis. Eamus in iudeam iterum. [8] Dicunt ei discipuli. Rabbi nunc querebant te iudei lapidare: et iterum vadis illuc? [9] Respondit ihesus. Nonne duodecim sunt hore diei? Si quis ambulauerit in die non offendit: quia lucem huius mundi videt. [10] Si autem ambulauerit in nocte offendit: quia lux non est in eo. [11] Hec ait: et post hec dicit eis. Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt a somno exsuscitem eum. [12] Dixerunt ergo discipuli eius. Domine: si dormit saluus erit. [13] Dixerat autem ihesus de morte eius: illi autem putauerunt quia

de dormitione somni diceret. [14] Tunc ergo ihesus dixit eis manifeste. Lazarus mortuus est: [15] et gaudeo propter vos vt credatis: quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. [16] Dixit ergo thomas qui dicitur didimus ad condiscipulos. Eamus et nos: et moriamur cum eo. [17] Venit itaque ihesus: et inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. [18] Erat autem bethania iuxta iherosolimam quasi stadijs quindecim. [19] Multi autem ex iudeis venerant ad martham et mariam: vt consolarentur eas de fratre suo. [20] Martha ergo vt audiuit quia ihesus venit occurrit illi: maria autem domi sedebat. [21] Dixit ergo martha ad ihesum. Domine: si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus. [22] Sed et nunc scio: quia quecumque poposceris a deo dabit tibi deus. [23] Dicit illi ihesus· Resurget frater tuus. [24] Dicit ei martha. Scio quia resurget· in resurrectione in nouissimo die. [25] Dicit ei ihesus. Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me etiam si mortuus fuerit viuet: [26] et omnis qui viuit et credit in me: non morietur in eternum. Credis hoc? [27] Ait illi. Vtique domine. Ego credidi quia tu es cristus filius dei: qui in hunc mundum venisti. [28] Et cum hec dixisset: abijt et vocauit mariam sororem suam silentio dicens. Magister adest: et vocat te. [29] Illa vt audiuit surgit cito: et venit ad eum. [30] Nondum enim venerat ihesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco vbi occurrat ei martha. [31] Iudei ergo qui erant cum ea in domo et consolabantur eam cum vidissent mariam quia cito surrexit et exijt: secuti sunt eam dicentes. Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. [32] Maria ergo cum venisset vbi erat ihesus: videns eum cecidit ad pedes eius et dixit ei. Domine· si fuisses hic non esset mortuus frater meus. [33] Ihesus ergo vt vidit eam plorantem et iudeos qui venerant cum ea plorantes infremuit spiritu: et turbauit seipsum [34] et dixit. Vbi posuistis eum? Dicunt ei. Domine: veni et vide. [35] Et lacrimatus est ihesus. [36] Dixerunt ergo iudei. Ecce quomodo amabat eum. [37] Quidam autem ex ipsis dixerunt. Non poterat hic qui aperuit oculos ceci nati facere: vt hic non moreretur? [38] Ihesus ergo rursum fremens in semetipso venit ad monumentum. Erat autem spelunca· et lapis superpositus erat ei. [39] Ait ihesus. Tollite lapidem. Dicit ei martha soror eius· qui mortuus fuerat domine iam fetet: quadriduanus enim est. [40] Dicit ei ihesus. Nonne dixi tibi: quoniam si credideris videbis gloriam dei? [41] Tulerunt ergo lapidem. Ihesus autem eleuatis sursum oculis dixit. Pater gratias ago tibi quoniam audisti me. [42] Ego autem sciebam quia semper me audis: sed propter populum qui circumstat dixi: vt credant quia tu me misisti. [43] Hec cum dixisset: voce magna clamauit. Lazare veni foras. [44] Et statim prodijt qui fuerat mortuus ligatus manus et pedes institis: et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis ihesus. Soluite eum: et sinite abire. [45] Multi ergo ex iudeis qui venerant ad mariam et martham et viderant que fecit ihesus: crediderunt in eum. [46] Quidam autem ex ipsis abierunt ad phariseos: et dixerunt eis que fecit ihesus. [47] Collegerunt ergo pontifices et pharisei concilium et dicebant. Quid facimus: quia hic homo signa facit? [48] Si dimittimus eum sic: omnes credent eum. Et venient romani: et tollent locum nostrum et gentem. [49] Vnus autem ex ipsis cayphas nomine: cum esset pontifex anni illius dixit eis. Vos nescitis quicquam [50] nec cogitatis: quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo: et non tota gens pereat. [51] Hoc autem semetipso non dixit: sed cum esset pontifex anni illius prophetauit: quia ihesus moriturus erat pro gente. [52] Et non tantum pro gente: sed vt filios dei qui erant dispersi congregaret in vnum. [53] Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. [54] Ihesus ergo iam non in palam ambulabat apud iudeos: sed abijt in regionem iuxta desertum ciuitatem que dicitur effrem: et ibi morabatur cum suis. [55] Proximum autem erat pascha iudeorum· discipulis et ascenderunt multi iherosolimam de regione ante pascha: vt sanctificarent seipsos. [56] Querebant ergo ihesum: et colloquebantur ad inuicem templo stantes. Quid putatis quia non venit ad diem festum istum? Dederant autem pontifices et pharisei mandatum: vt si quis cognouerit vbi sit iudicet: vt apprehendant eum.

12 Ihesus ergo ante sex dies pasche venit bethaniam vbi lazarus fuerat mortuus: quem suscitauit ihesus. [2] Fecerunt autem ei cenam ibi et martha ministrabat: lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo. [3] Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici preciosi et vnxit pedes ihesu: et extersit pedes eius capillis suis: et domus impleta est ex odore vnguenti. [4] Dixit ergo vnus ex discipulis eius iudas scariothis qui erat eum traditurus. [5] Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs: et datum est egenis? [6] Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum: sed quia fur erat: et loculos habens ea que mittebantur portabat. [7] Dixit ergo ihesus. Sine illam: vt in diem sepulture mee seruet illud. [8] Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis. [9] Cognouit ergo turba multa ex iudeis quia illic est: et venerunt non propter ihesum tantum: sed vt lazarum viderent quem suscitauit a mortuis. [10] Cogitauerunt autem principes sacerdotum vt et lazarum interficerent: [11] quia multi propter illum abibant ex iudeis: et credebant in ihesum. [12] In crastinum autem turba multa que venerat ad diem festum cum audissent quia venit ihesus iherosolimam [13] acceperunt ramos palmarum: et processerunt obuiam ei et clamabant: osanna· benedictus qui venit in nomine domini rex israhel. [14] Et inuenit ihesus asellum: et sedit super eum sicut scriptum est. [15] Noli timere filia syon: ecce rex tuus venit sedens super pullum asine. [16] Hec non cognouerunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est ihesus tunc recordati sunt quia hec erant scripta de eo: et hec fecerunt ei. [17] Testimonium ergo perhibebat turba que erat cum eo quando lazarum vocauit de monumento: et suscitauit eum a mortuis. [18] Propterea et obuiam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum. [19] Pharisei ergo dixerunt ad semetipsos. Videtis quia nichil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt. [20] Erant autem quidam gentiles ex hijs qui ascenderant vt adorarent in die festo. [21] Hij ergo accesserunt ad philippum qui erat a bethsayda galilee: et rogabant eum dicentes. Domine: volumus ihesum videre. [22] Venit philippus: et dicit andree. Andreas rursum et philippus dixerunt ihesu. [23] Ihesus autem respondit eis dicens. Venit hora vt clarificetur filius hominis. [24] Amen amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: [25] ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit: multum fructum affert. Qui amat animam suam: perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo: in vitam eternam custodit eam. [26] Si quis michi ministrat: me sequatur. Et vbi sum ego: illic et minister meus erit. Si quis michi ministrauerit: honorificabit eum pater meus. [27] Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. [28] Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de celo dicens. Clarificaui: et iterum clarificabo. [29] Turba ergo que stabat et audierat dicebat tonitruum esse factum. Alij autem dicebant. Angelus ei locutus est. [30] Respondit ihesus: et dixit. Non propter me hec vox venit: sed propter vos. [31] Nunc iudicium est mundi. Nunc princeps huius mundi eicietur foras. [32] Et ego si exaltatus fuero a terra: omnia traham ad meipsum [33] hoc autem dicebat: significans qua morte esset moriturus. [34] Respondit ei turba. Nos audiuimus ex lege· quia cristus manet in eternum. Et quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominis? Et quis est iste filius hominis? [35] Dixit ergo eis ihesus. Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis: vt non tenebre vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris: nescit quo vadit. [36] Dum lucem habetis credite in lucem: vt filij lucis sitis. Hec locutus est ihesus: et abijt et abscondit se ab eis. [37] Cum autem tanta signa fecisset coram eis non credebant in eum: [38] vt sermo ysaie impleretur quem dixit. Domine quis credidit auditui nostro: et brachium domini cui reuelatum est? [39] Propterea non poterant credere: quia iterum dixit ysaias. [40] Excecauit oculos eorum et indurauit cor eorum: vt non videant oculis et intelligant corde et conuertantur et sanem eos. [41] Hec dixit ysaias quando vidit gloriam eius: et locutus est de eo. [42] Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter phariseos non confitebantur: vt de synagoga non eicerentur. [43] Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam dei. [44] Ihesus autem clamauit et dixit. Qui credit in me: non credit in me· sed in eum qui misit me. [45] Et qui videt me: videt eum qui misit me. [46] Ego lux in mundum veni: vt omnis qui credit in me in tenebris non maneat. [47] Et si quis audierit verba mea et non custodierit: ego non iudico eum. Non enim veni vt iudicem mundum: sed vt saluificem mundum. [48] Qui spernit me et non accipit verba mea: habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus sum: ille iudicabit eum in nouissimo die.

[49] Quia ego ex meipso non sum locutus: sed qui misit me pater ipse michi mandatum dedit: quid dicam et quid loquar. [50] Et scio: quia mandatum eius vita eterna est. Que ergo ego loquor: sicut dixit michi pater sic loquor.

13 Ante diem festum pasche sciens ihesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo: in finem dilexit eos. [2] Et cena facta cum dyabolus iam misisset in cor vt traderet eum iudas simonis scariothis: [3] sciens quia omnia dedit ei pater in manus et quia a deo exiuit et ad deum vadit: [4] surgit a cena et ponit vestimenta sua: et cum accepisset lintheum precinxit se. [5] Deinde misit aquam in peluim: et cepit lauare pedes discipulorum: et extergere lintheo quo erat precinctus. [6] Venit ergo ad simonem petrum. Et dicit ei petrus. Domine tu michi lauas pedes? [7] Respondit ihesus: et dixit ei. Quod ego facio tu nescis modo: scies autem postea. [8] Dicit ei petrus. Non lauabis michi pedes in eternum. Respondit ei ihesus. Si non lauero te: non habebis partem mecum. [9] Dicit ei simon petrus. Domine: non tantum pedes meos: sed et manus et caput. [10] Dicit ei ihesus. Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet: sed est mundus totus. Et vos mundi estis: sed non omnes. [11] Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum. Propterea dixit: non estis mundi omnes. [12] Postquam ergo lauit pedes eorum accepit vestimenta sua: et cum recubuisset iterum dixit eis. Scitis quid fecerim vobis? [13] Vos vocatis me magister et domine: et bene dicitis. Sum etenim. [14] Si ergo ego laui pedes vestros dominus et magister: et vos debetis alter alterius lauare pedes. [15] Exemplum enim dedi vobis: vt quemadmodum ego feci vobis ita et vos faciatis. [16] Amen amen dico vobis: non est seruus maior domino suo: neque apostolus maior est eo qui misit illum. [17] Si hec scitis: beati eritis si feceritis ea. [18] Non de omnibus vobis dico. Ego scio quos elegerim. Sed vt adimpleatur scriptura: qui manducat mecum panem leuabit contra me calcaneum suum. [19] Amodo dico vobis priusquam fiat: vt cum factum fuerit credatis quia ego sum. [20] Amen amen dico vobis: qui accipit si quem misero me accipit. Qui autem me accipit: accipit eum qui me misit. [21] Cum hec dixisset ihesus turbatus est spiritu: et protestatus est et dixit. Amen amen dico vobis: quia vnus ex vobis tradet me. [22] Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli: hesitantes de quo diceret. [23] Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu ihesu: quem diligebat ihesus. [24] Innuit ergo huic simon petrus: et dixit ei. Quis est de quo dicit? [25] Itaque cum recubuisset ille supra pectus ihesu: dicit ei. Domine quis est? [26] Respondit ihesus. Ille est: cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem: dedit iude simonis scariothis. [27] Et post bucellam introiuit in eum sathanas. Et dicit ei ihesus. Quod facis fac citius. [28] Hoc autem nemo sciuit discumbentium: ad quid dixerit ei. [29] Quidam enim putabant quia loculos habebat iudas quod dixisset ei ihesus· eme ea que opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret. [30] Cum ergo accepisset ille bucellam: exiuit continuo. Erat autem nox. [31] Cum ergo exisset dixit ihesus. Nunc clarificatus est filius hominis: et deus clarificatus est in eo. [32] Si deus clarificatus est in eo: et deus clarificabit eum in semetipso: et continuo clarificabit eum. [33] Filioli: adhuc modicum vobiscum sum. Queretis me: et sicut dixi iudeis quo ego vado vos non potestis venire. Et vobis dico modo. [34] Mandatum nouum do vobis: vt diligatis inuicem sicut dilexi vos: vt et vos diligatis inuicem. [35] In hoc cognoscent omnes quia discipuli estis mei: si dilectionem habueritis ad inuicem. [36] Dicit ei simon petrus. Domine quo vadis? Respondit ihesus. Quo ego vado non potes me modo sequi: sequeris autem postea. [37] Dicit ei petrus. Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam. [38] Respondit ei ihesus animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi: non cantabit gallus donec ter me neges.

14 t Et ait discipulis suis. Non turbetur cor vestrum. Creditis in deum: et in me credite. [2] In domo patris mei mansiones multe sunt. Si quo minus: dixissem vobis quia vado parare vobis locum. [3] Et si abiero et preparauero vobis locum: iterum venio et accipiam vos ad meipsum: vt vbi sum ego et vos sitis. [4] Et quo ego vado scitis: et viam scitis. [5] Dicit ei thomas. Domine: nescimus quo vadis. Et quomodo possumus viam scire? [6] Dicit ei ihesus. Ego sum via· et veritas· et vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. [7] Si cognouissetis me: et patrem meum vtique cognouissetis. Et amodo cognoscetis eum: et vidistis eum. [8] Dicit ei philippus. Domine: ostende nobis patrem et sufficit nobis. [9] Dicit ei ihesus. Tanto tempore vobiscum sum et non cognouistis me? Philippe: qui videt me videt et patrem. Quomodo tu dicis ostende nobis patrem? [10] Non credis quia ego in patre: et pater in me est? Verba que ego loquor vobis· a meipso non loquor. Pater autem in me manens: ipse facit opera. [11] Non creditis quia ego in patre: et pater in me est? [12] Alioquin propter opera ipsa credite. Amen amen dico vobis: qui credit in me opera que ego facio et ipse faciet: et maiora horum faciet. Quia ego ad patrem vado: [13] et quodcunque petieritis patrem in nomine meo hec faciam: vt glorificetur pater in filio. [14] Si quid petieritis me in estis: propter sermonem quem locutus sum cdie. vobis. Manete nomine meo hec faciam. Si diligitis me: fructum a seixs metipso nisi manserit in vite: [15] mea seruate. [16] Et ro Ego sic nec vos pmit gabo patrem et alium paraclitum dabit nisi in me: mandata manseritis. vobis vt maneat vobiscum in eternum [17] spi fructum multum: quia simxauit ne ritum veritatis: quem mundus non potest ac me nichil potestis facere. Si quis mmtu in me non manserit mittetur Vos autem cognoscitis eum: quia apud vos manebit: et in vobis erit. [18] Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. [19] Adhuc modicum: et mundus me iam non videt. Vos autem videbitis me: quia ego viuo et vos viuetis. [20] In illo die vos cognoscetis quia ego sum in patre meo: et vos in me: et ego in vobis. [21] Qui habet mandata mea et seruat ea: ille est qui diligit me. Qui autem diligit me: diligetur a patre meo. Et ego diligam eum: et manifestabo ei meipsum. [22] Dicit ei iudas: non ille scariothis. quid factum est quia manifestaturus es nobis teipsum: et non mundo? [23] Respondit ihesus: et dixit ei. Si quis diligit me sermonem meum seruabit: et pater meus diliget eum· et ad eum veniemus: et mansionem apud eum faciemus. [24] Qui non diligit me: sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis non est meus: sed eius qui misit me patris. [25] Hec locutus sum vobis: apud vos manens. [26] Paraclitus spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo ille vos docebit omnia: et suggeret vobis omnia quecunque dixero [27] vobis. Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat: ego do vobis. Non turbetur cor vestrum: neque formidet. [28] Audistis quia ego dixi vobis: vado et venio ad vos. Si diligeretis me· gauderetis vtique quia vado ad patrem: quia pater maior me est. [29] nunc dixi vobis priusquam fiat: vt cum factum fuerit credans. [30] Iam non multa princeps loquar vobiscum. Venit enim mundi huius: et in me non habet quicquam. [31] Sed vt cognoscat mundus quia diligo patrem: et sicut mandatum dedit michi pater sic facio. Surgite: eamus hinc.

15 agricola est. Omnem palmitem Ego sum vitis vera: et pater meus [2] in me non ferentem fructum tollet eum: et omnem qui fert fructum purgabit eum: vt fructum plus afferat. [3] Iam vos mundi estis: propter sermonem quem locutus sum vobis. [4] Manete me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. [5] Ego sum vitis: vos palmites. Qui manet in me et ego in eo hic fert fructum multum: quia sime nichil potestis facere. [6] Si quis in me non manserit mittetur foras sicut palmes et arescet: et colligent eum et in ignem mittent et ardet. [7] Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint: volueritis petetis: et fiet vobis. [8] In hoc clarificatus est pater meus· vt fructum plurimum afferatis: et efficiamini mei discipuli. [9] Sicut dilexit me pater: et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. [10] Si precepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea: sicut et ego patris mei precepta seruaui: maneo in eius dilectione. [11] Hec locutus sum vobis: vt gaudium meum sit in vobis: et gaudium vestrum impleatur. [12] Hoc est preceptum meum: vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. [13] Maiorem hac dilectionem nemo habet: quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. [14] Vos amici mei estis: si feceritis que ego precipio vobis. [15] Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quecumque audiui a patre meo nota feci vobis. [16] Non vos me elegistis sed ego elegi vos: et posui vos vt eatis et fructum afferatis: et fructus vester maneat: vt quodcumque petieritis patrem in nomine meo det vobis. [17] Hec mando vobis: vt diligatis inuicem. [18] Si mundus vos odit: scitote

quia me priorem vobis odio habuit. [19] Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat diligeret. Quia vero de mundo non estis· sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. [20] Mementote sermonis mei: quem ego dixi vobis. Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt et vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt: et vestrum seruabunt. [21] Sed hec omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me. [22] Si non venissem et locutus fuissem eis: peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. [23] Qui me odit: et patrem meum odit. [24] Si opera non fecissem in eis que nemo alius fecit: peccatum non haberent. Nunc autem et viderunt et oderunt: et me et patrem meum. [25] Sed vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis. [26] Cum autem venerit paraclitus quem ego mittam vobis a patre spiritum veritatis qui a patre procedit: ille testimonium perhibebit de me. [27] Et vos testimonium perhibebitis: quia ab inicio mecum estis.

16 Hec locutus sum vobis: vt non scandalizemini. [2] Absque synagogis facient vos. Sed venit hora: vt omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se prestare deo. [3] Et hec facient vobis: quia non nouerunt patrem neque me. [4] Sed hec locutus sum vobis: vt cum venerit hora eorum· reminiscamini: quia ego dixi vobis. [5] Hec autem vobis ab inicio non dixi: quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum qui misit me: et nemo ex vobis interrogat me quo vadis. [6] Sed quia hec locutus sum vobis: tristicia implebit cor vestrum. [7] Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt et ego vadam. Si enim non abiero: paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero: mittam eum ad vos. [8] Et cum venerit: ille arguet mundum de peccato et de iusticia et de iudicio. [9] De peccato quidem: quia non crediderunt in me. [10] De iusticia vero: quia ad patrem vado: et iam non videbitis me. [11] De iudicio autem: quia princeps mundi huius iam iudicatus est. [12] Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. [13] Cum autem venerit ille spiritus veritatis: docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso: sed quecumque audiet loquetur: et que ventura sunt annunciabit vobis. [14] Ille me clarificabit: quia de meo accipiet: et annunciabit vobis. [15] Omnia quecumque habet pater mea sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet: et annunciabit vobis. [16] Modicum et iam non videbitis me· et iterum modicum et videbitis me: quia vado ad patrem. [17] Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem. Quid est hoc quod dicit nobis modicum et non videbitis me· et iterum modicum et videbitis me et quia vado ad patrem? [18] Dicebant ergo. Quid est hoc quod dicit modicum? Nescimus quid loquitur. [19] Cognouit autem ihesus quia volebant eum interrogare: et dixit eis. De hoc queritis inter vos quia dixi modicum et non videbitis me: et iterum modicum et videbitis me. [20] Amen amen dico vobis: quia plorabitis et flebitis vos: mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini: sed tristicia vestra vertetur in gaudium. [21] Mulier cum parit tristiciam habet: quia venit hora eius. Cum autem pepererit puerum iam non meminit pressure propter gaudium: quia natus est homo in mundum. [22] Et vos igitur nunc quidem tristiciam habetis. Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum: et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. [23] Et in illo die me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico vobis: si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. [24] Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite et accipietis: vt gaudium vestrum sit plenum. [25] Hec in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora: cum iam non in prouerbijs loquar vobis: sed palam de patre annunciabo vobis. [26] In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis: quia ego rogabo patrem de vobis. [27] Ipse enim pater amat vos quia vos me amastis: et credidistis quia ego a deo exiui. [28] Exiui a patre et veni in mundum: iterum relinquo mundum: et vado ad patrem. [29] Dicunt ei discipuli eius. Ecce nunc palam loqueris: et prouerbium nullum dicis. [30] Nunc scimus quia scis omnia: et non opus est tibi vt quis te interroget. In hoc credimus: quia a deo existi. [31] Respondit eis ihesus. Modo creditis? [32] Ecce venit hora: et iam venit vt dispergamini vnusquisque in propria: et me solum relinquatis. Et non sum solus: quia pater mecum est. [33] Hec locutus sum vobis: vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite: ego vici mundum.

17 Hec locutus est ihesus: et subleuaytis oculis in celum dixit. Pater venit hora: clarifica filium tuum· vt filius tuus clarificet te. [2] Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: vt omne quod dedisti ei det eis vitam eternam. [3] Hec est autem vita eterna: vt cognoscant te solum deum verum: et quem misisti ihesum cristum. [4] Ego te clarificaui super terram: opus consumaui: quod dedisti michi vt faciam. [5] Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum: claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te. [6] Manifestaui nomen tuum hominibus: quos dedisti michi de mundo. Tui erant: et michi eos dedisti: et sermonem meum seruauerunt. [7] Nunc cognouerunt: quia omnia que dedisti michi abs te sunt. [8] Quia verba que dedisti michi dedi eis: et ipsi acceperunt et cognouerunt vere quia a te exiui: et crediderunt quia tu me misisti. [9] Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo: sed pro hijs quos dedisti michi: quia tui sunt. [10] Et mea omnia tua sunt: et tua mea sunt: et clarificatus sum in eis. [11] Etiam non sum in mundo: et hij in mundo sunt: et ego ad te venio. Pater sancte: serua eos in nomine tuo quos dedisti michi: vt sint vnum sicut et nos. [12] Cum essem cum eis: ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti michi e custodiui: et nemo ex eis perijt nisi filius perditionis: vt scriptura impleatur. [13] Nunc autem ad te venio: et hec loquor in mundo: vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis. [14] Ego dedi eis sermonem tuum: et mundus eos odio habuit: quia non sunt de mundo sicut et ego non sum de mundo. [15] Non rogo vt tollas e de mundo: sed vt serues eos a malo. [16] De mundo non sunt: sicut et ego non sum de mundo. [17] Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. [18] Sicut tu me misisti in mundum: ita et ego misi eos in mundum. [19] Et pro eis ego sanctifico meipsum: vt sint et ipsi sanctificati in veri tate. [20] Non pro eis autem rogo tantum: sed et pro eis qui crediturі sunt per verbum eorum in me: [21] vt omnes vnum sint sicut tu pater in me et ego in te· vt et ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus quia tu me misisti. [22] Et ego claritatem quam tu dedisti michi dedi eis: vt sint vnum sicut et nos vnum sumus. [23] Ego in eis et tu in me: vt sint consummati in vnum: et cognoscat mundus quia tu me misisti: et dilexisti eos sicut et me dilexisti. [24] Pater: quos dedisti michi volo vt vbi sum ego et illi sint mecum: vt videant claritatem meam quam dedisti michi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. [25] Pater iuste: mundus te non cognouit. Ego autem te cognoui: et hij cognouerunt quia tu me misisti. [26] Et notum feci eis nomen tuum et notum faciam: vt dilectio qua dilexisti me in ipsis sit: et ego in ipsis.

18 Hec cum dixisset ihesus: egressus est cum discipulis suis trans torrentem cedron vbi erat ortus: in quem introiuit ipse et discipuli eius. [2] Sciebat autem et iudas qui tradebat eum locum: quia frequenter ihesus conuenerat illuc cum discipulis suis. [3] Iudas ergo cum accepisset cohortem et a pontificibus et phariseis ministros: venit illuc cum laternis et facibus et armis. [4] Ihesus itaque sciens omnia que ventura erant super eum: processit et dixit eis. Quem queritis? [5] Responderunt ei. Ihesum nazarenum. Dicit eis ihesus. Ego sum. Stabat autem et iudas qui tradebat eum cum ipsis. [6] Vt ergo dixit eis ego sum: abierunt retrorsum· et ceciderunt in terram. [7] Iterum ergo interrogauit eos. Quem queritis? Illi autem dixerunt. Ihesum nazarenum. [8] Respondit ihesus. Dixi vobis: quia ego sum. Si ergo me queritis: sinite hos abire. [9] Vt impleretur sermo quem dixit: quia quos dedisti michi non perdidi ex eis quenquam. [10] Simon ergo petrus habens gladium eduxit eum: et percussit pontificis seruum: et abscidit eius auriculam dexteram. Erat eius dixit. autem nomen seruo malchus. [11] Dicit ergo ihesus petro. Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit michi pater: non bibam illum? [12] Cohors autem et tribunus et ministri iudeorum comprehenderunt ihesum: et ligauerunt eum [13] et adduxerunt eum ad annam primum. Erat enim socer cayphe: qui erat pontifex anni illius. [14] Erat autem cayphas qui consilium dederat iudeis: quia expedit vnum hominem mori pro populo. [15] Sequebatur autem ihesum simon petrus: et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici: et introiuit cum ihesu in atrium pontificis. [16] Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici: et dixit ostiarie: et introduxit petrum. [17] Dicit ergo petro ancilla ostiaria. Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille. Non sum. [18] Stabant autem serui et

ministri ad prunas quia frigus erat: et calefaciebant se. Erat autem cum eis et petrus: stans et calefaciens se. [19] Pontifex ergo interrogauit ihesum de discipulis suis: et de doctrina eius. [20] Respondit ei ihesus. Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga et in templo quo omnes iudei conueniunt: et in occulto locutus sum nichil. [21] Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt: quid locutus sum ipsis. Ecce hij sciunt: que dixerim ego. [22] Hec autem cum dixisset: vnus assistens ministrorum dedit alapam ihesu dicens. Sic respondes pontifici? [23] Respondit ei ihesus. Si male locutus sum: testimonium perhibe de malo. Si autem bene: quid me cedis? [24] Et misit eum annas ligatum ad cayphan pontificem. [25] Erat autem simon petrus stans: et calefaciens se. Dixerunt ergo ei. Nunquid et tu ex discipulis eius es? Negauit ille et dixit. Non sum. [26] ei Dixit vnus ex seruis pontificis: cognatus eius cuius abscidit petrus auriculam. Nonne ego te vidi in orto cum illo. [27] Iterum ergo negauit petrus: et statim gallus cantauit. [28] Adducunt ergo ihesum ad cayphan in pretorium. Erat autem mane. Et ipsi non introierunt in pretorium vt non contaminarentur: sed vt manducarent pascha. [29] Exiuit ergo pilatus ad eos foras et dixit. Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? [30] Responderunt: et dixerunt ei. Si non esset hic malefactor: non tibi tradidissemus eum. [31] Dicit ergo eis pilatus. Accipite eum vos: et secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei iudei. Nobis non licet interficere quenquam. [32] Vt sermo ihesu impleretur quem dixit: significans qua morte te esset moriturus. [33] Introiuit ergo iterum in pretorium pilatus: et vocauit ihesum: et dixit ei. Tu es rex iudeorum? [34] Respondit ihesus. A temetipso hoc dicis: an alij dixerunt tibi de me? [35] Respondit pilatus. Numquid ego iudeus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te michi. Quid fecisti? [36] Respondit ihesus. Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum: ministri mei meum: vtique decertarent vt non traderer iudeis. Nunc autem regnum meum non est hinc. [37] xit itaque ei pilatus. Ergo rex es tu? Respondit ihesus. Tu dicis: quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum· et ad hoc veni in mundum: vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. [38] Dicit ei pilatus. Quid est Et cum hac dirisset· iterum exiuit ad iudeos: et dicit eis. Ego nullam inuenio eo causam. [39] Est autem consuetudo vobis: vt vnum dimittam vobis in pascha. Vultis ergo dimittam vobis regem iudeorum? [40] Clamauerunt ergo rursum omnes dicentes. Non hunc: sed barraban. Erat autem Erat autem barrabas latro.

19 Tunc ergo apprehendit pilatus ihesum: et flagellauit. [2] Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius: et veste purpurea dederunt eum. [3] Et veniebant ad eum: et dicebant. Aue rex iudeorum. Et dabant ei alapas. [4] Exiuit iterum pilatus foras: et dicit eis. Ecce adduco vobis eum foras: vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. [5] Exiuit ergo ihesus portans spineam coronam: et purpureum coronam: vestimentum. Et dicit eis. Ecce homo. [6] Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri: clamabant dicentes. Crucifige: crucifige eum. Dicit eis pilatus. Accipite eum vos: et crucifigite. Ego enim non inuenio in eo causam. [7] Responderunt ei iudei. Nos legem habemus: et secundum legem debet mori: quia filium dei se fecit. [8] Cum ergo audisset pilatus hunc sermonem: magis timuit. [9] Et ingressus est in pretorium iterum: et dicit ad ihesum. Vnde es tu? Ihesus autem responsum non dedit ei. [10] Dicit ergo ei pilatus. Michi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te· et potestatem habeo dimittere te? [11] Respondit ihesus non haberes potestatem aduersum me vllam: nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. [12] Et exinde querebat pilatus di eum. Iudei autem clamabant dicentes. Si hunc dimittis: non es amicus ris. Omnis enim qui se regem facit contradicit cesari. [13] Pilatus autem cum audisset hos sermones adduxit foras ihesum: et sedit pro tribunali in loco qui dicitur lythostratos· hebraice autem gabatha. [14] Erat autem parasceue pasche: hora quasi Et dicit Ecce rex vester. [15] Illi autem clamabant. Tolle tolle: crucifige eum. Dicit eis pilatus. Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices. Non habemus regem: nisi cesarem. [16] Tunc ergo tradidit eis illum: vt crucifigeretur. Susceperunt autem ihesum: et eduxerunt. [17] Et baiulans sibi crucem exiuit in eum qui dicitur caluarie locum: hebraice golgotha. [18] Vbi crucifixerunt eum: et cum eo alios duos hinc et hinc: medium autem ihesum. [19] Scripsit autem et titulum pilatus: et posuit super crucem. Erat autem scriptum: ihesus nazarenus rex iudeorum. [20] Hunc ergo titulum multi iudeorum legerunt: quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus est ihesus. Et erat scriptum hebraice grece et latine. [21] Dicebant ergo pilato pontifices iudeorum. Noli scribere rex iudeorum: sed quia ipse dixit: rex sum iudeorum. [22] Respondit pilatus. Quod scripsi scripsi. [23] Milites ergo cum crucifixissent eum acceperunt vestimenta eius: et fecerunt quatuor partes: vnicuique militi partem· et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis: desuper contexta per totum. [24] Dixerunt ergo ad inuicem. Non scindamus eam: sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura impleretur dicens. Partiti sunt vestimenta mea sibi: et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hec fecerunt. [25] Stabant autem iuxta crucem ihesu mater eius: et soror matris eius maria cleophe et maria magdalene. [26] Cum vidisset ergo ihesus matrem et discipulum stantem quem diligebat: dicit matri sue. Mulier: ecce filius tuus. [27] Deinde dicit discipulo. Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. [28] Postea sciens ihesus quia omnia consummata sunt: vt consummaretur scriptura dicit. Sitio. [29] Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem plenam aceto spongiam ysopo circumponentes: obtulerunt ori eius. [30] Cum ergo accepisset ihesus acetum dixit. Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. [31] Iudei ergo quoniam parasceue erat vt non remanerent in cruce corpora sabbato: erat enim magnus dies ille sabbati: rogauerunt pilatum vt frangerentur eorum crura et tollerentur. [32] Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura: et alterius qui crucifixus est cum eo. [33] Ad ihesum autem cum venissent· vt viderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura: [34] sed vnus militum lancea latus eius aperuit: et continuo exiuit sanguis et aqua. [35] Et qui vidit testimonium perhibuit: et verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit: vt et vos credatis. [36] Facta sunt enim hec: vt scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo. [37] Et iterum alia scriptura dicit. Videbunt in quem transsixerunt. [38] Post hec autem rogauit pilatum ioseph ab arimathia eo quod esset discipulus ihesu: occultus autem propter metum iudeorum: vt tolleret corpus ihesu. Et permisit pilatus. Venit ergo: et tulit corpus ihesu. [39] Venit autem et nycodemus qui venerat ad ihesum nocte primum: ferens mixturam mirre et aloes quasi libras centum. [40] Acceperunt ergo corpus ihesu: et ligauerunt eum lintheis cum aromatibus sicut mos est iudeis sepelire. [41] Erat autem in loco vbi crucifixus est ortus: et in orto monumentum nonum in quo nondum quisquam positus erat. [42] Ibi ergo propter parasceuen iudeorum: quia iuxta erat monumentum posuerunt ihesum.

20 Vna sabbati maria magdalene ne venit mane cum adhuc tenebre essent ad monumentum: et vidit lapidem sublatum a monumento. [2] Cucurrit ergo et venit ad simonem petrum: et ad alium discipulum quem amabat ihesus: et dicit illis. Tulerunt dominum de monumento: et nescimus vbi posuerunt eum. [3] Exijt ergo petrus et ille alius discipulus: et venerunt ad monumentum. [4] Currebant autem duo simul: et ille alius discipulus precucurrit citius petro: et venit primus ad monumentum. [5] Et cum se inclinasset vidit posita lintheamina: non tamen introiuit. [6] Venit ergo simon petrus sequens eum: et introiuit in monumentum. Et vidit lintheamina posita: [7] et sudarium quod fuerat super caput eius non cum lintheaminibus positum: sed separatum inuolutum in vnum locum. [8] Tunc ergo introiuit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum: et vidit et credidit. [9] Nondum enim sciebant scripturam: quia oportuit eum a mortuis resurgere. [10] Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. [11] Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret: inclinauit se et prospexit in monumentum. [12] Et vidit duos angelos in albis sedentes: vnum ad caput et vnum ad pedes: vbi positum erat corpus ihesu. [13] Dicunt ei illi. Mulier quid ploras? Dicit eis. Quia tulerunt dominum meum: et nescio vbi posuerunt eum. [14] Hec cum dixisset conuersa est retrorsum: et vidit ihesum stantem: et non sciebat quia ihesus est. [15] Dicit ei ihesus. Mulier quid ploras? Quem queris? Illa existimans quia ortulanus esset: dicit ei. Domine: si tu sustulisti

eum dicito michi vbi posuisti eum: et ego eum tollam. [16] Dicit ei ihesus. Maria. Conuersa illa dicit ei. Rabboni: quod dicitur magister. [17] Dicit ei ihesus. Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos: et dic eis. Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum: deum meum et deum vestrum. [18] Venit maria magdalene annuncians discipulis quia vidi dominum: et hec dixit michi. [19] Cum ergo sero esset die illo vna sabbatorum et fores essent clause vbi erant discipuli congregati propter metum iudeorum: venit ihesus et stetit in medio: et dixit eis. Pax vobis. [20] Et cum hec dixisset: ostendit eis manus et latus. Gauisi sunt ergo discipuli: viso domino. [21] Dixit ergo eis iterum. Pax vobis. Sicut misit me pater: et ego mitto vos. [22] Hec cum dixisset insufflauit: et dicit eis. Accipite spiritum sanctum. [23] Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: et quorum retenta sunt. [24] Thomas autem vnus ex duodecim qui dicitur didimus non erat cum eis quando venit ihesus. [25] Dixerunt ergo ei alij discipuli. Vidimus dominum. Ille autem dixit eis. Nisi videro manibus eis. eius fixuram clauorum· et mittam digitum meum in locum clauorum: et mittam manum meam in latus eius: non credam. [26] Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus: et thomas cum eis. Venit ihesus ianuis clausis: et stetit in medio et dixit eis. Pax vobis. [27] Deinde dicit thome. Infer digitum tuum huc et vide manus meas: et affer manum tuam et in mitte latus meum: et noli esse incredulus sed fidelis. [28] Respondit thomas et dixit. Dominus meus: et deus meus. [29] Dicit ei ihesus. Quia vidisti me thoma credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt. [30] Multa quidem et alia signa fecit ihesus in conspectu discipulorum suorum: que non sunt sunt in libro hoc. [31] Hec autem scripta credatis quia ihesus est filius dei: et vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

21 manifestauit se iterum ihesus ad mare tyberiadis. Manifestauit sic. [2] Erant simul simon petrus et thomas qui dicitur didimus et nathanael qui erat a chana galilee: et filij zebedei: et alij ex discipulis eius duo. [3] Dicit eis simon petrus. Vado piscari. Dicunt ei. Venimus et nos tecum. Et exierunt et ascenderunt in nauim: et illa nocte nichil prendiderunt. [4] stetit ihesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia ihesus est. [5] Dicit ergo eis ihesus. Pueri: numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei. Non. [6] Dicit eis. Mittite in dexteram nauigij rete: et inuenietis. Miserunt ergo: et iam non valebant illud trahere pre multitudine piscium. [7] Dicit ergo discipulus ille quem diligebat ihesus petro. Dominus est. Simon petrus cum audisset quia dominus est· tunica succinxit se: erat enim nudus: et misit se in mare. [8] Alij autem discipuli nauigio venerunt. Non enim longe erant a terra: sed quasi cubitis ducentis trahentes rete piscium. [9] Vt ergo descenderunt in terram viderunt prunas positas: et piscem superpositum et panem. [10] Dicit eis ihesus. Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. [11] Ascendit simon petrus et traxit rete in terram: plenum magnis piscibus centumquinquaginta tribus. Et cum tanti essent: non est scissum rete. [12] Dicit ei ihesus. Venite prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum tu quis es: scientes quia dominus est. [13] Et venit ihesus et accepit panem et dat eis: et piscem similiter. [14] Hoc iam tercio manifestatus est ihesus discipulis suis: cum resurrexisset a mortuis. [15] Cum ergo prandidisset: dixit simoni petro ihesus. Simon iohannis diligis me plus hijs? Dicit ei. Etiam domine tu scis: quia amo te. Dicit ei. Pasce agnos meos. [16] Dicit ei iterum. Simon iohannis diligis me? Ait illi. Etiam domine tu scis: quia amo te. Dicit ei iterum. Pasce agnos meos. [17] Dicit ei tercio. Simon iohannis amas me? Contristatus est petrus quia dixit ei tercio amas me: et dicit ei. Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei. Pasce oues meas. [18] Amen amen dico tibi: cum esses iunior cingebas te: et ambulabas vbi volebas. Cum autem senueris extendes manus tuas: et alius te cinget: et ducet quo tu non vis. [19] Hoc autem dixit: significans qua morte clarificaturus esset deum. clarificaturus Et cum hoc dixisset: dicit ei. Sequere me. [20] Conuersus petrus vidit illum discipulum quem diligebat ihesus sequentem: qui et recubuit in cena super pectus eius et dixit: domine quis est qui tradet te. [21] Hunc ergo cum vidisset petrus: dicit ihesu. Domine: hic autem quid? [22] Dicit ei ihesus. Sic eum volo manere: donec veniam. Quid ad te? Tu me sequere. [23] Exijt ergo sermo iste inter fratres: quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei ihesus non moritur: sed sic eum volo manere donec veniam: quid ad te. [24] Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de hijs: et scripsit hec. Et scimus: quia verum est testimonium eius. [25] Sunt autem et alia multa que fecit ihesus: que si scribantur per singula nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.

Incipit prefatio in omnes epistolas sancti pauli apostoli ad romanos.

Primum queritur: quare post euangelia que supplementum legis sunt· et in quibus nobis exempla et precepta viuendi plenissime digesta sunt: voluerit apostolus has epistolas ad singulas ecclesias destinare. Hac autem causa factum videtur: vt scilicet inicia nascentis ecclesie nouis causis existentibus preueniret: et vt presentia atque orientia resecaret vicia: et post futuras excluderet questiones: exemplo prophetarum· qui post editam legem moysi in qua omnia dei mandata legebantur: nichilominus tamen doctrina sua rediuiua semper populi compressere peccata: et propter exemplum viuendi libros ad nostram etiam memoriam transmiserunt. Deinde queritur: cur non amplius quam decem epistolas ad ecclesias scripserit. Decem sunt enim cum ea que dicitur ad hebreos: nam relique quatuor ad discipulos specialiter sunt porrecte. Vt ostenderet nouum non discrepare a veteri testamento· et se contra legem non facere moysi: ad numerum primorum decalogi mandatorum suas epistolas destinauit: et quot ille preceptis a pharaone instituit liberatos: totidem epistolis a dyaboli et ydolatrie seruitute edocet acquisitos. Nam et duas tabulas lapideas· duorum testamentorum figuram habuisse· viri eruditissimi tradiderunt. Epistolam sane que ad hebreos scribitur quidam pauli non esse affirmant· eo quod non sit eius nomine titulata· et propter sermonis stilique distantiam: sed vt barnabe iuxta tertullianum aut luce iuxta quosdam: vel certe clementis discipuli apostolorum et episcopi romane ecclesie post apostolos ordinati. Quibus respondendum est: si propterea pauli non erit quia eius non habet nomen: ergo nec alicuius erit: quia nullius nomine titulatur. Quod si inconueniens absurdumque est: ipsius magis esse credenda est que tanto doctrine sue fulget eloquio. Sed quoniam apud hebreorum ecclesias quasi destructor legis falsa suspitione habebatur: voluit tacito nomine de figuris legis· et veritate cristi reddere rationem: ne odium nominis· fronte prelati· vtilitatem excluderet lectionis. Non est sane mirum si eloquentior videatur in proprio· id est hebreo quam in peregrino id est in greco: quo cetere epistole sunt scripte sermone. Mouet etiam quosdam quare romanorum epistola in primo sit posita: cum eam non primo scriptam ratio manifestet. Nam hanc se proficiscentem iherosolimam scripsisse testatur: cum corinthios et alios iam ante vt ministerium quod secum portaturus erat colligerent litteris adhortatus sit. Sed inde intelligi quidam volunt ita omnes epistolas ordinatas· vt prima poneretur quamuis posterior fuerit destinata: vt per singulas epistolas gradibus ad perfectionem veniretur. Romanorum namque plerique tam rudes erant· vt non intelligerent dei se gratia· et non suis meritis esse saluatos: et ob hoc duo inter se populi conflictarent. Idcirco illos indigere corrigi: asserit vicia gentilitatis priora commemorans. Corinthijs autem iam dicit scientie gratiam esse concessam: et non tam omnes increpat: quam cur peccantes non increpauerunt reprehendit sicut ait. Auditur inter vos fornicatio. Et iterum. Congregatis vobis cum meo spiritu: tradere huiusmodi sathane. In secunda vero laudantur: et vt magis ac magis proficiant commonentur. Galathe vero iam nullius criminis arguuntur: nisi hoc tantum· quod callidissimis pseudo apostolis crediderunt. Ephesij sane nulla reprehensione sed multa laude sunt digni: quia fidem apostolicam seruauerunt. Philippenses etiam multomagis collaudantur: qui nec audire quidem falsos apostolos voluerunt. Thessalonicenses nichilominus duabus epistolis omni laude prosequitur: eo quod non solum fidem incussam seruauerint

veritatis: sed etiam in persecutione ciuium fuerint constantes inuenti. Colosenses autem tales erant: vt cum ab apostolo visi corporaliter non fuissent: hac laude digni haberentur. Et si corpore inquit absens sum: sed spiritu vobiscum sum gaudens· et videns ordinem vestrum. De hebreis vero quid dicendum est· quorum thessalonicenses qui plurimum laudati sunt· imitatores facti esse dicuntur? Sicut ipse ait. Et vos fratres imitatores facti estis ecclesiarum dei· que sunt in iudea: eadem enim passi et vos a contribulibus vestris: que et illi a iudeis. Apud ipsos quoque hebreos eadem commemorat dicens. Nam vinctis compassi estis: et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. Romani sunt qui ex iudeis et gentibus crediderunt. Hij superba contentione volebant se alterutrum supponere. Nam iudei dicebant. Nos sumus populus dei· quos ab inicio dilexit et fouit: nos circumcisi ex genere abraham· sancta descendimus ex stirpe: et notus retro apud iudeam tantum deus. Nos de egipto signis dei et virtutibus liberati mare sicco pertransiuimus pede: cum inimicos nostros grauissimi fluctus inuoluerent. Nobis pluit manna dominus in deserto: et quasi filijs suis celeste pabulum ministrauit. Nos die noctuque in calumpna nubis ignisque precessit: vt nobis in inuio iter ostenderet. Atque vt cetera eius circa nos immensa beneficia taceamus: nos soli digni fuimus dei legem accipere· et vocem dei loquentis audire: eiusque cognoscere voluntatem. In qua lege nobis promissus est cristus: ad quos etiam ipse se venisse testatus est dicens· non veni nisi ad oues que perierant domus israhel: cum vos canes potius quam homines appellauerit. Equum ne ergo est vt ydola hodie deserentes· quibus ab inicio deseruistis· nobis comparemini: et non potius in proselitorum locum ex legis auctoritate et consuetudine deputemini? Et hoc ipsum non merebamini: nisi quia larga semper dei clementia voluit vos ad nostram imitationem admittere. Gentes etiam econtrario respondebant. Quanto enim maiora erga vos dei beneficia narraueritis: tanto maioris vos criminis reos esse monstrabitis. Semper enim hijs omnibus extitistis ingrati. Nam ipsis pedibus quibus aridum mare transistis· ludebatis ante ydola que fecistis: et ipso ore quo paulo ante ob necem aduersariorum domino cantaueratis: simulacra vobis fieri poposcistis: illis oculis quibus venerando deum in nube vel igne conspicere solebatis: simulacra intuebamini. Manna quoque vobis fastidio fuit: et semper in deserto contra dominum murmurastis: ad egiptum vnde vos manu valida eiecerat redire cupientes. Quid plura? Ita patres vestri prouocatione dominum irritauerunt· vt omnes in heremo morerentur: nec plus senioribus eorum quam duo homines terram repromissionis intrarent. Sed quid antiqua replicamus: cum etiam illa minime fecissetis· de hoc solo· nemo vos dignos venia iudicaret· quod dominum cristum prophetarum semper vobis vocibus repromissum non solum suscipere noluistis sed etiam morte pessima peremistis? Quem vt nos cognouimus credidimus: cum nobis de eo antea non fuerit predicatum. Vnde probatur: quod ydolis seruiuimus· non obstinationi mentis· sed ignorantie deputandum. Qui enim cognitum ilico sequimur: olim vtique sequeremur si antea cognouissemus. Sic autem vos de generis nobilitate iactatis: quasi non morum imitatio magis quam carnalis natiuitas filios vos faciat esse sanctorum. Denique esau ysmahel cum de stirpe sint abrahe: minime tamen in filios reputantur. Hijs taliter altercantibus· apostolus se medium interponens: ita partium dirimit questiones· vt neutrum eorum sua iusticia salutem meruisse confirmet: ambos vero populos et scienter et grauiter deliquisse: iudeos quod per preuaricationem legis deum inhonorauerint: gentes vero quod cum cognitum de creatura creatorem vt deum debuerint venerari· gloriam eius in manufacta mutauerint simulacra: vtrosque etiam similiter veniam consecutos· equales esse veracissima ratione demonstrat: presertim cum in eadem lege predictum et iudeos et gentes ad cristi fidem vocandos esse ostendet. Quamobrem vicissim eos humilians: ad pacem et concordiam cohortatur. Romani sunt partis ytalie. Hij preuenti sunt a falsis apostolis: et sub nomine domini nostri ihesu cristi in legem et prophetas erant inducti. Hos reuocat apostolus ad veram et euangelicam fidem scribens eis a corintho.

Ad Romanos

Incipit epistola beati pauli apostoli ad romanos.

1 Paulus seruus ihesu cristi· vocarus apius segregatus in euangelium dei· [2] quod ante pro per prophetas suos in scripturis sanFAEu miserat per prophetas ctis [3] de filio suo· qui factus est ei ex semine dauid secundum carnem: [4] qui predestinatus est filius dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum ihesu cristi domini nostri: [5] per quem accepimus gratiam et apostulatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius: [6] in quibus estis et vos vocati ihesu cristi: [7] omnibus qui sunt rome. dilectis dei vocatis sanctis. Gratia vobis et pax a deo patre et domino nostro ihesu cristo. [8] Primum quidem gratias ago deo meo per ihesum cristum pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. [9] Testis enim michi est deus cui seruio in spiritu meo in euangelio filij eius: quod sine intermissione memoriam vestri facio [10] semper in orationibus meis: obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate dei veniendi ad vos. [11] Desidero enim videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratie spiritualis ad confirmandos vos: [12] id est simul consolari in vobis per eam que inuicem est fidem vestram atque meam. [13] Nolo autem vos ignorare fratres: quia sepe proposui venire ad vos et prohibitus sum vsque adhuc: vt aliquem fructum habeam in vobis sicut et in ceteris gentibus. [14] Grecis ac barbaris sapientibus et insipientibus debitor sum: [15] itaque quod in me promptum est et vobis qui rome estis euangelizare. [16] Non enim erubesco euangelium. Virtus enim dei est in salutem omni credenti: iudeo primum et greco. [17] Iusticia enim dei in eo reuelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est. Iustus autem ex fide viuit. [18] Reuelatur enim ira dei de celo super omnem impietatem et iniusticiam hominum: eorum qui veritatem dei in iniusticia detinent: [19] quia quod notum est dei manifestum est in illis. Deus enim illis reuelauit. [20] Inuisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus et diuinitas: ita vt sint inexcusabiles. [21] Quia cum cognouissent deum non sicut deum glorificarunt aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis: et obscuratum est insipiens cor eorum. [22] Dicentes enim se esse sapientes: stulti facti sunt. [23] Et mutauerunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem ymaginis corruptibilis hominis: et volucrum et quadrupedum et serpentium. [24] Propter quod tradidit illos deus in desiderio cordis eorum in immundiciam: vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. [25] Qui commutauerunt veritatem dei in mendacium: et coluerunt et seruierunt creature potius quam creatori: qui est benedictus in secula amen. [26] Propterea tradidit illos deus in passiones ignominie. Nam femine eorum immutauerunt naturalem vsum: in eum vsum qui est contra naturam. [27] Similiter autem et masculi relicto naturali vsu femine exarserunt in desiderijs suis in inuicem: masculi in masculos turpitudinem operantes: et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. [28] Et sicut non probauerunt deum habere in noticia: tradidit illos deus in reprobum sensum· vt faciant ea que non conueniunt: [29] repletos omni iniquitate· malicia· fornicatione· auaricia· nequicia· plenos inuidia· homicidijs· contentione· dolo· malignitate· susurrones· [30] detractores· deo odibiles: contumeliosos· superbos· elatos· inuentores malorum· parentibus non obedientes: [31] insipientes· incompositos· sine affectione· absque federe: sine misericordia. [32] Qui cum iusticiam dei cognouisset· non intellexerunt quoniam

qui talia agunt digni sunt morte: non solum qui ea faciunt: sed etiam qui consentiunt facientibus.

2 Propter quod in excusabilis es o homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum: teipsum condemnas. Eadem enim agis que iudicas. [2] Scimus enim: quoniam iudicium dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. [3] Existimas autem hoc o homo qui iudicas eos qui talia agunt et facis ea: quia tu effugies iudicium dei? [4] An diuitias bonitatis eius et patientie et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas dei ad penitentiam te adducit? [5] Secundum autem duriciam tuam et impenitens cor chezaurisas tibi iram in die ire et reuelationis iusti iudicij dei: [6] qui reddet vnicuique secundum opera eius. [7] Hijs quidem qui secundum patientiam boni operis: gloriam et honorem et incorruptionem querentibus vitam eternam. [8] Hijs autem qui sunt ex contentione et qui non acquiescunt veritati· credunt autem iniquitati: ira· et indignatio· [9] tribulatio· et angustia in omnem animam hominis operantis malum: iudei primum et greci. [10] Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum: iudeo primum et greco. [11] Non enim est acceptio personarum apud deum. [12] Quicumque enim sine lege peccauerunt· sine lege peribunt: et quicunque in lege peccauerunt: per legem iudicabuntur. [13] Non enim auditores legis iusti sunt apud deum: sed factores legis iustificabuntur. [14] Cum enim gentes que legem non habent naturaliter ea que legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: [15] qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum et inter se in inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium: [16] in die cum iudicabit deus occulta hominum secundum euangelium meum per ihesum cristum. [17] Si autem tu iudeus cognominaris et requiescis in lege· et gloriaris in deo· [18] et nosti voluntatem eius· et probas vtiliora instructus per legem· [19] confidis te ipsum esse ducem cecorum· lumen eorum qui in tenebris sunt· [20] eruditorem insipientium· magistrum infantium· habentem formam scientie et veritatis in lege: [21] qui ergo alium doces teipsum non doces. Qui predicans non furandum fararis: [22] qui dicis non mechandum mecharis. Qui abominaris ydola: sacrilegium facis. [23] Qui in lege gloriaris: per preuaricationem legis deum inhonoras. [24] Nomen enim dei per vos blasphematur inter gentes: sicut scriptum est. [25] Circumcisio quidem prodest si legem obserues: si autem preuaricator legis sis: circumcisio tua prepucium facta est. [26] Si igitur prepucium iusticias legis custodiat: nonne prepucium illius in circumcisionem reputabitur? [27] Et iudicabit id quod ex natura est prepucium legem consummans te: qui per litteram et circumcisionem preuaricator legis es. [28] Non enim qui in manifesto iudeus est neque qui in manifesto in carne est circumcisio: [29] sed qui in abscondito iudeus est et circumcisio cordis in spiritu non littera: cuius laus non ex hominibus sed ex deo est.

3 Quid ergo amplius iudeo est· aut que vtilitas circuncisionis? [2] Multum per omnem modum. Primum quidem: quia credita sunt illis eloquia dei. [3] Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem dei euacuauit? Absit. [4] Est autem deus verax: omnis autem homo mendax sicut scriptum est: vt iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris. [5] Si autem iniquitas nostra iusticiam dei commendat: quid dicemus? Numquid iniquus est deus: qui infert iram? [6] Secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo iudicabit deus hunc mundum? [7] Si enim veritas dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius: quid adhuc et ego tanquam peccator iudicor [8] et non sicut blasphemamur· et sicut aiunt quidam nos dicere· faciamus mala vt veniant bona? Quorum damnatio iusta est. [9] Quid ergo? Precellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus iudeos et grecos omnes sub peccato esse: [10] sicut scriptum est. Quia non est iustus quisquam: [11] non est intelligens: non est requirens deum. [12] Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum non von est vsque ad vnum. [13] Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: venenum aspidum sub labijs eorum. [14] Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: [15] veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. [16] Contritio et infelicitas in vijs eorum: [17] et viam pacis non cognouerunt: [18] non est timor dei ante oculos eorum. [19] Scimus autem· quoniam quecunque lex loquitur hijs qui in lege sunt loquitur? Vt omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus deo: [20] quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. [21] Nunc autem iusticia dei sine lege manifestata est: testificata a lege et prophetis. [22] Iusticia autem dei per fidem ihesu cristi: in omnes et super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio. [23] Omnes enim peccauerunt: et egent gloria dei. [24] Iustificati gratis per graciam ipsius per redemptionem que est in cristo ihesu: [25] quem proposuit deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iusticie sue propter remissionem precedentium delictorum [26] in sustentatione dei ad ostensionem iusticie eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus et iustificans eum qui ex fide est ihesu cristi. [27] Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non. Sed per legem fidei. [28] Arbitramur enim iustificari hominem per fidem: sine operibus legis. [29] An iudeorum deus tantum? Nonne et gentium? Ymmo et gentium. [30] Quoniamquidem vnus est deus qui iustificat circumcisionem ex fide· et prepucium per fidem. [31] Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.

4 Quid ergo dicemus inuenisse abraham patrem nostrum secundum carnem? [2] Si enim abraham ex operibus iustificatus ratus est· habet gloriam: sed non apud deum. [3] Quid enim scriptura dicit? Credidit abraham deo: et reputatum est illi ad iusticiam. [4] Ei autem qui operatur· merces non imputatur secundum gratiam: sed secundum debitum. [5] Ei vero qui non operatur· credenti autem in eum qui iustificat impium reputatur fides eius ad iusticiam secundum propositum gratie dei: [6] sicut et dauid dicit beatitudinem hominis cui deus accepto fert iusticiam sine operibus. [7] Beati quorum remisse sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata. [8] Beatus vir cui non imputabit dominus peccatum. [9] Beatitudo ergo hec in circumcisione manet: an etiam in preputio? Dicimus enim: quia reputata est abrahe fides ad iusticiam. [10] Quomodo ergo reputata est? In circumcisione: an in prepucio. Non in circumcisione: sed in prepucio. [11] Et signum accepit circumcisionis signaculum iusticie fidei que est in prepucio: vt sit pater omnium credentium per prepucium: vt reputetur et illis ad iusticiam. [12] Et sit pater circumcisionis: non hijs tantum qui sunt ex circumcisione: sed et hijs qui sectantur vestigia fidei que est in prepuprepuno patris nostri abrahe. [13] Non enim per legem promissio abrahe aut semini eius vt heres esset mundi: sed per iusticiam fidei. [14] Si enim qui ex lege heredes sunt· exinanita est fides: oblita est promissio. [15] Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex: nec preuaricatio [16] ideo ex fide: vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Non enim qui ex lege est solum: sed et ei ex fide est abrahe qui est qui pater omnium nostrum: [17] sicut scriptum est. Quia patrem multarum gentium posui te ante deum cui credidisti: qui viuificat mortuos: et vocat ea que non sunt tanquam ea que sunt. [18] Qui contra spem in spem credidit: vt fieret pater multarum gentium: secundum quod dictum est ei. Sic erit semen tuum: sicut stelle celi et arena maris. [19] Et non infirmatus est in fide: nec considerauit corpus suum emortuum· cum iam fere centum esset annorum: et emortuam vuluam sare. [20] In repromissione eciam dei non hesitauit diffidentia: sed confortatus est fide dans gloriam deo: [21] plenissime sciens· quia quecunque promisit deus potens est et facere. [22] Ideo et reputatum est illi ad iusticiam. [23] Non est autem scriptum tantum propter ipsum quia reputatum est illi ad iusticiam: [24] sed et propter nos quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitauit ihesum cristum dominum nostrum a mortuis: [25] qui traditus est propter delicta nostra· et resurrexit propter iustificationem nostram.

5 Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad deum per dominum nostrum ihesum cristum: [2] per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam: in qua stamus et gloriamur in spe glorie filiorum dei. [3] Non solum autem: sed et gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur: [4] patientia autem probationem: probatio vero spem. [5] Spes autem non confundit: quia caritas dei diffusa est in cordibus nostris: per spiritum

sanctum qui datus est nobis. [6] Vt quid enim cristus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impijs mortuus est? [7] Vix enim pro iusto quis moritur. Nam per bono forsitan quis audeat mori. [8] Commendat autem caritatem suam deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus [9] cristus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. [10] Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus deo· per mortem filij eius: multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. [11] Non solum sed gloriamur in deo per dominum nostrum ihesum cristum: per quem nunc reconciliationem accepimus. [12] Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransijt: quo omnes peccauerunt. [13] Vsque ad legem intrauit: e credimus cristo: ea enim peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputabatur cum lex non esset: [14] sed regnauit mors ab adam vsque ad moysen· etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem preuaricationis ade: qui est forma futuri. [15] Sed non sicut delictum: ita et donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia dei et donum· in gratia vnius hominis ihesu cristi· in plures abundauit. [16] Et non sicut per vnum peccatum: ita et donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. [17] Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratie et donationis et iusticie accipientes in vita regnabunt per vnum ihesum cristum. [18] Igitur sicut per in vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per vnius iusticiam in omnes homines in iustificationem vite. [19] Sicut enim per in obedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per vnius obeditionem iusti constituentur multi. [20] Lex autem subintrauit: vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum· superabundauit gratia: [21] vt sicut regnauit peccatum in mortem· ita et gratia regnet per iusticiam in vitam eternam: per ihesum cristum dominum nostrum.

6 Quid Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato: vt gratia abundet? [2] Si enim mortui sumus peccato: adhuc viuemus in illo? [3] An gnoratis fratres: quia quicunque baptisumus in cristo ihesu morte ipsius baptizati sumus? [4] Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo cristus surrexit a mortuis per gloriam patris: ita et nos in nouitate vite ambulemus. [5] Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul resurrectionis erimus. [6] Hoc scientes: quia vetus homo noster simul crucifixus vt destruatur corpus peccati: vt vltra non seruiamus peccato. [7] Qui nim mortuus est: iustificatus est a peccato. [8] Si autem mortui sumus cum cristo credimus quia simul etiam viuemus cum cristo: ea [9] scientes quod cristus resurgens a mortuis iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. [10] Quod enim mortuus est peccato· mortuus est semel: quod autem viuit viuit deo. [11] Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato: viuentes autem deo in cristo ihesu. [12] Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore: vt obediatis concupiscentijs eius. [13] Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos deo tanquam ex mortuis viuentes: et membra vestra arma iusticie deo. [14] Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis: sed sub gratia. [15] Quid ergo? Peccabimus: quoniam non sumus sub lege sed sub gratia? Absit. [16] An nescitis nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum: serui estis eius cui obedistis· siue peccati ad mortem siue obedicionis ad iusticiam: [17] Gratias autem deo quod fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde· in eam formam doctrine in quam traditi estis. [18] Liberati autem a peccato: serui facti estis iusticie. [19] Humanum dico: propter infirmitatem carnis vestre. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immundicie et iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iusticie in sanctificationem. [20] Cum enim serui essetis peccati: liberi fuistis iusticie. [21] Quem ergo fructum habuistis tunc in illis: in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. [22] Nunc vero liberati a peccato· serui autem facti deo: habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem vero vitam eternam. [23] Stipendia enim peccati mors: gratia autem dei vita eterna· in cristo ihesu domino nostro.

7 An An ignoratis fratres scientibus enim legem loquor: quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? [2] Nam que sub viro est mulier: viuente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius: soluta est a lege viri. [3] Igitur viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius· liberata est a lege viri: vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. [4] Itaque fratres mei et vos mortificati estis legi per corpus cristi: vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit: vt fructificetis deo. [5] Cum enim essemus in carne· passiones peccatorum que per legem erant operabantur in membris nostris: vt fructificarent morti. [6] Nunc autem soluti sumus a lege mortis· in qua detinebamur: ita vt seruiamus in nouitate spiritus et non in vetustate littere. [7] Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui: nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam: nisi lex diceret. Non concupisces. [8] Occasione autem accepta· peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. [9] Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum: peccatum reuixit. [10] Ego autem mortuus sum: et inuentum est michi mandatum quod erat ad vitam: hoc est ad mortem. [11] Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me: et per illud occidit. [12] Itaque lex quidem sancta: et mandatum sanctum et iustum et bonum. [13] Quod ergo bonum est michi factum est mors? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum per bonum operatum est michi mortem: vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. [14] Scimus enim: quia lex spiritualis est. Ego autem carnalis sum: venundatus sub peccato. [15] Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago: sed quod odio malum illud facio. [16] Si autem quod nolo illud facio: consentio legi quoniam bona est. [17] Nunc autem iam non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum. [18] Scio enim: quia non habitat in me hoc est in carne mea bonum. Nam velle adiacet michi: perficere autem bonum non inuenio. [19] Non enim quod volo bonum hoc facio: sed quod nolo malum hoc ago. [20] Si autem quod nolo facio illud: iam non ego operor illud: sed quod habitat in me peccatum. [21] Inuenio igitur legem volenti michi facere bonum: quoniam michi malum adiacet. [22] Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem. [23] Video autem aliam legem in membris meis· repugnantem legi mentis mee: et captiuantem me in lege peccati que est in membris meis. [24] Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? [25] Gratia dei: per ihesum cristum dominum nostrum. Agitur ego ipse egoipse mente seruio legi dei: carne autem legi peccati.

8 Nichil ergo nunc damnationis est hijs qui sunt in cristo ihesu: qui non secundum carnem ambulant. [2] Lex enim spiritus vite in cristo ihesu: liberauit me a lege peccati et mortis. [3] Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem: deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati: et de peccato damnauit peccatum in carne· [4] vt iustificatio legis impleretur in nobis: qui non secundum carnem ambulamus· sed secundum spiritum. [5] Qui enim secundum carnem sunt· que carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt· que sunt spiritus sentiunt. [6] Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita et pax. [7] Quoniam sapientia carnis inimica est deo. Legi enim dei non est subiecta: nec enim potest. [8] Qui autem in carne sunt: deo placere non possunt. [9] Vos autem in carne non estis sed in spiritu: si tamen spiritus dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum cristi non habet: hic non est eius. [10] Si autem cristus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus vero viuit propter iustificationem. [11] Quod si spiritus eius qui suscitauit ihesum a mortuis habitat in vobis: qui suscitauit ihesum cristum a mortuis viuificabit et mortalia corpora vestra: propter inhabitantem spiritum eius in vobis. [12] Ergo fratres debitores sumus: non carni vt secundum carnem viuamus. [13] Si enim secundum carnem vixeritis· moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis· viuetis. [14] Quicumque enim spiritu dei aguntur: hij sunt filij dei. [15] Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum dei: in quo clamamus abba pater. [16] Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro: quod sumus filij dei. [17] Si autem filij· et

heredes: heredes quidem dei· coheredes autem cristi: si tamen compatimur vt et conglorificemur. [18] Existimo enim: quod non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam· que reuelabitur in nobis. [19] Nam exspectatio creature reuelationem filiorum dei exspectat. [20] Vanitati enim creatura subiecta est non volens: sed propter eum qui subiecit eam in spe: [21] quia et ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem glorie filiorum dei. [22] Scimus enim: quod omnis creatura ingemiscit et parturit vsque adhuc· [23] non solum autem illa: sed et nosipsi primitias spiritus habentes· et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum dei: exspectantes redemptionem corporis nostri. [24] Spe enim salui facti sumus. Spes autem que videtur non est spes. Nam quod videt quis quid sperat? [25] Si autem quod non videmus speramus: per patientiam exspectamus. [26] Similiter autem et spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. [27] Qui autem scrutatur corda· scit quid desideret spiritus: quia secundum deum postulat pro sanctis. [28] Scimus autem quoniam diligentibus deum· omnia cooperantur in bonum: hijs qui secundum propositum vocati sunt sancti. [29] Nam quos presciuit et predestinauit conformes fieri ymaginis filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. [30] Quos autem predestinauit hos et vocauit: et quos vocauit hos et iustificauit. Quos autem iustificauit: illos et glorificauit. [31] Quid ergo dicemus ad hec: Si deus pro nobis: quis contra nos? [32] Qui etiam proprio filio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? [33] Quis accusabit aduersus electos dei? Deus qui iustificat. [34] Quis est qui condemnet? Cristus ihesus condemnet? qui mortuus est ymmo qui et resurrexit: qui est ad dexteram dei: qui etiam interpellat pro nobis. [35] Quis ergo nos separabit a caritate cristi? Tribulatio an angustia an fames an nuditas an periculum: an persecutio an gladius? [36] Sicut scriptum est. Quia propter te mortificamur tota die: estimati sumus sicut oues occisionis. [37] Sed in hijs omnibus superamus: propter eum qui dilexit nos. [38] Certus sum enim: quia neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque virtutes neque instantia neque futura neque fortitudo [39] neque altitudo neque profundum neque creatura alia poterit nos separare a caritate dei: que est in cristo ihesu domino nostro.

9 Veritatem Veritatem dico in cristo ihesu· non mentior· testimonium michi perhibente conscientia mea in spiritu sancto: [2] quoniam tristicia michi est magna: et continuus dolor cordi meo. [3] Optabam enim ego ipse anathema esse a cristo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem [4] qui sunt israhelite: quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa: [5] quorum patres ex quibus cristus secundum carnem· qui est super omnia deus benedictus in secula amen. [6] Non autem quod exciderit verbum dei. Non enim omnes qui israhel hij sunt israhelite· [7] neque qui semen sunt abrahe omnes filij. Sed in ysaac vocabitur tibi semen: [8] id est non qui filij carnis hij filij dei: sed qui filij sunt promissionis· estimantur in semine. [9] Promissionis enim verbum hoc est. Secundum hoc tempus veniam: et erit sare filius. [10] Non solum autem illa: sed et rebecca ex vno concubitu habens ysaac patris nostri. [11] Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali: vt secundum elcctionem propositum dei maneret· [12] non ex operibus sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori [13] sicut scriptum est. Iacob dilexi: esau autem odio habui. [14] Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud deum? Absit. [15] Moysi enim dicit. Miserebor cui misertus sum: et misericordiam prestabo cui miserebor. [16] Igitur non volentis neque currentis sed miserentis est dei. [17] Dicit enim scriptura pharaoni. Quia in hoc ipsum excitaui te vt ostendam in te virtutem meam: et vt annuncietur nomen tuum in vniuersa terra. [18] Ergo cui vult miseretur: et quem vult indurat. [19] Dicis itaque michi. Quid adhuc queritur? Voluntati eius quis resistit? [20] O homo: tu quis es· qui respondeas deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? [21] An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem: aliud vero in contumeliam? [22] Quod si deus volens ostendere iram· et notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa ire apta in interitum: [23] vt ostenderet diuitias glorie sue in vasa misericordie que preparauit in gloriam? [24] Quos et vocauit nos: non solum ex iudeis sed etiam ex gentibus: [25] sicut in osee dicit. Vocabo non plebem meam· plebem meam: et non dilectam dilectam· et non misericordiam consecutam misericordiam consecutam. [26] Et erit: in loco vbi dictum est eis non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij dei viui. [27] Ysaias autem clamat pro israhel. Si fuerit numerus filiorum israhel tanquam arena maris: reliquie salue fient. [28] Verbum enim consumans et abbreuians in equitate: quia verbum breuiatum faciet dominus super terram. [29] Et sicut predixit ysaias nisi dominus sabaoth reliquisset nobis semen sicut zodoma et facti essemus: et sicut gomorra similes fuissemus. [30] Quid ergo dicemus? Quod gentes que non sectabantur iusticiam apprehenderunt iusticiam: iusticiam autem que ex fide est. [31] Israhel vero sectando legem iusticie: in legem iusticie non peruenit. [32] Quare: quia non ex fide: sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis: [33] sicut scriptum est. Ecce pono in syon lapidem offensionis et petram scandali: et omnis qui credit in eum non confundetur.

10 Fratres: voluntas quidem cordis mei et obsecratio ad deum fit pro illis in salutem. [2] Testimonium enim perhibeo illis quod emulationem quidem dei habent: sed non secundum scientiam. [3] Ignorantes enim iusticiam dei· et suam querentes statuere: iusticie dei non sunt subiecti. [4] Finis enim legis cristus: ad iusticiam omni credenti. [5] Moyses enim scripsit: quoniam iusticiam que ex lege est qui fecerit homo: viuet in ea. [6] Que autem ex fide est iusticia sic dicit. Ne dixeris in corde tuo· quis ascendet in celum· id est cristum deducere: [7] aut quis descendet in abyssum· hoc est cristum a mortuis reuocare. [8] Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo. Hoc est verbum fidei quod predicamus: [9] quia si confitearis in ore tuo dominum ihesum: et in corde tuo credideris· quod deus illum suscitauit a mortuis: saluus eris. [10] Corde enim creditur ad iusticiam: ore autem confessio fit ad salutem. [11] Dicit enim scriptura. Omnis qui credit in illum non confundetur. [12] Non enim est distinctio iudei et greci. Nam idem dominus omnium: diues in omnes qui inuocant illum. [13] Omnis enim quicunque inuocauerit nomen domini: saluus erit. [14] Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei: quem non audierunt? Quomodo autem audient: sine predicante? [15] Quomodo vero predicabunt: nisi mittantur? Sicut scriptum est. Quam speciosi pedes euangelizantium pacem: euangelizantium bona. [16] Sed non omnes obediunt euangelio. Ysaias enim dicit. Domine: quis credidit auditui nostro? [17] Ergo vides ex auditu: auditus autem per verbum cristi. [18] Sed dico. Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum: et in fines orbis terre verba eorum. [19] Sed dico. Nunquid israhel non cognonit? Primus moyses dicit. Ego ad emulationem vos adducam non in gentem in gentem insipientem: in iram vos mittam. [20] Ysaias autem audet et dicit. Inuentus sum a non querentibus me: palam apparui hijs qui me non interrogabant. [21] Ad israhel autem dicit. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem: sed contradicentem michi.

11 Dico ergo. Nunquid deus repulit populum suum? Absit. Nam et ego israhelita sum ex semine abraham de tribu beniamin. [2] Non repulit deus plebem suam quam presciuit. An nescitis in helya quid dicit scriptura: quemadmodum interpellat deum aduersum israhel? [3] Domine prophetas tuos occiderunt: altaria tua suffoderunt· et ego relictus sum solus: et querunt animam meam. [4] Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui michi septem milia virorum: qui non curuauerunt genua ante baal. [5] Sic ergo et in hoc tempore: reliquie secundum electionem gratie salue facte sunt. [6] Si autem gratia: iam non ex operibus. Alioquin gratia iam non est gratia. [7] Quid ergo? Quod querebat hel hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: ceteri vero excecati sunt [8] sicut scriptum est. Dedit illis deus spiritum compunctonis: oculos vt non videant et aures vt non audiant: vsque in hodiernum diem. [9] Et dauid dicit. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum: et in captionem et in scandalum et in retributionem illis. [10] Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum semper incurua. [11] Dico ergo. Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit. Sed illorum delicto· salus gentibus: vt illos emulentur.

12 Quod si delictum eorum diuitie sunt mundi· et diminutio eorum diuitie gentium: quantomagis plenitudo eorum? 13 Vobis enim dico gentibus. Quamdiu quidem ego sum gentium apostolus ministerium meum honorificabo: 14 si quo modo ad emulandum prouocem carnem meam: et saluos faciam aliquos ex illis. 15 Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi: que assumptio nisi vita ex mortuis? 16 Quod si delibatio sancta est: et massa. Et si radix sancta: et rami. 17 Quod si aliqui ex ramis fracti sunt: tu autem cum oleaster esses insertus es in illis: et socius radicis et pinguedinis oliue factus es: 18 noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris: non tu radicem portas: sed radix te. 19 Dicis ergo. Fracti sunt rami: vt ego inserar. 20 Bene. Propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas. Noli altum sapere sed time. 21 Si enim deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. 22 Vide ergo bonitatem et seueritatem dei. In eos quidem qui ceciderunt seueritatem: in te autem bonitatem dei: si permanseris in bonitate. Alioquin et tu excideris. 23 Sed et illi si non permanserint in incredulitate inserentur. Potens est enim deus iterum inserere illos. 24 Nam et si tu ex naturali excisus es oleastro et contra naturam insertus es in bonam oliuam: quantomagis hij qui secundum naturam inserentur sue oliue? 25 Nolo enim vos ignorare fratres misterium hoc: vt non sitis vobisipsis sapientes: quia cecitas ex parte contingit in israhel donec plenitudo gentium intraret: 26 et sic omnis israhel saluus fieret sicut scriptum est. Veniet ex syon: qui eripiat et auertat impietatem ab iacob. 27 Et hoc illis a me testamentum: cum abstulero peccata eorum. 28 Secundum euangelium quidem inimici propter vos: secundum electionem autem carissimi propter patres. 29 Sine penitentia enim sunt dona et vocatio dei. 30 Sicut enim aliquando et vos non credidistis deo nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum: 31 ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam: vt et ipsi misericordiam consequantur. 32 clusit enim deus omnia in incredulitate: vt omnium misereatur. 33 O altitudo diuitiarum sapientie et scientie dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius: et inuestigabiles vie eius. 34 Quis enim cognouit sensum domini: aut quis consiliarius eius fuit? 35 Aut quis prior dedit illi: et retribuetur ei? 36 Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum amen.

12 Obsecro itaque vos fratres per misericordiam dei: vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem· sanctam· deo placentem: rationabile obsequium vestrum. 2 Et nolite conformari huic seculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis que sit voluntas dei bona· et bene placens· et perfecta. 3 Dico enim per gratiam que data est michi· omnibus qui sunt inter vos: non plus sapere quam oportet sapere· sed sapere ad sobrietatem: et vnicuique sicut deus diuisit mensuram fidei. 4 Sicut enim in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: 5 ita multi vnum corpus sumus in cristo: singuli autem alter alterius membra: 6 habentes donationes secundum gratiam que data est nobis differentes. Siue prophetiam: secundum rationem fidei. 7 Siue ministerium: in ministrando. Siue qui docet: in doctrina. 8 Qui exhortatur in exhortando. Qui tribuit: in simplicitate. Qui potest: in sollicitudine. Qui miseretur: in hilaritate. 9 Dilectio: sine simulatione. Odientes malum: adherentes bono. 10 Caritatem fraternitates inuicem diligentes: honore inuicem preuenientes. 11 Sollicitudine non pigri: spiritu feruentes: domino seruientes. 12 Spe gaudentes: in tribulatione patientes: orationem instantes. 13 Necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes. 14 Benedicite persequentibus vos. Benedicite: et nolite maledicere. 15 Gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus. 16 Idipsum inuicem sentientes. Non alta sapientes: sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. 17 Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona non tantum coram deo: sed etiam coram omnibus hominibus. 18 Si fieri potest quod ex vobis est: cum omnibus hominibus pacem habentes. 19 Non vosmetipsos defendentes carissimi: sed date locum ire. Scriptum est enim. Michi vindictam: et ego retribuam dicit dominus. 20 Sed si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit: potum da illi. Hoc enim faciens: carbones ignis congeres super caput eius. 21 Noli vinci a malo: sed vince in bono malum.

13 Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a deo. Que autem sunt a deo: ordinata sunt. 2 Itaque qui resistit potestati: dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt: ipsi sibi damnationem acquirunt. 3 Nam principes non sunt timori boni operis sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: et habebis laudem ex illa. 4 Dei enim minister est: tibi in bonum. Si autem malum feceris· time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei qui malum agit. 5 Ideoque necessitate subditi estote: non solum propter iram: sed etiam propter conscientiam. 6 Ideo enim et tributa prestatis. Ministri enim dei sunt: in hoc ipsum seruientes. 7 Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum tributum: cui vectigal vectigal: cui timorem timorem· cui honorem honorem. 8 Nemini quicque debeatis: nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum: legem adimpleuit. 9 Nam non adulterabis· non occides· non furaberis· non falsum testimonium dices· non concupisces: et si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut teipsum. 10 Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. 11 Et hoc scientes tempus: quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus: quam cum credidimus. 12 Nox precessit: dies autem appropinquauit. Abiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis: 13 sic vt in die honeste ambulemus. Non in comessacionibus et ebrietatibus· non in cubilibus et impudicicijs· non in contentione et emulatione: 14 sed induimini dominum ihesum cristum: et carnis curam ne feceritis in desiderijs.

14 Infirmum autem in fide assumite: non in disceptationibus ptacionibus cogitacionum. 2 Alius enim credit manducare se omnia. Qui autem infirmus est: olus manducet. 3 Is qui manducat· non manducantem non spernat: et qui non manducat: manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit. 4 Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem. Potens est enim deus statuere illum. 5 Nam alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisque in suo sensu abundet. 6 Qui sapit diem· domino sapit: et qui manducat· domino manducat. Gratias enim agit deo. Et qui non manducat· domino non manducat: et gratias agit deo. 7 Nemo enim nostrum sibi viuit: et ne nnunaus mo sibi moritur. 8 Siue enim viuimus· domino viuimus: siue morimur· domino morimur. Siue ergo viuimus siue morimur: domini sumus. 9 In hoc enim cristus mortuus est et resurrexit: vt et viuorum et mortuorum dominetur. 10 Tu autem quid iudicas fratrem tuum: aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal dei. 11 Scriptum est enim. Viuo ego dicit dominus: quoniam michi flectetur omne genu: et omnis lingua confitebitur deo. 12 Ita que vnusquisque nostrum pro se rationem reddet deo. 13 Non ergo amplius inuicem iudicemus. Sed hoc iudicate magis: ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. 14 Scio et confido in domino ihesu: quia nichil Non commune per ipsum· nisi ei qui existimat quod commune esse: illi commune est. 15 Si enim propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere: pro quo cristus mortuus est. 16 Non ergo blasphemetur bonum blasphemetur potus: nostrum. 17 Non est enim regnum dei esca et potus: sed iusticia et pax et gaudium in spiritu sancto. 18 Qui enim in hoc seruit cristo placet deo: et probatus est hominibus. 19 Itaque que pacis sunt sectemur: et que edificationis sunt in inuicem custodiamus. 20 Noli propter escam destruere opus dei. Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini qui per offendiculum manducat. 21 Bonum est non manducare carnem et non bibere vinum: neque in quo frater tuus offendit aut scandalizatur aut infirmatur. 22 Tu habe quidem habes penes temetipsum: habe coram deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. 23 Qui autem discernit: si mandu Qui simanducauerit damnatus est: quia non ex fide. Omne autem autem quod non est ex fide peccatum est.

15 Debemus autem nos firmiores inbecillitates infirmorum sustinere: et non nobis placere. 2 Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in

bonum: ad edificationem. [3] Etenim cristus non sibi placuit: sed sicut scriptum est: improperia improperancium tibi ceciderunt super me. [4] Quecunque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. [5] Deus autem patientie et solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum ihesum cristum: [6] vt vnanimes vno ore honorificetis deum et patrem domini nostri ihesu cristi. [7] Propter quod suscipite inuicem sicut et cristus suscepit vos in ho chi norem dei. [8] Dico enim cristum ihesum mia deo nistrum fuisse circumcisionis propter veritatem dei ad confirmandas promissiones patrum: [9] gentes autem super misericordia honorare deum: sicut scriptum est. Propterea confitebor tibi in gentibus domine: et nomini tuo cantabo. [10] Et iterum dicit. Letamini gentes cum plebe eius. [11] Et iterum. Laudate omnes gentes dominum: et magnificate eum omnes populi. [12] Et rursus ysaias ait. Erit radix iesse: et qui exsurget regere gentes· in eum gentes sperabunt. [13] Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo: vt abundetis in spe et virtute spiritus sancti. [14] Certus sum autem fratres mei et egoipse de vobis: quomam et ipsi pleni estis dilectione· repleti omni scientia: ita vt possitis alterutrum monere. [15] Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte· tanquam in memoriam vos reducens: propter gratiam que data est michi a deo [16] vt sim minister cristi ihesu in gentibus sanctificans euangelium dei: vt fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in spiritu sancto. [17] Habeo igitur gloriam in cristo ihesu ad deum. [18] Non enim audeo aliquid loqui eorum que per me non efficit cristus in obedientiam gentium: verbo et factis [19] in virtute signorum et prodigiorum in virtute spiritus sancti: ita vt ab iherusalem per circuitum vsque ad illiricum repleuerim euangelium cristi. [20] Sic autem predicaui euangelium hoc· non vbi nominatus est cristus ne super alienum fundamentum edificarem: [21] sed sicut scriptum est quibus non est annunciatum de eo videbunt: et qui non audierunt de eo intelligent· [22] propter quod et impediebar plurimum venire ad vos. [23] Nunc vero vlterius locum non habens in hijs regionibus: cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam precedentibus annis: [24] cum in hyspaniam proficisci cepero· spero quod preteriens iudeam vos· et a vobis deducar illuc· si vobis primum ex parte fruitus fuero. [25] Nunc igitur proficiscar in iherusalem ministrare sanctis. [26] Probauerunt enim macedonia et achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in iherusalem. [27] Placuit enim eis: et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles: debent et in carnalibus ministrare eis. [28] Hoc igitur cum consummauero et assignauero eis fructum hunc: per vos proficiscar in hyspaniam. [29] Scio autem: quoniam veniens ad vos in abundantia benedictonis dictionis cristi veniam. [30] Obsecro ergo vos fratres per dominum nostrum ihesum cristum et per caritatem sancti spiritus vt adiuuetis me in oracionibus tionibus ad deum· [31] vt liberer ab infidelibus qui sunt in iudea: et obsequij mei oblatio accepta fiat in iherusalem sanctis: [32] vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem dei vt refrigerer vobiscum. [33] Deus autem pacis sit cum omnibus vobis amen.

16 Commendo autem vobis pheben sororem nostram que est in ministerio ecclesie que est cenchris [2] vt eam suscipiatis in domino digne sanctis: et assistatis ei in quicumque negocio vestri indiguerit. Etenim ipsa quoque asstitit multis: michi ipsi. [3] Salutate priscam et aquilam adiutores meos in cristo ihesu: [4] qui pro anima mea suas ceruices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago sed et cuncte ecclesie gentium: [5] et domesticam ecclesiam eorum. Salutate ephenetum dilectum michi: qui est primitiuus asye in cristo ihesu. [6] Salutate mariam que multum laborauit in vobis. [7] Salutate andronicum et iuliam cognatos et concaptiuos meos qui sunt nobiles in apostolis: qui et ante me fuerunt in cristo. [8] Salutate ampliatum dilectissimum michi in domino. [9] Salutate vrbanum adiutorem nostrum in cristo ihesu: et stachin dilectum meum. [10] Salutate appellen probum in cristo. [11] Salutate eos qui sunt ex aristoboli domo. Salutate herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex narcisci domo: qui sunt in domino. [12] Salutate triphenam et triphosam: que laborant in domino. Salutate persidam carissimam: que multum laborauit in domino. [13] Salutate rufum electum in domino: et matrem eius et meam. [14] Salutate asincretum flegontam hermen patrobam herman: et qui cum eis sunt fratres. [15] Salutate philologum et iuliam nereum et sororem eius et olimpiadem: et omnes qui cum eis sunt sanctos. [16] Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes ecclesie cristi. [17] Rogo autem vos fratres vt obseruetis eos qui dissensiones et offendicula preter doctrinam quam vos didicistis faciunt: et declinate ab illis. [18] Huiusmodi enim cristo domino nostro non seruiunt sed suo ventri: et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. [19] Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in vobis: sed volo vos sapientes esse in bono: et simplices in malo. [20] Deus autem pacis conterat sathanan sub pedibus vestris velociter. Gratia domini nostri ihesu cristi vobiscum. [21] Salutat vos thimotheus adiutor meus: et lucius et iason et sosipater cognati mei. [22] Saluto vos ergo tercius: qui scripsi epistolam in domino. [23] Salutat vos gaius hospes meus: et vniuerse ecclesie. Salutat vos erastus archarius ciuitatis: et quartus frater. [24] Gratia domini nostri ihesu cristi cum omnibus vobis amen. [25] Ei autem qui potens est nos confirmare iuxta euangelium meum et predicationem ihesu cristi: secundum reuelationem misterij temporibus eternis taciti [26] quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum secundum preceptum eterni dei ad obeditionem fidei in cunctis gentibus cogniti [27] soli sapienti deo per ihesum cristum: cui honor et gloria in secula seculorum amen.

Ad Corinthios I

Incipit epistola ad corinthios prima.

1 Corinthij sunt achaici: et Orinthij sunt achaici: et hij similiter ab apostolo audi audimtmum erunt erunt verbum veritatis: et subsunt multipharie a falsis apostolis. Quidam a philosophie eloquentia: alij secta legis iudaice inducti sunt. Hos reuocat apostolus ad veram fidem et euangelicam sapientiam: scribens eis ab epheso per thimotheum. Tuoluntatem dei et sosteD nes nes frater [2] ecclesie dei que est corinthi: sanctificatis ctificans ctificans in cristo ihesu vocatis sanctis: cum omnibus qui inuocant nomen domini nostri ihesu cristi in omni loco ipsorum et nostro. [3] Gratia vobis et pax a deo patre nostro: et domino ihesu cristo. [4] Gratias ago deo meo semper pro vobis in gratia dei que data est vobis in cristo ihesu: [5] in omnibus diuites facti estis in illo in omni verbo et in omni scientia: [6] sicut testimonium cristi confirmatum est in vobis [7] vt nichil vobis desit in nulla gratia: ex spectantibus reuelationem domini nostri ihesu cristi: [8] qui et confirmabit vos vsque in finem sine crimine: in die aduentus domini nostri ihesu cristi. [9] Fidelis deus: per quem vocati estis in societatem filij eius ihesu cristi domini nostri. [10] Obsecro autem vos fratres per nomen domini nostri ihesu cristi· vt idipsum dicatis omnes: et non sint in vobis scismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu: et in eadem scientia. [11] Significatum est enim michi de vobis fratres mei ab hijs qui sunt cloes: quia contenturones tiones tiones sunt inter vos. [12] Hoc autem dico: quod vnusquisque vestrum dicit. Ego quidem sum pauli: ego autem appollo· ego vero cephe: ego autem cristi. [13] Diuisus est cristus? Numquid paulus crucifixus est pro vobis: aut in nomine pauli baptizati estis? [14] Gratias ago deo meo quod neminem vestrum baptizaui· nisi crispum et gaium: [15] ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. [16] Baptizaui autem

et stephane domum: ceterum nescio si quem alium vestrum baptizauerim. 17 Non enim misit me cristus baptizare sed euangelizare: non in sapientia verbi: vt non euacuetur crux cristi. 18 Verbum enim crucis pereuntibus quidem stulticia est: hijs autem qui salui fiunt id est nobis virtus dei est. 19 Scriptum est enim. Perdam sapientiam sapientium: et prudentiam prudentium reprobabo. 20 Vbi sapiens vbi scriba: vbi inquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit deus sapientiam huius mundi? 21 Nam quia in dei sapientia non cognouit mun dus per sapientiam deum: placuit deo per stulticiam predicationis saluos facere credentes. 22 Quoniam et iudei signa petunt: et greci sapientiam querunt. 23 Nos autem predicamus cristum crucifixum: iudeis quidem scandalum· et dei sapientiam. 24 Quia quod stultum est dei· sa gentibus autem stulticiam: ipsis autem vocatis iudeis atque grecis· cristum dei virtutem et dei sapientiam. 25 Quia quod stultum est dei· sapientius est hominibus: et quod infirmum est dei: fortius est hominibus. 26 Videte enim vocationem vestram fratres: quia non multi sapientes secundum carnem non multi potentes non multi nobiles: 27 sed que stulta sunt mundi elegit deus vt confundat sapientes: et infirma mundi elegit deus vt confundat fortia: 28 et ignobilia mundi et contemptibilia elegit deus et ea que non sunt· vt ea que sunt destrueret: 29 vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. 30 Ex ipso autem vos estis in cristo ihesu: qui factus est nobis sapientia et iusticia et sanctificaturo ficatio et redemptio: 31 vt quemadmodum scriptum est: qui gloriatur in domino glorietur.

2 ego Et cum venissem ad vos fratres: veni non in sublimitate sermonis aut sapientie· annuncians vobis testimonium cristi. 2 Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos nisi ihesum cristum: et hunc crucifixum. 3 Et ego in infirmitate et timore et tremore multo fui apud vos: 4 et sermo meus et predicatio mea non in persuasibilibus humane sapientie verbis: sed in ostensione spiritus et virtutis: 5 vt fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute dei. 6 Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non huius seculi neque princi huius seculi qui destruuntur: 7 sed loquimur dei sapientiam in misterio que abscondita est: quam predestinauit deus ante secula in gloriam nostram 8 quam nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent: numquam dominum glorie crucifixissent. 9 Sicut scriptum est: quod oculus non vidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit: que preparauit deus hijs qui diligunt illum. 10 Nobis autem reuelauit deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur: etiam profunda dei. 11 Quis enim scit hominum que sunt hominis: nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et dei sunt nemo cognouit nisi spiritus dei. 12 Nos autem non spiritum huius mundi accepimus sed spiritum qui ex deo est: vt sciamus que a deo donata sunt nobis: 13 que et loquimur non in doctis humane sapientie verbis· sed in doctrina spiritus: spiritualibus spiritualia comparantes. 14 Animalis autem homo non percipit ea que sunt spiritus dei. Stulticia enim est illi: et non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. 15 Spiritualis autem iudicat omnia: et ipse a nemine iudicatur: sicut scriptum est. 16 Quis enim cognouit sensum domini: aut quis instruxit eum? Nos autem sensum cristi habemus.

3 Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus: sed quasi carnalibus. Tamquam paruulus in cristo 2 lac vobis potum dedi non escam. Nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis. Adhuc enim carnales estis. 3 Cum enim fuerit inter vos zelus et contentio: nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis? 4 Cum enim quis dicat ego quidem sum pauli· alius autem ego appollo: nonne homines estis? Quid igitur est pollo? Quid vero paulus? 5 Ministri eius cui credidistis. Et vnicuique sicut dominus dedit. 6 Ego plantaui appollo rigauit: sed deus incrementum dedit. 7 Itaque neque qui plantat est aliquid neque qui rigat: sed qui incrementum dat deus. 8 Qui plantat autem et qui rigat vnum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 9 Dei enim sumus adiutores. Dei agricultura estis: dei edificatio ficario estis. 10 Secundum gratiam dei que data est michi vt sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superedificat. Vnusquisque autem videat quomodo superedificet. 11 Fundamentum enim aliud nemo potest ponere preter id quod positum est: quod est cristus ihesus. 12 Si quis autem superedificat supra fundamentum hoc aurum argentum lapides preciosos ligna fenum stipulam: 13 vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit: quia in igne reuelabitur: et vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. 14 Si cuius opus manserit quod superedificauit: mercedem accipiet. 15 Si cuius opus arserit detrimentum patietur: ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem. 16 Nescitis quia templum dei estis: et spiritus dei habitat in vobis? 17 Si quis autem templum dei violauerit: disperdet illum deus. Templum enim dei sanctum est: quod estis vos. 18 Nemo se seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo: stultus fiat vt sit sapiens. 19 Sapientia enim huius mundi stulticia est apud deum. Scriptum est enim. Comprehendam sapientes in astutia eorum. 20 Et iterum. Deus nouit cogitationes sapientium: quoniam vane sunt. 21 Nemo itaque glorietur in hominibus. 22 Omnia enim vestra sunt: siue paulus siue appollo siue cephas siue mundus siue vita siue mors siue presentia siue futura. Omnia enim vestra sunt: 23 vos autem cristi: cristus autem dei.

4 nos Sic existimet homo vt ministros cristi: et dispensatores misteriorum dei. 2 Hic iam queritur inter dispensatores: vt fidelis quis inueniatur. 3 Michi autem pro minimo est vt a vobis iudicer: aut ab aut ab humano die. Sed neque meipsum iudico. 4 Nichil enim michi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me· dominus est. 5 Itaque nolite ante tempus iudicare: quoadusque veniat dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit vnicuique a deo. 6 Hec autem fratres transfigurani in me et appollo propter vos: vt in vobis discatis ne supra quam scriptum est vnus aduersus alterum infletur pro alio. 7 Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti: quid gloriaris quasi non acceperis? 8 Iam saturati estis: iam diuites facti estis. Sine nobis regnatis. Et vtinam regnetis: vt et nos vobiscum regnemus. 9 Puto enim quod deus nos apostolos nouissimos ostendit tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus. 10 Nos stulti propter cristum: vos autem prudentes in cristo. Nos infirmi: vos autem fortes. Vos nobiles: nos autem ignobiles. 11 Vsque in hanc horam et esurimus et sitimus et nudi sumus: et colaphis cedimur et instabiles sumus: 12 et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur: et benedicimus. Persecuturonem cutionem patimur: et sustinemus. 13 Blasphemamur: et obsecramus. Tamquam purgamenta huius mundi: facti sumus omnium peripsima vsque adhuc. 14 Non vt confundam vos hec scribo: sed vt filios meos carissimos moneo. 15 Nam si decem milia pedagogorum habeatis in cristo: sed non multos patres. Nam in cristo ihesu per euangelium ego vos genui. 16 Rogo ergo vos: imitatores mei estote. 17 Ideo misi ad vos thimotheum qui est filius meus carissimus et fidelis in domino: qui vos commonefaciat vias meas que sunt in cristo ihesu: sicut vbique in omni ecclesia doceo. 18 Tanquam non venturus sim ad vos: sicut inflati sunt quidam. 19 Veniam autem ad vos cito si dominus voluerit: et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt: sed virtutem. 20 Non enim in sermone est regnum dei: sed in virtute. 21 Quid vultis? In virga veniam ad vos· an in caritate et spiritu mansuetudinis?

5 Omnino auditur inter vos fornicaytio: et talis fornicatio qualis nec inter gentes: ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. 2 Et vos inflati estis: et non magis luctum habuistis: vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. 3 Ego quidem absens corpore· presens autem spiritu: iam iudicaui vt presens eum qui sic operatus est 4 in nomine domini nostri ihesu cristi congregatis vobis et meo spiritu cum virtute domini ihesu 5 tradere huiusmodi hominem sathane in interitum carnis: vt spiritus saluus sit in die domini nostri ihesu cristi. 6 Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 7 Expurgate vetus fermentum: vt sitis noua conspersio sicut estis azimi. Etenim pascha nostrum immolatus est cristus. 8 Ita que epulemur: non in fermento veteri neque in fermento malicie et nequicie: sed in azimis sinceritatis et veritatis. 9 Scripsi vobis in epistola: ne commisceamini fornicarijs.

[10] Non vtique fornicarijs huius mundi aut auaris aut rapacibus aut ydolis seruientibus: a debueratis de hoc mundo exisse. [11] Nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui frater nominatur inter vos et est fornicator aut auarus aut ydolis seruiens aut maledicus aut ebriosus aut rapax: cum huiusmodi nec cibum sumere. [12] Quid enim michi de hijs qui foris sunt iudicare? Nonne de hijs qui intus sunt vos iudicatis? [13] Nam eos qui foris sunt deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.

6 aliquis vestrum habens negocium aduersus alterum iudicari apud iniquis: et non apud sanctos. [2] An nescitis· quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus: indigni estis qui de minimis iudicetis? [3] Nescitis quoniam angelos iudicabimus? Quantomagis secularia? [4] Secularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in ecclesia illos constituite ad iudicandum. [5] Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam: qui possit iu inter fratrem suum: [6] sed frater cum fratre iudicio contendit: et hoc apud infideles. [7] Iam quidem omnino delictum est in vobis: quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? [8] Sed vos iniuriam facitis et fraudatis: et hoc fratribus. [9] An nescitis quia iniqui regnum dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicari neque ydolis seruientes· neque adulteri· [10] neque molles: neque masculorum concubitores· neque fures· neque auari· neque ebriosi· neque maledici· neque rapaces regnum dei possidebunt. [11] Et hec quidem fuistis: sed abluti estis· sed sanctifica estis· sed iustificati estis: in nomine domini nostri ihesu cristi et in spiritu dei nostri. [12] Omnia michi licent: sed non omnia expediunt. Omnia michi licent: sed ego sub nullius redigar potestate. [13] Esca ventri et venter escis: deus autem et hunc et hanc destruet. Corpus autem non fornicationi sed domino: et dominus corpori. [14] Deus vero et dominum suscitauit: et nos suscitabit per virtutem suam. [15] Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt cristi? Tollens ergo membra cristi: faciam membra meretricis? Ab sit. [16] An nescitis: quoniam qui adheret meretrici vnum corpus efficitur? Erunt enim inquit duo in carne vna. [17] Qui autem adheret domino: vnus spiritus est. [18] Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est: qui autem fornicatur· in corpus suum peccat. [19] An nescitis quoniam membra vestra templum est spiritus sancti qui in vobis est quem habetis a deo: et non estis vestri? [20] Empti enim estis precio magno: glorificate et portate deum in corpore vestro.

7 De quibus autem scripsi michi: bonum est homini mulierem non tangere. [2] Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat: et vnaqueque suum virum habeat. [3] Vxori vir debitum reddat: similiter autem et vxor viro. [4] Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier. [5] Nolite fraudare inuicem nisi forte ex consensu ad tempus vt vacetis orationi: et iterum reuertimini in idipsum: ne temptet vos sathanas propter incontinentiam vestram. [6] Hoc autem dito secundum indulgentiam: non secundum imperium. [7] Volo autem omnes vos homines esse sicut meipsum. Sed vnusquisque proprium donum habet ex deo: alius quidem sic: alius vero sic. [8] Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permanserit sicut et ego. [9] Quod si non se continent· nubant. Melius est enim nubere quam vri. [10] Hijs autem qui matrimonio iuncti sunt precipio non ego sed dominus: vxorem a viro non discedere. [11] Quod si discesserit· manere inuptam: aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. [12] Nam ceteris ego dico non dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem· et hec consentit habitare cum illo: non dimittat illam. [13] Et si qua mulier habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa: non dimittat virum. [14] Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. [15] Quod si infidelis discedit· discedat. Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in eiusmodi. In pace autem vocauit vos deus. [16] Vnde enim scis mulier si virum saluum facies? Aut vnde scis vir si mulierem saluam facies? [17] Nisi vnicuique sicut diuisit dominus. Vnum quemque sicut vocauit deus ita ambulet: et sicut in omnibus ecclesijs doceo. [18] Circumcisus aliquis vocatus est: non adducat prepucium. In prepucio aliquis vocatus est: non circumcidatur. [19] Circumcisio nichil est· et prepucium nichil est: sed obseruatio mandatorum dei. [20] Vnusquisque in qua vocatione vocatus est: in ea permaneat. [21] Seruus vocatus es: non sit tibi cure. Sed et si potes fieri liber: magis vtere. [22] Qui enim in domino vocatus est seruus: libertus est domini. Similiter qui liber vocatus est: seruus est cristi. [23] Precio empti estis: nolite fieri serui hominum. [24] Vnusquisque ergo in quo vocatus est frater: in hoc permaneat apud deum. [25] De virginibus autem preceptum domini non habeo: consilium autem do tamquam misericordiam consecutus a deo: vt sim fidelis. [26] Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse. [27] Alligatus es vxori: noli querere solutionem. Solutus es ab vxore: noli querere vxorem. [28] Si autem acceperis vxorem non peccasti: et si nupserit virgo non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. [29] Hoc itaque dico fratres. Tempus breue est. Reliquum est: vt et qui habent vxores· tamquam non habentes sint: [30] et qui flent· tamquam non flentes: et qui gaudent· tamquam non gaudentes: et qui emunt· tanquam non possidentes: [31] et qui vtuntur hoc mundo· tamquam non vtantur. Preterit enim figura huius mundi. [32] Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est· sollicitus est que domini sunt: quomodo placeat deo. [33] Qui autem cum vxore est· sollicitus est que sunt mundi· quomodo placeat vxori: et diuisus est. [34] Et mulier inupta et virgo cogitat que domini sunt: vt sit sancta corpore et spiritu. Que autem nupta est cogitat que sunt mundi: quomodo placeat viro. [35] Porro hoc ad vtilitatem vestram dico· non vt laqueum vobis iniciam: sed ad id quod honestum est· et quod facultatem prebeat: sine impedimento dominum obsecrandi. [36] Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua quod sit superadulta et ita oportet fieri: quod vult faciat. Non peccat si nubat. [37] Nam qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem· potestatem autem habens sue voluntatis: et hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam: bene facit. [38] Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam bene facit: et qui non iungit· melius facit. [39] Mulier alligata est legi: quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius: liberata est. Cui autem vult nubat: tantum in domino. [40] Beatior autem erit: si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem: quod et ego spiritum dei habeam.

8 e hijs autem que ydolis immolantur scimus: quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat: caritas vero edificat. [2] Si quis autem se existimat scire aliquid: nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. [3] Si quis autem diligit deum: hic cognitus est ab eo. [4] De escis autem que ydolis immolantur: scimus quia nichil est ydolum in mundo: et quod nullus deus nisi vnus. [5] Nam et si sunt qui dicantur dij siue in celo siue in terra: siquidem sunt dij multi et domini multi: [6] nobis tamen vnus deus pater ex quo omnia et nos in illo· et vnus dominus ihesus cristus per quem omnia: et nos per ipsum. [7] Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum scientia vsque nunc ydoli· quasi ydolotitum manducant: et conscientia ipsorum cum sit infirma polluitur. [8] Esca autem nos non commendat deo. Neque enim si manducauerimus abundabimus: neque si non manducauerimus deficiemus. [9] Videte autem: ne forte hec licentia nostra offendiculum fiat infirmis. [10] Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in ydoleo recumbentem: nonne conscientia eius cum sit infirma edificabitur ad manducandum ydolotita? [11] Et peribit infirmus in tua conscientia frater: propter quem cristus mortuus est. [12] Sic autem peccantes in fratres et percutientes conscientiam eorum infirmam: in cristum peccatis. [13] Quapropter si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem ineternum: ne fratrem meum scandalizem.

9 sum liber? Non sum apostolus? Nonne cristum ihesum dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in domino? [2] Et si alijs non sum apostolus: sed tamen vobis sum. Nam signaculum apostolatus mei vos estis in domino. [3] Mea defensio apud eos qui me interrogant· hec est. [4] Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? [5] Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi: sicut et ceteri

apostoli et fratres domini et cephas? [6] Aut ego solus aut barnabas· non habemus potestatem hoc operandi: [7] Quis militat suis stipendijs vnquam Quis plantauit vineam: et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem: et de lacte gregis non manducat? [8] Numquid secundum hominem hec dico? An et lex non hec dicit? [9] Scriptum est enim in lege moysi. Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bubus cura est deo? [10] An propter nos vtique dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat arare: et qui triturat· in spe fructus percipiendi. [11] Si nos vobis spiritualia seminauimus: magnum est si nos carnalia vestra metamus· [12] Si alij potestatis carure participes sunt· quare non potius nos? Sed non vsi sumus hac potestate. Sed omnia sustinemus: nemus: ne quod offendiculum domus euangelio cristi. [13] Nescitis quoniam qui in sacrario operantur: que de sacrario sunt edunt· Et qui altario deseruiunt cum altario participant: [14] ita et dominus ordinauit hijs qui euangelium annunciant: de euangelio viuere. [15] Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hec: vt ita fiant in me. Bonum est enim michi magis mori: quam vt gloriam meam quis euacuet. [16] Nam etsi euangelizauero: non est michi gloria. Necessitas enim michi incumbit. Ve enim michi est: si non euangelizauero. [17] Si enim volens hec ago mercedem habeo: si autem inuitus· dispensato michi credita est. [18] Que est ergo merces mea? Vt euangelium predicans· sine sumptu ponam euangelium: vt non abutar potestate mea in euangelio. [19] Nam cum liber essem ex omnibus· omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem. [20] Et factus sum iudeis tamquam iudeus: vt iudeos lucrarer. [21] Hijs qui sub lege sunt· quasi sub lege essem· cum ipse non essem sub lege: vt eos qui sub lege erant lucrifacerem. Hijs qui sine lege erant tamquam sine lege essem: cum sine lege dei non essem· sed in lege essem cristi: vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. [22] Factus sum infirmis infirmus: vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum: vt omnes facerem saluos. [23] Omnia autem facio propter euangelium: vt particeps eius efficiar. [24] Nescitis quod hij qui in stadio currunt omnes quidem currunt: sed vnus accipit brauium? Sic currite: vt comprehendatis. [25] Omnis autem qui in agone contendit ab omnibus se abstinet: et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. [26] Ego igitur sic curro non quasi in incertum: sic pugno non quasi aerem verberans. [27] Sed castigo corpus meum· et in seruitutem redigo: ne forte cum alijs predicauerim· ipse reprobus efficiar.

10 Nolo enim vos ignorare fratres: quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt: [2] et omnes in moyse baptizati sunt in nube et in mari. [3] Et omnes eandem escam spiritalem manducauerunt: [4] et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat cristus. [5] Sed non in pluribus eorum beneplacitum est deo. Nam prostrati sunt in deserto. [6] Hec autem in figura facta sunt nostri: vt non simus concupiscentes malorum: sicut et illi concupierunt. [7] Neque ydolatre efficiamini sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare et bibere: et surrexerunt ludere. [8] Neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt: et ceciderunt vna die vigintitria milia. [9] Neque temptemus cristum sicut quidam eorum temptauerunt: et a serpentibus perierunt. [10] Neque murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt: et perierunt ab exterminatore. [11] Hec autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram: in quos fines seculorum deuenerunt. [12] Itaque qui se existimat stare: videat ne cadat. [13] Temptatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem deus est· qui non patietur vos temptari supra id quod potestis: sed faciet cum temptatione etiam prouentum: vt possitis sustinere. [14] Propter quod carissimi michi· fugite ab ydolorum cultura. [15] Vt prudentibus loquor: vosipsi iudicate quod dico. [16] Calix benedictonis cui benedicimus: nonne comunicatio sanguinis cristi est? Et panis quem frangimus: nonue participatio corporis domini est: [17] Quoniam vnus panis et vnum corpus multi sumus: omnes qui de vno pane participamus. [18] Videte israhel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias· participes sunt altaris? [19] Quid ergo? Dico quod ydolis immolatum sit aliquid: aut quod ydolum sit aliquid? [20] Sed que immolant gentes· demonijs immolant: et non deo. Nolo autem vos socios fieri demoniorum. [21] Quia non potestis calicem domini bibere· et calicem demoniorum: non potestis mense domini participes esse: et mense demoniorum. [22] An emulamur dominum? Numquid fortiillo sumus? Omnia michi licent: sed non omnia expediunt. [23] Omnia michi licent: sed non omnia edificant. [24] Nemo quod suum est querat: sed quod alterius. [25] Omne quod in macello venit manducate: nichil interrogantes propter conscientiam. [26] Domini est terra: et plenitudo eius. [27] Si quis vocat vos infidelium et vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate: nichil interrogantes propter conscientiam. [28] Si quis autem dixerit hoc immolatum est ydolis: nolite manducare propter illum qui indicauit: et propter conscientiam. [29] Conscientiam autem dico: non tuam· sed alterius. Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia? [30] Si ego cum gratia participo: quid blasphemor pro eo quod gratias ago? [31] Siue ergo manducatis siue bibitis· vel aliud quid facitis: omnia in gloriam dei facite. [32] Sine offensione estote iudeis et gentibus et ecclesie dei: [33] sicut et ego per omnia omnibus placeo· non querens quod michi vtile est: sed quod multis vt salui fiant.

11 Imitatores mei estote: sicut et ego cristi. [2] Laudo autem vos fratres quod per omnia mei memores estis: et sicut tradidi vobis precepta mea tenetis. [3] Volo autem vos scire: quod omnis viri caput cristus est: caput autem mulieris vir. Caput vero cristi deus. [4] Omnis vir orans aut prophetans velato capite: deturpat caput suum. [5] Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite: deturpat caput suum. Vnum enim est: ac si decaluetur. [6] Nam si non velatur mulier: tondeatur. Si vero turpe et mulieri tonderi aut decaluari: velet caput suum. [7] Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam ymago et gloria dei est: mulier autem gloria viri est. [8] Non enim vir ex muliere est: sed mulier ex viro. [9] Etenim non est creatus vir propter mulierem: sed mulier propter virum. [10] Ideo debet mulier velamen habere supra caput suum: et propter angelos. [11] Verumtamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in domino. [12] Nam sicut mulier de viro: ita et vir per mulierem. Omnia autem ex deo. [13] Vosipsi iudicate: decet mulierem non velatam orare deum? [14] Nec ipsa natura docet vos. Quod vir quidem si comam nutriat ignominia est illi: [15] mulier vero si comam nutriat gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. [16] Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus: neque ecclesia dei. [17] Hoc autem precipio: non laudans quod non in melius sed in deterius conuenitis. [18] Primum quidem conuenientibus vobis in ecclesiam audeo scissuras esse inter vos: et ex parte credo. [19] Nam oportet hereses esse: vt et qui probati sunt manifesti fiant in vobis. [20] Conuenientibus ergo vobis in vnum: iam non est dominicam cenam manducare. [21] Vnusquisque enim suam cenam presumit ad manducandum. Et alius quidem esurit: alius autem ebrius est. [22] Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesiam dei contemnitis: et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos: in hoc non laudo. [23] Ego enim accepi a domino quod et tradidi vobis: quoniam dominus ihesus in qua nocte tradebatur· accepit panem: [24] et gratias agens fregit et dixit. Accipite et manducate. Hoc est corpus meum: quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. [25] Similiter et calicem: postquam cenauit dicens. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotienscumque bibetis: in meam commemorationem. [26] Quotienscumque enim mandurabitis panem hunc et calicem bibetis: mortem domini annunciabitis donec veniat. [27] Itaque quicumque manducauerit panem et biberit calicem domini indigne: reus erit corporis et sanguinis domini. [28] Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat: et de calice bibat. [29] Qui enim manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit: non diiudicans corpus domini. [30] Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles: et dormiunt multi. [31] Quod si nosmetipsos diudicaremus: non vtique iudicaremur. [32] Dum iudicamur autem· a domino corripimur: vt non cum hoc mundo damnemur. [33] Itaque fratres mei cum conuenitis ad manducandum: inuicem exspectate. [34] Si quis esurit domi manducet vt non in iudicium conueniatis. Cetera autem cum venero disponam.

12 De spiritualibus autem. nolo vos ignorare fratres. [2] Scitis quoniam cum gentes essetis: ad simulacra muta prout ducebamini euntes. [3] Ideo notum vobis facio: quod nemo in spiritu dei loquens dicit anathema ihesu. Et nemo potest dicere dominus ihesus: nisi in spiritu sancto. [4] Diuisiones vero gratiarum sunt: idem autem spiritus. [5] Et diuisiones ministrationum sunt: idem autem dominus. [6] Et diuisiones operationum sunt: idem vero deus qui operatur omnia in omnibus. [7] Vnicuique autem datur manifestatio spiritus: ad vtilitatem. [8] Alij quidem per spiritum datur sermo sapientie: alij autem sermo scientie secundum eundem spiritum. [9] Alteri fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum in vno spiritu. [10] Alij operatio virtutum· alij prophetia· alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum. [11] Hec autem omnia operatur vnus atque idem spiritus: diuidens singulis prout vult. [12] Sicut enim corpus vnum est· et membra habet multa: omnia autem membra corporis cum sit multa vnum tamen corpus sunt: ita et cristus. [13] Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus· siue iudei siue gentiles siue serui siue liberi: et omnes vno spiritu potati sumus. [14] Nam et corpus non est vnum membrum sed multa. [15] Si dixerit pes· quoniam non sum manus· non sum de corpore: non ideo non est de corpore? [16] Et si dixerit auris· quoniam non sum oculus· non sum de corpore: non ideo non est de corpore? [17] Si totum corpus oculus: vbi auditus? Si totum auditus? Vbi oderatus? [18] Nunc autem posuit deus membra: vnumquodque eorum in corpore sicut voluit. [19] Quod si essent omnia vnum membrum: vbi corpus? [20] Nunc autem multa quidem membra: vnum autem corpus· [21] Non potest autem dicere oculus manui· opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: non estis michi necessarij. [22] Sed multomagis que videntur membra corporis infirmiora esse: necessariora sunt. [23] Et que putamus ignobiliora membra esse corporis: hijs honorem abundantiorem circumdamus. Et que inhonesta sunt nostra: abundantiorem honestatem habent. [24] Honesta autem nostra nullius egent. Sed deus temperauit corpus· ei cui deerat· abundantiorem tribuendo honorem: [25] vt non sit scisma in corpore: sed in idipsum pro inuicem sollicita sunt membra. [26] Et si quid patitur vnum membrum· compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum: congaudent omnia membra. [27] Vos autem estis corpus cristi: et membra de membro. [28] Et quosdam quidem posuit deus in ecclesia· primum apostolos· secundo prophetas· tercio doctores: deinde virtutes· exinde gratias curationum: opitulationes gubernationes· genera linguarum: interpretationes sermonum. [29] Numquid omnes apostoli? Numquid omnes prophete? Numquid omnes doctores? [30] Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur? [31] Emulamini autem carismata meliora. Et adhuc excellenti orem viam vobis demonstro.

13 Si linguis hominum loquar et angelorum: caritatem autem non habeam: factus sum velut es sonans aut cimbalum tinniens. [2] a Et si habuero prophetiam· et nouerim misteria omnia et omnem scientiam et habuero omnem fidem ita vt montes transferam· caritatem autem non habuero: nichil sum. [3] Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas· et si tradidero corpus meum ita vt ardeam: caritatem autem non habuero: nichil michi prodest. [4] Caritas patiens est: benigna est. Caritas non emulatur· non agit perperam: non inflatur· [5] non est ambiciosa: non querit que sua sunt. Non irritatur· non cogitat malum: [6] non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati. [7] Omnia suffert· omnia credit· omnia sperat: omnia sustinet. [8] Caritas numquam excidit. Siue prophetie euacuabuntur: siue lingue cessabunt: siue scientia destruetur. [9] Ex parte enim cognoscimus: et ex parte prophetamus. [10] Cum autem venerit quod perfectum est: euacuabitur quod ex parte est. [11] Cum essem paruulus loquebar vt paruulus: sapiebam vt paruulus: cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir: euacuaui que erant paruuli. [12] Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam: sicut et cognitus sum. [13] Nunc autem manent fides spes caritas tria hec. Maior autem horum est cariectamini caritatem:

14 Sectamini caritatem: tas. emulamini spiritualia: magis autem vt prophetis. [2] Qui enim loquitur lingua: non hominibus loquitur· sed deo. Nemo enim audit. Spiritus autem loquitur misteria. [3] Nam Nam qui prophetat: hominibus loquitur ad edificationem et exhortationem et consolationem. [4] Qui loquitur lingua semetipsum edificat: qui autem prophetat ecclesiam dei edificat. [5] Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam maior est qui prophetat quam qui loquitur linguis: nisi forte interpretetur: vt ecclesia edificationem accipiat. [6] Nunc autem fratres· si venero ad vos linguis loquens· quid vobis prodero: nisi vobis loquar aut in reuelatione· aut in scientia· aut in prophetia· aut in doctrina? [7] Tamen que sine anima sunt vocem dantia· siue tybia siue cythara: nisi distinctionem sonituum dederint quomodo scietur id quod canitur aut quod cytharizatur? [8] Etenim si incertam vocem det tuba· quis parabit se ad bellum: [9] Ita et vos perlinguam nisi manifestum sermonem dederitis: quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. [10] Tam multa vtputa genera linguarum sunt in hoc mundo: et nichil sine voce est. [11] Si ergo nesciero virtutem vocis ero ei cui loquor barbarus: et qui loquitur michi barbarus. [12] Sic et vos quoniam emulatores estis spirituum ad edificationem ecclie: querite vt abundetis. [13] Et ideo qui loquitur lingua: oret vt interpretetur. [14] Nam si orem lingua spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est. [15] Quid ergo est? Orabo spiritu: orabo et mente. Psallam spiritu: psallam et mente. [16] Ceterum si benedixeris spiritu: quis supplet locum ydiote? Quomodo dicet amen super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas nescit. [17] Nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non edificatur. [18] Gratias ago deo quod omnium vestrum lingua loquor. [19] Sed in ecclia volo quinque verba sensu meo loqui· vt et alios instruam: quam decem milia verborum in lingua. [20] Fratres: nolite pueri effici sensibus sed malicia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote. [21] In lege enim scriptum est. Quoniam in alijs linguis et labijs alijs loquar populo huic: et nec sic exaudient me dicit dominus. [22] Itaque lingue in signum sunt non fidelibus. sed infidelibus: prophetie autem non infidelibus· sed fidelibus. [23] Si ergo conueniat vniuersa ecclia in vnum et omnes linguis loquantur: intrent autem ydiote aut infideles· nonne dicent quod insanitis? [24] Si autem omnes prophetent: intret autem quis infidelis vel ydiota conuincitur ab omnibus: diiudicatur ab omnibus. [25] Occulta cordis eius manifestata sunt: et ita cadens in faciem adorabit deum: pronuncians quod vere deus in vobis sit. [26] Quid ergo est fratres? Cum conuenitis· vnusquisque vestrum psalmum habet· doctrinam habet· apocalipsim habet: linguam habet: interpretationem habet: omnia ad edificationem fiant. [27] Siue lingua quis loquitur· secundum duos· aut vt multum tres· et per partes: et vnus interpretetur. [28] Si autem non fuerit interpres taceat in ecclesia: sibi autem loquatur et deo. [29] Prophete autem duo aut tres dicant: et ceteri diiudicent. [30] Quod si alij reuelatum fuerit sedenti: prior taceat. [31] Potestis enim omnes per singulos prophetare: vt omnes discant: et omnes exhortentur. [32] Et spiritus prophetarum prophetis subiectus est. [33] Non enim dissensionis est deus sed pacis: sicut et in omnibus ecclijs sanctorum doceo. [34] Mulieres in ecclesijs taceant Non enim permittitur eis loqui sed subditas esse: sicut et lex dicit. [35] Si quid autem volunt discere: domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclia. [36] An a vobis pe est An a vo verbum dei processit: aut in vos solos peruenit: [37] Si quis videtur propheta esse· aut spiritualis: cognoscat que scribo vobis: quia domini sunt mandata. [38] Si quis autem ignorat: ignorabitur. [39] Itaque fratres emulamini prophetare: et loqui linguis nolite prohibere. [40] Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant in vobis.

15 Notum autem vobis facio fratres euangeI lium quod predicaui vobis· quod et accepistis· in quo et statis· [2] per quod et saluamini: qua ratione predicauerim vobis si tenetis: nisi frustra credidistis. [3] Tradidi enim vobis in primis quod et accepi: quoniam cristus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas: [4] et quia sepultus est et quia resurrexit tercia die secundum scripturas: [5] et quia visus est cephe: et post hoc vndecim. [6] Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc: quidam autem dormierunt. [7] Deinde visus est iacobo: deinde apostolis

omnibus. [8] Nouissime autem omnium· tamquam abortiuo visus est et michi. [9] Ego enim sum minimus apostolorum: qui non sum dignus vocari apostolus: quoniam persecutus sum eccliam [10] dei. Gratia autem dei sum id quod sum: et gratia eius in me vacua non fuit: sed abundantius illis omnibus laboraui. Non ego autem: sed gratia dei mecum. [11] Siue enim ego siue illi: sic predicauimus: et sic credidistis. [12] Si autem cristus predicatur quod resurrexit a mortuis: quomodo quidam dicunt in vobis· quoniam resurrectio mortuorum non est: [13] Si autem resurrectio mortuorum non est: neque cristus resurrexit. [14] Si autem cristus non resurrexit: inanis est predicatio nostra: inanis est et fides vestra. [15] Inuenimur autem et falsi testes dei: quoniam testimonium diximus aduersus deum quod suscitauit cristum quem non suscitauit: si mortui non resurgunt. [16] Nam si mortui non resurgunt: neque cristus resurrexit. [17] Quod si cristus non resurrexit: vana est fides vestra. Adhuc enim estis in peccatis vestris. [18] Ergo et qui dormierunt in cristo perierunt. [19] Si in hac vita tantum in cristo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus. [20] Nunc autem cristus resurrexit a mortuis primitie dormientium: [21] quoniam quidem per hominem mors: et per hominem resurrectio mortuorum. [22] Et sicut in adam omnes moriuntur: ita et in cristo omnes viuificabuntur. [23] Vnusquisque autem in suo ordine: primitie cristus. Deinde hij qui sunt cristi: qui in aduentum eius crediderunt. [24] Deinde finis cum tradiderit regnum deo et patri: cum euacuauerit omnem principatum et potestatem et virtutem. [25] Oportet autem illum regnare: donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. [26] Nouissime autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat [27] omnia subiecta sunt ei: sine dubio preter eum qui subiecit ei omnia. [28] Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse filius subiectus erit illi qui subiecit sibi omnia: vt sit deus omnia in omnibus. [29] Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt: vt quid et baptizantur pro illis? [30] Vt quid et nos periclitamur omni hora? [31] Quotidie morior propter vestram gloriam fratres: quam habeo in cristo ihesu domino nostro. [32] Si secundum hominem ad bestias pugnaui ephesi: quid michi prodest si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus: cras enim moriemur. [33] Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. [34] Euigilate iusti: et nolite peccare. Ignorantiam enim dei quidam habent. Ad reuerentiam vobis loquor. [35] Sed dicit aliquis. Quomodo resurgunt mortui? Quali autem corpore venient? [36] Insipiens tu quod seminas non viuificatur: nisi prius moriatur. [37] Et quod seminas? Non corpus quod futurum est seminas? sed nudum granum: vtputa tritici· aut alicuius ceterorum. [38] Deus autem dat illi corpus sicut vult: vnicuique seminum proprium corpus. [39] Non omnis caro eadem caro: sed alia hominum alia pecorum alia caro autem volucrum: alia autem piscium. [40] Et corpora celestia: et corpora terrestria. Sed alia quidem celestium gloria: alia autem terrestrium. [41] Alia claritas solis: alia claritas lune: et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: [42] sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione: surget in incorruptione [43] in ignobilitate: surget in gloria. seminatur in ignobilitate: surget in gloria. Seminatur in infirmitate: surget in Seminatur in infirmitate: surget in virtute. [44] Seminatur corpus animale: surget corpus spiritale. Si est corpus animale est et spiritale: sicut scriptum est. [45] Factus est primus homo adam in animam viuentem: nouissimus adam in spiritum viuificantem. [46] Sed non prius quod spiritale est: sed quod animale: deinde quod spiritale. [47] Primus homo de terra terrenus: secundus homo de celo celestis. [48] Qualis terrenus tales et terreni: et qualis celestis: tales et celestes. [49] Igitur sicut portauimus ymaginem terreni: portemus et ymaginem celestis. [50] Hoc autem dico fratres: quia caro et sanguis regnum dei possidere non possunt: neque corruptio in corruptelam possidebit. [51] Ecce misterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur. [52] In momento in ictu oculi: in nouissima tuba. Canet enim tuba. et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabinim. [53] Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: et mortale hoc induere immortalitatem. [54] Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorta est mors in victoria. [55] Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? [56] Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. [57] Deo autem gratias: qui dedit nobis victoriam per dominum nostrum ihesum cristum. [58] Itaque fratres mei dilecti stabiles estote et immobiles: abundantes in omni tempore domini semper: scientes quod labor vester non est inanis in domino.

16 collectis autem que fiunt in sanctos: sicut ordinaui ecclijs galatie· ita et vos facite [2] per vnam sabbati. Vnusquisque vestrum apud se reponat recondens quod ei bene placuerit: vt non cum venero tunc collecte fiant. [3] Cum autem presens fuero: quos probaueritis per epistolas hos mittam perferre gratiam vestram in iherusalem. [4] Quod si dignum fuerit vt ego eam: mecum ibunt. [5] Veniam autem ad vos: cum macedoniam pertransiero. Nam macedoniam pertransibo. [6] Apud vos autem forsitan manebo vel etiam hyemabo: vt vos me deducatis quocumque iero. [7] Nolo enim vos modo in transitu videre. Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos: si dominus permiserit. [8] Permanebo autem ephesi vsque ad penthecosten. [9] Ostium enim michi apertum est magnum et euidens: et aduersarij multi. [10] Si autem venerit thimotheus: videte vt sine timore sit apud vos. Opus enim domini operatur sicut et ego. [11] Ne quis ergo illum spernat. Deducite autem illum in pace: vt veniat ad me. Exspecto enim illum cum fratribus. [12] De apollo autem fratre vobis notum facio: quoniam multum rogaui eum vt veniret ad vos cum fratribus: et vtique non fuit voluntas eius vt nunc veniret. Veniet autem: cum ei vacuum fuerit. [13] Vigilate state in fide: viriliter agite et confortamini: [14] omnia vestra in caritate fiant. [15] Obsecro autem vos fratres· nostis domum stephane et fortunati quoniam sunt primitie achaye· et in ministerium sanctorum ordinauerunt seipsos: [16] vt et vos subditi sitis eiusmodi· et omni cooperanti et laboranti. [17] Gaudeo autem in presentia stephane et fortunati et achayci: quoniam id quod vobis deerat ipsi suppleuerunt. [18] Refecerunt enim et meum spiritum et vestrum. Cognoscite ergo qui eiusmodi sunt. [19] Salutant vos omnes ecclesie asye. Salutant vos in domino multum aquila et priscilla cum domestica sua ecclesia: apud quos et hospitor. [20] Salutant vos omnes fratres. Salutate inuicem: in osculo sancto. [21] Salutatio mea: manu pauli. [22] Si quis non amat dominum nostrum ihesum cristum: sit anathema maranatha. [23] Gratia domini nostri ihesu cristi vobiscum. [24] Caritas mea cum omnibus vobis in cristo ihesu amen.

Ad Corinthios II

Incipit epistola secunda ad corinthios.

1 actam Post actam corinthios secunda a corinthijs penitentiam consolatoriam scribit eis epistolam apostolus a troade per thitum· et collaudens eos hortatur ad meliora: contristatos quidem eos sed emendatos ostendens. Incipit Epistola ad ostendens. Paulus apostolus cristi ihesu per volunD tatem dei et thimoteus frater: ecclesie dei que est corinthi cum omnibus sanctis qui sunt in vniuersa achaia. [2] Gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino ihesu cristo. [3] Benedictus deus et pater domini nostri ihesu cristi pater misericordiarum et deus totius consolationis· [4] qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt per exhortationem qua exhortamur et ipsi a deo: [5] quoniam sicut

habundant passiones cristi in nobis ita et per cristum habundat consolatio nostra. [6] Siue autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute· siue consolamur pro vestra consolatione· siue exhortamur pro vestra exhortatione et salute· que operatur tollerantiam earumdem passionum quas et nos patimur· [7] vt spes nostra firma sit pro vobis: scientes quoniam sicut socij passionum estis· sic eritis et consolationis. [8] Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra que facta est in asia: quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem· ita vt tederet nos etiam viuere. [9] Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus· vt non simus fidentes in nobis sed in deo qui suscitat mortuos: [10] qui de tantis periculis nos eripuit et eruit: in quem speramus quoniam et adhuc eripiet [11] adiuuantibus et vobis in oratione pro nobis· vt ex multarum personis facierum eius que in nobis est donationis per multos gratie agantur pro nobis. [12] Nam gloria nostra hec est testimonium conscientie nostre: quod in simplicitate cordis et sinceritate dei et non in sapientia carnali sed in gratia dei conuersati sumus in hoc mundo· habundantius autem ad vos. [13] Non enim alia scribimus vobis quam que legistis et cognouistis. Spero autem quod vsque in finem cognoscetis· [14] sicut et cognouistis nos ex parte: quia gloria vestra sumus sicut et vos nostra in die domini nostri ihesu cristi. [15] Et hac confidentia volui prius venire ad vos vt secundam gratiam haberetis· [16] et per vos transire in macedoniam et iterum a macedonia venire ad vos et a vobis deduci in iudeam. [17] Cum ergo hoc voluissem: numquid leuitate vsus sum. Aut que cogito secundum carnem cogito vt sit apud me est et non? [18] Fideles autem deus quia sermo noster qui fuit apud vos· non et non sed est in illo est. [19] Dei enim filius ihesus cristus qui in vobis per nos predicatus est per me et siluanum et thimotheum non fuit in illo est et non: sed est in illo fuit. [20] Quotquot enim promissiones dei sunt in illo est. Ideo et per ipsum amen deo ad gloriam nostram. [21] Qui autem confirmat nos vobiscum in cristo· et qui vnxit nos deus: [22] et qui signauit nos et dedit pignus spiritus in cordibus nostris. [23] Ego autem testem deum inuoco in animam meam quod parcens vobis non veni vltra corinthum· non quia dominamur fidei vestre sed adiutores sumus gaudij vestri: nam fide statis.

2 autem hocipsum apud me: ne iterum in tristicia venirem ad vos. [2] Si enim ego contristo vos et quis est qui me letificet nisi qui contristatur ex me? [3] Et hocipsum scripsi vobis vt non cum venero tristiciam super tristiciam habeam· de quibus oportuerat me gaudere confidens in omnibus vobis quia meum gaudium omnium vestrum est. [4] Nam ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrimas non vt contristemini: sed vt sciatis quam caritatem habeam abundantius in vobis. [5] Si quis autem contristauit me· non me contristauit· sed ex parte: vt non onerem omnes vos. [6] Sufficit illi qui eiusmodi est obiurgatio hec que fit a pluribus· [7] ita vt econtrario magis donetis et consolum: ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est· [8] propter quod obsecro vos· vt confirmetis in illum caritatem. [9] Ideo enim et scripsi vobis vt cognoscam experimentum vestrum: an in omnibus obedientes sitis. [10] Cui autem aliquid donastis: et ego. Nam et ego quod donaui· si quid donaui propter vos· in persona cristi· [11] vt non circumuenianim cumueniamur a sathana. Non enim ignoramus cogitationes eius. [12] Cum venissem autem troadem propter euangelium cristi· et ostium michi apertum esset in domino: [13] non habui requiem spiritui meo· eo quod non inuenerim thytum fratrem meum: sed valefaciens eis profectus sum in macedoniam. [14] Deo autem gratias qui semper triumphat nos in cristo ihesu· et odorem noticie sue manifestat per nos in omni loco: [15] quia cristi bonus odor sumus deo in hijs qui salui funt· et in hijs qui pereunt. [16] Alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor vite in vitam. Et ad hec quis tam ydoneus? [17] Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum dei: sed ex sinceritate sicut ex deo coram deo in cristo loquimur.

3 Incipimus iterum nosmetipsos commendare: aut nunquid egemus sicut quidam commendaticijs epistolis ad vos aut ex vobis? [2] Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris· que scitur et legitur ab omnibus hominibus [3] manifestati: quoniam epistola estis cristi ministrata a nobis et scripta non attramento· sed spiritu dei viui: non in tabulis lapideis: sed in tabulis cordibus carnalibus. [4] Fiduciam autem talem habemus per cristum ad deum: [5] non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis· sed sufficientia nostra ex deo est: [6] qui et ydoneos nos fecit ministros noui testamenti non littera sed spiritu. Littera enim occidit: spiritus autem viuificat. [7] Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria· ita vt non possent intendere filij israhel in faciem moysi· propter gloriam vultus eius que euacuatur: [8] quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? [9] Nam si ministratio damnationis gloria est: multo magis abundat ministerium iustitie in gloria. [10] Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte: propter excellentem gloriam. [11] Si enim quod euacuatur per gloriam est: multo magis quod manet· in gloria est. [12] Habentes igitur talem spem multa fiducia vtimur. [13] Et non sicut moyses ponebat velamen super faciem suam: vt non intenderent filij israhel in faciem eius quod euacuatur [14] sed obtusi sunt sensus eorum: vsque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum· quoniam in cristo euacuatur: [15] sed vsque in hodiernum diem cum legitur moyses velamen positum est super cor eorum. [16] Cum autem conuersus fuerit ad deum auferetur velamen. [17] Dominus autem spiritus est. Vbi autem spiritus domini ibi libertas· [18] Nos vero omnes reuelata facie domini speculantes in eamdem ymaginem transformamur a claritate in claritatem: tanquam a domini spiritu.

4 Ideo habentes hanc ministrationem iuxta quod misericordiam consecuti sumus non deficimus: [2] sed abdicamus occulta dedecoris· non ambulantes in astutia neque adulterantes verbum dei: sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram deo. [3] Quod si etiam opertum est euangelium nostrum in hijs qui pereunt est opertum: [4] in quibus deus huius seculi excecauit mentes infidelium· vt non fulgeat illuminatio euangelij glorie cristi: qui est ymago dei. [5] Non enim nosmetipsos predicamus sed ihesum cristum dominum nostrum. Nos autem seruos vestros per ihesum: [6] quoniam deus qui dixit de tenebris lucem splendescere· illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientie claritatis in facie ihesu cristi. [7] Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit virtutis dei: et non ex nobis. [8] In omnibus tribulationem patimur: sed non angustiamur. Aporiamur: sed non destituimur. [9] Persecutionem patimur: sed non derelinquimur. Deicimur: sed non perimus. [10] Semper mortificationem ihesu in corpore nostro circumferentes: vt et vita ihesu manifestetur in corporibus nostris. [11] Semper enim nos qui viuimus in mortem tradimur propter ihesum: vt et vita ihesu manifestetur in carne nostra mortali. [12] Ergo mors in nobis operatur: vita autem in vobis. [13] Habentes autem eundem spiritum fidei sicut scriptum est credidi propter quod locutus sum: et nos credimus· propter quod et loquimur: [14] scientes quoque qui suscitauit ihesum et nos cum ihesu suscitabit: et constituet vobiscum. [15] Omnia enim propter vos: vt gratia abundans per multos in graciarum actione abundet in gloriam dei. [16] Propter quod non deficimus: sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est renouatur de die in diem. [17] Id enim quod in presenti est momentaneum et leue tribulationis nostre: supra modum in sublimitate eternum glorie pondus operatur in nobis: [18] non contemplantibus nobis que videntur sed que non videntur. Que enim videntur temporalia sunt: que autem non videntur eterna sunt.

5 Scimus enim: quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur: quod edificationem ex deo habeamus domum non manufactam eternam in celis. [2] Nam et in hoc ingemiscimus habitationem nostram que de celo est superindui cupientes: [3] si tamen vestiti et non nudi inueniamur. [4] Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati: eo quod nolumus exspoliari· sed superuestiri: vt absorbeatur quod mortale est a vita. [5] Qui autem efficit nos in hoc ipsum deus: qui dedit nobis pignus spiritus. [6] Audentes igitur semper et scientes: quoniam dum sumus in corpore peregrinamur a domino. [7] Per fidem enim ambulamus: et non per speciem. [8] Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore

et presentes esse ad dominum: [9] et ideo contendimus siue absentes siue presentes placere illi. [10] Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal cristi: vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum. [11] Scientes ergo timorem domini hominibus suademus: deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientijs vestris manifestos nos esse. [12] Non iterum commendamus nos vobis: sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: vt habeatis ad eos qui in facie gloriantur et non in corde. [13] Siue enim mente excedimus deo: siue sobrij sumus vobis. [14] Caritas enim cristi vrget nos: estimantes hoc: quoniam si vnus pro omnibus mortuus est ergo omnes mortui sunt. [15] Et pro omnibus mortuus est cristus: vt et qui viuunt iam non sibi viuant: sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. [16] Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus secundum carnem cristum: sed nunc iam non nouimus. [17] Si qua ergo in cristo noua creatura est: vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua. [18] Omnia autem ex deo qui nos reconciliauit sibi per cristum: et dedit nobis ministerium reconciliationis. [19] Quoniamquidem deus erat in cristo mundum reconcilians sibi: non reputans illis delicta ipsorum: et posuit in nobis verbum reconciliationis. [20] Pro cristo ergo legatione fungimur tamquam deo exhortante per nos: obsecramus pro cristo· reconciliamini deo. [21] Cum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremur iusticia dec in ipso.

6 Adiuuantes autem: exhortamur ne inuacuum gratiam dei recipiatis. [2] Ait enim. Tempore accepto exaudiui te: et in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. [3] Nemini dantes vllam offensionem: vt non vituperetur ministerium nostrum. [4] Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut dei ministros in multa patientia: in tribulationibus· in necessitatibus· in angustijs· [5] in plagis· in carceribus· in seditionibus· in laboribus· in vigilijs· in ieiunijs· [6] in castitate· in scientia· in longanimitate· in suauitate: in spiritu sancto. In caritate non ficta: [7] in verbo veritatis: in virtute dei. Per arma iusticie: a dextris et a sinistris. [8] Per gloriam et ignobilitatem: per infamiam et bonam famam. Vt seductores et veraces: sicut qui ignoti et cogniti. [9] Quasi morientes et ecce viuimus: vt castigati et non mortificati. [10] Quasi tristes semper autem gaudentes: sicut egentes multos autem locupletantes: tanquam nichil habentes et omnia possidentes. [11] Os nostrum patet ad vos o corinthij: cor nostrum dilatatum est. [12] Non angustiamini in nobis. Angustiamini autem in visceribus vestris. [13] Eandem autem habentes remunerationem: tanquam filijs dico: dilatamini et vos. [14] Nolite iugum ducere cum infidelibus. Que enim participatio iusticie cum iniquitate: aut que societas luci ad tenebras? [15] Que autem conuentio cristi ad belial? Aut que pars fideli cum infideli? [16] Qui autem consensus templo dei cum ydolis? Vos enim estis templum dei viui sicut dicit deus: quoniam inhabitabo in illis et inambulabo: et ero illorum deus et ipsi erunt michi populus. [17] Propter quod exite de medio eorum et separamini dicit dominus: et immundum ne tetigeritis: [18] et ego recipiam vos· et ero vobis in patrem: et vos eritis michi in filios et filias dicit dominus omnipotens.

7 ergo habentes promissiones carissimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus: perficientes sanctificationem in timore dei. [2] Capite nos. Neminem lesimus: neminem corrupimus: neminem circumuenimus. [3] Non ad condemnationem vestram dico. Prediximus enim quod in cordibus nostris estis ad commoriendum et ad conuiuendum. [4] Multa michi fiducia est apud vos: multa michi gloriatio pro vobis. Repletus sum consolatione: superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. [5] Nam et cum venissemus in macedoniam· nullam requiem habuit caro nostra: sed omnem tribulationem passi sumus. Foris pugne: intus timores. [6] Sed qui consolatur humiles: consolatus est nos deus in aduentu titi. [7] Non solum autem in aduentu eius: sed etiam n D I ms C k I DI C I I II LI II n E excedimus deo: in consolatione qua consolatus est in vo siue sobrij sumus vobis. Caritas enim cristi vrget nos: vt estimantes hoc: fletum vestram emulationem pro me: ita vt magis gauderem. [8] quoniam et si contrista vnus est ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est vi vos in epistola: non me penitet. Et si cristus: vt et qui ad peniteret videns quod epistola illa et si ad horam vos viuunt [9] iam non sibi viuant: horam vos contristauit: nunc gaudeo· non nunc sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum quia contristati estis: sed quia contrista estis: carnem. Et si ti estis ad penitentiam. [10] Contristati enim secundum carnem cristum: sed nunc iam non nouimus. Si qua ergo in cristo noua creatura est: vetera transierunt: patiamini ex nobis. [11] Que enim secundum deum Que cognouimus ecce facta sunt omnia noua. Omnia tristicia est penitentiam in salutem stabilem autem ex deo qui nos reconciliauit sibi per cristum: et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quonianquidem deus erat in cristo mundum tristari vos quantam in vobis operatur vos reconcilians sibi: non reputans illis delicta [12] ipsorum: et posuit in nobis gnationem· sed timorem· sed desiderium· sed non negotio. Igitur et si scripsi vobis non verbum reconciliationis. Pro cristo ergo legatione fungimur tamquam deo propter eum qui fecit iniuriam nec propter propter qui nec ad exhortante per nos: quam obsecramus pro cristo· reconciliamini deo. sollicitudinem nostram quam habemus pro [13] Cum qui non nouerat peccatum pro vobis coram deo. Ideo consolati sumus. Ideo vo abundantius nobis peccatum fecit: vt nos efficerenim iusticia dec in ipso. vi ab Idiuuantes autem: [14] exhortamur ne L inuacuum gratiam dei vobis recipiatis. Ait enim. Tempore accepto exaudiui te: et gloriatus sum· non sum confusus: sed vobis in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Aemini dantes vllam offensionem: [15] vt non vituperetur bus vobis. Et si quid apud illum de ministerium nostrum. Sed omnibus ad titum veritas facta est. Et viscera eius sunt: exhibeamus nosmetipsos sicut dei ministros in multa patientia: in tribulationibus· [16] in necessitatibus· in timore et tremore excepistis illum. Haudeo: angustijs· in plagis·

8 in carceribus· in seditionibus· abundantius in vobis sunt: reminiscen in laboribus· in vigilijs· in tis omnium vestrum obedientiam quomodo cum deo: quod in omnibus confido in vobis. data ieiunijs· in castitate· in [2] scientia· in longanimitate· in suauitate: in spiritu sancto. In caritate non ficta: in verbo veritatis: macedonie: et quod in multo experimento multo tribulationis abundantia gaudij ipsorum et altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum. [3] in secundum virtute dei. Per arma iusticie: a dextris et a sinistris. virtutem testimonium illis reddo: et supra virtutem voluntarij fuerunt: cum voluntarij cum Per [4] gloriam et ignobilitatem: per infamiam et bonam famam. Quia se eorum. multa exhortatione obsecrantes nos Vt gratiam et communicationem ministerij quod quod in seductores [5] et veraces: sicut qui sed semetipsos dederunt· primum domino· ignoti deinde nobis et cogniti. Quasi [6] morientes et ecce viuimus: vt castigati rogaremus titum vt quemadmodum cepit ita quemadmodum et non mortificati. Quasi tristes semper autem [7] gaudentes: sicut egentes multos autem locupletantes: tanquam nichil habentes et omnia possidentes: Os nostrum patet ad vos o corinthij: cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis. in visceribus vestris. Eandem habentes remunerationem: ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam. [8] tanquam filijs dico: dilatamini vos. Nolite Sed sicut in omnibus abundatis fide iugum ducere cum infidelibus. Que et sermone et scientia et omni sollicitudine insuper et caritate vestra in nos: vt et in etiam vestre caritatis ingenium bonum comprobans. [9] Scitis gratiam domini nostri participatio iusticie cum iniquitate: aut que societas luci ad tenebras? Que autem conuentio cristi ad belial? Aut que pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo cum ydolis? Vos enim estis templum [10] dei viui sicut dicit deus: quoniam inhabitabo ihesu cristi: quoniam propter vos egenus in illis et inambulabo: et ero illorum deus et ipsi erunt michi populus. Propter vos diuites essetis. Et consilium in hoc [11] quod exite de medio eorum et separamini do. Hoc enim vobis vtile est: qui non solum dicit facere· sed et velle cepistis ab anno priquemadmodum dominus: et ore. Nunc vero et facto perficite: vt quem vt immundi ne tetigeritis: et ego recipiam vos· et ero admodum promptus est animus [12] voluntaris: animus vobis in patrem: et vos eritis michi in filios et filias dicit dominus omnipotens. vir as ergo habentes promissiones

ita sit et perficiendi ex eo quod habetis. Si quod Ly carissimi [13] mundemus nos ab omni enim voluntas prompta est: secundum id quod inquinamento carnis et spiritus: perficientes sanctificationem in timore habet. Non enim vt alijs sit remissio· vo deu. Capite Neminem [14] lesimus: neminem corrupimus: bis autem tribulatio: sed ex equalitate in neminem circumuenimus. ad condemnationem presenti tempore vestra abuudantia illorum in vestram dico. Prediximus enim quod in vestre inopie sit supplementum: vt fiat cordibus nostris estis Qui multum equalitas Qui multum ad commoriendum equalitas sicut scriptum est. [15] et ad conuiuendum: michi [16] fiducia est apud multa michi gloriatio pro vobis. in corde titi: habuit non abundauit: et qui modicum· abundauit: Repletus sum consolatione: superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam et cum venissemus in [17] quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum sollcitior esset sua voluntate profectus est ad vos: timores. [18] Sed qui consolatur fratrem humiles: puerl vt fo etiam cum illo fratrem nostrum: cuius laus est sanui pltituad omnes moni [19] mlano phist peto. in euangelio per omnes ecclesias. Non solum autem: sed et ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostre in hanc gratiam que ministratur a nobis ad domini gloriam et destinatam voluntatem nostram [20] deuitantes hoc: ne quis nos vituperet in hac plenitudine que ministratur a nobis in domini gloriam. [21] Prouidemus enim bona: non solum coram deo: sed etiam coram hominibus. [22] Misimus autem cum illis et fratrem nostrum quem probauimus in multis sepe sollicitum esse: nunc autem multo sollicitiorem: confidentia multa in vos [23] siue pro tito qui est socius meus et in vobis adiutor: siue fratres nostri apostoli ecclesiarum glorie cristi. [24] Ostensionem ergo que est caritatis vestre et nostre glorie pro vobis: in illos ostendite in facie ecclesiarum.

9 Nam de ministerio quod fit in sanctos: ex abundanti est michi scribere vobis. [2] Scio enim promptum animum vestrum pro quo de vobis glorior apud macedones: quoniam et achaia parata est ab anno preterito: et vestra emulatio prouocauit plurimos. [3] Misimus autem fratres: vt ne quod gloriamur de vobis euacuetur in hac parte: vt quemadmodum dixi parati sitis: [4] ne cum venerint macedones mecum et inuenerint vos imparatos erubescamus nos: vt non dicamus vos in hac substantia. [5] Necessarium ergo existimaui rogare fratres vt preueniant ad vos: et preparent repromissam benedictionem hanc paratam esse: sic quasi benedictionem: non quasi auariciam. [6] Hoc autem dico. Qui parce seminat parce et metet: et qui seminat in benedictionibus· de benedictionibus et metet. [7] Vnusquisque prout destinauit in corde suo: non ex tristicia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit deus. [8] Potens est autem deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundantis in omne opus bonum: [9] sicut scriptum est. Dispersit dedit pauperibus: iusticia eius manet in seculum seculi. [10] Qui autem amministrat semen seminanti: et panem ad manducandum prestabit. Et multiplicabit semen vestrum et augebit incrementa frugum iusticie vestre: [11] vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem: que operatur per nos gratiarum actionem deo. [12] Quoniam ministerium huius officij non solum supplet ea que desunt sanctis: sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in domino [13] per probationem ministerij huius: glorificantes deum in obedientia confessionis vestre in euangelio cristi et simplicitate communicationis vestre in illos et in omnes: [14] et in ipsorum obsecratione pro vobis: desiderantium vos propter emi gratiam dei in vobis. [15] Gratias go deo super inenarrabili dono eius.

10 Ipse autem ego paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam cristi: qui in facie quidem humilis sum inter vos: absens autem confido in vobis. [2] Rogo autem vos ne presens audeam per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam: qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus. [3] In carne enim ambulantes: non secundum carnem militamus. [4] Nam arma militie nostre non carnalia: sed potentia deo ad destructionem munitionum· consilia destruentes· [5] et omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam dei: et in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium cristi: [6] et in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam: cum impleta fuerit vestra obedientia. [7] Que secundum faciem sunt videte. Si quis confidit sibi se esse: hoc cogiter iterum apud se: quia sicut ipse cristi est· ita et nos. [8] Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra quam dedit nobis dominus in edificacionem et non in destructionem vestram: non erubescam. [9] Vt autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas: [10] quoniamqui epistole inquiunt graues sunt et fortes: presentia autem corporis infirma et sermo contemptibilis: [11] hoc cogitet qui eiusmodi est: quia quales sumus verbo per epistolas absentes: tales et presentes in facto. [12] Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam qui seipsos commendant. sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes: et comparantes nosmetipsos nobis. [13] Nos autem non in immensum gloriabimur: sed secundum mensuram regule qua mensus est nobis deus mensuram pertingendi vsque ad vos. [14] Non enim quasi non pertingentes ad vos superextendimus nos. Vsque ad vos enim peruenimus in euangelio cristi: [15] non in immensum gloriantes in alienis laboribus. Spem autem habentes crescentis fidei vestre· in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantia: [16] etiam in illa que vltra vos sunt euangelizare: non aliena regula in hijs que preparata sunt gloriari. [17] Qui autem gloriatur in domino glorietur. [18] Non enim qui seipsum commendat ille probatus est: sed quem deus comendat.

11 Vtinam sustineretis modicum quid insipientie mee: sed et supportate me. [2] Emulor enim vos dei emulatione: despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere cristo. [3] Timeo autem ne sicut serpens euam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus nostri et excidant a simplicitate que est in cristo. [4] Nam si is qui venit alium cristum predicat quem non predicauimus: aut alium spiritum accipitis quem non accepistis aut aliud euangelium quod non recepistis: recte pateremini. [5] Existimo enim nichil me minus fecisse a magnis apostolis. [6] Et si imperitus sermone: sed non scientia. In omnibus autem manifestus sum vobis. [7] Aut numquid peccatum feci meipsum humilians: vt vos exaltemini? Quoniam gratis euangelium dei euangelizaui vobis: [8] alias ecclesias exspoliaui accipiens stipendia ad ministerium vestrum: [9] et cum essem apud vos et egerem nulli onerosus fui. Nam quod michi deerat suppleuerunt fratres qui venerunt a macedonia: et in omnibus sine onere me vobis seruaui: et seruabo. [10] Est veritas cristi in me: quoniam hec gloriatio non infringetur in me in regionibus achaie. [11] Quare? Quia non diligo vos? Deus scit. [12] Quod autem facio· et faciam: vt amputem occasionem eorum· qui volunt occasionem: vt in quo gloriantur inueniantur sicut et nos. [13] Nam eiusmodi pseudo apostoli sunt operarij subdoli: transfigurantes se in apostolos cristi. [14] Et non mirum. Ipse enim sathanas transfigurat se in angelum lucis. [15] Non est ergo magnum: si ministri eius transfigurentur velut ministri iusticie: quorum finis erit secundum opera ipsorum. [16] Iterum dico: ne quis me putet insipientem. Alioquin velut insipientem accipite me: vt et ego modicum quid glorier. [17] Quod loquor non loquor secundum deum sed quasi in insipientia: in hac substantia glorie. [18] Quoniam multi gloriantur secundum carnem: et ego gloriabor. [19] Libenter enim suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes. [20] Sustinetis enim si quis vos in seruitutem redigit: si quis deuorat· si quis accipit· si quis extollitur: si quis in faciem vos cedit. [21] Secundum ignobilitatem dico: quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet: iu insipientia dico: audeo et ego. [22] Hebrei sunt: et ego. Israhelite sunt: et ego. Semen abrahe sunt: et ego. [23] Ministri cristi sunt: et ego. Vt minus sapiens dico: plus ego. In laboribus plurimis in carceribus abundantius: in plagis supra modum: in mortibus frequenter. [24] A iudeis quinquies quadragenas vna minus accepi. [25] Ter virgis cesus sum: semel lapidatus sum: ter naufragium feci. Nocte et die in profundum maris fui. [26] In itineribus sepe: periculis fluminum· periculis latronum· periculis ex genere· periculis ex gentibus· periculis in ciuitate· periculis in solitudine· periculis in mari: periculis in falsis fratribus. [27] In labore et erumna: in vigilijs multis. In fame et siti: in ieiunijs multis. In frigore et nuditate: [28] preter illa que extrinsecus sunt: instantia mea quotidiana· sollicitudo omnium ecclesiarum. [29] Quis infirmatur: et ego non infirmor?

Quis scandalizatur: et ego non vror? [30] Si gloriari oportet: que infirmitatis mee sunt gloriabor. [31] Deus et pater domini nostri ihesu cristi scit qui est benedictus in secula quod non mentior. [32] Damasci prepositus gentis arethe regis custodiebat ciuitatem damascenorum vt me comprehenderet: [33] et per fenestram in sporta dimissus sum per muro: et sic effugi manus eius.

12 gloriari oportet: non expedit quidem. Veniam autem ad visiones et reuelationes domini. [2] Scio hominem in cristo ante annos quatuordecim siue in corpore siue extra corpus nescio deus scit: raptum huiusmodi vsque ad tercium celum. [3] Et scio huiusmodi hominem siue in corpore siue extra corpus nescio deus scit: [4] quoniam raptus est in paradisum: et audiuit archana verba que non licet homini loqui. [5] Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nichil nisi in infirmitatibus meis. [6] Nam et si voluero gloriari: non ero insipiens. Veritatem enim dicam. Parco autem: ne quis me existimet supra id quod videt in me: aut audit aliquid ex me. [7] Et ne magnitudo reuelationum extollat me: datus est michi stimulus carnis mee angelus sathane vt me colaphizet. [8] Propter quod ter dominum rogaui vt discederet a me: [9] et dixit michi. Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis: vt inhabitet in me virtus cristi. [10] Propter quod placeo michi in infirmitatibus meis: in contumelijs in necessitatibus in persecutionibus: in angustijs pro cristo. Cum enim infirmor tunc potens sum. [11] Factus sum insipiens: vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari. Nichil enim minus feci ab hijs qui sunt supra modum apostoli. Tam et si nichil sum: [12] signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia signis et prodigijs et virtutibus. [13] Quid est enim quod minus habuistis pre ceteris ecclesijs: nisi quod egoipse non grauaui vos? Donate michi hanc iniuriam. [14] Ecce tercio hoc paratus sum venire ad vos: et non ero grauis vobis. Non enim quero que vestra sunt: sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare: sed parentes filijs. [15] Ego autem libentissime impendam et super impendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens minus diligar. [16] Sed esto. Ego vos non grauaui: sed cum essem astutus dolo vos cepi. [17] Numquid per aliquem eorum quos misi ad vos circumueni vos? [18] Rogaui titum: et misi cum illo fratrem. Numquid titus vos circumuenit? Nonne eodem spiritu ambulauimus? Nonne eisdem vestigijs? [19] Olim putatis quod excusemus nos apud vos? Coram deo in cristo loquimur. Omnia enim karissimi propter edificationem vestram. [20] Timeo enim ne forte cum venero· non quales volo inueniam vos: et ego inueniar a vobis qualem non vultis: ne forte contentiones emulationes animositates dissensiones detractiones susurrationes inflationes seditiones sint inter vos. [21] Ne iterum cum venero humiliet me deus apud vos: et lugeam multos ex hijs qui ante peccauerunt et non egerunt penitentiam super immundicia et fornicatione et impudicicia quam gesserunt.

13 Ecce tercio hoc venio ad vos. In duorum vel trium testium stabit omne verbum. [2] Predixi enim et predico vt presens vobis et nunc absens hijs qui ante peccauerunt et ceteris omnibus: quoniam si venero iterum non parcam. [3] An experimentum queritis eius qui in me loquitur cristus? Qui in vobis non infirmatur sed potens est in vobis. [4] Nam et si crucifixus est ex infirmitate: sed viuit ex virtute dei. Nam et nos infirmi sumus in illo: sed viuimus cum eo ex virtute dei in vobis. [5] Vosmetipsos temptate: si estis in fide ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos: quia cristus ihesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis. [6] Spero autem quod cognoscetis: quia nos non sumus reprobi. [7] Oramus autem deum vt nichil mali faciatis non vt nos probati appareamus sed vt vos quod bonum est faciatis. Nos autem vt reprobi simus. [8] Non enim possumus aliquid aduersus veritatem: sed pro veritate. [9] Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus: vos autem potentes estis. Hoc et oramus: vestram consummationem. [10] Ideo hec absens scribo: vt non presens durius agam secundum potestatem quam dominus dedit michi in edificationem et non in destructionem. [11] De cetero fratres gaudete: perfecti estote: exhortamini· idipsum sapite. Pacem habete: et deus pacis et dilectionis erit vobiscum. [12] Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. [13] Gratia domini nostri ihesu et caritas dei· et communicatio sancti spiritus sic cum omnibus vobis amen.

Ad Galathas

Incipit epistola ad galathas.

1 Galathe sunt Galathe sunt greci. Hij verbum veritatis primum ab aacceperunt: sed post discessum eius temptati sunt a falsis apostolis: vt in legem et circumcisionem ne verterentur. Hos apostolus reuocat ad fidem tatis: scribens eis ab epheso. Aulus apostolus ihesum cristum et deum patrem qui suscitauit eum a mortuis: [2] et qui mecum sunt omnes fratres: ecclesijs galathie. [3] Gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino ihesu cristo: [4] qui dedit semetipsum pro peccatis nostris vt eriperet nos de presenti seculo neque secundum voluntatem dei et patris nostri: [5] cui est gloria in secula seculorum amen. [6] Miror quod sic tam cito transferemini ab eo qui vos vocauit in gratiam cristi in aliud euangelium [7] quod non est aliud: nisi sint aliqui qui vos conturbant: et volunt conuertere euangelium cristi. [8] Sed licet nos aut angelus de celo euangelizet vobis preterquam quod euangelizauimus vobis: anathema sit. [9] Sicut prediximus et nunc iterum dico: si quis vobis euangelizauerit preter id quod accepistis: anathema sit. [10] Modo enim hominibus suadeo· an deo? An quero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem: cristi seruus non essem. [11] Notum enim vobis facio fratres euangelium quod euangelizatum est a me: quia non est secundum hominem. [12] Neque enim ego ab homine accepi illud neque didici: sed per reuelationem ihesu cristi. [13] Audistis enim conuersationem meam aliquando in iudaismo· quoniam supra modum persequebar ecclesiam dei· et expugnabam illam: [14] et proficiebam in iudaismo supra multos coetaneos meos in genere meo: abundantius emulator existens paternarum mearum traditionum. [15] Cum autem placuit ei qui me segregauit de vtero matris mee et vocauit per gratiam suam [16] vt reuelaret filium suum in me vt euangelizarem illum in gentibus: continuo non acquieui carni et sanguini. [17] Neque veni iherosolimam ad antecessores meos apostolos: sed abij in arabiam: et iterum reuersus sum damascum. [18] Deinde post annos tres veni iherosolimam videre petrum: et mansi apud eum diebus quindecim. [19] Alium autem apostolorum vidi neminem: nisi iacobum fratrem domini. [20] Que autem scribo vobis: ecce coram deo quia non mentior. [21] Deinde veni in partes syrie et cilicie. [22] Eram autem ignotus facie· ecclesijs iudee: que erant in cristo. [23] Tantum autem auditum habebant: quoniam qui persequebatur nos aliquando nunc euangelizat fidem quam aliquando expugnabat: [24] et in me clarificabant deum.

2 Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi iherosolimam cum barnaba: assumpto et tito. [2] Ascendi autem secundum reuelationem: et contuli cum illis euangelium quod predico in gentibus. Seorsum autem hijs qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem. [3] Sed neque titus qui mecum erat· cum esset gentilis compulsus est circumcidi: [4] sed propter subintroductos falsos fratres qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in cristo ihesu: vt nos in seruitutem redigerent. [5] Quibus neque ad horam cessimus subiectioni: vt veritas euangelij

permaneat apud vos. [6] Ab hijs autem qui videbantur esse aliquid: quales aliquando fuerint nichil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit. Michi enim qui videbantur esse aliquid nichil contulerunt. [7] Sed econtra cum vidissent quod creditum est michi euangelium prepucij sicut et petro circumcisionis: [8] qui enim operatus est petro in apostolatum circumcisionis· operatus est et michi inter gentes: [9] et cum cognouissent gratiam que data est michi· iacobus et cephas et iohannes qui videbantur columne esse dextras dederunt michi et barnabe societatis: vt nos in gentes ipsi autem in circumcisionem: [10] tantum vt pauperum memores essemus. Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. [11] Cum autem venisset petrus anthiochiam in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat. [12] Prius enim quam venirent quidam ab iacobo cum gentibus edebat. Cum autem venissent· subtrahebat et segregabat se: timens eos qui ex excircumcisione erant. [13] Et simulationi tioni eius consenserunt ceteri iudei: ita vt et barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. [14] Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem euangelij: dixi cephe coram omnibus. Si tu cum iudeus sis gentiliter viuis et non iudaice: quomodo gentes cogis iudaizare? [15] Nos natura iudei et non ex gentibus peccatores: [16] scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis· nisi per fidem ihesu cristi: et nos in cristo ihesu credimus· vt iustificemur ex fide cristi et non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. [17] Quod si querentes iustificari in cristo inuenti sumus et ipsi peccatores: numquid cristus peccati minister est? Absit. [18] Si enim que destruxi iterum hec reedifico: preuaricatorem me constituo. [19] Ego enim per legem legi mortuus sum vt deo viuam: cristo confixus sum cruci. [20] Viuo autem iam non ego: viuit vero vero in me cristus. Quod autem nunc viuo in carne· in fide viuo filij dei: qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. [21] Non abicio gratiam dei. Si enim per legem iusticia: ergo gratis cristus mortuus est.

3 O insensati galathe: quis vos fascinauit non obedire veritati? Ante quorum oculos ihesus cristus pro proscriptus est: et in vobis crucifixus. [2] Hoc solum a vobis volo discere. Ex operibus legis spiritum accepistis: an ex auditu fidei? [3] Sic stulti estis: vt cum spiritu ceperitis: nunc carne consumamini. [4] Tanta passi estis sine causa: si tamen sine causa. [5] Qui ergo tribuit vobis spiritum et operatur virtutes in vobis: ex operibus legis. an ex auditu fidei? [6] Sicut scriptum est: abraham credidit deo et reputatum est illi ad iusticiam. [7] Coguoscite ergo: quia qui ex fide sunt: hij sunt filij abrahe. [8] Prouidens autem scriptura quia ex fide iustificat gentes deus: prenunciauit abrahe quia benedicentur in te omnes gentes. [9] Igitur qui ex fide sunt: benedicentur cum fideli abraham. [10] Quicumque enim ex operibus legis sunt: sub maledicto sunt. Scriptum est enim. Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus que scripta sunt in libro legis: vt faciat ea. [11] Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud deum· manifestum est: quia iustus ex fide viuit. [12] Lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea viuet in illis. [13] Cristus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum: quia scriptum est maledictus omnis qui pendet in ligno: [14] vt in gentibus benedictio abrahe fieret in cristo ihesu· vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. [15] Fratres secundum hominem dico: tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat. [16] Abrahe dicte sunt promissiones: et semini eius. Non dicit et seminibus quasi in multis sed quasi in vno: et semini tuo qui est cristus. [17] Hoc autem dico testamentum confirmatum a deo: que post quadringentos et triginta annos facta est lex: non in irritum facit ad euacuandam promissiouem. [18] Nam si ex lege hereditas: iam non ex promissione. Abrahe autem per repromissionem donauit deus. [19] Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est: donec veniret semen cui promiserat: ordinata per angelos in manu mediatoris. [20] Mediator autem vnius non est: deus autem vnus est. [21] Lex ergo aduersus promissa dei? Absit. Si enim data est lex que posset viuificare: vere ex lege esset iusticia. [22] Sed conclusit scriptura omnia sub peccato: vt promissio ex fide ihesu cristi daretur credentibus. [23] Prius autem quam veniret fides sub lege custodiebamur: conclusi in eam fidem que reuelanda erat. [24] Itaque lex pedagogus noster fuit in cristo: vt ex fide iustificemur. [25] At vbi venit fides: iam non sumus sub pedagogo. [26] Omnes enim filij dei estis: per fidem que est in cristo ihesu. [27] Quicumque enim in cristo baptizati estis: cristum induistis. [28] Non est iudeus neque grecus: non est seruus neque liber: non est masculus neque femina. Omnes enim vos vnum estis in cristo ihesu. [29] Si autem vos cristi: ergo abrahe semen estis secundum promissionem heredes.

4 Dico autem. Quanto tempore heres paruulus est nichil differt a seruo· cum sit dominus omnium: [2] sed sub tutoribus et actoribus est vsque ad prefinitum tempus a patre. [3] Ita et nos cum essemus paruuli: sub elementis mundi huius eramus seruientes. [4] At vbi venit plenitudo temporis misit deus filium suum factum ex muliere factum sub lege: [5] vt eos qui sub lege erant redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus. [6] Quoniam autem estis filij dei: misit deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem abba pater. [7] Itaque iam non est seruus· sed filius. Quod si filius: et heres per deum. [8] Sed tunc quidem ignorantes deum: hijs qui natura non sunt dij seruiebatis. [9] Nunc autem cum cognoueritis deum ymmo cogniti sitis a deo: quomodo conuertimini iterum ad infirma et egena elementa quibus denuo seruire vultis? [10] Dies obseruatis et menses et tempora et annos. [11] Timeo vos: ne forte sine causa laborauerim in vobis. [12] Estote sicut ego: quia et ego sicut vos. Fratres obsecro vos: nichil me lesistis. [13] Scitis autem quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iam et temptationem vestram in carne mea [14] non spreuistis neque respuistis: sed sicut angelum dei excepistis me· sicut cristum ihesum. [15] Vbi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis: quia si fieri posset oculos vestros eruissetis: et dedissetis michi. [16] Ergo inimicus vobis factus sum verum dicens vobis? [17] Emulantur vos non bene: sed excludere vos volunt: vt illos emulemini. [18] Bonum autem emulamini in bono semper: et non tantum cum presens sum apud vos. [19] Filioli mei quos iterum parturio: donec formetur cristus in vobis. [20] Vellem autem esse a vos modo et mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis. [21] Dicite michi: qui sub lege vultis esse. Legem non legistis? [22] Scriptum est enim quoniam abraham duos filios habuit: vnum de ancilla: et vnum de libera. [23] Sed is qui de ancilla secundum carnem natus est: qui autem de libera per repromissionem. [24] Que sunt per allegoriam dicta. Hec enim sunt duo testamenta. Vnum quidem in monte syna in seruitutem generans: que est agar. [25] Syna enim mons est in arabia qui coniunctus est ei· que nunc est iherusalem: et seruit cum filijs suis. [26] Illa autem que sursum est iherusalem libera est: que est mater nostra. [27] Scriptum est enim. Letare sterilis que non paris: erumpe et clama que non parturis: quia multi filij deserte magis· quam eius que habet virum. [28] Nos autem fratres secundum ysaac promissionis filij sumus. [29] Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum spiritum: ita et nunc. [30] Sed quid dicit scriptura? Eice ancillam et filium eius. Non enim heres erit filius ancille: cum filio libere. [31] Itaque fratres non sumus ancille filij sed libere: qua libertate cristus nos liberauit.

5 State: Srate: et nolite iterum iugo seruitutis contineri. [2] Ecce ego paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini cristus vobis nichil proderit. [3] Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se: quoniam debitor est vniuerse legis faciende. [4] Euacuati estis a cristo. Qui in lege iustificamini: a gratia excidistis. [5] Nos enim spiritu ex fide spem iusticie exspectamus. [6] Nam in cristo ihesu neque circumcisio aliquid valet neque prepucium: sed fides que per caritatem operatur. [7] Currebatis bene. Quis vos impediuit veritati non obedire? Nemini consenseritis. [8] Persuasio hec non est ex eo qui vocauit vos. [9] Modicum fermentum totam massam corrumpit. [10] Ego confido in vobis in domino quod nichil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos: portabit iudicium quicumque est ille. [11] Ego autem fratres si circumcisionem adhuc predico: quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum crucis. [12] Vtinam et abscidantur qui vos conturbant. [13] Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis: sed per caritatem spiritus seruire inuicem. [14] Omnis enim lex in vno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut teipsum. [15] Quod si inuicem mordetis et comeditis: videte ne ab inuicem consumamini. [16] Dico autem in cristo. Spiritu

ambulate: et desideria carnis non perficietis. [17] Caro enim concupiscit spiritum: spiritus autem aduersus carnem. Hec enim sibi inuicem aduersantur: vt non quecumque vultis illa faciatis. [18] Quod si spiritu ducemini: non estis sub lege. [19] Manifesta sunt autem opera carnis: que sunt fornicatio· immundicia· impudicicia· luxuria· [20] ydolorum seruitus· veneficia· inimicicie· contentiones· emulationes· ire· rixe· dissensiones· secte· [21] inuidie· homicidia· ebrietates· comessationes· et hijs similia: que predico vobis sicut predixi: quoniam qui talia agunt regnum dei non consequentur. [22] Fructus autem spiritus est caritas· gaudium· pax· patientia· benignitas· bonitas· longanimitas· [23] mansuetudo· fides· modestia· continentia· castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. [24] Qui autem sunt cristi: carnem suam crucifixerunt cum vicijs et concupiscentijs. [25] Si viuimus spiritu: spiritu et ambulemus. [26] Non efficiamur inanis glorie cupidi: inuicem prouocantes: inuicem inuidentes.

6 Fratres: et si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto· vos qui spirituales tuales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans teipsum ne et tu tempteris. [2] Alter alterius onera portate: et sic adimplebitis legem cristi. [3] Nam si quis existimat se aliquid esse cum nichil sit: ipse se seducit. [4] Opus autem suum probet vnusquisque: et sic in semetipso tantum gloriam habebit: et non in altero. [5] Vnusquisque enim onus suum portabit. [6] Communicet autem hijs qui cathezizatur verbo: ei qui se cathezizat in omnibus bonis. [7] Nolite errare. Deus non irridetur. [8] Que enim seminauerit homo: hec et metet. Quoniam qui seminat in carne sua· de carne et metet et corruptionem: qui autem seminat in spiritu: de spiritu metet vitam eternam. [9] Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. [10] Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei. [11] Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu. [12] Quicunque enim volunt placere in carne hij cogunt vos circumcidi: tantum vt crucis cristi persecutionem non patiantur. [13] Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi vt in carne vestra gloriantur. [14] Michi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri ihesu cristi: per quem michi mundus crucifixus est: et ego mundo. [15] In cristo enim ihesu neque circumcisio aliquid valet neque preputium: sed noua creatura. [16] Et quicunque hanc regulam secuti fuerint: pax super illos et misericordia et super israhel dei. [17] De cetero nemo michi molestus sit. Ego enim stigmata domini ihesu in corpore meo porto. [18] Gracia domini nostri ihesu cristi cum spiritu vestro fratres

Ad Ephesios

Incipit epistola ad ephesios.

1 Ephesij sunt asyani. Hij accepto verbo veritatis perstiterunt in fide. Hos collaudat apostolus stiterunt in fide. Hos collauscribens eis a roma de carcere per tichicum dyaconem. Paulus apostolus cristi ihesu per voluntatem dei omnibus sanctis qui in cristo ihesu. sunt epthesi: et fidelibus [2] Gratia vobis et pax a deo patre nostro: et domino ihesu cristo. [3] Benedictus deus et pater domini nostri ihesu cristi qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in celestibus in cristo: [4] sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: vt essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate. [5] Qui predestinauit nos in adoptionem filiorum per ihesum cristum in ipsum secundum propositum voluntatis sue [6] in laudem glorie gratie sue: in qua gratificauit nos in dilecto filio suo: [7] in quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum secundum diuitias gratie eius [8] que superabundauit in nobis in omni sapientia et prudentia: [9] vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis sue secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo [10] in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in sto que in celis et que in terra sunt in cristo. [11] In quo etiam nos sorte vocati sumus: predestinati secundum propositum eius qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue: [12] vt simus in laudem glorie eius nos qui ante sperauimus in cristo. [13] In quo et vos cum audissetis verbum veritatis euangelium salutis vestre: in quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto: [14] qui est pignus hereditatis nostre in redemptionem acquisitionis in laudem glorie ipsius. [15] Propterea et ego audiens fidem vestram que est in cristo ihesu et dilectionem in omnes sanctos: [16] non cesso gratias agens pro vobis memoriam vestri faciens in orationibus meis: [17] vt deus domini nostri ihesu cristi pater glorie det vobis spiritum sapientie et reuelationis in agnitionem eius [18] illuminatos oculos cordis vestri: vt sciatis que sit spes vocationis eius et que diuitie glorie hereditatis eius in sanctis: [19] et que sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus secundum operationem potentie virtutis [20] quam operatus est in cristo: suscitans illum a mortuis· et constituens ad dexteram suam in celestibus [21] supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem· et omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo sed etiam in futuro: [22] et omnia subiecit sub pedibus eius. Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam [23] que est corpus ipsius: et plenitudo eius: qui omnia in omnibus adimpletur.

2 Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris [2] in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius· secundum principem potestatis aeris huius· spiritus qui nunc operatur in filios diffidentie: [3] in quibus et nos omnes aliquando conuersati sumus in desiderijs carnis nostre facientes voluntatem carnis et cogitationum: et eramus natura filij ire sicut et ceteri. [4] Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos: [5] et cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos cristo· cuius gratia estis saluati: [6] et conresuscitauit et consedere fecit in celestibus in cristo ihesu: [7] vt ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratie sue in bonitate super nos in cristo ihesu. [8] Gratia enim estis saluati per fidem: et hoc ex vobis. Dei enim donum est: [9] non ex operibus: vt ne quis glorietur. [10] Ipsius enim sumus factura: creati in cristo ihesu in operibus bonis: que preparauit deus vt in illis ambulemus. [11] Propter quod memores estote quod aliquando vos eratis gentes in carne qui dicebamini prepucium ab ea que dicitur circumcisio in carne manufacta: [12] qui eratis illo in tempore sine cristo alienati a conuersatione israhel: et hospites testamentorum promissionis spem non habentes· et sine deo in hoc mundo. [13] Nunc autem in cristo ihesu vos qui aliquando e aliquando ratis longe facti estis prope: in sanguine cristi. [14] Ipse enim est pax nostra qui fecit vtraque vnum: et medium parietem macerie soluens inimicicias in carne sua: [15] legem mandatorum decretis euacuans vt duos condat in semetipsum in vnum nouum hominem faciens pacem: [16] vt reconciliet ambos in vno corpore deo per crucem interficiens inimicicias in semetipso: [17] et veniens euangelizauit pacem vobis qui longe fuistis· et pacem hijs qui prope: [18] quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. [19] Ergo iam non estis hospites et aduene sed estis ciues sanctorum et domestici dei: [20] superedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide cristo ihesu: [21] in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in domino. [22] In quo et vos coedificamini in habitaculum dei: in spiritu sancto.

3 Huius rei gratia ego paulus vinctus cristi ihesu pro vobis gentibus: [2] si tamen audistis dispensacionem gratie dei que data est michi in vobis:

3 quoniam secundum reuelationem notum michi factum est sacramentum sicut supra scripsi in breui 4 prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in misterio cristi: 5 quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum· sicuti nunc reuelatum est sanctis apostolis eius et prophetis in spiritu: 6 esse gentes coheredes et concorporales et comparticipes promissionis in cristo ihesu per euangelium 7 cuius factus sum ego minister secundum donum gratie dei que data est michi secundum operationem virtutis eius. 8 Michi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hec: in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias cristi: 9 et illuminare omnes que sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in deo qui omnia creauit: 10 vt innotescat principibus et potestatibus in celestibus per ecclesiam multiformis sapientia dei· 11 secundum prefinitionem seculorum quam fecit in cristo ihesu domino nostro: 12 in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius. 13 Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: que est gloria vestra. 14 Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri ihesu cristi 15 ex quo omnis paternitas in celis et in terra nominatur: 16 vt det vobis secundum diuitias glorie sue virtutem· corroborari per spiritum eius in interiori homine 17 cristum habitare per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati et fundati: 18 vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis que sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum. 19 Scire etiam supereminentem scientie caritatem cristi: vt impleamini in omnem plenitudinem dei. 20 Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus secundum virtutem que operatur in nobis: 21 ipsi gloria in ecclesia et in cristo ihesu in omnes generationes seculi seculorum amen.

4 Obsecro itaque vos ego vinctus in domino: vt digne ambuletis qua vocati estis 2 cum omni humilitate et mansuetudine cum patientia: supportantes inuicem in caritate: 3 solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. 4 Vnum corpus· vnus spiritus: sicut et vocati estis in vna spe vocationis vestre. 5 Vnus dominus: vna fides: vnum baptisma. 6 Vnus deus et pater omnium: qui super omnes et per omnia: et in omnibus nobis. 7 Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis cristi. 8 Propter quod dicit. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. 9 Quod autem ascendit: quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terre? 10 Qui descendit: ipse est et qui ascendit super omnes celos: vt ad impleret omnia. 11 Et ipse dedit quosdam quidem apostolos· quosdam autem prophetas· alios vero euangelistas alios autem pastores et doctores 12 ad consummationem sanctorum in opus ministerij in edificationem corporis cristi: 13 donec occurramus omnes in vnitatem fidei et agnitionis filij dei· in virum perfectum in mensuram etatis plenitudinis cristi: 14 vt iam non simus paruuli fluctuantes et circumferamini omni vento doctrine in nequicia hominum in astutia ad circumuentionem erroris. 15 Veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia qui est caput cristus: 16 ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam sumministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit: in edificationem sui in caritate. 17 Hoc igitur dico et testificor in domino: vt iam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui 18 tenebris obscuratum habentes intellectum: alienati a vita dei per ignorantiam que est in illis propter cecitatem cordis ipsorum: 19 qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicicie· in operationem immundicie omnis· in auariciam. 20 Vos autem non ita didicistis cristum: 21 si tamen illum audistis et in ipso edocti estis sicut est veritas in ihesu: 22 deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris. 23 Renouamini autem spiritu mentis vestre: 24 et induite nouum hominem qui secundum deum creatus est in iusticia et sanctitate veritatis. 25 Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. 26 Irascimini: et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. 27 Nolite locum dare dyabolo. 28 Qui furabatur iam non furetur: magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est: vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. 29 Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad edificationem fidei: vt det gratiam audientibus. 30 Et nolite contristare spiritum sanctum dei: in quo signati estis in die redemptionis. 31 Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis: cum omni malicia. 32 Estote autem inuicem benigni: misericordes donantes inuicem: sicut et deus in cristo donauit vobis.

5 Estote ergo imitatores dei sicut filij carissimi: 2 et ambulate in dilectione sicut et cristus dilexit nos: et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam deo in odorem suauitatis. 3 Fornicatio autem et omnis immundicia aut auaricia nec nominetur in vobis· sicut decet sanctos: 4 aut turpitudo aut stultiloquium aut scurrilitas que ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. 5 Hoc enim scitote intelligentes: quod omnis fornicator aut immundus aut auarus quod est ydolorum seruitus non habet hereditatem in regno cristi et dei. 6 Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hec enim venit ira dei in filios diffidentie. 7 Nolite ergo effici participes eorum. 8 Eratis enim aliquando tenebre: nunc autem lux in domino: vt filij lucis ambulate. 9 Fructus enim lucis est in omni bonitate et iusticia et veritate. 10 Probantes quid sit beneplacitum deo: 11 et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem redarguite. 12 Que enim in occulto fiunt ab ipsis: turpe est et dicere. 13 Omnia autem que arguuntur a lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur· lumen 14 Propter quod dicit. Surge qui dormis et exsurge a mortuis: et illuminabit te cristus. 15 Videte itaque fratres quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes 16 sed vt sapientes: redimentes tempus quoniam dies mali sunt. 17 Propterea nolite fieri imprudentes: sed intelligentes que sit voluntas dei. 18 Et nolite inebriari vino in quo est luxuria: sed impleamini mini spiritu sancto 19 loquentes vobismetipsis in psalmis ymnis et canticis spiritalibus ipsis cantantes et psallentes in cordibus vestris domino: 20 gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri ihesu cristi deo et patri. 21 Subiecti inuicem: in timore cristi. 22 Mulieres viris suis subdite sint sicut domino: 23 quoniam vir caput est mulieris sicut cristus caput est ecclesie: ipse saluator corporis eius. 24 Sed sicut ecclesia subiecta est cristo: ita et mulieres viris suis in omnibus. 25 Viri diligite vxores vestras sicut et cristus dilexit ecclesiam: et seipsum tradidit pro ea 26 vt illam sanctificaret mundans eam lauacro aque in verbo vite: 27 vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta et immaculata. 28 Ita et viri debent diligere vxores suas: vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit: seipsum diligit. 29 Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit et fouet eam sicut et cristus ecclesiam: 30 quia membra sumus corporis eius de carne eius et de ossibus eius. 31 Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam: et adherebit vxori sue: et erunt duo in carne vna. 32 Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico: in cristo et in ecclesia. 33 Verumtamen et vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum.

6 Filij obedite parentibus vestris in domino. Hoc enim iustum est. 2 Honora patrem tuum et matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione: 3 vt bene sit tibi et sis longeuus super terram. 4 Et patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplina et correptione domini. 5 Serui obedite dominis carnalibus cum timore et tremore· in simplicitate cordis vestri sicut cristo: 6 non ad oculum seruientes quasi hominibus placeatis: sed vt serui cristi facientes voluntatem dei: ex animo 7 cum bona voluntate seruientes sicut domino et non hominibus: 8 scientes quoniam vnusquisque quodcunque fecerit bonum hoc recipiet a domino siue seruus siue liber. 9 Et vos domini eadem facite illis remittentes minas: scientes quia et illorum et vester dominus est in celis: et personarum acceptio non est apud deum. 10 De cetero fratres confortamini in domino: et in potentia virtutis eius. 11 Induite vos armaturam dei vt possitis stare aduersus insidias dyaboli: 12 quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem sed aduersus principes et potestates: aduersus mundi rectores tenebrarum harum· contra spiritalia nequicie in celestibus. 13 Propterea

accipite armaturam dei vt possitis resistere in die malo: et in omnibus perfecti stare. [14] State ergo succincti lumbos vestros in veritate: et induti loricam iusticie: [15] et calciati pedes in preparationem euangelij pacis. [16] In omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis Hij et omnia tela nequissimi ignea extinguere: [17] et galeam salutis assumite· et gladium spiritus quod est verbum dei: [18] per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecraturone cratione pro omnibus sanctis [19] et pro me: vt detur michi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere misterium euangelij [20] pro quo legatione fungor in cathena: ita vt in ipso audeam prout oportet me loqui. [21] Vt autem et vos sciatis que circa me sunt quid agam: omnia vobis nota faciet tichicus carissimus frater et fidelis minister in domino: [22] quem misi ad vos in hoc ipsum vt cognoscatis que circa nos sunt: et consoletur corda vestra [23] pax fratribus et caritas cum fide a deo patre nostro: et domino ihesu cristo. [24] Gratia cum omnibus qui diligunt dominum nostrum ihesum cristum in corruptione amen.

Ad Philipenses

1 Philipenses sunt macedones. Hij accepto verbo veritatis perstiterunt in fide: nec receperunt falsos apostolos. Hos collaudat apostolus: scribens eis a roma ma carcere per epafroditum. de carcere per epastroditum. da Paulus et thimothe P vs serui ihesu cristi: omnibus sanctis in ihesu cristo ihesu qui sunt omnibus sanctis philippis cum episcopis episcopis et dyaconibus. [2] Gra Gratia vobis et pax a deo patre nostro: et domino ihesu cristo. [3] Gratias ago deo meo in omni memoria vestri [4] semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens [5] super communicationem vestram in euangelio cristi a primo die vsque nunc: [6] confidens hoc ipsum quia qui cepit in vobis opus bonum perficiet vsque in diem cristi ihesu. [7] Sicut est michi iustum hoc sentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde et in vinculis meis et in defensione et confirmatione euangelij: socios gaudij mei omnes vos esse. [8] Testis enim michi est deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus ihesu cristi. [9] Et hoc oro: vt caritas vestra magis ac magis abundet in omni scientia et in omni sensu: [10] vt probetis potiora vt sitis sinceres et sine offensa in diem cristi: [11] repleti fructu iusticie per ihesum cristum in laudem et gloriam dei. [12] Scire autem volo vos fratres: quia que circa me sunt magis ad profectum venerunt euangelij· [13] ita vt vincula mea manifesta fierent in cristo· in omni pretorio et in ceteris omnibus: [14] vt plures e fratribus in domino· confidentes in vinculis meis· abundantius auderent sine timore verbum dei loqui. [15] Quidam quidem et propter inuidiam et contentionem: quidam autem et propter bonam voluntatem cristum predicant. [16] Quidam ex caritate: scientes quoniam in defensione euangelij positus sum. [17] Quidam autem ex contentione cristum annunciant non sincere: existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. [18] Quid enim? Dum omni modo siue per occasionem siue per veritatem cristus annuncietur: et in hoc gaudeo: sed et gaudebo. [19] Scio enim quia hoc michi proueniet ad salutem· per vestram orationem et sumministrationem spiritus ihesu cristi· [20] secundum exspectationem et spem meam quia in nullo confundar: sed in o fiducia sicut semper et nunc magnificabitur cristus in corpore meo: siue per vitam siue per mortem. [21] Michi enim viuere cristus est: et mori lucrum. [22] Quod si viuere in carne· hic michi fructus operis est: et quid eligam ignoro: [23] coartor autem: e duobus desiderium habens. Dissolui et esse cum cristo multomagis melius: [24] permanere autem in carne· necessarium propter vos. [25] Et hoc confidens scio quia manebo et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum et gaudium fidei: [26] vt gratulatio vestra abundet in cristo ihesu in me: per meum aduentum iterum ad vos. [27] Tantum digne euangelio cristi conuersamini: vt siue cum venero et videro vos· siue absens audiam de vobis: quia statis in vno spiritu· vnanimes· collaborantes fidei euangelij: [28] et in nullo terreamini ab aduersarijs que est illis causa perditionis: vobis autem salutis. Et hoc a deo. [29] Quia vobis donatum est pro cristo· non solum vt in eum credatis sed vt etiam pro illo patiamini: [30] idem certamen habentes quale et vidistis in me: et nunc audistis de me.

2 Si qua ergo consolatio in cristo· si quod solatium caritatis· si qua societas spiritus· si qua viscera miserationis: [2] implete gaudium meum· vt idem sapiatis· eandem caritatem habentes: vnanimes· idipsum sentientes. [3] Nichil per contentionem neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes: [4] non que sua sunt singuli considerantes· sed ea que aliorum. [5] Hoc enim sentite in vobis: quod et in cristo ihesu. [6] Qui cum in forma dei esset non rapinam arbitratus est esse se equalem deo: [7] sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus: et habitu inuentus vt homo [8] humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: autem crucis. [9] Propter quod et deus exaltauit illum· et donauit illi nomen quod est super omne nomen: [10] vt in nomine ihesu omne genu flectatur celestium terrestrium et infernorum: [11] et omnis lingua confiteatur quia dominus ihesus cristus in gloria est dei patris. [12] Itaque carissimi mei sicut semper obedistis: non in presentia mei tantum sed multomagis nunc in absentia mea: cum metu et tremore vestram salutem operamini. [13] Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere bona voluntate. [14] Omnia autem facite sine murmurationibus et hesi he sirationibus: [15] vt sitis sine querela et simpliet simpliet vt sitis sine querela et simplices filij dei sine reprehensione in medio nationis praue et peruerse: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo [16] verbum vite continentes ad gloriam meam in die cristi: quia non inuacuum cucurri neque laboraui: [17] sed et si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestre: gaudeo et congratulor omnibus vobis. [18] Idipsum autem et vos gaudete: et congratulamini [19] Spero autem michi. domino Spero thimotheum autem in domino ihesu thimotheum me cito mittere ad vos: vt et ego bono animo sim cognitis que circa nos sunt. [20] Neminem enim habeo tam vnanimem: qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. [21] Omnes enim que sua sunt querunt: non que sunt ihesu cristi. [22] Experimentum autem eius cognoscite: quia sicut patri filius mecum seruiuit in euangelio. [23] Hunc igitur spero me mittere ad vos: mox vt videro que circa me sunt. [24] Confido autem in domino: quoniam et ipse veniam ad vos cito. [25] Necessarium autem existimaui epastroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum· vestrum autem apostolum· et ministrum necessitatis mee· mittere ad vos: [26] quoniam quidem omnes vos desiderabat: et mestus erat propterea quod et audieratis illum infirmatum. [27] Nam et infirmatus est vsque vsque ad mortem: sed deus misertus est eius. Non Non solum autem eius: verum etiam et mei: ne super tristiciam haberem. [28] Festinantius ergo misi illum: vt viso eo iterum gaudeatis: et ego sine tristicia sim. [29] Excipite itaque illum cum omni gaudio in domino: et eiusmodi cum honore habetote: [30] quoniam propter opus cristi vsque ad mortem accessit· tradens animam suam· vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

3 De cetero fratres mei gaudete in do Eadem vobis scribere michi quidem non pigrum: vobis autem necessarium. [2] Videte canes: videte malos operarios: videte concisionem. [3] Nos enim sumus circumcisio qui spiritu seruimus deo: et ihesu et non in carne fiduciam habentes: [4] quamquam et ego

habeam et michi. fratrem confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne: ego magis· [5] octaua die ex genere israhel de tribu beniamin: hebreus ex hebreis secundum legem phariseus: [6] secundum emulationem persequens ecclesiam dei: secundum iusticiam que lege est conuersatus sine [7] Sed michi fuerunt lucra: hec arbitratus sum propter cristum detrimenta. [8] Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter e scientiam ihesu cristi domini mei: propter quem omnia detrimentum feci et arbitror stercora vt cristum lucrifaciam: vt [9] et inueniar in non habens meam iusticiam que ex lege est: sed que ex fide cristi· que ex deo est iusticia in fide [10] ad cognoscendum et illum· et virtutem cooperatorem gloriihesu hebreis secunlegem quomodo resurrectionis eius· et societatem passionum illius· configuratus morti [11] si quomodo occurram ad resurrectionem que est ex mortuis: [12] non quod iam acceperim aut iam perfectus sim. Sequor autem: comprehendam in quo et comprehensus sum a cristo ihesu. [13] Fratres: ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem: que quidem retro sunt obliuisd cens ad ea vero que sunt priora extendens meipsum: [14] ad destinatum persequor· ad brauium superne vocationis dei in cristo ihesu. [15] Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus: et si quid aliud sapitis: et hoc vobis deus reuelauit. [16] Verumtamen ad quod peruenimus vt idem sapiamus: et in eadem permaneamus regula. [17] Imitatores mei estote fratres: et obseruate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram. [18] Multi enim ambulant quos sepe dicebam vobis: nunc autem et flens dico inimicos crucis cristi: [19] quorum finis interitus: quorum deus venter est: et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt. [20] Nostra autem conuersatio in celis est. Vnde etiam saluatorem exspectamus dominum nostrum ihesum cristum: [21] qui reformabit corpus humilitatis nostre configuratum corpori claritatis sue: secundum operationem qua etiam possit subicere sibi omnia.

4 Itaque fratres mei carissimi et desiderantissimi: gaudium meum et corona mea: sic state in domino carissimi. [2] Euchodiam rogo et sinthicen deprecor in idipsum sapere in domino. [3] Etiam rogo et te germane compar: adiuua illas que mecum laborauerunt in euangelio cum clemente et ceteris adiutoribus meis: quorum nomina sunt in libro vite. [4] Gaudete in domino semper: iterum dico gaudete. [5] Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus prope est. [6] Nichil solliciti sitis: sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestre innotescant apud deum. [7] Et pax dei que exuperat omnem sensum: custodiat corda vestra et intelligentias vestras in cristo ihesu. [8] De cetero fratres quecunque sunt vera· quecunque pudica· quecunque iusta· quecunque sancta· quecumque amabilia· quecunque bone fame: si qua virtus· si qua laus discipline· hee cogitate: [9] que et didicistis· et accepistis· et audistis· et vidistis in me. Hec agite: et deus pacis erit vobiscum. [10] Gauisus sum autem in domino vehementer quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire sicut et sentiebatis. Occupati autem eratis. [11] Non quasi propter penuriam dico. Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. [12] Scio et humiliari: scio et abundare. Vbique et in omnibus institutus sum: et satiari et esurire et abundari et penuriam pati. [13] Omnia possum: in eo qui me confortat. [14] Verumtamen bene fecistis: communicantes tribulationi mee. [15] Scitis autem et vos philipenses quod in principio euangelij quando profectus sum a macedonia· nulla michi ecclesia communicauit in ratione dati et accepti· nisi vos soli: [16] quia et thessalonicam semel et bis in vsum michi misistis. [17] Non quia quero datum: sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. [18] Habeo autem omnia: et abundo. Repletus sum acceptis ab epafrodito: que misistis in odorem suauitatis hostiam acceptam placentem deo. [19] Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundum diuitias suas in gloria in cristo ihesu. [20] Dico autem et patri nostro gloria: in secula seculorum amen. [21] Salutate omnem sanctum in cristo ihesu. [22] Salutant vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes sancti: maxime autem qui de cesaris domo sunt. [23] Gratia domini nostri ihesu cristi cum spiritu vestro amen.

Incipit argumentum in epistolam ad colosenses.

Colosenses· et hij sicut et laodicenses sunt asiani: et ipsi preuenti erant a pseudo apostolis. Nec ad hos accessit ipse apostolus: sed et hos per epistolam recorrigit. Audierant enim verbum ab arcippo: qui et ministerium in eos accepit. Ergo apostolus iam ligatus scribit eis ab epheso per tychicum dyaconem et onesimum acolitum.

Ad Colosenses

Incipit epistola ad colosenses.

1 Paulus apostolus ihesu cristi per voluntatem dei· et thimotheus frater: [2] hiis colosis. qui sunt fratribus sanctis et fidelibus in cristo ihesu. [3] Gratia vobis et pax a deo patre nostro. Gratias agimus deo et patri domini nostri ihesu cristi semper pro vobis orantes: [4] audientes fidem vestram in cristo ihesu et dilectionem quam habetis in sanctos omnes [5] propter spem que reposita est vobis in celis: quam audistis in verbo veritatis euangelij [6] quod peruenit ad vos sicut et in vniuerso mundo est: et fructificat et crescit sicut in vobis ex ea die qua audistis et cognouistis gratiam dei in veritate: [7] sicut didicistis ab epafra carissimo conserua nostro: qui est fidelis pro vobis minister cristi ihesu. [8] Qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in spiritu. [9] Ideo et nos ex qua die audiuimus non cessamus pro vobis orantes: et postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia et intellectu spiritali: [10] vt ambuletis digne deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia dei: [11] in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius in omni patientia et longanimitate: cum gaudio [12] gratias agentes deo patri: qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. [13] Qui eripuit nos de potestate tenebrarum: et transtulit in regnum filij dilectionis sue: [14] in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum. [15] Qui est ymago dei inuisibilis· primogenitus omnis creature: [16] quoniam in ipso condita sunt vniuersa in celis et in terra visibilia et inuisibilia. Siue throni siue dominationes siue principatus siue potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt. [17] Et ipse est ante omnes: et omnia in ipso constant. [18] Et ipse est caput corporis ecclesie qui est principium primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens. [19] Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: [20] et per eum reconciliari omnia in ipso: pacificans per sanguinem crucis eius siue que in terris siue que in celis sunt. [21] Et vos cum essetis aliquando alienati et inimici sensu· in operibus malis: [22] nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem· exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso: [23] si tamen permanetis in fide fundati et sta stabiles et immobiles a spe euangelij quod audistis: quod predicatum est in vniuersa creatura que sub celo est: cuius factus sum ego paulus minister: [24] qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis: et adimplebo ea

que desunt passionum cristi in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia. [25] Cuius factus sum ego minister secundum dispensationem dei que data est michi in vobis: vt impleam verbum dei· [26] misterium quod absconditum fuit a seculis et generationibus: nunc autem manifestum est sanctis eius [27] quibus noluit deus notas facere diuitias glorie sacramenti huius in gentibus: quod est cristus in vobis spes glorie· [28] quem nos annunciamus: corripientes omnem hominem et docentes in omni sapientia: vt exhibeamus omnem hominem perfectum in cristo ihesu: [29] in quo et laboro certando secundum operacionem eius quam operatur in me in virtute.

2 Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro hijs qui sunt laoditie· et quicumque non viderunt faciem meam in carne: [2] vt consolentur corda ipsorum instructi in caritate et in omnes diuitias plenitudinis intellectus in agnitione misterij dei patris cristi ihesu: [3] in quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie absconditi. [4] Hoc autem dico: vt nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. [5] Nam et si corpore absens sum: sed spiritu vobiscum sum gaudens et videns ordinem vestrum· et firmamentum· eius que in cristo est fidei vestre. [6] Sicut ergo accepistis ihesum cristum dominum nostrum in ipso ambulate: [7] radicati et superedificati in ipso· et confirmati in fide sicut et didicistis: abundantes in illo in gratiarum actione. [8] Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam: secundum traditionem hominum· secundum elementa mundi: et non secundum cristum. [9] Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: [10] et estis in illo repleti qui est caput omnis principatus et potestatis. [11] In quo et circuncisi estis circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis: sed in circumcisione cristi [12] consepulti ei in baptismo: in quo et resurrexistis per fidem operationis dei qui suscitauit illum a mortuis. [13] Et vos cum mortui essetis in delictis et prepucio carnis vestre conuiuificauit cum illo donans vobis omnia delicta: [14] delens quod aduersus nos erat cyrographum decreti quod erat contrarium nobis. Et ipsum tulit de medio affigens illud cruci: [15] et exspolians principatus et potestates traduxit confidenter: palam triumphans illos in semetipso. [16] Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi aut neomenie aut sabbatorum [17] que sunt vmbra futurorum: corpus autem cristi. [18] Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum que non vidit· ambulans frustra inflatus sensu carnis sue: [19] et non tenens caput ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones sumministratum et constructum constructum crescit in augmentum dei. [20] Si mortui estis cum cristo ab elementis huius mundi: quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? [21] Ne tetigeritis· neque gustaueritis· neque contrectaueritis: [22] que sunt omnia in interitu ipso vsu secundum precepta et doctrinas hominum: [23] que sunt rationem quidem habentia sapientie in superstitione et humilitate et non ad parcendum corpori: non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

3 Igitur si conresurrexistis cum cristo que sursum sunt querite vbi cristus est in dextra dei sedens: [2] que sursum sunt sapite: non que super terram. [3] Mortui enim estis et vita vestra abscondita est cum cristo in deo: [4] cum autem cristus apparuerit vita vestra: tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. [5] Mortificate ergo membra vestra que sunt super terram: fornicationem· immundiciam· libidinem· concupiscentiam malam· et auariciam· que est simulacrorum seruitus: [6] propter que venit ira dei super filios incredulitatis· [7] in quibus ambulastis aliquando cum viueritis in illis. [8] Nunc autem deponite et vos omnia: iram indignationem maliciam blasphemiam turpem sermonem de ore vestro. [9] Nolite mentiri inuicem: exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis [10] et induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem secundum ymaginem eius qui creauit eum: [11] vbi non est gentilis et iudeus: circumcisio et prepucium· barbarus et scita· seruus et liber: sed omnia et in omnibus cristus. [12] Induite vos ergo sicut electi dei sancti et dilecti viscera misericordie: benignitatem· humilitatem· modestiam· patientiam· [13] supportantes inuicem et donantes vobismetipsis si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut et dominus donauit vobis ita et vos. [14] Super omnia autem hec caritatem habete quod est vinculum perfectionis: [15] et pax cristi exultet in cordibus vestris· in qua et vocati estis in vno corpore: et grati estote. [16] Verbum cristi habitet in vobis abundanter: in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos psalmis ymnis et canticis spiritalibus in gratia cantantes in cordibus vestris deo. [17] Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere: omnia in nomine domini nostri ihesu cristi: gratias agentes deo et patri per ipsum. [18] Mulieres subdite estote viris: sicut oportet in domino. [19] Viri diligite vxores vestras: et nolite amari esse ad illas. [20] Filij obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in domino. [21] Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: vt non pusillo animo fiant. [22] Serui obedite per omnia dominis carnalibus: non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes: sed in simplicitate cordis timentes deum. [23] Quodcunque facitis· ex animo operamini· sicut domino et non hominibus: [24] scientes quod a domino accipietis retributionem hereditatis. Domino cristo seruite. [25] Qui enim iniuriam facit recipiet id quod inique gessit: et non est personarum acceptio apud deum.

4 Domini quod iustum est et equum· seruis prestate: scientes quod et vos dominum habetis in celo. [2] Orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione: [3] orantes simul et pro nobis: vt deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum misterium cristi: propter quod etiam vinctus sum: [4] vt manifestem illud ita vt oportet me loqui. [5] In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt: tempus redimentes. [6] Sermo vester semper in gratia sale sit conditus: vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. [7] Que circa me sunt omnia vobis nota faciet tychicus carissimus frater et fidelis minister et conseruus in domino: [8] quem misi ad vos ad hoc ipsum vt cognoscat que circa vos sunt: et consoletur corda vestra [9] cum onesimo carissimo et fideli fratre qui ex vobis est: qui omnia que hic aguntur nota facient vobis. [10] Salutat vos aristarcus concaptiuus meus: et marcus consobrinus barnabe: de quo accepistis mandata. Si venerit ad vos: suscipite illum. [11] Et ihesus qui dicitur iustus: qui sunt ex circumcisione. Hij soli sunt adiutores mei in regno dei: qui michi fuerunt solatio. [12] Salutat vos epafras qui ex vobis est seruus cristi ihesu: semper sollicitus pro vobis in orationibus: vt stetis perfecti et pleni in omni voluntate dei. [13] Testimonium enim illi perhibeo: quod habet multum laborem pro vobis et pro hijs qui sunt laoditie et qui ierapoli. [14] Salutat vos lucas medicus carissimus: et demas. [15] Salutate fratres qui sunt laoditie et nymphan: et que in domo eius est ecclesiam. [16] Et cum lecta fuerit apud vos epistola hec· facite vt et in laodicensium ecclesia legatur: et eam que laodicensium est vobis legatur. [17] Et dicite arcippo. Vide ministerium quod accepisti in domino: vt illud impleas. [18] Salutatio mea: manu pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia domini ihesu vobiscum vinculorum amen.

Incipit argumentum in epistolam ad thessalonicenses primam.

Thessalonicenses sunt macedones: qui accepto verbo veritatis perstiterunt in fide: etiam in persecutione ciuium suorum. Preterea nec receperunt falsos apostolos: nec ea que a falsis apostolis dicebantur. Hos collaudat apostolus scribens eis ab athenis: per tychicum dyaconum· et onesimum acolitum.

Ad Thessalonicenses I

Incipit epistola prima ad thessalonicenses.

1 Paulus et siluanus et thimotheus: ecclesie thessalonicensium in deo patre nostro et domino ihesu cristo: [2] gratia vobis et pax. Gratias agimus deo semper pro omnibus vobis memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione: [3] memores operis fidei vestre et laboris· et caritatis· et sustinentie spei domini nostri ihesu cristi: ante deum et patrem nostrum. [4] Scientes fratres dilecti a deo electionem vestram: [5] quia euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum sed et in virtute et in spiritu sancto et in plenitudine multa: sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. [6] Et vos imitatores nostri facti estis et domini: excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio spiritus sancti: [7] ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in macedonia et in achaia. [8] A vobis enim diffamatus est sermo domini non solum in macedonia et in achaia: sed et in omni loco fides vestra que est ad deum profecta est: ita vt non sit nobis necesse quicquam loqui. [9] Ipsi enim de nobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos: et quomodo conuersi estis ad deum a simulacris seruire deo viuo et vero: [10] et exspectare filium eius de celis quem suscitauit ex mortuis ihesum: quia eripuit nos ab ira ventura.

2 Nam ipsi scitis fratres introitum nostrum ad vos· quia non inanis fuit: [2] sed ante passi multa: et contumelijs affecti sicut scitis in philippis: fiduciam habuimus in deo nostro loqui ad vos euangelium dei in multa sollicitudine. [3] Exhortatio enim nostra non de errore neque de immundicia neque in dolo: [4] sed sicut probati sumus a deo vt crederetur nobis euangelium ita loquimur: non quasi hominibus placentes· sed deo qui probat corda nostra. [5] Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis sicut scitis: neque in occasione auaricie deus testis est: [6] nec querentes ab hominibus gloriam neque a vobis neque ab alijs [7] cum possemus vobis oneri esse vt cristi apostoli. Sed facti sumus paruuli in medio vestrum tamquam si nutrix foueat filios suos: [8] ita desiderantes vos cupide· volebamus tradere vobis non solum euangelium dei sed etiam animas nostras: quoniam carissimi nobis facti estis. [9] Memores enim facti estis fratres laboris nostri et fatigationis: nocte et die operantes· ne quem vestrum grauaremus: predicauimus in vobis euangelium dei. [10] Vos testes estis et deus: quam sancte et iuste et sine querela vobis qui credidistis fuimus [11] sicut scitis: qualiter vnumquemque vestrum sicut pater filios suos [12] deprecantes vos et consolantes: testificati sumus vt ambularetis digne deo qui vocauit vos in suum regnum et gloriam. [13] Ideo et nos gratias agimus deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus dei accepistis illud non vt verbum hominum sed sicut est vere verbum dei: qui operatur in vobis qui credidistis. [14] Vos enim imitatores facti estis fratres ecclesiarum dei que sunt in iudea in cristo ihesu: quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris sicut et ipsi a iudeis: [15] qui et dominum occiderunt ihesum et prophetas et nos persecuti sunt: et deo non placent· et omnibus hominibus aduersantur: [16] prohibentes nos gentilibus loqui vt salue fiant: vt impleant peccata sua semper. Preuenit ira dei super illos vsque in finem. [17] Nos autem fratres desolati a vobis ad tempus ore· aspectu non corde: abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio: [18] quoniam noluimus venire ad vos. Ego quidem paulus et semel et iterum: sed impediuit nos sathanas. [19] Que est enim nostra spes aut gaudium aut corona glorie? Nonne vos ante dominum nostrum ihesum cristum in aduentu eius? [20] Vos enim estis gloria nostra et gaudium.

3 Propter quod non sustinentes amplius· placuit nobis remanere athenis solis: [2] et misimus thimotheum fratrem nostrum et ministrum dei in euangelio cristi ad confirmandos vos et exhortandos pro fide vestra: [3] vt nemo moueatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis: quod in hoc positi sumus. [4] Nam et cum apud vos essemus predicebamus vobis passuros vos tribulationes: sicut et factum est et scitis. [5] Propterea et ego amplius non sustinens misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tempta verit vos is qui temptat: et inanis fiat labor noster. [6] Nunc autem veniente thimotheo ad nos a vobis et annunciante nobis fidem et caritatem vestram: et quia memoriam nostri habetis bonam: semper desiderantes nos videre· sicut et nos quoque vos: [7] ideo consolati sumus fratres· in vobis in omni necessitate et tribulatione nostra per fidem vestram: [8] quoniam nunc viuimus: si vos statis in domino. [9] Quam enim graciarum actionem possumus deo retribuere pro vobis in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante deum nostrum: [10] nocte ac die abundantius orantes vt videamus faciem vestram et compleamus ea que desunt fidei vestre? [11] Ipse autem deus et pater noster et dominus ihesus cristus dirigat viam nostram ad vos. [12] Vos autem dominus multiplicet: et abundare faciat caritatem vestram in inuicem et in omnes: quemadmodum et nos in vobis [13] ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate ante deum et patrem nostrum in aduentu domini nostri ihesu cristi cum omnibus sanctis eius amen.

4 De cetero ergo fratres rogamus vos et obsecramus in domino ihesu: vt quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare et placere deo sicut et ambuletis: vt abundetis magis. [2] Scitis enim que precepta dederim vobis per dominum ihesum. [3] Hec est autem voluntas dei sanctificatio vestra vt abstineatis vos a fornicatione: [4] vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore: [5] non in passione desiderij sicut et gentes que ignorant deum. [6] Et ne quis supergrediatur neque circumueniat in negocio fratrem suum: quoniam vindex est dominus de hijs omnibus sicut prediximus vobis et testificati sumus. [7] Non enim vocauit nos deus in immundiciam: sed in sanctificationem. [8] Itaque qui hec spernit non hominem spernit sed deum: qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. [9] De caritate autem fraternitatis non necesse habuimus scribere vobis. Ipsi enim vos a deo didicistis: vt diligatis inuicem. [10] Etenim illud facitis in omnes fratres: in vniuersa macedonia. Rogamus autem vos fratres vt abundetis magis: [11] et operam de atis vt quieti sitis· et vt vestrum negocium agatis· vt operemini manibus vestris sicut precepimus vobis: [12] et vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt· et nullius aliquid desideretis. [13] Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus: vt non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent. [14] Si enim credimus quod ihesus mortuus est et resurrexit: ita et deus eos qui dormierunt per ihesum adducet cum eo. [15] Hoc enim vobis dicimus in verbo domini: quia nos qui viuimus qui residui sumus: in aduentu domini non preueniemus eos qui dormierunt. [16] Quoniam ipse dominus in iussu et in voce archangeli et in tuba dei descendet de celo: et mortui qui in cristo sunt resurgent primi. [17] Deinde nos qui viuimus qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam cristo in aera: et sic semper cum domino erimus. [18] Itaque consolamini inuicem in verbis istis.

5 De temporibus autem et momentis fratres non indigetis vt scribamus vobis. [2] Ipsi enim diligenter scitis: quia dies domini sicut fur in nocte ita veniet. [3] Cum enim dixerint pax et securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus sicut dolor in vtero habentis: et non effugient. [4] Vos autem fratres non estis in tenebris: vt vos dies ille tanquam fur comprehendat. [5] Omnes enim vos filij lucis estis: et filij diei. Non estis noctis neque tenebrarum. [6] Igitur non dormiamus sicut et ceteri: sed vigilemus et sobrij sumus. [7] Qui enim dormiunt nocte dormiunt: et qui ebrij sunt nocte ebrij sunt. [8] Nos

autem qui diei sumus sobrij sumus: induti loricam fidei et caritatis et galeam spem salutis: [9] quoniam non posuit nos deus in iram sed in acquisitionem salutis per dominum nostrum ihesum cristum [10] qui mortuus est pro nobis: vt siue vigilemus siue dormiamus: simul cum illo viuamus. [11] Propter quod consolamini inuicem· et edificate alterutrum: sicut et facitis. [12] Rogamus autem vos fratres vt noueritis eos qui laborant inter vos· et presunt vobis in domino· et monent vos: [13] vt habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum: et pacem habete cum eis. [14] Rogamus autem vos fratres: corripite inquietos· consolamini pusillanimes· suscipite infirmos: patientes estote ad omnes. [15] Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in inuicem et in omnes. [16] Semper gaudete: [17] sine intermissione orate: [18] in omnibus gratias agite. Hec est enim voluntas dei in cristo ihesu: in omnibus vobis. [19] Spiritum nolite extinguere: [20] prophetias nolite spernere. [21] Omnia autem probate: quod bonum est tenete: [22] ab omni specie mala abstinete vos. [23] Ipse autem deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in aduentu domini nostri ihesu cristi seruetur. [24] Fidelis est qui vocauit vos: qui etiam faciet. [25] Fratres: orate pro nobis. [26] Salutate fratres omnes: in osculo sancto. [27] Adiuro vos per dominum: vt legatur epistola hec omnibus sanctis fratribus. [28] Gratia domini nostri ihesu cristi vobiscum amen.

Incipit epistola secunda ad thessalonicenses.

Ad thessalonicenses secundam scribit epistolam apostolus: et notum facit eis de temporibus nouissimis et de aduersarij deiectione. Scribit hanc epistolam ab athenis per titum dyaconem et onesimum acolitum.

Ad Thessalonicenses II

Incipit epistola secunda ad thessalonicenses.

1 Paulus et siluanus et thimotheus ecclesie thessalonicensium in deo patre nostro et domino ihesu cristo: [2] gratia vobis et pax a deo patre nostro et domino ihesu cristo. [3] Gratias agere debemus semper deo pro vobis fratres ita vt dignum est: quoniam supercrescit fides vestra et abundat caritas vniuscuiusque vestrum in inuicem: [4] ita vt et nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesijs dei pro patientia vestra et fide et in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus quas sustinetis [5] in exemplum iusti iudicij dei: vt digni habeamini in regno dei pro quo et patimini: [6] si tamen iustum est apud deum retribuere retributionem hijs qui vos tribulant: [7] et vobis qui tribulamini requiem nobiscum in reuelatione domini ihesu de celo cum angelis virtutis eius [8] in flamma ignis dantis vindictam hijs qui non nouerunt deum et qui non obediunt euangelio domini nostri ihesu cristi. [9] Qui penas dabunt in interitu eternas a facie domini et a gloria virtutis eius: [10] cum venerit glorificari in sanctis suis· et ammirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: quia creditum est testimonium nostrum super nos in die illo. [11] In quo etiam oramus semper pro vobis vt dignetur vos vocatione sua deus: et impleat omnem voluntatem bonitatis sue et opus fidei in virtute: [12] vt clarificetur nomen domini nostri ihesu cristi in vobis: et vos in illo: secundum gratiam dei nostri et domini ihesu cristi.

2 Rogamus autem vos fratres per aduentum domini nostri ihesu cristi et nostre congregationis in ipsum: [2] vt non cito moueamini a vestro sensu neque terreamini neque per spiritum neque per sermonem neque per epistolam tanquam per nos missam: quasi instet dies domini. [3] Ne quis vos seducat vllo modo. Quoniam nisi venerit discessio primum: et reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis· [4] qui aduersatur et extollitur supra omne quod dicitur deus aut quod colitur: ita vt in templo dei sedeat ostendens se tanquam sit deus. [5] Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos hec dicebam vobis? [6] Et nunc quid detineat scitis: vt reueletur in suo tempore. [7] Nam misterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc· teneat: donec de medio fiat. [8] Et tunc reuelabitur ille iniquus quem dominus ihesus interficiet spiritu oris sui: et destruet illustratione aduentus sui· eum [9] cuius est aduentus secundum operationem sathane in omni virtute et signis et prodigijs mendacibus [10] et in omni seductione iniquitatis hijs qui pereunt: eo quod caritatem veritatis non receperunt vt salui fierent. [11] Ideo mittet illis deus operationem erroris vt credant mendacio: [12] vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati: sed consenserunt iniquitati. [13] Nos autem debemus gratias agere deo semper pro vobis fratres dilecti a deo: quod elegerit nos deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus et in fide veritatis: [14] in quam et vocauit vos per euangelium nostrum in acquisitione glorie domini nostri ihesu cristi. [15] Itaque fratres state: et tenete traditiones quas didicistis: siue per sermonem siue per epistolam nostram. [16] Ipse autem dominus noster ihesus cristus et deus pater noster qui dilexit nos· et dedit consolationem eternam et spem bonam in gratia [17] exhortetur corda vestra: et confirmet in omni opere et sermone bono.

3 cetero fratres orate pro nobis vt sermo dei currat et clarificetur sicut et apud vos: [2] et vt liberemur ab importunis et malis hominibus. Non enim omnium est fides. [3] Fidelis autem dominus est qui confirmabit vos: et custodiet a malo. [4] Confidimus autem de vobis fratres in domino: quoniam que precipimus et facitis: et facietis. [5] Dominus autem dirigat corda vestra in caritate dei: et patientia cristi. [6] Denunciamus autem vobis fratres in nomine domini nostri ihesu cristi: vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate: et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. [7] Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos [8] neque gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore et in fatigatione nocte et die operantes: ne quem vestrum grauaremus. [9] Non quasi non habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. [10] Nam et cum essemus apud vos hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari: nec manducet. [11] Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete nichil operantes: sed curiose agentes. [12] Hijs autem qui eiusmodi sunt denunciamus et obsecramus in domino ihesu cristo vt cum silentio operantes: suum panem manducent. [13] Vos autem fratres nolite deficere benefacientes. [14] Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam hunc notate: et non commisceamini cum illo vt confundantur. [15] Et nolite quasi inimicum existimare: sed corripite vt fratrem. [16] Ipse autem deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus cum omnibus vobis. [17] Salutatio mea manu pauli: quod est signum in omni epistola. Ita scribe. [18] Gratia domini nostri ihesu cristi cum omnibus vobis amen.

Ad Thimotheum I

Incipit epistola ad thimotheum prima· capitulum primum.

1 Thimotheum instruit et docet De ordinatione episcopatus et dyaconij· et omnis aditia per tichicum dyaconem. E. WT apostolus ihesu cristi secundum imperium dei saluatoris nostri et cristi cristi ihesu spei nostre: [2] thimotheo dilecto filio in fide: gratia et misericordia et pax a deo patre et cristo ihesu domino nostro. [3] Sicut rogaui te vt remeares ephesi cum irem in macedoniam· vt denunciares quibusdam ne aliter docerent: [4] neque intenderent fabulis et genealogijs interminatis: que questiones prestant magis quam edificationem dei que est in fide. [5] Finis autem precepti est caritas: de corde puro· et conscientia bona: et fide non ficta. [6] A quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium: [7] volentes esse legis doctores non intelligentes neque que loquuntur: neque de quibus affirmant. [8] Scimus autem quia bona est lex si quis ea legitime vtatur: [9] sciens hoc quia lex iusto non est posita sed iniustis et non subditis: impijs et peccatoribus sceleratis et contaminatis patricidis et matricidis homicidis [10] fornicarijs masculorum concubitoribus· plagiarijs mendacibus et periuris: et si quid aliud sane doctrine aduersatur: [11] que est secundum euangelium glorie beati dei quod creditum est michi. [12] Gratias ago ei qui me confortauit in cristo ihesu domino nostro: quia fidelem me existimauit ponens in ministerio. [13] Qui prius blasphemus fui et persecutor et contumeliosus: sed misericordiam dei consecutus sum quia ignorans feci in incredulitate. [14] Superabundauit autem gratia domini nostri cum fide et dilectione que est in cristo ihesu. [15] Fidelis sermo et omni acceptione dignus: quia cristus ihesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere: quorum primus ego sum. [16] Sed ideo misesericordiam consecutus sum: vt in me primo ostenderet cristus ihesus omnem patientiam ad informationem eorum qui crediturí sunt illi in vitam eternam. [17] Regi autem seculorum immortali inuisibili soli deo honor et gloria: in secula seculorum amen. [18] Hoc preceptum commendo tibi fili thimothee secundum precedentes in te prophetias: vt milites in illis bonam militiam [19] habens fidem et bonam conscientiam. Quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt: [20] ex quibus est hymeneus et alexander quos tradidi sathane: vt discant non blasphemare.

2 Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes orationes postulationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus: [2] pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt: vt quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. [3] Hoc enim bonum est et acceptum coram saluatore nostro deo: [4] qui omnes homines vult saluos fieri: et ad agnitionem veritatis venire. [5] Vnus enim deus vnus et mediator dei et hominum homo cristus ihesus: [6] qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Cuius testimonium temporibus suis confirmatum est: [7] in quo positus sum ego predicator et apostolus. Veritatem dico non mentior: doctor gentium in fide et veritate. [8] Volo ergo viros orare in omni loco: leuantes puras manus sine ira et disceptatione. [9] Similiter et mulieres in habitu ornato· cum verecundia et sobrietate ornantes se: et non in tortis crinibus aut auro aut margaritis vel veste preciosa: [10] sed quod decet mulieres: promittentes pietatem per opera bona. [11] Mulier in silentio discat: cum omni subiectione. [12] Docere autem mulieri non permitto neque dominari in virum: sed esse in silentio. [13] Adam enim primus formatus est deinde eua: [14] et adam non est seductus: mulier autem seducta in preuaricatione fuit. [15] Saluabitur autem per filiorum generationem: si permanserit in fide et dilectione et sanctificatione cum sobrietate.

3 Fidelis sermo. Si quis episcopatum desiderat: bonum opus desiderat. [2] Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse· vnius vxoris virum: sobrium· ornatum· prudentem· pudicum· hospitalem· doctorem· [3] non vinolentum· non percussorem· sed modestum: non litigiosum· non cupidum: sed [4] sui domui bene prepositum: filios habentem subditos cum omni castitate. [5] Si quis autem domui sue preesse nescit: quomodo ecclesie dei diligentiam habebit? [6] Non neophitum· ne in superbiam elatus in iudicium incidat dyaboli. [7] Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab hijs qui foris sunt: vt non in opprobrium incidat et in laqueum dyaboli. [8] Dyaconos similiter pudicos· non bilingues· non multo vino deditos: non turpe lucrum sectantes: [9] habentes misterium fidei in conscientia pura. [10] Et hij autem probentur primum: et sic ministrent nullum crimen habentes. [11] Mulieres similiter pudicas: non detrahentes: sobrias· fideles in omnibus. [12] Dyacones sint vnius vxoris viri: qui filijs suis bene presint· et suis domibus. [13] Qui enim bene ministrauerint· gradum bonum sibi acquirent: et multam fiduciam in fide que est in cristo ihesu. [14] Hec tibi scribo fili thimothee: sperans me ad te venire cito. [15] Si autem tardauero: vt scias quomodo oporteat te in domo dei conuersari que est ecclesia dei viui: columna et firmamentum veritatis. [16] Et manifeste magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne· iustificatum est in spiritu: apparuit angelis predicatum est gentibus: creditum est in mundo· assumptum est in gloria.

4 Spiritus autem manifeste dicit· quia in nouissimis temporibus discedent quidam a fide: attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum [2] in ypocrisi· loquentium mendacium et cauteriatam habentium suam conscientiam: [3] prohibentium nubere: abstinere a cibis quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus: et hijs qui cognouerunt veritatem. [4] Quia omnis creatura dei bona: et nichil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. [5] Sanctificatur enim per verbum dei et orationem. [6] Hec proponens fratribus. bonus eris minister cristi ihesu: enutritus verbis fidei et bone doctrine quam assecutus es. [7] Ineptas autem et aniles fabulas deuita. Exerce autem teipsum ad pietatem. [8] Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. Pietas autem ad omnia vtilis est: promissionem habens vite· que nunc est et future. [9] Fidelis sermo: et omni acceptione dignus. [10] In hoc enim laboramus et maledicimur quia speramus in deum viuum: qui est saluator omnium hominum: maxime fidelium. [11] Precipe hec et doce. [12] Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium· in verbo· in conuersatione· in caritate· in fide· in castitate. [13] Dum venio attende lectioni exhortationi doctrine. [14] Noli negligere gratiam que in te est: que data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbiterij. [15] Hec meditare: in hijs esto: vt profectus tuus manifestus sit omnibus. [16] Attende enim tibi et doctrine: insta in illis. Hoc enim faciens· et teipsum saluum facies: et eos qui te audiunt.

5 Seniorem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem. Iuuenes vt fratres: [2] anus vt matres: iuuenculas vt sorores in omni castitate. [3] Viduas honora: que vere vidue sunt. [4] Si qua autem vidua filios aut nepotes habet: discat primum domum suam regere et mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram deo. [5] Que autem vere vidua est et desolata speret in deum: et instet obsecrationibus et orationibus nocte et die. [6] Nam que in delitijs est: viuens mortua est. [7] Et hoc precipe: vt irreprehensibiles sint. [8] Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet· fidem negauit: et est infideli deterior. [9] Vidua eligatur non minus sexaginta annorum· que fuerit vnius viri vxor: [10] in operibus bonis testimonium habens: si filios educauit· si hospitio recepit si sanctorum pedes lauit: si tribulationem patientibus sumministrauit: si omne opus bonum subsecuta est.

[11] Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriate fuerit in cristo nubere volunt: [12] habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt. [13] Simul autem et ociose discunt circuire domos: non solum ociose sed et verbose et curiose: loquentes que non oportet. [14] Volo autem iuniores nubere· filios procreare matres familias esse: nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. [15] Iam enim quedam conuerse sunt retro sathanan. [16] Si quis fidelis habet viduas sumministret illis vt non grauetur ecclesia: vt hijs que vere vidue sunt sufficiat. [17] Qui bene presunt presbiteri duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina. [18] Dicit enim scriptura. Non infrenabis os boui trituranti. Et dignus est operarius mercede sua. [19] Aduersus presbiterum accusationem noli recipere: nisi sub duobus aut tribus testibus. [20] Peccantes coram omnibus argue: vt et ceteri timorem habeant. [21] Testor coram deo et cristo ihesu et electis angelis· vt hec custodias sine preiudicio: nichil faciens alteram partem declinando. [22] Manus cito nemini imposueris: neque comunicaueris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. [23] Noli adhuc aquam bibere: sed modico vino vtere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates. [24] Quorundam hominum peccata manifesta sunt precedentia ad iudicium: quosdam autem subsecuntur. [25] Similiter et facta bona manifesta sunt: et que aliter se habent abscondi non possunt.

6 Quicumque sunt sub iugo serui dominos suos omni honore dignos arbitrentur: ne nomen domini et doctrina blasphemetur. [2] Qui autem fideles habent dominos non contemnant quia fratres sunt: sed magis seruiant quia fideles sunt et dilecti: quia beneficij participes sunt hec doce: et exhortare. [3] Si quis aliter docet· et non acquiescit sanis sermonibus domini nostri ihesu cristi· et ei que secundum pietatem est doctrine: [4] superbus nichil sciens sed languens circa questiones et pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidie contentiones blasphemie suspiciones male· [5] conflictationes hominum mente corruptorum et qui veritate priuati sunt: existimantium questum esse pietatem. [6] Est autem questus magnus: pietas cum sufficientia. [7] Nichil enim intulimus in hunc haut mundum: haut dubium quia nec auferre quid possumus. [8] Habentes autem alimenta et quibus tegamur: hijs contenti simus. [9] Nam qui volunt diuites fieri· incidunt in temptationem et in laqueum dyaboli et desideria multa inutilia nociua: que mergunt homines in interitum et perditionem. [10] Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt a fide: et inseruerunt se doloribus multis. [11] Tu autem o homo dei hec fuge. Sectare vero iusticiam· pietatem· fidem· caritatem· patientiam· mansuetudinem. [12] Certa bonum certamen: apprehende vitam eternam: in qua vocatus es et confessus bonam confessionem coram multis testibus. [13] Precipio tibi coram deo qui viuificat cat omnia et cristo ihesu qui testimonium reddidit didit sub poncio pylato bonam confessionem: [14] vt serues mandatum sine macula irreprehensibile vsque in aduentum domini nostri ihesu cristi: [15] quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens rex regum et dominus dominantium: [16] qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit sed nec videre potest: cui honor et imperium sempiternum amen. [17] Diuitibus huius seculi precipe non sublime sapere: neque sperare in incerto diuitiarum sed in deo viuo qui prestat nobis omnia abunde ad fruendum: [18] bene agere: diuites fieri in bonis operibus: facile tribuere· communicare: [19] thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum: vt apprehendant veram vitam. [20] thimothee depositum custodi: deuitans prophanas vocum nouitates et oppositiones falsi nominis scientie: [21] quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Gratia tecum amen. tecum

Ad Thimotheum II

Incipit epistola secunda ad thimotheum.

1 de Item thimotheo scribit de exhortatione martirij et omnis regule veritatis: et quod futurum sit temporibus nouissimis· et de sua passione: scribens a roma. apostolus ihesu cristi per voluntallgu tem dei secundum promissionem vite que est in cristo [2] carissimo filio: gra domino nostro. Gratias ago de cristo ihesu re. causam [3] amoneo thimotheo o meo cui seruio a progenitoribus meis in filio: deo patre ihesu conscientia pura: quod sine intermissione intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die [4] desiderans te videre memor lacrimarum tuarum vt gaudio implear. [5] Recordationem pleat. accipiens eius fidei non ficta que et habitauit prique in te est in auia tua loride et matre tua eunice. in te Certus re. Certus sum autem que quod et in te [6] propter quam causam te vt resuscites gratiam dei que est in te per impositionem manuum mearum. [7] Non enim dedit nobis deus spiritum timoris sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. [8] Noli itaque erubescere testimonium domini nostri neque me vinctum eius: sed collabora euangelio secundum virtutem dei· [9] qui nos liberauit et vocauit vocatione sua sancta: non secundum opera nostra sed secundum propositum suum et gratiam· que data est nobis in cristo ihesu ante tempora secularia. [10] Manifestata est autem nunc per illuminationem saluatoris nostri ihesu cristi: qui destruxit quidem mortem· illuminauit autem vitam et incorruptionem per euangelium: [11] in quo positus sum ego predicator et apostolus et magister gentium. [12] Ob quam causam etiam hec patior: sed non confundor. Scio enim cui credidi: et certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. [13] Formam habe sanorum verborum que a me audisti in fide et in dilectione in cristo ihesu. [14] Bonum depositum custodi per spiritum sanctum qui habitat in nobis. [15] Scis enim hoc quod auersi sunt a me omnes qui in asia sunt: ex quibus est phigelus et hermogenes. [16] Det misericordiam dominus onesifori domui: quia sepe me refrigerauit et cathenam meam non erubuit: [17] sed cum romam venisset sollicite me quesiuit et inuenit. [18] Det illi dominus inuenire misericordiam a deo in illa die. Et quanta ephesi ministrauit michi tu melius

2 Tu ergo fili mi confor nosti. tare in gratia que est in cristo ihesu: [2] et que audisti a me per multos testes hec commenda fidelibus hominibus qui ydonei erunt et alios docere. [3] Labora sicut bonus miles cristi ihesu. [4] Nemo militans deo· implicat se negocijs secularibus: vt ei placeat cui se probauit. [5] Nam et qui certat in agone non coronabitur nisi legitime certauerit. [6] Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. [7] Intellige que dico: dabit enim tibi dominus in omnibus intellectum. [8] Memor esto dominum ihesum cristum resurrexisse a mortuis ex semine dauid secundum euangelium meum [9] in quo laboro vsque ad vincula quasi male operans: sed verbum dei non est alligatum. [10] Ideo omnia sustineo propter electos: vt et ipsi salutem consequantur que est in cristo ihesu cum gloria celesti. [11] Fidelis sermo. Nam si conmortui sumus· et conuiuemus: [12] si sustinebimus et conregnabimus: si negauerimus et ille negabit nos: [13] si non credimus ille fidelis permanet: negare seipsum non potest. [14] Hec autem commone testificans coram deo. Noli contendere verbis: ad nichil enim vtile est nisi ad subuersionem audientium. [15] Sollicite autem cura teipsum· probabilem exhibere deo: operarium inconfusibilem· recte tractantem verbum veritatis. [16] Prophana autem et inaniloquia deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem: [17] et sermo eorum vt cancer serpit. Ex quibus est hymeneus et philetus: [18] qui a veritate exciderunt dicentes resurrectionem esse iam factam: et subuerterunt quorumdam fidem. [19] Sed firmum fundamentum dei stat: habens signaculum hoc. Cognouit dominus que sunt eius: et discedat ab

iniquitate omnis qui inuocat nomen domini. [20] In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea· sed et lignea et fictilia: et quedam quidem in honorem: quedam autem in contumeliam. [21] Si quis ergo emundauerit se ab istis· erit vas in honorem sanctificatum: et vtile domino ad omne opus bonum paratum. [22] Iuuenilia autem desideria fuge: sectare vero iusticiam fidem spem et caritatem et pacem cum hijs qui inuocant dominum de corde puro. [23] Stultas autem et sine disciplina questiones deuita: sciens quia generant lites. [24] Seruum autem domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes· docibilem· patienter [25] cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati: nequando deus det illis penitentiam ad cognoscendam veritatem· [26] et resipiscant a dyaboli laqueis: a quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

3 Hoc autem scito quia in nouissimis diebus· instabunt tempora pericuLosa: losa: et [2] erunt homines seipsos amantes· cupidi· elati· superbi· blasphemi parentibus non obedientes· ingrati scelesti· [3] sine affectione sine pace· criminatores· incontinentes· immites· sine benignitate [4] proditores· proterui· tumidi et voluptatum amatores· magis quam dei: [5] habentes speciem quidem pietatis· virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita. [6] Ex hijs enim sunt qui penetrant domos et captiuas ducunt mulierculas honeratas peccatis· que ducuntur varijs desiderijs: [7] semper discentes· et nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. [8] Quemadmodum autem iannes et mambres restiterunt moysi· ita et hij resistunt veritati: homines corrupti mente· reprobi circa fidem: [9] sed vltra non proficient. Insipientia etiam eorum manifesta erit omnibus: sicut et illorum fuit. [10] Tu autem assecutus es meam doctrinam· institutionem· propositum· fidem longanimitatem dilectionem patientiam [11] persecutiones passiones: qualia michi facta sunt antiochie e yconio listris· quales persecutiones sustinui: et ex omnibus eripuit me dominus. [12] Et omnes qui pie volunt viuere in cristo ihesu persecutionem patientur. [13] Mali homines et seductores proficient in peius: errantes et in errorem mittentes. [14] Tu vero permane in hijs que didicisti· et credita sunt tibi: sciens a quo didiceris. [15] et quia ab infantia sacras litteras nosti. que te possunt instruere ad salutem per fidem que est in cristo ihesu. [16] Omnis scriptura diuinitus inspirata· vtilis est ad docendum· ad arguendum· ad corripiendum· ad erudiendum in iusticia: [17] vt perfectus sit sit homo dei ad omne opus bonum instructus. sto qui

4 Testificor coram deo et ihesum cri iudicaturus est viuos et moruiuos et mortuos· et aduentum ipsius et regnum eius: [2] predica verbum insta oportune importune. argue· obsecra· increpa in omni patientia et doctrina. [3] Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coacerbabunt sibi magistros prurientes auribus: [4] et a veritate quidem auditum auertent· ad fabulas conuertentur. [5] Tu vero vigila· in omnibus labora: opus euangeliste· ministerium tuum imple· sobrius esto. [6] Ego enim iam delibor: et tempus resolutionis certaui: mee instat. [7] Bonum certamen certaui: cursum Non hijs cum cursum consummaui: fidem seruaui. [8] In reliquo reposita est michi corona iusticie: quam reddet michi dominus in illa die iustus iudex. Non solum autem michi: sed et hijs qui diligunt aduentum eius. Festina ad me venire cito. [9] Demas enim me reliquit diligens hoc seculum et abijt thessalonicam· [10] crescens in galaciam· thitus in dalmaciam: [11] lucas est mecum solus. Marcum assume et adduc tecum: est enim michi vtilis in ministerio. [12] Thichicum autem misi ephesum. [13] Penulam quam reliqui troade apud carpum veniens affer tecum et libros: maxime autem membranas. [14] Allexander erarius multa mala michi ostendit: reddet illi dominus secundum opera eius: [15] quem et tu deuita. Valde enim resistit verbis nostris. [16] In prima mea defensione· nemo michi affuit· sed omnes me dereliquerunt: non illis reputetur. [17] Dominus autem michi astitit et confortauit me vt per me predicatio impleatur: et audiant omnes gentes liberatus sum de ore leonis. [18] Liberauit me dominus ab omni opere malo· et saluum faciet in regnum suum celeste: cui gloria in secula seculorum amen. [19] Saluta priscillam et aquilam: et onesifori domum. [20] Erastus remansit corinthi: trophimum autem reliqui infirmum mileti. [21] Festina ante hyemem venire. Salutant te eubolus et pudens et linus et claudia: et fratres omnes. [22] Dominus ihesus cristus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum amen

Ad Thitum

Incipit epistola ad thitum.

1 Thytum commone facit et instruit terij et de spirituali conuerde de de constitutione satione et hereticis vitandis: qui traditionibus iudaicis credunt: scribens ei a nycopoli. sti Paulus seruus dei aposecundum fidem elenem et que dei et agnitionem veritatis· que secundum pietatem est [2] in spem vite eterne: quam promisit qui non mentitur deus ante temporalia secularia· [3] manifestauit autem temporibus suis verbum suum in predicatione· que credita est michi secundum preceptum saluatoris nostri dei: [4] thyto dilecto filio secundum communem fidem gratia et pax a deo patre et cristo ihesu saluatore nostro. [5] Huius rei gratia reliqui te crete vt ea que desunt corrigas: et constituas per ciuitates presbiteros sicut et ego disposui tibi [6] si quis sine crimine vnius vxoris vir: filios habens fideles non in accusatione luxurie aut non subditos. [7] Oportet enim episcopum sine crimine esse sicut dei dispensatorem: non superbum non iracundum non vinolentum non percussorem· non turpis lucri cupidum: [8] sed hospitalem benignum· sobrium· iustum· sanctum· continentem· [9] amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana· et eos qui contradicunt arguere. [10] Sunt enim multi etiam inobedientes· vaniloqui et seductores· maxime qui de circumcisione sunt [11] quos oportet redargui: qui vniuersas domos subuertunt· docentes que non oportet turpis lucri gratia. [12] Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta. Cretenses semper mendaces male bestie ventris pigri. [13] Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure vt sani sint in fide: [14] non intendentes iudaicis fabulis et mandatis hominum auersantium se a veritate. [15] Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus· nichil est mundum: sed inquinate sunt eorum et mens et conscientia. [16] Confitentur se nosse deum factis autem negant: cum sint abominati et incredibiles et ad omne opus bonum reprobi.

2 Tu autem loquere que decent sanam doctrinam. [2] Senes vt sobrij sint: pudici· prudentes· sani in fide: in dilectione in patientia. [3] Anus similiter in habitu sancto: non criminatrices· non multo vino seruientes: bene docentes [4] vt prudentiam doceant. Adolescentulas· vt viros suos ament: filios suos diligant: [5] prudentes· castas· sobrias domus curam habentes: benignas· subditas viris suis: vt non blasphemetur verbum dei. [6] Iuuenes similiter hortare vt sobrij sint. [7] In omnibus teipsum prebe exemplum bonorum operum: in doctrina· in integritate· in grauitate. [8] Verbum sanum irreprehensibile: vt is qui ex aduerso est vereatur: nichil habens malum dicere de nobis. [9] Seruos dominis suis subditos esse in placentes: omnibus non contradicentes· [10] non fraudantes· sed in omnibus fidem bonam ostendentes: vt doctrinam saluatoris nostri dei ornent in omnibus. [11] Apparuit enim gratia dei et saluatoris nostri omnibus hominibus [12] erudiens nos: vt abnegantes impietatem et secularia desideria· sobrie et iuste et pie viuamus in hoc seculo: [13] exspectantes beatam spem et aduentum glorie magni dei et saluatoris nostri ihesu cristi: [14] qui dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate: et mundaret sibi

populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. [15] Hec loquere et exhortare: et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

3 Ammone illos principibus et potestatibus subditos esse: dicto obedire: ad omne opus bonum paratos esse: [2] neminem blasphemare· non litigiosos esse· sed modestos: omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. [3] Eramus enim aliquando et nos insipientes increduli errantes seruientes desiderijs et voluptatibus varijs: in malicia et inuidia agentes: odibiles· odientes inuicem. [4] Cum autem benignitas et humanitas apparuit saluatoris nostri dei [5] non ex operibus iusticie que fecimus nos sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis et renouationis spiritus sancti [6] quem effudit in nos abunde per ihesum cristum saluatorem nostrum: [7] vt iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vite eterne. [8] Fidelis sermo est. Et de hijs volo te confirmare: vt curent bonis operibus preesse qui credunt deo. Hec sunt bona et vtilia hominibus. [9] Stultas autem questiones· et genealogias et contentiones et pugnas legis deuita. Sunt enim inutiles et vane. [10] Hereticum hominem post vnam et secundam correptionem deuita: [11] sciens quia subuersus est qui eiusmodi est: et delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. [12] Cum misero ad te arteman aut tychicum: festina ad me venire nicopolim. Ibi enim statui hyemare. [13] Zenam legisperitum et appollo sollicite premitte: vt nichil illis desit. [14] Discant autem et nostris bonis operibus preesse ad vsus necessarios: vt non sint infructuosi. [15] Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia dei cum omnibus vobis amen.

Ad Philemonem

Incipit epistola ad philemonem.

1 Philemoni familiares Philemoni familiares litlitteras teras facit pro onesimo serteras facit pro onesimo seruo eius: scribens ei ab vrbe roma de carcere per suprascriptum vinctus onesimum. Paulus cristi ihesu et thimotheus vs frater: philemoni nostro· [2] et appie sorori carissime et arcippo commilitoni nostro: et ecclesie que in domo tua est. [3] Gratia vobis et pax a deo patre nostro: et domino ihesu cristo. [4] Gratias ago deo meo semper memoriam tui faciens in orationibus meis [5] audiens caritatem tuam et fidem quam habes in domino ihesu et in omnes sanctos: [6] vt communicatio fidei tue euidens fiat in agnitione omnis operis boni in cristo ihesu. [7] Gaudium enim magnum habui et consolationem in caritate tua: quia viscera sanctorum requieuerunt per te frater. [8] Propter quod multam fiduciam habens in cristo ihesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: [9] propter caritatem magis obsecro cum sis talis vt paulus senex nunc autem et vinctus ihesu cristi: [10] obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis onesimo [11] qui tibi aliquando inutilis fuit: nunc autem et michi et tibi vtilis: quem fuit: nunc autem et michi et tibi vtilis: quem cicam. vino: imin nami is prat nasra sptimi [12] remisi tibi. Tu autem illum vt mea viscera suscipe. [13] Quem ego volueram mecum detinere: vt pro te michi ministraret in vinculis euangelij. [14] Sine consilio autem tuo nichil volui facere: vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset· sed voluntarium. [15] Forsitan enim ideo discessit ad horam a te· vt eternum illum reciperes: [16] iam non vt seruum sed pro seruo carissimum fratrem: maxime michi. Quanto autem magis tibi: et in carne ne et in domino? [17] Si ergo habes me socium: suscipe illum sicut me. [18] Si autem aliquid nocuit tibi aut debet: hoc michi imputa. [19] Ego paulus scripsi mea manu. Ego reddam: vt non dicam tibi quod et teipsum michi debes. [20] Ita frater ego te fruar in domino: refice viscera mea in cristo. [21] Confidens obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam et super id quod dico facies. [22] Simul et para michi hospicium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. [23] Salutat te epafras concaptiuus meus in cristo ihesu: [24] marcus aristarchus demas et lucas adiutores mei. [25] Gratia domini nostri ihesu cristi cum spiritu vestro amen.

Incipit argumentum in epistolam ad hebreos.

In primis dicendum est cur apostolus paulus in hac epistola scribendo non seruauerit morem suum: vt vel vocabulum nominis sui vel ordinis describeret dignitatem. Hec causa est quia ad eos scribens qui ex circuncisione crediderant quasi gentium apostolus et non hebreorum: sciens quoque eorum superbiam· suamque humilitatem ipse demonstrans meritum officij sui noluit anteferre. Nam simili modo etiam iohannes apostolus propter humilitatem in epistola sua nomen suum eadem ratione non pretulit. Hanc ergo epistolam fertur apostolus ad hebreos conscriptam hebraica lingua misisse: cuius sensum et ordinem retinens lucas euangelista post excessum apostoli pauli greco sermone composuit.

Ad Hebreos

Incipit epistola ad hebreos.

1 Multipharie multisque modis olim deus [2] diebus istis patribus locutus est nobis in filio quem constituit heredem vniuersorum: per quem fecit et secula. [3] Qui cum sit splendor glorie· et figura substantie eius· portansque omnia verbo virtutis sue purgationem peccatorum faciens: sedet ad dexteram maiestatis in excelsis [4] tanto melior angelis effectus: quanto differentius pre illis nomen hereditauit. [5] Cui enim dixit aliquando angelorum filius meus es tu ego hodie genui te? Et rursum. Ego ero illi in patrem: et ipse erit michi in filium. [6] Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terre dicit. Et adorent eum omnes angeli dei. [7] Et ad angelos quidem dicit. Qui facit angelos suos spiritus: et ministros suos flammam ignis. [8] Ad filium autem· Thronus tuus deus in seculum seculi: virga equitatis virga regni tui. [9] Dilexisti iusticiam et odisti iniquitatem: propterea vnxit te deus deus tuus oleo exultationis pre participibus tuis. [10] Et tu in principio domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt celi. [11] Ipsi peribunt tu autem permanebis: et omnes vt vestimentum veterascent. [12] Et velut amictum mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es: et anni tui non deficient. [13] Ad quem autem angelorum dixit aliquando sede a dextris meis: quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? [14] Nonne omnes sunt administratorij spiritus: in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis?

2 Propterea abundantius oportet obseruare nos ea que audiuimus: ne forte pereffluamus. [2] Si enim qui per angelos dictus est sermo factus est firmus· et si omnis preuaricatio et inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: [3] quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? Que cum inicium accepisset enarrari per dominum: ab eis qui audierunt in nos confirmata est: [4] contestante deo signis et portentis et varijs virtutibus et spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. [5] Non enim angelis subiecit deus orbem terre futurum: de quo loquimur. [6] Testatus est autem in quodam loco quis dicens. Quid est homo quod memor es eius: aut filius hominis quoniam visitas eum? [7] Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuarum. [8] Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quod omnia ei subiecit: nichil dimisit non subiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei. [9] Eum autem qui modico quam angeli minoratus est videmus ihesum· propter passionem mortis gloria et honore coronatum: vt gratia dei pro omnibus gustaret mortem. [10] Decebat enim eum propter quem omnia et per quem omnia: qui multos filios in gloriam adduxerat: auctorem salutis eorum per passionem consummare. [11] Qui enim sanctificat et qui sanctificantur: ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens. [12] Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesie laudabo te. [13] Et iterum. Ego ero fidens in eum. Et iterum. Ecce ego et pueri mei: quos dedit michi deus. [14] Quia ergo pueri communicauerunt carni et sanguini: et ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium id est dyabolum: [15] et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. [16] Nusque enim angelos apprehendit: sed semen abrahe apprehendit. [17] Vnde debuit per omnia fratribus similari: vt misericors fieret et fidelis pontifex ad deum: vt repropitiaret delicta populi. [18] In eo enim in quo passus est ipse et temptatus: potens est et eis qui temptantur auxiliari.

3 Inde fratres sancte vocationis celestis participes· considerate apostolum et pontificem confessionis nostre ihesum: [2] qui fidelis est ei qui fecit illum: sicut et moyses in omni domo eius. [3] Amplioris enim glorie iste pre moyse dignus est habitus: quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricauit illam. [4] Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creauit· deus. [5] Et moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus in testimonium eorum que dicenda erant: [6] cristus vero tanquam filius in domo sua. Que domus sumus nos: si fiduciam et gloriam spei vsque ad fidem firmam retineamus. [7] Quapropter sicut dicit spiritus sanctus hodie si vocem audieritis [8] nolite obdurare corda vestra: sicut in exacerbatione secundum diem temptationis in deserto. [9] Vbi temptauerunt me patres vestri: probauerunt et viderunt opera mea [10] quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi huic: et dixi semper errant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas: [11] quibus iuraui in ira mea si introibunt in requiem meam. [12] Videte fratres: ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a deo viuo. [13] Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies donec hodie cognominatur vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. [14] Participes enim cristi effecti sumus: si tamen inicium substantie eius vsque ad finem firmum retineamus: [15] dum dicitur hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra quemadmodum in illa exacerbatione. [16] Quidam enim audientes exacerbauerunt: sed non vniuersi qui profecti sunt ab egipto per moysen. [17] Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccauerunt: quorum cadauera prostrata sunt in deserto? [18] Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius: nisi illis qui increduli fuerunt? [19] Et videmus quia non potuerunt introire in requiem ipsius propter incredulitatem.

4 Timeamus ergo: ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius· existimetur aliquis ex nobis deesse. [2] Etenim et nobis nunciatum est quemadmodum et illis: sed non profuit illis sermo auditus non admixtus fidei ex hijs que audierunt. [3] Ingrediemur enim in requiem qui credidimus: quemadmodum dixit. Sicut iuraui in ira mea: si introibunt in requiem meam. Etquidem operibus ab institutione mundi perfectis: [4] dixit enim quodam loco de die septima sic. Et requieuit deus die septima ab omnibus operibus suis. [5] Et in isto rursum. Si introibunt in requiem meam. [6] Quoniam ergo superest introire quosdam in illam: et hij quibus prioribus annunciatum est non introierunt propter incredulitatem: [7] iterum terminat diem quendam hodie in dauid dicendo· post tantum temporis sicut supra dictum est: hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra. [8] Nam si eis ihesus requiem prestitisset: nunquam de alia loqueretur post· hac die. [9] Itaque relinquitur sabbatismus populo dei. [10] Qui enim ingressus est in requiem eius: etiam ipse requieuit ab operibus suis sicut et a suis deus. [11] Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. [12] Viuus est enim sermo dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens vsque ad diuisionem anime ac spiritus· compagum quoque ac medullarum: et discretor cogitationum et intentionum cordis. [13] Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius: ad quem nobis sermo. [14] Habentes ergo pontificem magnum qui penetrauit celos ihesum filium dei: teneamus spei nostre confessionem. [15] Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: temptatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. [16] Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratie eius: vt misericordiam consequamur· et gratiam inueniamus in auxilio oportuno.

5 Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in hijs que sunt ad deum: vt offerat dona et sacrificia pro peccatis. [2] Qui condolere possit hijs qui ignorant et errant: quoniam et ipse circundatus est infirmitate: [3] et propterea debet quemadmodum et pro populo· ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. [4] Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur a deo tanquam aaron. [5] Sic et cristus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum. Filius meus es tu: ego hodie genui te. [6] Quemadmodum et in alio loco dicit. Tu es sacerdos in eternum: secundum ordinem melchisedech. [7] Qui in diebus carnis sue preces supplicationesque ad eum qui possit illum saluum facere a morte· cum clamore valido et lacrimis: offerens: exauditus est pro sua reuerentia. [8] Et quidem cum esset filius dei didicit ex hijs que passus est obedientiam: [9] et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis eterne: [10] appellatus a deo pontifex iuxta ordinem melchisedech. [11] De quo nobis grandis sermo et interpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. [12] Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis vt vos doceamini que sint elementa exordij sermonum dei: et facti estis quibus lacte opus sit non solido cibo. [13] Omnis enim qui lactis est particeps: expers est sermonis iusticie. Paruulus enim est. [14] Perfectorum autem est solidus cibus: eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

6 Quapropter intermittentes inchoationis cristi sermonem ad perfectionem Quapropter inmittentes in feramur: non rursum iacientes fundamentum penitentie ab operibus mortuis· et fidei ad deum· [2] baptismatum doctrine· impositionis quoque manuum· ac resurrectionis mortuorum: et iudicij eterni. [3] Et hec faciemus: si quidem permiserit deus. [4] Impossibile enim est eos qui semel sunt illuminati· gustauerunt etiam donum celeste· et participes facti sunt spiritus sancti: [5] gustauerunt nichilominus bonum dei verbum· virtutesque seculi venturi· [6] et prolapsi sunt: rursus renouari ad penitentiam: rursum crucifigentes sibimetipsis filium dei: et ostentui habentes. [7] Terra enim sepe venientem super se bibens ymbrem et germinans herbam oportunam illis a quibus colitur accipit benedictionem a deo: [8] proferens autem spinas ac tribulos reproba est et maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem. [9] Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora et viciniora saluti: tam et si ita loquimur. [10] Non enim iniustus deus vt obliuiscatur operis vestri et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius: qui ministrastis sanctis et ministratis. [11] Cupimus autem vnumquenque vestrum eandem ostentare

sollicitudinem ad expletionem spei vsque in finem [12] vt non segnes efficiamini: verum imitatores eorum qui fide et patientia hereditabunt promissiones [13] abrahe nanque promittens deus· quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem: iurauit per semetipsum [14] dicens· nisi benedicens benedicam tibi et multiplicans multiplicabo te: [15] et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem. [16] Homines enim per maiorem sui iurant: et omnis controuersie eorum finis ad confirmationem· est iuramentum. [17] In quo abundantius volens deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui· interposuit iusiurandum: [18] vt per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri deum· fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem: [19] quam sicut anchoram habemus anime tutam ac firmam et incedentem vsque ad interiora velaminis: [20] vbi precursor pro nobis introijt ihesus secuudum ordinem melchisedech· pontifex factus in eternum.

7 Sic enim melchisedech rex salem sacerdos dei summi qui obuiauit abrahe regresso a cede regum: et benedixit ei: [2] cui et decimas omnium diuisit abraham: primum quidem qui interpretatur rex iusticie· deinde autem et rex salem quod est rex pacis: [3] sine patre· sine matre· sine genealogia· neque inicium dierum neque finem vite habens: assimilatus autem filio dei manet sacerdos in perpetuum. [4] Intuemini autem quantus sit hic: cui et decimas dedit de precipuis abraham patriarcha. [5] Etquidem de filijs leui sacerdotium accipientes· mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem id est a fratribus suis: quanquam et ipsi exierint de lumbis abrahe. [6] cuius autem generatio non annumeratur in eis· decimas sumpsit ab abraham: et hunc qui habebat repromissiones benedixit. [7] Sine vlla autem contradictione: quod minus est a meliore benedicitur. [8] Et hic quidem decimas morientes homines atcipiunt: ibi autem contestatur quia viuit. [9] Et vt ita dictum sit per abraham: et leui: qui decimas accepit decimatus est. [10] Adhuc enim in lumbis patris erat: quando obuiauit ei melchisedech. [11] Si ergo consummatio per sacerdotium leuiticum erat· populus enim sub ipso legem accepit: quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem melchisedech alium surgere sacerdotem et non secundum ordinem aaron dici? [12] Translato enim sacerdotio: necesse est vt et legis translatio fiat. [13] In quo enim hec dicuntur de alia tribu est: de qua nullus altario presto fuit. [14] Manifestum est enim quod ex iuda ortus sit deus noster: in qua tribu nichil de sacerdotibus moyses locutus est. [15] Et amplius adhuc manifestum est· si secundum similitudinem melchisedech exsurgat alius sacerdos [16] qui non secundum legem mandati carnalis factus est: sed secundum virtutem vite insolubilis. [17] Contestatur enim: quoniam tu es sacerdos in eternum secundum ordinem melchisedech. [18] Reprobatio quidem precedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem. [19] Nichil enim ad perfectum adduxit lex. Introductio vero melioris spei per quam proximamus ad deum: [20] et quantum est· non sine iureiurando. Alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt: [21] hic autem cum iureiurando per eum qui dixit ad illum. Iurauit dominus et non penitebit eum: tu es sacerdos in eternum. [22] In tantum melioris testamenti sponsor factus est ihesus. [23] Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes idcirco quod morte prohiberentur permanere: [24] hic autem eo quod maneat in eternum sempiternum habet sacerdotium. [25] Vnde et saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. [26] Talis enim decebat nt nobis esset pontifex: sanctus· innocens· impollutus· segregatus a peccatoribus· et excelsior celis factus. [27] Qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre: deinde pro populo Hoc enim fecit semel se offerendo. [28] Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi qui post legem est· filium in eternum perfectum.

8 Capitulum autem super ea que dicuntur. Talem habemus pontificem: qui consedit in dextera sedis magnitudinis in celis [2] sanctorum minister· et tabernaculi veri: quod fixit deus et non homo. [3] Omnis enim pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur. Vnde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat. [4] Si ergo esset super terram: nec esset sacerdos cum essent qui offerrent secundum legem munera [5] qui exemplari et vmbre deseruiunt celestium: sicut responsum est moysi cum consummaret tabernaculum. Vide inquit omnia facito secundum exemplar: quod tibi ostensum est in monte. [6] Nunc autem melius sortitus est ministerium quanto et melioris testamenti mediator est: quod in melioribus repromissionibus sanctitum est. [7] Nam si illud prius culpa vacasset: non vtique secundi locus inquireretur. [8] Vituperans enim eos dicit. Ecce dies venient dicit dominus: et consummabo super domum israhel et super domum iuda testamentum nouum: [9] non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum vt educerem illos de terra egipti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo: et ego neglexi eos dicit dominus. [10] Quia hoc est testamentum quod disponam domui israhel post dies illos dicit dominus· dando leges meas in mente eorum et in corde eorum superscribam eas: et ero eis in deum: et ipsi erunt michi in populum. [11] Et non docebit vnusquisque proximum suum et vnusquisque fratrem suum dicens cognosce dominum: quoniam omnes scient me a minore vsque ad maiorem: [12] quia propitius ero iniquitatibus eorum· et peccatorum eorum iam non memorabor. [13] Dicendo autem nouum: veterauit prius. Quod autem antiquatur et senescit: prope interitum est.

9 Habuit quidem et prius iustificationes culture: et sanctum seculare. [2] Tabernaculum enim factum est primum· in quo erant candelabra et mensa et propositio panum quod dicitur sancta: [3] post velamentum autem· secundum tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum [4] aureum habens thuribulum et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro: in qua vrna aurea habens manna· et virga aaron que fronduerat· et tabule testamenti: [5] superque eam cherubin glorie obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modo dicendum per singula. [6] Hijs vero ita compositis· in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes: [7] in secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine quem offerret pro sua et populi ignorantia: [8] hoc significante spiritu sancto· nondum propalatam esse sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum. [9] Que parabola est temporis instantis: iuxta quam munera et hostie offeruntur que non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem: solummodo in cibis et in potibus [10] et in variis baptismatibus et iusticijs carnis: vsque ad tempus correctionis impositis. [11] Cristus autem assistens pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum id est non huius creationis: [12] neque per sanguinem hircorum aut vitulorum sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta: eterna redemptione inuenta. [13] Si enim sanguis hircorum et thaurorum et cinis vitule aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: [14] quantomagis sanguis cristi qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum deo emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum deo viuenti. [15] Et ideo no vi testamenti mediator est: vt morte intercedente in redemptionem earum preuaricationum· que erant sub priori testamento: repromissionem accipiant qui vocati sunt eterne hereditatis. [16] Vbi enim testamentum: mors necesse est intercedat testatoris. [17] Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioquin nondum valet: dum viuit qui testatus est. [18] Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. [19] Lecto enim omni mandato legis a moyse vniuerso populo: accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et ysopo: ipsum quoque librum et omnem populum aspersit [20] dicens. Hic sanguis testamenti: quod mandauit ad vos deus. [21] Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit. [22] Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: et sine sanguinis effusione non fit remissio. [23] Necesse est ergo exemplaria quidem celestium hijs mundari: ipsa autem celestia melioribus hostijs: istis. [24] Non enim in manufacta sancta ihesus introijt exemplaria verorum: sed in ipsum celum: vt appareat nunc vultui dei pro nobis. [25] Neque vt sepe offerat semetipsum: quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. [26] Alioquin oportebat

eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummatione seculorum· ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. [27] Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori· post hoc autem iudicium: [28] sic et cristus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata: secundo sine peccato apparebit omnibus exspectantibus se in salutem.

10 enim habens lex futurorum norum non ipsam ymaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter· nunquam potest accedentes perfectos facere. [2] Alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent vltra conscientiam peccati cultores semel mundati. [3] Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. [4] Impossibile enim est sanguine thaurorum et hircorum auferri peccata. [5] Ideo ingrediens mundum dicit. Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti michi. [6] Olocaustomata et pro peccato non tibi placuerunt. [7] Tunc dixi. Ecce venio. In capite libri scriptum est de me: vt faciam deus voluntatem tuam. [8] Superius dicens· quia hostias et oblationes et olocaustomata et pro peccato noluisti· nec placita sunt tibi que secundum legem offeruntur· [9] tunc dixi ecce venio· vt faciam deus voluntatem tuam: aufert primum vt sequens statuat. [10] In qua voluntate sanctificati sumus: per oblationem corporis cristi ihesu semel. [11] Et omnis quidem sacerdos presto est quotidie ministrans: et easdem sepe offerens hostias que non possunt auferre peccata. [12] Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera dei: [13] de cetero exspectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. [14] Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. [15] Contestatur autem nos et spiritus sanctus. Postquam enim dixit· [16] hoc autem testamentum quod testabor ad illos post dies dicit dominus dando leges meas in cordibus eorum et in mentibus eorum superscribam eas: [17] et peccatorum et iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. [18] Vbi autem horum remissio: iam non est oblatio pro peccato. [19] Habentes itaque fratres fiduciam· in introitu sanctorum in sanguine cristi [20] quam iniciauit nobis viam nouam et viuentem· per velamen id est carnem suam: [21] et sacerdotem magnum super domum dei: [22] accedamus cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda a conscientia mala: et abluti corpus aqua munda: [23] teneamus spei nostre confessionem indeclinabilem. Fidelis enim est qui repromisit. [24] Et consideremus inuicem in prouocationem caritatis et bonorum operum: [25] non deserentes collectionem nostram sicut consuetudinis est quibusdam sed consolantes: et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. [26] Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam noticiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia: [27] terribilis autem quedam exspectatio iudicij et ignis emulatio: que consumptura est aduersarios. [28] Irritam quis faciens legem moysi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: [29] quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium dei conculcauerit· et sanguinem testamenti pollutum duxerit· in quo sanctificatus est· et spiritui gratie contumeliam fecerit? [30] Scimus enim qui dixit. Michi vindictam: ego retribuam. Et iterum. Quia iudicabit dominus populum suum. [31] Horrendum est incidere in manus dei viuentis. [32] Rememoramini autem pristinos dies in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum: [33] et in altero quidem obprobrijs et tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantium effecti. [34] Nam et vinctis compassi estis: et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. [35] Nolite itaque amittere confidentiam vestram: que magnam habet remunerationem. [36] Patientia enim vobis necessaria est: vt voluntatem dei facientes reportetis promissionem. [37] Adhuc enim modicum aliquantulumque qui venturus est veniet et non tardabit: [38] iustus autem meus ex fide viuit. Quod si subtraxerit se: non placebit anime mee. [39] Nos autem non simus subtractionis filij in perditionem: sed fidei in acquisitionem anime.

11 autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium. [2] In hac enim testimonium consecuti sunt senes. [3] Fide intelligimus aptata esse secula verbo dei: vt ex inuisibilibus visibilia fierent. [4] Fide plurimam hostiam abel cayn obtulit deo: per quam testimonium consecutus est esse iustus: testimonium perhibente muneribus eius deo: et per illam defunctus· adhuc loquitur. [5] Fide· enoch translatus est ne videret mortem: et non inueniebatur: quia transtulit illum dominus. Ante translationem enim testimonium habuit placuisse deo. [6] Sine fide autem impossibile est placere deo. Credere enim oportet accedentem ad deum quia est: et inquirentibus se remunerator sit. [7] Fide· noe responso accepto de hijs que adhuc non videbantur· metuens aptauit archam in salutem domus sue: per quam damnauit mundum: et iusticie que per fidem est heres est institutus. [8] Fide· qui vocatur abraham obediuit in locum exire quem accepturus erat in hereditatem: et exijt nesciens quo iret. [9] Fide demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena: in casulis habitando cum ysaac et iacob coheredibus repromissionis eiusdem. [10] Exspectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex et conditor deus. [11] Fide· et ipsa sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit· etiam preter tempus etatis: quoniam fidelem credit esse eum qui repromiserat. [12] Propter quod et ab vno orti sunt: et hoc emortuo tanquam sidera celi in multitudinem: et sicut arena que est ad oram maris innumerabilis. [13] Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus: sed a longe eas aspicientes et salutantes: et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. [14] Qui enim hoc dicunt: gnificant se patriam inquirere. [15] Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt: habebant vtique tempus reuertendi. [16] Nunc autem meliorem appetunt: id est celestem. Ideo non confunditur deus· vocari deus eorum. Parauit enim illis ciuitatem. [17] Fide· obtulit abraham ysaac cum temptaretur: et vnigenitum offerebat in quo susceperat repromissiones: [18] ad quem dictum est· quia in ysaac vocabitur tibi semen: [19] arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est deus. Vnde eum et in parabolam accepit. [20] Fide· et de futuris benedixit ysaac iacob et esau. [21] Fide· iacob moriens singulos filiorum ioseph benedixit: et adorauit fastigium virge eius. [22] Fide· ioseph moriens de profectione filiorum israhel memoratus est: et de ossibus suis mandauit. [23] Fide· moyses natus occultatus est mensibus tribus a parentibus suis eo quod vidissent elegantem infantem: et non timuerunt regis edictum. [24] Fide· moyses grandis factus negauit se esse filium filie pharaonis: [25] magis eligens affligi cum populo dei· quam temperalis peccati habere iocunditatem: [26] maiores diuitias estimans thesauro egiptiorum imperium cristi. Aspiciebat enim in remunerationem. [27] Fide· reliquit egiptum: non veritus ammositatem regis. Inuisibilem enim tanquam videns sustinuit. [28] Fide· celebrauit pascha et sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiua tangeret eos. [29] Fide· transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram: quod experti egiptij deuorati sunt. [30] Fide· muri iherícho corruerunt circuitu dierum septem. [31] Fide· raab meretrix non perijt cum incredulis: excipiens exploratores cum pace. [32] Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem· de gedeon· barach· samson· iepte· dauid· samuhel· et prophetis: [33] qui per fidem vicerunt regna· operati sunt iusticiam: adepti sunt repromissiones. Obturauerunt ora leonum: [34] extinxerunt impetum ignis. Effugarunt aciem gladij: conualuerunt de infirmitate: fortes facti sunt in bello. Castra verterunt exterorum: [35] acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alij autem distenti sunt non suscipientes redemptionem: vt meliorem inuenirent resurrectionem. [36] Alij vero ludibria et verbera experti insuper et vincula et carceres: [37] lapidati sunt secti sunt temptati sunt: in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis in pellibus caprinis: egentes· angustiati· afflicti· [38] quibus dignus non erat mundus: in sollicitudinibus errantes· in montibus· et speluncis et in cauernis terre. [39] Et hij omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem: [40] deo pro nobis melius aliquid prouidente: vt non sine nobis consummarentur.

12 Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium: deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum per pacientiam curramus ad propositum nobis certamen· [2] aspicientes in auctorem fidei· et consummatorem ihesum: qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem· confusione contempta atque in dextera sedis dei sedet. [3] Recogitate enim eum

qui talem sustinuit a peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini a nimis vestris deficientes. [4] Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes: [5] et obliti estis consolationis que vobis tanquam filijs loquitur dicens. Fili mi noli negligere disciplinam domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. [6] Quem enim diligit dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. [7] In disciplina perseuerate. Tanquam filijs vobis offert se deus. Quis enim filius quem non corripit pater? [8] Quod si extra disciplinam estis· cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri et non filij estis. [9] Deinde patres quidem carnis nostre eruditores habuimus: et reuerebamur eos. Num multomagis obtemperabimus patri spirituum et viuemus? [10] Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius. [11] Omnis autem disciplina in presenti quidem videtur non esse gaudij· sed meroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iusticie. [12] Propter quod remissas manus et soluta genua erigite: [13] et gressus rectos facite pedibus vestris· vt non claudicans quis erret: magis autem sanetur. [14] Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam: sine qua nemo videbit deum. [15] Contemplantes ne quis desit gratie dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat: et per illam inquinentur multi. [16] Ne quis fornicator aut prophanus vt esau: qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. [17] Scitote enim: quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem reprobatus est. Non enim inuenit penitencie nitentie locum: quamquam cum lacrimis inquisisset eam. [18] Non enim accessistis ad tractabilem tractabilem et accessibilem ignem et turbinem· et caliginem et procellam [19] et tube sonum et vocem verborum: quam qui audierunt excusauerunt se ne eis fieret verbum. [20] Non enim portabant quod dicebatur: et si bestia tetigerit montem lapidabitur. [21] Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit. Exterritus sum et tremebundus. [22] Sed accessistis ad syon montem et ciuitatem dei viuentis iherusalem celestem· et multorum milium angelorum frequentiam· [23] et ecclesiam primitinorum qui conscripti sunt in celis: et iudicem omnium deum et spiritus iustorum perfectorum· [24] et testamenti noui mediatorem ihesum: et sanguinis aspersionem· melius loquentem quam abel. [25] Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur· multomagis nos qui de celis loquentem nobis auertimus: [26] cuius vox mouit terram tunc: nunc autem repromittit dicens. Adhuc semel: et ego mouebo non solum terram sed et celum. [27] Quod autem adhuc semel dicit: declarat mobilium translationem tanquam factorum: vt maneant ea que sunt immobilia. [28] Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam: per quam seruiamus placentes deo cum metu et reuerentia. [29] Etenim deus noster ignis consumens est.

13 Caritas fraternitatis maneat at in nobis: [2] et hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. [3] Mementote vinctorum tanquam simul vincti: et laborantium tanquam et ipsi in corpore morantes. [4] Honorabile conubium in omnibus: et thorus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros iudicabit deus. [5] Sint mores sine auaricia: contenti presentibus. Ipse enim dixit. Non te deseram neque derelinquam: [6] ita vt confidenter dicamus. Dominus michi adiutor est: non timebo quid faciat michi homo. [7] Mementote prepositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum dei: quorum intuentes exitum conuersationis· imitamini fidem. [8] Ihesus cristus heri et hodie: ipse et in secula. [9] Doctrinis varijs et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor: non escis que non profuerunt ambulantibus in eis. [10] Habemus altare: de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. [11] Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem: horum corpora cremantur extra castra. [12] Propter quod et ihesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est. [13] Exeamus igitur ad eum extra castra: improperium eius portantes. [14] Non enim habemus hic manentem ciuitatem: sed futuram inquirimus. [15] Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper deo: id est fructum labiorum confitentium nomini eius. [16] Beneficientie autem et communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostijs promeretur deus. [17] Obedite prepositis vestris: et subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant: et non gementes. Hoc enim non expedit vobis. [18] Orate pro nobis. Confidimus enim quia bonam conscientiam habemus: in omnibus bene volentes conuersari. [19] Amplius autem deprecor vos hoc facere: quo celerius restituar vobis. [20] Deus autem pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguiue testamenti eterni dominum nostrum ihesum cristum· [21] aptet vos in omni bono vt faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat se per ihesum cristum: cui est gloria in secula seculorum amen. [22] Rogo autem vos fratres: vt sufferatis verbum solatij. Etenim perpaucis scripsi vobis. [23] Cognoscite fratrem vestrum timotheum dimissum: cum quo si celerius venerit videbo vos. [24] Salutate omnes prepositos vestros: et omnes sanctos. Salutant vos de ytalia fratres. [25] Gratia Bratia cum omnibus bunt de virtutibus in virli epistolas dudum vno amen.

Actus apostolorum

Incipit liber actuum apostolorum.

1 vos de ytalia fratres. Gratia cum omnibus li de anit psalmista: ambula Post apostoli epistolas dudum vno vobis volumine translatas· domni volumine on et rogatiane carissimi· actus apostolorum transferam postolorum compellitis vt [2] transferam in latinum: quem librum nulli dubium est a luca anthioceno arte medico· quod postea medico· qui postea inseruiens paulo apostolo cristi factus est discipulus. fuisse editum. Ceruices premit est discipulus imposita sepius oneris magnitudo: studia inuidorum reprehensione nunquam odio et detractione· iuuante cristo meum silebit eloquium. igitur anthiocensis· cuius laus in euangelio postea vsque tus apostolum· confessionem paulum obijt plenus ctoginta bithinia instigante eundemque ex stirpe dauid monstrauit. potestas in ministerio vt deo in deum pleno· et filio oratione ab apostolis sorte dominice numerus compleretur: paulum pud antiochiam medicine artis egregi actibus daret· antiochiam incarnacionem rio datur perditionis lis facta· extincto· oratione ab apostoconsummationem lis facta· forte dominice electionis numerus contra stimulum dominus elegisset. Quod legentibus requirentibus legisset. tum volui ostendere compleretur: sicque paulum consumquamdiu contra stimulum calcitrantem dominus equam breui antiochiam artis digna [3] putant ea que scribimus. Illorum et apostolorum cristi discipulus fuit: postea vsque ad confessionem paulum secutus apostolum· sine crimine in virginitate te permanens· deo maluit seruire. Qui et quatuor annos etatis agens in obijt plenus spiritu achaie sancto: quo lium scribens· grecis fidelibus incarnacionem domini fideli narratione ostendit: descendisse monperdicionis deum breui volui prolixius ostendere sermone: quod quam prolixius aliquid fastidientibus sciens quod operantem agricolam oportet de suis fructibus edere. Quem ita diuina subsecuta est gratia: vt non corporibus sed etiam animabus· eius proficeret medicina. nem feci de omnibus o theophile que cepit ihesus facere et docereusque in diem qua imposita oneris magnitudo: quidem sermone per spiritum sanctum quos elegit assumptus est. Quibus et prebuit seipsum seipm viuum post passionem suam in multis argumentis· per dies quadraginta apparens eis: et loquens de

regno dei. Et conuescens eis iherosolimis ne discederent· sed [4] Et conuescens precepit eis iherosolimis ne discederent· sed exspectarent promissionem patris quam audistis inquit per os meum: [5] quia iohannes baptizauit aqua: vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies. [6] Igitur qui conuenerant interrogabant eum dicentes. Domine: si in tempore hoc restitues israhel: regnum [7] Dixit Dixit eis. Non est vestrum nosse tempouel momenta que pater posuit ra in sua potestate: [8] sed accipietis virtutem superspiritus sancti in vos: et eritis michi testes in iherusalem et in omni iudea samaria· et vsque ad vltimum terre. [9] Et cum hec dixisset: videntibus illis eleuatus et nubes suscepit eum ab oculis eorum. [10] intuerentur in celum euntem illum: ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis: [11] qui et dixerunt. Viri galilei quid statis aspicientes in celum? Hic ihesus qui assumptus est a vobis in celum: sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem celum. [12] Tunc reuersi sunt iherosolimam a monte qui vocatur oliueti qui est iuxta iherusalem: sabbati habens iter. [13] Et cum Et introissent in cenaculum· ascenderunt vbi manebat petrus et iohannes et iacobus et andreas philippus et thomas bartholomeus et matheus: iacobus alphei et symon zelotes et iudas iacobi. [14] Hij omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus et maria matre ihesu: et fratribus eius. [15] In diebus illis exsurgens petrus in medio fratrum dixit. Erat autem turba hominum simul fere centumuiginti. [16] Viri fratres: oportet impleri scripturam quam predixit spiritus sanctus per os dauid de iuda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt ihesum [17] qui connumeratus erat in nobis: et sortitus est sortem ministerij huius. [18] Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis: et suspensus crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera eius. [19] Et notum factum est omnibus habitantibus iherusalem: ita vt appellaretur ager ille lingua eorum acheldemach· hoc est ager sanguinis. [20] Scriptum est enim in libro psalmorum. Fiat commoratio eorum deserta: et non sit qui inhabitet in ea. Et episcopatum eius accipiat alter. [21] Oportet ergo ex hijs viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intrauit et exiuit inter nos dominus ihesus [22] incipiens a baptisinate iohannis· vsque in diem qua assumptus est a nobis: testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. [23] Et statuerunt duos: ioseph qui vocatur barsabas· qui cognominatus est iustus: et mathiam. [24] Et orantes dixerunt. Tu domine qui corda nosti omnium: ostende quem elegeris ex hijs duobus vnum [25] accipere locum ministerij huius et apostolatus: de quo preuaricatus est iudas vt abiret in locum suum. [26] Et dederunt sortes eis. Et cecidit sors super mathiam: et annumeratus est cum vndecim apostolis.

2 Et dum complerentur dies penthecostes: erant omnes pariter in eodem loco. [2] Et factus est repente de celo sonus· tanquam aduenientis spiritus vehementis: et repleuit totam domum vbi erant sedentes. [3] Et apparuerunt illis dispertite lingue tanquam ignis: seditque supra singulos eorum. [4] Et repleti sunt omnes spiritu sancto: et ceperunt loqui varijs linguis pro vt spiritus sanctus dabat eloqui illis. [5] Erant autem in iherusalem habitantes iudei viri religiosi: ex omni natione que sub celo est. [6] Facta autem hac voce conuenit multitudo: et mente confusa est: quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. [7] Stupebant autem omnes: et mirabantur dicentes. Nonne ecce omnes isti qui loquuntur galilei sunt? [8] Et quomodo nos audiuimus vnnsquisque linguam nostram in qua nati sumus? [9] Parthi et medi et elamite· et qui habitant mesopotamiam· iudeam· et capadociam· ponthum· et asyam· [10] frigiam· et pamphiliam· egiptum et partes libie· que est circa cyrenen· et aduene romani: [11] iudei quoque et proseliti cretes et arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia dei. [12] Stupebant autem omnes: et mirabantur ad inuicem dicentes. Quid nam vult hoc esse? [13] Alij autem irridentes dicebant: quia musto pleni sunt isti. [14] Stans autem petrus cum vndecim leuauit vocem suam: et locutus est eis. Viri iudei et qui habitatis iherusalem vniuersum hoc vobis notum sit: et auribus percipite verba mea. [15] Non enim sicut vos estimatis hij ebrij sunt: cum sit hora diei tercia. [16] Sed hoc est quod dictum est per prophetam iohel. [17] Et erit in nouissimis diebus dicit dominus effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et prophetabunt filij vestri et filie vestre: et iuuenes vestri visiones videbunt: et seniores vestri somnia somniabunt. [18] Et quidem super seruos meos et ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo et prophetabunt: [19] et dabo prodigia in celo sursum et signa in terra deorsum: sanguinem et ignem et vaporem fumi. [20] Sol conuertetur in tenebras et luna in sanguinem: antequam veniat dies domini magnus et manifestus. [21] Et omnis quicumque inuocauerit nomen domini saluus erit. [22] Viri israhelite· audite verba hec. Ihesum nazarenum virum approbatum a deo in vobis virtutibus et prodigijs et signis que fecit deus per illum in medio vestri sicut scitis: [23] hunc definito consilio et prescientia dei traditum per manus iniquorum· affigentes interemistis. [24] Quem deus suscitauit solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. [25] Dauid enim dicit in eum. Prouidebam dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est michi ne commouear. [26] Propter hoc letatum est cor meum et exultauit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe. [27] Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. [28] Notas michi fecisti vias vite: replebis me iocunditate cum facie tua. [29] Viri fratres: liceat audenter dicere ad vos de patriarcha dauid quoniam defunctus est· et sepultus est: et sepulcrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. [30] Propheta igitur cum esset et sciret quia iureiurando iurasset illi deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius: [31] prouidens locutus est de resurrectione cristi: quia neque derelictus est in inferno· neque caro eius vidit corruptionem. [32] Hunc ihesum resuscitauit deus: cuius omnes nos testes sumus. [33] Dextera igitur dei exaltatus· et promissione spiritus sancti accepta a patre: effudit hoc donum quod vos videtis et auditis. [34] Non enim dauid ascendit in celum. Dicit autem ipse. Dixit dominus domino meo sede a dextris meis: [35] donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. [36] Certissime sciat ergo omnis domus israhel: quia et dominum eum et cristum fecit deus hunc ihesum quem vos crucifixistis. [37] Hijs autem auditis compuncti sunt corde: et dixerunt ad petrum et ad reliquos apostolos. Quid faciemus viri fratres? [38] Petrus autem ad illos: penitentiam inquit agite· et baptizetur vnusquisque vestrum in nomine ihesu cristi in remissionem peccatorum vestrorum: et accipietis donum spiritus sancti. [39] Vobis enim est repromissio et filijs vestris: et omnibus qui longe sunt quoscunque aduocauerit dominus deus noster. [40] Alijs etiam verbis plurimis testificatus est: et exhortabatur eos dicens. Saluamini a generatione ista praua. [41] Qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt: et apposite sunt in die illa anime circiter tria milia. [42] Erant autem perseuerantes in doctrina apostolorum: et comunicatione fractionis panis· et orationibus. [43] Fiebat autem omni anime timor. Multa quoque prodigia et signa per apostolos in iherusalem fiebant: et metus erat magnus in vniuersis. [44] Omnes etiam qui credebant erant pariter: et habebant omnia conmunia. [45] Possessiones et substantias vendebant: et diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat. [46] Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo et frangentes circa domos panem· sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis: [47] collaudantes deum et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salui fierent quotidie in idipsum.

3 Petrus autem et iohannes ascendebant in templum: ad horam orationis nonam. [2] Et quidam vir qui erat claudus ex vtero matris sue baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi que dicitur speciosa: vt peteret elemosinam ab introeuntibus in templum. [3] Is cum vidisset petrum et iohannem· incipientes introire in templum: rogabat vt elemosinam acciperet. [4] Intuens autem in eum petrus cum iohanne dixit. Respice in nos. [5] At ille intendebat in eos: sperans se aliquid accepturum ab eis. [6] Petrus autem dixit. Argentum et aurum non est michi: quod autem habeo hoc tibi do. In nomine ihesu cristi nazareni surge et ambula. [7] Et apprehensa manu eius dextera alleuauit eum: et protinus consolidate sunt bases eius et plante. [8] Et exiliens stetit et ambulabat: et intrauit cum illis in templum: ambulans et exiliens et laudans deum. [9] Et vidit omnis populus eum ambulantem: et laudantem deum. [10] Cognoscebant autem illum: quod ipse erat qui ad elemosinam sedebat ad speciosam portam templi. Et impleti sunt stupore· et extasi: in eo quod contigerat illi. [11] Cum tenerent autem petrum et iohannem: cucurrit

omnis populus ad eos ad porticum que appellatur salomonis Videns stupentes. 12 Videns autem petrus: respondit ad populum. Viri israhelite quid miramini in hoc· aut nos quid intuemini: quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? 13 Deus abraham et deus ysaac et deus iacob· deus patrum nostrorum glorificauit filium suum ihesum: quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem pilati iudicante illo dimitti. 14 Vos autem sanctum et iustum negastis: et petistis virum homicidam donari vobis: 15 auctorem vero vite interfecistis. Quem deus suscitauit a mortuis: cuius nos testes sumus: 16 et in fide nominis eius hunc quem vos videtis et nostis confirmauit nomen eius: et fides que per eum est dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. 17 Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis: sicut et principes vestri. 18 Deus autem que prenunciauit per os omnium prophetarum pati cristum suum: sic impleuit. 19 Penitemini igitur et conuertimini vt deleantur peccata vestra: 20 vt cum venerint tempora refrigerij a conspectu domini et miserit eum qui predicatus est vobis ihesum cristum: 21 quem oportet quidem celum recipere vsque in tempora restitutionis omnium que locutus est deus per os sanctorum suorum a seculo prophetarum. 22 Moyses quidem dixit. Quoniam prophetam suscitabit vobis dominus deus vester de fratribus vestris: tanquam meipsum audietis iuxta omnia quecunque locutus fuerit vobis. 23 Erat autem: omnis anima que non audierit prophetam illum exterminabitur de plebe. 24 Et omnes prophete a samuhel et deinceps qui locuti sunt annunciauerunt dies istos. 25 Vos estis filij prophetarum et testamenti: quod disposuit deus ad patres nostros dicens ad abraham. Et in semine tuo benedicentur omnes familie terre. 26 Vobis primum deus suscitans filium suum misit eum benedicentem vobis: vt conuertat se vnusquisque a nequicia sua.

4 Loquentibus autem illis ad populum· superuenerunt sacerdotes et magistratus templi et saducei· 2 dolentes quod docerent populum et annunciarent in ihesum resurrectionem ex mortuis· 3 et iniecerunt in eos manus: et posuerunt eos in custodia in crastinum. Erat autem iam vespera. 4 Multi autem eorum qui audierant verbum crediderunt· et factus est numerus eorum quinque milia. 5 Factum est autem in crastinum vt congregarentur principes eorum et seniores et scribe in iherusalem: 6 et annas princeps sacerdotum· et cayphas· et iohannes· et alexander· et quotquot erant de genere sacerdotali. 7 Et statuentes eos in medio interrogabant. In qua virtute aut in quo nomine fecistis hoc vos? 8 Tunc repletus spiritu sancto petrus· dixit ad eos. Principes populi et seniores: 9 si nos hodie iudicamur in benefacto hominis infirmi in quo iste saluus factus est: 10 notum sit omnibus vobis et omni plebi israhel quia in nomine domini nostri ihesu cristi nazareni quem vos crucifixistis quem deus suscitauit a mortuis· in hoc iste astat coram vobis sanus. 11 Hic est lapis qui reprobatus est a vobis edificantibus· qui factus est in caput anguli: 12 et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus: in quo oporteat nos saluos fieri. 13 Videntes autem petri constantiam et iohannis: comperto quod homines essent sine litteris et ydeote ammirabantur: et cognoscebant eos quoniam cum ihesu fuerant. 14 Hominem quoque videntes stantem cum eis qui curatus fuerat: nichil poterant contradicere. 15 Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere: et conferebant ad inuicem 16 dicentes. Quid faciemus hominibus istis? Quoniamquidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus iherusalem. Manifestum est: et non possumus negare. 17 Sed ne amplius diuulgetur in populi: comminemur eis ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum. 18 Et vocantes eos: denunciauerunt ne omnino loquerentur neque docerent in nomine ihesu. 19 Petrus vero et iohannes respondentes dixerunt ad eos. Si iustum est in conspectu dei vos potius audire quam deum· iudicate. 20 Non enim possumus que vidimus et audiuimus non loqui. 21 At illi comminantes dimiserunt eos: non inuenientes quomodo punirent eos propter populum: quia omnes clarificabant id quod factum erat in eo quod acciderat. 22 Annorum enim erat amplius quadraginta homo: in quo factum fuerat signum istud sanitatis. 23 Dimissi autem venerunt ad suos: et annunciauerunt eis quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent. 24 Qui cum audissent: vnanimiter leuauerunt vocem ad deum et dixerunt. Domine tu qui fecisti celum et terram mare et omnia que in eis sunt: 25 qui spiritu sancto per os patris nostri dauid pueri tui dixisti quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inani 26 astiterunt reges terre et principes conuenerunt in vnum aduersus dominum et aduersus cristum eius: 27 conuenerunt enim vere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum ihesum quem vnxisti herodes et pontius pylatus cum gentibus et populis israhel: 28 facere que manus tua et consilium tuum decreuerunt fieri. 29 Et nunc domine respice in minas eorum: et da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum 30 in eo quod manum tuam extendas ad sanitates et signa et prodigia fieri per nomen sancti filij tui ihesu. 31 Et cum orassent motus est locus in quo erant congregati: et repleti sunt omnes spiritu sancto: et loquebantur verbum dei cum fiducia. 32 Multitudinis autem credentium erat cor vnum et anima vna: nec quisquam eorum que possidebat aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. 33 Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis ihesu cristi domini nostri: et gratia magna erat in omnibus illis. 34 Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant: vendentes afferebant precia eorum que vendebant: 35 et ponebant ante pedes apostolorum. Diuidebatur autem singulis pro vt cuique opus erat. 36 Ioseph autem qui cognominatus est barsabas ab apostolis· quod est interpretatum filius consolationis· leuites· cyprius genere 37 cum haberet agrum vendidit eum: et attulit precium et posuit ante pedes apostolorum.

5 Vir Vir autem quidam nomine ananias cum saphira vxore sua vendidit agrum: 2 et fraudauit de precio agri conscia vxore sua: et afferens partem quandam· ad pedes apostolorum posuit. 3 Dixit autem petrus petrus ad ananiam. Anania cur temptauit sathanas cor tuum mentiri te spiritui sancto: et fraudare de precio agri? 4 Nonne manens tibi manebat: et venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem: Non es mentitus hominibus sed deo. 5 Audiens autem ananias hec verba: cecidit et exspirauit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt. 6 Surgentes autem iuuenes amouerunt eum: et efferentes sepelierunt. 7 Factum est autem quasi horarum trium spacium: et vxor ipsius nesciens quod factum fuerat introiuit. 8 Dixit autem ei petrus. Dic michi: si tanti agrum vendidistis. At illa dixit. Etiam tanti. 9 Petrus autem ad eam. Quid vtique conuenit vobis temptare spiritum domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium: et efferent te. 10 Confestim cecidit ante pedes eius: et exspirauit. Intrantes autem iuuenes inuenerunt illam mortuam: et extulerunt et sepelierunt ad virum suum. 11 Et factus est timor magnus in vniuersa ecclesia: et in omnes qui audierunt hec. 12 Per manus autem apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu salomonis. 13 Ceterorum autem nemo audebat coniungere se illis: sed magnificabat eos populus. 14 Magis autem augebatur credentium in domino multitudo virorum ac mulierum: 15 ita vt in plateas eicerent infirmos et ponerent in lectulis ac grabatis vt veniente petro saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum et liberarentur omnes ab infirmitatibus suis. 16 Concurrebat autem et multitudo vicinarum ciuitatum iherusalem· afferentes egros et vexatos a spiritibus immundis: qui curabantur omnes. 17 Exsurgens autem princeps sacerdotum et omnes qui cum illo erant que est heresis saduceorum repleti sunt zelo: 18 et iniecerunt manus in apostolos: et posuerunt eos in custodia publica. 19 Angelus autem domini per noctem aperiens ianuas carceris et educens eos dixit. 20 Ite: et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vite huius. 21 Qui cum audissent intrauerunt diluculo in templum: et docebant. Adueniens autem princeps sacerdotum et qui cum eo erant conuocauerunt concilium· et omnes seniores filiorum israhel: et miserunt ad carcerem vt adducerentur. 22 Cum autem venissent ministri et aperto carcere non inuenissent illos: reuersi nunciauerunt 23 dicentes. Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia: et custodes stantes ante ianuas: aperientes autem neminem intus inuenimus. 24 Vt autem audierunt hos sermones magistratus templi et principes sacerdotum: ambigebant de illis quidnam fieret. 25 Adueniens autem quidam nunciauit eis: quia ecce viri quos

posuistis in carcerem sunt in templo stantes: et docentes populum. [26] Tunc abijt magistratus cum ministris: et adduxit illos sine vi. Timebant enim populum ne lapidarentur. [27] Et cum adduxissent illos: statuerunt in concilio. Et interrogauit eos princeps sacerdotum [28] dicens. Precipiendo precepimus vobis ne doceretis in nomine isto: et ecce replestis iherusalem doctrina vestra: et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. [29] Respondens autem petrus et apostoli dixerunt. Obedire oportet deo magis quam hominibus. [30] Deus patrum nostrorum suscitauit ihesum: quem vos interemistis suspendentes in ligno. [31] Hunc principem deus et saluatorem exaltauit dextera sua ad dandam penitentiam israhel et remissionem peccatorum: [32] et nos sumus testes horum verborum: et spiritus sanctus quem dedit deus omnibus obedientibus sibi. [33] Hec cum audissent dissecabantur: et cogitabant interficere illos. [34] Surgens autem quidam in concilio phariseus nomine gamalihel legis doctor honorabilis vniuerse plebi: iussit foras ad breue homines fieri. [35] Dixitque ad illos. Viri israhelite attendite vobis super hominibus istis: quid acturi sitis. [36] Ante hos enim dies extitit theodas dicens se esse aliquem: cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est et omnes qui credebant ei dissipati sunt: et redacti ad nichilum. [37] Post hunc extitit iudas galileus in diebus professionis: et auertit populum post se. Et ipse perijt. Et omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt: et ipse perijt. [38] Et nunc itaque dico vobis: discedite ab hominibus istis· et sinite illos. Quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus· dissoluetur: [39] si vero ex deo est non poteritis dissoluere: ne forte et deo repugnare videamini. Consenserunt autem illi: [40] et conuocantes apostolos cesis denunciauerunt ne omnino loquerentur in nomine ihesu: et dimiserunt eos. [41] Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine ihesu contumeliam pati. [42] Omni autem die non cessabant in templo et circa domos docentes: et euangelizantes cristum ihesum.

6 diebus illis crescente numero discipulorum factum est murmur grecorum aduersus hebreos: eo quod despicerentur in ministerio quotidiano vidue eorum. [2] Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt. Non est equum nos dereliquere verbum dei: et ministrare mensis. [3] Considerate ergo fratres viros ex boni testimonij septem plenos spiritu et sapientia: quos constituamus super hoc opus. [4] Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. [5] Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt stephanum virum plenum fide et spiritu sancto: et philippum et procorum et nycanorem et thimonem et parmenam et nicolaum aduenam anthiocenum. [6] Hos statuerunt ante conspectum apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus. [7] Et verbum domini crescebat: et multiplicabatur numerus discipulorum in iherusalem valde. Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. [8] Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo. [9] Surrexerunt autem quidam de synagoga que appellabatur libertinorum et cyrenensium et alexandrinorum· et eorum qui erant a cilicia et asia disputantes cum stephano: [10] et non poterant resistere sapientie et spiritui qui loquebatur: propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia. [11] Tunc summiserunt viros qui dicerent se audisse eum dicentem verba blasphemie in moysen et deum. [12] Commouerunt itaque plebem et seniores et scribas: et concurrentes rapuerunt eum et adduxerunt in concilium: [13] et statuerunt falsos testes qui dicerent. Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum et legem. [14] Audiuimus enim eum dicentem: quoniam ihesus nazarenus hic destruet locum istum: et mutabit traditiones· quas tradidit nobis moyses. [15] Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio: viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.

7 Dixit autem princeps sacerdotum: si hec ita se haberent. [2] Qui ait. viri fratres et patres audite. Deus glorie apparuit patri nostro abrahe cum esset in mesopotamia priusquam moraretur in carran: [3] et dixit ad illum. Exi de terra tua et de cognatione tua: et veni in terram quam monstrauero tibi. [4] Tunc exijt de terra chaldeorum: et habitauit in charran. Et inde postquam mortuus est pater eius transtulit illum in terram istam: in qua nunc vos habitatis. [5] Et non dedit illi hereditatem in ea nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem et semini eius post ipsum: cum non haberet filium. [6] Locutus est autem deus· quia erit semen eius accola in terra aliena: et seruituti eos subicient et male tractabunt eos annis quadringentis: [7] et gentem cui seruierint iudicabo ego dicit dominus. Et post hec exibunt: et deseruient michi in loco isto. [8] Et dedit illi testamentum circuncisionis· et sic genuit ysaac et circumcidit eum die octauo: et ysaac iacob: et iacob duodecim patriarchas. [9] Et patriarche emulantes ioseph vendiderunt in egiptum: et erat deus cum eo. [10] Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius: et dedit ei gratiam et sapientiam in conspectu pharaonis regis egiptiorum: et constituit eum prepositum super egiptum et super omnem domum suam. [11] Venit autem fames in vniuersam egiptum et chanaan et tribulatio magna: et non inueniebant cibos patres nostri. [12] Cum audisset autem iacob esse frumentum in egipto· misit patres nostros primum: [13] et in secundo cognitus est ioseph a fratribus suis: et manifestatum est pharaoni genus eius. [14] Mittens autem ioseph accersiuit iacob patrem suum: et omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinque. [15] Et descendit iacob in egiptum: et defunctus est ipse et patres nostri. [16] Et translati sunt in sichem: et positi sunt in sepulcro quod emit abraham precio argenti a filijs emor filij sichem. [17] Cum autem appropinquaret tempus promissionis quam confessus erat deus abrahe creuit populus et multiplicatus est in egipto: [18] quoadusque surrexit alius rex in egipto qui non sciebat ioseph. [19] Hic circumueniens genus nostrum afflixit patres nostros: vt exponerent infantes suos ne viuificarentur. [20] Eodem tempore natus est moyses· et fuit gratus deo: qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. [21] Exposito autem illo sustulit eum filia pharaonis: et nutriuit eum sibi in filium. [22] Et eruditus est moyses omni sapientia egiptiorum: et erat potens in verbis et in operibus suis. [23] Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus: ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos filios israhel. [24] Et cum vidisset quendam iniuriam patientem vindicauit illum: et fecit vltionem ei qui iniuriam sustinebat percusso egiptio. [25] Existimabat autem intelligere fratres: quoniam deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexrunt. [26] Sequenti vero die apparuit illis litigantibus: et reconciliabat eos in pace dicens. Viri: fratres estis. Vt quid nocetis alterutrum? [27] Qui autem iniuriam faciebat proximo: repulit eum dicens. Quis te constituit principem et iudicem super nos? [28] Nunquid interficere me tu vis· quemadmodum interfecisti heri egiptium? [29] Fugit autem moyses in verbo isto: et factus est aduena in terra madian: vbi generauit filios duos. [30] Et expletis annis quadraginta: apparuit illi in deserto montis syna angelus in igne flamine rubi. [31] Moyses autem videns ammiratus est visum. Et accedente illo vt consideraret: facta est ad eum vox domini dicens. [32] Ego sum deus patrum tuorum: deus abraham· deus ysaac· et deus iacob. Tremefactus autem moyses: non audebat considerare. [33] Dixit autem illi deus. Solue calciamentum pedum tuorum. Locus enim in quo stas terra sancta est. [34] Videns vidi afflictionem populi mei qui est in egipto: et gemitum eorum audiui: et descendi liberare eos. Et nunc· veni mittam te in egiptum. [35] Hunc moysen quem negauerunt dicentes quis te constituit principem et iudicem: hunc deus principem et redemptorem misit cum manu angeli qui apparuit illi in rubo. [36] Hic eduxit illos faciens prodigia et signa in terra egipti et in rubro mari: et in deserto annis quadraginta. [37] Hic est moyses qui dixit filijs israhel. Prophetam suscitabit vobis deus de fratribus vestris: tanquam meipsum audietis. [38] Hic est qui fuit in ecclesia in solitudine cum angelo qui loquebatur ei in monte syna et cum patribus nostris: qui accepit verba vite dare nobis. [39] Cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt et auersi sunt cordibus suis in egiptum: [40] dicentes ad aaron. Fac nobis deos qui precedant nos. Moysi enim huic qui eduxit nos de terra egipti: nescimus quid factum sit ei. [41] Et vitulum fecerunt in diebus illis: et obtulerunt hostiam simulacro: et letabantur in operibus manuum suarum. [42] Conuertit autem deus: et tradidit eos seruire militie celi: sicut scriptum est in libro prophetarum. Nunquid victimas aut hostias obtulistis michi annis quadraginta in deserto domus israhel? [43] Et suscepistis tabernaculum moloch et sidus dei vestri rempham· figuras quas

fecisti adorare eas: et transferam vos trans babilonem. [44] Tabernaculum testimonij fuit cum patribus nostris in deserto sicut disposuit illis deus loquens ad moysen: vt faceret illud secundum formam quam viderat. [45] Quod et induxerunt suscipientes patres nostri cum ihesu in possessionem gentium: quas expulit deus a facie patrum nostrorum vsque in diebus dauid. [46] Qui inuenit gratiam ante deum: et petijt vt inueniret tabernaculum deo iacob. [47] Salomon autem edificauit illi domum. [48] Sed non excelsus in manufactis habitat: sicut prophetam dicit. [49] Celum michi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum edificabitis michi dicit dominus: aut quis locus requietionis mee est? [50] Nonne manus mea fecit hec omnia? [51] Dura ceruice et incirumcisi cordibus et auribus· vos semper spiritui sancto restitistis: sicut patres vestri et vos. [52] Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? stri: Et occiderunt eos qui prenunciabant de aduentu iusti: cuius vos nunc proditores et homicide fuistis: [53] qui accepistis legem in dispositione angelorum et non custodistis. [54] Audientes autem hec dissecabantur cordibus suis: et stridebant dentibus in eum. [55] Cum autem esset plenus spiritu sancto· intendens in celum vidit gloriam dei et ihesum stantem a dexteris dei. Et ait. Ecce video celos apertos: et filium hominis stantem a dexteris virtutis dei. [56] Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas: et impetum fecerunt vnanimiter in [57] eum. Et eicientes eum extra ciuitatem lapidabant: et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis: qui vocabatur saulus. [58] Et lapidabant stephanum inuocantem et dicentem. Domine ihesu suscipe spiritum meum. [59] Positus autem genibus: clamauit voce magna dicens. Domine: ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset: obdormiuit. Saulus Paulus autem erat consen miuit. tiens Paulus autem erat consenmiuit. tiens neci eius.

8 Facta est autem in illa die persecutio magna in ecclesia que erat iherosolimis: et omnes dispersi sunt per regiones iudee et samarie preter apostolos. [2] Curauerunt autem stephanum viri timorati: et fecerunt planctum magnum super eum. [3] Saulus autem deuastabat ecclesiam: per domos intrans et trahens viros ac mulieres: tradebat in custodiam. [4] Igitur qui dispersi erant pertransibant euangelizantes verbum dei. [5] Philippus autem descendens in ciuitatem samarie predicabat illis cristum. [6] Intendebant autem turbe hijs que a philippo dicebantur vnanimiter audientes: et videntes signa que faciebat. [7] Multi enim eorum qui habebant spiritus immundos: clamantes voce magna exiebant. Multi autem paralitici et claudi curati sunt. [8] Factum est ergo gaudium magnum in illa ciuitate. [9] Vir autem quidam nomine symon qui ante fuerat in ciuitate magus seducens gentem samarie dicens se esse aliquem magnum: [10] cui auscultabant omnes a minimo vsque ad maximum dicentes: hic est virtus dei que vocatur magna. [11] Attendebant autem eum: propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos. [12] Cum vero credidissent philippo euangelizanti de regno dei: in nomine ihesu cristi baptizabantur viri ac mulieres. [13] Tunc symon et ipse credidit: et cum baptizatus esset adherebat philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri: stupens ammirabatur. [14] Cum autem audissent apostoli qui erant in iherosolimis quia recepisset samaria verbum dei: miserunt ad eos petrum et iohannem. [15] Qui cum venissent orauerunt pro ipsis: vt acciperent spiritum sanctum. [16] Nondum enim in quenquam illorum superuenerat: sed baptizati tantum erant in nomine domini ihesu. [17] Tunc imponebant manus super illos: et accipiebant spiritum sanctum. [18] Cum vidisset autem symon quia per impositionem manus apostolorum daretur spiritus sanctus: obtulit eis pecuniam [19] dicens. Date et michi hanc potestatem: vt cuicumque imposuero manus accipiat spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum. [20] Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum dei existimasti pecunia possideri. [21] Non est enim tibi pars neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram deo. [22] Penitentiam itaque age ab hac nequicia tua: et roga deum si forte remittatur tibi hec cogitatio cordis tui. [23] In felle enim amaritudinis et obligacioue iniquitatis video te esse. [24] Respondens autem symon dixit. Precamini vos pro me ad dominum: vt nichil veniat super me horum que dixistis. [25] Et illi quidem testificati et locuti verbum domini redibant iherosolimam: et multis regionibus samaritanorum euangelizabant. [26] Angelus autem domini locutus est ad philippum dicens. Surge: et vade contra meridianum ad viam que descendit ab iherusalem in gazam: hec est deserta. [27] Et surgens abijt. Et ecce vir ethiops eunuchus potens candacis regine ethiopum· qui erat super omnes gazas eius venerat adorare in iherusalem: [28] et reuertebatur sedens supra currum suum· legensque ysaiam prophetam. [29] Dixit autem spiritus philippo. Accede: et adiunge te ad currum istum. [30] Accurrens autem philippus: audiuit eum legentem ysaiam prophetam et dixit. Putasne intelligis que legis? [31] Qui ait. Et quomodo possum: si non aliquis ostenderit michi? Rogauitque ascenderet: et sederet philippum vt sederet secum. [32] Locus autem scripture quam legebat erat hic. Tanquam ouis ad occisionem ductus est: et sicut agnus coram tondente se sine voce· sic non aperuit os suum. [33] In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? Quoniam tolletur de terra vita eius. [34] Respondens autem eunuchus philippo dixit. Obsecro te· de quo propheta dicit hoc? De se an de alio aliquo? [35] Aperiens autem philippus os suum: et incipiens a scriptura ista: euangelizauit illi ihesum. [36] Et dum irent per viam: venerunt ad quandam aquam. Et ait eunuchus. Ecce aqua. Quis prohibet me baptizari: [37] dixit autem philippus· Si credis ex toto corde licet. Et respondens ait. Credo filium dei esse ihesum cristum. [38] Et iussit stare currum. Et descenderunt vterque in aquam philippus et eunuchus: et baptizauit eum. [39] Cum autem ascendisset de aqua spiritus domini rapuit philippum: et amplius non vidit eum eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. [40] Philippus autem inuentus est in azoto: et pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis donec veniret cesaream.

9 Paulus autem adhuc spirans minarum et cedis in discipulos domini accessit ad principem sacerdotum· [2] et petijt ab eo epistolas in damascum ad synagogas: vt si quos inuenisset huius vite viros ac mulieres: vinctos perduceret in iherusalem. [3] Et cum iter faceret: contigit vt appropinquaret damasco. Et subito circunfulsit eum lux de celo: [4] et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi. Saule saule: quid me persequeris? [5] Qui dixit. Quis es domine? Et ille. Ego sum ihesus: quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. [6] Et tremens ac stupens dixit. Domine: quid me vis facere? [7] Et dominus ad eum. Surge et ingredere ciuitatem: et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur cum eo stabant stupefacti: audientes quidem vocem: neminem autem videntes. [8] Surrexit autem saulus de terra: apertisque oculis nichil videbat. Ad manus autem illum trahentes· introduxerunt damascum. [9] Et erat ibi tribus diebus non videns: et non manducauit neque bibit. [10] Erat autem quidam discipulus damasci nomine ananias. Et dixit ad illum in visu dominus. Anania. At ille ait. Ecce ego domine. [11] Et dominus ad eum. Surge et vade in vicum qui vocatur rectus: et quere in domo iude· saulum nomine tharsensem. Ecce enim orat. [12] Et vidit virum ananiam nomine introeuntem: et imponentem sibi manus vt visum recipiat. [13] Respondit autem ananias. Domine audiui a multis de viro hoc: quanta mala fecerit sanctis tuis in iherusalem. [14] Et hic habet potestatem a principibus sacerdotum: alligandi omnes qui inuocant nomen tuum. [15] Dixit autem ad eum dominus. Vade: quoniam vas electionis est michi iste: vt portet nomen meum coram gentibus et regibus et filijs israhel. [16] Ego enim ostendam illi: quanta oporteat eum pro nomine meo pati. [17] Et abijt ananias et introiuit in domum: et imponens ei manus dixit. Saule frater: dominus misit me ihesus· qui apparuit tibi in via qua veniebas: vt videas et implearis spiritu sancto. [18] Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squame: et visum recepit. Et surgens baptizatus est: [19] et cum accepisset cibum confortatus est. Fuit autem cum discipulis qui erant damasci per dies aliquot. [20] Et continuo ingressus in synagogas predicabat ihesum: quoniam hic est filius dei. [21] Stupebant autem omnes qui eum audiebant: et dicebant. Nonne hic est qui expugnabat in iherusalem eos qui inuocabant nomen istud? Et huc ad hoc venit: vt vinctos illos duceret ad principes sacerdotum. [22] Saulus autem multo magis conualescebat et confundebat iudeos qui habitabant damasci: affirmans quoniam hic est cristus. [23] Cum autem implerentur dies multi: concilium fecerunt in vnum iudei vt eum interficerent. [24] Note autem facte sunt saulo

insidie eorum. Custodiebant autem et portas die ac nocte: vt eum interficerent. [25] Accipientes autem discipuli eius nocte per murum dimiserunt eum: summittentes in sporta. [26] Cum autem venisset in iherusalem temptabat se iungere discipulis: et omnes timebant eum: non credentes quod esset discipulus. [27] Barnabas autem appri hensum illum duxit ad apostolos: et narrauit illis quomodo in via vidisset dominum et quia locutus est ei: et quomodo in damasco fiducialiter egerit in nomine ihesu. [28] Et erat cum illis intrans et exiens in iherusalem: fiducialiter agens in nomine domini. [29] Loquebatur quoque gentibus et disputabat cum grecis: illi autem querebant occidere eum. [30] Quod cum cognouissent fratres deduxerunt eum cesaream: et dimiserunt tharsum. [31] Ecclesia quidem per totam iudeam et galileam et samariam habebat pacem: et edificabatur ambulans in timore domini: et consolatione sancti spi spiritus ritus replebatur. [32] Factum est autem petrum dum pertransiret vniuersos· deuenire ad sanctos qui habitabant lidde. [33] Inuenit autem ibi hominem quendam nomine eneam· ab annis octo iacentem in grabbato: qui erat paraliticus. [34] Et ait illi petrus. Enea: sanet te dominus ihesus cristus. Surge: et sterne tibi. Et continuo surrexit. [35] Et viderunt illum omnes qui habitabant lidde et sarone: qui conuersi sunt ad dominum. [36] In ioppe autem fuit quedam discipula nomine thabita: que interpretata dicitur dorcas. Hec erat plena operibus bonis et elemosinis quas faciebat. [37] Factum est autem in diebus illis: vt infirmata moreretur. Quam cum lauissent: posuerunt eam in cenaculo. [38] Cum autem prope esset lidda ab ioppe: discipuli audientes quia petrus esset in ea duos viros miserunt ad eum: rogantes· ne pigriteris venire vsque ad nos. [39] Exsurgens autem petrus: venit cum illis. Et cum aduenisset duxerunt illum in cenaculum: et circumsteterunt illum omnes vidue flentes: et ostendentes ei tunicas et vestes quas faciebat illis dorcas. [40] Eiectis autem omnibus foras· petrus ponens genua orauit: et conuersus ad corpus dixit. Thabita surge. At illa aperuit oculos: et viso petro resedit. [41] Dans autem illi manum erexit eam: et cum vocasset sanctos et viduas assignauit eam viuam. [42] Notum autem factum est per vniuersam ioppen: et crediderunt multi in domino. [43] Factum est autem vt dies multos moraretur in ioppe apud symonem quendam coriarium.

10 Vir autem quidam erat in cesarea nomine cornelius centurio cohortis que dicitur ytalica· [2] religiosus ac timens deum cum omni domo sua: faciens elemosinas multas plebi: et deprecans deum semper. [3] Is vidit in visu manifeste quasi in hora nona diei angelum dei introeuntem ad se: et dicentem sibi. Corneli. [4] At ille intuens eum: timore correptus dixit. Quis es domine? Dixit autem illi. Orationes tue et elemosine tue ascenderunt in memoriam in conspectu domini. [5] Et nunc mitte viros in ioppen: et accersi symonem quendam qui cognominatur petrus. [6] Hic hospitatur apud symonem quendam coriarium: cuius est domus iuxta mare. Hic dicet tibi: quid te oporteat facere. [7] Et cum discessisset angelus qui loquebatur illi: vocauit duos domesticos suos et militem timentem dominum ex hijs qui illi parebant. [8] Quibus cum narrasset omnia: misit illos in ioppen. [9] Postera autem die iter illis facientibus et appropinquantibus ciuitati: ascendit petrus in superiora vt oraret circa horam sextam. [10] Et cum esuriret voluit gustare: parantibus autem illis cecidit super eum mentis excessus. [11] Et vidit celum apertum: et descendens vas quoddam velut lintheum magnum quatuor inicijs summitti de celo in terram: [12] in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terre· et volatilia celi. [13] Et facta est vox ad eum. Surge petre: occide et manduca. [14] Ait autem petrus. Absit domine: quia nunquam manducaui omne commune et immundum. [15] Et vox iterum secundo ad eum. Que deus purificauit: tu commune ne dixeris. [16] Hoc autem factum est per ter. Et statim receptum est vas in celum. [17] Et dum intra se hesitaret petrus quidnam esset visio quam vidisset: ecce viri qui missi erant a cornelio inquirentes domum symonis· astiterunt ad ianuam. [18] Et cum vocassent: interrogabant si symon qui cognominatur petrus illic haberet hospitium. [19] Petro autem cogitante de visione: dixit spiritus ei. Ecce viri tres querunt te. [20] Surge itaque et descende: et vade cum eis nichil dubitans: quia ego misi illos. [21] Descendens autem petrus ad viros dixit. Ecce ego sum quem queritis. Que causa est propter quam venistis? [22] Qui dixerunt. Cornelius centurio vir iustus et timens deum et testimonium habens ab vniuersa gente iudeorum: responsum accepit ab angelo sancto accersiri te in domum suam: et audire verba abs te. [23] Introducens ergo eos recepit hospitio. Sequenti autem die surgens: profectus est cum illis· et quidam ex fratribus ab ioppe comitati sunt cum eo. [24] Altera autem die introiuit cesaream: cornelius vero exspectabat illos: conuocatis cognatis suis et necessarijs amicis. [25] Et factum est cum introisset petrus· obuius venit ei cornelius: et procidens ad pedes eius adorauit. [26] Petrus vero eleuauit eum dicens. Surge: et ego ipse homo sum. [27] Et loquens cum illo intrauit: et inuenit multos qui conuenerant: [28] dixitque ad illos. Vos scitis quomodo abominatum sit viro iudeo coniungi aut accedere ad alienigenam. Sed michi ostendit deus neminem communem aut immundum dicere hominem: [29] propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo: quam ob causam quamobcausam accersisti [30] me. Et cornelius ait. A nudiusquartana die vsque ad hanc horam orans eram hora nona in domo mea: et ecce vir stetit ante me in veste candida: et ait. [31] Corneli exaudita est oratio tua: et elemosine tue commemorate sunt in conspectu dei: [32] mitte ergo in ioppen et accersi symonem qui cognominatur petrus: hic hospitatur in domo symonis coriarij iuxta mare. [33] Confestim ergo misi ad te: et tu benefecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo assumus: audire omnia quecumque tibi precepta sunt a domino. [34] Aperiens autem petrus os suum dixit. In veritate comperi quia non est personarum acceptor deus: [35] sed in omni gente qui timet eum et operatur iusticiam: acceptus est illi. [36] Verbum misit deus filijs israhel· annuncians pacem per ihesum cristum: hic est omnium dominus. [37] Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam iudeam. Incipiens enim a galilea post baptismum quod predicauit iohannes [38] ihesum a nazareth quomodo vnxit eum deus spiritu sancto et virtute: qui pertransijt benefaciendo et sanando omnes oppressos a dyabolo: quoniam deus erat cum illo. [39] Et nos testes sumus omnium que fecit in regione iudeorum et iherusalem: quem occiderunt suspendentes in ligno. [40] Hunc deus suscitauit tercia die et dedit eum manifestum fieri· [41] non omni populo sed testibus preordinatis a deo: nobis qui manducauimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis. [42] Et precepit nobis predicare populo et testificari: quia ipse est qui constitutus est a deo iudex viuorum et mortuorum. [43] Huic omnes prophete testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius: omnes qui credunt in eum. [44] Adhuc loquente petro verba hec: cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. [45] Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum petro: quia et in nationes gratia spiritus sancti effusa est. [46] Audiebant enim illos loquentes linguis: et magnificantes deum. [47] Tunc respondit petrus. Nunquid aquam quis prohibere potest vt non baptizentur hij qui spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? [48] Et iussit eos baptizari in nomine domini ihesu cristi. Tunc rogauerunt eum: vt maneret apud eos aliquot diebus.

11 Audierunt autem apostoli et fratres qui erant in iudea: quoniam et gentes receperunt verbum dei. [2] Cum autem ascendisset petrus iherosolimam: disceptabant aduersus illum qui erant ex circumcisione [3] dicentes. Quare introisti ad viros prepucium habentes: et manducasti cum illis? [4] Incipiens autem petrus: exponebat illis ordinem dicens. [5] Ego eram in ciuitate ioppe orans· et vidi in excessu mentis mee visionem: descendens vas quoddam velut lintheum magnum quatuor inicijs summitti de celo: et venit vsque ad me. [6] In quod intuens considerabam: et vidi quadrupedia terre et bestias et reptilia et volatilia celi. [7] Audiui autem et vocem dicentem michi. Surge petre occide et manduca. [8] Dixi autem. Nequaquam domine: quia commune aut immundum nunquam introiuit in os meum. [9] Respondit autem vox secundo de celo. Que deus mundauit: tu ne commune dixeris. [10] Hoc autem factum est per ter: et recepta sunt omnia rursum in celum. [11] Et ecce viri tres confestim asstiterunt in domo in qua eram: missi a cesarea ad me. [12] Dixit autem spiritus michi: vt irem cum illis nichil hesitans. Venerunt autem mecum et sex fratres isti: et ingressi sumus in domum viri. [13] Narrauit autem nobis quomodo vidisset angelum in domo sua stantem: et dicentem sibi.

Mitte in ioppen et accersi symonem qui cognominatur petrus: [14] qui loquetur tibi verba in quibus saluus eris tu et vniuersa domus tua. [15] Cum autem cepissem loqui cecidit spiritus sanctus super eos: sicut et in nos in inicio. [16] Recordatus sum autem verbi domini: sicut dicebat. Iohannes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini spiritu sancto. [17] Si ergo eandem gratiam dedit illi deus sicut et nobis qui credidimus in dominum ihesum cristum: ego quis eram qui possem prohibere deum? [18] Hijs auditis tacuerunt: et glorificauerunt deum dicentes. Ergo et gentibus penitentiam dedit deus ad vitam. [19] Et illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione que facta fuerat sub stephano perambulauerunt vsque fenicem et cyprum et antiochiam: nemini loquentes verbum nisi solis iudeis. [20] Erant autem quidam ex eis viri cyprij et cyrenei qui cum introissent antiochiam loquebantur et ad grecos: annunciantes dominum ihesum. [21] Et erat manus domini cum eis: multusque numerus credentium conuersus est ad dominum. [22] Peruenit autem sermo ad aures ecclesie que erat iherosolimis super istis: et miserunt barnaban vsque ad antiochiam. [23] Qui cum peruenisset et vidisset gratiam dei gauisus est: et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in domino: [24] quia erat vir bonus et plenus spiritu sancto et fide: et apposita est multa turba domino. [25] Profectus est autem tharsum vt quereret saulum: quem cum inuenisset perduxit antiochiam. [26] Et annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia: et docuerunt turbam multam: ita vt cognominarentur primum antiochie discipuli cristiani. [27] In hijs autem diebus superuenerunt a iherosolimis prophete antiochiam: [28] et surgens vnus ex eis nomine agabus significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum: que facta est sub claudio. [29] Discipuli autem pro vt quis habebat proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in iudea fratribus: [30] quod et fecerunt mittentes ad seniores per manus barnabe et sauli.

12 Eodem autem tempore misit herodes rex manus: vt affligeret quosdam de ecclesia. [2] Occidit autem iacobum fratrem iohannis gladio: [3] videns autem quia placeret iudeis apposuit apprehendere et petrum. Erant autem dies azimorum. [4] quem cum appre aprehendisset misit in carcerem: tradensque quatuor quaternionibus militum ad custodiendum eum: volens post pascha producere eum populo. [5] Et petrus quidem seruabantur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum pro eo. [6] Cum autem producturus eum esset herodes: in ipsa nocte erat petrus dormiens inter duos milites vinctus cathenis duabus: et custodes ante ostium custodiebant carcerem. [7] Et ecce angelus domini asstitit: et lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere petri excitauit eum dicens. Surge velociter. Et ceciderunt cathene de manibus eius. [8] Dixit autem angelus ad eum. Precingere: et calcia te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi. Circunda tibi vestimentum tuum: et sequere me. [9] Et exiens sequebatur eum: et nesciebat quia verum est quod nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum. Existimabat autem se visum videre. [10] Transeuntes autem primam et secundam custodiam venerunt ad portam ferream que ducit ad ciuitatem: que vltro aest eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: et continuo discessit angelus ab eo. [11] Et petrus ad se reuersus dixit. Nunc scio vere quia misit dominus angelum suum: et eripuit me de manu herodis et de o exspectatione plebis iudeorum. [12] Conuenit ad domum marie matris iohannis qui cognominatus est marcus: vbi erant multi congregati et orantes. [13] Pulsante autem eo ad ostium ianue processit puella ad videndum nomine rode. [14] Et vt cognouit vocem petri pre gaudio non aperuit ianuam: sed introcurrens nunciauit stare petrum ante ianuam. [15] At illi dixerunt ad eam. Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant. Angelus eius est. [16] Petrus autem perseuerabat pulsans. Cum autem aperuissent o: viderunt eum et obstupuerunt. [17] Annuens autem eis manu vt tacerent: narrauit quomodo dominus eduxisset eum de carcere. Dixitque. Nunciate iacobo et fratribus hec. Et egressus abijt in alium locum. [18] Facta autem die erat non parua turbatio inter milites: quidnam factum esset de petro. [19] Herodes autem cum requisisset eum et non inuenisset· inquisitione facta de custodibus iussit eos duci: descendensque a iudea in cesaream: ibi commoratus est. [20] Erat autem iratus tyrijs et sydonijs. At illi vnanimes venerunt ad eum: et persuaso blasto qui erat super cubiculum cubiclin regis postulabant pacem: eo quod alerentur regiones eorum ab illo. [21] Statuto autem die herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali: et concionabatur ad eos. [22] Populus autem acclamabat dei voces: et non hominis. [23] Confestim autem percussit eum angelus domini eo quod non dedisset honorem deo: et consumptus a vermibus exspirauit. [24] Verbum autem domini crescebat et multiplicabatur. [25] Barnabas autem et saulus reuersi sunt a iherosolimis expleto ministerio: assumpto iohanne qui cognominatus est marcus.

13 Erant autem in ecclesia que erat antiochie prophete et doctores: in quibus barnabas· et symon qui vocabatur niger et lucius cyrenensis· et manahen qui erat herodis tetrarche collactaneus: et saulus. [2] Ministrantibus autem illis domino et ieiunantibus: dixit illis spiritus sanctus. Segregate michi saulum et barnabam in opus ad quod assumpsi eos. [3] Tunc ieiunantes et orantes imponentesque eis manus: dimiserunt illos. [4] Et ipsi quidem missi a spiritu sancto abierunt seleuciam: et inde nauigauerunt cyprum. [5] Et cum venissent salaminam: predicabant verbum dei in synagogis iudeorum. Habebant autem et iohannem in ministerio. [6] Et cum perambulassent vniuersam insulam vsque paphum: inuenerunt quendam virum magum pseudo prophetam iudeum cui nomen erat bariehu: [7] qui erat cum proconsule sergio paulo viro prudente. Hic accersitis barnaba et paulo: desiderabat audire verbum dei. [8] Resistebat autem illis elymas magus: sic enim interpretatur nomen eius: querens auertere proconsulem a fide. [9] Saulus autem qui et paulus: repletus spiritu sancto intuens in eum [10] dixit. O plene omni dolo et omni fallacia fili dyaboli· inimice omnis iusticie: non desinis subuertere vias domini rectas? [11] Et nunc ecce manus domini super te: et eris cecus non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo et tenebre: et circuiens querebat qui ei manum daret. [12] Tunc proconsul cum vidisset factum credidit: ammirans super doctrina domini. [13] Et cum a papho nauigassent paulus et qui cum eo erant: venerunt pergen pamphilie. Iohannes autem discedens ab eis· reuersus sus est iherosolimam. [14] Illi vero pertranseuntes pergen venerunt antiochiam et psidie: et ingressi synagogam die sabbatorum sederunt. [15] Post lectionem autem legis et prophetarum: miserunt principes synagoge ad eos dicentes. Viri fratres: si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem dicite. [16] Surgens autem paulus· et manu silentium indicens ait. Viri israhelite et qui timetis deum audite. [17] Deus plebis israhel elegit patres nostros et plebem exaltauit cum essent incole in terra egipti: et in brachio excelso eduxit eos ex ea: [18] et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. [19] Et destruens gentes septem in terra chanaan sorte distribuit eis terram eorum [20] quasi post quadringentos et et quinquaginta annos: et post hec dedit iudices vsque ad samuel prophetam. [21] Et exinde postulauerunt regem: et dedit illis saul filium cis· virum de tribu beniamin· annis quadraginta. [22] Et amoto illo suscitauit illis dauid regem: cui testimonium phibens dixit. Inueni dauid filium iesse virum secundum cor meum: qui faciet omnes voluntates meas. [23] Huius deus ex semine secundum promissionem eduxit israhel saluatorem ihesum: [24] predicante iohanne ante faciem aduentus eius baptismum penitentie omni populo israhel. [25] Cum impleret autem cursum suum dicebat. Quem me arbritramini esse non sum ego: sed ecce venit post me: cuius non sum dignus calciamenta pedum soluere. [26] Viri fratres· filij generis abraham et qui in vobis timent deum: vobis verbum salutis huius missum est. [27] Qui enim habitabant iherusalem et principes eius hunc ignorantes et voces prophetarum que per omne sabbatum leguntur: iudicantes impleuerunt. [28] Et nullam causam mortis inuenientes in eo: petierunt a pilato vt interficerent eum. [29] Cunque consummassent omnia que de eo scripta erant: deponentes eum de ligno posuerunt eum in monumento. [30] Deus autem suscitauit eum a mortuis tercia die: qui visus est per dies multos hijs [31] qui simul ascenderant cum eo de galilea in iherusalem: qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem. [32] Et nos vobis annunciamus eam que ad patres nostros repromissio facta est: [33] quoniam hanc deus adimpleuit filijs vestris resuscitans ihesum sicut et in psalmo secundo scriptum est. Filius meus es tu: ego hodie genui te. [34] Quod autem suscitauit eum a mortuis amplius iam non

reuersurum in corruptionem: ita dixit. Quia dabo vobis sancta dauid fidelia. 35 Ideoque et alias dicit. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. 36 Dauid enim in sua generatione cum amministrasset voluntati dei: dormiuit et appositus est ad patres suos: et vidit corruptionem. 37 Quem vero deus suscitauit non vidit corruptionem. 38 Notum igitur sit vobis viri fratres: quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur ab omnibus: quibus non potuistis in lege moysi iustificari. 39 In hoc omnis qui credit iustificatur. 40 Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in prophetis. 41 Videte contemptores et ammiramini et disperdimini: quia opus o ego in diebus vestris: opus quod non creditis creditis si quis enarrauerit vobis. 42 Exeuntibus autem illis: rogabant vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba hec. 43 Cunque dimissa esset synagoga· secuti sunt multi iudeorum et colentium deum aduenarum paulum et barnabam: qui loquentes suadebant eis vt permanerent in gratia dei. 44 Sequenti vero sabbato pene vniuersa ciuitas conuenit· audire verbum dei. 45 Videntes autem turbas turbas iudei repleti sunt zelo: et contradicebant hijs que a paulo dicebantur blasphemantes. 46 Tunc constanter paulus et barnabas dixerunt. Vobis oportebat primum loqui verbum dei: sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicastis eterne vite: ecce conuertimur ad gentes. 47 Sic enim nobis precepit dominus. Posui te in lucem gentium vt sis in salutem vsque ad extremum terre. 48 Audientes autem gentes gauise sunt: et glorificabant verbum domini: et crediderunt quotquot erant preordinati ad vitam eternam. 49 Disseminabatur verbum domini per vniuersam regionem. 50 Iudei autem concitauerunt mulieres religiosas et honestas et primos ciuitatis: et excitauerunt persecutionem in pauet barnabam: et eiecerunt eos de finibus suis. 51 At illi excusso puluere pedum in eos venerunt yconium. 52 replebantur gaudio et spiritu sancto.

14 Factum est autem in yconio vt simul introirent synagogam iuet loquerentur: ita vt crederet iudeorum et grecorum copiosa multitudo. 2 Qui vero increduli fuerunt iudei: suscitauerunt et ad iracundiam concitauerunt a gentium aduersus fratres. 3 Multo igitur tempore demorati sunt fiducialiter agentes in domino: testimonium perhibente verbo verbo gratie sue: dante signa et prodigia fieri per manus eorum. 4 Diuisa est autem multitudo ciuitatis: et quidam quidem apostolis. erant cum iudeis: quidam vero cum apostolis. 5 autem factus esset impetus gentilium et iudeorum cum principibus suis vt contumelijs afficerent et lapidarent eos: 6 intelligentes confugerunt ad ciuitates lycaonie lystram et derben et vniuersam in circuitu regionem: et ibi euangelizantes erant. 7 Et quidam vir lystris infirmus pedibus sedebat claudus ex vtero matris sue: qui numquam ambulauerat. 8 Hic audiuit paulum loquentem. Qui intuitus eum et videns quia fidem haberet vt saluus fieret: 9 dixit magna voce. Surge super pedes tuos rectus. Et exiliuit: et ambulabat. 10 Turbe autem cum vidissent quod fecerat paulus: leuauerunt vocem suam lycaonice dicentes. Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. 11 Et vocabant barnabam iouem: paulum vero mercurium: quoniam ipse erat dux verbi. 12 Sacerdos quoque iouis qui erat ante ciuitatem thauros et coronas ante ianuas afferens cum populis: volebat sacrificare. 13 Quod vbi audierunt apostoli barnabas et paulus concissis tunicis suis exilierunt in turbas: 14 et dicentes. Viri: quid hec facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines· annunciantes vobis ab hijs vanis conuerti ad deum viuum: qui fecit celum et terram et mare et omnia que in eis sunt: 15 qui in preteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. 16 Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens: de celo dans pluuias et tempora fructifera: implens cibo et leticia corda eorum. 17 Et hoc dicentes vix sedauerunt turbas: ne sibi immolarent. 18 Superuenerunt autem quidam ab antiochia et yconio iudei: et persuasis turbis lapidantes paulum traxerunt extra ciuitatem: estimantes eum mortuum esse. 19 Circundantibus autem eum discipulis surgens intrauit in ciuitatem: et postera die profectus est cum barnaba in derben. 20 Cumque euangelizassent ciuitati illi et docuissent multos: reuersi sunt lystram et yconium et antiochiam 21 confirmantes animas discipulorum· exortantesque vt permanerent in fide: et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum dei. 22 Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbiteros et orassent cum ieiunationibus: commendauerunt eos domino in quem crediderunt. 23 Transeuntesque psidiam venerunt in pamphiliam: 24 et loquentes verbum domini in pergen descenderunt in ytaliam 25 et inde nauigauerunt antiochiam: vnde erant traditi gratie dei in opus quod compleuerunt. 26 Cum autem venissent et congregassent ecclesiam· retulerunt quanta fecisset deus cum illis: et quia aperuisset gentibus ostium fidei. 27 Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

15 quidam descendentes de iudea docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundum morem moysi non potestis saluari. 2 Facta ergo seditione non minima paulo et barnabe aduersus illos: statuerunt vt ascenderent paulus et barnabas et quidam alij ex alijs ad apostolos et presbiteros in iherusalem: super hac questione. 3 Illi ergo deducti ab ecclesia pertransibant phenicem et samariam narrantes conuersationem gentium: et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. 4 Cum autem venissent iherosolimam suscepti sunt ab ecclesia et ab apostolis et senioribus: annunciantes quanta deus fecisset cum illis. 5 Surrexerunt autem quidam de heresi phariseorum qui credi dicentes: quia oportet circumcidi eos: precipere quoque seruare legem moysi. 6 Conueneruntque apostoli et seniores videre de verbo hoc. 7 Cum autem magna conquisitio fieret: surgens petrus dixit ad eos. Viri fratres: vos scitis quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit deus per os meum audire gentes verbum euangelij et credere. 8 Et qui nouit corda deus· testimonium phibuit dans illis spiritum sanctum sicut et nobis: 9 et nichil discreuit inter nos et illos: fide purificans corda eorum. 10 Nunc ergo quid temptatis deum· imponere iugum super ceruices discipulorum: quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? 11 Sed per gratiam domini ihesu credimus saluari quemadmodum et illi. 12 Tacuit autem omnis multitudo: et audiebant barnabam et paulum narrantes quanta deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos. 13 Et postquam tacuerunt: respondit iacobus dicens. Viri fratres audite me. 14 Symon narrauit quemadmodum primum deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo: 15 et huic concordant verba prophetarum: sicut scriptum est. 16 Post hec reuertar et reedificabo tabernaculum dauid quod decidit et diruta eius reedificabo: et erigam illud: 17 vt requirant ceteri hominum dominum et omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum dicit dominus faciens hec. 18 Notum a seculo est domino opus suum. 19 Propter quod ego iudico non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur ad deum: 20 sed scribere ad eos vt abstineant se a contaminationibus simulacrorum· et fornicatione· et suffocatis et sanguine. 21 Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum predicent in synagogis: vbi per omne sabbatum legitur. 22 Tunc placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis et mittere anthiochiam cum paulo et barnaba: iudam qui cognominabatur barsabas et sylam viros primos in fratribus: 23 scribentes per manus eorum. Apostoli et seniores fratres: hijs qui sunt anthiochie et sirie et cilicie fribus ex gentibus salutem. 24 Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis· euertentes animas vestras· quibus non mandauimus: 25 placuit nobis collectis in vnum eligere viros et mittere ad vos cum carissimis nostris barnaba et paulo: 26 hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine domini nostri ihesu cristi. 27 Misimus ergo iudam et sylam: qui et ipsi vobis verbis referent eadem. 28 Visum est enim spiritui sancto et nobis· nichil vltra imponere vobis oneris quam hec necessaria: laris 29 vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum· et sanguine· suffocato· et fornicatione: a quibus custodientes vos bene agetis. Valete. 30 Illi ergo dimissi descenderunt antiochiam: et congregata multitudine tradiderunt epistolam. 31 Quam cum legissent: gauisi sunt super consolatione. 32 Iudas autem et sylas et ipsi cum essent prophete verbo plurimo consolati sunt fratres: et confirmauerunt. 33 Facto autem ibi aliquanto tempore: dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos qui miserant illos. 34 Visum est autem syle ibi remanere: iudas autem solus abijt iherusalem. 35 Paulus autem et barnabas demorabantur antiochie: docentes et euangelizantes cum alijs pluribus verbum domini. 36 Post aliquot autem dies

dixit ad barnabam paulus. Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates in quibus predicauimus verbum domini: quomodo se habeant. [37] Barnabas autem volebat secum assumere et iohannem: qui cognominabatur marcus. [38] Paulus autem rogabat eum: vt qui discessisset ab eis de pamphi et non isset cum eis: in opus non debere recipi. [39] Facta est autem dissensio· ita vt discederent ab inuicem: et barnabas quidem assumpto marco nauigaret cyprum. [40] Paulus autem electo syla profectus est: traditus gracie dei a fratribus. [41] Perambulabat autem siriam et ciliciam confirmans ecclesiam precipiens custodire precepta apostolorum et seniorum.

16 Peruenit autem in derben et lystram. ecce discipulus quidam erat ibi nomine thimotheus: filius mulieris vidue fidelis: patre gentili. [2] Huic testimonium bonum reddebant qui in lystris erant et yconio fratres. [3] Hunc voluit paulus secum proficisci: et assumens circumcidit eum propter iudeos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes: quod pater eius erat gentilis. [4] Cum autem pertransirent ciuitates: tradebant eis custodire dogmata que erant decreta ab apostolis et senioribus qui erant iherosolimis. [5] Et ecclesie quidem confirmabantur fide: et abundabant numero quotidie. [6] Transeuntes autem frigiam et galacie regionem: vetati sunt a spiritu sancto loqui verbum dei in asia. [7] Cum venissent autem in misiam temptabant ire in bithiniam: et non permisit eos spiritus ihesu. [8] Cum autem pertransissent misiam descenderunt troadem: [9] et visio per noctem paulo ostensa est. Vir macedo quidam erat stans: et deprecans eum et dicens. Transiens in macedoniam adiuua nos. [10] Vt autem visum vidit· statim quesiuimus proficisci in macedoniam: certi facti quod vocasset nos deus euangelizare eis. [11] Nauigantes autem a troade recto cursu venimus samotraciam: et sequenti die neapolim: [12] et inde philippis. que est prima partis macedonie ciuitas colonia. Eramus autem in hac vrbe diebus aliquot conferentes. [13] Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen vbi videbatur oratio esse et sedentes loquebamur mulieribus que conuenerant [14] et quedam mulier nomine lidia purpuraria ciuitatis thiathirenorum colens deum audiuit: cuius dominus aperuit cor intendere hijs que dicebantur a paulo. [15] Cum autem baptizata esset et domus eius: deprecata est dicens. Si iudicastis me fidelem domino esse: introite in domum meam et manete. Et coegit nos. [16] Factum est autem euntibus nobis ad orationem puellam quandam habentem spiritum phitonem obuiare nobis: que questum magnum prestabat dominis suis diuinando. [17] Hec subsecuta paulum et nos: clamabat dicens. Isti homines serui dei excelsi sunt: qui annunciant vobis viam salutis. [18] Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem paulus et conuersus spiritui dixit. Precipio tibi in nomine ihesu cristi exire ab ea. Et exijt eadem hora. [19] Videntes autem domini eius quia exiuit spes questus eorum: apprehendentes paulum et sylam perduxerunt in forum ad principes: [20] et offerentes eos magistratibus dixerunt. Hij homines conturbant ciuitatem nostram cum sint iudei: [21] et annunciant morem quem non licet nobis suscipere neque facere cum simus romani. [22] Et cucurrit plebs aduersus eos: et magistratus scissis tunicis eorum iusserunt eos virgis cedi. [23] Et cum multas plagas eis imposuissent miserunt eos in carcerem: precipientes custodi vt diligenter custodiret eos. [24] Qui cum tale preceptum accepisset misit eos in interiorem carcerem: et pedes eorum strinxit ligno. [25] Media autem nocte paulus et sylas adorantes laudabant deum: et audiebant eos qui in custodia erant. [26] Subito vero terre motus factus est magnus: ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: et vniuersorum vincula soluta sunt. [27] Expergefactus autem custos carceris et videns ianuas apertas carceris euaginato gladio volebat se interficere: estimans fugisse vinctos. [28] Clamauit autem paulus voce magna dicens. Nichil feceris tibi mali. Vniuersi enim hic sumus. [29] Petitoque lumine introgressus est: et tremefactus procidit paulo et syle ad pedes: [30] et producens eos foras ait. Domini: quid me oportet facere vt saluus fiam? [31] At illi dixerunt. Crede in dominum ihesum: et saluus eris tu et domus tua. [32] Et locuti sunt ei verbum domini: cum omnibus qui erant in domo eius. [33] Et tollens eos in illa hora noctis lauit plagas eorum: et baptizatus est ipse et omnis domus eius continuo. [34] Cumque perduxisset eos in domum suam apposuit eis mensam: et letatus est cum omni domo sua credens deo. [35] Et cum dies factus esset miserunt magistratus lictores dicentes. Dimitte homines illos. [36] Nunciauit autem custos carceris verba hec paulo: quia miserunt magistratus vt dimittamini. Nunc igitur exeuntes ite in pace. [37] Paulus autem dixit eis. Cesos nos publice indemnatos homines romanos miserunt in carcerem: et nunc occulte nos eiciunt? Non ita: sed veniant [38] et ipsi nos eiciant. Nunciauerunt autem magistratibus lictores verba hec. Timuerunt audito quod romani essent: [39] et venientes deprecati sunt eos: et educentes rogabant vt egrederentur de vrbe. [40] Exeuntes autem de carcere· introierunt ad lidiam: et visis fratribus consolati sunt eos: et profecti sunt.

17 Cum autem perambulassent amphipolim et appolloniam venerunt thessalonicam: vbi erat synagoga iudeorum. [2] secundum consuetudinem autem paulus introiuit ad eos: et per sabbata tria disserebat eis de scripturis [3] adaperiens et insinuans quia cristum oportuit pati et resurgere a mortuis: et quia hic est ihesus cristus quem ego annuncio vobis. [4] Et quidam ex eis crediderunt: et adiuncti sunt paulo et syle et de colentibus gentilibus multitudo magna: et mulieres nobiles non pauce. [5] Zelantes autem iudei assumentesque de vulgo viros quosdam malos et turba facta concitauerunt ciuitatem: et assistentes domui iasonis querebant eos producere in populum. [6] Et cum non inuenissent eos· trahebant iasonem et quosdam fratres ad principes ciuitatis clamantes: quoniam hij qui vrbem concitant et huc venerunt [7] suscepit iason: et hij omnes contra decreta cesaris faciunt regem alium dicentes esse ihesum. [8] Concitauerunt autem plebem et principes ciuitatis audientes hec: [9] et accepta satisfactione a iasone et a ceteris dimiserunt eos. [10] Fratres vero confestim per noctem dimiserunt paulum et sylam in beroam. Qui cum venissent: in synagogam iudeorum introierunt. [11] Hij autem erant nobiliores eorum qui sunt thessalonice: qui susceperunt verbum cum omni auiditate: quotidie scrutantes scripturas si hec ita se haberent. [12] Et multi quidem crediderunt ex eis· et mulierum gentilium honestarum: et viri non pauci. [13] Cum autem cognouissent in thessalonica iudei quia et beroe predicatum est a paulo verbum dei: venerunt et illuc commouentes et turbantes multitudinem. [14] Statimque tunc paulum dimiserunt fratres: vt iret vsque ad mare. Sylas autem et thimotheus remanserunt ibi. [15] Qui autem deducebant paulum perduxerunt eum vsque athenas: et accepto mandato ab eo ad sylam et thimotheum vt quam celeriter venirent ad illum· profecti sunt. [16] Paulus autem cum athenis eos exspectaret incitabatur spiritus eius in ipso: videns ydolatrio deditam ciuitatem. [17] Disputabat igitur in synagoga cum iudeis et colentibus: et in foro per omnes dies ad eos qui audierant. [18] Quidam autem epicurei et stoici philosophi disserebant cum eo: et quidam dicebant. Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij vero: nouorum demoniorum videtur annunciator esse: quia ihesum et resurrectionem annunciabat eis. [19] Et apprehensum eum ad ariopagum duxerunt dicentes. Possumus scire que est hec noua que a te dicitur doctrina? [20] Noua enim quedam infers auribus nostris. Volumus ergo scire quidnam velut hec esse. [21] Athenienses autem omnes et aduene hospites ad nichil aliud vacabant: nisi aut dicere aut audire aliquid noui. [22] Stans autem paulus in medio ariopagi ait. Viri athenienses per omnia quasi superstitiosos vos video. [23] Preteriens enim et videns simulacra vestra: inueni et aram in qua scriptum erat. Ignoto deo. Quod ergo ignorantes colitis: hoc ego annuncio vobis. [24] Deus qui fecit mundum et omnia que in eo sunt: hic celi et terre cum sit deus· non manufactis templis inhabitat: [25] nec manibus humanis colitur indigens aliquo· cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia: [26] fecitque ex vno omne genus hominum· inhabitare super vniuersam faciem terre: definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum· [27] querere deum· si forte attractent eum aut inueniant: quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum. [28] In ipso enim viuimus et mouemur et sumus: sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt. Ipsius enim et genus sumus. [29] Genus ergo cum simus dei: non debemus estimare auro et argento aut lapidi· sculpture artis et cogitationis hominis diuinum esse simile. [30] Et tempora quidem huius ignorantie despiciens deus· nunc annunciat hominibus vt omnes vbique penitentiam agant: [31] eo quod statuit diem in quo iudicaturus est orbem in equitate in viro in quo statuit· fidem

prebens omnibus: suscitans eum a mortuis. 32 Cum audissent autem resurrectionem mortuorum: quidam quidem irridebant: quidam vero dixerunt. Audiemus te de hoc iterum. 33 Sic paulus exiuit de medio eorum. 34 Quidam vero viri adherentes ei crediderunt: in quibus et dionisius ariopagita et mulier nomine damaris: et alij cum eis.

18 Post hec egressus ab athenis venit corinthum: 2 et inueniens quendam iudeum nomine aquilam ponticum genere qui nuper venerat ab ytalia et priscillam vxorem eius eo quod precepisset claudius discedere omnes iudeos a roma accessit ad eos: 3 et quia eiusdem erat artis manebat apud eos et operabatur. Erant autem scenofactorie artis. 4 Et disputabat in synagoga per omne sabbatum interponens nomen domini ihesu suadebatque iudeis et grecis. 5 Cum venissent autem de macedonia sylas et thimotheus: instabat verbo paulus testificans iudeis esse cristum ihesum. 6 Contradicentibus autem eis et blasphemantibus: excutiens vestimenta sua dixit ad eos. Sanguis vester super caput vestrum. Mundus ego ex hoc ad gentes vadam. 7 Et migrans inde· intrauit in domum cuiusdam nomine tyti iusti colentis deum: cuius domus erat coniuncta synagoge. 8 Crispus autem archisynagogus credidit domino cum omni domo sua: et multi corinthiorum audientes credebant et baptizabantur. 9 Dixit autem dominus nocte per visionem paulo. Noli timere: sed loquere et ne taceas. 10 Propter quod ego sum tecum: et nemo apponetur tibi vt noceat te: quoniam populus est michi multus in hac ciuitate. 11 Sedit autem ibi annum et sex menses: docens apud eos verbum dei. 12 Gallione autem proconsule achaie insurrexerunt vno animo iudei in paulum: et adduxerunt eum ad tribunal 13 dicentes: quia contra legem hic persuadet hominibus colere deum. 14 Incipiente autem paulo aperire os: dixit gallio ad iudeos. Si quidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum o viri iudei recte vos sustinerem: 15 si vero questiones sunt de verbo et nominibus legis vestre: vosipsi videritis. Iudex ego horum nolo esse. 16 Et eminauit eos a tribunali. 17 Apprehendentes autem omnes sosthenen principem synagoge percutiebant eum ante tribunal: et nichil eorum gallioni cure erat. 18 Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos: fratribus valefaciens nauigauit siriam et cum eo priscilla et aquila: qui sibi totonderat in cenchris caput. Habebat enim votum. 19 Deuenitque ephesum: et illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam disputabat cum iudeis. 20 Rogantibus autem eis vt ampliori tempore maneret non consensit: 21 sed valefaciens et dicens iterum reuertar ad vos deo volente: profectus est ab epheso. 22 Et descendens cesaream ascendit et salutauit ecclesiam: et descendit antiochiam. 23 Et facto ibi aliquanto tempore profectus est· perambulans ex ordine galatiam regionem et frigiam: confirmans omnes discipulos. 24 Iudeus autem quidam appollo nomine alexandrinus natione vir eloquens deuenit ephesum: potens in scripturis. 25 Hic erat edoctus viam domini: et feruens spiritu loquebatur et docebat diligenter ea que sunt ihesu: sciens tantum baptisma iohannis. 26 Hic ergo cepit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent priscilla et aquila assumpserunt eum: et diligentius exposuerunt ei viam domini. 27 Cum autem vellet ire achaiam: exhortati fratres scripserunt discipulis vt susciperent eum. Qui cum venisset: contulit multum hijs qui crediderunt. 28 Vehementer enim iudeos reuincebat· publice ostendens per scripturas esse cristum ihesum.

19 Factum est autem cum appollo esset corinthi: vt paulus peragratis superioribus partibus veniret ephesum: et inueniret quosdam discipulos. 2 Dixitque ad eos. Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum. Sed neque si spiritus sanctus est audiuimus. 3 Ille vero ait. In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt. In iohannis baptismate. 4 Dixit autem paulus. Iohannes baptizauit baptismo penitentie populum dicens in eo qui venturus esset post ipsum vt crederent: hoc est in ihesum. 5 Hijs auditis: baptizati sunt in nomine domini ihesu. 6 Et cum imposuisset illis manus paulus: venit spiritus sanctus super eos et loquebantur linguis: et prophetabant. 7 Erant autem omnes fere viri duodeci. 8 Introgressus autem synagogam cum fiducia loquebatur per tres menses: disputans et suadens de regno dei. 9 Cum autem quidam indurarentur et non crederent maledicentes viam domini coram multitudine: discedens ab eis segregauit discipulos: quotidie disputans in scola tyranni cuiusdam. 10 Hoc autem factum est per biennium: ita vt qui habitabant in asia audirent verbum domini iudei atque gentiles. 11 Virtutesque non quaslibet faciebat deus per manum pauli: 12 ita vt etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria et semicincia et recedebant ab eis languores: et spiritus nequam egrediebantur. 13 Temptauerunt autem quidam et de circumeuntibus iudeis exorcistis inuocare super eos qui habebant spiritus malos nomen domini ihesu cristi dicentes. Adiuro vos per ihesum quem paulus predicat. 14 Erant autem cuiusdam sceue iudei principis sacerdotum septem filij: qui hoc faciebant. 15 Respondens autem spiritus nequam dixit eis. Ihesum noui: et paulum scio. Vos autem qui estis? 16 Et insiliens homo in eos in quo erat demouium pessimum et dominatus amborum· inualuit contra eos: ita vt nudi et vulnerati effugerent de domo illa. 17 Hoc autem notum factum est omnibus iudeis atque gentilibus qui habitabant ephesi: et cecidit timor super omnes illos: et magnificabatur nomen domini ihesu. 18 Multique credentium veniebant confitentes et annunciantes actus suos. 19 Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros et combusserunt coram omnibus: et computatis precijs illorum inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milium. 20 Ita fortiter crescebat verbum dei et confirmabatur. 21 Hijs autem expletis proposuit paulus in spiritu transita macedonia et achaia ire iherosolimam dicens: quoniam postquam fuero ibi: oportet me et romam videre. 22 Mittens autem in macedoniam duos ex ministrantibus sibi thimotheum et erastum· ipse remansit ad tempus in asia. 23 Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via domini. 24 Demetrius enim quidam nomine argentarius faciens edes argenteas dyane prestabat artificibus non modicum questum· 25 quas conuocans et eos qui eiusmodi erant opifices dixit. Viri scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: 26 et videtis et auditis quia non solum ephesi sed pene totius asie paulus hic suadens auertit multam turbam dicens: quoniam non sunt dij qui manibus fiunt. 27 Non solum autem hec periclitabitur nobis pars in redargutionem venire: sed et magne dyane templum in nichilum reputabitur: et destrui incipiet maiestas eius quam tota et orbis asia colit. 28 Hijs auditis repleti sunt ira: et exclamauerunt dicentes. Magna ephesiorum. dyana ephesiorum. 29 Et impleta est ciuitas confusione: et impetum fecerunt vno animo in theatrum rapto gaio et aristarcho macedonibus comitibus pauli. 30 Paulo autem volente intrare in populum non permiserunt discipuli. 31 Quidam autem et de asie principibus qui erant amici eius miserunt ad eum: rogantes ne se daret in theatrum. 32 Alij autem aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa: et plures nesciebant qua ex causa conuenissent. 33 De turba autem detraxerunt alexandrum: propellentibus eum iudeis. Alexander autem manu silentio postulato: volebat rationem reddere populo. 34 Quem vt cognouerunt iudeum esse: vox facta est vna omnium quasi per horas duas clamantium. Magna dyana ephesiorum. 35 Et cum sedasset scriba turbas dixit. Viri ephesij: quis enim est hominum qui nesciat ephesiorum ciuitatem cultricem esse magne dyane iouisque prolis? 36 Cum ergo hijs contradici non possit oportet vos sedatos esse: et nichil temere agere. 37 Adduxistis enim homines istos: neque sacrilegos neque blasphemantes deam vestram. 38 Quod si demetrius et qui cum eo sunt artifices habent aduersus aliquem causam: conuentus forenses aguntur et proconsules sunt: accusent inuicem. 39 Si quid autem alterius rei queritis: in legitima ecclesia poterit absolui. 40 Nam et periclitamur argui seditionis hodierne: cum nullus obnoxius sit de quo possimus reddere rationem concursus istius. Et cum hec dixisset dimisit ecclesiam.

20 Postque autem cessauit tumultus: vocatis paulus discipulis et exhortatus eos valedixit: et profectus est vt iret in macedoniam. 2 Cum autem perambulasset partes illas et exhortatus eos fuisset multo sermone venit ad greciam: 3 vbi cum fecisset menses tres facte sunt illi insidie a iudeis nauigaturo in siriam: habuitque consilium vt reuerteretur per macedoniam 4 comitatus est autem eum sosipater pirriberoensis: thes thessalonicensium vero aristarchus et secundus et gaius derbeus et thimotheus: asiam vero

tichicus et trophimus. [5] Hij cum precessissent sustinuerunt nos troade: [6] nos vero nauigauimus post dies azimorum a philippis et venimus ad eos troadem in diebus quinque: vbi demorati sumus diebus septem. [7] Vna autem sabbati cum venissemus ad frangendum panem paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum: protraxitque symonem vsque in mediam noctem. [8] Erant autem lampades copiose in cenaculo: vbi eramus congregati. [9] Sedens autem quidam adolescens nomine euthicus super fenestram: cum mergeretur somno graui disputante diu paulo ductus somno cecidit de tercio cenaculo deorsum: et sublatus est mortuus. [10] Ad quem cum descendisset paulus incubuit super eum: et complexus dixit. Nolite turbari. Anima enim ipsius in ipso est. [11] Ascendens autem frangensque panem et gustans: satisque allocutus est vsque in lucem: et sic profectus est. [12] Adduxerunt autem puerum viuentem: et consolati sunt non minime. [13] Nos autem ascendentes nauigauimus in asson: inde suscepturi paulum. Sic enim disposuerat: ipse per terram iter facturus. [14] Cum autem conuenissemus in asson: assumpto eo venimus mitilenem. [15] Et inde nauigantes sequenti die venimus contra chium: et alia die applicuimus samum: et sequenti die venimus miletum. [16] Proposuerat enim paulus transnauigare ephesum: ne qua mora illi fieret in asia. Festinabat enim si possibile sibi esset: vt diem penthecosten faceret iherosolimis. [17] A mileto autem mittens ephesum vocauit maiores natu ecclesie: [18] qui cum venissent ad eum et simul essent: dixit eis. Vos scitis a prima die qua ingressus sum in asiam qualiter vobiscum per omne tempus fuerim [19] seruiens domino cum omni humilitate et lacrimis et temptationibus que michi acciderunt ex insidijs iudeorum: [20] quomodo nichil subtraxerim vobis vtilium· quominus annunciarem vobis et docerem vos publice et per domos: [21] testificans iudeis atque gentilibus in deum penitentiam et fidem in dominum nostrum ihesum cristum. [22] Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in iherusalem que in ea ventura sint michi ignorans: [23] nisi quod spiritus sanctus per omnes ciuitates michi protestatur dicens: quoniam vincula et tribulationes iherosolimis me manent. [24] Sed nichil horum vereor: nec facio animam meam prio preciosiorem quam me: dummodo consumem cursum meum et ministerium verbi quod accepi a domino ihesu testificari euangelium gratie dei· [25] Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam: vos omnes per quos transiui predicans regnum dei. [26] Quapropter contestor vos hodierna die: quia mundus sum a sanguine omnium. [27] Non enim subterfugi quominus annunciarem omne concilium dei vobis. [28] Attendite vobis et vniuerso gregi: in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei: quam acquisiuit sanguine suo. [29] Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos: non parcentes gregi. [30] Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes peruersa: vt abducant discipulos scipsos post se. [31] Propter quod vigilate memoria retinentes: quoniam per triennium nocte et die non cessaui cum lacrimis monens vnumquenque vestrum. Et nunc commenOmnia vnumquenque [32] do vos deo et verbo gratie ipsius: qui potens est edificare et dare hereditatem in sanctificatis omnibus. [33] Argentum et aurum aut vestem nullius concupiui sicut [34] ipi scitis: quoniam ad ea que michi opus erant et hijs que mecum sunt ministrauerunt manus iste. [35] Omnia ostendi vobis: quoniam sic laboranmament tes oportet suscipere infirmos· ac me verbi domini ihesu: quoniam ipse dixit. Beatius est magis dare quam accipere. [36] Et cum hec dixisset: positis genibus suis orauit cum omnibus illis. [37] Magnus autem fletus factus est omnium: et procumbentes super collum pauli osculabantur eum: [38] dolentes maxime in verbo quod dixerat quoniam amplius faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad nauem.

21 autem factum esset vt nauigaremus abstracti ab eis: recto cursu venimus choum. et sequenti die rodum: et inde pateram. [2] Et cum inuenissemus nauem transfretantem in phenicen: ascendentes nauigauimus. [3] Cum apparuissemus autem cypro relinquentes eam ad sinistram nauigauimus in siriam: et venimus tyrum. Ibi enim nauis expositura erat onus. [4] Inuentis autem discipulis mansimus ibi diebus septem. Qui paulo dicebant per spiritum: ne ascenderet iherosolimam. [5] Et expletis diebus profecti ibamus· deducentibus nos omnibus cum vxoribus et filijs vsque foras ciuitatem: et positis genibus in littore orauimus. [6] Et cum valefecissemus inuicem ascendimus nauem: illi autem redierunt in sua. [7] Nos vero nauigatione explicita a tyro descendimus ptolomaidam: et salutatis fratribus mansimus die vna apud illos. [8] Alia autem die profecti venimus cesaream. Et intrantes in domum philippi euangeliste qui erat vnus de septem: mansimus apud eum. [9] Huic autem erant quatuor filie virgines prophetantes. [10] Et cum moraremur per dies aliquot: superuenit quidam propheta vir iudea propheta nomine agabus. [11] Is cum venisset ad nos tulit zonam pauli: et alligans sibi pedes et manus dixit. Hec dicit spiritus sanctus. Virum cuius est zona sic alligabunt in iherusalem iudei: et tradent in manus gentium. [12] Quod cum audissemus rogabamus nos· et qui loci illius erant: ne ascenderet iherosolimam. [13] Tunc respondit paulus et dixit. Quid facitis flentes et affligentes cor meum? Ego autem non solum alligari: sed et mori in iherusalem paratus sum propter nomen domini ihesu. [14] Et cum ei suadere non possemus: quieuimus dicentes. Domini voluntas fiat. [15] Post dies autem istos preparati ascendebamus in iherusalem. [16] Venerunt autem quidam ex discipulis a cesarea nobiscum: adducentes secum apud quem hospitaremur iasonem quendam cyprium antiquum discipulum. [17] Et cum venissemus iherosolimam: libenter exceperunt nos fratres. [18] Sequenti autem die introibat paulus nobiscum ad iacobum: omnesque collecti sunt seniores. [19] Quos cum salutasset: narrabat per singula que deus fecisset in gentibus per ministerium illius. [20] At illi cum audissent magnificabant deum: dixeruntque ei. Vides frater quot milia sunt in iudeis qui crediderunt: et omnes emulatores sunt legis. [21] Audierunt autem de te: quia discessionem doceas a moyse eorum qui per gentes sunt iudeorum· dicens non debere eos circumcidere filios suos: neque secundum consuetudinem ingredi. [22] Quid ergo est? Vtique oportet conueire multitudinem. Audient enim te superuenisse. [23] Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se. [24] Hijs assumptis sanctifica te cum illis: et impende in illis vt radant capita: et scient omnes· quia que de te audierunt falsa sunt· sed ambulans et ipse custodiens legem. [25] De hijs autem qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus iudicantes: vt abstineant se ab ydolis immolato et sanguine et suffocato et fornicatione. [26] Tunc paulus assumptis viris postera die purificatus cum illis intrauit in templum: annuncians expletionem dierum purificationis donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio. [27] Cum autem septem dies consummarent: hij qui de asia erant iudei cum vidissent eum in templo concitauerunt omnem populum: et iniecerunt ei manus clamantes. [28] Viri israhelite adiuuate. Hic est homo qui aduersus populum et legem et locum hunc omnes vbique docens: insuper et gentiles induxit in templum: et violauit sanctum locum istum. [29] Viderant enim trophimum ephesium in ciuitate cum ipso: quem estimauerunt quoniam in templum introduxisset paulus. [30] Commotaque est ciuitas tota: et facta est concursio populi. Et apprehendentes paulum trahebant eum extra templum: et statim clause sunt ianue. [31] Querentibus autem eum occidere: nunciatum est tribuno cohortis· quia tota confunditur iherusalem. [32] Qui statim assumptis militibus et centurionibus decurrit ad illos: qui cum vidissent tribunum et milites: cessauerunt percutere paulum. [33] Tunc accedens tribunus apprehendit eum et iussit eum alligari cathenis duabus: et interrogabat quis esset: et quid fecisset. [34] Alij autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere pre tumultu: iussit duci eum in castra. [35] Et cum venisset ad gradus: contigit vt portaretur a militibus propter vim populi. [36] Sequebatur enim multitudo populi clamans· tolle eum. [37] Et cum cepisset induci in castra paulus: dicit tribuno. Si licet michi loqui aliquid ad te? Qui dixit ei. Grece nosti? [38] Nonne tu es egiptius qui ante hos dies tumultum concitasti: et eduxisti in desertum quatuor milia virorum sicariorum? [39] Et dixit ad eum paulus. Ego homo sum quidem iudeus a tharso cilitie: non ignote ciuitatis municeps. Rogo autem te: permitte michi loqui ad populum. [40] Et cum ille permisisset: paulus stans in gradibus annuit manu ad plebem: et magno silentio facto allocutus est lingua hebrea dicens.

22 Viri fratres et patres: audite quam ad vos nunc reddo rationem. [2] Cum audissent autem quia hebrea lingua loquitur ad illos: magis

prestiterunt silentium. [3] Et dixit. Ego sum vir iudeus natus tharso cilitie: nutritus autem in ista ciuitate secus pedes gamaliel· eruditus iuxta veritatem paterne legis: emulator legis sicut et vos omnes estis hodie: [4] qui hanc viam persecutus sum vsque ad mortem· alligans et tradens in custodias viros ac mulieres· [5] sicut princeps sacerdotum michi testimonium reddit et omnes maiores natu: a quibus et epistolas accipiens ad fratres damascum pergebam vt adducerem inde vinctos in iherusalem vt punirentur. [6] Factum est autem eunte me et appropinquante damasco media die subito de celo circumfulsit me lux copiosa: [7] et decidens in terram audiui vocem dicentem michi. Saule saule: quid me persequeris? [8] Ego autem respondi. Quis es domine? Dixitque ad Ego me. sum ihesus nazarenus: quem tu queris. [9] Et qui mecum erant lumen quidem viderunt: vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. [10] Et dixi. Quid faciam domine? Dominus autem dixit ad me. Surgens vade damascum: et ibi tibi dicetur de omnibus que te oporteat facere. [11] Et cum non viderem pre claritate luminis illius: ad manum deductus a comitibus· veni damascum. [12] Ananias autem quidam vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus iudeis: [13] veniens ad me et stans dixit michi. Saule frater respice. Et ego eadem hora respexi in eum. [14] At ille dixit. Deus patrum nostrorum preordinauit te vt cognosceres voluntatem eius: vt videres iustum et audires vocem ex ore eius: [15] quia eris testis illius ad omnes homines eorum que vidisti et audisti. [16] Et nunc quid moraris? Exsurge et baptisare: et ablue peccata tua inuocato nomine ipsius. [17] Factum est autem reuertenti michi in iherusalem et oranti in templo: fieri me in stupore mentis: [18] et videre illum dicentem michi. Festina et exi velociter ex iherusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me. [19] Et ego dixi. Domine: ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem: et cedens per synagogas eos qui credebant in te. [20] Et cum funderetur sanguis stephani testis tui ego stabam et consentiebam: et custodiebam vestimenta interficientium illum. [21] Et dixit ad me. Vade: quoniam ego in nationes longe mittam te. [22] Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum: et leuauerunt vocem suam dicentes. Tolle de terra huiusmodi. Non enim fas est eum viuere. [23] Vociferantibus autem eis et proicientibus vestimenta sua et puluerem iactantibus in aerem: [24] iussit tribunus induci eum in castra et flagellis cedi et torqueri eum: vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei. [25] Et cum astrinxisset eum loris: dixit astanti sibi centurioni paulus. Si hominem romanum et indemnatum licet vobis flagellare? [26] Quo audito centurio accessit ad tribunum: et nunciauit ei dicens. Quid acturus es? Hic enim homo ciuis romanus est. [27] Accedens autem tribunus dixit illi. Dic michi si tu romanus es. At ille dixit. Etiam. [28] Et respondit tribunus. Ego multa summa ciuitatem hanc consecutus sum. Et paulus ait. Ego autem et natus sum. [29] Protinus ergo discesserunt ab illo qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam resciuit quia ciuis romanus esset: et quia alligasset eum. [30] Postera autem die volens scire diligentius qua ex causa accusaretur a iudeis soluit eum: et iussit sacerdotes conuenire et omne concilium: et producens paulum statuit inter illos.

23 Intendens autem in concilium paulus ait. Viri fratres: ego omni conscientia bona conuersatus sum ante deum vsque in hodiernum diem. [2] Princeps autem sacerdotum ananias precepit astantibus sibi percutere os eius. [3] Tunc paulus dixit ad eum. Percutiet te deus paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem: et contra legem iubes me percutis? [4] Et qui astabant dixerunt. Summum sacerdotem dei maledicis? [5] Dixit autem paulus. Nesciebam fratres: quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim. Principem populi tui non maledices. [6] Sciens autem paulus quia vna pars esset saduceorum et altera phariseorum: exclamauit in concilio. Viri fratres: ego phariseus sum: filius phariseorum. De spe et de resurrectione mortuorum ego iudicor. [7] Et cum hec dixisset· facta est dissensio inter phariseos et saduceos: et soluta est multitudo. [8] Saducei autem dicunt non esse resurrectionem mortuorum· neque angelum neque spiritum: pharisei autem vtraque confitentur. [9] Factus est autem clamor magnus: et exsurgentes quidam phariseorum: pugnabant dicentes. Nichil mali inuenimus in homine isto. Quid si spiritus locutus est ei aut angelus? [10] Et cum magna dissensio facta esset: timens tribunus ne discerperetur paulus ab ipsis· iussit milites descendere et rapere eum de medio eorum: ac deducere eum in castra. [11] Sequenti autem nocte assistens ei dominus ait. Constans esto. Sicut enim testificatus es de me in iherusalem: sic te oportet et rome testificari. [12] Facta autem die collegerunt se quidam ex iudeis: et deuouerunt· se dicentes neque manducaturos neque bibituros: donec occiderent paulum. [13] Erant autem plus quam quadraginta viri qui hanc coniurationem fecerant: [14] qui accesserunt ad principes sacerdotum et seniores: et dixerunt. Deuotione deuouimus nos nichil gustaturos: donec occidamus paulum. [15] Nunc ergo vos notum facite tribuno cum consilio: vt producat illum ad vos tanquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero pri priusquam vsque appropiet parati sumus interficere illum. [16] Quod cum audisset filius sororis pauli insidias: venit et intrauit in castra: nunciauitque paulo. [17] Vocans autem paulus ad se vnum ex centurionibus ait. adduc ad tribunum. bet Adolescentem hunc adduc ad tribunum. Ha bet enim aliquid indicare illi. [18] Et ille quidem assumens eum: duxit ad tribunum et ait. Vinctus paulus rogauit me hunc adolescentem perducere ad te: habentem aliquid loqui tibi. [19] Apprehendens autem tribunus manum illius secessit cum eo seorsum: et interrogauit illum. Quid est quod habes indicare michi? [20] Ille autem dixit. Iudeis conuenit rogare te vt crastina die producas paulum in concilium· quasi aliquid certius inquisituri sint de illo: [21] tu vero ne credideris illis. Insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta: qui se deuouerunt non manducare neque bibere donec interficiant eum: et nunc parati sunt exspectantes promissum tuum. [22] Tribunus igitur dimisit adolescentem: precipiens ne cui loqueretur: quoniam hec nota sibi fecisset. [23] Et vocatis duobus centurionibus dixit illis. Parate milites ducentos vt eant vsque cesaream: et equites septuaginta et lancearios ducentos a tercia hora noctis: [24] et iumenta preparate. Vt imponentes paulum: saluum perducerent ad felicem presidem. [25] Timuit enim ne forte raperent eum iudei et occiderent: et ipse postea calumniam sustineret. [26] Scribens ei epistolam: continentem hec. Claudius li sias: optimo presidi felici salutem. [27] Virum hunc comprehensum a iudeis et incipientem interfici ab eis· superueniens cum exercitu eripui cognito quia romanus est: [28] volensque scire causam quam obiciebant illi deduxi eum in concilium eorum. [29] Quem inueni accusari de questionibus legis ipsorum: nichil vero dignum morte aut vinculis habentem crimen. [30] Et cum michi perlatum esset de insidijs quas parauerant illi misi eum ad te: denuncians et accusatoribus vt dicant apud te. Vale. [31] Milites vero secundum preceptum sibi assumentes paulum duxerunt per noctem in antipatridem: [32] et postera die dimissis equitibus vt cum eo irent: reuersi sunt ad castra. [33] Qui cum venissent cesaream et tradidissent epistolam presidi: statuerunt ante illum et paulum. [34] Cum legisset autem et interrogasset de qua prouintia esset: et cognoscens quia de cilicia: [35] audiam te inquit cum accusatores tui venerint. Iussitque in pretorio herodis custodiri eum.

24 Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum ananias cum senioribus quibusdam et tertullo quodam oratore: qui adierunt presidem aduersus paulum. [2] Et citato paulo: cepit accusare tertullus dicens. Cum in multa pace agamus per te et multa corrigantur per tuam prouidentiam: [3] semper et vbique suscipimus optime felix cum omni gratiarum actione. [4] Ne diucius autem te protraham: oro breuiter· vt audias nos pro tua clementia. [5] Inuenimus hunc hominem pestiferum et concitantem seditionem omnibus iudeis in vniuerso orbe· et actorem seditionis secte nazarenorum: [6] qui etiam templum violare conatus est: quem et apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare. [7] Superueniens autem tribunus lisias cum vi magna eripuit eum de manibus nostris [8] iubens accusatores eius ad te venire: a quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere: de quibus nos accusamus eum. [9] Adiecerunt autem et iudei: dicentes hec ita se habere. [10] Respondens autem paulus: annuente sibi preside dicere. Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens: bono animo pro me satisfaciam. [11] Potes enim cognoscere quia non plus sunt michi dies quam duodecim ex quo ascendi adorare in iherusalem: [12] et neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem aut concursum facientem turbe neque in synagogis neque in

ciuitate: [13] neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. [14] Confiteor autem hoc tibi quod secundum sectam quam dicunt heresim sic deseruio patri et deo meo: credens omnibus que in lege et prophetis scripta sunt: [15] spem habens in deum quam et hij ipsi exspectant· resurrectionem futuram iustorum et iniquorum. [16] In hoc et ipse studio sine offendiculo conscientiam habere ad deum: et ad homines semper. [17] Post annos autem plures elemosinas facturus in gentem meam veni· et oblationes et vota: [18] in quibus inuenerunt me purificatum in templo: non cum turba neque cum tumultu. Et apprehenderunt me: clamantes et dicentes. Tolle inimicum nostrum. [19] Quidam autem erum ex asya iudei quos oportebat apud te presto esse et accusare si quid haberent aduersum me: [20] aut hij ipsi dicant si quid inuenerunt in me iniquitatis cum stem in concilio: [21] nisi de vna hac solummodo voce qua clamaui inter eos stans: quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a vobis. [22] Distulit autem illos felix: certissime sciens de via hac dicens. Cum tribunus lysias descenderit audiam vos. [23] Iussitque centurioni custodire eum et habere requiem: nec quemquam de suis prohibere ministrare ei. [24] Post aliquot autem dies veniens felix cum drusilla vxore sua que erat iudea vocauit paulum: et audiuit ab eo fidem que est in cristum ihesum. [25] Disputante autem illo de iusticia et castitate et de iudicio futuro: tremefactus felix respondit. Quod nunc attinet vade: tempore autem oportuno accersiam te: [26] simul et sperans quod pecunia ei daretur a paulo: propter quod et frequenter accersiens eum loquebatur cum eo. [27] Biennio autem expleto: accepit successorem felix portium festum. Volens autem gratiam prestare iudeis felix: reliquit paulum vinctum.

25 Festus ergo cum venisset in prouintiam: post triduum ascendit iherosolimam a cesarea. [2] Adieruntque eum principes sacerdotum et primi iudeorum aduersus paulum: et rogabant eum [3] postulantes gratiam aduersus eum vt iuberet perduci eum in iherusalem: insidias tendentes vt interficerent eum in via. [4] Festus autem respondit seruari quidem paulum in cesarea: se autem maturius profecturum. [5] Qui ergo in vobis ait potentes sunt descendentes simul: si quod est in viro crimen accusent eum. [6] Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem descendit cesaream: et altera die sedit pro tribunali: et iussit paulum adduci. [7] Qui cum perduitus esset circumsteterunt eum qui ab iherosolima descenderant iudei multas et graues causas obicientes quas non poterant probare: [8] paulo rationem reddente: quoniam neque in legem iudeorum· neque in templum· neque in cesarem quicquid peccaui. [9] Festus autem volens gratiam prestare iudeis: respondens paulo dixit. Vis iherosolimam ascendere: et ibi de hijs iudicari apud me? [10] Dixit autem paulus. Ad tribunal cesaris sto: ibi me oportet iudicari. Iudeis non nocui: sicut tu melius nosti. [11] Si enim nocui aut dignum morte aliquid feci: non recuso mori. Si vero nichil est eorum que hij accusant me: nemo potest me illis donare. Cesarem appello. [12] Tunc festus cum consilio locutus respondit. Cesarem appellasti: ad cesarem ibis. [13] Et cum dies aliquot transacti essent: agrippa rex et bernice descenderunt cesaream ad salutandum festum. [14] Et cum dies plures ibi morarentur: festus regi iudicauit de paulo dicens. Vir quidam est derelictus a felice vinctus: [15] de quo cum essem iherosolimis adierunt me principes sacerdotum et seniores iudeorum: postulantes aduersus illum damnationem. [16] Ad quos respondi: quia non est romanis consuetudo donare aliquem hominem priusquam is qui accusatur presentes habeat accusatores: locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina que ei obiciuntur. [17] Cum ergo huc conuenissent: sine vlla dilatione in sequenti die sedens pro tribunali iussi adduci virum. [18] De quo cum stetissent accusatores nullam causam deferebant de quibus ego suspicabar malum: [19] questiones vero quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum: et de quodam ihesu defuncto quem affirmabat paulus viuere. [20] Hesitans autem ego de huiusmodi questione: dicebam si vellet ire iherosolimam: et ibi iudicari de istis. [21] Paulo autem appellante vt seruaretur ad augusti cognitionem: iussi seruari eum donec mittam eum ad cesarem. [22] Agrippa autem dixit ad festum. Volebam et ipse hominem audire. Cras inquit audies eum. [23] Altera autem die cum venisset agrippa et bernice cum multa ambitione et introissent in adiutorum cum tribunis et viris principalibus ciuitatis: iubente festo adductus est paulus. [24] Et dixit festus. Agrippa rex et omnes qui simul adestis nobiscum viri: videtis hunc hominem de quo omnis multitudo iudeorum interpellauit me iherosolimis petentes et acclamantes: non oportere eum viuere amplius. [25] Ego vero comperi nichil dignum morte eum amisisse. Ipso autem hoc appellante: ad augustum iudicaui mittere. [26] De quo quid certum scribam domino non habeo: propter quod perduxi eum ad vos et maxime ad te rex agrippa: vt interrogatione facta habeam quid scribam. [27] Sine ratione enim michi videtur mittere vinctum: et causas eius non significare.

26 Agrippa Agrippa vero ad paulum ait. PerIImittitur tibi loqui per temetipso. pro Tunc paulus extenta manu cepit rationem reddere. [2] De omnibus quibus accusor a iudeis rex agrippa estimo me beatum apud te· cum sim defensurus me hodie: [3] maxime te sciente omnia que apud iudeos sunt consuetudines et questiones: propter quod obsecro patienter me audias. [4] Et Etquidem vitam meam a iuuentute que ab inicio fuit in gente mea in iherosolimis nouerunt omnes iudei: [5] prescientes me ab inicio si velint testimonium phibere quoniam secundum certissimam sectam nostre religionis vixi phariseus. [6] Et nunc in spe que ad patres nostros repromissionis facta est a deo· sto iudicio subiectus: [7] in qua duodecim tribus nostre nocte et die deseruientes sperant deuenire. De qua spe accusor a iudeis rex. [8] Quid incredibile iudicatur apud vos si deus mortuos [9] suscitat? Et ego quidem estimaueram me aduersus nomen ihesu nazareni debere multa contraria agere: [10] quod et feci iherosolimis. Et multos sanctorum ego in carceribus inclusi a principibus sacerdotum potestate accepta: et cum occiderent detuli sententiam. [11] Et per omnes synagogas frequenter puniens eos· compellebam plasphemare: et amplius insaniens in eos· persequebar vsque in exteras ciuitates. [12] In quibus dum irem damascum· cum potestate et permissu principum sacerdotum: [13] die media in via vidi rex de celo supra splendorem solis circunfulsisse me lumen· et eos qui mecum simul erant [14] omnesque nos cum decidissemus in terram audiui vocem loquentem michi hebraica lingua. Saule saule quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. [15] Ego autem dixi. Quis es domine? Dominus autem dixit. Ego sum ihesus: quem tu persequeris. [16] Sed exsurge: et sta supra pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi· vt constituam te ministrum et testem eorum que vidisti et eorum quibus apparebo tibi: [17] eripiens te de populis et gentibus in quas nunc ego mitto te· [18] aperire oculos eorum vt conuertantur a tenebris ad lucem· et de potestate sathane ad deum: vt accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem que est in me. [19] Vnde rex agrippa non fui incredulus celesti visioni: [20] sed hijs qui sunt damasci primum et iherosolimis et in omnem regionem iudee· et gentibus annunciabam· vt penitentiam agerent· et conuerterentur ad deum: digna penitentie opera facientes. [21] Hac ex causa me iudei cum essem in templo comprehensum temptabant interficere. [22] Auxilio autem adiutus dei vsque in hodiernum diem sto testificans minori atque maiori: nichil extra dicens quam que prophete locuti sunt futura esse et moyses: [23] si passibilis cristus· si primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus est populo et gentibus. [24] Hec loquente eo et rationem reddente: festus magna voce dixit. Insanis paule. Multe te littere ad insaniam conuertunt. [25] Et paulus: non insanio inquit optime feste: sed veritatis et sobrietatis verba loquor. [26] Scit enim de hijs rex: ad quem et constanter loquor. Latere enim eum nichil horum arbitror. Neque enim in angulo quicquam horum gestum est. [27] Credis rex agrippa prophetis: Scio quia credis. [28] Agrippa autem ad paulum. In modico suades me eristianum cristianum fieri. [29] Et paulus. Opto apud deum et in modico et in magno: non tantum te· sed etiam omnes qui audiunt hodie fieri tales qualis et ego sum: exceptis vinculis hijs. [30] Et exsurrexit rex et preses et bernice et qui assidebant eis. [31] Et cum secessissent· loquebantur ad inuicem dicentes: quia nichil morte aut vinculorum dignum quid fecit homo iste. [32] Agrippa autem feste dixit. Dimitti poterat homo hic: si non appellasset cesarem.

27 Vt autem iudicatum est nauigare eum in ytaliam et tradi paulum cum reliquis custodijs centurioni nomine iulio cohortis cohortis auguste: [2] ascendentes nauem adrumetinam incipientem nauigare· circa asie loca sustulimus: perseuerante nobiscum aristarcho macedone thessalonicense. [3] Sequenti autem die venimus sydonem. Humane autem tractans iulius paulum permisit ad amicos ire: et curam sui agere. [4] Et inde cum sustulissemus subnauigauimus cyprum: propterea quod essent venti contrarij. [5] Et pelagus cilicie et pamphilie nauigantes venimus listram que est licie: [6] et ibi inueniens centurio nauem alexandrinam nauigantem in ytaliam: transposuit nos in eam. [7] Et cum multis diebus tarde nauigaremus et vix deuenissemus contra gnydum: prohibente nos vento adnauigauimus crete iuxta salmonem. [8] Et vix iuxta nauigantes venimus in locum quendam qui vocatur boniportus: cui iuxta erat ciuitas thalassa. [9] Multo autem tempore peracto et cum iam non esset tuta nauigatio eo quod et ieiunium iam preterisset: consolabatur eos paulus [10] dicens eis. Viri: video quoniam cum iniuria et multo damno non solum oneris et nauis: sed etiam animarum nostrarum incipit nauigatio. [11] Centurio autem gubernatori et nauclero magis credebat: quam hijs que a paulo dicebantur. [12] Et cum aptus portus non esset ad hyemandum: plurimi statuerunt consilium nauigare inde si quo modo possent deuenientes phenicen hyemare portum crete respicientem ad affricum et ad chorum. [13] Aspirante autem austro estimantes propositum se tenere: cum subtulissent de ason· legebant cretam. [14] Non post multum autem misit se contra ipsam ventus typhonicus: qui vocatur euroaquilo. [15] Cumque arrepta esset nauis: et non posset conari in ventum: data naue flatibus ferebamur. [16] In insulam autem quandam decurrentes que vocatur cauda: potuimus vix obtinere scapham. [17] Qua sublata adiutorijs vtebantur accingentes nauem: timentes ne in syrtim inciderent: summisso vase sic ferebantur. [18] Valida autem nobis tempestate iactatis· sequenti die iactum fecerunt: [19] et tercia die suis manibus armamenta nauis proiecerunt. [20] Neque autem sole neque syderibus apparentibus per plures dies et tempestate non exigua imminente: iam ablata erat spes omnis salutis nostre. [21] Et cum multa ieiunatio fuisset: tunc stans paulus in medio eorum dixit. Oportuerat quidem o viri audito me non egredi a creta: lucrique facere iniuriam hanc et iacturam. [22] Et nunc suadeo vobis bono animo esse. Amisso enim nullius anime erit ex nobis: preterque nauis. [23] Astitit enim michi hac nocte angelus dei cuius sum ego et cui deseruio· [24] dicens. Ne timeas paule: cesari te oportet assistere. Et ecce donauit tibi deus omnes qui nauigant tecum. [25] Propter quod bono animo estote viri. Credo enim deo: quia sic erit quemadmodum dictum est michi. [26] In insulam autem quandam oportet nos deuenire. [27] Sed postea quam quartadecima nox superuenit: nauigantibus nobis in adria circa mediam noctem suspicabantur naute apparere sibi aliquam regionem. [28] Qui et summittentes bolidem· inuenerunt passus viginti: et pusillum inde separati inuenerunt passus quindecim. [29] Timentes autem ne in aspera loca incideremus: de puppi mittentes anchoras quatuor optabant diem fieri. [30] Nautis vero querentibus fugere de naui: cum misissent scapham in mare sub optentu quasi inciperent a prora anchoras extendere: [31] dixit paulus centurioni et militibus. Nisi hij in naui manserint: vos salui fieri non potestis. [32] Tunc absciderunt milites funes scaphe: et passi sunt eam excidere. [33] Et cum lux inciperet fieri: rogabat paulus omnes sumere cibum dicens. Quartadecima die hodie exspectantes ieiuni permanetis: nichil accipientes. [34] Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit. [35] Et cum hec dixisset: sumens panem gratias egit deo in conspectu omnium: et cum fregisset cepit manducare. [36] Animequiores autem facti omnes: et ipsi assumpserunt cibum. [37] Eramus autem vniuerse anime in naui ducente septuaginta sex. [38] Et satiati cibo alleuiabant nauem: iactantes triticum in mare. [39] Cum autem dies factus esset terram non agnoscebant: sinum vero quendam considerabant habentem litus: in quem cogitabant si possent eicere nauem. [40] Et cum anchoras sustulissent committebant se mari· simul laxantes iuncturas gubernaculorum: et leuato artemone aure flatum tendebant ad litus. [41] Et cum in locum bithalassum impegerunt nauem: et prora quidem fixa manebat immobilis: puppis vero soluebatur a vi maris. [42] Militum autem consilium fuit vt custodias occiderent· ne quis cum enatasset effugeret: [43] centurio autem volens seruare paulum prohibuit fieri. Iussitque eos qui possent natare mittere se primos et euadere et ad terram exire: [44] et ceteros alios in tabulis ferebant: quosdam super ea que de naui erant. Et sic factum est: vt omnes anime euaderent ad terram.

28 cum euasissemus: tunc cognouimus quia mitilene insula vocabatur. Barbari vero prestabant non modicam humanitatem nobis. [2] Accensa enim pira reficiebant nos omnes: propter ymbrem qui imminebat et frigus. [3] Cum congregasset autem paulus sarmentorum aliquantam multitudinem et imposuisset super ignem: vipera a calore cum processisset inuasit manum eius. [4] Vt vero viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius: ad inuicem dicebant. Vtique homicida est homo hic: qui cum euasit de mari vltio non sinit eum viuere. [5] Et ille quidem excutiens bestiam in ignem· nichil mali passus est. [6] At illi existimabant eum in tumorem conuertendum: et subito casurum et mori. Diu autem illis sperantibus et videntibus nichil mali in eo fieri: conuertentes se· dicebant eum esse deum. [7] In locis autem illis erant predia principis insule nomine publij: qui nos suscipiens· triduo benigne exhibuit. [8] Contigit autem patrem publij febribus et dissinteria vexatum iacere. Ad quem paulus intrauit: et cum orasset et imposuisset ei manus saluauit eum. [9] Quo facto: omnes qui in insula habebant infirmitates accedebant et curabantur. [10] Qui etiam multis honoribus nos honorauerunt: et nauigantibus imposuerunt que necessaria erant. [11] Post menses autem tres nauigauimus in naui alexandrina que in insula hyemauerat: cui erat insigne castrorum. [12] Et cum venissemus siracusam: mansimus ibi triduo. [13] Inde circumlegentes deuenimus regium: et post vnum diem flante austro secunda die venimus putheolos· [14] vbi inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: et sic venimus romam. [15] Et inde cum audissent fratres occurrerunt nobis vsque ad appij forum· tribus tabernis. Quos cum vidisset paulus: gratias agens deo accepit fiduciam. [16] Cum autem venissemus romam permissum est paulo permanere sibimet: cum custodiente se milite. [17] Post tercium autem diem conuocauit primos iudeorum. Cumque venissent dicebat eis. Ego viri fratres nichil aduersus legem faciens aut morem paternum: vinctus ab iherosolimis traditus sum in manus romanorum: [18] qui cum interrogationem de me habuissent voluerunt me dimittere: eo quod nulla esset causa mortis in me. [19] Contradicentibus autem iudeis coactus sum appellare cesarem: non quasi gentem meam habens aliquid accusare. [20] Propter hanc igitur causam rogaui vos videre et alloqui. Propter spem enim israhel cathena hac circundatus sum. [21] At illi dixerunt ad eum. Nos neque litteras accepimus de te a iudea: neque adueniens aliquis fratrum nunciauit aut locutus est quid de te malum. [22] Rogamus autem a te audire que sentis. Nam de secta hac notum est nobis: quia vbique ei contradicitur. [23] Cum constituissent autem illi diem venerunt ad eum in hospitium plurimi· quibus exponebat testificans regnum dei suadensque eis de ihesu ex lege moysi et prophetis a mane vsque ad vesperam. [24] Et quidam credebant hijs que dicebantur: quidam vero non credebant. [25] Cumque inuicem non essent consentientes: discedebant dicente paulo vnum verbum. Quia bene spiritus sanctus locutus est per ysaiam prophetam ad patres nostros [26] dicens. Vade ad populum istum et dic. Aure audietis non intelligetis: et videntes videbitis et non perspicietis. [27] Incrassatum est cor populi huius et auribus grauiter audierunt et oculos suos compresserunt: ne forte videant oculis et auribus audiant et corde intelligant: et conuertant se et sanem eos. [28] Notum ergo sit vobis: quoniam gentibus missum est hoc salutare dei: et ipsi audient. [29] Et cum hec dixisset: exierunt ab eo iudei multam habentes inter se questionem. [30] Mansit autem biennio toto in suo conductu: et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum: [31] predicans regnum dei et docens que sunt de domino ihesu cristo cum omni fiducia sine prohibitione.

Incipit prologus in epistolas canonicas.

Non ita est ordo apud grecos qui integre sapiunt fidemque rectam sectantur epistolarum septem que canonice nuncupantur· sicut in latinis codicibus inuenitur: vt quia petrus est primus in ordine apostolorum prime sunt etiam eius epistole in ordine ceterarum. Sed sicut euangelistas dudum ad veritatis lineam correximus: ita has proprio ordini deo iuuante reddimus. Est enim vna earum prima iacobi: due petri: tres iohannis· et iude vna. Que si sic vt ab eis digeste sunt ita quoque ab interpretibus fideliter in latinum verterentur eloquium· nec ambiguitatem legentibus facerent· nec sermonum sese varietas impugnaret: illo precipue loco vbi de vnitate trinitatis in prima iohannis epistola positum legimus· in qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse a fidei veritate comperimus: trium tantummodo vocabula hoc est aque sanguinis et spiritus in ipsa sua editione ponentibus: et patris verbique ac spiritus testimonium omittentibus· in quo maxime et fides katholica roboratur: et patris et filij et spiritus sancti vna diuinitatis substantia comprobatur. In ceteris vero epistolis quantum a nostra aliorum distet editio: lectoris prudentie derelinquo. Sed tu virgo cristi eustochium dum a me impensius scripture veritatem inquiris meam quodamodo senectutem inuidorum dentibus corrodendam exponis: qui me falsarium corruptoremque sanctarum pronunciant scripturarum Sed ego in tali opere nec emulorum meorum inuidentiam pertimesco: nec sancte scripture veritatem poscentibus denegabo. Iacobus apostolus sanctum instruit clerum de cultura celestium preceptorum et regula katholice obseruantie: et de inuicte patientie maiestate· et de reuelatione plurimorum: et de mendatio magistrorum.

Iacobi

Incipit epistola canonica beati iacobi apostoli.

1 Iacobus dei et domini nostri ihesu cristi seruus: duodecim tribubus que sunt in dispersione salutem. [2] Omne gaudium existimate fratres mei cum in temptationes varias incideritis: [3] scientes quod probatio fidei vestre patientiam operatur. [4] Patientia autem opus perfectum habeat: vt sitis perfecti et integri in nullo deficientes. [5] Si quis autem vestrum indiget sapientia postulet a deo qui dat omnibus affluenter et non improperat: et dabitur ei. [6] Postulet autem in fide: nichil hesitans. Qui enim hesitat similis est fluctui maris: qui a vento mo et circumfertur. [7] Non ergo estimet homo ille quod accipiat aliquid a domino. [8] Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis. [9] Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: [10] diues autem in humilitate sua: quoniam sicut flos feni transibit. [11] Exortus est enim sol cum ardore et arefecit fenum: et flos eius decidit: et decor vultus eius deperijt. Ita et diues in itineribus suis marcescet. [12] Beatus vir qui suffert temptationem: quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vite: quam repromisit deus diligentibus se. [13] Nemo cum temptatur dicat: quoniam a deo temptatur. Deus enim intemptator malorum est. Ipse autem neminem temptat. [14] Vnusquisque vero temptatur a concupiscentia sua: abstractus et illectus. [15] Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem. [16] Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi. [17] Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum: apud quem non est transmutatio: nec vicissitudinis obumbratio. [18] Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis: vt simus inicium aliquod creature eius. [19] Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum: et tardus ad iram. [20] Ira enim viri iusticiam dei non operatur. [21] Propter quod abicientes o immundiciam et abundantiam malicie· in mansuetudine suscipite insitum verbum: quod potest saluare animas vestras. [22] Estote autem factores verbi et non auditores tantum fallentes vosmetipsos: [23] quia si quis auditor est verbi et non factor hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis sui in speculo. [24] Considerauit enim se et abijt: et statim oblitus est qualis fuerit. [25] Qui autem perspexerit in lege perfecte libertatis et permanserit non auditor obliuiosus factus sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. [26] Si quis autem putat se religiosum esse non refrenans linguam suam sed seducens cor suum: huius vana est religio. [27] Religio munda et immaculata apud deum et patrem hec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum: et immaculatum se custodire ab hoc seculo.

2 Fratres mei: nolite in personarum. acceptione habere fidem domini nostri ihesu cristi glorie. [2] Etenim si introierit in conuentum vestrum vir· aureum annulum habens in veste candida: introierit autem et pauper in sordido habitu: [3] et intendatis in eum qui indutus est veste preclara et dixeritis tu sede hic· bene: pauperi autem dicatis tu sta illic· aut sede sub scabello pedum meorum: [4] nonne iudicatis apud vosmetipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum? [5] Audite fratres dilectissimi. Nonne deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide et heredes regni: quod repromisit deus diligentibus se? [6] Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos· et ipsi attrahunt vos ad iudicia? [7] Nonne quod ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super vos? [8] Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas diliges proximum tuum sicut teipsum· bene facis: [9] si autem personas accipitis peccatum operamini: redarguti a lege quasi transgressores. [10] Quicumque autem totam legem seruauerit: offendat autem in vno: factus est omnium reus. [11] Qui enim dixit non mechaberis: dixit et non occides. Quod si non mechaberis· occides autem: factus es transgressor legis. [12] Sic loquimini et sic facite: sicut per legem libertatis incipientes iudicari. [13] Iudicium enim sine misericordia illi: qui non facit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicium. [14] Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere: opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? [15] Si autem frater et soror nudi sint et indigeant victu quotidiano: [16] dicat autem aliquis ex vobis illis· ite in pace· calefacimini et saturamini. non dederitis autem eis que necessaria sunt corpori: quid proderit vobis? [17] Sic et des si non habeat opera: mortua est in semetipsa. [18] Sed dicit aliquis. Tu fidem habes: et ego opera habeo. Ostende michi fidem tuam sine operibus: et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. [19] Tu credis quoniam vnus est deus: benefacis. Et demones credunt: et contremiscunt. [20] Vis autem scire o homo inanis: quoniam fides sine operibus ociosa est? [21] Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est· offerens ysaac filium suum super altare? [22] Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: et ex operibus fides consummata est? [23] Et suppleta est scriptura dicens. Credidit abraham deo: et reputatum est illi ad iusticiam: et amicus dei appellatus est. [24] Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo: et non ex fide tantum? [25] Similiter et raab meretrix: nonne ex operibus iustificata est suscipiens nuncios· et alia via eiciens? [26] Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est ita et fides sine operibus mortua est.

3 Nolite plures magistri fieri fratres mei: scientes quoniam magis iudicium sumitis. [2] In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir. Potest etiam freno circumducere totum corpus. [3] Si autem

equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis: omne corpus illorum circumferimus. [4] Et ecce naues cum magne sint et a ventis validis minentur: circumferuntur autem a modico gubernaculo vbi impetus dirigentis voluerit. [5] Ita et lingua modicum quidem membrum est: et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam siluam incendit. [6] Et lingua ignis est: vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris que maculat totum corpus: et inflammat rotam natiuitatis nostre inflammata a gehenna. [7] Omnis enim natura bestiarum et volucrum et serpentium etiam et ceterorum domantur et domita sunt a natura humana: [8] linguam autem nullus hominum domare potest. Inquietum malum: plena veneno mortifero. [9] In ipsa benedicimus deum et patrem: et in ipsa maledicimus homines qui ad ymaginem et similitudinem dei facti sunt. [10] Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet fratres mei hec ita fieri. [11] Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? [12] Numquid potest fratres mei ficus vuas facere: aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. [13] Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientie. [14] Quod si zelum amarum habetis· et contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari et mendaces esse aduersus veritatem. [15] Non est enim ista sapientia desursum descendens a patre luminum: sed terrena animalis· dyabolica. [16] Vbi enim zelus et contentio: ibi inconstantia et omne opus prauum. [17] Que autem desursum est sapientia: primum quidem pudica est deinde pacifica· modesta suadibilis· bonis consentiens plena misericordie et fructibus bonis: iudicans sine simulatione. [18] Fructus autem iusticie in pace seminatur: facientibus pacem.

4 Vnde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentijs vestris: que militant in membris vestris? [2] Concupiscitis et non habetis: occiditis et zelatis: et non potestis adipisci. Litigatis et belligeratis: et non habetis propter quod non postulatis. [3] Petitis et non accipitis: eo quod male petatis: vt in concupiscentijs vestris insumatis. [4] Adulteri: nescitis quia amicicia huius mundi inimica dei? Quicunque ergo voluerit amicus esse seculi huius: inimicus dei constituitur. [5] An putatis quia inaniter scriptura dicat: ad inuidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis? [6] Maiorem autem dat gratiam. Propter quod dicit. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. [7] Subditi ergo estote deo: resistite autem dyabolo: et fugiet a vobis. [8] Appropiate deo: et appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores: et purificate corda duplices animo. [9] Miseri estote et lugete et plorate: risus vester in luctum conuertatur: et gaudium in merorem. [10] Humiliamini in conspectu domini: et exaltabit vos. [11] Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri aut qui iudicat fratrem suum: detrahit legi et iudicat legem. Si autem iudicas legem: non es factor legis sed iudex. [12] Vnus est enim legislator et iudex: qui potest perdere et liberare. [13] Tu autem quis es qui iudicas proximum tuum? Ecce nunc qui dicitis hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem: et faciemus ibi quidem annum et mercabimur et lucrum faciemus: [14] qui ignoratis quid erit in crastino. [15] Que est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens: et deinceps exterminabitur pro eo vt dicatis: si dominus voluerit· et si vixerimus· faciemus hoc aut illud. [16] Nunc autem exultatis in superbijs vestris. Omnis exultatio talis maligna est. [17] Scienti igitur bonum facere et non facienti: peccatum est illi.

5 Agite plorate vlulantes nunc miserijs vestris plorate aduenient diuites: vlulan vobis. [2] Diuicie vestre putrefacte sunt et vestimenta vestra a tyneis comesta sunt. [3] Aurum et argentum vestrum eruginauit: et et erugo eorum in testamentum vobis erit: et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. [4] Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras que fraudata est a vobis clamat: et clamor eorum in aures domini sabaoth introiuit. [5] Epulati estis super terram: et in luxurijs enutristis corda vestra. In die occisionis [6] addixistis et occidistis iustum: et non restitit vobis. [7] Patientes igitur estote fratres vsque ad aduentum domini. Ecce agricola exspectat preciosum fructum terre· patienter ferens donec accipiat temperaneum et serotinum. [8] Patientes igitur estote et vos et confirmate corda vestra: quoniam aduentus domini appropinquabit. [9] Nolite ingemiscere fratres in alterutrum: vt non iudicemini. Ecce iudex ante ianuam assistit. [10] Exemplum accipite fratres. laboris et patientie prophetas: qui locuti sunt in nomine domini. [11] Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam iob audistis: et finem domini vidistis: quoniam misericors est dominus et miserator. [12] Ante omnia autem fratres mei nolite iurare: neque per celum neque per terram neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester est· est· non· non: vt non sub iudicio decidatis. [13] Tristatur autem aliquis vestrum: oret equo animo et psallat. [14] Infirmatur quis in vobis: inducat presbiteros ecclesie et orent super eum vnguentes eum oleo in nomine domini. [15] Et oratio fidei saluabit infirmum: et alleuabit eum dominus: et si in peccatis sit dimittentur ei. [16] Confitemini ergo alterutrum peccata vestra: et orate pro inuicem vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. [17] Helias homo erat similis nobis passibilis: et oratione orauit vt non plueret super terram: et non pluit annos tres et menses sex. [18] Et rursum orauit: et celum dedit pluuiam: et terra dedit fructum suum. [19] Fratres mei· si quis ex vobis errauerit a veritate et conuerterit quis eum· [20] scire debet: quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vie sue saluabit animam eius a morte: et operit multitudinem peccatorum. Discipulos saluatoris inuidi toto orbe diffusos et peregrinos in hoc seculo dum prescientiam dei su cristi: gratia vobis et pax multiplicetur.

Petri I

Incipit epistola canonica beati petri apostoli prima.

1 toto orbe diffusos et peregrinos in hoc suadet: et in nouam vitam proficere tota cum sollicitudine exhortatur symon petrus filius iohannis prouincie galilee vico bethsaida frater andree apostoli. Petrus apostolus: ihesu apostolus: ihesu cristi· electis aduenis dispersionis ponthi galatie capadotie [2] patris in sanctificationem dum prescientiam dei spiritus in obedientiam et aspersionem sanguinis ihesu cristi: gratia vobis et pax multiplicetur. [3] Benedictus deus et pater domini nostri ihesu cristi qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem ihesu cristi ex mortuis [4] in hereditatem hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et inmarcessibilem conseruatam in celis: in vobis [5] qui in virtute dei custodimini per fidem in salutem· paratam reuelari in tempore nouissimo. [6] In quo exultabitis: modicum nunc si oportet contristari varijs temptationibus: [7] vt probatio vestre fidei multo preciosior sit auro quod per ignem probatur: inueniatur in laudem et gloriam et honorem in reuelatione ihesu cristi: [8] quem cum videritis diligetis. In quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis leticia inenarrabili mnenarrabili et glorificata: [9] reportantes finem fidei vestre salutem animarum vestrarum. [10] De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophete· qui de futura in nobis gratia prophetauerunt: [11] scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus cristi· prenuncians eas que in cristo sunt passiones et posteriores glorias: [12] quibus reuelatum est· quia non sibimetipsis: vobis autem ministrabant ea que nunc nunciata sunt vobis· per eos qui euangelizauerunt vobis spiritu sancto misso de celo: in quem desiderant angeli prospicere. [13] Propter quod succincti lumbos mentis vestre sobrij perfecti sperate in eam que offertur vobis gratiam in

reuelationem ihesu cristi: [14] quasi filij obedientie· non configurati prioribus ignorantie vestre desiderijs: [15] sed secundum eum qui vocauit vos sanctum: vt et ipsi in omni conuersatione sancti sitis [16] scriptum est: sancti eritis quoniam ego sanctus sum. [17] Et si patrem inuocatis eum qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus: in timore incolatusuestri tempore· conuersamini: [18] scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paterne traditionis: [19] sed precioso sanguine quasi agni immaculati cristi et incontaminati: [20] precogniti quidem ante mundi constitucionem: manifestati autem nouissimis temporibus propter vos [21] qui per ipsum fideles estis in deo: qui suscitauit eum a mortuis· et dedit ei gloriam: vt fides vestra et spes esset in deo. [22] Animas vestras castificantes in obedientia caritatis· in fraternitatis amore: simplici corde inuicem diligite attentius: [23] renati non ex semine corruptibili sed incorruptibili per verbum dei viui et permanentis: [24] quia omnis caro vt fenum: et omnis gloria eius tamquam flos feni. Exaruit fenum et flos eius decidit: [25] verbum autem domini manet in eternum. Hoc est autem verbum quod euangelizatum est in vobis.

2 Deponentes igitur omnem maliciam et omnem dolum et simulationes et inuidias et omnes detractiones: [2] sicut modo geniti infantes racionabiles et sine dolo lac concupiscite vt in eo crescatis in salutem: [3] si tamen gustastis quoniam dulcis est dominus. [4] Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum a deo autem electum et honorificatum: [5] et ipsi tanquam lapides viui superedificamini domus spirituales sacerdotium sanctum: offerentes spiritales hostias acceptabiles deo per ihesum cristum. [6] Propter quod continet scriptura. Ecce pono in syon lapidem summum angularem probatum electum preciosum: et qui crediderit in eum non confundetur. [7] Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis quem reprobauerunt edificantes hic factus est in caput anguli [8] et lapis offensionis et petra scandali: hijs qui offendunt verbo nec credunt in quo et positi sunt. [9] Vos autem genus electum regale sacerdotium gens sancta populus acquisitionis: vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in ammirabile lumen suum. [10] Qui aliquando non populus dei nunc autem populus dei: qui non consecuti misericordiam: nunc autem misericordiam consecuti. [11] Carissimi· obsecrouos tanquam aduenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desiderijs que militant aduersus animam [12] conuersationemuestram inter gentes habentes bonam: vt in eo quod detractant de vobis tanquamde malefactoribus: ex bonis operibusuos considerantes· glorificent deum in die visitationis. [13] Subiecti igitur estote omni humane creature propter deum. Siue regi quasi precellenti: [14] siue ducibus tanquam ab eo missis· ad vindictam malefactorum: laudem vero bonorum. [15] Quia sic est voluntas dei: vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. [16] Quasi liberi: et non quasi velamen habentes malicie libertatem: sed sicut serui dei. [17] Omnes honorate: fraternitatem diligite. Deum timete: regem honorificate. [18] Serui subditi estote in omni timore dominis: non tantum bonis et modestis: sed etiam discolis. [19] Hec est enim gratia: si propter dei conscientiam sustinet quis tristiciam patiens iniuste. [20] Que enim est gratia: si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis: hec est gratia apud deum. [21] In hoc enim vocati estis: quia et cristus passus est pro vobis· vobis relinquens exemplum: vt sequamini vestigia eius. [22] Qui peccatum non fecit: nec inuentus est dolus in ore eius. [23] Qui cum malediceretur non maledicebat: cum pateretur non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniuste. [24] Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui iusticie viuamus: cuius liuore sanati estis. [25] Eratis enim sicut oues errantes: sed conuersi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

3 Similiter et mulieres subdite sint viris suis vt et si qui non credunt verbo· per mulierum conuersationem sine verbolucrificant: [2] considerantes in timore castam conuersationem vestram. [3] Quarum sit non extrinsecus capillatura aut circundatio auri aut indumenti vestimentorum cultus: [4] sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus: qui est in conspectu dei locuples. [5] Sic enim aliquando et sancte mulieres sperantes in deo ornabant se subiecti subiecti proprijs viris: [6] sicut sara obediebat abrahe dominum eum vocans: cuius estis filie benefacientes· et non pertimentes vllam perturbationem. [7] Viri similiter cohabitantes secundum scientiam: quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem tanquam et coheredibus gratie vite: vt non impediantur orationes vestre. [8] In fide autem omnes vnanimes compatientes· fraternitatis amatores· misericordes· modesti· humiles· [9] non reddentes malum pro malo· nec maledictum pro maledicto: sed econtrario benedicentes: quia in hoc vocati estis: vt benedictionem hereditate possideatis. [10] Quis est enim qui vult vitam diligere: et dies videre bonos: coherceat linguam suam a malo: et labia eius ne loquantur dolum. [11] Declinet autem a malo et faciat bonum: inquirat pacem et sequatur eam: [12] quia oculi domini super iustos: et aures eius in preces eorum: vultus autem domini super facientes mala. [13] Et quis est qui vobis noceat: si boni emulatores fueritis? [14] Sed et si quid patimini propter iusticiam beati. Timorem autem eorum ne timueritis: et non conturbemini. [15] Dominum autem cristum sanctificate in cordibus vestris: parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos racionem de ea que in vobis est spe: [16] sed cum modestia et timore conscientiam habentes bonam: vt in eo quod detrahunt de vobis confundantur: qui calumniantur vestram bonam in cristo conuersasationem. [17] Melius est enim vt benefacientes si voluntas dei velit pati quam malefacientes: [18] quia et cristus semel pro peccatis nostris mortuus est iustus pro iniustis: vt nos offerret deo· mortificatos quidem carne viuificatos autem spiritu. [19] In quo et hijs qui in carcere erant spiritualiter veniens predicauit: [20] do increduli fuerant aliquanexpectabant fuerant aliquando exspectabant dei patientiam diebus patientiam in dei diebus noe cum fabricaretur archa: in qua pauci id est octo anime salue facte sunt per aquam. [21] Quod et vos nunc similis forme saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium· sed conscientie bone interrogatio in deum: per resurrectionem ihesu cristi a mortuis [22] qui est in dextera dei: deglutiens mortem vt vite eterne heredes efficeremur: profectus in celum subiectis sibi angelis et potestatibus et virtutibus.

4 igitur passo in carne et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne desijt a peccatis: [2] vt non iam desiderijs hominum sed voluntati dei quod reliquum est in carne viuat temporis. [3] Sufficit enim preteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam hijs que ambulauerunt in luxurijs in desiderijs vinolentijs commessationibus ebrietatibus et illicitis ydolorum cultibus. [4] In quo ammirantur non concurrentibus vobis luxurie confusionem blasphemantes: [5] qui reddent rationem ei qui paratus est iudicare viuos et mortuos. [6] propter hoc enim et mortuis euangelizatum est: vt iudicentur quidem secundum homines in carne: viuant autem secundum deum in spiritu. [7] Omnium autem finis appropinquabit. prudentes et vigilate tionibus: [8] ante omnia autem mutuam metipsis caritatem continuam habentes: caritas operit multitudinem peccatorum. [9] sine inuicem: murmuratione. [10] Vnusquisque sicut accepit gratiam· in alterutrum illam amministrantes: sicut boni multiformis gratie dei. [11] Si loquitur: quasi sermones dei. Si quis ministrat: tanquam ex virtute quam ammideus: vt omnibus honorificetur deus deus per ihesum cristum cui est gloria et imperium in secula seculorum amen. [12] Carissimi· nolite peregrinari in feruore qui ad temptationem vobis in vobisquia multitudinem peccatorum. sit· quasi noui aliquid vobis contingat: [13] sed communicantes cristi passionibus gaudete: vt et in reuelatione glorie eius gaudeatis exultantes. [14] Si exprobramini nomine cristi· beati eritis quoniam est honoris glorie et virtutis dei et qui est eius autem spiritus super vos requiescet. [15] Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida aut fur aut maledicus: aut alienorum appetitor. [16] Si autem vt cristianus· non erubescat: glorificet deum isto nomine: [17] quoniam tempus vt incipiat iudicium a domo dei. Si autem primum a nobis: finis eorum qui non credunt dei euangelio? [18] Et si iustus quidem vix saluabitur: impius et peccator vbi parebunt? [19] Itaque et hij qui patiuntur secundum voluntatem dei: fideli creatori commendent animas suas in benefactis.

5 ergo qui in vobis sunt· obsecro consenior et testis cristi pas qui et eius futuro est glorie reuelanda communicator. [2] Pascite qui in vobis est gregem dei: prouidentes non coacte sed spontanee· secundum deum: neque turpis lucri gratia· sed voluntarie: [3] neque vt dominantes in cleris sed forma facti gregi ex animo: [4] et cum apparuerit princeps pastorum percipietis immarcessibilem glorie coronam. [5] Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes etiam inuicem humilitatem insinuate: quia dominus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. [6] Humiliamini igitur sub potenti manu dei vt vos exaltet in tempore visitationis: [7] omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum: quoniam ipsa de vobis. [8] Sobrij estote et vigilate: quia aduersarius vester dyabolus tanquam leo rugiens circuit· querens quem deuoret. [9] Cui resisti te fortes in fide: scientes eandem passionem passionem ei que in mundo est vestre fraternitati fieri. [10] Deus autem omnis gratie qui vocauit suam gloriam murmuratiogratiam· in gloria nos in eternam suam gloriam in cristo ihesu modicum passos: ipse perficiet confirmabit solidabitque. [11] Ipsi gloria et imperium: in secula seculorum amen. [12] Per siluanum fidelem fratrem vobis vt arbitor breuiter scripsi: obsecrans et contestans hanc esse veram gratiam dei in qua et statis. [13] Salutat vos ecclesia que est in babilone coelecta: et marcus filius meus. [14] Salutate inuicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus qui estis in cristo ihesu amen.

Petri II

Incipit epistola secunda beati petri apostoli.

1 Symon Simon petrus per fidem huic mundo sapientes mortuos esse declarat: eisdemque pietatis quanta sit magnitudo luce ipsa clarius manifestat. hijs Symon petrus seruus Simon petrus seruus et apostolus ihesu cristi: hijs qui coequa lem nobiscum sortiti sunt in iusticia dei nostri nostri et saluatoris ihesu cristi· [2] gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione dei et cristi ihesu domini nostri: [3] quomodo omnia nobis diuine virtutis sue que ad vitam et pietatem donata sunt per cognitionem eius qui vocauit nos propria gloria et virtute· [4] per quem maxima et preciosa nobis promissa donauit: vt per hoc efficiamini diuine consortes nature· fugientes eius que in mundo est concupiscentie corruptionem. [5] Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem: in virtute autem scientiam: [6] in scientia autem abstinentiam: in abstinentia autem patientiam: in patientia autem pietatem: [7] in pietate autem amorem fraternitatis: in amore fraternitatis caritatem. [8] Hec enim si vobiscum assint et superent: non vacuos nec sine fructu vos constituent in domini nostri ihesu cristi cognitione. [9] Cui enim non presto sunt hec: cecus est et manu temptans: obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. [10] Quapropter fratres magis satagite: vt per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Hec enim facientes non peccabitis aliquando. [11] Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in eternum regnum domini nostri et saluatoris ihesu cristi. [12] Propter quod vos incipiam semper commonere de hijs: et quidem scientes et confirmatos in presenti veritate. [13] Iustum autem arbitror· quamdiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione: [14] certus quod velox est depositio tabernaculi mei: secundum quod et dominus noster ihesus cristus significauit michi. [15] Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum: vt horum omnium memoriam faciatis. [16] Non enim indoctas fabulas secuti notam fecimus vobis domini nostri ihesu cristi virtutem et prescientiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. [17] Accipiens enim a deo patre honorem et gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria: hic est filius meus dilectus in quo michi complacui: ipsum audite. [18] Et hanc vocem nos audiuimus de celo allatam: cum essemus cum ipso in monte sancto. [19] Et habemus firmiorem propheticum sermonem· cui benefacitis attendentes quasi lucerne lucenti in caliginoso loco donec illucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris: [20] hec primum intelligentes: quod omnis prophetia propria interpretatione non fit. [21] Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti dei homines.

2 Fuerunt et pseudo prophete in populo sicut et in vobis erunt magistri mendaces: qui introducent sectas perditionis: et eum qui emit eos deum negant: superducentes sibi celerem perditionem. [2] Et multi sequentur eorum luxurias: per quos via veritatis blasphemabitur: [3] et in auaricia fictis verbis de vobis negociabuntur. Quibus iudicium iam olim non cessat: et perditio eorum non dormitat. [4] Si enim deus angelis peccantibus non pepercit sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari: [5] et originali mundo non pepercit· sed octauum noe iusticie preconem custodiuit diluuium mundo impiorum inducens: [6] et ciuitates sodomorum et gomorreorum in cinerem redigens euersione damnauit exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens: [7] et iustum loth oppressum a nephandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eruit. [8] Aspectu enim et auditu iustus erat: habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. [9] Nouit deus pios de temptatione eripere: iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos. [10] Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immundicie ambulant· dominationemque contemnunt: audaces· sibi placentes: sectas non metuunt introducere blasphemantes. [11] Vbi angeli fortitudine et virtute cum sint maiores: non portant aduersum se execrabile iudicium. [12] Hij vero velut irracionabilia pecora naturaliter in captionem et in perniciem in hijs que ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt: [13] percipientes mercedem iniusticie voluptatem: existimantes diei delicias coinquinationis et macule· delicijs affluentes in conuiuijs suis luxuriantes vobiscum: [14] oculos habentes plenos adulterij et incessabilis delicti: pellicientes animas instabiles: cor exercitatum auaricia habentes· maledictionis filij: [15] derelinquentes rectam viam errauerunt secuti viam balaam ex bosor· qui mercedem iniquitatis amauit: [16] correptione vero habuit sue vesanie. Subiugale mutum animal in hominis voce loquens: prohibuit prophete insipientiam. [17] Hij sunt fontes sine aqua et nebule turbinibus exagitate: quibus caligo tenebrarum reseruatur. [18] Superbia enim vanitatis loquentes. pellicent in desiderijs carnis luxurie eos qui paululum effugiunt· qui in errore conuersantur: [19] libertatem illis promittentes cum ipsi sui sint corruptionis. A quo enim quis superatus est: huius et seruus est. [20] Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione domini nostri et saluatoris ihesu cristi· hijs rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. [21] Melius enim erat illis non cognoscere viam iusticie: quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. [22] Contigit enim eis illud veri prouerbij. Canis reuersus ad suum vomitum: et sus lota in volutabro luti.

3 Hanc ecce vobis carissimi secundam scribo epistolam in quibus vestram excito in commonitionem sinceram mentem: [2] vt memores sitis eorum que predixi verborum a sanctis prophetis et apostolorum vestrorum preceptorum domini saluatoris. [3] Hoc primum scientes: quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes: [4] dicentes. Vbi est promissio aut aduentus eius· Exquo enim patres dormierunt: omnia sic perseuerant ab inicio creature. [5] Latet enim eos hoc volentes: quod celi erant prius et terra de aqua et per aquam consistens dei verbo: [6] per quem ille tunc mundus aqua inundatus perijt. [7] Celi autem qui nunc sunt et terra eodem

verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij: et perditionis impiorum hominum. [8] Vnum vero hoc non lateat vos carissimi: quia vnus dies apud dominum sicut mille anni: et mille anni sicut dies vnus. [9] Non tardat dominus promissi: sed patienter agit propter vos: nolens aliquos perire sed omnes ad penitentiam reuerti. [10] Adueniet autem dies domini vt fur: in quo celi magno impetu transient: elementa vero calore soluentur. [11] Cum hec igitur omnia dissoluenda sint· quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus et pietatibus [12] exspectantes et properantes in aduentum diei domini: per quem celi ardentes soluentur et elementa ignis ardore tabescent? [13] Nouos vero celos et nouam terram et promissa ipsius exspectamus: in quibus iusticia habitat. [14] Propter quod carissimi hec exspectantes· satagite immaculati et inuiolati ei inueniri in pace: [15] et domini nostri longanimitatem salutem arbitramini: sicut et carissimus frater noster paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis: [16] sicut et in omnibus epistolis· loquens in eis de hijs: in quibus sunt quedam difficilia intellectu· que indocti et instabiles deprauant· sicut et ceteras scripturas· ad suam ipsorum perditionem. [17] Vos igitur fratres prescientes custodite ne insipientium errore transducti excidatis a propria firmitate: [18] crescite vero in gratia et in cognitione domini nostri et saluatoris ihesu cristi. Ipsi gloria et nunc et in diem eternitatis amen.

Iohannis I

Incipit epistola beati iohannis apostoli prima.

1 Rationem Rationem verbi· et quod deus ipse sit sit caritas manifestat: et sit caritas manifestat: et susurrones fratrum nec deum scire· nec pios fieri posse· eo vsque dissertat vt esse comprobet homicidas: eo quod odium sit interfectionis occasio. ea Quod fuit ab inicio· quod audiuimus· quod vidimus oculis nostris· quod perspexicontrectauerunt mus· et manus nostre de verbo vite: [2] et vita manifesta est: et vidimus et testamur manifesta et annunciamus vobis vitam eternam· que erat apud patrem· et apparuit nobis. [3] Quod vidimus et audiuimus annunciamus vobis: vt et vos societatem habeatis vobiscum: et societas nostra sit cum patre et cum filio eius ihesu cristo. [4] Et hec scribimus vobis: vt gaudeatis et gaudium vestrum sit plenum. [5] Et hec est annunciatio quam audiuimus ab eo et annunciamus vobis: quoniam deus lux est: et tenebre in eo non sunt vlle. [6] Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo et in tenebris ambulamus: mentimur· et veritatem non facimus. [7] Si autem in luce ambulamus sicut et ipse est in luce societatem habemus ad inuicem: et sanguis ihesu filij eius mundat nos ab omni peccato. [8] Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus: et veritas in nobis non est. [9] Si confiteamur peccata nostra: fidelis est et iustus vt remittat nobis peccata nostra: et emundet nos ab omni iniquitate. [10] Si dixerimus quoniam non peccauimus: mendacem facimus eum: et verbum eius non est in nobis.

2 Filioli mei: hec scribo vobis vt non peccetis. Sed et si quis peccauerit: aduocatum habemus apud patrem ihesum cristum iustum. [2] Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum: sed etiam pro totius mundi. [3] Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum: si mandata eius obseruamus. [4] Qui dicit se nosse eum et mandata eius non custodit mendax est: et in hoc veritas non est. [5] Qui autem seruat verbum eius: vere in hoc caritas dei perfecta et est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus. [6] Qui dicit se in cristo manere: debet sicut ille ambulauit· et ipse ambulare. [7] Carissimui mi non mandatum nouum scribo vobis: sed mandatum vetus quod habuistis ab inicio. Mandatum vetus est: verbum quod audistis. [8] Iterum mandatum nouum scribo vobis quod verum est et in ipso et in vobis: quia tenebre transierunt· et verum lumen iam lucet. [9] Qui dicit se in luce esse et fratrem suum odit: in tenebris est vsque adhuc. [10] Qui diligit fratrem suum in lumine manet: et scandalum in eo non est. [11] Qui autem odit fratrem suum in tenebris est et in tenebris ambulat: et nescit quo eat: quia tenebre obcecauerunt oculos eius. [12] Scribo vobis filioli: quoniam remittuntur vobis peccata vestra propter nomen eius. [13] Scribo vobis patres: quoniam cognouistis eum qui ab inicio est. Scribo vobis adolescentes: quoniam vicistis malignum. [14] Scribo vobis infantes quia cognouistis patrem. Scribo vobis iuuenes: quoniam fortes estis et verbum dei manet in vobis: et vicistis malignum. [15] Nolite diligere mundum: neque ea que in mundo sunt. Si quis diligit mundum: non est caritas patris in eo. [16] Quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est: et concupiscentia oculorum: et superbia vite que non est ex patre: sed ex mundo est. [17] Et mundus transit et concupiscentia eius. Qui autem facit voluntatem dei: manet in eternum. [18] Filioli: nouissima hora est. Et sicut audistis quia anticristus venit: nunc anticristi multi facti sunt. Vnde scimus quia nouissima hora est. [19] Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis: permansissent vtique nobiscum. Sed vt manifesti sit: quoniam non sunt omnes ex nobis. [20] Sed vos vnctionem habetis a sancto: et nostis omnia. [21] Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem: sed quasi scientibus eam: et quoniam omne mendacium ex veritate non est. [22] Quis est mendax: nisi is qui negat quoniam ihesus est cristus? Hic est anticristus: qui negat patrem et filium. [23] Omnis qui negant filium nec patrem habet: qui confitetur filium: et patrem habet. [24] Vos quod audistis ab inicio· in vobis permaneat: quia si in vobis permanserit quod audistis ab inicio: et vos in filio et patre manebitis. [25] Et hec est repromissio: quam ipse pollicitus est nobis vitam eternam. [26] Hec scripsi vobis de hijs qui seducunt vos. [27] Et vos vnctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. Et verum est: et non est mendacium. Et sicut docuit vos: manere in eo. [28] Et nunc filioli manete in eo: vt cum apparuerit habeamus fiduciam: et non confundanim damur ab eo in aduentu eius. [29] Si scitis quoniam iustus est: scitote quoniam et omnis qui facit iusticiam ex ipso natus est.

3 Videte qualem caritatem dedit nobis pater: vt filij dei nominemur et et simus. Propter hoc mundus non nouit nos: quia non nouit eum. [2] Carissimi nunc filij dei sumus: et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. [3] Et omnis qui habet hanc spem in eo: sanctificat se sicut et ille sanctus est. [4] Omnis qui facit peccatum: et iniquitatem facit. Et peccatum est iniquitas. [5] Et scitis quia ille apparuit vt peccata tolleret: et peccatum in eo non est. [6] Omnis qui in eo manet non peccat. Et omnis qui peccat non videt eum: nec cognouit eum. [7] Filioli: nemo vos seducat. Qui facit iusticiam iustus est. Sicut et ille iustus est. [8] Qui facit peccatum ex dyabolo est: quoniam ab inicio dyabolus peccat. In hoc apparuit filius dei: vt dissoluat opera dyaboli. [9] Omnis qui natus est ex deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet: et non potest peccare· quoniam ex deo natus est. [10] In hoc manifesti sunt filij dei et filij dyaboli. Omnis qui non est iustus non est ex deo: et qui non diligit fratrem suum. [11] Quoniam hec annunciato quam audistis ab inicio: vt diligamus alterutrum. [12] Non sicut cayn qui ex maligno erat: et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum: Quoniam opera eius maligna erant: fratris autem eius iusta. [13] Nolite mirari fratres si odit vos mundus. [14] Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres. Qui non diligit: manet in morte. [15] Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam eternam in se manentem. [16] In hoc cognouimus caritatem dei: quoniam ille animam suam pro nobis

posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. [17] Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necesse habere et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas dei manet in eo? [18] Filioli mei: non diligamus verbo neque lingua: sed opere et veritate. [19] In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: et in conspectu eius suadebimus corda nostra. [20] Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum: maior est deus corde nostro: et nouit omnia. [21] Carissimi si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad deum: [22] et quicquid petierimus accipiemus ab eo quoniam mandata eius custodimus: et ea que sunt placita coram eo facimus. [23] Et hoc est mandatum eius vt credamus in nomine filij eius ihesu cristi: et diligamus alterutrum sicut dedit mandatum nobis. [24] Et qui seruat mandata eius in illo manet: et ipse in eo. Et in hoc scimus: quoniam manet in nobis de spiritu quem dedit nobis.

4 Carissimi· nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex deo sint: quoniam multi pseudo prophete exierunt in mundum. [2] In hoc cognoscitur spiritus dei. Omnis spiritus qui confitetur ihesum cristum in carne venisse· ex deo est. [3] Et omnis spiritus qui soluit ihesum· ex deo non est: et hic est anticristus de quo audistis quoniam venit: et nunc iam in mundo est. [4] Vos ex deo estis: et vicistis eum: quoniam maior est qui in vobis est: quam qui in mundo. [5] Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur· et mundus eos audit. [6] Nos ex deo sumus. Qui nouit deum audit nos: qui non est ex deo non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris. [7] Carissimi diligamus nos inuicem: quia caritas ex deo est. Et omnis qui diligit ex deo natus est: et cognoscit deum. [8] Qui non diligit non nouit deum: quoniam deus caritas est. [9] In hoc apparuit caritas dei in nobis: quoniam filium suum vnigenitum misit deus in mundum: vt viuamus per eum. [10] In hoc est caritas: non quasi nos dilexerimus deum: sed quoniam ipse prior dilexit nos: et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. [11] Carissimi: si deus dilexit nos: et nos debemus alterutrum diligere. [12] Deum nemo vidit vnquam. Si diligamus inuicem deus in nobis manet: et caritas eius in nobis perfecta est. [13] In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus et ipse in nobis: quoniam de spiritu sancto suo dedit nobis. [14] Et nos vidimus et testificamur: quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi. [15] Quisquis confessus fuerit quoniam ihesus est filius dei: deus in eo manet et ipse in deo. [16] Et nos cognouimus: et credidimus caritati quam habet deus in nobis. Deus caritas est: et qui manet in caritate in deo manet: et deus in eo. [17] In hoc perfecta est caritas nobiscum: vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia sicut ille est: et nos sumus in hoc mundo. [18] Timor non est in caritate: sed perfecta caritas foras mittit timorem: quoniam timor penam habet. Qui autem timet non est perfectus in caritate. [19] Nos ergo diligamus deum: quoniam deus prior dilexit nos. [20] Si quis dixerit quoniam diligo deum et fratrem suum oderit: mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt: deum quem non videt quomodo potest diligere? [21] Et hoc mandatum habemus a deo: qui diligit deum: diligat et fratrem suum.

5 Omnis qui credit quoniam ihesus est cristus: ex deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit: diligit et eum qui natus est ex eo. [2] In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos dei: cum deum diligamus· et mandata eius faciamus. [3] Hec est enim caritas dei vt mandata eius custodimus: et mandata eius grauia non sunt. [4] Quoniam omne quod natum est ex deo vincit mundum: et hec est victoria que vincit mundum: fides nostra. [5] Quis est autem qui vincit mundum: nisi qui credit quoniam ihesus est filius dei? [6] Hic est qui venit per aquam et sanguinem ihesus cristus. Non in aqua solum: sed in aqua et sanguine. Et spiritus est qui testificatur: quoniam cristus est veritas. [7] Quoniam tres sunt qui testimonium dant in celo· pater· verbum· et spiritus sanctus: et hij tres vnum sunt. [8] Et tres sunt qui testimonium dant in terra· spiritus· aqua· et sanguis: et tres vnum sunt. [9] Si testimonium hominum accipimus: testimonium dei maius est. Quoniam hoc est testimonium dei quod maius est: quoniam testificatus est de filio suo. [10] Qui credit in filium dei: habet testimonium dei in se. Qui non credit filio mendacem facit eum: quia non credit in testimonium quod testificatus est deus de filio suo. [11] Et hoc est testimonium: quoniam vitam eternam dedit nobis deus: et hec vita in filio eius est. [12] Qui habet filium habet vitam: qui non habet filium dei: vitam non habet. [13] Hec scribo vobis: vt sciatis quoniam vitam habetis eternam: qui creditis in nomine filij dei. [14] Et hec est fiducia quam habemus ad deum: quia quecumque petierimus secundum voluntatem eius audit nos. [15] Et scimus quia audit nos: quicquid petierimus. Scimus: quoniam habemus peticiones quas postulamus ab eo. [16] Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem: petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. [17] Omnis iniquitas peccatum est: et est peccatum ad mortem. [18] Scimus quia omnis qui natus est ex deo non peccat: sed generato dei conseruat eum: et malignus non tanget eum. [19] Scimus quoniam ex deo sumus: et mundus totus in maligno positus est. [20] Et scimus quoniam filius dei venit et dedit nobis sensum: vt cognoscamus verum deum: et simus in vero filio eius. Hic est verus deus: et vita eterna. [21] Filioli: custodite vos a simulacris. Vsque a deo ad sanctam femi deo Vsque a deo ad sanctam femi ad nam scribit vt tandem dominam non dubitet litteris appellare: eiusdemque filijs tefilijs testimonium quod ambulent

Iohannis II

Incipit epistola beati iohannis apostoli secunda.

1 veritate hibeat. prohibeat. Senior: electe domine et natis natis eius quos ego diligo in veritate: et non ego solus omnes sed et omnes qui cognouerunt veritatem: [2] propter veritatem que permannet net in vobis: et vobiscum erit in eternum. num. [3] Sit vobiscum gratia misericordia dia pax a deo patre: et a cristo ihesu filio patris in veritate et caritate. [4] Gauisus sum valde quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in veritate: sicut mandatum mi mi accepimus a patre. [5] Et nunc rogo te domina non tanquam mandatum nouum scribens tibi: sed quod habuimus ab inicio: vt diligamus alterutrum. [6] Et hec est caritas: vt ambulemus secundum mandata eius. Hoc enim est mandatum: vt quemadmodum audistis ab inicio in eo ambuletis: [7] quoniam multi seductores exierunt in mundum qui non confitentur ihesum cristum venisse in carnem. Hic est seductor et anticristus. [8] Videte vosmetipsos ne perdatis que operati estis: sed vt mercedem plenam accipiatis. [9] Omnis qui recedit et non permanet in doctrina cristi: deum non habet. Qui permanet in doctrina: hic patrem et filium habet. [10] Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum: nec aue ei dixeritis. [11] Qui enim dicit illi aue: communicat operibus eius malignis. [12] Plura habens vobis scribere: nolui per cartam et attramentum. Spero enim me futurum apud vos: et os ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit. [13] Salutant te filie sororis tue electe.

Incipit argumentum in epistolam eiusdem terciam.

Gaium pietatis causa extollit atque vt in ipsa pietate maneat exhortator: diotrepem impietatis et superbie causa obiurgat: demetrio autem bonum testimonium perhibet cum fratribus vniuersis.

Johannis III

Incipit epistola beati iohannis tercia.

1 Senior: gaio carissimo· quem ego diligo in veritate. Carissionem facio prospemonium veritate. 2 re te ingredi et valere: sicut prospere agit anima tua. 3 Gauisus sum valde venientibus fratribus et testimonium perhibentibus veritati tue: sicut tu in veritate ambulas. 4 Maiorem horum non habeo gratiam: quam vt audiam filios meos in veritate ambulantes. 5 Carissime· fideliter facis quicquid operaris in fratres: et hoc in peregrinos· 6 qui testimonium reddiderunt caritati tue in conspectu ecclesie: quos benefaciens deducis digne deo. 7 Pro nomine enim eius profecti sunt: nichil accipientes a gentilibus. 8 Nos ergo debemus suscipere huiusmodi: vt cooperatores simus veritatis. 9 Scripsissem forsitan ecclesie: sed is qui amat primatum gerere in eis diotrepes· non recipit nos. 10 Propter hoc si venero commoneam eius opera que facit: verbis malignis garriens in nos. Et quasi non ei ista sufficiant: neque ipse suscipit fratres: et eos qui suscipiunt prohibet· et de ecclesia eicit. 11 Carissime noli imitari malum: sed quod bonum est. Qui benefacit ex deo est: qui malefacit non videt deum. 12 Demetrio trio testimonium redditur ab omnibus et ab ipsa veritate: sed et nos testimonium perhibemus: et nosti quoniam testimonium nostrum verum est. 13 Multa habui tibi scribere: sed nolui per attramentum et calamum scribere tibi. 14 Spero autem protinus te videre: et os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos per nomen.

Jude

Incipit epistola beati iude apostoli.

1 ribus apostolus· vie Vdas apostolus· fratres de corrupto ita ribus vie veritatis ita informat: vt illicitum esse dissertet de subiugo semel erutos seruitutis· denuo operam suam officijs Iudas ihesu cristi seruus frater autem iacobi: hijs qui sunt in deo patre dilectis· et cristo ihesu conseruatis et vocatis. 2 Misericordia vobis et pax et caritas adimpleatur. 3 Carissimi omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel tradite sanctis fidei. 4 Subintroierunt enim quidam homines qui olim prescripti sunt in hoc iudicium impij: domini nostri gratiam transferentes in luxuriam: et solum dominatorem et dominum nostrum ihesum cristum negantes. 5 Commonere autem vos volo scientes semel omnia: quoniam ihesus populum de terra egipti saluans· secundo eos qui non crediderunt perdidit. 6 Angelos vero qui non seruauerunt suum principatum sed dereliquerunt suum domicilium: in iudicium magni diei vinculis eternis sub caligine reseruauit. 7 Sicut sodoma et gomorra et finitime ciuitates simili modo exfornicate et abeuntes post carnem alteram: facti sunt exemplum· ignis eterni penam sustinentes. 8 Similiter et hij quidem carnem maculant: dominationem autem spernunt: maiestatem autem blasphemant. 9 Cum michael archangelus cum dyabolo disputans altercaretur de moysi corpore: non est ausus iudicium inferre blasphemie· sed dixit. Imperet tibi deus. 10 Hij autem quecunque quidem ignorant blasphemant: quecunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt: in hijs corrumpuntur. 11 Ve illis qui via cayn abierunt: et errore balaam mercede effusi sunt: et in contradictione chore abierunt. 12 Hij sunt in epulis suis macule conuiuantes: sine timore· semetipsos pascentes: nubes sine aqua· que a ventis circunferuntur: arbores autumnales· infructuose· bis mortue· eradicate: 13 fluctus feri maris· despumantes suas confusiones: sydera errantia: quibus procella tenebrarum seruata est in eternum. 14 Prophetauit autem et de hijs septimus ab adam· enoch dicens. Ecce venit dominus in sanctis milibus suis 15 facere iudicium contra omnes: et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum· quibus impie egerunt: et de omnibus duris que locuti sunt contra deum peccatores impij. 16 Hij sunt murmuratores querelosi secundum desideria sua ambulantes: et os eorum loquitur superbiam: mirantes personas questus causa. 17 Vos autem carissimi memores estote verborum que predicta sunt ab apostolis domini nostri ihesu cristi: 18 qui dicebant vobis quoniam in nouissimis temporibus venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. 19 Hij sunt qui segregant semetipsos: animales: spiritum non habentes. 20 Vos autem carissimi superedificantes vosmetipsos sanctissime nostre fidei: in spiritu sancto orantes· 21 ipsos vos in dilectione dei seruate: exspectantes misericordiam domini nostri ihesu cristi in vitam eternam. 22 Et hos quidem arguite iudicatos: 23 illos vero saluate de igne rapientes. Alijs autem miseremini in timore: odientes et eam que carnalis est maculatam tunicam. 24 Ei autem qui potens est vos conseruare sine peccato· et constituere ante conspectum glorie sue immaculatos in exultacione: 25 soli deo saluatori nostro· per ihesum cristum dominum nostrum gloria magnificentia imperium et potestas ante omne seculum: et nunc et in omnia secula seculorum amen.

Incipit prologus in apocalipsin.

Iohannes apostolus et euangelista a cristo electus atque dilectus· in tanto amore dilectionis vberior habitus est· vt in cena supra pectus eius recumberet et ad crucem asstanti soli matrem propriam commendasset: vt quem nubere volentem ad amplexum virginitatis asciuerat: ipsi ad custodiendam virginem tradidisset. Hic itaque cum propter verbum dei et testimonium ihesu cristi in pathmos insulam sortiretur exilium· illic ab eodem apocalipsis pre ostensa describitur: vt

sicut in principio canonis id est libri geneseos incorruptibile principium prenotatur: ita etiam incorruptibilis finis per virginem in apocalipsi redderetur dicentis. Ego sum alpha et o: inicium et finis. Hic est iohannes· qui sciens superuenisse sibi diem egressionis de corpore conuocatis in epheso discipulis descendit inde fossum sepulture sue locum: orationeque completa reddidit spiritum· tam a dolore mortis factus extraneus: quam a corruptione carnis noscitur alienus. Cuius tamen scripture dispositio vel libri ordinatio ideo a nobis per singula non reponitur: vt nescientibus inquirendi desiderium collocetur: et querentibus laboris fructus· et deo magisterij doctrina seruetur.

Apocalipsis

Incipit liber apocalipsis beati iohannis apostoli.

1 Apocalipsis ihesu cristi quam dedit illi deus palam facere seruis suis que oportet fieri cito: et significauit mittens per angelum suum seruo suo iohanni [2] qui testimonium perhibuit verbo dei: et testimonium ihesu cristi quecumque vidit. [3] Beatus qui legit et qui audit verba prophetie huius: et seruat ea que in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. [4] Iohannes septem ecclesijs que sunt in asya. Gratia vobis et pax ab eo qui est et qui erat et qui venturus est: et a septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt: [5] et a ihesu cristo qui est testis fidelis primogenitus mortuorum et princeps regum terre: qui dilexit nos et lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo [6] et fecit nos regnum et sacerdotes deo et patri suo: ipsi gloria et imperium: in secula seculorum amen. [7] Ecce venit cum nubibus: et videbit eum omnis oculus: et qui eum pupugerunt. Et tunc plangent se super eum omnes tribus terre: etiam amen. [8] Ego sum alpha et o: principium et finis· dicit dominus deus qui est et qui erat et qui venturus est omnipotens. [9] Ego iohannes frater vester et particeps in tribulatione et regno et patientia in cristo ihesu: fui in insula que appellatur pathmos propter verbum dei et testimonium ihesu. [10] Fui in spiritu in dominica die: et audiui post me vocem magnam tanquam tube [11] dicentis. Quod vides scribe in libro: et mitte septem ecclesijs epheso et smirne et pergamo et thiatire et sardis et philadelphie et laodicie. [12] Et conuersus sum: vt viderem vocem que loquebatur mecum. Et conuersus vidi septem candelabra aurea: [13] et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere: et precinctum ad mamillas zona aurea. [14] Caput autem eius et capilli erant candidi tanquam lana alba: et tanquam nix. Et oculi eius tanquam flamma ignis: [15] et pedes eius similes auricalco sicut in camino ardenti Et vox illius tanquam vox aquarum multarum: [16] et habebat in dextera sua stellas septem. Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: et facies eius sicut sol lucet in virtute sua. [17] Et cum vidissem eum: cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me dicens. Noli timere. Ego sum primus et nouissimus [18] et viuus: et fui mortuus et ecce sum viuens in secula seculorum: et habeo claues mortis et inferni. [19] Scribe ergo que vidisti et que sunt: et que oportet fieri post hec. [20] Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea et septem candelabra aurea: septem stelle angeli sunt septem ecclesiarum: et candelabra septem· septem ecclesie sunt.

2 Angelo ephesi ecclesie scribe. Hec dicit qui tenet septem stellas in dextera sua: qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. [2] Scio opera tua et laborem et patientiam tuam: et quia non potes sustinere malos. Et temptasti eos qui se dicunt apostolus esse et non sunt: et inuenisti eos mendaces. [3] Et patientiam habes: et sustinuisti propter nomen meum: et non defecisti. [4] Sed habeo aduersum te pauca: quod caritatem tuam primam reliquisti. [5] Memor esto itaque vnde excideris: et age penitentiam: et prima opera far. Sinautem: venio tibi et mouebo candelabrum tuum de loco suo: nisi penitentiam egeris. [6] Sed hoc habes quia odisti facta nicholaitarum: que et ego odi. [7] Qui habet aurem audiat: quid spiritus dicat ecclesijs. Vincenti dabo edere de ligno vite: quod est in paradiso dei mei. [8] Et angelo smirne ecclesie scribe. Hec dicit primus et nouissimus: qui fuit mortuus et viuit. [9] Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam: sed diues es et blasphemaris ab hijs qui se dicunt iudeos esse et non sunt: sed sunt synagoga sathane. [10] Nichil horum timeas que passurus es. Ecce missurus est dyabolus ex vobis in carcerem vt temptemini: et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem: et dabo coronam vite. [11] Qui habet aurem audiat: quid spiritus dicat ecclesijs. Qui vicerit: non ledetur a morte secunda. [12] Et angelo pergami ecclesie scribe. Hec dicit qui habet rumpheam vtraque parte acutam. [13] Scio vbi habitas vbi sedes est sathane: et tenes nomen meum et non negasti fidem meam. Et in diebus illis antiphas testis meus fidelis qui occisus est apud vos: vbi sathanas habitat. [14] Sed habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam balaam qui docebat balac mittere scandalum coram filijs israhel edere et fornicari: [15] ita habes et tu tenentes doctrinam nicholaitarum. [16] Similiter penitentiam age: si quo minus: Veniam tibi cito et pugnabo cum illis in gladio oris mei. [17] Qui habet aurem audiat: quid spiritus dicat ecclesijs. Vincenti dabo manna absconditum: et dabo illi calculum candidum et in calculo nomen nouum scriptum: quod nemo scit nisi qui accipit. [18] Et angelo thiatire ecclesie scribe. Hec dicit filius dei: qui habet oclus tanquam flammam ignis: et pedes eius simul auricalco. [19] Noui opera tua et fidem et caritatem tuam et ministerium et patientiam tuam: et opera tua nouissima plura prioribus. [20] Sed habeo aduersus te pauca quia permittis mulierem ihezabel que se dicit propheten docere et seducere seruos meos: fornicari et manducare de ydolotitis. [21] Et dedi illi tempus vt penitentiam ageret: et non vult penitere a fornicatione sua. [22] Ecce ego mitto eam in lectum: et qui mechantur cum ea in tribulatione maxima erunt: nisi penitentiam ab operibus suis egerint: [23] et filios eius interficiam in mortem: et scient omnes ecclesie quia ego sum scrutans renes et corda: et dabo vnicuique vestrum secundum opera vestra. Vobis autem dico [24] et ceteris quia thiatire estis· quicumque non habent doctrinam hanc et qui non cognouerunt altitudinem sathane quemadmodum dicunt: non mittam super vos aliud pondus: [25] tamen id quod habetis tenete donec veniam. [26] Et qui vicerit et custodierit vsque in finem opera mea: dabo illi potestatem super gentes [27] et reget eas in virga ferrea et tanquam vas figuli confringentur [28] sicut et ego accepi a patre meo: et dabo illi stellam matutinam. [29] Qui habet aurem audiat: quid spiritus dicat ecclesijs.

3 Et angelo ecclesie sardis scribe. Hec dicit qui habet septem spiritus dei: et septem stellas. Scio opera tua: quia nomen habes quod viuas: et mortuus es. [2] Esto vigilans: et confirma cetera que moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram deo meo. [3] In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris et serua: et penitentiam age. Si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquam fur: et nescies qua hora veniam ad te. [4] Sed habes pauca nomina in sardis qui non inquinauerunt vestimenta sua: et ambulabunt mecum in albis quia digni sunt. [5] Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis: et non delebo nomen eius de libro vite: et confitebor nomen eius coram patre meo et coram angelis eius. [6] Qui habet aurem audiat: quid spiritus dicat ecclesijs. [7] Et angelo philadelphie ecclesie scribe. Hec dicit sanctus et verus qui habet clauem dauid: qui aperit et nemo claudit: claudit et nemo aperit. [8] Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere: quia modicam: habes virtutem et seruasti verbum meum: et non negasti nomen meum. [9] Ecce dabo de synagoga sathane qui dicunt se iudeos esse et non sunt: sed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant et adorent ante pedes tuos: et scient quia ego dilexi

te. [10] Quoniam seruasti verbum patientie mee: et ego seruabo te ab hora temptationis que ventura est in orbem vniuersum temptare habitantes in terra. [11] Ecce venio cito. Tene quod habes: vt nemo accipiat coronam tuam. [12] Qui vicerit faciam illum columnam in templo dei mei: et foras non egredietur amplius. Et scribam super eum nomen dei mei et nomen ciuitatis dei mei noue iherusalem que descendit de celo a deo meo: et nomen meum nouum. [13] Qui habet aurem audiat: quid spiritus dicat ecclesijs. [14] Et angelo laoditie ecclesie scribe. Hec dicit amen testis fidelis et verus: qui est principium creature dei. [15] Scio opera tua: quia neque frigidus es neque calidus. Vtinam frigidus esses aut calidus. [16] Sed quia cepidus es et nec frigidus nec calidus· incipiam te euomere ex ore meo: [17] quia dicis quod diues sum et locupletatus et nullius egeo: et nescis quia tu es miser et miserabilis· et pauper et cecus et nudus. [18] Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum vt locuples fias: et vestimentis albis induaris vt non appareat confusio nuditatis tue: et collirio inunge oculos tuos vt videas. [19] Ego quos amo· arguo et castigo. Emulare ergo: et penitentiam age. [20] Ecce sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam et aperuerit michi ianuam intrabo ad illum: et cenabo cum illo: et ipse mecum. [21] Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut et ego vici et sedi cum patre meo in throno eius. [22] Qui habet aurem audiat: quid spiritus dicat ecclesijs.

4 Post hec vidi: et ecce ostium apertum in celo: et vox prima quam audiui tanquam tube loquentis mecum dicens. Ascende huc: et ostendam tibi que oportet fieri cito. Post hec [2] statim fui in spiritu. Et ecce sedes posita erat in celo: et supra sedem sedens. [3] Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardinis yris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdine. [4] Et in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor: et supra thronos vigintiquatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis albis et in capitibus eorum corone auree. [5] Et de throno procedunt fulgura et voces et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum qui sunt septem spiritus dei. [6] Et in aspectu sedis tanquam mare vitreum simile cristallo: et in medio sedis et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro. [7] Et animal primum simile leoni et secundum simile vitulo: et tercium animal habens faciem quasi hominis: et quartum animal simile aquile volanti. [8] Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas: et in circuitu et intus plena sunt oculis. Et requiem non habebant die ac nocte dicentia sanctus sanctus sanctus dominus deus omnipotens: qui erat et qui est et qui venturus est. [9] Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum viuenti in secula seculorum: [10] procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno et adorabant viuentem in secula seculorum: et mittebant coronas suas ante thronum dicentes. [11] Dignus es domine deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem: quia tu creasti omnia: et propter voluntatem tuam erant et creata sunt.

5 Et vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus et foris: signatum sigillis septem. [2] Et vidi angelum fortem et predicantem voce magna. Quis est dignus aperire librum et soluere signacula eius? [3] Et nemo poterat neque in celo neque in terra neque subtus terram aperire librum: neque respicere illum. [4] Et ego flebam multum: quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum: nec videre eum. [5] Et vnus de senioribus dixit michi. Ne fleueris. Ecce vicit leo de tribu iuda radix dauid aperire librum et soluere septem signacula eius. [6] Et vidi: et ecce in medio throni et quatuor animalium et in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem et oculos septem: qui sunt septem spiritus dei missi in omnem terram. [7] Et venit: et accepit de dextera sedentis in throno librum. [8] Et cum aperuisset librum· quatuor animalia et vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli cytharas et fialas aureas plenas odoramentorum que sunt orationes sanctorum: [9] et cantabant canticum nouum dicentes. Dignus es domine accipere librum et aperire signacula eius: quoniam occisus es et redemisti nos deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione: [10] et fecisti nos deo nostro regnum et sacerdotes et regnabimus super terram. [11] Et vidi: et audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum: et erat numerus eorum milia milium [12] dicentium voce magna. Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem et diuinitatem et sapientiam: et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem. [13] Et omnem creaturam que in celo est et super terram et sub terra· et que sunt in mari et que in eo: omnes audiui dicentes sedenti in throno et agno. Benedictio et honor et gloria et potestas in secula seculorum. [14] Et quatuor animalia dicebant amen. Et vigintiquatuor seniores ceciderunt in facies suas: et adorauerunt viuentem in secula seculorum.

6 Et vidi quod aperuisset agnus vnum de septem sigillis: et audiui vnum de quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui. Veni et vide. [2] Et vidi: et ecce equus albus· et qui sedebat super illum habebat arcum· et data est ei corona: et exiuit vincens vt vinceret. [3] Et cum aperuisset sigillum secundum: audiui secundum animal dicens. Veni et vide. [4] Et exiuit alius equus rufus: et qui sedebat super illum datum est ei vt sumeret pacem de terra· et vt inuicem se interficiant: et datus est ei gladius magnus. [5] Et cum aperuisset sigillum tercium: audiui tercium animal dicens. Veni et vide. Et ecce equus niger: et qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua. [6] Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium. Bilibris tritici denario vno: et tres bilibres ordei denario vno: et vinum et oleum ne leseris. [7] Et cum aperuisset sigillum quartum audiui vocem quarti animalis dicentis. Veni et vide. [8] Et ecce equus pallidus: et qui sedebat super eum nomen illi mors: et infernus sequebatur eum. Et data est illi potestas super quatuor partes terre: interficere gladio fame et morte et bestijs terre. [9] Et cum aperuisset sigillum quintum: vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum dei: et propter testimonium quod habebant. [10] Et clamabant voce magna dicentes. Vsquequo domine sanctus et verus non iudicas et non vindicas sanguinem nostrum de hijs qui habitant in terra? [11] Et date sunt illis singule stole albe: et dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum: donec compleantur conserui eorum et fratres eorum qui interficiendi sunt sicut et illi. [12] Et vidi cum aperuisset sigillum sextum: et ecce terre motus magnus factus est. Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus: et luna tota facta est sicut sanguis: [13] et stelle de celo ceciderunt super terram sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno mouetur. [14] Et celum recessit sicut liber inuolutus: et omnis mons et insule de locis suis mote sunt. [15] Et reges terre et principes et tribuni et diuites et fortes et omnis seruus et liber absconderunt se in speluncis et in petris montium: [16] et dicunt montibus et petris cadite super nos· et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira agni: [17] quoniam venit dies magnus ire ipsorum. Et quis poterit stare?

7 Post hec vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terre: tenentes quatuor ventus terre ne flarent super terram: neque super mare neque in vllam arborem. [2] Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum dei viui: et clamauit voce magna· quatuor angelis quibus datum est nocere terre et mari [3] dicens. Nolite nocere terre et mari neque arboribus: quoadusque signemus seruos dei nostri in frontibus eorum. [4] Et audiui numerum signatorum: centumquadragintaquatuor milia signati ex omni tribu filiorum israhel. [5] Ex tribu iuda: duodecim milia signati. Ex tribu ruben: duodecim milia signati. Ex tribu gad: duodecim milia signati. [6] Ex tribu aser: duodecim milia signati. Ex tribu neptalim: duodecim milia signati. Ex tribu manasse: duodecim milia signati. [7] Ex tribu symeon: duodecim milia signati. Ex tribu leui: duodecim milia signati. Ex tribu ysachar: duodecim milia signati. [8] Ex tribu zabulon: duodecim milia signati. Ex tribu ioseph: duodecim milia signati. Ex tribu beniamin: duodecim milia signati. [9] Post hec vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis: stantes ante thronum et in conspectu agni amicti stolis albis: et palme in manibus eorum. [10] Et clamabant voce magna dicentes. Salus deo nostro: qui sedet super throuum et agno. [11] Et omnes angeli stabant in circuitu throni et seniorum et quatuor animalium: et ceciderunt in conspectu throni in facies suas: et adorauerunt deum [12] dicentes amen.

Benedictio et claritas et sapientia et granarum actio: honor et virtus et fortitudo deo nostro: in secula seculorum amen. [13] Et respondit vnus de senioribus: et dixit michi. Hij qui amicti sunt stolis albis qui sunt et vnde venerunt? [14] Et dixi illi. Domine mi tu scis. Et dixit michi. Hij sunt qui venerunt de tribulacione magna: et lauerunt stolas suas: et dealbauerunt eas in sanguine agni. [15] Ideo sunt ante thronum dei: et seruient ei die ac nocte in templo eius: et qui sedet in throno habitabit super illos. [16] Non esurient neque sitient amplius: neque cadet super illos sol neque vllus estus: [17] quoniam agnus qui in medio throni est reget illos: et deducet illos ad vite fontes aquarum: et absterget deus omnem lacrimam ab oculis eorum.

8 Et cum aperuisset sigillum septimum: factum est silentium in celo quasi media hora [2] Et vidi septem angelos stantes in conspectu dei: et date sunt illis septem tube. [3] Et alius angelus venit et stetit ante altare habens thuribulum aureum: et data sunt illi incensa multa: vt daret de orationibus sanctorum omnium supra altare aureum quod est ante thronum dei. [4] Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli: coram deo. [5] Et accepit angelus thuribulum aureum· et impleuit illud de igne altaris et misit in terram: et facta sunt tonitrua et voces et fulgura et terre motus magnus: [6] et septem angeli qui habebant septem tubas preparauerunt se vt tuba canerent. [7] Et primus angelus tuba cecinit. Et facta est grando et ignis· mixta in sanguine: et missum est in terram. Et tercia pars terre combusta est: et tercia pars arborum concremata est: et omne fenum viride combustum est. [8] Et secundus angelus tuba cecinit: et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare. Et facta est tercia pars maris sanguis: [9] et mortua est tercia pars creature eorum que habebant animas in mari: et tercia pars nauium interijt. [10] Et tercius angelus tuba cecinit: et cecidit de celo stella magna ardens tanquam facula. Et cecidit in terciam partem fluminum et in fontes aquarum: [11] et nomen stelle dicitur absinthium. Et facta est tercia pars aquarum in absinthium: et multi hominum mortui sunt de aquis: quia amare facte sunt. [12] Et quartus angelus cecinit: et percussa est tercia pars solis et tercia pars lune et tercia pars stellarum· ita vt obscuraretur tercia pars eorum: et diei non luceret pars tercia et nocti similiter. [13] Et vidi: et audiui vocem vnius aquile volantis per medium celi: dicentis voce magna. Ve ve ve habitantibus in terra de ceteris vocibus trium angelorum: qui erant tuba canituri.

9 Et quintus angelus tuba cecinit: et vidi stellam de celo cecidisse in terram: et data est ei clauis putei abissi. [2] Et aperuit puteum abissi: et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magne: et obscuratus est sol et aer de fumo putei. [3] Et de fumo putei exierunt locuste in terram: et data est illis potestas sicut habent potestatem scorpiones terre. [4] Et preceptum est illis ne lederent fenum terre neque omne viride neque omnem arborem: nisi tantum homines qui non habent signum dei in frontibus suis. [5] Et dictum est eis ne occiderent eos: sed vt cruciarentur mensibus quinque. Et cruciatus eorum vt cruciatus scorpij: cum percutit hominem. [6] Et in diebus illis querent homines mortem et non inuenient eam: et desiderabunt mori: et fugiet mors ab eis. [7] Et similitudines locustarum similes equis paratis ad prelium: et super capita earum tanquam corone similes auro: et facies earum tanquam facies hominum. [8] Et habebant capillos sicut capillos mulierum: et dentes earum sicut dentes leonum erant. [9] Et habebant loricas sicut loricas ferreas: et vox alarum illarum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. [10] Et habebant caudas similes scorpionum: et aculei erant in caudis earum: et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. [11] Et habebant super se regem angelum abissi cui nomen hebraice labaddon. [12] Ve vnum abijt: et ecce veniunt adhuc duo ve post hec. [13] Et sextus angelus tuba cecinit: et audiui vocem vnam ex quatutuor cornibus altaris aurei quod est ante oculos dei: [14] dicentem sexto angelo qui habebat tubam. Solue quatuor angelos qui allegati sunt in flumine magno eufraten. [15] Et soluti sunt quatuor angeli qui parati erant in horam et diem et mensem et annum: vt occiderent terciam partem hominum. [16] Et numerus equestris exercitus· vicies milies dena milia: et audiui numerum eorum: [17] et ita vidi equos in visione. Et qui sedebant super eos habebant loricas igneas et iacinctinas et sulphureas: et capita equorum erant tanquam capita leonum: et de ore eorum procedit ignis et fumus et sulphur. [18] Et ab hijs tribus plagis occisa est tercia pars hominum: de igne et de fumo et sulphure que procedebant ex ore ipsorum. [19] Potestas enim equorum in ore eorum est: et in caudis eorum. Nam caude eorum similes serpentibus habentes capita: et in hijs nocent. [20] Et ceteri homines qui non sunt occisi in hijs plagis neque penitentiam egerunt de operibus manuum suarum vt non adorarent demonia et simulacra aurea et argentea et erea et lapidea et lignea que neque videre possunt neque audire neque ambulare: [21] et non egerunt penitentiam ab homicidijs suis neque a veneficijs suis neque a fornicatione sua: neque a furtis suis.

10 Et vidi alium angelum fortem descendentem de celo amictum nube: et yris in capite eius. Et facies eius erat vt sol: et pedes eius tanquam columna ignis. [2] Et habebat in manu sua libellum apertum: et posuit pedem suum dexterum supra mare· sinistrum autem super terram: [3] et clamauit voce magna quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset: locuta sunt septem touitrua voces suas. [4] Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas: et ego scripturus eram. Et audiui vocem de celo dicentem michi. Signa que locuta sunt septem tonitrua: et noli ea scribere. [5] Et angelus quem vidi stantem supra mare et supra terram leuauit manum suam ad celum [6] et iurauit per viuentem in secula seculorum qui creauit celum et ea que in eo sunt: et terram et ea que in ea sunt et mare et ea que in eo quia tempus non erit amplius: [7] sed in diebus vocis septimi angeli cum ceperit tuba canere: consummabitur misterium dei sicut euangelizauit per seruos suos prophetas. [8] Et audiui vocem de celo iterum loquentem mecum et dicentem. Vade: et accipe librum apertum de manu angeli stantis supra mare et super terram. [9] Et abij ad angelum dicens ei vt daret michi librum: et dixit michi. Accipe librum et deuora illum: et faciet amaricari ventrem tuum: sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. [10] Et accepi librum de manu angeli deuoraui illum: et erat in ore meo tanquam mel dulce. Et cum deuorassem eum: amaricatus est venter meus. [11] Et dixit michi. Oportet te iterum prophetare gentibus et populis et linguis et regibus multis.

11 Et datus est michi calamus similis virge: et dictum est michi. Surge: et metire templum dei et altare: et adorantes in eo. [2] Atrium vero quod est foris templum eice foras et ne metiaris illud: quoniam datum est gentibus. Et ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadragintaduobus. [3] Et dabo duobus testibus meis: et prophetabunt diebus milleducentissexaginta amicti saccis. [4] Hij sunt due oliue et duo candelabra in conspectu domini terre stantes. [5] Et si quis voluerit eos nocere: ignis exiet de ore eorum et deuorabit inimicos eorum: et si quis voluerit eos ledere sic oportet eum occidi. [6] Hij habent potestatem claudendi celum ne pluat diebus prophetie illorum: et potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem: et percutere terram omni plaga quotienscunque voluerint. [7] Et cum finierint testimonium suum bestia que ascendit de abisso faciet aduersus eos bellum: et vincet illos: et occidet eos. [8] Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magne que vocatur spiritualiter sodoma et egiptus: vbi et dominus eorum crucifixus est. [9] Et videbunt de tribubus et de populis et linguis et gentibus corpora eorum per tres dies et dimidium: et corpora eorum non sinent poni in monumentis. [10] Et inhabitantes terram gaudebunt super illos et iocundabuntur: et munera mittent inuicem: quoniam hij duo prophete cruciauerunt eos qui inhabitabant super terram. [11] Et post dies tres et dimidium spiritus vite a deo intrabit in eos. Et steterunt super pedes suos: et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. [12] Et audierunt vocem magnam de celo: dicentem eis. Ascendite huc. Et ascenderunt in celum in nube: et viderunt illos inimici eorum. [13] Et in illa hora factus est terre motus magnus: et decima pars ciuitatis cecidit. Et occisi sunt in terre motu nomina hominum septem milia: et reliqui in timorem sunt missi: et dederunt gloriam deo celi. [14] Ve secundum abijt: et ecce ve tercium veniet cito. [15] Et septimus angelus tuba cecinit: et facte sunt voces magne in celo dicentes. Factum est regnum huius mundi domini nostri et cristi eius: et regnabunt in secula seculorum amen. [16] Et vigintiquatuor

seniores qui in conspectu dei sedent in sedibus suis· ceciderunt in facies suas: et adorauerunt deum dicentes. [17] Gratias agimus tibi domine deus noster omnipotens: qui es et qui eras et qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam et regnasti. [18] Et irate sunt gentes: et aduenit ira tua· et tempus mortuorum iudicari· et reddere mercedem seruis tuis prophetis et sanctis et timentibus nomen tuum pusillis et magnis: et exterminandi eosqui corruperunt terram. [19] Et apertum est templum dei in celo: et visa est archa testamenti eius in templo eius. Et facta sunt fulgura et voces: et terre motus et grando magna.

12 Et signum magnum apparuit in celo. Mulier amicta sole: et luna sub pedibus eius: et in capite eius corona stellarum duodecim. [2] Et in vtero habens et clamabat parturiens: et cruciatur vt pariat. [3] Et visum est aliud signum in celo. Et ecce draco magnus rufus habens capita septem et cornua decem: et in capitibus eius septem dyademata: [4] et cauda eius trahebat terciam partem stellarum celi et misit eas in terram. Et draco stetit ante mulierem que erat paritura: vt cum peperisset filium eius deuoraret. [5] Et peperit filium masculum: qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Et raptus est filius eius ad deum et ad thronum eius: [6] et mulier fugit in solitudinem vbi habebat locum paratum a deo: vt ibi pascat eam diebus mille ducentissexaginta. [7] Et factum est prelium magnum in celo. Michahel et angeli eius preliabantur cum dracone: et draco pugnabat et angeli eius [8] et non valuerunt: neque locus inuentus est amplius eorum in celo. [9] Et proiectus est draco ille magnus· serpens antiquus· qui vocabatur dyabolus et sathanas· qui seducit vniuersum orbem: et proiectus est in terram: et angeli eius cum illo missi sunt. [10] Et audiui vocem magnam in celo· dicentem. Nunc facta est salus et virtus et regnum dei nostri et potestas cristi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum: qui accusabat illos ante conspectum dei nostri die ac nocte. [11] Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni et propter verbum testimonij sui: et non dilexerunt animas suas vsque ad mortem. [12] Propterea letamini celi: et qui habitatis in eis. Ve terre et mari: quia descendit dyabolus ad vos habens iram magnam: sciens quod modicum tempus habet. [13] Et postquam vidit draco quod proiectus esset in terram: persecutus est mulierem que peperit masculum. [14] Et date sunt mulieri ale due aquile magne: vt volaret in desertum in locum suum: vbi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis a facie serpentis. [15] Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen: vt eam faceret trahi a flumine. [16] Et adiuuit terra mulierem: et aperuit terra os suum et absorbuit flumen: quod misit draco de ore suo. [17] Et iratus est draco in mulierem: et abijt facere prelium cum reliquis de semine eius qui custodiunt mandata dei: et habent testimonium ihesu cristi. [18] Et stetit super arenam maris.

13 Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem et cornua decem: et super cornua eius decem dyademata: et super capita eius nomina blasphemia. [2] Et bestia quam vidi similis erat pardo: et pedes eius sicut pedes vrsi: et os eius sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam et potestatem magnam. [3] Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem: et plaga mortis eius curata est. Et ammirata est vniuersa terra post bestiam. [4] Et adorauerunt draconem qui dedit potestatem bestie: et adorauerunt bestiam dicentes. Quis similis bestie: et quis poterit pugnare cum illa? [5] Et datum ei os loquens magna et blasphemiam: et data est ei potestas facere menses quadraginta duos. [6] Et aperuit os suum in blasphemias ad deum blasphemare nomen eius et tabernaculum eius: et eos qui in celo habitant. [7] Et datum est illi bellum facere cum sanctis et vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum et populum et linguam et gentem: [8] et adorauerunt eam omnes qui inhabitabant terram: quorum non sunt scripta nomina in libro vite agni qui occisus est ab origene mundi. [9] Si quis habet aurem audiat. [10] Qui in captiuitatem duxerit in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit: oportet eum gladio occidi. Hic est patientia: et fides sanctorum. [11] Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra: et habebat cornua duo similia agni: et loquebatur sicut draco. [12] Et potestatem prioris bestie omnem facietat in conspectu eius: et fecit terram et habitantes in ea adorare bestiam primam: cuius curata est plaga mortis. [13] Et fecit signa magna: vt etiam ignem faceret de celo descendere in terram in conspectu hominum. [14] Et seducit habitantes in terra propter signa que data sunt illi facere in conspectu bestie: dicens habitantibus in terra vt faciant ymaginem bestie que habet plagam gladij et vixit. [15] Et datum est illi vt daret spiritum ymagini bestie et vt loquatur ymago et faciet vt quicumque non adorauerint ymaginem bestie occidantur. [16] Et faciet omnes pusillos et magnos et diuites et pauperes et liberos et seruos habere caracterem in manu dextra aut in frontitibus suis: [17] et ne quis possit emere aut vendere nisi habeat caracterem nominis bestie: aut nomen aut numerum nominis eius. [18] Hic sapientia est. Qui habet intellectum: computet numerum bestie. Numerus enim hominis est: et numerus eius sexcentisexagintasex.

14 Et vidi: et ecce agnus stabat supra montem syon: et cum eo centumquadragintaquatuor milia habentes nomen eius et nomen patris eius scriptum in frontibus suis. [2] Et audiui vocem de celo tanquam vocem aquarum multarum et tanquam vocem tonitrui magni: et vocem quam audiui sicut cytharedorum cytharizantium in cytharis suis. [3] Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem et ante quatuor animalia et seniores: et nemo poterat dicere canticum nisi illa centumquadragintaquatuor milia qui empti sunt de terra. [4] Hij sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hij secuntur agnum quocunque ierit. Hij empti sunt ex omnibus primitie deo et agno: [5] et in ore eorum non est inuentum mendacium. Sine macula enim sunt ante thronum dei. [6] Et vidi alterum angelum volantem per medium celum· habentem euangelium eternum: vt euangelizaret sedentibus super terram et super omnem gentem et tribum et linguam et populum: [7] dicens magna voce. Timete dominum et date illi honorem: quia venit hora iudicij eius: et adorate eum qui fecit celum et terram mare et fontes aquarum. [8] Et alius angelus secutus est dicens. Cecidit cecidit babilon illa magna: que a vino ire fornicationis sue potauit omnes gentes. [9] Et tercius angelus secutus est illos dicens voce magna. Si quis adorauerit bestiam et ymaginem eius et acceperit caracterem in fronte sua aut in manu sua: [10] hic bibet de vino ire dei quod mixtum est mero in calice ire ipsius. Et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum: et ante conspectum agni. [11] Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum. Nec habent requiem die ac nocte qui adorauerunt bestiam et ymaginem eius: et si quis acceperit caracterem nominis eius. [12] Hic sapientia sanctorum est: qui custodiunt mandata dei et fidem ihesu. [13] Et audiui vocem de celo dicentem michi. Scribe. Beati mortui: qui in domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus: vt requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum secuntur illos. [14] Et vidi· et ecce nubem candidam: et supra nubem sedentem similem filio hominis habentem in capite suo coronam auream: et in manu sua falcem acutam. [15] Et alius angelus exiuit de templo: clamans voce magna ad sedentem super nubem. Mitte falcem tuam et mete: quia venit hora vt metatur: quoniam aruit messis terre. [16] Et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram: et messuit in terram. [17] Et alius angelus exiuit de templo quod est in celo: habens et ipse falcem acutam. [18] Et alius angelus exiuit de altari qui habebat potestatem supra ignem et aquam: et exclamauit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam dicens. Mitte falcem tuam acutam et vindemia botros vinee terre: quoniam mature sunt vue eius. [19] Et misit angelus falcem suam acutam in terram: et vindemiauit vineam terre: et misit in lacum ire dei magnum. [20] Et calcatus est locus extra ciuitatem: et exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum per stadia millesexcenta.

15 Et vidi aliud signum in celo magnum et mirabile: angelos septem habentes plagas septem nouissimas: quoniam in illis consummata est ira dei. [2] Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne et eos qui viccrunt bestiam et ymaginem eius et numerum nominis eius stantes supra mare vitreum: habentes cytharas dei [3] et cantantes canticum moysi serui dei et canticum agni dicentes. Magna et mirabilia sunt opera tua domine deus

omnipotens: iuste et vere sunt vie tue domine rex seculorum. [4] Quis non timebit te domine: et magnificabit nomen tuum? Quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo: quoniam iudicia tua manifesta sunt. [5] Et post hec vidi: et ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in celo. [6] Et exierunt septem angeli habentes septem plagas de templo: vestiti lapide mundo et candido: et precincti circa pectora zonis aureis. [7] Et vnum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem fialas aureas: plenas iracundie dei viuentis in secula seculorum. [8] Et impletum est templum dei fumo a maiestate dei et de virtute eius: et nemo poterat introire in templum: donec consummarentur septem plage septem angelorum.

16 Et audiui vocem magnam de templo dicentem septem angelis. Ite: et effundite septem fialas ire dei in terram. [2] Et abijt primus angelus et effudit fialam suam in terram: et factum est vulnus seuum et pessimum in homines qui habebant caracterem bestie: et in eos qui adorauerunt bestiam et ymaginem eius. [3] Et secundus angelus effudit fialam suam in mare: et factus est sanguis tanquam mortui: et omnis anima viuens mortua est in mari. [4] Et tercius effudit fialam suam super flumina et super fontes aquarum: et factus est sanguis. [5] Et audiui angelum aquarum dicentem. Iustus es domine qui es et qui eras sanctus qui hoc iudicasti: [6] quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt: et sanguinem eis dedisti bibere. Digni enim sunt. [7] Et audiui alterum dicentem. Etiam domine deus omnipotens: vera et iusta iudicia tua. [8] Et quartus angelus effudit fialam suam in solem: et datum est illi estu affligere homines et igni. [9] Et estuauerunt homines estu magno: et blasphemauerunt nomen dei habentis potestatem super has plagas: neque egerunt penitentiam vt darent illi gloriam. [10] Et quintus angelus effudit fialam suam super sedem bestie et factum est regnum eius tenebrosum. Et commanducauerunt linguas suas pre dolore: [11] et blasphemauerunt deum celi pre doloribus et vulneribus suis: et non egerunt penitentiam ex operibus suis. [12] Et sextus angelus effudit fialam suam in flumen illud magnum eufraten: et siccauit aquam eius vt prepararetur via regibus ab ortu solis. [13] Et vidi de ore draconis et de ore bestie et de ore pseudo prophete exire spiritus tres immundos in modum ranarum. [14] Sunt enim spiritus demoniorum facientes signa: et procedunt ad reges totius terre congregare illos in prelium ad diem magnum. omnipotentis dei. [15] Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet: et videant turpitudinem eius. [16] Et congregabit illos in locum qui vocatur hebraice armageddon. [17] Et septimus angelus effudit fialam suam in aerem: et exiuit vox magna de templo a throno dicens. Factum est. [18] Et facta sunt fulgura et voces et tonitrua: et terre motus factus est magnus qualis nunquam fuit exquo homines fuerunt super terram: talis terre motus sic magnus. [19] Et fracta est ciuitas magna in tres partes: et ciuitates gentium ceciderunt. Et babilon magna venit in memoriam ante deum: dare illi calicem vini indignationis ire eius. [20] Et omnis insula fugit: et montes non sunt inuenti. [21] Et grando magna sicut talentum descendit de celo in homines: et blasphemauerunt homines deum propter plagam grandinis: quoniam magna facta est vehementer.

17 Et venit vnus de septem angelis qui habebant septem fialas: et locutus est mecum dicens. Veni et ostendam tibi damnationem meretricis magne que sedet super aquas multas: [2] cum qua fornicati sunt reges terre: et inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius. [3] Et abstulit in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam· plenam nominibus blasphemie: habentem capita septem et cornua decem. [4] Et mulier erat circundata purpura et coccino et inaurata auro et lapide precioso et margaritis: habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione et immundicia fornicationis eius. [5] Et in fronte eius nomen scriptum babilon magna: mater fornicationum et abominationum terre. [6] Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum: et de sanguine martirum ihesu. Et miratus sum cum viderem illam ammiratione magna. [7] Et dixit michi angelus. Quare miraris: ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestie que portat eam: que habet capita septem et cornua decem. [8] Bestia quam vidisti fuit et non est: et ascensura est de abisso et in interitum ibit: et mirabuntur inhabitantes terram quorum non sunt scripta nomina in libro vite a constitutione mundi videntes bestiam que erat et non est. [9] Et hic est sensus: qui habet sapiennam. Septem capita septem montes sunt supra quos mulier sedet: et septem reges. [10] Quinque ceciderunt: vnus est: et alius nondum venit. Et cum venerit: oportet illum breue tempus manere. [11] Et bestia que erat et non est ipsa octaua est: et de septem est. Et in interitum vadit. [12] Et decem cornua que vidisti decem reges sunt qui regnum nondum acceperunt: sed potestatem tanquam reges vna hora accipient post bestiam. [13] Hij vnum consilium habent: et virtutem et potestatem suam bestie tradent. [14] Hij cum agno pugnabunt· et agnus vincet illos: quoniam dominus dominorum est· et rex regum: et qui cum illo sunt vocati et electi et fideles. [15] Et dixit michi. Aque quas vidisti vbi meretrix sedet populi sunt et gentes et lingue: [16] et decem cornua que vidisti in bestia hij odient fornicariam et desolatam facient illam et nudam: et carnes eius manducabunt et ipsam igni concremabunt. [17] Deus enim dedit in corda eorum vt faciant quod placitum est illi: vt dent regnum suum bestie donec consummentur verba dei. [18] Et mulier quam vidisti est ciuitas magna: que habet regnum super reges terre.

18 Et post hec vidi alium angelum descendentem de celo habentem potestatem magnam: et terra illuminata est a gloria eius. [2] Et clamauit in fortitudine dicens. Cecidit cecidit babilon magna· et facta est habitatio demoniorum: et custodia omnis spiritus immundi et custodia omnis volucris immunde et odibilis: [3] quia de vino ire fornicationis eius biberunt omnes gentes. Et reges terre cum illa fornicati sunt: et mercatores terre de virtute deliciarum eius diuites facti sunt. [4] Et audiui aliam vocem de celo dicentem. Exite de illa populus meus: et ne participes sitis delictorum eius: et de plagis eius non accipiatis. [5] Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad celum: et recordatus est dominus iniquitatum eius. [6] Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis: et duplicate duplicia secundum opera eius. In poculo quo miscuit vobis miscete illi duplum. [7] Quantum glorificauit se et in delicijs fuit: tantum date illi tormentum et luctum: quia in corde suo dicit. Sedeo regina: et vidua non sum: et luctum non videbo. [8] Ideo in vna die venient plage eius mors et luctus et fames: et igni comburetur: quia fortis est deus qui iudicabit illam. [9] Et flebunt et plangent se super illam reges terre qui cum illa fornicati sunt et in delicijs vixerunt cum viderint fumum incendij eius: [10] longe stantes propter timorem tormentorum eius dicentes. Ve ve ciuitas illa magna babilon: et ciuitas illa fortis: quoniam vna hora venit iudicium tuum. [11] Et negociatores terre flebunt super illam et lugebunt: quoniam merces eorum nemo emet amplius: [12] mercem auri et argenti et lapidis preciosi et margarite et bissi et purre et serici et coccini: et omne lignum thynum et omnia vasa eboris et omnia vasa de lapide precioso et eramento et ferro et marmore: [13] et cynamomum et amomum et odoramentorum et vnguenti et thuris et vini et olei et simile et tritici et iumentorum et ouium et equorum et redarum et mancipiorum et animarum hominum. [14] Et poma tua desiderij anime tue discesserunt a te: et omnia pinguia et preclara perierunt a te: et amplius illa iam non inuenient [15] mercatores hominum. Qui diuites facti sunt ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum eius: flentes ac lugentes [16] et dicentes. Ve ve ciuitas illa magna: que amicta erat bisso et purpura et cocco et deaurata est auro et lapide precioso et margaritis: [17] quoniam vna hora destitute sunt tante diuitie. Et omnis gubernator et omnes qui in lacum nauigant et naute et qui in mari operantur· longe steterunt: [18] et clamauerunt videntes locum incendij eius dicentes. Que similis ciuitati huic magne? [19] Et miserunt puluerem super capita sua: et clamauerunt flentes et lugentes dicentes. Ve ve ciuitas illa magna: in qua diuites facti sunt omnes qui habebant naues in mari de precijs eius: quoniam vna hora desolata est. [20] Exulta super eam celum et sancti apostoli et prophete: quoniam iudicauit deus iudicium vestrum de illa. [21] Et sustulit vnus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum: et misit in mare dicens. Hoc impetu mittetur babilon ciuitas illa magna: et vltra iam non inuenietur. [22] Et vox cytharedorum et musicorum et tybia canentium et tuba non audietur in te amplius: et omnis artifex omnisque ars non inuenietur in te

amplius: et vox mole non audietur in te amplius. [23] Et lux lucerne non lucebit in te amplius: et vox sponsi et sponse non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terre: quia in veneficijs tuis errauerunt omnes gentes. [24] Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inuentus est: et omnium qui interfecti sunt in terra.

19 Post hec audiui quasi vocem tubarum multarum in celo dicentium alleluia. Laus et gloria et virtus deo nostro est· [2] quia vera et iusta iudicia sunt eius: qui iudicauit de meretrice magna· qui corrupit terram in prostitutione sua: et vindirauit sauguinem seruorum suorum de manibus eius. [3] Et iterum dixerunt alleluia. Et fumus eius ascendit in secula seculorum. [4] Et ceciderunt seniores vigintiquatuor et quatuor animalia et adorauerunt deum sedentem super thronum: dicentes amen alleluia. [5] Et vox de throno exiuit dicens. Laudem dicite deo nostro omnes sancti eius: et qui timetis deum pusilli et magni. [6] Et audiui quasi vocem tube magne et sicut vocem aquarum multarum et sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium alleluia: quoniam regnauit dominus deus noster omnipotens. [7] Gaudeamus et exultemus et demus gloriam ei: quia venerunt nuptie agni: et vxor eius preparauit se. [8] Et datum est illi vt coopriat se bissinum splendens candidum. Bissinum enim iustificationes sunt sanctorum. [9] Et dixit michi. Scribe. Beati qui ad cenam nuptiarum agni vocati sunt. Et dixit michi. Hec verba dei vera sunt. [10] Et cecidi ad pedes eius: vt adorarem eum. Et dixit michi. Vide ne feceris. Conseruus tuus sum: et fratrum tuorum habentium testimonium ihesu. Deum adora. Testimonium enim ihesu est spiritus prophetie. [11] Et vidi celum apertum: et ecce equus albus: et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verax: et cum iusticia iudicat et pugnat. [12] Oculi autem eius sicut flamma ignis: et in capite eius dyademata multa: habens nomen scriptum quod nemo nouit nisi ipse. [13] Et vestitus erat veste aspersa sanguine: et vocabatur nomen eius verbum dei. [14] Et exercitus qui sunt in celo sequebantur eum in equis albis: vestiti bissino albo et mundo. [15] Et de ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus: vt in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea et calcat torcular vini furoris ire dei omnipotentis. [16] Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: rex regum et dominus dominantium. [17] Et vidi vnum angelum stantem in sole: et clamauit voce magna dicens omnibus auibus qui volant per medium celi. Venite et congregamini ad cenam magnam: [18] vt manducetis carnes regum et carnes tribunorum et carnes fortium et carnes equorum et sedentium in ipsis. Et carnes omnium liberorum et seruorum et pusillorum et magnorum. [19] Et vidi bestiam et reges terre et exercitus eorum congregatos ad faciendum prelium cum illo qui sedebat in equo: et cum exercitu eius. [20] Et apprehensa est bestia et cum ea pseudo prophete: et qui fecit signa coram ipso quibus seduxit eos qui acceperunt caracterem bestie: et qui adorauerunt ymaginem eius. Viui missi sunt hij duo in stagnum ignis ardentis et sulphuris: [21] et ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum: qui procedit de ore ipsius: et omnes aues saturate sunt carnibus eorum.

20 Et vidi angelum descendentem de celo habentem clauem abissi: et cathenam magnam in manu sua. [2] Et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est dyabolus et sathanas: et ligauit eum per annos mille. [3] Et misit eum in abissum: et clausit et signauit super illum vt non seducat amplius gentes: donec consumentur mille anni. Et post hoc oportet illum solui modico tempore. [4] Et vidi sedes: et sederunt super eas: et iudicium datum est illis. Et animas decollatorum propter testimonium ihesu et propter verbum dei: et qui non adorauerunt bestiam neque ymaginem eius nec acceperunt caracterem eius in frontibus aut in manibus suis: et vixerunt et regnauerunt cum cristo mille annis. [5] Ceteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni. Hec est resurrectio prima. [6] Beatus et sanctus: qui habet partem in resurrectione prima. In hijs secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes dei et cristi: et regnabunt cum illo mille annis. [7] Et cum consummati fuerint mille anni soluetur sathanas de carcere suo: et exibit et seducet gentes que sunt super quatuor angulos terre gog et magog: et congregabit eos in prelium· quorum numerus est sicut arena maris. [8] Et ascenderunt super latitudinem terre: et circuierunt castra sanctorum et ciuitatem dilectam. [9] Et descendit ignis a deo de celo et deuorabit eos: et dyabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis et sulphuris: vbi et bestia [10] et pseudo prophete cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. [11] Et vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum: a cuius aspectu fugit terra et celum: et locus non est inuentus ab eis. [12] Et vidi· mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni: et libri aperti sunt: et alius liber apertus est qui est vite. Et iudicati sunt mortui ex hijs que scripta erant in libris: secundum opera ipsorum. [13] Et dedit mare mortuos suos qui in eo erant: et mors et infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant: et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. [14] Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hec est mors secunda. [15] Et qui non est inuentus in libro vite scriptus: missus est in stagnum ignis.

21 Et vidi celum nouum: et terram nouam. Primum enim celum et prima terra abijt: et mare iam non est. [2] Et ego iohannes vidi sanctam ciuitatem iherusalem nouam descendentem de celo: a deo paratam: sicut sponsam ornatam viro suo. [3] Et audiui vocem magnam de throno dicentem. Ecce tabernaculum dei cum hominibus: et habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt: et ipse deus cum eis: erit eorum deus. [4] Et absterget deus omnem lacrimam ab oculis eorum: et mors vltra non erit neque luctus neque clamor neque dolor erit vltra: que prima abierunt. [5] Et dixit qui sedebat in throno. Ecce noua facio omnia. Et dixit michi. Scribe: quia hec verba fidelissima sunt et vera. [6] Et dixit michi. Factum est. Ego sum alpha et o: inicium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aque viue gratis. [7] Qui vicerit possidebit hec. Et ero illi deus: et ille erit michi filius. [8] Timidis autem et incredulis et execratis et homicidis et fornicatoribus et veneficis et ydolatris et omnibus mendacibus: pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure: quod est mors secunda. [9] Et venit vnus de septem angelis habentibus fialas plenas septem plagis nouissimis: et locutus est mecum dicens. Veni: et ostendam tibi sponsam vxorem agni. [10] Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum: et ostendit michi ciuitatem sanctam iherusalem descendentem de celo: [11] habentem claritatem dei. Et lumen eius simile lapidi precioso tanquam lapidi iaspidi: sicut cristallum. [12] Et habebat murum magnum et altum habentem portas duodecim: et in portis angelos duodecim: et nomina inscripta que sunt nomina duodecim tribuum filiorum israhel. [13] Ab oriente porte tres: et ab aquilone porte tres: et ab austro porte tres: et ab occasu porte tres. [14] Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim: et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum et agni. [15] Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream: vt metiretur ciuitatem et portas eius et murum. [16] Et ciuitas in quadro posita est: et longitudo eius tanta est quanta et latitudo. Et mensus est ciuitatem de arundine aurea per stadia· duodecim milia: et longitudo et altitudo et latitudo eius equalia sunt. [17] Et mensus est murus eius centum quadragintaquatuor cubitorum: mensura hominis que est angeli. [18] Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa vero ciuitas aurum mundum: simile vitro mundo. [19] Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide precioso ornata. Et fundamentum primum iaspis: secundus saphirus· tercius calcedonius: quartus smaragdus· [20] quintus sardonix· sextus sardius: septimus crisolitus· octauus berillus· nonus thopazius: decimus crisoprassus· vndecimus iacinctus· duodecimus ametistus. [21] Et duodecim porte: duodecim margarite sunt per singulas. Et singule porte erant ex singulis margaritis: et platea ciuitatis aurum mundum: tanquam vitrum perlucidum. [22] Et templum non vidi in ea. Dominus enim deus omnipotens templum illius est: et agnus. [23] Et ciuitas non eget sole neque luna: vt luceant in ea. Nam claritas dei illuminabit eam: et lucerna eius est agnus. [24] Et ambulabunt gentes in lumine eius: et reges terre afferent gloriam suam et honorem in illam. [25] Et porte eius non claudentur per noctem. Nox enim non erit illic [26] et afferent gloriam et honorem gentium in illam: [27] nec intrabit in ea aliquid coinquinatum aut abominationem faciens et mendacium: nisi qui scripti sunt in libro vite agni.

22 Et ostendit michi fluuium aque viue splendidum tanquam cristallum: procedentem de sede dei et agni. [2] In medio platee eius et ex vtraque parte fluminis lignum vite afferens fructus duodecim: per menses singulos reddens fructum suum: et folia ligni ad sanitatem gentium. [3] Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes dei et agni in illa erunt: et serui eius seruient illi. [4] Et videbunt faciem eius: et nomen eius in frontibus eorum. [5] Et vox vltra non erit: et non egebunt lumine lucerne neque lumine solis quoniam dominus deus illuminabit illos: et regnabunt in secula seculorum. [6] Et dixit michi. Hec verba fidelissima sunt et vera. Et dominus deus spirituum prophetarum misit angelum suum: ostendere seruis suis que oportet fieri cito. [7] Et ecce venio velociter. Beatus qui custodit verba prophetie libri huius. [8] Et ego iohannes qui audiui et vidi hec. Et postquam audissem et vidissem recidi vt adorarem ante pedes angeli qui michi hec ostendebat. [9] Et dixit michi. Vide ne feceris. Conseruus enim tuus sum et fratrum tuorum prophetarum: et corum qui seruant verba prophetie libri huius. Deum adora. [10] Et dixit michi. Ne signaueris verba prophetie libri huius. Tempus enim prope est. [11] Qui nocet noceat adhuc: et qui in sordibus est sordescat adhuc. Et qui iustus est iustificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc. [12] Ecce venio cito: et merces mea mecum est: reddere vnicuique secundum opera sua. [13] Ego sum alpha et o: primus et nouissimus: principium et finis. [14] Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni: vt sit potestas corum in ligno vite: et per portas intrent ciuitatem. [15] Foris autem canes et venefici et impudici et homicide et ydolis seruientes: et omnis qui amat et facit mendacium. [16] Ego ihesus misi angelum meum testificari vobis hec in ecclesijs. Ego sum radix et genus dauid: stella splendida et matutina. [17] Et spiritus et sponsa dicunt veni. Et qui audit: dicat veni. Et qui sitit veniat: et qui vult accipiat aquam vite gratis. [18] Contestor enim omni audienti verba prophetie libri huius. Si quis apposuerit ad hec· apponet deus super illum plagas scriptas in libro isto: [19] et si quis diminuerit de verbis libri prophetie huius· auferet deus partem eius de libro vite et de ciuitate sancta: et de hijs que scripta sunt in libro isto. [20] Dicit qui testimonium perhibet istorum. Etiam. Venio cito amen. Veni domine ihesu. [21] Gratia domini nostri ihesu cristi cum omnibus vobis amen.